# ANTONII MVSAE BRASAVOLI MEDICI FERRARIENSIS IN LIBROS DE RATIONE VICTVS IN MORBIS ACVTIS

*Hippocratis & Galeni commentaria & annotationes,*

*AD CHRISTIANISSIMVM ET*
INVICTISSIMVM FRANCISCVM
GALLORVM REGEM.



# AD CHRISTIANISSIMVM

## ET INVICTISSIMVM FRANCISCVM

*Gallorum Regem, Antonij Musæ Brasauoli Epistola nuncupatoria.*

INTER humanas artes atque disciplinas quæ citra controuersiam plurimum adferunt cum commoditatis tum utilitatis vitę mortalium Christianissime atque Inuictissime REX, mea quidem sententia præcipuus locus medicæ facultati debetur, non ob id tantum quod rerum omnium peritiam supponat (quis enim vere medicus dici poterit, qui cæteras artes ac disciplinas non perdidicerit, & ita perdidicerit ut in unaquaque particulatim uersatus esse videatur?) uerum etiam quod praue affectos homines sanat, sopita ingenia excitat, morborum caligines fugat, & denique iam desideratos e rogo in uitam restituit. Cum uero multi hac in arte pertractanda, ingenia sua exercuerint, excoluerintque, & totis uiribus summum artis finem, atque extremum Colophonem attingere conati sint: tamen duo tantum, quos æquus amauit Iuppiter, illam metæ portionem attigere, quam uel alio nemini unquam ab æuo attingere datum est. Hippocrates ex his primus est, Galenus alter, Hippocratis interpres, & diuinus medicarũ rerum contemplator. Nos utrosque huiusce artis proceres ab hoc tẽpore, quo huic arti nauare cœpimus, imitandos elegimus: neque unquã ab eorum decretis uel per latũ unguem discedere statuimus. Cumque non pauca in Hippocratis & Galeni libros commentaria ediderimus, nunc noua fœtura commentarijs in librum de ratione uictus in morbis acutis Hippocratis extremam manũ imposuimus. Quæ cum librario ut in lucem prodirẽt, traderentur: nutibus quibusdã conqueri, & patronum aliquem præpotentẽ ueluti tutelarem deum exoptare uisa sunt, qui & bonarũ literarum & literatorũ omnium esset fautor acerrimus. Nobis uisa est horum cõmentariorum digna querela. Iccirco contẽplari cœpimus atque excogitare cui hoc munus demandandum esset. Tu statim occurristi Regum REX, quem literati omnes colunt atque admirantur, cum ob latissimã amplissimamque ditionem, quæ ad Pyrenæos mõtes extenditur ad Hispaniam et Germaniam, & ad duo maria Oceanum, & hoc nostrũ Mediterraneũ: quam Caius Cæsar & ueteres omnes in tres partes diuiserunt, in Aquitaniam, Celticam (quæ proprie Gallia dicitur) & Belgicam. Ptolemæus tamen Narbonensem addidit ad mare Mediterraneũ extensam. In qua prouincia nihil quod ad humanæ uitæ necessitatẽ conducere possit, desideratur: homines habet ad omnia subeũda cõmoda & incommoda aptos, ad omne disciplinæ genus propensos: frumenti, aliarũque omnium frugum atque pabuli, & diuersorũ ac pretiosorum uinorum ob temperatum calorẽ [illegible] mpestiuos imbres, feracissima est: ut non modo incolis ipsis, sed & Hispaniæ, ac Italiæ uictum pr[illegible]eat: nec ampli desunt & olei, & mellis prouentus, noxijs animalibus minime frequẽs: &, quod ra[illegible]mũ est in una prouincia, nihil deest humano generi ex simplicibus medicamentis, quod ad sanitatẽ u[illegible] conseruandam uel reducendã exoptari possit. Nam & rhabarbarũ, & agaricum, & [illegible] nanu[illegible]n, & [illegible] aloẽ fert Gallia, fluminibus &
fontibus irrigua, duobus magnis fluminibus R [illegible] opulatissimis vrbibus ac
ditissimis referta: infinita habet oppida, quæ bel[illegible] [illegible]ssimi in Gallia semper
extitere sapiẽtiæ magistri. Quàm uero amplæ [illegible] [illegible]blicis foris, amplis pla
teis, latis uicis, ædibus ac palatijs mirã stuc[illegible] [illegible] & nos his oculis ex
perti sumus, cum .1528. Illustriss. Hercu[illegible] [illegible] dotes, quę cũs
in te uno Christianissime REX cumulã[illegible] [illegible]d oẽs. [illegible]
hanc electionẽ, nõ mediocriter hortati [illegible] [illegible] patr[illegible]
Renata Galla dignissimi Ferrariæ P[illegible] [illegible] sur[illegible]
habẽt reuerẽtia, ut cũ dijs apud ips[illegible] [illegible] ti C[illegible]
nalis Estensis calcaria, quæ nos ad[illegible]
ra tuba Maiestatis tuæ gesta at[illegible]
lici honoris, & Gallicæ gloriæ
dignus, qui prius ueluti [illegible]
gatus, sub ampla tua Ch[illegible]
ora incedet, nec quẽpiam
attrectasse, & ueluti dem[illegible]
tua illa suauis aura as[illegible]
stianissimus emicat [illegible]
ne refulget. Accipe
promerentur, sed q[illegible]

## FRANCISCI BOVII FERRARIENSIS
### CARMEN ENCOMIASTICON.
### Ad Lectorem.

*HActenus Hippocrates latuit, pariterq; Galenus,*
*Nec fuerat nobis notus vterq; satis.*
*Sed, cum cuncta vices habeant, post nubila Phœbus*
*Succedet, maneat sors quoq; nulla diu.*
*En tibi mirando nunc Musa Antonius ausu*
*Abdita queq; prius lucida sensa facit.*
*Nanq; modum in morbis viuendi exponit acutis,*
*Quo nullum Coi grandius extat opus.*
*Laudatam vsq; adeo ptisanam, nulliq; recentum*
*Attactam, primus conficit, atq; docet.*
*Hinc licet inuictas naturæ noscere vires,*
*Esseq; non secus has, atq; fuere prius.*
*Hæc est ad fruges tantum ingeniosa creandas,*
*Atq; viros, quantum secula prisca canunt.*
*Vnde dolor veniat morbi comes, explicat idem*
*Naturæ interpres optimus, atque sophos.*
*Ipse etiam (poscente loco) tibi munera Bacchi*
*Ample & distincte, qualia, quanta refert.*
*Dulcia quo prosint data sub pleuritide vina,*
*Quo noceant rursus tempore, scire potes.*
*Iam maiora fide, quæ te didicisse iuuabit,*
*Compe[...], studio si incubuisse velis.*
*Hinc præte[...]ra tibi sumes documenta, fidelis*
*Quæ tib[...] dat medicus, dat tibi queq; sophos.*
*H[...]c etiam [...]d singula [...]embra medelas,*
*[...]us eris.*
*[...]edicamina cordi,*
*[...]dicina iuuet:*
*[...]rima prompta*
*[...]t.*
*[...]iosus vtranq;*
*[...]ro.*
*[...]lector,*
*[...]r.*

LIBER I.

# ANTONII MVSAE BRASAVOLI

## MEDICI FERRARIENSIS IN PRIMVM LIBRVM DE RATIONE VICTVS IN MORBIS ACVTIS

### Hippocratis & Galeni, Commentaria & Annotationes.

NONNVLLOS Audiuimus per forum, & apud seplasiarios obmurmurantes, & stupida quadam admiratione affectos: nos in hac aetate nondum (ut illis uidetur) matura, ausos esse, partem illam rei medicę facultatis in publicis scholis aggredi, quę praxis nuncupatur: cum superioribus annis illis solum munus hoc interpretandi hanc rei medicae partem committeretur, qui iam aetate ingrauescerent, & senio confecti essent. At non possumus de illis non amplius admirari, quam ipsi de nobis in admirationem uersi sint, cum eorum iudicium circa aetates à recto tramite aberret. Nempe confecti senio, & mentem ipsam cum viribus corporis ad subeundos studiorum labores confectam habent. Vt autem ad rem ipsam redeat oratio, quadragenarij sumus: in qua aetate & mentis uires, ac ingenij acies adhuc uigent: & corporis robur ad omnia subeunda incommoda in diurnis laboribus ac nocturnis vigilijs aptū est, potestque citra ullam noxam sudare & algere. Haec est igitur, haec inquam est illa aetas, in qua homo ad labores omnis in recensendis authoribus ac euoluendis subeundos, aptissimus est, ac robustissimus. Vnde & si senio confectus nō sim, tamen ardenti animo hoc interpretandi onus suscepimus. In quo pro virili nostra ita enitemur, ut Herculem illustrissimū & excellētissimū Ferrariae Ducē nō poeniteat nos ad hanc partem artis enucleandam elegisse. Neque enim labores subterfugiemus, imo lapidem omnem mouere tentabimus, ut nostro recte fungamur officio. At sponte fatemur onus esse humeris nostris impar, quod tamen Herculis inuictissimi Ducis auspicijs subire non verebimur. Et si forte fortuna finem attingere non valebimus, id saltem Principi illustrimo compertum esse volumus, nos pro virili egisse, vt illum assequeremur. Iámque rem ipsam, Deo optimo maximóque auspice aggrediamur.

Hippocrates ille Cous, medicinae parens, huic libro inscriptionē fecit περὶ διαίτης ὀξέων. i. de ratione uictus acutorum. ac acutorum simpliciter dicens, morborum subintelligere ... ter: cum haec uictus ratio in alio intelligi non possit quam in bis. tamen non desunt aliqui codices, in quibus prescriptum περὶ διαίτης ὀξέων νοσημάτων, hoc est, de ratione uictus in bis acutis: in aliquibus uerò codicibus additur praedictę scriptioni ἢ τὸ περὶ πτισσάνης, id est uel de ptisana ... Imo sola hęc inscriptio nonnunquam reperitur ... de ptisana uel περὶ ἄλλων τῆς πτισσάνης. i. de ... quam inscriptionem secutus est Plinius libro. 18. ... tuit ansam dare ita scribendi, nempe de ptisana ... Ptisanae inde usus ualidissimus saluberrimúsque ... batur, unum laudibus eius uolumen dicauit Hip... simus medicinę scientia. Verumtamen hęc inscr... da est, cùm multa alia in hoc libro, quę à ptisa... runt, edoceantur. hoc ferè argumento inscriptionem ... lenus reprehendit. 18. sectione huius libri, quo in loco annotauit, & nonnullos inscripsisse πρὸς τὰς κνιδίας γνώμας. i. contra sententias Cnidias. hi & ipsi reprehensione digni sunt. nam semel tantum in prima prefationis parte de his Cnidijs sententijs mentionem facit, & illas coarguit. Simul uero Galenus duas istas inscriptiones reprehendit in. 3. de alimentorum facultatibus, ubi de melle agit, quod dicit non ample nutrire: adeo ut non defuerint, quibus nihil prorsus alere uideretur, qui abunde confutātur in tertio de uictus ratione in morbis acutis: qui Hippocratis est liber à nonnullis quidem contra Cnidias sentētias inscriptus, ab alijs de ptisana, utrisque in hoc delinquentibus, ut in commentarijs in eum librum scriptis ostendimus. Tamen aliquibus in locis refert Galenus hūc librum, ac si altera inscriptionum insignitus sit, ut in. 9. Methodi medendi ita refert. In libro autem de acutorum uictu, quem aliqui Cnidijs sententijs adscribunt, & in principio ferè tertij libri de difficultate respirationis inquit, liber de uictu in morbis acutis, quem aliqui ad Cnidias sententijs inscribunt, nō preter rationem est liber Hippocratis. & prope medium eiusdem libri Galenus dicit, In libro de uictu in morbis acutis, quem & de ptisana inscribunt. quo in loco nonnullos reprehendit, qui hunc librum truncare ausi sint, cum omnes uno ore fateantur, usque in finem usus balneorum esse Hippocratis. In nono praeterea de Hippocratis & Platonis placitis libro, ubi medicorum diuersitates in morbi ... lis curatione edocet, his uerbis utitur. Quod quemadmo... ipse dicat inordinatus Paulo, utpote qui primus id inuene... ita in commentarijs de uictu acutorum exposui, quem li... rum nonnulli contra Cnidias sententias, alij de ptisana inscribunt, praue utrique. At si causam requiras cur tot uarijs hic liber sit praefixus titulis. Nos illam esse arbitramur, Hippocratem absque inscriptione librum reliquisse. Vnde ut diuersis placuit, uarię inscriptiones sunt adhibitę. Tamen hae duae à Galeno, & probis uiris probantur, περὶ διαίτης τῶν ὀξέων νοσημάτων. i. de ratione uictus in morbis acutis. Vel περὶ διαίτης τῶν ὀξέων. i. de ratione uictus acutorum. Galenus hac secunda utitur inscriptione, & frequentissime. Quod uidere licet in tertio libro de difficultate respirationis, & in tertio commentario in primum Epidemiorum sectione. 11. & in. 9. lib. Methodi medendi. Ta... principio praefationis quarti libri huius uoluminis dicit ... inscribi de ratiōe uictus, & in. 3. li. huius uoluminis se... gesima, ita hunc librum refert, τὸ περὶ τῆς καθ' ἴπ... διαίτης. i. librum de ratione uictus Hippocratis. Ve... tio commentario primi libri Epidemiorum sectione ... it librum de ratione uictus in morbis acutis. eadem ... uocatur inscriptione in tertia sectione primi libri commentariorum in tertium Epidemiorum, & in praefatione secundi libri eorundem commentariorum, & sectione. 28. tertij libri commentariorum in tertium epidemiorum dicit in libro de uictus genere acutorum, & sectione. 6. primi libri commentariorum in sextum epidemiorum refert librum de ratione uictus in acutis, & sectione. 29. inquit in Cnidijs sententijs quas Euriphonti medico attribuunt, & in secundo commentario eiusdem sexti Epi... ...ctione 19. refert librum de ratione uictus in acu...

tis, & in tertio commentario eiusdem libri sectione. 29. librum refert de uictus acutorum ratione, & in sectione. 31. eodē usus est titulo, & in sectione. 32. quinti commentarij in. 6. epidemiorum refert de acutorum uictu. In. 6. autem cōmentario eiusdē libri sectione quinta refert librum de ratione uictus acutorū, & in tertio de locis affectis refert librum de ratione uictus in morbis acutis, & in primo de crisibus refert librum de ratione uictus quæ seruatur in acutis morbis, & in eodem libro eadē met utitur inscriptione, & prope finem secundi de diebus decretorijs libri refert cōmentarium de uictus ratione in morbis acutis, & in primo cōmentario primi prorrhetici sectione. 3. refert de uictus ratione in morbis acutis, & in ultima sententia secundi libri commentariorum in primum prorrheticum adducit librum de uictus ratione in morbis acutis, & in tertio cōmentariorum in prima prorrhetici adducit librum de ratione uictus in morbis acutis, & in magna præfatione primi prognosticorū refert uolumen de uictu acutorum morborum, in libro de usu theriacæ ad Pamphilianum librum de acutis morbis refert, & in primo cōmentario in librum Hippocratis de his quæ in medicatrina fiunt, mentionē facit libri de uictu in acutis morbis, et secundo libro cōmentariorum de fracturis adducit librum de uictu in acutis contra Cnidias sententias de cremore hordei, & in tertio cōmentario in librum de articulis sectione. 49. adducit librum de uictu in acutis, & in. 11. aphorismo primi libri, libri de uictu in acutis mentio fit.

Verumtamen, ut ea quæ ab Hippocrate tractantur, facile edoceamus, inscriptionis particulæ singulatim considerandę sunt.

Illa igitur pars primo occurrit perpēdenda, quid per uictus rationem intelligere oporteat: nam uictus ratio, quæ à græcis δίαιτα nūcupatur, ad ea potissimum, quæ comeduntur & bibūtur, spectare uidetur, & ad horas uniuersales ac particulares, quibus hæc dare conuenit. Tamen de alijs multis ab Hippocrate agitur, quorum in morbis acutis est usus, quæ à cibo & potu longe distant: ut sunt balnea, uenæ sectio, medicamenta nonnulla, fomenta, & in diuersis morbis acutis uaria præsidia. ut hinc inferre liceat per uictus rationem, aliud quid intelligendum esse, q̄ cibi & potus rationem, propterea non immerito antiquiores interpretes, qui è Græco in Latinum hunc librum uertere, de regimine acutorum inscripsere: quam inscriptionem non reprobarem, quia omnia complectitur quæ in hoc libro traduntur, nisi græcus codex uteretur uocabulo δίαιτα. Tamen Galenus in tertio commentario in tertium epidemiorū sectione. 10. inquit δίαιταν appello non hanc tantum quæ cibo & potione constat, uerum etiam quæ omnibus alijs, ut otio, exercitatione, balneo, uenere, somno, uigilijs, & uero omnibus, quæ quouis fiunt modo in corporibus humanis. Dicamus ergo potissimam Hippocratis intentionem esse de uictus ratione agere, ut uictus ratio cibum & potum significat, sed nonnullos referens morbos acutos ad ampliorem doctrinam, de eorum curatione necessaria quædam refert, idq; imperfecte facit, cum integra illius morbi acuti curatio non explicetur. Cibi uero & potus qui in his morbis adhibentur, probe & integre explicantur. propterea uel ratio uictus ad alia etiam amplianda est quæ ad curationem pertinent, uel de ratione uictus præcipue alijs accessione, & ueluti per trāsennam. Id uero præ[illegible] non est opus, apud Hippocratem alios de uictus ra[illegible] extare, quāuis alijs nonnulli attribuantur, nullus ta[illegible] sit de ratione uictus acutorum morborum preter i[illegible] de alimentis ad Hippocratem refertur, & Galenus [illegible] nunquam sub Hippocratis nomine adducit, quāuis non Hippocratis, sed uel Thessali, uel Herophili esse iudicet: refertur & ad Hippocratem liber de ratione uictus salubris, quem Polybi Hippocratis discipuli esse fatentur. Galenus uero in primo de alimentorum facultatibus, & in. 19. huius libri sectione illū dicit esse Euriphontis, uel Phaontis uel Philistionis, uel Aristonis, uel alicuius antiquioris Hippocrate. Extat & liber Hippocratis περὶ τῆς διαίτης, id est, De uictus ratione, ita simpliciter inscriptus, qui de sanorum uictus ratione agit [illegible] illu[illegible]

qui de ratione uictus in morbis acutis pertractet, præter hunc, quem hoc anno. 1542. Ferrariensi iuuentuti exponendum suscepimus.

Post hæc considerandum est, quid intelligere oporteat per morbos acutos, nam morbi omnes qui ante quadragesimum diem iudicantur, sub nomine acutorum complecti certum est. Et in hoc libro ab Hippocrate illorum mentio fit, qui toto hoc spatio complectuntur. nam de pleuritide agit, quæ in Axione, acutum non exacte pertransiuit, & de aqua intercute uerba facit, quam diutinum esse morbum nemo dubitat. Forte inquies in quarto libro de aqua intercute agi. is uero liber Hippocratis esse non iudicatur, imo à Galeno dicitur in quarto libro huius uoluminis, quædam dici secundum mentem, & phrasim Hippocratis, quædam præter mentem eiusdem, & phrasim. At in præsentiarum dicamus hoc in libro solum mētionem fieri de acutis morbis, qui diem quadragesimum non accedunt, & de simpliciter acutis, & de his qui ex decidentia nuncupantur acuti, de peracutis uero, & exacte peracutis nulli dubium est pertractari. Idq; suaderi potest de his etiam agere qui quadragesimum attingunt, quoniam de uino locutus est, quod in simpliciter acutis, & in peracutis, nisi ratione alicuius adiuncti symptomatis dari non conuenit: nam morbi simpliciter acuti ex materia sunt calida, quæ à uino augetur, acuti uero ex decidentia, nonnihil habent frigidæ materiæ admistum. De omnibus igitur tam exacte, q̄ non exacte acutis intelligendus est Hippocrates. & quamuis in simpliciter atq; exacte acutis potissime uictus ratio habeatur, tamen & in alijs acutis colligi potest. Imo si quis sit rectus coniector, & perpensor materiarum acutas febres facientium, & suarum qualitatum, facile poterit ex uictus ratione acutorum materia perpensa, quæ morbum diutinum facit, & sua qualitate ex opposito in cognitionem rationis uictus in morbis diutinis facile incidere poterit, in quibus rationem uictus inuenire, multo facilius est, q̄ in acutis. hinc non constat authorem aliquem particularē librum edidisse de ratiōe uictus diuturnorum morborum, nisi quis huc Cælium Aurelianum Siccēsem adduxerit, qui librum Chronium inscriptum, id est de diutinis passionibus ediderit. At dicemus non esse eum librum de uictus ratione particularem in diutinis morbis. Verum his omissis breui dicamus Hippocratem in [illegible]c libro de uictus ratione, hoc est potu & cibo præcipue, & [illegible] quibus exhiberi debeant in morbis acutis cuiuscunq; fint [illegible]ris, agere, sed hoc præsertim in simpliciter acutis, & exa[illegible] acutis.

[illegible] autem publicum morem prætermiserimus, qui est, ut is qui hanc sellam conscenderit, sub hoc munere auspicandi, quartum Auicennæ canonem interpretetur: iam aliàs satisfactum est. Auicennam quidem summum uirum fuisse atq; probum, uirum non talem ut pro eo Hippocrates & Galenus deserendi sint. Propterea, quod nobis institutum est prosequemur, Hippocratis, scilicet & Galeni opera sectari, & illa publice interpretari, alijs omnibus posthabitis authoribus, & potissimum Mauritanis. Nūc igitur institutum nostrum aggrediamur, Hippocratis sententias enarrantes, postea si quid in Galeno uel am[illegible] [illegible]m, uel annotatione dignum prosequentes.

Hippocrates. Sectio I.

QVI Cnidias vocatas sententias conscripserunt, hi sane quæ ægri in morbis singulis patiuntur, & quonam modo nonnulla his eueniant, recte scripserunt, atque ea quoq; quę medicinæ imperitus quis[illegible] [illegible]here [illegible] si ab ægro vnoquoque

qualia

qualia patitur, probe intellexisset. Verum quæ medicum, non referente ægro ipso, perdiscere oportet, multa ex his sunt prætermissa, alia in aliis, & quædam ad coniecturalem cognitionem (τέκμαρσιν Græci dicunt) peropportuna.

## BRASAVOLVS.

RECENTIORES medici, qui de hoc Hippocratis libro iudicium ferunt, partem istam procemium esse, & ad decimamoctauam sectionem protendi arbitrantur. At Galenus triplicem assignat præfationem & duodecima, et decimaoctaua sectione huius libri, quamuis raro assuetus sit Hippocrates suis in libris præfationibus uti. in hac autem prima sententia Cnidios medicos reprehendit, qui libros edidere, sententiæ Cnidiæ inscriptos · in quibus recte omnia scripsere, quæ ægri in singulis morbis patiuntur, & quonam modo nonnulla in his morbis contingunt. Verum ob istud nihil egregij fecere · quoniam & quisque etiam sellularius rei medicæ imperitus hæc eadem scribere potuisset, si ab uno quoque ægro qualia patiatur, exquisite intellexisset. Illa uero isti prætermisere, quæ nullo modo pretermittenda erant, illa inquam quæ medicus prænoscere debet, ægro etiam non referente. Ipsi uero Cnidij multa ex his prætermisere · nam & alia in aliis prætermisere, & nonnulla etiam quę erant opportuna ad cognitionem coniecturalem, quæ à græcis τέκμαρσις dicitur. vnde hi Cnidij multa & utilia, & necessaria prætermisere, & plura addidere superflua & uulgo nota, quæ (ob eorum notitiam) non erant predenda, neque literis mandanda. Hęc est primæ huius sententiæ summa · nunc singulatim uerba contemplemur, & ad Græcam ueritatem conferamus, ut noster in græcis interpretandis authoribus mos est.

οἱ ξυγγράψαντες τὰς κνιδίας καλουμένας γνώμας, id est, Qui Cnidias uocatas sententias conscripserunt. Galenus in primo methodi medendi libro Thessalum reprehendens, qui artem medicam sex mensibus se edocturum promittebat, causam reddit, cur medendi methodum scribere coactus fuerit, & trium sectarum atque scholarum medicorum, quæ inuicem decertabant, mentionem facit. Certamen uero erat quinam illorum in re medica plura inuenerit. Aderat schola Coa, cuius princeps fuit Hippocrates, schola Rhodia, & schola Cnidia. Imo & de Italica schola mentionem facit. Cnidus uero insula est una ex quinque cycladibus in qua medici sua placita, & suas sententias scriptis dabant, & posteris relinquebant. Posteri deinde hæc primorum placita castigabant · aliqua etenim recipiebant, alia corrigebant & inuertebant, hi libri nunc ab Hippocrate Cnidiæ sententiæ uocantur.

Non mihi tempero, quin medici cuiusdam temeritat[illegible] adducam, qui Lucę prandente Pōtifice. 1541. in mense se[illegible]mbris, [illegible] urbus defendere conabatur, neminem ante Hippocratem de re medica quicquam scriptis mandasse, nos autem præter alia presentem sententiam adduximus, qui Cnidias uocatas sententias scripserunt, ostendentes Cnidios medicos ante Hippocratem scripsisse, & in publicum libros euulgasse, & Galenus in. 19. huius libri sectione, antiquiores Hippocrate refert. At his omissis, ad institutum nostrum redeamus.

ὁκοῖα μὲν πάσχουσι οἱ κάμνοντες ἐν ἑκάστοισι τῶν νουσημάτων ὀρθῶς ἔγραψαν, id est, Hi equidem, quæcunque ægri in singulis morbis patiuntur, recte scripserunt. Cum nihil prætererint ex his quæ ægri patiuntur, quantum ad æ[illegible]nem spectat, quo id totum scriptis mandarent.

καὶ ὁκόσως ἔνια ἀπέβαινεν αὐτέων, id est, [illegible] modo quædam his eueniant. Et hæc etiam recte sc[illegible], & ideo non solum de affectibus recte scriptis mand[illegible] & de quibusdam symptomatibus, quæ his ægris c[illegible] hæc interim quam & recte et ample scripta sunt, posset interpretari illa particula αὐτέων, id est eorum, & referri ad ea quæ in his morbis contingunt.

καὶ ἄχρι μὲν τουτέων, καὶ μὴ ἰητρὸς δύναιτό τις ἂν ὀρθῶς ξυγγράψαι, εἰ εὖ παρὰ τῶν καμνόντων ἑκάστου πύθοιτο, ὁκοῖα πάσχουσιν, id est · Et certe usque ad hæc quispiam rei medicæ ignarus, recte conscribere potuisset, quæcunque patiuntur, si ab ægris de uno quoque recte interrogasset. Illa sanè medico digna non erant, quæ ab his Cnidijs scriptis mandabantur, quoniam & rei medicæ ignari, eadem literis mandare potuissent, si ęgrum de unoquoque diligenter interrogassent, & æger ipse sponte respondisset. At inquies ex his colligi posse, medicū omnia necessario considerare non debere, neque ægrum de omnibus interrogare. Respondemus hinc istud non colligi, sed id solum, medicum qui libros in publicum editurus est, inter artis initia & inter illa quæ artificio artis constare debent, omnia non esse scribenda, sed artificiosa solum, & non ea quę quisque etiam si medicus non sit, ex se noscere potest.

ὁκόσα δὲ προκαταμαθεῖν χρὴ τὸν ἰητρὸν μὴ λέγοντος τοῦ κάμνοντος, τουτέων τὰ πολλὰ παρεῖται, id est · Quęcunque uero medicum, non referente ægro prænoscere oportet, ex his multa pręterierunt. medicus qui & sapientia & prudentia pollere debet, non solum ex ęgri relatu omnia prænoscere debet, sed etiam coniecturis & argumentis probabilibus quędam ex quibusdam inferre, & sedulo artificio ac diligenti omnia dirigere. Verum Cnidij medici ea solum scriptis mandarunt, quę quisque ex se noscere potuisset. At illa quę προκαταμαθεῖν, id est præscire & prænoscere medicum oportet, etiam si ab ęgris non referantur, ab ijs Cnidijs prætermittebantur, forte ob id, quia & ipsis erant ignota. Quòd uero ægri interrogandi sint, & diligentissime, eleganter ostendit Galenus in secundo commentario in sextum epidemiorum sectione. 44. ubi & gloriam à medico ex interrogatione acquiri ostendit · nempe in assistentium admirationem inducitur recte interrogans medicus.

ἄλλα ἐν ἄλλοισι, καὶ ἐπίκαιρα ἔνια ἐόντα ἐς τέκμαρσιν, id est · Alia in alijs, & quædam ad τέκμαρσιν, id est coniecturam peropportuna. Cum edocuerit Cnidios medicos suis in sententijs multa præterijsse, quæ medicum præscire oportet · nunc ostendit in quibus hæc præterierint, primo in genere, deinceps particulatim in quo defecerint referens. In genere quidem pretermisere alia in alijs, particulatim uero quædam ex his quæ peropportuna sunt ad artem coniecturalem, & eiusdem generis cognitionem · particula sanè illa, alia in alijs intelligi potest hos præterijsse in alijs cognoscendi modis alia, ut in demonstratiuo, ac probabili, & in coniecturali cognitione nonnulla etiam pretermisere. Illud uero pretereundum non est, apud Grecos (ut Galenus tertio prognosticorum libro refert sectione. 39.) hęc nomina nuenriri τεκμήριον & σημεῖον. sunt qui τεκμήριον interpretentur indicium, & qui coniecturam, & qui signum, τέκμαρσις uero est per coniecturam facta cognitio. vnde in re medica duplex rerum natura inuenitur secundum Galenum loco pręcitato, ex quibus rebus medici prędicunt, & preterea curationem moliuntur.

Aliquę sunt res necessarię, ex quibus demonstrant, alię non sunt necessarię, sed magna ex parte, ex primis (Galeno teste) τεκμήρια fiunt, id est coniecturę, ex alijs fiunt σημεῖα, id est signa. In eodem loco, & alio modo distinguit τεκμήριον Galenus ἀπὸ τοῦ σημείου, quoniam signum de accidentibus decretorijs solum dicitur, de alijs coniectura. Tamen rhetoricum est argumentum τεκμήριον, ut in partitionibus docet Cicero. Verum eiusmodi argumenta artificialia sunt. Hic uero dubium, quod à recentibus alibi fit, inquiri posset. An scilicet medica facultas scientia sit, & an demonstrationibus utatur. Recentiores hac in re disputant, & clamant usque ad rauim quippe nonnulli distinguentes illam in practicam, & speculatiuam, putarunt practicam esse artem, & non scientiam, speculatiuam uero esse scientiam. Alij inquiunt medicam facul-

tatem pro habitu intellectus speculatiui acceptam, quo conclusiones aliquas consideramus, quę necessarię sunt & perpetuę, & ita est scientia. At si accipiatur pro habitu in intellectu practico ex his propositionibus eo modo scientia non est. Alij putant medicinam quo ad suá principia esse scientiam · quantum uero ad finem, qui est operari, non esse scientiam. Hæc autem missa faciamus, & quid secundum Galenum dicere oporteat, ostendamus. Inter artem & scientiam hoc intersitium poni debet. Ars, ut. 6. Ethicorum habetur, recta ratio est rerum quæ à nobis fiunt · scientia uero est habitus demonstratiuus, qui in speculatione consistit. Si uero dicas aliquas esse scientias practicas · id imus inficias, cum nulla sit scientia practica: nisi scientię nomen communiter accipiatur, & non proprie, ut à Galeno de medicina notatum est in principio artis medicinalis, ubi ait medicinam artem esse. & si illam scientiam appellare uolueris, id tibi sponte elargiatur. tamen nomen scientia in medicina communiter accipitur & non proprie, propterea secundum Galenum scientia uere dici non poterit. imo ipse in principio libri de constitutione artis medicæ quærit, an sit contemplatiua, an actiua, an factiua, an possessiua, & methodum inueniendi quid sit, edocet, hoc modo · Dicito ob quid hanc artem discere cœpisti? Dices, ut si contingat hominem præter naturam esse affectum, in pristinam naturam reducere possim. At si hoc ibis inficias, dicasq; te illam non didicisse ut aliquem sanitati restituas, qui ab illa deciderit · hoc saltem dicere cogeris, eam te didicisse, ut cognoscas qui sanabiles sint, & qui non sint. Quòd si dixeris uel hoc, uel primum · statim in genere factiuarum illam reponis, unde & medicina ars est, & factiua. eius enim finis hoc ostendit · quippe nullus est qui medicinam addiscat, nisi uel ut alios sanitati restituat, uel sibi ipsi sanitatem procuret & conseruet. De demonstrationibus uero nemini dubium esse debet, medicam artem demonstratione conficere posse, & in illa passiones de subiectis probari, nihil impedire. Idq; fit per suas causas. Quod exempli gratia ostendemus. Lateralis morbus has passiones habet, quas necessario ab essentia morbi dependent, uel sit una passio per tot circumscripta, tussi.s.febre continua, anhelitus difficultate, & dolore lateris pungente. hæc est una passio per tot circum scripta, quę de pleuritide probari potest, uel singulum horum quatuor probari potest de pleuritide per suas causas, & perpetuę sunt, ac semper pleuritim concomitantur, omniq; soli & semper competunt. Idem in alijs morbis fieri potest, & quamuis hæc symptomata nuncupentur, tamen sunt propria symptomata. Adsunt & communia symptomata, quæ possunt adesse & abesse pręter subiecti corruptionem · ut in pleuritide pulsus in morem serrę, quem Serrinum uocant. Et si dixeris in his medicis demonstrationibus omnes conditiones reperiri non posse quę ab Aristotele primo Posteriorum referuntur: Dicimus hoc ad rem nihil facere. nam neque in naturali philosophia tot conditiones reperiri possunt, ut per se de omni, uniuersale quod secundum quod ipsum est. Imo si quæ sit conclusio quę per uera media probari possit, est illa tritissima, homo est risibilis · tamen non habetur medium conueniens, nam rationale & mortale non sunt ultimę hominis differentiæ. hinc effari licet, si conditiones omnes illas Aristotelicas consideremus, & omnes obseruare uoluerimus, demonstrationes quascunq; esse imperfectas, nullaq; fiet in naturali philosophia perfecta demonstratio. propterea nos dicimus tot non exigi, nisi ad illam demonstrationem conficiendam, quę potissima uocatur, quam nemo aliqua in re unquam inuenire potuit. ad reliquas demonstrationes satis est habere causas, & per ipsas probare · de causis intelligo, quas habent, non enim omnia, omnes habent causas, imo pręter id quod res medica est naturalis, processu etiam naturali incedit. nam ex symptomatibus primo in cognitionem morborum ducit, ut ex dolore lateris, tussi, anhelitus difficultate, & febre, in lateralis morbi cognitionem deducimur, deinceps in causæ cognitionem, & hic est modus, quia postea per regressum demonstratione propter quid uti possumus. vnde eodem modo res medicę, & per eadem media per quæ & res naturales inueniuntur. Quòd si dixeris res medicas esse singulares, & medicum circa singularia versari · Respondemus in naturali philosophia idem contingere: nam res naturales singulares sunt. Et si philosophus quicquam experiri uoluerit esse ut in mente concepit, ad singularia descendere cogitur. unde medicus oẽs suas sententias & discit et considerat uniuersaliter: postea si artẽ exercere cupiat quam uniuersaliter didicit, ad singularia descendere cogitur. Itaque medicina certa ars est, & quę demonstrationes habet eiusdem generis cum naturalibus, & tota factiua est secundum Galenum. nulla enim medicinę pars contemplatiua dici debet. neque enim sequitur, propositiones considerat, et illas speculatur & contemplatur quæ sunt uniuersales, ergo est contemplatiua, nam essentia contemplatiuæ scientiæ, atque actiuæ à fine desumitur. Certum uero est artis medicæ finem esse in opus exire, & amissam sanitatem inducere, Galeno teste, uel præsentem conseruare.

Verum cum superius dixerit Hippocrates · Verum quę med cum non referente ægro ipso perdiscere oportet, multa ex his sunt prætermissa: petes quænam illa sint, quæ prætermissa sunt ab Hippocrate. Si hæc omnia in unum enumerata scire cupias, Galenum in fine commentationis ultimæ libri tertij huius uoluminis legito, ubi omnia quę prætermissa sunt, recenset. tunc enim in memoriam Galeno venit hæc sententia, & illam eodem loco interpretatus est.

## GALENI IN LIBRVM HIPPOCRATIS, *De ratione victus in morbis acutis, Commentarij: Ioanne Vassæo Meldensi interprete.*

NON SOLVM NIHIL EORVM quæ ægri patiuntur, prætermiserunt qui Cnidias scripserunt sententias · verum quoq; & vltra id quod iustum est, de quibusdam mentionem fecerunt · vt paulo post ostendam. Neque id artis opus est, si nihil prætermiserint eorum quæ à plebe ipsa cognosci possunt. nõ etenim is artifici est scopus: sed quæ ad curationem idonea sunt, omnia scribere. Quapropter sæpius nonnulla adijcere quæ vulgus non nouit, erit opus · & multa quæ huic nota sunt auferre, si nihil ad finem artis conferre videantur.

### BRASAVOLVS.

PRIMO Galenus inquit, medicos qui Cnidias sententias scripsere non solum nihil eorum quæ ægri patiuntur, prætermisisse, sed præterea vltra id quod iustum est de quibusdam mentionem fecisse, quæ non erant in ordinem scribenda: vt paulo deinde ostendet. Ambiges vero cur à Galeno dicatur à Cnidijs nihil prætermitti, cum ab Hippocrate dictum sit multa à Cnidijs ipsis prætermitti, quæ perdiscenda sunt, ægro etiam non referente. Respondemus Hippocratem intelligere multa prætermitti, quę vel sylla[illegible] vel coniectura comprehenduntur. At Galenus de [illegible]quitur quæ patiuntur ægri, & quisque interrogans illa [illegible]re potest: de his nihil prætertere. imo potius fuere superflui.

Secund[illegible] lenus notat hoc non esse artis medicæ opus, neque [illegible] medicam hoc intendere omnia scilicet percurrere

rere & considerare quæ plebs etiam & idiotæ cognoscere possunt. nam hic non est scopus & finis artificis · sed artificis finis est omnia scribere quæ ad curationem idonea sunt & proficere possunt.

Nota vero in ægri interrogatione illa etiam quæ vulgus scire potest, esse interroganda, & ab ægro extorquenda : sed in conscribendis libris, & in artis principijs assignandis sunt prætermittenda veluti inartificialia.

Denique Galenus infert, sæpius arti nonnulla adijcienda esse quæ vulgus non nouit, & multa sæpius quæ huic sunt nota auferenda esse, præsertim si ad artia finem nihil proficere videantur. hic igitur vides à Galeno non iri inficias aliqua etiam vulgo nota esse tradenda. Imo si recte consideremus aliqua vulgo nota sunt artis principia. En vulgus indicationem aliquam nonnunquam cognouit, quæ ab essentia morbi desumitur, vt si quis lapidem in vesica habuerit, huius morbi essentia, quæ est præsentia lapidis in vesica, & loci præoccupatio à re præter naturam, de sui ablatione indicat, quod omnibus perspectum est. Eodem pacto vulnus vulgo notum est, et ab eo de continuatione, & vnione solutæ partis indicatio sumitur. tamen etsi hæc ita vulgo nota sint, nullus est qui lapidem extrahere sciat, vel solutam partem coniungere ac vnire, nisi is qui in arte sapiens est. In his casibus in quibus illa quæ vulgo nota sunt, vel ipse etiam indicationes notæ, & operatio reducendi in sanitatem, fuerit ignota vulgo · hæc vulgo nota sunt pertractanda & adducenda, neq; à diligenti medico prætereunda. hæcq; à Galeno in principio tertij libri Methodi medendi abunde edocenſ & in verucis, myrmecyis, atheromatibus, et eiusdē generis reliquis, in quibus & vulgus ipsum intentionem curatiuam nouit, sed curare non nouit. vnde addit, itaq; indicatio quæ à morbis sumitur, principium tantum est. vnde medendi ratio promouet. Nulla prorsus ipsius medicinæ artis adhuc portio, aut certe nec magna nec propria, sed quę etiā plebei sit communis. Ergo cui facultas est illa inueniendi, ex quibus perfici possit, quod à prima indicatione suggeritur · is merito morborum est curator. Qui si per experientiam inuenit, obseruator & empiricus est notandus · sin ratione quadam & methodo, logicus & methodicus et dogmaticus, et reliqua quæ Galenus ad hoc propositum pręcitato loco differit. Breui ergo dicamus. Cum intentionea curatiuæ à morbi essentia etiam vulgo noti sumantur, & non nisi peritus hæc curandi rationem habere possit, & in pristinum statum reducendi · tum hæ curatiuæ intentiones, & si idiotis etiā notæ sint, à medicis tamen referendę sunt.

## Hippocrates. Sectio II.

**Et quædam ad coniecturalem cognitionem peropportuna.**

### BRASAVOLVS.

Pars hęc à Galeno repetita est, vt illam interpretetur, et ad coniecturalem scientiam se amplíet. à nobis vero superius exposita est quòd Cnidij prętermisere quæ medicū perdiscere oportet. ergo etiam non referente, alia in alijs scilicet cognoscendi modis · & quędam prętermisere peropportuna ad cōiecturandi artem, qua medicua frequentissime vtitur : nempe per coniecturas in perfectam multorum cognitionem denique peruenit, quāuis coniectura principium fuerit.

καὶ ἐπίκαιρα ἔνια ἐόντα ἐς τέκμαρσιν. i. Et quędam peropportuna ad tecmarsin. i. coniecturatiuam artem.

### GALENVS.

Τέκμαρσις, est quæ per τεκμήριον fit cog[...]io. τεκμήριον autem appellant veteres syllogisticum signu[...] non aūt simpliciter signum omne · ut in opere de coniectu[r]a & signo est demonstratum. Quę igitur medicis ad huius[...]di cognitionem, tum necessaria, tum vtilia existunt · nō [...] ait Cnidis in sententijs scripta esse, sed prætermissa plera[...]

### BRASAVOLVS.

Primo Galenus edocet, quid per τεκμαρσιν. i. coniecturalem cognitionem intelligere oporteat, inquiens illam esse quę fit per τεκμήριον. idest coniecturam. ab antiquis vero coniectura syllogisticum signum vocatur, & non simpliciter signum. quippe omnia signa non sunt coniecturę, vt in opere de coniectura & signo demonstratum est. Hic autem in Galenum ambigere poteris quia idē per idem interpretari videatur, nam dicit, τέκμαρσίς ἐστιν, ἡ διὰ τεκμηρίου γνῶσις. i. Tecmarsis est per tecmirion cognitio · vel coniecturalis notio, est per coniecturam cognitio. Respōdemus si nihil aliud dixisset, Galenus idem per idem omnino exposuisse uideretur, sed statim addidit, quid sit cognitio per tecmirion, inquiens apud veteres esse cognitionē per syllogisticum signum · quippe signum communius est, quàm syllogisticum signum · quia signum sine syllogismo est, tecmirium vero fit cum syllogismo. de re hac in libro de τεκμηρίου καὶ σημείου locutus est Galenus, vbi docet tecmirium esse quidem signum, sed tale quod per vim syllogisticam receptum sit. De tecmirio egit Cicero in dialogo de partitione oratoria, & coniecturam interpretatur, multosq; ponit coniecturales locos, vt à personis, à loco, à tempore, à factis, à casu, ex signis, ab exemplis. Tu de his rebus authorem ipsum legas.

Secundo Galenus infert in Cnidijs sententijs non esse scripta omnia necessaria vel vtilia, quę ad hanc cognitionem coniecturatiuam spectant · sed multa pręteremisere quę scriptodanda erant.

## Hippocrates. Sectio III.

**Cum autem ad cōiecturalem cognitionem dícatur quonam modo curare singula oporteat, in his multa aliter quàm illi enarrauerunt, sentio.**

### BRASAVOLVS.

Hęc Hippocratis sententia duplicem intelligentiam habere potest. vna est, quę ab ipso contextu proponitur, cum nouo coniecturalis circa curationē versetur, circa prænotionemq;: Hippocrates hic inquit se in multa à Cnidijs medicis dissentire, in illa coniecturalis cognitionis parte, quæ ad singulorum curationem pertinet. Altera intelligentia est, si duo distincta stant · vnum sit coniecturalis cognitio, aliud modus curandi singula. idq; voluerit Hippocrates se in pluribus à Cnidijs dissentire, & in coniecturali cognitione, & in modo curandi singula, vt hic etiam particulam superius positam exponat ἄλλα ἐν ἄλλοισι, alia in alijs, præterquam in cognitione coniecturali, prætermisere.

δεῖται δὲ ἐς τέκμαρσιν λέγεται ὡς χρὴ ἕκαστα ἰητρεύειν, ἐν τουτέοισι πολλὰ ἑτέρως γινώσκω, ἢ ὡς ἐκεῖνοι ἐπεξήεσαν. i. Cum vero ad tecmarsin. i. ad coniecturalem cognitionem dicatur, quonam modo singula curare oporteat · in his multa aliter sentio, quàm illi enarrauerunt. Vt sensus sit : cum ad coniecturalem cognitionem edocere pertineat quo nam modo curatio fieri debeat, & in re hac ipsi etiam aberrauerint · propterea nos aliter sentimus quàm ipsi fecerint. Vel, vt Copus vertit · ipse Hippocrates longe aliter sentit, quàm Cnidij faciant, & in cōiecturali cognitione, & ad rationem curationis. vt duo sint, in quibus dissentiat, & non vnum. de qua re in cōmentatione nonnihil dicemus.

Galenus prope initium libri de optima secta ad Thrasibulū, de indicatione agere volens cum causa ignoratur, à similibus indicationem sumendam esse docet. vnde ab hæmorrho serpente morsus sanguinis profluuium habet, causam ignorantes ob quid hoc patiatur, neq; obseruatione instructi, auxilijs ob incisionem profluuijs facientibus opitulabimur. Post hæc Galenus de Cnidijs medicis verba facit, inquiens, atq; hac ratione Cnidij medici pulmones purulentos habentibus succurre-

re tentabant transitu ad simile vtentes. Vt hinc haberi possit, quomodo Cnidii in hac parte curandi intentiones accipiebant: nam analogismo per simile ad simile vtebantur.

## GALENVS.

Ex quo multa quæ ad coniecturalem cognitionem expedita & idonea existunt, à Cnidiis medicis prætermissa esse dixit: coniecturalem quandam cognitionem asserit. quod deinceps demonstrauit, inquiens, { Quonam modo curare singula oporteat. } Nempe quod ad horum inuentionem vtile fuerit, id ex arte est. Sed forsan quis opinabitur prætermissas esse, quæ tum ad dignotionem, tum ad prænotionē conferunt coniecturas. Verum res non ita habet, cum de necessitate in his quæ ad curationem idonea sunt, hæ contineantur. Si enim ad optimæ curationis inuentionem nihil conferrent morborum dignotio & futurorum prænotio, prorsus hæ superuacarent. Nunc autem quòd conferant, ob id commodæ existunt. Ergo quòd affectuum dignotio ad curationem valde necessaria sit, recensere non est opus. Nam in primis quinam sit morbus dignoscere oportet, deinde curationē ipsius ita aggredi. Quòd vero prænotio ad curationem quoque commoda sit, demonstrauit in præfatione prognostici Hippocrates. Qui ergo omnia quæ ad medicinam spectant, commoda ea vel ad dignotionem vel curationem vel prænotionem esse dixerit: virtute idem dicit: curatio siquidem per se à medicis exercetur: prænotio aūt & dignotio propter curationem. Quo fit, vt nemo finem artis dignotionem vel prænotionem sicuti curationem asseuerauerit. Intellige autem in præsentiarum curationem, sublationem morbi: non eam quidem quæ adhuc sit, sed quæ iam facta sit. Sed de omnibus abunde est scriptum in eo libro qui de fine medicinæ agit. Nec expedit vt in præsentiarum quippiam præpostere & præter institutum faciamus (græce παρέργον ἔργον ποιῆσαι dici solet) vtpote qui iam veteris mentem vel sine exquisito finis examine cognouerimus. Verum cum & modo alio dictio præsens plerisque in exemplaribus, fide etiam dignis scripta sit: de ea mentionē facere non intempestiuum fuerit. Differt autem ab arte scripta dictione litera vna videlicet ἤ, id est vel, ut ad hunc modum græce sit ὁκόταν δ' ἐν τεκμαρσιν λέγηται, ἢ ὡς χρὴ ἕκαστα ἰητρεύειν. idest: Cum autem quippiam ad coniecturalem cognitionem dicatur, vel quonam modo curare singula oporteat. Qui ita scribunt, per τέκμαρσιν, dignotionem & prænotionem intelligunt: & per verba hæc ὡς χρὴ ἕκαστα ἰητρεύειν. i. quonam modo curare singula oporteat, curationem, nolentes eam in τεκμάρσιος nomine contineri. Quòd si ita habet, in ante scripta dictione, qua dicitur. Multa prætermissa sunt, alia in aliis, & nonnulla ad coniecturalem cognitionem peropportuna: non recte sanatoriam artis partem prætermisisse videtur Hippocrates. Sed quòd hi respōdeant, ob id resumptam scriptamque quæ sequitur dictionem, vt quod sanatorium est adiiceret: nemo est qui ignoret. Verum quoniam de re ad curationem congrua disceptatio non sit, ob eas res sermonem protrahere est superfluum. Pergamus igitur ad ea, quibus quæ ad sanationem vtilia sunt, docet.

## BRASAVOLVS.

Primo Galenus docet, cum multa ad cōiecturalem cognitionem à Cnidiis prætermissa sint, nunc quandam coniecturalis cognitionis partem edocet, quæ est, quomodo singula curare oporteat. nam quæ ad horum cognitionē vtilia sunt, ex arte sunt, & edoceri debent, & in ordine scribi, & secundum hanc expositionem Galenus simul legit: vt coniecturalis cognitio circa singulorum curationem sit.

Quod legitur coniecturalem quandam cognitionem asserit, quod deinceps demonstrauit, inquiens, græce est τίνα λέγει τέκμαρσιν, αὐτὸς ἐφεξῆς ἐδίδαξεν. i. Quānam dicat coniecturalem cognitionem, ipse quidem deinceps demonstrauit inquiens.

Secundo Galenus dubium quoddam remouet: nam ab Hippocrate mentio solum facta est de coniectura in curatione facta: & de illa nihil dicere videtur, quæ dignoscitiua est scilicet ægritudinum, & prognostica. Propterea harum coniecturas præterire videtur, quæ. s. vtiles sunt ad dignotionē, & ad prognosticam. Galenus respondet, has dignotionis, & prognosticationis coniecturas in curationis coniecturis subintelligēdas esse: quippe certum est, si morborum dignotio, & futurorum prænotio ad optimæ curationis inuentionem nihil conferrēt. ipsorum coniecturæ essent superuacuæ, & in curationum coniecturis nō intelligerentur: & quia cōferunt, ob id sunt idoneę. Vnde ad curationis coniecturas, dignotionis morborum coniecturæ, & prædictionis futurorum conferunt. vel forte in sola curationis coniectura peccarunt Cnidii, & nō in dignotionis, vel prænotionis coniectura.

Tertio ad idem clarius exponendum Galenus prosequitur, inferens, non esse opus recensere cognitionem ægritudinum, ad curationem esse valde necessariā: cum primo addiscere oporteat quisnam sit morbus, postea eius curationē aggredi: nam si ægritudinem ignoras, sanitatem procurare non potes. Et quamuis ab Auicenna dictum sit: cum morbum ignoras, victum attenua, & relinque eum naturæ: ob hoc morbum non curat, absque cognitione ipsius. et est imperfecta curatio. Perfecta autem curatio ægritudinis cognitionem exigit. At illa curatio ex victus attenuatione imperfecta est, & accidentalis. cū non fiat ex cōtrariis morbo, neque illā statuit medicus exercere. Quarto Galenus probat & prænotionem cōmodam esse ad curationem, ex his quæ in prognosticorum præfatione Hippocrates retulit: quippe eo loco manifeste ostendit, prænotionē ad curationem multum conferre. Galenus igitur infert: si quis dixerit omnia quæ ad rem medicam spectant, commoda esse vel ad curationem, vel ad prædictionem: hic idem virtute dicit: nam quicquid ex his dixerit, alia ad hoc ipsum cōferuntur. At hoc potissimum est in curatione verum: quia omnia quæ in re medica tractantur, ob hanc tractantur, vnde curatio per se à medicis exercetur. dignotionem vero, & prognosticationem ob curationem esse, vt commodius ac perfectius fiat non dubitamus. Et hoc nullus vnquam ad hæc vsque tempora asseuerauit, finem artis esse prognotionem vel dignotionem. Omnes tamen vno ore fatentur finem artis esse curationem. At quia aliquis Galenum reprehendere posset, inquiens: alias ab illo dictum esse sanitatem, & non curationem vel medicationem. propterea vt hanc ambiguitatem Galenus diluat, inquit: In præsentiarum per curationem morbi sublationem intelligo, & non curationem quæ adhuc fit, sed quæ iam facta est: ac si ipsam sanitatem intelligat: quam vel reducamus, & reficiamus amissam, vel præsentem conseruamus. Itaque motum ad sanitatem non intelliget, sed ipsam iam partam sanitatem, vel conseruatam. De his vero hic disserendum non est, cū de eo vberrim scriptum sit eo in libro, qui de rei medicæ fine inscribitur. Nec expedit vt nunc præpostere, & veluti à longe talia recensere aggrediatur, & in Hippocratis verbis multiplicitatem facere: cum iam satis nota sit Hippocratis sectionis sententia hac in par.: exposita.

Quod legitur præpostere & præter institutum faciamus, grece est τὸ πάρεργον ἔργον ποιῆσαι.

Et si Galenus dicat curationem per se à medico exerceri, tamen non est vltimus medici finis, sed actio intenta à medico, vt in finem veniat: quæ tamen per se intenditur. Et quāuis seipsum exposuerit ꝙ curatio sanitatem ipsam significat: tamen cum dicebat curationem per se exerceri, curationem quo ad opus intell[illegible], quæ sanitatem præcedit, & ad illam ordinatur.

Quinto Ga[illegible] alio modo hanc sententiam legit, vt in aliis codicibus scri[illegible] erat. & huius sniæ duas partes facit: vna est Cnidios in co[illegible]ecturatiua cognitione errasse: Alia & in curatione erra[illegible]opterea ab illis dissentit. vnde à Galeno scriptum es[illegible] præter rem non videri (cum præsens sententia

in multis exemplaribus fide dignis alio modo sic scripta) de ea mentionē facere. At huius literæ à pdicta differētia in vna solū est particula.s.in ὡς.i.vel.qppe græcus cōtextus hoc mō se habet. ὁπόσα δὲ ἐς τὸ κρατέον λέγεται, ἢ ὡς χρὴ ἕκαστα ἰητρεύειν.i. Cum autem nonnihil ad coniecturalem cognitionem dicatur, vel quomodo curare singula oporteat. Notatq; Galenus illos qui ita legunt per τὸ κρατέον.i.per coniecturalē cognitionem morborum dignotionem & prænotionem intelligere · per illa autem verba quonā modo curare singula oporteat, curationem intelligunt, nolentes curationem in vocabulo τὸ κρατέον contineri.i.in coniecturatiua parte. Si vero, inquit Galenus, res ita sit in præscripta sentētia, qua dicebatur in prima sectione multa prætermissa sunt, alia in aliis, & nonnulla ad coniecturalem cognitionem peropportuna: Hippocrates non videtur curatiuam artis partem recte prætermisisse. Sed hi respondent sententiam quæ sequitur ob id scriptam esse & resumptam, vt ab Hippocrate adijceretur sanatorium.
Quod legitur sanatoriam artis partem, græce est τὸ θεραπευτικὸν μέρος τῆς τέχνης. vsitatius ac conuenientius legendum curatiuam artis partem. Et vbiq; in hac commentatione, vbi sanatorium, vel senatoriam legitur, cum vbiq; sit græce θεραπευτικόν, curatiuum semper interpretandum ducimus. tamen re ipsa conueniunt.
Denique cum hæc ad artem curatiuam nihil faciant, de qua nūc acturus est Hippocrates ob id à Galeno dicitur: cum hæc dissertatio de re non sit quæ ad artem curatiuā spectet · superfluum videtur diutius sermonem protrahere, cum ad illa pergendum sit, quæ ad artem curatiuam faciunt.

## Hippocrates. Sectio IIII.

Atque non ob id solum non laudo, verum quòd & paucis numero sint vsi medicamētis. Nempe maximus medicamētorum, quibus in morbis non acutis vsi reperiuntur · est tempestiue exhibitorum tum elaterii, tum seri, tum lactis. quæ si bona essent, morbisq; quibus dari censerent, congruerent, multo sane digniora laude erant, quod paucissima satisfacerent. Sed res in præsentiarum non ita habet.

### BRASAVOLVS.

Copus sua in interpretatione alium sensum huic parti tradit, q; Galenus faciat. Nempe apud Copum sensus est: nō solum in prædictis non laudare Cnidios, sed etiam illos coarguere, q paucis admodum medicamentis vsi sint · quoniam præter ea quæ de acutis morbis præcipiunt, hæc solū tradiderunt elaterium, serum, lac suo tempore potui accepta. vt sensus fiat · Præter alia quæ in morbis acutis præcipiūt, paucissimis etiam vtuntur medicamentis. Galeno videtur oppositum innuere · quippe vult in acutis morbis multis vsos esse medicamentis, in diutinis uero paucissimis, nempe diutini morbi per elateriū, serum, & lac secundum illos perficiuntur. Galeni igitur sententia è directo Copi interpretationi opposita est. Breuis ergo est huius partis sensus, non solum Cnidios medicos non laudo ob ea quæ dicta sunt, sed & ob id non laudo, quoniam paucis admodum medicamentis vsi sunt. nam medicamentorū numerus, quibus in morbis non acutis vsi sunt, est elaterium præbere, serum, & lac opportuno tempore.i. quando conuenit, & in quibus conuenit. Verum si hæc bona essent, & morbis illis cōuenirent, quibus illi conuenire putant, quāuis sint pauca, tamē sunt maiori laude digna, quoniam paucissima ad tot morborum genera satisfaciunt, res tamen aliter se habet, cum neq; omnibus conueniant, & multo plura exigantur, quā hæc tria. Errarūt ergo et in tradendorum medicamentorū in diutinis morbis numero. In acutis verò plura posuere medicamenta. Et si dicas in hoc libro Hippocratem esse de acutis morbis locuturum propterea conueniens non videtur, q illos reprehendat in suo incessu in morbis diutinis: Respondemus hic in principio hoc conuenire, antequam de qua re locuturus esset determinasset, & quia ipsos generaliter reprehendit.

καὶ οὐ μόνον διὰ τοῦτο οὐκ ἐπαινέω, ἀλλ' ὅτι ὀλίγοισι τὸν ἀριθμὸν τοῖσιν ἀκέεσιν ἐχρέωντο.i. Et non solum ob hoc non laudo, sed q paucis numero vsi sunt medicamentis, non quidem in omni morbo, sed in diutinis. nam in acutis pluribus usi sunt, per medicamenta vero omne medicamentorum genus intelligit, tam per qualitatem, quàm per vim causticam agentium. Modesteq; locutus est Hippocrates: quippe non dixit arguo, reprehendo, accuso · sed non laudo, τὰ γὰρ πλεῖστα αὐτέοισιν εὕρηται πλὴν τῶν ὀξέων νούσων φάρμακα ἐλατήρια διδόναι, καὶ ὀρὸν καὶ γάλα τὴν ὥρην ποτίζειν.i. Etenim præter morbos acutos, plurima medicamenta quibus vsi reperiuntur, sunt, potui dare elateria, & serum, et lac tempore opportuno. In morbis præter acutos.i.in diutinis morbis, maximus medicamētorum vsus quibus vtebantur, erat elaterium, serum, & lac. & hæc non quocūq; tempore præbebāt, sed opportune, & quando secundum ægritudinis tempora cōgruum videbatur. Sunt qui per elateria omnia medicamenta intelligant, quæ cathartice euacuant. quod Hippocrati conuenire non videtur, si intelligat hic medicamenta à Cnidijs posita in morbis diuturnis: nam inter cathartica multa sunt, quæ in diuturnis morbis non valent. ob id per elateria omnia intelligenda non sunt quæ educunt, sed ea solum quæ proprie elateria à cucumere asinino quem recipiunt vocantur. nempe pituitam educit elaterium, quanquam & nonnunquam bilem, & aquositates · pituita vero morbos facit diutinos. vnde in longis morbis non ab re elaterio vtebantur, quanquam non negauerim quandoq; vocabulum elaterium pro omni medicamento accipi posse, cum elaterium idem significare videatur quod agitatorium. Sunt vero agitatoria quæ cathartice euacuant medicamenta. vnde apud Xenophontem in vltima parte libri quarti de Cyri minoris expeditione, vbi de melle quodam loquitur, quod qui comedisset, statim mente commouebatur, & vomebat, & excernebat, neq; stare poterat. qui minus ex illo sumebat, similis temulento videbatur · qui plus aliquanto, furentibus & moribundis. Post vigintiquatuor horas ab esu huius mellis resipiscere incipiunt, tertio deinde ac quarto die se erigunt qui hoc mel ederint, vt ij solent qui medicamentū potarint. vt ostendatur eos qui medicamentum potarunt fuisse agitatos.
At cum de elaterio sermo inciderit. non ab re erit, & quid sit, & quomodo conficiatur edocere: paruus cucumis est, quem Græci sicyn agrion, Latini cucumerem agrestem, & vulgus asininum vocat. cuius succus, elaterium vocatur · pituitam et bilem educit · in aqua intercute potissimum exhibetur · & ab aquæ periculo sanat. Ita vero conficitur, Dioscoride teste. hos cucumeres accipito, potissimumq; tempestiuos · tunc cucumeres aptos esse nosces, cum solo tactu humorem ex se profundunt. & euitandum, dum leguntur, ne hic succus oculos inficiat, ac in illos insiliat. à planta sua remoti per noctem dimittendi sunt · mane in densius cribrum imponendi sunt · & diuidendi cultri acie, vel ligneo cultro. hicq; succus per cribrum descendat in vas subiectum, & carnosa eorū pars exprimenda, vt succus exeat. Simulq; omnia quæ cribro supereminēt colligito, & insperfa dulci aqua exprimito, & proijcito. humor collectus in vas aliud ponatur. linteoq; tegatur, atque soli exponatur · & aqua supernatans ac spuma quotidie eijcienda · idq; faciendum, quādiu supernatabit aqua. postea in mortarium ponendum ac subigendum, & in mortario terendum, in pastillosq; conformandum, & ad vsus reseruandū. Aquam mire educit in hydrope. hoc est elateriū, quod pituitam & bilē purgat. Dioscoridesq; vnū addit, qd' arbitror mēdosum eē in eius codice.s. purgare nulla stomachi iniuria. qd' absurdū esse

experientia constat: quippe nõnullis exhibuimus, et supra modum stomachum perturbauit, & per tres, aut quatuor dies appetentiam auferebat, & hemorrhoidas venas proritabat: opus suum tarde perficit, & vehemẽtia inducit tormina. Nos ipsum corrigimus ex gũmi arabico, bdelio, colophonia, & eiusdẽ generis alijs. propterea fatendum non est, quod ventriculo non obsit, & illi noxam nõ inferat, quicquid à Dioscoride dictum sit. Imo hæc causa est, & propter tormina cur in desuetudinẽ venerit. Imo inter venena ab authoribus ponitur, & Paulus lib. 5. cap. 65. strangulare dicit, et lib. 7. sanguinem quandoq; educere, & ipse met Dioscorides inter venena enumerat elateriũ libro 6. capite. 33. aitq; strangulationem facere, & supra modum purgare.

De sero præterea considerandum est, cur eo vterentur Cnidij. Scito inter illa quæ euacuant enumerari serum, quippe bilem purgat. At ne putato paucam seri quantitatem id efficere posse, sed quatuor, aut sex libras bibere opus est, dabitq; Hippocrates usq; ad sexdecim heminas in hoc libro: in tanta enim copia ebibitum & bilem educit, & humores adustos. Mos est Mediolanensium medicorum, qui & per multas Insubriæ vrbes vagatur, vt post medicamentum catharticum, quod egregie eduxerit, seri magnam copiam pro lauatiuo (vt inquiunt) potui dare: accipiunt vero aut bouis, aut capræ serum, qđ plene probare non possum, potissimum quando catharticum bilem flauam, & atram eduxerit, tunc enim sero ius præfero: serum vero exhiberi posset, quando medicamentũ vel non eduxisset, vel id imperfecte fecisset, cum per se bilem educere possit. Idq; videtur sua vi quadam penetrante & attrahente facere posse, & ex quadam substantiali similitudine cum bile. vel forte cum Cnidij in longis morbis sero vterentur, eo non vtebantur, vt educeret, sed potius vt materias diutinos morbos facientes coqueret, & vias pararet: quippe serum obstructiones aperit, & crassas materias attenuat, quod nihil aliud est, quàm illas coquere & præparare. De sero autem an calidæ sit, vel frigidæ temperiei, in nostris supra Aphorismos Hippocratis cõmentarijs abunde disseruimus. At de eius euacuãdi modo dicamus catharticum vere dici non posse, sed euacuans, quãdo in copia sumitur, quanquam viderim aliquos, quorum vẽtres adstricti sunt ex potu seri.

De lacte præterea differẽtes dicimus & ipsum ratione seri euacuare, & ad multa valere (vt Galenus refert. 10. de medicamentorum facultatibus libro) quibus potest esse vsui in diuturnis morbis. Aut dicamus cum hic tria posita sint in morbis diutinis medicamenta elaterium, serum, lac. Elateriũ euacuandi gratia positum est. Serum vero, & lac velut ea quibus misceatur elaterium. nam cum his mistum venenosam naturam amittit, nec amplius vel strangulare, vel supra modum euacuare potest.

οἱ μὲν οὖν ταῦτ᾽ ἦν ἀγαθὰ καὶ ἁρμόζοντα τοῖσι νοσήμασιν, ἐφ᾽ ὅσοισι παρῄνεον διδόναι, πολὺ ἂν ἀξιώτερα ἦν ἐπαίνου, ὅτι ὀλίγιστα ἐόντα αὐτάρκεά ἐστιν, νῦν δ᾽ οὐχ οὕτως ἔχει. i. Si igitur hæc bona essent, & morbis, quibus dari conueniunt, congruentia, multo digniora erant laude, quod paucissima cum essent, satisfacerent. res vero in præsentiarum non sic se habet. Cum antiqui Cnidij in morbis diutinis solis tribus vterentur medicamentis, si hæc tria essent bona, & conuenirent, ac omnibus satisfacerent, & nullis alijs indigerent, digna erant multa laude, & ipsi simul collaudandi, qui talia inuenissent, nã paucissimis rebus tot morbis diutinis satisfacerent, habendæq; essent illis gratiæ de his inuentis. Res vero non ita se habet. nam in omnibus non conueniunt, & ad diutinas ægritudines curandas multis indigemus, præter elaterium, serum, et lac. propterea cum sint adeo decurtati & breues, digni reprehensione censendi sunt.

GALENVS. Paucis quoque numero auxilijs usos eos ait, nisi in acutis morbis: quasi in his multa dixerint: quod sane fecerunt. Quæ vero longis in morbis dixerunt, hæc vere sunt. Nam & per tempestiuam elaterij, seri, & lactis potionem perficiuntur.

BRASAVOLVS. Galenus Hippocratem refert, qui dixerit Cnidios paucis auxilijs vsos esse, præterquam in acutis morbis: quippe in acutis multis vsi sunt. inquit ergo Galenus, ac si dixerit Cnidios in acutis multa retulisse, idq; proculdubio fecerunt, in longis autem morbis hæc sunt & sola quæ scripsere, perficiuntur, & sanitati restituuntur, per solam elaterij, seri, lactisq; potionem, modo tempestiue exhibita sint. hæc breuissime Galenus: quẽ nisi sequi instituissemus, hæc morbis acutis applicari posse ostenderemus.

## Hippocrates. Sectio V.

**Qui vero secundum adornauerunt librum, hi medice magis quæ singulis exhibẽda sunt, percurrerunt.**

BRASAVOLVS.

Cnidiorum libri, sententiæ, ac placita hoc modo constituta erant. Medici Cnidij antiquitus forte maiori amicitia iuncti, quàm nostro sint tempore, vna conuenientes & concordes sententias scripsere in re medica, quas Cnidias vocarũt, easq; posteris tradiderunt, succedente tempore. cum artes quotidie crescant, & perficiantur, posteriores Cnidij extitere, qui (cum facile sit inuentis addere) secundum librum adornauerũt: nam sententias correxere à prædecessoribus scriptas, & illis in nonnullis assensere, in alijs dissidentes fuere. vnde aliqua immutarunt, aliquibus imminutis addidere, alia nimis ampla contraxere, & melius quàm priores de re medica locuti sunt. vnde ab Hippocrate dicitur, hos qui secundum librum adornauerunt scilicet sententiarum Cnidiarum, & ipsos Cnidios, magis medice ea quæ singulis exhibenda sunt tradidisse: nempe non fuere solis elaterio, sero, & lacte contenti: sed vt decens erat, diuersis morbis diuersa præbebant.

οἱ μέν τοι ὕστερον ἐπιδιασκευάσαντες. i. Qui vero posteriorem pararunt librum & adornarunt vel confecerunt, in quo Cnidiorum medicorum sententiæ scriptæ erant.

ἰητρικώτερον δή τι ἐπῆλθον, περὶ τῶν προσοιστέων ἑκάστοισι. idest, Medice magis quæ singulis exhibenda sunt, percurrerunt hi posteriores Cnidij, de his quæ singulis exhibenda sunt, melius quàm antiquiores tractarunt, & abundantius.

GALENVS. Liber secundus à primo scriptus, adornatus digestusq; dicitur, cum institutum habens idem, plurimas dictionum easdem. nonnulla quidem eorum quæ in priore erant, abstracta habet, alia autem adiecta, & alia permutata. Exemplum rei huius, si perspicuitatem desideras, secundum Eupolidis Autolycum ex priore adornatũ, digestumq; habes. Sic & Cnidias sententias à primis secundas Cnidij ediderũt medici: quæ nonnulla quidem haberent eadem omnia, alia vero adiecta, & alia sublata, veluti & alia permutata. Secundũ igitur hunc librum, Hippocrates priore medicinalem magis esse asserit.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus docet quid per secundum librum & posteriorem intelligere oporteat, nam aliquis librum à primo distinctum, & in sententiis, & in re ipsa intelliget, tamen idẽ erat liber quo ad materiam, in aliquibus solũ differebat, propterea dicit vocari librum secundum à primo scriptum & adornatum, quando habet eandem hypothesim, & idem institutum, imo dictiones multæ in illo eædẽ sunt, multæ abstractæ, multæ adiectæ, & multæ permutatæ.

Secundo Galenus per exemplum ostendit, quomodo hic liber secundus vel posterior intelligatur. Exemplum vero est in libro Eupolidis, qui secundus Autolycus nuncupatur. hic enim liber ex primo confectus est, imo est primus adornatus, correctus, & perfectus, cui aliqua addita, aliqua imminuta, aliqua immutata, aliqua vt prius erant, derelicta. Erat vero liber Eupolidis, quem inscripserat Autolycos, hunc bis concinnauit Eupolis, propterea secundus Autolycus nuncupabatur, quia ab eodem authore secundo adornatus, & mendis expurgatus. puto [illegible] tragœdiam in qua author ipse in lupum se co[illegible]. propterea sine aspiratione, & cum y, scribi debet,

bet, vel erat comoedia antiqua, quæ maledicentias continebat, & lupina pelle induti erant, ne cognoscerentur, & diuites qui piam significarentur, qui veluti lupi pauperes vorabant. duos reperio Eupolides apud antiquos. vnus Atheniensis antiquæ comędię poeta, decimum & septimum agens annum clarere cœpit, scripsit dramata decem & septem, vt ex Suida habetur, decessit naufragio nauigans in Hellespontum vigente bello contra Lacedæmonios, ipsius sunt ἀστράτευτος, ἢ ἀνδρόγυνοι. i. imbellis, vel semiuiri. fuit alter Eupolis Atheniensis Niciæ filius, qui prima nocte nuptiarum ex ruina thalami vnà cum vxore extinctus est, in libro Epigrammatum pulchre,

εὔπολιν ὡς γλυκερόν τε γλυκέριον οὐ ὑμέναιον,
ἔσβεσεν ἐν πρώτῃ νυκτὶ πεσὼν θάλαμος,

Vnde & Ouidius in Ibin ita cecinit,

Sit tibi coniugij nox prima nouissima vitæ,
Eupolis vt perijt, & noua nupta modo,

Quàuis Ouidij interpretes dicant, mortuum inuentum fuisse, & hic antiquæ comœdiæ scriptor esse putatur. eius vxor Medilla nuncupabatur, tamen Epigrammatum liber ex casu thalami obijsse ostendit.

Tertio Galenus Eupolidis exemplum ad rem ipsam deducit, quoniam & Cnidij medici secundum librum sententiarum à primo deduxere, primum exornantes, & in secundum deducentes, nonnulla corrigentes, alia addentes, vel minuentes, alia eodem modo vt prius erant, relinquentes. Hippocrates igitur secundum hunc librum & posteriorem sententiarũ Cnidiarum magis medicum esse iudicat, quam primum, in quo pauciora & mutilatiora sunt.

## Hippocrates. Sectio VI.

**Sed de diæta, idest victus ratione, nihil qđ effatu dignum sit conscripserunt veteres, quanquam id magnum esset.**

### BRASAVOLVS.

Quãquam ab antiquis multa perfecte dicta sint, in victus tamen ratione errarunt, quoniam de illo scribentes quàm breues fuere & mutilati. propterea nihil quod effatu dignum sit, conscripsere, vnde in hac parte, quæ est vna potissima rei medicæ pars διαιτητικὴ nuncupata, multum aberrarunt Cnidij, & multa prætereere, nec considerarunt, partem hanc de victus ratione esse magni in re medica momenti.

ἀτὰρ οὐ δὲ περὶ διαίτης οἱ ἀρχαῖοι συνέγραψαν οὐδὲν ἄξιον λόγου. idest, Verum de diæta, hoc est victus ratiõe nihil dignum antiqui scripsere. scripsere quidem, sed talia, vt neglectui potius esse debeant, quàm probari.

καί τοι μέγα τοῦτο παρῆκαν. i. Quãuis & hoc magnum sit. idest res est magni momenti in re medica victus ratio, vtpote qua sola multi medici morbos omnes curare tentarunt, & in multis suo fine frustrati non sunt, quãuis in aliquibus non satis sit victus ratio.

### GALENVS.

Is curationis ductus contextusq; qui per consuetam materiam efficitur, diæta, idest victus ratio, nuncupatur: vt qui per consuetas, tum sectiones, tum adustiones, & quæcunque alia manu fiunt, chirurgia. Tertiam ab his medicinæ partẽ pharmaceuticen dicunt, quæ scilicet per medicamenta absoluitur, perficiturq;. Accusat autem priscos Hippocrates, quòd de victus ratione nihil effatu dignum cõscripserint: itaq; dixit, non quòd nullum quod ad victus rationem spectaret theorema conscripserint, scripserunt etenim: sed quod non effatu dignum. Qualenam autem sit effatu dignum, docebit in sequentibus.

### BRASAVOLVS.

Primo Galenus docet nuncupari diætam, idest victus rationem, ductum illum curationis & incessum, qui fit per consuetam materiam, idest per consuetos cibos, quibus in victus ratione instituenda vtimur: sicuti & chirurgia vocatur incessus is, qui per consuetas sectiones, per consuetas adustiones fit, & omnia in quibus manuum exercitatione indigemus: tertia rei medicæ pars pharmaceutica nuncupatur, quæ per medicamenta absoluitur atque perficitur.

Tres sunt rei medicæ partes Celso teste, Plinio, & antiquioribus alijs, diætetica, chirurgica, pharmaceutica, quas partes quisque, qui exquisitus medicus esse cupit, ad vnguem amplecti debet: quanquam in præsentiarum secus agant, & varius sit vsus, quippe qui nunc chirurgiam exercent, diæteticam, & pharmaceuticam, ac si ad alios spectent, euitare contendunt: qui diæteticam & pharmaceuticam sequuntur, chirurgiæ manus non admouent, & id putant esse indecorum, vt potius semimedici nuncupandi sint, quàm medici, imo rem medicam in chirurgia adeo decurtarunt, vt is qui suffusiones deponit, & lapides à vesica extrahit, & homines eunuchos reddit, à chirurgo distinctus esse videatur, & is prætereà distinctus qui dentes curat. At vnus solus vir has omnes partes callere debet, & ita callere, vt si opus sit, in vnaquaq; versatus esse videatur, & illas exercere possit. propterea Galenus in libro de partibus artis illos non ab re accusat, qui totam artem non sequuntur. hæ vero tres rei medicę partes non solum fine suo distinctæ sunt. verũtamen & antiqui extitere, qui solam diæteticã exercerent, omnes morbos ex ratione victus curare tentantes, & pharmaceuticam ac chirurgiam tanquam superuacuas reprehendebant. Alij pharmaceutica sola vtebantur, chirurgiam & diæteticam negligentes, quippe ægris quicquid in mentem veniebat, administrabant, & solis medicamentis curationem moliebantur, nullam victus rationis considerationem habentes. alij & hanc, & illam despiciebant velut innecessarias, & chirurgiam solam recipiebãt, quoniam tunc homines curatione indigere arbitrabãtur, cum vulnere affecti sunt, vel luxati, vel simile aliquod perpessi fuerint, ob quod chirurgica ope indiguerint. Nosq; dicimus tres has partes esse necessarias, & vnumquenq; pro virili sua incumbere debere vt illas acquirat, et secundum illas recte agere sciat, cum in re medica nihil sit scire, & agere nescire.

Secundo Galenus docet Hippocratem antiquiores hic accusare, qui de victus ratione nihil consideratu dignum scripsere, idq; ab Hippocrate dicitur, non quòd antiqui de victus ratione non scripserint, sed si quid scripsere, id mutilum fuit, imperfectum, & parum dignum ut in medium adducatur. Et si quis petat rationem hanc effatu dignam, Galenus respondet, quod illam in his quæ sequuntur, edocebit. In duobus hi antiqui peccarunt, tum quia nimis angusti & decurtati, tum quia potius ægritudini, de qua loquebantur, opposita dicebant, quàm conuenientia.

## Hippocrates. Sectio VII.

**Fuerunt vero qui varios morborum singulorum modos, diuersasq; eorum sectiones diuisionesq; non ignorauerint.**

### BRASAVOLVS.

In victus ratione errarunt antiqui, & contractiores fuere, quàm par esset, sed in morborum modis, distinctionibus, diuersisq; sectionibus ignari non fuere, sed prestantes ac diligentiores.

τὰς μέντοι πολυτροπίας τὰς ἐν ἑκάστῃσι τῶν νούσων καὶ τὴν πολυσχιδίην αὐτέων, οὐκ ἠγνόουν ἔνιοι, id est. Eorum quidem nonnulli uarios singulorum morborum modos, & uarias ipsorum sectiones non ignorarunt. nempe morborum genera ca-

gnoſcebant, & in ſpecies diſtinguere non ignorabãt, uel in modos, ſi nõ in ueras ſpecies, propterea morborum ſpecies et modos callebant, de uictus tamen ratione nihil quod dignum ſit, retulere.

### GALENVS.

Non ſolum uarios morborum modos non ignorauerunt, uerum quoque & ultra quàm decet de his ſcripſerunt: ut oſtendam in ſequentibus.

### BRASAVOLVS.

Galenus huic cumulo addit non ſolum antiquos morborum modos, & uaria genera non ignoraſſe, imo & preterquam par ſit de his ſcripſiſſe, ut in his quę ſequuntur oſtendet. preterquam par ſit, quoniam in tales minutias morborum ſpecies diſtinguebant, ut nihil minutius diuidi poſſet.

### Hippocrates. Sectio VIII.

Verum morborum ſingulorum numeros clare pronunciare uolentes, non rectè ſcripſerunt: quippe cum non facile numerari queant, ſi quis languentium morbos alterum ab altero quadantenus differre, nullumcꝫ morbum eundem uideri, quin idem quocꝫ nomen habeat, coniectauerit. Mihi uero placet omni in arte animum tum conuertere tum adpellere. Nam quæ probe uel recte procedunt officia, probe & recte ſingula peragere oportet. Quæ item celeritatem deſiderant, celeriter adimplere; & quæ ſinceritatem ſincere; & quæ ſine dolore adminiſtrari poſtulant, citra dolorem omnem adminiſtrare. Cætera quocꝫ huiuſcemodi omnia ſecus ꝙ hi qui rem propius ſunt contemplati, ad meliorem formam nos redigere conuenit. Maxime autem medicum laudauero qui in morbis acutis, ui quorum plurimi homines enecantur, ſecus ꝙ cæteri in melius procedat. Sunt hi igitur acuti morbi, quos priſci nominatim perſtrinxerunt, pleuritis, peripneumonia, phrenitis, lethargus, cauſus, & quicuncꝫ alij hos conſequuntur morbi: quorum febres prorſus continuę interficiunt.

### BRASAVOLVS.

Galenus ſuperius notauit, præterquam par ſit, antiquos de morborum ſectionibus ſcripſiſſe. id in præſentiarum oſtendit Hippocrates inquiens antiquos Cnidios ſingulorum morborum numeros clare pronunciare uolentes non recte ſcripſiſſe, quoniam ut Hippocrates inquit, facile numerari non poſſunt, potiſſimum ſi quis languentium morbos coniectauerit, alterũ ab altero quodam modo differre, & hic putauerit nullum eſſe morbum eundem, niſi & idem nomen habuerit. Hippocrates uero inquit in omni arte illi placuiſſe, & potiſſimum in hac medica animum ſic adhibere, & mentem, ut officia omnia quę in arte enarrata ſunt, probe & perfecte perficiantur. vnde quę celeritatem deſiderant, celeriter perficienda ſunt, & quę ſinceritatem expoſcunt, ſincere fiant, & quę petunt ut ſine dolore adhibeantur, citra dolorem omnem adhibeantur. Eſt præterea inquit conueniens, nos, & ipſum Hippocratem omnia in meliorem formã reducere, & ſecus ꝙ illi fecerint, qui uiſi ſunt intrinſecus rem ipſam contemplaſſe. Ego igitur illum medicum maxime laudabo, inquit Hippocrates, qui in illis morbis acutis, quorum uiolentia plures hominum enecantur, ipſe aliter procedat ꝙ cęteri faciant. Et ſi petieris quinam ſint acuti morbi, ſcito illos eſſe, quos antiqui his uocibus nominarunt, pleuritis, peripneumonia, phrenitis, lethargus, cauſus, & alios morbos, qui hos ſequuntur, quorum morborum febres, cum non intermittentes ſint, ægros necare ſolent.

τοὺς δὲ ἀριθμοὺς ἑκάστου τῶν νοσημάτων σάφα ἐθέλοντες φράζειν, οὐκ ὀρθῶς ἔγραψαν, id eſt. Numeros uero quorumcuncꝫ morborum clare pronunciare uolentes, non recte ſcripſerunt. Cnidios reprehendit, qui & ſi morborum diſtinctiones retulerint, in eo tamen errarunt, quod putarunt ſe omnium morborum numeros clare tradituros. At inquies quomodo ſuperius dictum eſt illos necꝫ diuerſos morbos, neque diuerſas ſectiones ignoraſſe, ſi hic dicat quod de ipſorum numero non recte ſcripſere? Reſpondemus hos ſectiones generales non ignoraſſe, & etiam particulares, ſed uerum atcꝫ ſtatutum numerum aſſecuti non ſunt, imo plures morbos ꝙ uere ſint, retulere, ut à Galeno in commentatione notatur, nempe ſeptem bilis morbos, & duodecim ueſicę.

μὴ γὰρ οὐκ εὐαρίθμητοι ἦν, id eſt, etenim facile numerabiles non ſunt. Res nancꝫ difficillima eſt, morborum numerum aſſequi, ipſi enim morbos diſtinguentes, morbi eſſentiam nõ conſiderabant, ſed ſymptomata ipſa. unde non mirum eſt, ſi errore ducebantur, cum morbos per ſymptomata diſtinguerent, quæ in pluribus morbis nonnunquam conueniunt. Hippocrates uero, atcꝫ Galenus, qui de morborum numero diſſerere tentarunt, ad ſingulares morbos tranſgredi renuere, ad ſpecies ſolum peruenientes. Nam primo inter ſeſe excogitarunt, morbum omnem, aut eſſe in temperatura, aut in compoſitione, aut in continui ſolutione, poſtea ad horum ſpecies deſcendere: & Galenus de morborum differentijs librum edidit, in quo egregie, ubertimcꝫ de his diſſeruit, harum uero ſpecierum numerus facile referri non poteſt, cum in dies noui morbi oriantur, unde & Plinius capite primo libri. 26. inquit. Acciditcꝫ ſæpius ut noua contra genera morborum gregatim ſentirentur. Quo mirabilius quid poteſt reperiri? aliqua gigni repente uno terrarum in parte certa, certiſcꝫ membris hominum, uel ætatibus, aut etiam fortunis, tanquam malo eligente, hęc in pueris graſſari, illa in adultos, hæc proceres ſentire, illa pauperes. & in calce eiuſdem capitis inquit Plinius. Quid hoc eſſe dicemus, aut quas deorum iras? parum enim erant homini certa morborum genera, cum ſupra tercentum eſſent, niſi etiam noua timerentur? Ea igitur tercentum fuere morborum genera, ſed hoc ordine collecta, ut febris unum eſſet genus, ſub qua multas ſpecies contineri nulli dubium eſt, pleuritis unum morbi genus eſt, ſub quo multę ſpecies continentur. ex his igitur conſtat numerum morborum ſcire facile non eſſe, cum ob numerum propè infinitum, tum quia in dies noui morbi naſcuntur, ſicuti lichene Romæ uel mentagra in Tiberij Claudij Cæſaris principatu medio, & Lucio Paulo, Q. Martio Conſulibus primum in Italia carbunculum veniſſe annalibus conſcriptum eſt, Elephantiaſis poſt Põpeij Magni ætatem in Italia fuit, & Gemurſa morbus in Italia inter digitos pedum. Sed cuius etiam nomen ſit oblitteratum, & noſtro tempore Gallica Scabies, Dolores gallici, Dentarola, & pellarola, à decidendis dentibus ac pilis nuncupata vigent.

εἰ τουτέοισί τις σημαίνηται τὴν τῶν καμνόντων νοῦσον, τὸ ἕτερον ἑτέρου διαφέρειν τί, μὴ τ' αὐτὸ δὲ νόσημα δοκέειν εἶναι ἂν μὴ τ' αὐτὸ ὄνομα ἔχῃ, id eſt ſi quis ęgrorum morbos coniectauerit, alterum ab altero in aliquo differre, necꝫ eundem uideri eſſe morbum, niſi idem nomen habuerit. Morbi facile numerari non poſſunt, preſertim ſi quis ęgrorum morbos coniectari tentauerit, nam hic alterum ab altero in aliquo ſymptomate differre videbit, imo & ſi in eadẽ ſpecie ſpecialiſſima ſit morbus,

sit morbus,cum in varijs est indiuiduis,in aliquo symptomate differt. Imo & difficile est morborum numerum scire, cum morbus idem esse non uideatur, nisi & idem nomen sortitum sit. Ex his errarunt antiqui, uolentes morbum à morbo aliquo modo differre,& cum aliquo modo differebat, diuersum morbum esse fatebantur, cum tamen absurdum hoc sit, quoniam si quis tertiana febre vexetur, & siti prematur, alter eadem febre uexatus siti careat, aliqua re differunt, tamen idem sunt in specie morbi,diuersi tantum indiuiduo, quia hæc est in Socrate tertiana febris,illa in Platone. Errabant præterea putantes nullum morbum esse eundem,nisi eodem nomine insigniatur.tamen nomina frequentissime docet Galenus negligenda esse,nam morbi essentia consideranda est,& non nomen.

ἐμοὶ δὲ ἀνδάνει μὲν ἐν πάσῃ τέχνῃ προσέχειν τὸν νόον. Mihi uero placet in omni arte mentem adhibere. & hoc conuenit. Quippe si artifex suæ arti mentem non adhibuerit,in artis operibus longe aberrare posset, quæ ipse artifex recte in finem ducere desideraret,sed in re medica potissimum adhibenda mẽs, in qua si error contingat qui letalis sit, nobile subiectum circa quod error contingit,refici,restauraríq; non potest, in alijs uero artibus aut subiecta reficiuntur, aut alia eorum loco accipi possunt,& nihil absurdi,incommodiue consequitur.

καὶ γὰρ ὁκόσα ἔργα καλῶς ἔχει ἢ ὀρθῶς, καλῶς ἕκαστα χρὴ ποιέειν καὶ ὀρθῶς,idest·Et enim quæ probe uel recte habẽt opera uel officia singula probe & recte facere oportet.Ita mens arti adhibenda est, cui incumbis,ut omnia officia, omnes canones, quos probe & recte ordinat, tu probe ac recte exequi & perficere debes.nam si error in uno contingat,multa inconuenientia sequi necessarium est. recte igitur ac probæ artis medicæ regulæ, recte sunt & probe administrandæ, ne errores in opere contingant.

καὶ ὁκόσα ἔργα ταχέως, καὶ ὁκόσα καθαρίως, καθαρῶς, καὶ ὁκόσα ἀνωδύνως δεῖ διαχειρίζεσθαι, ὡς ἀνωδυνώτατα ποιέειν. id est. Quæ item officia celeriter fieri oportet,celeriter,& quæ secundum puritatem, pure, & quæ sine dolore administrari oportet,citra omnem dolorem facere. Multa sunt in omni arte officia,& multi canones,qui penitus obseruari debent,& præsertim in re medica. ob hoc ab Hippocrate hic notatur, illa quæ in hac arte desiderant,ut cito perficiantur, cito perficienda esse,aliter occasio quæ præceps est amittitur, & amplius resumi non possunt, vt si tibi occurrat plethoram habens, si uenam non secueris,et retardes,forte occasionem amittes uenam secandi. Aliqua etiam sunt pure facienda in re medica, propterea pure fiant,absq; compositione, sed pura exhibeantur, atq; syncera,hæc etenim est uera ars medica, simplicissimis rebus, quantum fieri potest,uti. Multa sunt officia, & multæ operationes in re medica,in quibus prohibendus est dolor, ne trahatur in locum illum materia,ubi ergo euitandus est dolor,& aliqua operatio absq; dolore fieri debet,quanto fieri potest citra dolorem à medico fiat, & ita de singulis operationibus quæ in re medica sunt,ut conuenit,agendum est.

καὶ τὰ ἄλλα πάντα τὰ τοιουτότροπα διαφερόντως τῶν πέλας ἐπὶ τὸ βέλτιον ποιέειν χρή, id est. Et cætera huiuscemodi omnia differentia ab his quæ prope dicta sunt,in meliorem formã facere oportet. Cæteræ omnes regulæ tales (vt superius dictũ est) in meliorem formam ducendæ sunt,& nos eas melius exercere debemus, quàm antiquiores fecerint. vel intelligamus cætera omnia talia quæ ab his differunt, quæ prope dicta sunt, quæ sunt ueræ regulæ, omnia inquam illa sunt in meliorem formã redigenda,ut si quis diceret, Quæ celeritatem desiderant,sunt tarde exequenda,hæc regula à prædictis differet, propterea in meliorem formam redigenda essent,& corrigenda.

μάλιστα δ' ἂν ἐπαινέσαιμι ἰητρὸν, ὅς τις ἐν τοῖσιν ὀξέσι νουσήμασιν, ἃ τοὺς πλείστους τῶν ἀνθρώπων κτείνει, ἐν τ[...] διαφέρων τῶν ἄλλων εἴη ἐπὶ τὸ βέλτιον,id est. Max[...]tem medicum illum laudauere, qui in his morbis acuti[...] homines necant,ab alijs differens in melius co[...]lli fecerint. Medicum ex operibus iudicat Hippocra[...] prognosticorũ is melior medicus uocatur, qui plures sanat,& qui minus errat. inter acutos morbos aliqui sunt, qui ut plurimum necant homines, de quibus Hippocrates loquitur, vt optimum medicum secernat, inquiens, ille in his morbis est melior medicus, & illum laudo, qui in perniciosis morbis curandis eos in melius ducit, & plures sanat. quanquam hæc regula perpetuo vera non sit, quoniam doctissimo medico, & in arte diligentissimo contingere poterunt ægri morituri. Et ignauissimo illi qui sanitati restituendi sunt, ex hac Hippocratis regula, hic ignauissimus, medicus probatior esset doctissimo,& certe à vulgo ita existimatur, non tamen à probis uiris. Verum si ignaro medico contingant ægri morituri, citius occumbunt, quàm si in probi & docti medici custodiam incidissent.

ἔστι δὲ ταῦτα ὀξέα ὁκοῖα ὠνόμασαν οἱ ἀρχαῖοι, πλευρῖτιν, καὶ περιπνευμονίην, καὶ φρενῖτιν, καὶ λήθαργον, καὶ καῦσον, idest, sunt hi uero acuti morbi, quos ueteres nuncupauerunt, lateralem, & peripneumoniam, & phrenitim, & lethargum, & ardentem febrem. De acutis morbis tractaturus Hippocrates, acutum ipsum non definit, sed illum nominatim exprimit, facilius autem fuisset, id solum referre, morbos acutos illos esse, qui & breui finiunt, & sæuiora habent symptomata, quippe ad acutum morbum motus celeritas exigitur, quoniam à materia fiunt ut plurimum calidiori, uel in loco sunt nostri corporis nobili. At quamuis acutum morbum non definiat Hippocrates, illum tamen veluti digito monstrat, ac si dicere uoluerit, si acutum morbum noscereq; cupias, de quo in hoc libro acturus sum, scito illum esse morbum acutum, qui ab antiquis nuncupatur lateralis morbus, ac si digito ostendat hic est acutus morbus, & ille, & alter.

Sed de laterali morbo ambiguitas contingit, an acutus nuncupari debeat ob Anaxiona qui diu morbo illo correptus est. Nos uero dicimus, lateralem morbum exquisitum (de quo postea acturi sumus) esse acutum, lateralis uero mendosus acutus non est, qualis ille fuit qui Anaxiona infestauit, nisi inter acutos esse intelligamus qui ex decidentia nuncupantur, & ad quadraginta dies usq; peruenire possunt.

De peripneumonia præterea dubitabis, an acutus sit morbus, cum multos in peripneumonia diu perdurare uideamus. dicendum est, ueram peripneumoniam, quæ est pulmonis inflammatio iam facta, in qua est δύσπνοια, id est anhelitus difficultas, febris adurens, grauitas pectoris, & distentio, tumor, & multa faciei plenitudo, rubent μῆλα, id est malæ, oculi inflantur, supercilia deorsum feruntur, κερατοειδὴς, id est cornea plenior esse videtur, ut Paulus libro tertio, capite. 30. refert, esse acutissimũ morbum. At si paulatim fiat à destillatione à capite ad pulmonem descendente, diutius perdurat æger, antequam ad mortẽ perueniat, & hoc modo diutinus uidetur esse morbus, tamen simpliciter loquentes inter acutos morbos numeranda est peripneumonia.

Phrenitim quoq; morbum esse acutum nulli dubium est, cum sit affectio ex calidiori materia in panniculis cerebrum tegentibus, vel in ipso cerebro.

Et de causo nullus ambigit quin sit acuta febris, & qua fere homo ardet, nec illam diu ferre potest.

Verumtamen de lethargo ambiguitas contingit, qui non uideatur esse acutus morbus, nam à Paulo dicitur, lenta quædam & ignaua febricula lethargum comitatur, non admodum mordax, cum dilatione in somnum profunda, fitq; hic morbus ex frigida materia pituitosa, quæ morbos diutinos inferre solet? Respondemus, ratione materiæ, & symptomatum aliquorum non uidetur hic morbus penitus esse acutus. At principalis membri ratione, in quo fit, & maximi symptomatis, est acutus, qui breui necat, præsertim quando transit in caron.

καὶ τὰ ἄλλα νοσήματα, ὁκόσα τουτέων ἐχόμενά ἐστιν, ὧν οἱ πυρετοὶ τὸ ἐπίπαν ξυνεχέες ὄντες κτείνουσιν, id est, Et alij morbi, qui his inhærent, quorum febres prorsus continuæ interficiunt, vt breuibus acutos omnes morbos edoceat, nominatim prædictis expositis addit, & esse acutos morbos oẽs alios, qui prædictis

inhærent, & qui similem habent naturam cum prædictis, & illos sequuntur, quorum morborum febres cum sint penitus nō intermittentes, interficere solent, ac si per hoc acutum morbū explanare uoluerit, ut est qui febrem non intermittentem habet, quę plerunq; interficit, opus tamen est & esse in genere prędictorum, tamen sunt & acuti morbi sine febre, ut apoplexia. Tu uero scito acutum morbum ex sui motus celeritate, & ex symptomatum sæuitie denominari. & hi uere sunt acuti, quos acuta febris semper comitatur.

Meminit huius sententiæ Galenus in tertio de difficultate respirationis, cum edocuit in libris prognosticorum de acutis, solum tractari morbis, & his qui ex acutis dependent. Quærens uero quinam sint acuti morbi, præsentem sententiam adducit.

GALENVS.

Dixi paulo ante Cnidios medicos cōfestim ab initio de morbis plusquam oportet scripsisse: scripserunt siquidem bilis morbos septem: pari modo & paulo infra uesicæ duodecim: Renū quoq; quatuor: Stranguriæ quatuor: Deinde tetanos tres, Morbi præterea regij genera quatuor: atq; tandem phthises, tres. Nempe ad corporum uarietates, quæ multas ob causas permutabantur, respexerunt: morborum identitatem haudquaquam contemplari, quo modo est contemplatus Hippocrates, ad horum inuentionem methodo usus: qua duntaxat morborum numerum inuenire conceditur. Methodum autem eam in methodi medendi principio demonstrauimus, diximusq; aliquid in libro de elementis secundum Hippocratis mentem. Habes quoque & à nobis compendio quodam scriptum unum de morborum differentijs commentarium. Sed hoc in loco dictiones prosequi est opus: nempe is expositionis scopus existit. Nam si quis inter exponendum demonstrationes scripserit, sermonem protrahet: & præcipuam quæ sanationis morborum causa existit, dimittet partem: partem inquam quæ ad maxime letalium morborum curationem excellit, præstatq;. Summa quidem præsentis dictionis hæc est, particularia uero dictionis deinceps explicabo.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus notat se paulo ante dixisse Cnidios medicos in principio de morbis plusquam oportet, scripsisse: nam septem bilis morbos numerauerunt, postea duodecim uesicę, & quatuor renum, quatuor etiam stragurias, deinde tres tetanos considerarunt, & quatuor morbi regij genera, & denique tres phthises. Quomodo autem hæc considerarent & distinguerent, à Galeno non explicatur, & Cnidiorum libri non habentur. Vnde putandum est illos multa dixisse, quæ ad rem nihil faciebant, & quæ potius tempus conterere faciebant, quam aliquid discere, nempe si utilia fuissent, nec ab Hippocrate fuissent reprobata, nec à Galeno prætermissa. Et si ambigas plures bilis morbos reperiri, quam septem, quia tertiana febris, phrenitis, erysipelas, lateralis morbus, urinæ ardor, urinæ stillicidium, iecoris superassatio, podagra dolorosa, ileos, & multi alij sunt biliosi morbi, qui septenarium numerum excedunt, propterea non scripsere plusquam oporteat, sed minus quam oportet, septem solum ponentes biliosos morbos: Dicendum est per bilis morbos, non omnes biliosos intellexisse, sed illos qui à bile sola semper fiunt & pura, ut septem morbos febriculosos à bile cum sit una solū biliosa febris, quæ per magis & minus in diuersa partitē, propterea id addit Galenus, quod in secunda parte refertur.

Secundo Galenus notat antiquos Cnidios ad corporum uarietates respexisse, & ad uaria symptomata, quæ multas ob causas permutabantur, neq; hi morborum identitatem considerauerunt, ut fecit Hippocrates, qui ad omnes morbos inueniendos methodo usus est, imo per hanc solam methodum morborum numerū inueniebat, antiqui uero illi decepti sunt, quia morbos distinguebant, non quidem secundum essentiam, sed penes symptomata, quæ occurrebant, neq; morborum identitatem considerare norant, cum morbum aliquem symptomate ab alio differre uidebant. At omnium symptomatum uarietas, morbi uarietatem non facit, cum aliqui sint morbi, in quibus nonnulla symptomata diuersa sunt, tamen sunt idem in specie. Verum si essent essentialia symptomata, uel quæ immediate ab essentia dependerent, in morbis distinctionem ostenderēt. Si uero petas quænam sit hæc methodus: Dicimus primo, esse methodum à sanitatis essentia sumptam. Vt ex ipsa in ægritudinem deuenimus, sanitatem uero in æqua temperie, in formatione, & in partium unione constare dicimus, æqua temperies uel simplex est, uel composita, si simplex uel calida, uel frigida, uel humida uel sicca, si composita uel calida & sicca, uel calida & humida, & uel frigida & sicca, uel frigida & humida erit, calida & frigida simul non iunguntur, neq; humida & sicca. Et cū tot sint nostri corporis partes, in qualibet suus error esse potest. Itaq; omnes partes singulatim considerantes, et simul binatim iungentes, ternatim, quaternatim, & deinceps multiplicando, & uariando, ita fient tot morbi in qualitatibus & simplicibus & compositis. Si formationem considerabis, error in forma esse potest, in numero, in quantitate, & positione, & hoc uel in uno membro, uel in duobus, uel in pluribus, uel in forma & numero, uel in forma & quantitate, uel in forma & positione, uel in numero & quantitate uel in numero & positione, uel in quātitate & positione. Et hęc uel sunt in omnibus partibus, uel in aliquibus, & de alijs eodem pacto procedentes, in unione morbus fit, qui est continui solutio, uel perfecta uel imperfecta, uel in carne, uel in instrumento uel in osse, & ita per omnes partes discurrendo, omnium morborum numerum per essentiam inuenies, & non per symptomata, ut antiqui fecere, qui in hoc lōge errarunt, extraneas distinctiones in morbis considerare uolentes, & eis pro ueris uti differentijs. Vnde morbos existimabant diuersos, qui idē erant in specie intelligito, non in numero.

Tertio Galenus locum docet, in quo huius methodi omnes morbos inueniendi, mentionem fecerit, & ait se de ea locutum esse in primo Methodi medendi libro, imo & in libro de elementis secundum Hippocratem, de hac re nonnihil disseruit, in quo uero in primo Methodi, Hippocratem primarum qualitatum fuisse inuentorem, Galenusq; librum fecit satis breuē de morborum differentijs, in his enim omnibus locis in numerū morborum, & in eorum differentias & essentias descendere facile esse ostenditur.

Quarto Galenus docet in hoc loco .i. in hoc de ratione uictus in acutis libro, satis esse dictiones afferre, & illas in sua significata scire reducere. Nam hic est finis, hæc est intentio, & expositionis scopus. Nam si quis in hoc libro exponendo demōstrationes adduxerit, sermonem protrahet, & præcipuam partem dimittet, quæ sanationis morborum causa existit, præterea & partem dimittet, quę ad maxime letalium morborum curandorum rationem summe ualet, hæc igitur est huius sententiæ summa, sed particularia ipsius deinceps explicabuntur.

Scopum expositionis inquit esse dictionem prosequi, cum satis sit noscere, quid significet phrenitis, & quid peripneumonia, & de alijs eodem modo, uel intellige sententias, ut sit expositionis scopus explanare sententias, & aliud nihil. nam demonstrationes afferre uelle discendi celeritatem impedit, & ad curationem nihil utile faciunt.

Quod legitur: Nam si quis inter exponendum demonstrationes scripserit, sermonem protrahet, & præcipuam quæ sanationis morborum causa existit, dimittet partem, partem inquā: græce est, ὡς εἴγε τις ἐν ταῖς ἐξηγήσεσι τὰς ἀποδείξεις γράφοι, μακρὸν ἀνύσας λόγον ἕνεκα τῆς τῶν νοσημάτων ἰάσεως, τὸ κυριώτατον ἀφείη ἂν μέρος. i. Quare si quis inter exponendum demonstrationes scripserit sermonem protrahens sanationis morborum gratia, præcipuam dimittet partem. postea sequitur quæ ad maxime &c.

## Hippocrates Sectio IX.

Cum enim nullus communis pestiferi morbi mod[illegible] passim grassatus fuerit, sed morbi & σπορ[illegible] [illegible]dest sparsim priuatimque prehendentes, [illegible]s fuerint: ab his plures quam ab alijs [illegible] [illegible]ereunt.

Cum

BRASAVOLVS. Cum in pręcedentis sententiæ calce dixerit acutos morbos febres hēre continuas, quę prorsus interficiāt, nā in dies acutos morbos curamus & febriculosos, & ægri nō occūbunt. ꝑpea hic Hippoc. morbos illos edocere videt, qui plures necant. sciē dum vero, vt à Gal. in cōmētatione notatur, esse aliquos morbos, q aliqua in parte cōtingūt aeris rōne, qui tunc viget, alios vero cōtingere rōne ipsius partis. i. regionis, & non rōne aeris, vel simul rōne aeris et regiōis cōtingūt. Morbi qui aeris rōne alicui regioni contingunt, epidemici vocātur, ac si per populū vagātes dictū sit, vñ & vulgares dicti sunt: hoꝝ vero nōnulli sunt pnic osi & letales, quos pestilētes nūcupāt, alij sunt mitiores, & nō letales, qui simplr epidemici dicunt. qui vero morbi regionis rōne fiunt, ἔνδημα, & ἐνδήμια ac si voces patrios vel publicos vel vernaculos. scioq; Hippocratē in diuersis locis de his morbis locutū esse. nā in lib. epidemicō de epidemijs sermonē habuit, in lib. de aere, aquis, & locis de endemia. i. regionalibus & publicis loquitur, uel illos saltē quodāmodo attigit. Sunt vero et alij morbi, q apprehēdūt sparsim et priuatim, sed nō eodem mō, neq; sunt similes sed diuersi. vñ sunt multi morbi & non similes, qui hincinde priuatim sparguntur, & σποράδες quasi sparsim & distincte positi vocantur, sicuti & Sporades insulæ in Atlantico & Ionio mari sic dictæ, quoniam in mari sparsæ sunt & diuersæ, ita hi morbi qui & hincinde sparsi sunt, & diuersi, sporades quasi sparsos vocarunt. Paulus lib. 2. cap. 35. morbos illos qui plures aggrediuntur πανδήμους καὶ κοινοὺς vocauit, qui à Galeno ante Paulum eodem modo nuncupati sunt. Nūc ad Hippocratis sententiam descendamus, cuius sensus est, cum nullus communis modus morbi pestiferi passim grassatus sit, sed morbi sint sporades. i. sparsi & distincti & similes fuerint, ab his plṙes q̄ ab alijs oībus interficiūtur. At hic ambiges vt à Gale. in cōmētatione fiet qūo dici possit morbos sporades & similes, nā cōtradictio in adiecto esse videtur, dicere morbos sparsos, et distinctos, et similes, Galenus indicat, vel legēdū esse negatiue nō similes, uel ad supradictos morbos referēdū, ut sporades illi a sint similes qui cōsueti sunt.

ὁκόταν γὰρ, μὴ λοιμώδεος νόσου τρόπος τις κοινὸς ἐπιδημήσῃ, idest, Cū. n. nullus cōis pestiferi morbi mod⁹ passim grassatus fuerit, ita vt pestilēs nō sit, neq; epidemicus, neq; endemus.

ἀλλὰ σποράδες ἔωσιν αἱ νοῦσοι. i. Sed sporades fuerint morbi, hoc est sparsi & distincti, vt si aliquo in anno febres tertianæ contingant, quartanæ, morbi laterales, phrenitides, dorsi dolores, capitis dolores in diuersis hominibus.

καὶ μὴ παραπλήσιοι. i. Et similes non fuerint, tamē & si Galenus approbet negatiue legendum, eius contextus structura affirmatiua erat, & affirmatiue legens ad præcedentes refer morbos quibus sint similes, inter se uero non sint similes.

ὑπὸ τουτέων τῶν νοσημάτων ἀποθνήσκουσι πλείους ἢ ὑπὸ τῶν ἄλλων τῶν συμπάντων. i. ab his morbis plures necantur, quàm ab omnibus alijs. cur vero hi morbi interficiāt, causa est, quia ægros diuersimode fatigant, neque communem modum sequuntur. vnde Hippocrates, hos morbos diuersos esse intelligit, atque acutos, diuersos inter se in specie, & diuersos quo ad varia symptomata, in quibus morbis & medici ob eorum inconstantiam facile errant, & quia extra cōmunem sunt vsum. At inquies morbos sparsos & diuersos magis necare, quoniā illi magis necant qui passim vagantur, & pestilentes sunt. Respondemus hos magis necare, quia acuti sunt et diuersi, et symptomatum diuersitatem habent, vt si vni occurrere tentes, alteri protinus obesse videaris. vel hoc ad medicos referri pōt, vt hi morbi medicorum ratione letales sint, quippe circa illos ob morborum uarietatem magis errant, vel intelligas hos magis interficere, quàm epidemicos pestilentes, & non pestilentes, & endemicos omnes simul comparantes, vel morbos ad aerem conferentes, quia epidemici morbi ob prauam quandam aeris affectionem gignuntur, quæ vna est sola, cui facile ex suo opposito occurrere possemus, vł occurrere facilius est, at cū morbi diuersi sunt & sparsi ex varijs aeris affectionibus cōtingūt, quibus occurrere difficilius est. vnde plures necantur eo supposito q̄ acuti sint, quia varia hñt necessario symptomata & letalia, & quæ ægros differēter fatigēt, aut dicas Hippocratē cōparare sporades acutos ad sporades non acutos, id enim verissimū est sporades acutos plures necare, q̄ nō acutos. At si placeat ad pestilētes ēt comparare, dic plures necare, quia frequētius & singulis annis, et semp̄ fiunt sporadici acuti, raro aūt epidemici letales. Tamen hæc Hippocratis sñia adducitur à Gal. in. 3. cōmētario in. 3. epidemioꝝ Hippoc. sectione 21. & tali modo illam referre videtur, vt morbi pestilentes letales magis interficiant, inquit enim Hippocrates eo loco in sententia, habes morbos qui vulgabantur, Galenus in cōmētatione inquit vnū de uulgaribus morbis pestis est, ut in libro quoq; de victus genere acutoꝝ dictū est his uerbis, nam si qñ nulla morbi pestilētis forma cōis vulgetur, cæterum dispersi sint morbi. neq; .n. certi est morbi nomē vulgare uel pestilēs. cæterū quicunq; vno in loco multos simul inuaserit vulgaris hic uocat, q simul si hoc habeat ut multos perimat pestis est.

GALENVS. Ostendit hac oratione Hippocrates morbos multos uno fieri tempore. quos, si perniciosi fuerint, pestem appellant. Si vero mitiores, altera quadā indicant appellatione, epidemos vel epidemios nōiantes: ut epidemus morbus sit qui tempore anni aliquo in regione aliqua abūdet insolescatq;. Pestis uero, epidemia perniciosa. Est aūt & aliud morbi genus commune multis, qd' in regione superuenit accedítq;, endemumq; vel endemium appellitatur, quasi patrium dixeris aut vernaculum. His aūt omnibus aduersantur σποράδες, idest, qui sparsim priuatimq; prehendunt, ægros discrepāter fatigantes: neq; secundum cōmunem modum constantes. Sed quidnā est quod ab Hippocrate dicitur: Sed morbi & σποράδες similes fuerint. Nempe contrariū dicendū fuit. Et non similes eos inter se esse si vtiq; aliquid morborū similitudine & endemū & epidemiū, & pestiferum iudicari debuit. Duorū igitur alterum, vel mendorem hāc scriptionem existimare oportet, sed morbi & σποράδες & non similes fuerint. uel similes eos dicere oportuit nō inter se, sed morbis ante dictis. i. consuetis: qm̄ rarius quidem tum epidemij tū pestiferi fiunt: vocati vero sporadici frequenter. De quibus & hoc in loco agetur: veluti de epidemijs in libro epidemiorū morborum & de endemijs in libro de aquis. aere, et locis. Nullum aūt peculiarē de peste confecit librū, qm̄ ex epidemijs vnū esse illā per libros epidemioꝝ demōstrauit.

BRASAVOLVS. Primo Galenus docet ab Hippoc. hac in parte ostendi, uel saltē innui, multos morbos uno fieri tp̄e, qui si perniciosi fuerint λοιμὸν. i. pestis vocantur, si vero non perniciosi, epidemi vel epidemij. vñ epidemi morbi his uerbis definiūtur Illi sunt qui aliquo tp̄e, in aliqua regione rōne aeris, & nō rōne regionis abūndant, qui si & perniciosi simul existāt, pestis vocātur, Nam pestis epidemicus morbus est pniciosius, tamē adest & aliud cōmune morbis genus, multis in una regione cōtingens non rōne tēporis, vel aeris, sed rōne regionis, & hoc endemon vel endemion nuncupatur, ac si dicas patriū, propriū vel vernaculum, vt aliquibus in locis guttur amplissimū habetur, is est morbus regionis. Omnibus p̄dictis morbis qui eiusdē sunt generis σποράδες morbi. i. sparsi & distincti cōtraponūtur, hi vero sporades & acuti sunt, & ægros diuerso mō et contrario fatigant, neq; secundum cōmunem modum constant. nā etsi phrenitides sint, vel morbi laterales, distictū modū hñt à laterali morbo, & à phrenitide, & ita de alijs, nō tñ ita distinctū ut spēm varient. ꝑpea solito more nō cōstant, hinc plures necāt. At de epidemicis morbis inquies diuersos esse & sparsos. nam sub specie pleuritidis apparēt, sub specie phrenitidis, sub specie catochi, sub specie lethargi, et similiū. Rñdemus qñ sub pleuritidis specie apparent, tunc in oībus uel in maiori parte sub illa specie apparent, quādo sub specie phrenitidis, tunc uel omnes, uel plures phrenitide capiuntur, imo in vna trium aut quatuor mensium pestilentia, hæc successiue variari possunt, quod in illa magna. 1528. totius Italiæ pestilentia obseruauimus, in pricipio sub lateralis morbi specie præsentata est in pluribus, deinceps sub specie phrenitidis, postea catochi, deinque in

varias species mutationes consecutæ sunt, & plura morborũ genera simul complicabantur, & tandem in aliquibus in alui profluuia finiebant, at per aliquod temporis spatium sub vna morbi specie perseuerabant.

Galenus in prima libri de vulgaribus morbis pręfatione, cum docuerit morbum illum nuncupari per quinque syllabas ἐπιδήμιον, & per quatuor ἐπίδημον, addit tenendum esse quosdam morbos inuadere multos in communi, qui.s. communes appellantur, quosdam separatim quælibet, quos σποραδικοὺς vocant, inter communes vero alij publici sunt, quos vocant ἐνδήμους Græci, alij vulgares, qui ab illis tum ἐπιδήμοι, tum ἐπιδήμιοι nuncupantur, horum perniciosissimi pestilentes vocantur, qui perinde ac totum vulgarium morborum genus ex cœli statu proficiscuntur. hæc de vulgaribus morbis Galenus. Scitoq; & si endemij ex cœli statu etiam esse videantur, sunt potius ex ipsa regione, vnde epidemici ex cœli statu fiunt, endemi ex regione, cœli statu consentiente, vt in βρογχοκῆλαι. i. gutturosis apparet, de quibus Oribasius in fine tertii libri, vbi de aquis verba facit, nam & gutturosi nonnunquam ab ipsis fiunt aqs, vt à Vitruuio edocemur, & experientia quotidiana ostendit, inquit enim Vitruuius, equicolis autem in Italia & alpibus natione medullorum est genus aquæ, quam qui bibunt, efficiuntur turgidis gutturibus, & Plinius docet libro vndecimo cap. Guttur inflari vitio aquarum quæ potantur. & Iuuenalis Satyra. 13. horum gutturũ meminit, cum inquit, quis tumidum guttur miratur in alpibus?

Inter alpes, quæ Italiam distinguunt à Gallia, in loco nuncupato Moriana à flumine cœnoso ita denominato presbyterũ vidimus cantorum, qui guttur habebat uiginti librarum pondere, vt omnes qui cum illustrissimo Hercule Duce Ferrariæ in comitatu erant, iudicauere, ego autem ob duritiem & densitatem vigintiquinq; librarum esse iudicabam.

Secundo Galenus ambigit, quomodo ab Hippocrate dictum sit, sed morbi sporades, et similes fuerint, nam si sporades sint, sparsi sunt ac distincti, non similes. Respondet negatiue potius legendum esse, hoc pacto, sed morbi sporades & non similes. nosq; plures cõtextus hoc modo legere vidimus, verum quia Galeni contextus affirmatiue habebat, ob id & affirmatiue legens Hippocratem defendit, particulam eam similes ad prædictos morbos consuetos conferendo.i. pleuritim, peripneumoniam, & non inter se, unde similes erunt morbis consuetis: quoniam epidemici morbi, & pestiferi raro fiunt, vocati vero sporadici frequenter. scito autem epidemicos morbos f. equentissime fieri, quippe rari sunt anni, in qbus vulgares morbi nõ sint, raro tamen pestilentes fiunt.

Tertio Galenus docet in hoc libro ab Hippocrate de acutis sporadibus morbis agendum esse, sicut in epidemiorum libro de epidemicis locutus est, & in libro de aere, aquis, & locis, de endemis. Si quis autem petat, an Hippocrates peculiarem librum de pestilenti morbo posteris reliquerit, Galenus respondet non reliquisse, quoniam ex epidemiorum libris ostendit vnum esse ex epidemicis, imo & Galenus in præfatione primi epidemiorum inquit pestem esse onum ex vulgaribus morbis propterea in tertio epidemiorum pestilentes quasdam tempestates descripsit, vnde infert ex genere vulgarem morbũ esse.

## Hippocrates. Sectio X.

**Idiotæ vero non admodum cognoscunt eos qui in huiusmodi ab his differunt, qui rẽ propius sunt contemplati.**

### BRASAVOLVS.

In octauæ sectionis calce Hippocrates scriptũ reliquit, medicum illum in acutis perniciosis morbis magis laudare, qui melius procedit, quàm alij faciant: hic vero notat hos bonos medicos ab omnibus non cognosci. nam idiotæ & ignauum vulgus probos hos medicos non cognoscit, qui rem interius contemplantur & melius agunt, nempe cuiq; datum non est adire Corinthũ. & si dicas rem huic ad vota, & prospere magis succedere. propterea facile cognoscet, scito & nonnunquã ignaris ad vota succedere, sed inexpers vulgus & fatuum discernere nescit, hunc rõne, illum forte fortuna ductũ incessisse. οἱ μὲν οὖν ἰδιῶται, οὐ πάνυ γινώσκουσι τοὺς ἐς ταῦτα διαφέροντας τῶν πέλας. i. Idiotæ vero nõ valde illos cognoscũt, qui in his differunt, qui ab his prope sunt. Sensus est, idiotas parum cognoscere in his morbis, & in his perniciosorũ morborum operationibus, eos medicos, qui ab his differunt, qui prope veritatem sunt, & prope operãdi perfectionem, nam inter bonos medicos & prauos, & inter bene & praue agentes distinguere nesciunt, in principio statim libri de salubri diæta Hippocrates inquit, idiotæ hac debent diæta viuere. Galenus in cõmentatione ostendit quinam idiotæ vocentur, inquit vero inuenimus vero ἰδιώτας à Græcis appellari non simpliciter, sed in relatione ad aliquid, nam hunc esse huius idiotam artis aiunt, illum illius exercitij. Est, cum hos opponant illis, qui genti aut oppido præsunt, aut omnino publicum aliquod munus obeunt. Itaq; qui veluti priuatã vitã agunt, idiotas hos.i. priuatos appellant. Tamẽ in hoc loco nõ accipitur idiota pro eo qui vitam agit priuatam, quia is posset esse doctus qui ageret vitam priuatã, hic vero intelligit per idiotas ignaros et vulgus. vnde mihi potius arridet, vt illius libri interpres uertat inscriptionem de victus rõne priuatorum, quia apud latinos hi appellantur priuati, qui in otio vitam degunt, & nullo publico munere funguntur. Quòd aũt Galenus nonnunquã ignaros idiotas vocet, apparet legẽdo tertiũ commentarium in primum Prorrheticũ Hippocratis sectiõe. 32. vbi dicit Galenus, Oculi ferocitatẽ desipientiã indicare, quomodo et idiotis ipsis dilucet, q nõ prorsus stupidi sunt. paulopost addit, Vocamus siquidem in eiusmodi omnia testes idiotas, qui rudes tum existunt tum vocantur, sed maxime quidem si fieri posset, natura prudentes, si nõ mente desides, ignauosq;. facit & idiotarum mentionem Galenus in. 2. de difficultate respirationis, cũ inuicem comparat scripta ab Hippocrate et scripta à Thucydide. Inquit vero, Thucydides omnia scribit etiam idiotis nota, nihil ipsorum penitus prætermittens, Hippocrates vero pauca ex ijs quæ ad ipsam affectionem pertinent, circa quam ægrotus est periclitatus. multa vero alia ab idiotis quidem neglecta, artificiosam vero & exactam cognitionem exhibentia, & quæ etiam optimos medicos sæpe latere possunt. vt videas qui hoc in loco idiotę vocari possint, ignari.s. & qui literas nesciunt homines.

### GALENVS.

Idiotas ait non omnino cognoscere medicos eos, qui quantum ad huiusmodi morbos attinet, ab his differunt, qui propius rem attigisse videntur. Quòd autem acutos dicat, palàm est de quibus ante sermonem fecit.

### BRASAVOLVS.

Breuibus à Galeno notatur idiotas, medicos illos cognoscere nescire, qui quantum ad hos acutos & perniciosos morbos attinet, ab illis differunt qui rem perfectius attigisse videntur. hic vero acutos itelligit, de quibus superius mentionẽ fecerat.

## Hippocrates. Sectio XI.

**Aliaq; auxilia magis laudant, vituperantq;.**

### BRASAVOLVS.

Idiotæ ipsi neque probos medicos, neque proba noscunt præsidia. nam praua laudant, & proba vitio vertunt. itaque in medicis ipsis, & in præsidijs errare dignoscũtur. At inquies in præsidijs quomodo errare possunt, cum sensu videantur vel proficere, vel obesse præsidia? Scito & ignaros fortuna duce nonnunquã ægros sanitati restituere, & præsidium qđ conueniet fieri cõtigere, tñ neq; rõne paratũ erit, neq; ut cõueniebat exhibitum. vñ etsi ignarum vulgus cognoscat medicum hunc

præsidia

præsidia afferre, & illum quoque afferre, nescit tamen iudicio percipere, an præsidia hæc sint conuenienter exhibita.

ἑτέρων τε ὄντως μᾶλλον ἐπαινέονται ἰημάτων καὶ ψέγεται εἶναι. idest, Aliaq; auxilia magis laudant, & vituperant scilicet idiotæ, quia recta præsidia spernunt, & praua, ex eorum iudiciorum vanitate, & inconstantia probant.

GALENVS.

Neque conuenientes, neque laudabiles curationes dignoscere ait idiotas, sed alias magis. Quo fit vt illi nequaquã recte laudent culpentve. Deinceps tanquam eorum quæ dixit demonstrationem adiiciens, hæc scribit.

BRASAVOLVS.

Idiotæ & ignarum vulgus conuenientes curationes, et laudabiles non agnoscunt, sed inconuenientes potius & illaudabiles sequuntur, vnde vel laudari, vel vituperio affici recte non possunt. At inquies, quare non culpandi si errore ducuntur é scito Galenum illos laudare non posse cum errent, & nullus ex errore laude dignus est, non potest etiam digne culpare, qa vulgus sunt, & idiotæ, quos non conuenit ex ignorantia culpare, cum illud sit eorum proprium, nempe idiotæ non fuissent, si recte iudicassent, & ratione non à casu, cum idiota possit nonnunquam forte fortuna recte iudicare. At hæc Hippocratis dicta vera esse, in demonstratione quæ in sequenti sententia adiicietur, ostendet.

Hippocrates. Sectio XII.

Magnum autem rei argumentum q vulgus morbos huiusmodi sanationemq; vtpote rude plane ignoret, est hoc. nempe qui medici non sunt, medici esse ob huiuscemodi morbos videntur, facile siquidem nomina discuntur quę apud ægros vsui esse existimata sunt. Si enim quispiam ptisanę cremorem, vinumq; hoc vel illud, & melicratum nominauerit, referre omnia eadẽ medici tum boni tum mali plebeiis huiusmodi videntur, sed res ipsa secus habet. Nempe hi quantum ad hæc attinet, supra modum inter se differunt.

BRASAVOLVS.

Hippocrates argumento quodam ab experientia sumpto idiotas imperitis medicis potius quàm peritis, & prauis præsidiis potius quàm rectis credere suadet, et hoc egregie exponit, ex re quam in quotidiano exercitio cõtingere videmus. en inquit Hippocrates, argumentum quod vulgus vtpote rude & insanum, & morbos ac sanationes ignorans recipit, imo ob ea quæ dicentur, illi qui non sunt medici, medici esse videbũtur, ob hos. s. acutos morbos & σποράδας, nam aliqui sunt rei medicæ ignari, tamen nomina addiscunt, quibus veri medici in ægritudinibus vtũtur. facileq; est hæc nomina addiscere. cum vero aliqui ignari medici his nominibus vtuntur, vulgus illos medicos optimos esse arbitratur. nam plebeii cum aliquẽ audiunt ptisanam nominantem, aut hoc vel illud vinũ, aut melicratum, aut aliud medicamentum, statim hunc esse medicum putant, & egregium medicum, cum illa nomina referat, quibus etiam probi medici vtuntur, res tamen secus habet, nam & hi scilicet praui & probi medici, quantum ad hæc quæ nominant plurimum differunt. Adde aliud ignaros medicos pręstare se idiotis faciliores, cum illis ludunt, prandent, iocantur, clysteria imponunt, neque artem magnifaciunt, imo ob illos plerunq; despectui videntur, tamen ob hæc libentius ab idiotis vocantur.

ἐπεί τοι μέγα σημεῖον τόδε, ὅτι οἱ μὲν δημόται ἀξυνετώτατοι αὐτοὶ ἑωυτῶν περὶ τουτέων νοσημάτων εἰσὶν ὥστε μαθεῖν τίνα ἐστί. i. Hoc vero magnum signum est, quòd populares vtpote rudes tales morbos & sanationem ignorent. causa vero, cur ignorent, illa est quæ sequitur.

οἱ γὰρ μὴ ἰητροὶ, ἰητροὶ δοκέουσιν εἶναι. i. Nam qui medici non sunt, medici esse videntur. At si petas quomodo popularium iudicium tam supine decipi possit, vt illum medicum esse putet qui medicus non sit, historiam audito, quæ tuæ petitioni satisfaciet. nonnunquam in Ferrariensi foro circulator quidam penitus ignarus omnibus futuram sanitatem promittebat, et de quibusdam morbis mentionem fecerat, idiota quidam morbos illos audiens, statim putauit hunc egregiũ esse medicum vt eius vxorem sanaret, itaq; illum accuit & domũ versus ducebat, eram ego, & alij non pauci in pharmacopolio pro insigni columnam habente simulq; aderat excellens Leonardus bonus vir apprime facetus, qui plebeij circulatorem ducentis amicus erat, tunc bonus plebeium coarguit, qui circulatorem vocasset, cum tot sint Ferrarię probi medici. At plebeius statim respondit, hunc circulatorem vxoris suæ morbum recensuisse, & se illam sanaturum spopondisse, tunc Leonardus illi suadebat, credenda non esse quæ à talibus viris referuntur. At plebeius respondebat id non posse non credere, cum dixerit se & scire sanare, & posse vxoris suæ morbũ, addebatq; se nunquam dicturum, quod soleas uel calceos conficere sciret, cum id nesciat. Vides igitur quomodo ex solis verbis populares hic non medicum, medicum esse iudicauit.

Verũtamen dicere poteris & vulgi iudicium & popularium nonnunquam esse verum, imo & in rei probabilis definitione adest, quod omnibus videatur, aut pluribus, aut sapientibus, constat vero omnes & plures non esse sapientes. Adde & Aristotelem in septimo Ethicorum scriptum reliquisse id quod à multis populis proditur, non esse omnino vanũ, & Auerrois censuit quod omnibus videtur, non esse penitus falsum, igitur idiotarum iudicium penitus despiciendum non erit. Respondemus in generalibus & vniuersalibus propositionibus popularium iudicium plerũq; verum inuenitur, vel uero proximum, in rebus vero particularibus raro verum est, quippe vulgus nouit hominem pium esse bonum, hominem iustum esse bonum. At si ad singularia descenderis, ignorat an hic sit iustus vel pius, & an ille. Itaq; circa particularia decipitur. Si ad rem propositam exemplum hoc deducere velimus, idiotæ vel maior eorum pars omnino scit, illum esse medicum qui medicamentis vtitur quando opus est, cui opus est, quantum opus, et quale opus est. verum si ad hunc vel illum qui sit medicus particulariter descendat, decipitur, quia & prauus medicus dat ptisanam & melicraton, & peplion nominat, ac colocynthida. At idiotæ discernere nesciunt an hæc data sint quando oportet, cui, quantum & quale oporteat. Verum inquies, imo hoc scire, quoniam videt hos sanari, illos mori. Dicimus nonnunquam ex vi morbi contingere ægrũ mori probo medico omnia circa eum recte agente, & e contrario in natura forti malo medico male etiã properante, ægrum superuiuere. Alii uolunt duplex esse iudicium, rationale, & extimatiuum, rationali iudicio ignari & idiotæ probos medicos à prauis distinguere nesciunt, at iudicio extimatiuo idiota verum dicere potest, sed & hæc sententia vana videtur, quippe & extimatiuum iudicium aliquid exigit, quod in vulgo nõ est, propterea ratione hoc discernendum, at ratione caret vulgus, ideo non mirum si & in hoc & in aliis multis aberret. Quæ vero ex Aristotele ac reliquis dicta recipiuntur, talia non sunt, vt vulgi iudicium vere comprobent, sed solum dicta sunt, vt notent non esse penitus falsum, quod ab omnibus vno consensu & publicitus receptum sit.

μάλιστα διὰ ταύτας τὰς νούσους. idest præsertim ob hos morbos, illi qui non sunt medici, medici esse creduntur, potissimum vero ob hos morbos acutos, scilicet et σποράδας. idest sparsos & diuersos, hi enim morbi cum aliis frequẽtiores sint, nomina habent, & in ipsis, & in curatione, quæ omnibus nota sunt.

ῥᾴδιον γὰρ τὰ οὐνόματα ἐκμαθεῖν ἐστιν, ὁκοῖα νενόμισται προσφέρεσθαι πρὸς τοὺς τὰ τοιάδε κάμνοντας.i. facile enim est nomina addiscere quæ apud ægros vsui esse existimata sunt, idq; praui medici faciunt, nomina addiscunt, illaq; in vulgus proferunt, alta voce intonantes, da huic ptisanam, illi melicratum, aut aliud quoddam medicamentosum, ob quorum nominum sonum vulgus hunc esse medicum arbitratur, cum & probi medici eisdem nominibus vtantur.

ἅπαντα τοῖσι δημότῃσι δοκέουσι, οἱ ἰητροὶ τὰ αὐτὰ λέγειν οἵ τε βελτίους, καὶ οἱ χείρους.i. Omnia hæc plebeis dicere videntur medici tum boni, tum praui.i. quia & boni & praui eisdẽ vtuntur noībus, & in ægritudinibus, & in præsidiis.

τὰ δὲ οὐχ οὕτως ἔχει.i. Res autem non sic se habet, nam et si eisdem nominibus vtantur, tamen diuersus est rerum significatarum in bono medico & in prauo vsus.

ἀλλὰ ἐν τουτέοισι δὴ καὶ πάνυ μέγα διαφέρουσιν ἕτεροι ἑτέρων.i. Sed in his alij ab alijs plurimum differunt, mali etenim medici illis vti nesciunt, quando, quibus, & quomodo, quod boni medici facere sciunt, imo & hoc non cum pauca difficultate, & non sine sedulo studio.

**GALENVS.** Quòd materiis huiusmodi eorũ quæ ad victus rationem spectant, medici vtantur tum boni, tum mali: ob id quisnam melior sit, dignoscere nequeunt idiotæ: vtpote qui discernere non possint quinam opportune & debito modo præsidiorum materias ægris administrent, & quinam citra hæc. Hipocrates autem vbi in præsentiarum secũdum præfiniuit procœmium, à consequentibus in oratione præsenti exorditur.

**BRASAVOLVS.** Primo Galenus docet idiotas cognoscere nõ posse quisnã probus sit medicus et quis malus, quia tam probi q̃ mali medici eisdem materiebus & eisdẽ cibis vtuntur. nullusq; in hoc ab alio differt, nam & probi & mali ptisana vtuntur, melicratò, hoc vel illo vino. causa vero cur discernere nequeant, hæc est, quia probi medici hæc tempestiue, mali intempestiue exhibent, ignari vero discernere nesciunt quinam tempestiue, & qui tempestiue iis vtuntur vbi legitur & debito modo, adest ποσότητος secundum debitam quantitatem, nam praui medici exhibent secundum quãcunq; quantitatem, probi vero in debita quantitate, & ἐν καιρῷ.i. In opportunitate, & conuenienti tempore.

Secundo Galenus docet Hippocratem in præsentiarũ secundum finire procœmium, in dictione præsenti id incipit qđ ad hæc duo consequitur, quippe constat procœmium hoc in tres partes distingui, vt Galenus in. 12. huius libri sectione edocebit, vel vnum sit procœmium in tres partes distinctũ, quæ partes procœmia tria nuncupãtur, in prima parte in Cnidios medicos inuehitur. In secunda ad exercitationem curandorum acutorum morborum se conuertit. In tertia parte quę sequitur de victus præscriptione in morbis acutis agit.

## Hippocrates. Sectio XIII.

Digna autem scribi mihi maxime videntur quæ quãquam medicis vtilia existant, tamen ignorantur. quæ inquam insignes profectus, & insignes offensas adferunt. Quæ autem ignorantur, hæc sunt. Cur in acutis morbis medici quidam ptisanas non colatas perpetuo exhibeant, & recte curare se existiment. alii omnino contendant, hordeum, vt nullum æger voret, subsequuturã inde quæ insignis sit, offensam veriti, sed cremorem linteo colatum porrigant. Alii vero neque crassam ptisanam, neque cremorem exhibeant, atq; ex his quidam quoad æger ad septimam vsque peruenerit diem, alii perpetuo donec morbus iudicatus fuerit.

## BRASAVOLVS.

Hæc est tertij procœmij pars, quam & procœmium tertium superius vocauit Galenus, &. 13. huius libri sectione vocabit, in qua Hippocrates ea quæ acturus est in hac de acutorũ morborũ inuestigatione proponit, ac simul quæstiones aliquas ab anòquis ignoratas recenset, quæ tamen de rebus maximis in medica facultate existunt. propterea inquit illa sibi digna videri, vt scribantur, quæ cũq; medicis vtilia sunt, tamen ignorantur, non quidem à vulgaribus tantum, sed & ab ipsis medicis nesciuntur, cumq; nesciantur, insignia nocumẽta inducere possunt. Sicq; sciantur, insignes profectus facere nulli dubium est. Si vero petas quæ nam hæc sint quæ ignorantur, Hippocrates inquit esse, causam scire ob quam nonnulli medici in morbis acutis ptisanas non colatas semper exhibeant, tamen se recte curare putant. Alij è contrario contendunt nolentes ęgros hordeum aliquo modo esitare, quoniam inquiunt insignis offensa consequetur, inquiunt vero in his morbis colatus hordei cremor porrigi debet, nonnulli vero sunt ab his distincti, qui neque crassam ptisanam, neq; cremorem exhibent. hiq; distincti sunt, quoniam nonnulli hæc non exhibent nisi post septimum, alij non exhibent nisi post iudicationẽ, & si petieris qđ in hoc temporis spacio hi porrexerint, scito melicratum porrexisse, vel oxymeli, vel aquam, vel huiusmodi generis aliud, vt hac in parte quatuor diuersitates habeantur, quippe hi ptisanã semper præbebant, illi semper cremorem, alij nullum horum nisi post septimum, alij nullum horum nisi post iudicationem. Ex hoc autem harum difficultatum particulari exemplo, vt à Galeno notatur communis sermo edocetur, quem & logici, & philosophi, & medici vniuersalem sermonem vocare consueuerunt. scitoq; has controuersias non solum fuisse in acutis morbis, sed & in omnibus alijs. At Hippocrates præsentes cõtrouersias in morbis acutis, in his quæ sequuntur dissoluet, & rationem victus in acutis, atque alia ad curationem necessaria prosequetur.

δοκεῖ δέ μοι ἄξια γραφῆς εἶναι μάλιστα, ὁκόσα τε ἀκαταμάθητά ἐστι, τοῖς ἰητροῖσιν ἐπίκαιρα ἐόντα εἰδέναι.i. Mihi autem videtur digna maxime scribi, quæ ignorantur à medicis, quãuis scitu vtilia sint. Hippocrates iudicat hæc potissimum quæ à medicis ignorantur scribenda esse, non simpliciter ignorantur, quoniam & si vulgus, & hi qui non sunt medici ea ignorent, nihil referre putamus, sed à medicis ignorantur, quos hęc latere non deberent, hæc inquã digna sunt vt scribantur, quibus admoniti tandem resipiscunt, & ignorantiam suam deponant, & veritatis lumine accensi illustrentur.

καὶ ὁκόσα μεγάλας ὠφελείας φέρει, ἢ μεγάλας βλάβας.i. Et quæ magnas vtilitates adferunt, & magna nocumẽta, hoc vel ad superiora referatur, veluti dixerit, quæ scripturus est, digna vt sciantur. magnas afferre vtilitates, & noxas, vel distinguendum est, vt doceat quæ digna scitu iudicet, & quæ iuuare consueta sunt, vel lædere.

ἀκαταμάθητα οὖν καὶ τάδε ἐστίν.i. Et quæ ignorantur, hæc sunt videlicet quæ sequũtur, intellige vero hæc ignorari, quoniam re ipsa in ægritudinibus ita procedebant. At determinatum non erat, neq; statutum, an res eo modo constaret, & pręter hunc nullus alter esset conueniens modus.

διὰ τί ἄρα ἐν τῇσιν ὀξείῃσι νούσοισιν, οἱ μὲν τῶν ἰητρῶν, ἅπαντα τὸν αἰῶνα διατελέουσιν πτισάνας διδόντες ἀδιηθήτους, καὶ νομίζουσιν ὀρθῶς ἰητρεύειν. idest, Cur in acutis morbis nonnulli medici ptisanas non colatas perpetuo exhibeant, & recte sese curare existiment. Hæc vna est antiquorum opinio, & vsus in ægris, quos curare susceperant, nam absque aliquo temporis discrimine, aut intensionis, aut remissionis morbi ptisana colata semper vtebantur, putabantq; hanc perpetuo dandam, & esse veram victus rationem in acutis. tamen, vt suo videbitur loco hi supra modum errabant, nam in intensiori & remissiori morbi acutie, & in varijs morbi temporibus ratio habenda est.

οἱ δὲ

οἱ δὲ τοτὲ παρὰ παντὸς ποιέονται ὅπως κριθὴν μηδεμίην καταπίνῃ ὁ κάμνων, μεγάλην γὰρ βλάβην ἡγεῦνται εἶναι. ἀλλὰ δι' ὀθονίου τὸν χυλὸν ἠθέοντες, διδόασιν.i. Alij vero omnino cõtendunt, quod nullũ hordeum æger voret, nempe putant inde magnam offensam sequi, sed cremorem linteo percolantes porrigunt. & hi perpetuo hoc faciunt, per totũ scilicet morbi decursum, nec temporum diuersitates considerant, in quibus & augendum, & auferendum est in victu.

οἱ δ' αὖ τινες αὐτέων, οὐδ' ἂν πτισάνην παχεῖαν δοῖεν οὔτε χυλόν.i. Alij vero neque ptisanam crassam, neque cremorem dari volunt in morbo scilicet acuto, sed aquam, vel oxymeli dari iubent. hi vero tanquã à veritate seiuncti in duas partes distincti sunt, vt statim subsequetur.

οἱ μὲν μέχρις ἂν ἑβδομαῖος γένηται ὁ κάμνων.i. Et hi quidem quoad æger ad septimam peruenerit diem. Ex his qui negabant ptisanam colatam vel non colatam dandam, aliqui suam sententiam in toto morbi decursu non seruabant, sed post septimam diem colatam dabant, post vndecimam vel decimamquartam non colatam, vt à tenui ad crassius incederent. Vel aliqui etiam post septimam colatam præbebant, alij non colatam, vt multę fiant suis in medendi modis distinctiones & sectæ.

οἱ δὲ καὶ διὰ τέλεος ἄχρις ἂν κριθῇ ἡ νοῦσος.i. Alij perpetuo quoad morbus iudicatus fuerit, nolebãt hi ptisanã dãdam, vel colatam, vel non colatam, nisi in fine morbi, post iudicationẽ. At in morbi fine æger mentem curanti nõ adhibet, quippe incipit esse suæ sponte vir, medicique præcepta negligit. multi propterea reciduationes incidunt. At de colata ptisana & nõ colata, sectione decimaoctaua vbertim differemus: nunc ea præmittenda non sunt, quæ ad alium locũ spectare videntur.

## GALENVS.

Logicam magis speculationem sapere videtur quod ab Hippocrate in quæstionem disceptationemque ponitur: cum et sine huiusmodi speculationibus rectè sanare queamus Nẽpe morbos rectè sanare inest medicis ex faciendorum cognitione, & non ex causæ inuestigatione, ob quam sunt controuersi qui varias in huiusmodi morbis scripserunt curationes. Est vero secundum veritatem id non commodissimum modo, verum quoque & omnium primum, atque quæsitu necessarium, vt procedente exponã sermone: quòd enim quæstione dignum sit, quod proponit, & quo soluat modo, ante percurrere est melius. Quòd igitur quæstione dignum sit, hinc disces. Nam de philosophorum controuersia nullam habemus, quæ euidens sit, coniecturam. Neque enim si genitus mundus sit, neque si interitus conscius · neque si extra ipsum inane non sit, neque si infinitus · neque si is solus vnus sit, neque si plures · neque quot numero, si plures · neque horum multitudo incomprehensibilis sit, aut infinita · manifeste conìectari potest. Ad hunc sanè modum & de alijs multis que in philosophia quæruntur, nonnulla quidem iudicare prorsus nequimus, alia vero non sine magna contemplatione. Verum de ipsis quæ ægros iuuant, non similiter est. Nempe etsi ad ipsa inuenienda longo opus sit tempore, viroque à multis discrepante, quæ tamen sese reperisse quidam iactant, ea facilem habere iudicationem videbuntur. nempe si ægris quidẽ adhibita præsidium attulerint, laudare oportet atque agnoscere: si vero detrimento fuerint, vitare atque repellere. Quæ vero nihil auxilij vel offensæ effatu dignum præstiterint, in neutrius horum ratione censere conuenit. Sed sanè medicos ab euidenter offendentibus abhorrere oportet. Si ergo parũ exuperantibus insistãt, qui quouis modo ab initio sunt opinati, nihil mirum videri debet. In his vero quæ admodum recessesunt, atque vsqueadeo vt à quibusdam laudẽtur, ab alijs culpentur, admirari quispiam eos poterit, qui valde offendentia extollunt, vel eos qui vere iuuantia vituperant. Id sanè est qđ Hippocrates particulari vno exemplo proponit. Dictum autem & id, nec secus ipsius solutio, ab Erasistrato in primo libro de febribus, paucisque & euidenter: vtpote qui Hippocratem planè est secutus. Percurrẽs etenim in libro præfato medicos, eos qui aduersissimũ febrientibus uictum præscribunt, tum eos qui longis inedijs ægros ipsos conficiunt, tum Petronam ipsum, qui tum carnes tum vinum exhibebat: in textura sermonis hoc infert pacto. In multis igitur ualde magnis plagis decidebant: si autem febrientes omnes ex tali curationis modo male liberari essent · qui ita curabant, à curatione destitissent. Sed vt videtur non febribus omnibus opem fert is sanationis modus. Laudandi igitur cum Erasistratus, tum alii qui quæstionem hanc proposuerunt, & solutionem eius scripserunt: laudandus quoque & qui præ cæteris eam proposuit. Sciueris præterea & eam non magis de acutis morbis, quàm de aliis omnibus proponi, soluique: nempe responsio de omnibus communis est. Non enim in acutorum modo, verum quoque & morborum aliorum curatione cõtrouersi fuerunt medici · atque ob id longo tempore sua in cibi exhibendi regula permanent, quod nonnullos ab ea euidenter iuuari vident. In cæteris autem qui nihil inde auxilii recipiunt, cito quidem & ægros occulte aliquid deliquisse suspicantur: quanquam id non sit, sed quod retulit Hippocrates in libro de fracturis: vbi agens de his qui fracturas cum vulneribus perperam ligant, atque ob id lædunt, ait. Non enim deligationem causam esse existimant, sed aliud quoddam infortunium. Sic & eos in victus ratione opinari par est. Quod autem præsenti in oratione recẽsuit Hippocrates, id palàm est, vbi quis eam secum cogitans bis & ter legerit. Nempe ex particulari exemplo communem doceri sermonem comperiet: quem & vniuersalem vocare consueuerunt, non philosophi modo, verum quoque & propè omnes logicæ artis non imperiti. Erasistratus ergo aduersissimarum meminit victus rationum. Hippocrates vero relictis monstrosis alienisque, ad moderatiores se contulit. Monstrosæ etenim alienæque vere sunt, tum quæ per inediam fiunt summam, tum quæ per repletionem immoderatam, qua vtebatur Petronas. Moderatæ vero, quarum meminit Hippocrates in acutis morbis, ab insignibus exhibentur medicis. Quidam enim hordeaceam ptisanam in his administrant, alii cremorem duntaxat, alii ne hunc quidem in acutis morbis ante iudicationem, sed tempore interiacẽte solos exhibent potus, aquam, melicratumque, & si opus sit oxymeli. Cõtrouersiæ igitur causa est quam Hippocrates ipse in sequentibus exequetur, & quam ab Erasistrato in primo de febribus bene enunciari asserebam. Est autem ea, quòd aliqui solo ptisanæ cremore indigent, alii hordeacea ptisana, & alii horũ neutro, sed potibus solis ad iudicationem vsque feliciter seruantur. Demonstrabit autem in sequentibus quinam hordeacea indigent ptisana, & qui ptisanæ cremore, & qui neutro horum.

Primo Galenus id ferè reprehendere videtur quod ab Hippocrate propositum est. sed hoc data opera fecit, vt illud necessarium ferè esse ostenderet. propterea inquit, quod ab Hippocrate in disputationẽ proponitur, disputationem logicam, & non medicam sapere videtur: nam & his absque speculationibus recte sanare possumus: imo hæ dissertationes medicum impedire solent, ne cito in finẽ suum proficiscatur. morbos etenim recte sanare, ex cognitione eorum quæ fieri debent, medicis inest, & non per causæ inquisitionem, in qua illi inuicẽ dissentiunt, qui varias in acutis morbis scripsere curationes. tamẽ & si hæ quæstiones logicæ videantur, & per ipsas in curationem non descendamus, id tamen compertum est, illa quæ ab Hippocrate proposita sunt, non solum commodissimum est scire, sed & prima sunt & necessariissima quæsitu, ut deinceps ostendemus. Ne quis ergo existimare audeat quæ ab Hippocrate proposita sunt, inutilia esse, sed potius percurrendũ erit & probandum nihil aliud proposuisse Hippocratem, quàm quod q̃one dignum esset, & modum quo soluit speculatione dignũ esse. At cum Galenus in huius cõmentationis principio dixerit q̃ones has tractare ad logicũ pertinere & non ad medicum, nã & sine his curatiua ars edoceri põt, propterea Galeni solutio proposita cõueniens esse nõ videtur, cũ re vera curãdi BRASAVOLVS.

ars absq; his egregie addisci possit, neque quaestiones istas scire magni refert. Respondemus id penitus verum esse, verùntamen ad artem multum proficere nemo dubitabit, cum artifex non solum artem suam callere debeat, sed & aliorum errores circa eandem artem noscere debet, vt illos si contingat, reprehendere possit. vnde Aristoteles in primo Elenchorum libro, duo esse sapientis opera monet circa artem suam, vnum non mentiri in his rebus quae nouit, aliud scire ostendere & manifestare mentientem.

Secundo Galenus notat id quod ab Hippocrate propositum est, ob hoc quaestione dignum esse, quoniam de philosophiae controuersiis nullam habemus coniecturam quae euidens sit, vt sensu percipiatur, de qua experimentum habeamus, an ita sit, vel non sit, nemo enim coniecturam firmam habet, si mundus sit genitus, vel si sit interiturus, neq; si extra mundum non sit vacuum, neque si sit infinitus, neq; si sit vnus mundus, vel plures, & si plures sint, quot sint numero, neq; si sint in numero finito, vel infinito. Ad hunc modũ de aliis etiam multis philosophicis quaestionibus dicendum est, aliqua esse, quae prorsus iudicare nescimus, alia vero non sine magna contemplatione, verum nulla similia, vel coniectura, vel experimento, vel sensu accipimus. De rebus vero, quae aegros iuuant, disputare secus est, quoniam & si ad eorum inuentionem longo indigeant tempore. si quis tamen sit qui ab aliis discrepet, & nõ nulla se inuenisse fateatur, an verum dicat facile iudicari potest. Nam si haec aegro adhibita profuerint, laudanda sunt, & recipienda, si vero obfuerint, omittenda atq; repellenda, quę vero neq; multum laedunt, neq; multum prosunt, neutra censenda sunt. haecq; & sensibus & experimento percipiuntur, neq; sunt vti philosophica illa, quę suas habent ex speculatione & intellectu probationes, nihil vero sub sensum cadit, vnde inferre oportet, quaestiones has dignas esse vt proponantur, cum exquisite definiri & determinari possint, veritasq; facile percipitur, propterea medicus ab his probationibus refugere debet, quae per experimenta fiunt.

At inquies Aristotelem probasse mundum esse aeternum, & nunquam interiturum, idq; demonstrationibus effecisse. Respondemus & si id rationibus comprobauerit, quibus in intellectu repugnari non possit, nullus tamen est, qui idem possit sensu & experimento comprobare. Eodem modo probauit non esse vacuum extra mundum, tamen nullus hoc expertus est, & probauit vnum esse mundũ, & non plures, ille qui nunquam exiuerat hunc mundum in quo sumus. De his ergo philosophicis quaestionibus nihil certi habetur, quod afferri possit ex sensuali certitudine, & ea quae ex experimento sumi consueuit. Adde si quis in his quaestionibus vnam, vel alterã partem defendat, ex hoc neminem laedet, sibi ipsi quãcunq; partem animo infigens. At si quis medicam aliquam opinionem imbibat, quae falsa sit, hic multis obesse poterit, & multos ad tartara ducet, quod philosophicae quaestiones non faciunt, nisi dixeris & illas animae obesse, cum falsae sunt, & hominẽ ignorantiae morte detinere in his tamen nullus certus fieri potest, vt in medicis rebus contingit.

Tertio Galenus ferè infert, medicum ab euidenter offendentibus abstinere oportere, & illa tanquam venena euitare. At si illi, qui primas rerum opiniones recepere, parum exuperantibus vtantur, quae scilicet nec multum laedant, nec multũ prosint, mirum uideri non debet, si suas consecuti opiniones ab illis dimoueri noluerunt, cum errores planè non videantur, in his vero quae multum recedunt, & laedendo, vel iuuãdo multum exuperant, & in tali sint dispositione vt à quibusdam laudentur, ab aliis culpentur, tunc magnam admirationem sumere debemus de his qui valde offendentia extollunt, & de his qui valde iuuantia vitio vertunt. Et hoc profecto est, qđ Hippocrates in particulari exemplo proponit quia hi valde offendentia proponunt, neq; admoniti corriguntur, & hoc in particulari exemplo, quia in acutis solum morbis, tamẽ ex hoc uule sententiam hanc nos vniuersaliter intelligere, quoniam & in diuturnis erant morbis, & in aliis cuiuscunq; generis, illa exhibentes, quae euidenter offendunt, & quae euidẽter iuuant prohibentes. Erasistratus idem dixit in libro de febribus, & eadẽ solutione vsus est paucis & euidenter, ea vero ab Hippocrate accepit, nam Erasistratus in praedicto libro, & illorum medicorum sententiam adducit, qui contrariissimum victum praescribunt, & illorum qui longis inediis aegros conficiunt. Nam aliqui erant qui acuta febre deprehensos plene cibabant, vinumq; potui dabant, alii è contrario nihil aegro porrigebant, nisi ad transactum triduum, uel quatriduum, deinceps tenuissima quoq; afferebant, inter alios etenim medicos petronas et carnes & vinum in acutis febribus porrigebat, quę porrigi nõ debent, cum absq; periculo non sumantur. Erasistrati verba haec sunt, in multos igitur valde magnis planis decidebant. si autem febrientes omnes ex tali curationis modo male liberabantur, qui ita curabant, à curatione desistebant, sed vt videtur, is curationis modus omnibus febribus opem ferre nõ potest. vnde Galenus iudicat Erasistratum laudandum, & omnes alios qui quaestionem hanc praeposuere & solutionem addidere, & is quoq; laudandus est, & prae caeteris extollendus qui ante omnes illam proposuit, hic autem fuit Hippocrates, ideo & Hippocrates summe laudandus, nec quęstiones hae logicae sunt, vt in principio dictum est, sed ad rei medicae contẽplationem necessariae, & ad operũ in eadem arte executionẽ.

Quod legitur si autem febriẽtes omnes ex tali curationis modo male liberabantur, qui ita curabãt à curatione desistebãt, graece est, εἰ δὲ πάντες κακῶς ἐπηλλάττοντο πυρέττοντες ἐν τῇ τοιαύτῃ ἀγωγῇ τῆς θεραπείας, πεπαυμένοι ἂν ἦσαν τοῦ θεραπεύειν οἱ ἰατρεύοντες οὕτως. idest: si autem febrientes omnes in tali curationis modo male liberarentur, qui ita curabant, à curatione destitissent.

Fit mentio huius petronae apud Celsum libro tertio capite. 9. vbi de lenta febre agit, & pro ea tollenda vehementiorẽ morbum inducit, inquit Celsus eo in loco, neq; hercules ista curatio noua est, qua nunc quidam traditos sibi aegros, qui sub cautionibus medicis trahebantur, interdum contrariis remediis sanant. siquidem apud antiquos quoq; ante Herophilum & Erasistratum, maximeq; post Hippocratem, fuit Petro quidam, qui febricitantem hominem vbi acceperat, multis vestimẽtis operiebat, vt simul calorem ingentem, sitimq; excitaret, dein vbi paulum remitti coeperat febris, aquam frigidam potui dabat, ac si mouerat sudorem, explicuisse se aegrum indicabat, si non mouerat, plus etiam aquae frigidae ingerebat. et cum vomere cogebat, si alterato mõ febre liberauerat, protinus suillam assam, & vinum homini dabat, si non liberauerat, decoquebat aquam sale adiecto, eamq; bibere cogebat, ut mouendo ventrem purgaret, & intra haec omnis eius medicina erat. Haec Celsus de petrona, & eius curandi ratione.

Quarto Galenus notat hanc quaestionem non magis de acutis morbis, quàm de aliis proponi et solui, nam de omnibus est communis responsio, cum medici re vera non solum in acutis morbis, sed & in aliis omnibus in curatiõe diuersi sunt, atq; differentes, & ob hoc sua in sententia de exhibendo cibo longo tempore permanent, quoniam nonnullos vident euidenter in ea iuuari, sed in aliis in quibus nihil auxilii inde recipiunt, statim suspicantur aegros in aliquibus deliquisse, quãquã aegri ipsi non deliquerint. Vnde his similes sunt, de quibus Hippocrates in libro de fracturis mentionem facit, vbi de his agens qui fracturas cum vlceribus perperam ligant, & ob hunc causam eos laedunt quos ligant, inquit, Hi non putant deligationẽ esse laesionis causam, sed hoc cuidam infortunio attribuũt, vel quod hic membrum commouerit, vel alteri rei, idem his eueniunt, qui in victus ratione ita opinantur, nam cum errent ipsi, si quid incommodi contingat, aegro statim suadent, id ob victus rationem non contigisse, sed potius ob aliquod infortunium quod illi contigit, vel quia medico parere neglexit.

Quod legitur, cito quidem & aegros occulte aliquid deliquisse, legi debet forsan non cito. graece est τάχα.

Quod

Quod etiam legitur, vbi agens de his qui fracturas cum vulneribus perperam ligant, legi debet cum vlceribus, græce est τὰ μεθ' ἕλκεος.

Quod etiam legitur, sic et eos in uictus ratione opinari par est græce est οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν κατὰ δίαιταν εἰκὸς αὐτοὺς ὑπολαμβάνειν. i. Sic in iis quoque qui in victus ratione non iuuantur, eos opinari par est.

Quinto Galenus ad id quod ab Hippocrate nunc dicitur, verba conuertit inquiens, nunc manifestum esse, quod ab Hippocrate in præsentiarum dicitur, quando aliquis secum cogitans, & bis & ter eius contextum legerit. Nam hic inueniet ex exemplo particulari, in solis acutis morbis communem edoceri sermonem, quem non solum communem sermonem, sed et uniuersalem, non solum philosophi, verum & omnes etiam logici vocare consueuerunt. At existimandum non est, quæstiones hic ab Hippocrate propositas ad omnes morbos communes esse, sed tantum modi quæstionum, quia modi quæstionū sunt de ratione victus, quæ tam in acutis, quàm in diuturnis morbis varia inueniebatur.

Sexto Galenus infert Erasistratum aduersissimarum victus rationum, & ualde extremarum mentionem fecisse. At Hippocrates has victus rationes monstruosas esse existimans, & à ueritate alienas, illas reliquit, & ad moderatas victus rationes se contulit. Si vero petas quæ nam sint monstruosæ victus rationes, & alienæ, Galenus respondet illas esse quæ per extremam fiunt inediam, & per summam repletionem, qua vtebatur Petronas, qui vt ægris suis placeret, omnia porrigebat. Si vero petas quæ nam sint moderatæ victus rationes, illæ sunt, quæ ab insignibus exhibentur medicis in morbis acutis, nam alii exhibent hordeaceam ptisanam, alii solū cremorem, alii neque hæc exhibent in acutis morbis ante iudicationem, sed in interiacente tempore si indiguerint, solos exhibent potus, aquā, melicratum, & si opus sit, oxymeli. Causa igitur controuersiæ illa est, quam deinceps Hippocrates exequetur, & quam Galenus dicebat ab Erasistrato bene enūciari in libro de febribus. est vero controuersiæ illa causa, quòd aliqui solo ptisanæ cremore indigent. alii hordeacea ptisana, alii horum neutro, sed vsque ad iudicationem absque his feliciter seruantur, & si illos scire cupias, qui his indigent, & qui non, Galenus inquit Hippocratem in sequentibus demonstraturum esse, quinam hordeacea indigeāt ptisana, & qui ptisanæ cremore, & qui horum neutro, nos uero huc non afferemus ista, cum suo in loco tractanda sint, vbi de illis ample agere decreuimus.

## Hippocrates. Sectio XIIII.

Sane quæstiones huiusmodi proponere medici non consueuerunt, neque forsan si proponantur, soluuntur.

BRASAVOLVS. Hippocrates primus omnium fuit, qui prædictas quæstiones proposuit, vel qui prædictos variorum medicorum incessus in dubitationem vertit, nā vt inquit, medici tales quæstiones proponere non consueuerunt, imo id addendū est, si quis illas proposuerit, soluere nescirent.

μάλα μὲν οὖν οὐδὲ προβάλλεσθαι τὰ τοιαῦτα ζητήματα εἰθισμένοι εἰσὶν οἱ ἰητροί. i. Medici sanè quæstiones huiusmodi proponere non consueuerunt, nam opinionē illam sequuntur, quam imbibere, aliasque negligunt.

ἴσως δὲ οὐδὲ προβαλλόμενα εὑρίσκεται. i. Forte vero neque propositas soluerent, quia soluere nescirent.

GALENVS. Quòd primus Hippocrates quæstionem hanc proposuerit, soluerit que, ex hac notum euadit dictione. Neque enim, inquit, tales quæstiones proponi à medicis consueuerunt. Quòd si & eas quis fortassis proposuerit, solutio non reperietur.

BRASAVOLVS. Galenus ex hac sententia colligi docet, Hippocratem fuisse primum, qui & hanc quæstionē proposuerit, & soluerit, quoniam inquit à medicis non proponi tales quæstiones, imo si quis illas his proponeret, solutionem inuenire nescirent.

## Hippocrates. Sectio XV.

Calumniam vero vsque adeo grauem patitur apud vulgum ars tota, vt nullo pacto medicina esse videatur.

BRASAVOLVS. Tota ars medica ob hæc quæ vulgo nota sunt, apud ipsum calumniam adeo grauem patitur, vt non videatur esse medicina. nam uulgus uidens & intelligens has medicorum controuersias tam oppositas, videns & ob has errores contingere, hanc artem & falsam & nullius momēti esse iudicat, & quod medicina non sit, nec quisquam valeat, id vero contingit, quia medici sunt ignari, vnde & Hippocrates in libro de lege statim in carceribus inquit, artem medicam cunctis artibus præstare, sed eorum inscitia qui ea vtuntur, & eorum iudicio, qui de his omnibus non bene sentiunt, cūctis iam artibus inferior habetur. propterea medici concordes esse deberent, & incumbere solum, vt cæteris in veritate præstarent, neque vulgus inducerent ad iudicandū artem esse fallacē, & nullius momenti.

καί τοι διαβολήν γ' ἔχει ὅλη ἡ τέχνη πρὸς τῶν δημοτέων μεγάλην. i. Et tota ars apud populares, vsque adeo accusationē habet. nam vulgus & ignari omnes, tātas, tamque manifestas dissensiones videntes, de medicis male iudicant, illos vanos artifices esse putantes, & artem ipsam nullius esse momenti. propterea sequitur.

ὡς μηδὲ δοκεῖν ὅλως ἰητρικήν. i. vt ars medica nihil esse videatur. quia & in aliquibus codicibus legitur μηδέν, alii interpretantur, vt nullo pacto medicina esse videatur, Copus solū refert ad acutos morbos, vt quantum ad hos spectat, medicina nihil esse videatur, tamen nos simpliciter in omni medicæ rei parte intelligimus, quòd nihil esse videatur. i. nullius sit momenti ars hæc, & in qua actiones non ratione, sed casu fiant. At ambiges quomodo hoc sit popularibus notum, cum superius sectione. 10. dixerit idiotas eos discernere nescire qui bene vel male agunt. Respondemus hoc esse quidem verum, quando effectus non sequuntur manifeste praui, sed quando praui sequuntur, ab effectibus id cognoscunt, nam eos optime noscunt, qui in dandis medicamentis egregie aberrant. Adde & differentias noscere quas uerbis iactant, & publice profitētur. Forte & tibi mirum videbitur, si populares errores illos nouerant, cur medici & ipsi errorem suum non cognoscerent. Scito populares errorem illum non cognoscere nisi cōfuse, quia audit & inspicit inter hos medicos diuersitatem esse, nec etiā mirum, si cum medici essent, se errare ignorarēt, quia de primis erant medicæ rei inuentoribus, & forte exquisitam rationem, & exquisita experimenta non habebant, ars vero hæc ratione & experimento inuenta est, quorum vnum est periculosum, & aliud difficile. Sunt nonnulli recentes, qui in constellationes hoc referunt, nam à constellationibus detinentur, vt errorem suū corrigere nō possint, quæ dictu absurda sunt, et sine rōne.

GALENVS. Hac quoque in oratione ex particulari exemplo rem quandam uniuersalem docet. Nempe in primis qualemcunque ingredientium exercitationem controuersia, iustam ignorantiæ suspicionē ostendit. Secundo concordia ipsa, iustam magnāque cognitionis spem demonstrat, quod nimirum mathematicis disciplinis ualde contulit. Neque enim discipulos solum alliciunt credulosque reddunt: verum quoque & apud idiotas sese verissimas existimandas præstant. Mathematicis igitur demonstrationibus usos ait, qui euidenter quippiam & citra quamuis ambiguitatem demonstrauerunt. Sed controuersiæ rationem diligenter in sequenti oratione prosequitur.

BRASAVOLVS. Primo Galenus & hic docet in hac sententia ex particulari exemplo rem quandam vniuersalē edoceri, nam quod hic dicitur non solum in re medica, sed & omni alia in arte ac exer-

citatione verum est, quippe hominum diuersitas atque controuersia aliquam exercitationem artemq; ingredientium iustam suspicionem ignorantię semper ostendit, statim enim cum circa aliquas artes opifices dissentire videmus, eos vel ignaros esse iudicamus, vel artem ipsam non esse constantem.

Secundo per contrarium, ipsa authorum concordia magnam ac iustam cognitionis spem ostendit, vnde & illam artem constantem putamus, In qua artifices consentiunt, & illos artifices in illa arte prętantes, vt pote qui omnia perfecte calleant, vt dissentire non sit opus.

Tertio Galenus exemplo probat consensum in disciplinis, perfectionis & scientiæ & artificis argumentum præbere, exemplum vero est ex mathematicis disciplinis & demonstrationibus, hę nanq; ob suam certitudinem non solum discipulos alliciunt, & credulos faciunt, sed & ostendunt se esse verissimas apud idiotas.

Quod legitur mathematicis disciplinis, græce est ταῖς γραμμικαῖς ἀποδείξεσι.

Quarto Galenus infert illum vti mathematicis demonstrationibus qui aliquid euidenter demostrat, & citra omnem ambiguitatem. vnde dicere solemus ratio hæc mathematica est, idest certa & procul dubio facta. de ratione uero controuersię, in sequenti oratione Hippocrates loquetur.

### Hippocrates. Sectio XVI.

Quapropter acutissimis in morbis vsq; adeo dissentiunt inter se artifices, vt quæ alter porrigit optima esse existimans, ea alter mala esse putet. atque fere ob id vaticinationi, quam Græci μαντικὴν vocant, ars ipsa similis esse videatur, augures siquidem alitem eandem si ad sinistram volauerit, bonam faustamq; esse putant: si ad dextram, malam infaustamq;. Talia quoque in aruspicina, quam ἱεροσκοπίαν dicunt, videntur, alia in aliis, sed vaticinantium nonnulli contraria sentiunt. Dico autem speculationem hanc esse & pulcherrimam & germanam, propter quamplurima & commodissima quæ in arte comperiuntur.

**BRASAVOLVS.** Nunc cōtrouersiæ ratio ab Hippocrate ostēditur. medici & qui ante Hippocratem, & qui eius tempore artē exercebant, in acutis morbis adeo varij erant & inter se adeo dissentiebant, vt quę vnus ægris suis porrigebat bona esse putans eadē met ab alio praua esse putabantur. propterea ars hæc medica vaticinationi similis esse videtur illi inquā vaticinationi, quā Gręci μαντικὴν vocant. nam augurum doctrina est auem ad sinistram uolantem prauam & infaustam esse, ad dexteram bonā & faustam. alij tamē augures sunt, qui auē ad sinistram volantem bonam & fauste putāt, & quæ ad dexteram, malam & infaustam. ita hi in ciborum porrectione in morbis acutis bonos putant esse malos, & malos bonos. eadem & in aruspicina esse videntur, quam ἱεροσκοπίαν vocant, & alia in alijs similiter. tamen qui vaticinantur contraria sentiunt, ita hi in re medica contraria recipiūt. nos uero dicimus rem medicā pulcherrimā esse speculationem, & germanam, & hoc ob multa & cōmodissima, quæ in ipsa inueniuntur.

ὥς τ' ἔγγε τοῖς ὀξυτάτοις τῶν νοσημάτων τοσοῦτο διάφορον ἀλλήλοισιν οἱ χειρώνακτες, ὥστε ἃ ὁ ἕτερος προσφέρει ἡγεόμενος ἄριστα εἶναι, ταῦτα νομίζειν ἤδη τὸν ἕτερον κακὰ εἶναι. idest propterea in acutissimis morbis vsque adeo artifices inter se dissentiunt, vt quę alter porrigit optima esse putans hæc alter iam putet esse pessima. At hæc discordia & artificibus, & arti obest artificibus quidem, quoniā artis ignari existimantur, arti vero, quoniam incerta ob hoc creditur.

καὶ σχεδὸν κατά γε τοῦτο τὴν τέχνην φαίην ὁμοιοῦσθαι τῇ μαντικῇ. idest, & ferè ob hoc ars ipsa vaticinationis similis esse videtur. non quidem vaticinationi quia illi vaticinentur qui medicam artem exercent, sed in hoc cum vaticinandi arte similitudinem habet, quoniam vt hac in arte opifices dicunt inter se contraria, propterea à popularibus & idiotis deridentur, ita in re medica, & in acutis morbis contraria dicebāt, quę à popularibus deridebantur. vnde addit Hippocrates.

ὅτι καὶ οἱ μάντιες τὸν αὐτὸν ὄρνιθα, οἱ μὲν ἀριστερὸς εἶη ἀγαθὸν εἶναι νομίζουσιν, οἱ δὲ δεξιὸς κακόν. idest, Siquidem augures eandem auem si sinistra fuerit, bonam esse putant si vero dextera malam. cum tamen oppositum à regulis artis enunciatur, & multi dicant eandem auem sinistram et bonam, alij malam. Itaq; eadem in re diuersi sunt. vnde hæc ars ridicula euadit, & qui illam sequuntur ridiculi.

καὶ ἐν ἱεροσκοπίῃ δὲ τὰ τοιάδε. i. Et in aruspicina talia scilicet contingunt, quia exta inspicientes nonnulli bona putant, quæ mala sunt, & alii mala, quæ sunt bona.

ἄλλα ἐπ' ἄλλοισι. i. Alia in aliis, vel in aliis uaticinatorijs et alia dicunt & diuersa inter se, vel in ipsa adhuc aruspicina, alia in aliis dicuntur, vt in diuersis rebus diuersi sunt.

ἀλλ' ἔνιοι τῶν μάντιων τἀ ἐναντία τουτέων. i. Sed nonnulli vaticinantium horum contraria sentiunt, quàm ab aliis putentur, & quàm alij sentiant.

φημὶ δὲ πάγκαλον εἶναι τοῦτο τὸ σκέμμα, καὶ ἠδελφισμένον. idest, Dico autem hanc speculatiōem esse pulcherrimā & germanam .i. nos uero dicimus hanc speculatiouem vel de morbis acutis, vel vniuersalem de tota re medica, esse pulcherrimam, & tales in ipsa non coincidere difficultates quæ facile solui non possint & esse germanam .i. cognitionem quandam habere cum rebus quę in ipsa tractantur, & cum his quę ægris exhibentur, vnde Hippocrates statim edocet, in quibus hæc artis pulchritudo, honestas, atq; cognatio versentur, propterea addit.

τοῖσι πλείστοισι τῶν ἐν τῇ τέχνῃ καὶ ἐπικαιροτάτοισι. idest, Ob multa & commodissima quę in arte reperiuntur, ipsa pulcherrima est, honesta, atque germana.

**GALENVS.** Μαντικὴν appellauit Hippocrates οἰωνιστικὴν, ἱεροσκοπίαν uero ἑτέραν à plerisque appellatam quam uere etiam antiqui alii ἱεροσκοπίαν uocāt, quod ἱερεῖα, id est hostias inspiciētes qui in ea sciencia graues & prestantes sunt, ex ipsis uentura prænūcient: ἱερεῖα autē scimus appellari omnia quæ dijs ad honorē exhibemus, quales sunt quæ litantur uictimæ, quarum exta inspiciētes ἱεροσκόποι, id est aruspices prædicūt. Eos uero qui ex auiū uolatu augurantur, quos οἰωνιστὰς et οἰωνοσκόπους .i. aruspices appellant nunc μάντιες, idest augures appellauit Hippocrates: quanquam μάντιος nomen & μαντικῆς, de omnibus quæ ita prædicunt artibus proferatur. Nempe μάντιες vocantur, & ἱεροσκόποι & οἰωνισταὶ & qui appellantur γενεθλιακοὶ & qui per notas, & qui ex victimis futura prædicunt. Præterea & χρησμολόγοι, idest fatidici, & θεομάντεις, idest diuini uates. Sunt qui & ὀνειροπόλους, idest somniorum interpretes à poeta appellatos inter μάντεις, idest vaticinantes collocant. Sed constat Hippocratem solos οἰωνιστὰς appellare μάντεις, vt poeta appellauit. Nam is in plerisque sui operis poetici partibus οἰωνιστικὴν artem, venturorum prænotionem esse demonstrat: quo modo & in primo Iliados circa initia ait: ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν, ἢ ἱερῆα, ἢ καὶ ὀνειροπόλον, καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν. idest: Consulamus itaque augurem quempiam, aut aruspicem, aut somniorū interpretem nempe & ab Ioue ostenduntur insomnia. ἱερῆα quidem dicens, ἱεροσκόπον. ὀνειροπόλον vero qui circa somnia versatur. μάντιν autem οἰωνιστὴν, idest, augurem auspicemq;. Sæpius etenim in suo opere poetico huius meminit in maximis rebus, diuinandi etiam arte per alites usus. Sed forsan hæc & quàm decet plura de huius nominis μάντιος appellatione dicta à nobis sunt atque ob id ad quod dicitur transire

iam

iam est tempestiuum. Quod enim ait Hippocrates, tale est. Qui diuinatorias artes prosequũtur, in particularibus multis nihil minus quàm medici discordant. Vidi equidem aliquando augures in volatibus ipsis, quos dextros & sinistros memorauit Hippocrates, discordantes. Alter Arabs erat, alter Græcus, atque ex Asia nostra. Arabs dicebat: dextram alitem, laborantes mulieres seruare: sinistram, viros. Qui uero ex Asia nostra erat: dextram alitem in virorum morbis apparentem, interrogantibus ipsis si seruaretur, astruere interrogationẽ recensebat: sinistram vero denegare. Interrogabam præterea eos, si quomodocũq; volantem vel dextram vel sinistram alitem pollere eadem significandi facultate dicerent: nihilq; differre putarent, si aut celsissima, aut terræ propinquissima, aut media volaret. Et si media, an si propius vel celsissimam, vel infimam, vel adhuc inter has mediam. pari modo et si auis uel propinqua vel longinqua volaret, an ne in his nulla foret distinctio. Arabs, eas nihil ea, quæ uel in altitudinem vel longitudinem vel latitudinem esset distantia, discrepare respondebat: Græcus vero de symmetro distinguebat, dextro & sinistro: asserebatq; ab auguribus hæc scripta esse, atq; immoderatas distantias moderatis contrarias: testesq; in eam rem libros Apolletis, Athenæi, Chæremonis, Artemidori, Phocæ, atq; aliorum multorũ, qui in augurandi arte clari essent, proferebat. Deprehendi proculdubio Arabem & confusum et à distinguendi arte alienum: Græcum vero distincte loqui, & artificem esse. Nempe artis, quæ suorum theorematum iudicium per experimenta habet, dissidentia, ex distincta & indistincta rerum explicatione oritur. Quod ab Hippocrate edoctus, Græcum augurem in auium volatu artificiosum magis videri iudicaui: quippe qui & ex abundantia q; celebratissimos augurum testes exhiberet, fide dignus magis erat. Cum vero Arabs plurimos ægrotantium quibus vera prædixerat, testes citaret, succedentis vtplurimum euẽti subsecuti causam pronunciaui. Nempe si auis dextra moderate distans uiros seruat, immoderate vero distans fœminas: sint autẽ plures quæ immoderate distent, vna vero dũtaxat quæ moderate: iure quidem multis succedet ex animi sententia, paucis uero nõ succedet. Græcus autem alias adijciebat distinctiones: quibus etsi dextra auis immoderate distaret, interdum tamen seruandum virum laborantem declararet: nempe qui molle & muliebre studium exerceret, veluti & sacrificulum mulieris schemate seruari dicebat: rursumq; et id ab optimis scriptum esse auguribus demonstrabat. Adde quòd & alias quasdam adijciebat distinctiones, in quibus Arabs nihil intelligere videbatur. Retuli hæc propter sequentem dictionem, quam nemo conuenienter exposuit, sicuti neque eam quæ ante scripta est, vbi ait: Quæstiones sane huiusmodi proponere non consueuerunt medici, neque forsan si proponantur solui reperiũtur. Nam cum inquit græce τοιάδε latine huiusmodi, id est quę ita dissident, quidam de ptisana sola perperam intellexerunt: alij autem paulo his melius de victu acutorum, alij de omni simpliciter victu, alij vero de curatione vniuersa prioribus quidẽ melius, sed neque adhuc absolute. Causam autem totius dissidij quæsiuit Hippocrates in omni arte quæ experimentis iudicari possit. Quòd autem id ita habeat, manifeste per sequentem condisces orationem.

## BRASAVOLVS.

Primo Galenus duo illa nomina exponit, quibus in contextu Hippocrates vsus est μαντικὴ & ἱεροσκοπία, quippe μαντικὴ est οἰωνιστικὴ, i. vaticinatoria ars est auguratoria, & ἱεροσκοπία est θυτικὴ, i. aruspicina est ars vaticinandi, vt à plerisq; vocatur, & equidem nonnulli antiqui illam vere ita vocarunt ἱεροσκοπίαν, quoniam ἱερεῖα, i. hostias inspiciunt illi qui eã artem callent, nã per illas mactatas victimas futura prædicũt. Verum præterea est à Græcis ἱερεῖα appellari quæcunque dijs exhibentur ad honorem, vt victimæ sunt, quarum ἱεροσκόποι, i. aruspices exta contemplantes, futura prædicunt. At illi qui ex auium volatu prædicunt, οἰωνισταὶ & οἰωνόσκοποι, idest auspices vocantur. Hippocrates tamen in præsentiarum proprio vocabulo non est vsus, sed communi, quippe de aruspicina & οἰωνιστικὰ loqui volens, vsus est vocabulo μαντικῆς propterea hos in præsentiarum vocat μάντεις, i. augures. tamen si nomen μάντεως & μαντικῆς, i. vaticinatoris & vaticinatoriæ artis contemplemur, sunt cõmunia nomina ad omnes qui prædicunt quocunq; modo, & ad quascũq; artes prędictorias. cum ergo dicimus μάντιν, i. vaticinatorem, & μαντικὴν, i. artem vaticinandi, artes omnes vaticinandi intelligere possumus, vti sunt ἱεροσκόποι, i. aruspices, & οἰωνισταὶ, i. auspices, & γενεθλιακοὶ, i. diuinantes ex hominis natiuitate, & qui prædicunt futura διὰ συμβόλων, idest per notas, & qui prædicunt διὰ ἱερείων per victimas & χρησμολόγοι, i. fatidici & θεομάντεις, i. diuini vates, imo & nonnulli sub μάντεως, i. sub vaticinio complectuntur, & ὀνειροπόλους, i. somniorum interpretes, tamen Hippocrates in præsentiarum solos οἰωνιστὰς, i. auspices vocaut μάντεις, & pro his solis vsus est vocabulo μάντις, quod & Homerus pluribus in locis vsurpauit, qui οἰωνιστικὴν artem futurorum prænotionem esse ostendit, vt in primo Iliados circa initium fecit, cum inquit,

ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν, ἢ ἱερῆα,
ἢ καὶ ὀνειροπόλον, καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν,
ὅς κ' εἴποι ὅτι τόσσον ἐχώσατο Φοῖβος Ἀπόλλων,
εἴτ' ἄρ' ὅγ' εὐχωλῆς ἐπιμέμφεται, εἴθ' ἑκατόμβης,
αἴ κέν πως ἀρνῶν κνίσης αἰγῶν τε τελείων
βούλεται ἀντιάσας, ἡμῖν ἀπὸ λοιγὸν ἀμῦναι. hoc est,

Sed age iam aliquem vatem interrogemus, vel aruspicem,
Vel & somniorũ interpretem (etenim somniũ ex Ioue est)
Qui dicat cur tantum iratus est Phœbus Apollo,
Siue hic supplicationis accusat, siue hecatombes,
Si forte ouium nidorem caprarumq; perfectarum
Vult assecutus, nobis pestem auertere.

Est in decima concione, quã Achilles iussit, & alloquitur prædictis verbis Agamemnonem ob pestilentiam quę in Grecorum castra sæuiebat, ἱερῆα quidem ἱεροσκόπον, ὀνειροπόλον vero qui versatur circa somnia, at μάντιν intellexit οἰωνιστὴν, idest, augurem. in maximis rebus Homerus suo in opere poetico huius meminit, usus etiam arte diuinandi per alites, sed Galenus forte sibiipsi fastidio captus de huius nomis μάντεως appellatione, inquit plura quàm decet à nobis dicta sunt. propterea ad id quod dicitur regredi conueniens est.

Quod in commentationis principio legitur μαντικὴν appellauit Hippocrates, & οἰωνιστικὴν, coniunctio illa & vacat in grecis codicibus, neque vllo modo poni debet, legitur vero μαντικὴν μὲν ὀνόμασι τὴν οἰωνιστικήν.

Quod legitur & qui per notas futura prædicunt, in græcis codicibus habetur ita integre, καὶ οἱ διὰ συμβόλων, καὶ οἱ διὰ ἱερείων προλέγοντες τὰ ἐσόμενα.

Quod legitur sæpius etenim in suo opere poetico, huius meminit in maximis rebus, diuinandi etiam arte per alites vsus, græce est οὐ γὰρ δὴ παρέλιπεν αὐτὸν εἰς τὰ μέγιστα, πολλαχόθι τῆς ποιήσεως, καὶ τῇ περὶ τοὺς οἰωνοὺς τέχνῃ χρώμενος. idest. Neque enim hunc reliquit in maximis, cum multis in locis operis sui, arte quoque diuinandi per alites vtatur.

Secundo Galenus hac in parte ad Hippocratis intentionẽ descendit, qui in hunc modum exorditur, eos qui diuinatorias artes prosequuntur multis in particularibus rebus nihil minus dissidentes sunt, quàm medici ipsi, vnde & Galenus facit Hippocratem his diuinatorijs artibus, in dissensione authorum inter se medicam facultatem comparare, & casus quidam à Galeno refertur cui ipse interfuit, de duobus auguribus, qui ex dexteris & sinistris volatibus predicebant, unus erat Arabs, alter Grecus, et ex Asia Galeni, Arabs dicebat alitẽ dexteram mulieres laborantes seruare, sinistram vero viros. At Grecus dicebat alitem dexteram in virorum morbis apparẽtem, interrogantibus ipsis si seruarentur interrogationem astruere recẽsebat, sinistram vero denegare. At illos iterrogabat Galenus, si quomodocunq; volaret auis vel dextrorsum, vel sinistror-

sum, eandem significationem semper haberet, & nihil differre putarent, vel celsissime volaret, vel prope terram, vel mediũ locum seruans, & etiam an idem significaret quando propinqua est, & quando remota, an distinctionem aliquã haberent. tunc Arabs Galeno respondit, nihil differre, vel in altitudine, vel latitudine, vel longitudine esse auis, sed semper idẽ significare. At Græcus è contrario dissentiebat, & de symmetro distinguebat, & de dextero & sinistro. addebatq; hæc esse scripta ab auguribus, & immoderatas distantias esse moderatis contrarias, & ad hoc probandum adducebat testes libros Apolleris, Athenæi, Chæremonis, Artemidori, Phocæ, & aliorũ multorum, qui fuere in augurandi arte peritissimi. Ex his horũ virorum responsis Galenus deprehendit Arabem confusum esse, & distinguere nescire, artemq; non habere, sed Græcum & distinctum esse, & artem habere. Hicq; Galenus vniuersalem quandam regulam edocet, hanc scilicet artes, quæ p suorum theorematum, experimenta iudicium habent, si dissidentiam habent, illam ex distincta & indistincta rerum explicatione oriri, vnde & in re medica idem contingit, dissidentias fieri, quia non recte res explicantur. Hoc Galenus ab Hippocrate edoctus, iudicauit Græcum augurem in auium volatu esse valde artificiosum, nam ex abundantia celebratissimos augurum adducebat, vnde erat fidedignus. At Arabs nullas rationes & nullum authorem afferebat, sed testes citabat plures ægros, quibus futura prædixerat. propterea pronunciauit Galenus Arabem ex euentu ita succedente, contigisse, & non ex doctrina aliqua vera effari. nam si dextera auis moderate distãs viros saluari debere significat, immoderate vero distans fœminas, sint vero plures, quæ immoderate distent, vna vero sola moderate, iure quidem multis succedet ex animi sententia, paucis vero non succedet. Scitoq; Græcum illum alias addidisse distinctiones, vt si auis dextera immoderate distaret, tamen quandoq; virum saluari laborãtem. nam si homo sit qui molle & muliebre studiũ exerceat, hic saluabitur, quia est tanquam mulier, & etiam sacrificulus saluabitur schemate mulieris, qui enim vel mulieris naturam sapiunt, vel muliebres operationes exercent, inter normas mulierum in his computãtur. hicq; Græcus demonstrabat hæc esse dicta ab optimis auguribus. Addit præterea Galenus alias quasdã distinctiones hũc Græcum retulisse, in qbus Arabs nihil intelligere videbatur. Hinc collige, mollia & muliebria exercitia exercẽtes inter mulieres enumerari. De hac autem augurandi arte quid censendũ sit, forte dubitabis. Respondemus nos illam fuisse in maximo honore, apud antiquos, tamen nos illam & falsam & absurdã esse iudicamus, id tantum addemus ex auium volatu, ventum qui spiret prædici posse, & in aliquibus auibus de tẽporis constitutione futura prædici posse de rebus autem futuris, & circa humanas actiones, & circa ægritudines absurdissima est ars, neque quicunq; volatus consideratione dignus est, sed is solũ, qui ad longinquas fit partes. nam auis supra arborem volans, & supra tectum, & in terram vt homines præsentes fugiat cõsideranda non est, sed volatus ij considerantur, cum auis in locum sibi statutum per aerem lateraliter volat, verum hisce de rebus in nostris magicis artibus egimus, vbi omnes vt digne erant, reprehendimus.

Vide quanti faciat Galenus sacrificulos, qui illos inter fœminas numerat, & secundum fœminarum schemata iudicat, verum pressius partem hanc considerans quæ dicit nempe qui molle & muliebre studium exercet veluti & sacrificulum, & græce est τὸ γὰρ μαλακὸν καὶ τὸ γυναικεῖον ἐπιτήδευμα μετιόντα, καθάπερ τὸν ἱερουργὸν, in suspicionem veni, vt id vocabulum ἱερουργὸν deprauatum esset, & legi deberet ἐριουργὸν. i. lanificum, hoc est eum qui lanas aptat, nam hic cum exerceat muliebre officium aptandi lanas, erit quoq; in mulierum schemate, & de sacrificulo nihil loquatur, & facile fuit, vnũ iota addidisse dictioni. Notaq; obseruationes istas in auspicijs fuisse antiquas apud Ethruscos, qui considerabant an ad læuã, an ad dexterã, an per cardines, an per limites decumanosq; aduolent, an præpetes, an oscines, an cliuinæ, an inebræ, an humiles, an pressæ, an concitatæ, an leuiori motu prouehantur, sed hæc omnia vana esse arbitramur, tamen ex aliquibus futura posse prædici non imus inficias, vt de stellis quę per imbres cadunt futura prædici notat Galenus in primo commentario in tertium epidemiorum sectione. 29. & in libro de præcognitione ad Posthumum (si Galeni sit is liber) artes vaticinatoriæ numerantur.

Tertio cum Galeno forte visum sit historiam prædictam ab Hippocratis expositione illum impedire, propterea cãm reddit, cur illam retulerit inquiens, ne admiratione afficiamini si historiam hanc retuli, quoniam id feci ob sententiam quæ sequitur, quam nemo conuenienter exposuit, sicuti neque illam in sectione. 14. superius dictam, vbi dicebat quæstiones sane huiusmodi proponere non consueuerunt medici. Neq; forsan si proponantur, solui reperiũtur, in hac enim sententia illa particula huiusmodi quæ græce est τοιάδε, vt hoc ferè modo dicatur, quæ ita dissident, hanc particulam nonnulli de sola ptisana intelligunt, & hi aberrant, alij vero de victu acutorum, qui paulo melius dixere quàm priores, alij de omni victu simpliciter intellexere, alij de curatione vniuersa, & hi quidẽ præcedentibus melius enunciarunt, tamen verum nõ simpliciter professi sunt. nam Hippocrates causam omnis dissidij, omni in arte quæsiuit, quæ experimentis iudicari possit. quòd autem res ita se habeãt, ex cõsequenti sentẽtia manifeste addisci põt.

## Hippocrates. Sectio XVII.

**Nempe & ægris omnibus ad sanitatem magnum quippiam potest, sanisq; ad securitatem, seseq; exercitantibus ad bonum habitum, atq; ad quod quilibet voluerit.**

BRASAVOLVS.

Superius Hippocrates testatus est, quæstiones quas proposuerat, medicis non esse consuetas, & si illis proponantur, forte dissoluere ignorabunt, Galenus ex hoc particulari de ptisana exemplo Hippocratem vniuersaliter intelligendũ esse censet, non quidem in sola ptisana, neque in sola victus ratione in morbis acutis, neque in sola victus rõne in omni morbo, neq; in sola simpliciter omnium morborum curatione, sed vniuersaliter intelligendum esse vult in omni etiam arte, quæ experimentis iudicari potest. censetq; Galenus, Hippocratem in præsentiarum hoc vniuersaliter ostendere. propterea inquit maxime facere omnibus ægris ad sanitatem, nempe illa scire ad sanandos ægros multum proficit, & magnum quiddam facit ad securitatem sanis, illos etenim cõseruat, & magnum quiddam facit exercitantibus se ad bonum habitum, & magnum quiddam facit ad id qđ quilibet voluerit scilicet in omni arte, quæ experimentis iudicari potest, hæ inquam sunt quæstiones vniuersales, quæ experientia indicante illa quæ pertractant, & hæc est totius dissidij causa, de qua Galenus secundum Hippocratem verba facit, & de qua superius dicebat, quod in arte quæ per experimenta suorum theorematum iudicium habet, dissidentia & differentia ex distincta & indistincta rerum explicatione oritur. antiqui in acutis morbis distinguere nesciebant, quando sit exhibenda ptisana, & quando non, & quando colata, & quando non colata, ex hoc in errorem incidebant. propterea artes distincte scire de quibus exercitium capimus ad ægrorum sanitatem prodest, & sanis ad securitatem, & exercentibus se ad bonum habitum, et in omni arte ad quod quilibet voluerit. Hæc est Hippocratis sententia apud Galenum. Nihil vero impedit, in re medica Hippocratem solum intelligere, quippe dixerat, speculationem hanc supple medicam de ptisanæ exhibitione, et de acutorum morborum curatione esse pulcherrimam & germanam ob multa quę in arte reperiũtur. En vero hęc multa, quę in arte reperiuntur, nam ęgris omnibus magnum quippiam facit ad securitatẽ, nam ex hac enim in sanitatem deducuntur, & recte inquit magnum quippiam,

quia

quia diaetetica magna est rei medicę pars, quae ad sanitatem producit. At sola ipsa satis non est, quoniam plerunque chirurgica ope indigemus, & pharmaceutica, haec praeterea sanis securitatem praestat, quoniam per victus rationem in eadem qua sunt sanitate seruantur, cum nulla re alia indigere videantur. & sese exercitantibus facit ad bonum habitum, quia exercitiũ appetentiam inducit, quam si quis per regulas rationis victus regere non ignorabit, bonum habitum faciet, & seruabit, & ad quod quilibet voluerit, proficit, in exercitationibus corporis, & in his quae ad considerationem humanã circa aegritudinem, & sanitatem praestant nihil impedit & hoc modo Hippocratẽ intelligere, tamen ne Galenum deserere videamur, vniuersaliter illum in omni arte intelligamus.

καὶ γὰρ τοῖς νοσέουσι πᾶσιν ἐς ὑγίειαν μέγα τι δύναται. i. & enim ęgris omnibus ad sanitatem magnum quid potest, scire distinguere, & explicare illa quę ad artem pertinent, vnde non de sola ptisana, neque solum de victus ratione acutorum neque de victus ratione omnium solum, sed de tota curatione intelligit, & non de curatione tantum, sed & de praeseruatione, ut statim admonebit.

καὶ τοῖς ὑγιαίνουσιν ἐς ἀσφαλείην. i. Et sanis ad securitatẽ, hęc non est curatiua, sed pręseruatiua artis pars, cum sani curatione non indigeant, sed in eodem in quo sunt, permanentia & perseuerantia, & non tantum ad haec ampliat, verum & ad exercitantium prouidentiam, qui ex hoc bonum habitum contrahunt. propterea inquit,

καὶ τοῖς ἀσκέουσιν ἐς εὐεξίην. i. Et exercitantibus ad bonum habitum, scilicet consequendum, quae omnia ad artẽ medicam spectare possunt. verũtamen, vt ostẽdat ad omnes etiã artes ampliari posse, quae experimentis discerni & explicari nihil impedit, addit.

καὶ ἐς ὅτι ἕκαστος ἐθέλει. idest, Et ad quod quilibet voluerit. hoc omni in alia arte intelligitur, vt in aruspicina, musica, rhetorica. Hippocrates vnam esse cõmunem causam controuersiae, quae in his artibus contingit, arbitratur, quãdo quis ex particulari vniuersale facit, vti medicus ex vno morbo acuto, quem curauerit ptisana, vniuersaliter omnem acutum morbum ptisana curandum voluerit.

**GALENUS.** Sermo praesens eos arguit qui Hippocratem existimãt praescriptam dictionem de ptisana sola proposuisse · eosque qui de victus ratione siue acutorum morborum, siue simpliciter vniuersa factum id putãt · pari modo & eos qui de curatione uniuersa problema esse existimauerunt. Nempe prior oratio quę ita habet · Nempe & aegris omnibus ad sanitatem magnum quippiam potest: eos arguit qui de ptisana, atque alios qui de sola uel acutorum uel morborum aliorum victus ratione antecedentem orationem esse opinantur. Neque enim aegri omnes à sola victus ratione curantur · cum multi sint, qui manuũ opera & medicamentorum administratione indigeant: adhuc autem magis neque à ptisana sola. Quapropter neque de sola in acutis morbis victus ratione, neque de ea quae simpliciter morborum est omnium, sermo Hippocrati existit · neque de sola ea quae ex his oritur controuersia · sed de omni simpliciter arte quae experimentis tum discerni, tum iudicari nata sit. Qui etenim communem vniuersalemque locũ sententiae quendam reperit, ex eo quae particularia sunt iudicat. Particulare autem vnum est, & quod de ptisana medicis in cõtrouersiam venit. sicuti & quod de victus ratione non acutorum modo, verum quoque & morborum aliorum · atque etiam quod generalius est, de curatione vniuersa · & quod adhuc hoc generalius vniuersaliusque est, de omni corporis prouidentia, & si sanorum ea fuerit. Nempe & hi ea indigent arte, non quae ad consequendam sanitatem praecepta tradat, sed ad praesentem conseruandam. Quod non praetermisit Hippocrates, cum inquit: Sanisque ad securitatem. Nempe vt talis seruetur, securitate est opus. Vtilem quoque ait esse speculationem & his qui exercitantur ad habitum bonum: Vt enim aegrorum curatio ea quae nunc ab Hippocrate proposita est, speculatione indiget · sic & sanorum securitas, ut praesens sanitas conseruetur · sic & sese exercitantium prouidentia, ut bonum habitum consequantur. Haec igitur omnia artis sunt. Sed quod serie continuata dicitur, ad omnem extenditur artem. Quidnam etenim est quod ait, Et ad quod quilibet uoluerit? Nempe augur, aruspex, musicus, rhetor, & artifex omnis. simpliciter causam eius quae in sua arte reperitur, controuersiae unam esse existimat · cum scilicet unusquisque ex particulari uniuersale facit. Ita sanè & in auguribus factam controuersiam deprehendi, cumque qui ueriora loqueretur iudicaui: atque ob id augurum memini Arabis & Graeci. Nempe artis omnis constitutio ex propriorum à cõmunibus distinctione oritur. Qui enim haec distinguere potest, is optimus censetur artifex. Vt autem constitutio, sic & iudicatio in distinctione substantiam habet. Nempe falluntur qui artes constituunt, cum quod cuipiam contigit, id uel in omnes uel in plures quàm opportet, extendunt. Quod si quidem nulli prorsus contigit, nemo id in tali arte persuadebit sibi uerum esse. Nam in hoc uere oritur controuersia · cum unusquisque rem sibi persuadet, non circa illud quod assumitur confingiturque contentiose litigans: quo modo nonnulli de quibusdam secus quàm sentiebant, fecerunt: quo modo & qui proponunt ambiguum esse, utrum uigilamus dormimusve, aut sapimus insanimusve. Quòd si manifestum esse id indulgeatur, utri sanè magis uera loquuntur ancepsin quiunt esse, an qui uigilant his qui dormiunt, uel quàm insanientes qui non insaniunt. Nullus siquidem qui sibi rem persuaserit, aut qui secum opinatus fuerit, ita sermones facit · sed qui contentiose litigat, secusque quàm sentiat facit. Quidam autem in arte medicinali res nouas quidem sunt aggressi, cũ rebus prioribus melius quippiam inuenire nequiuerunt. sed vulgi affectionem quam Hippocrates recensuit, intellexerũt. Nempe quod externum inusitatumque est, & nondum si vtile est intellectum, laudãt magis, quàm assuetum quod utile esse est cognitum. Sunt qui ob uictus suauissimi affirmationẽ persuadentes aegros alliciunt, doli uafritiaeque nõ ignari · sed id propter lucri gloriaeque cupiditatem aggrediuntur. Reiecta ergo ea quae verbis fit controuersia, quam viri huiusmodi inter se habent, quae secundum rei veritatem est controuersia · ea oritur quòd enunciatio nõ distinguatur, sed de pluribus quàm oportet, vel omnibus tanquam similiter habentibus efferatur. Atque ob id iuste laudandus uenit Hippocrates. qui de sola secundum rei veritatem meminit controuersia: quã qui artẽ constituere aliquã volunt patiuntur, cum secum fitque in anima differenter opinantur, & non verbis subdole simulatis id agũt ob gloriae vel lucri cupiditatem. Nullus enim qui animi consilia vere per experimenta iudicat, Petronae uictus rationem recipiet, carnes assas administrans, vinumque nigrum in his qui acuta laborant febre · neque in tanta siti ita temperans, ut cotulae aquae uigesimam porrigat partem. Talia siquidem diaetemata absurda sunt, duorumque alterum existit: nempe aut quod externa sunt, uafris ab hominibus exercitantur paranturque: aut summam propter admirationem id agunt, si planè soli ueritatem reperisse existimauerint. Quae uero ab Hippocrate scripta sunt · ea in prudentibus uiris qui uere artem constituere student, reperiri possunt: cum non maxima sit laesio, quando quibus non oportet offeruntur. Talia igitur distinctu difficilẽ habent eam quae experimentis conficitur iudicationẽ: quę aũt ualde differũt, facilẽ. Cõtrouersiã igitur in his, quae parũ inter se exuperant, iudicare · & quibusnam ptisana sola exhibenda in acutis morbis sit, & quibus hordeacea, & quibus nullo pacto id faciendum sit · sed potius solus ad iudicationem vsque porrigendus sit demonstrare Hippocratis intelligentia est dignum.

**BRASAVOLUS.** Primo Galenus docet ex hac sententia illos reprehendi qui putant Hippocratem praedictam sententiam, de ptisana sola proposuisse. Additque & eos reprehendi, qui de victus ratione, vel de victus ratione in acutis, vel simpliciter de omnibus illum intelligendum putant, illi quoque reprehenduntur, qui de

curatione vniuersa problema intelligi arbitrantur. vnde omnes ferè antiquorum expositiones in hac enucleanda sentētia reprehenduntur.

Secundo Galenus id quod dictum est per Hippocratis verba ita constare ostendit. Nam prima huius sententiæ pars, quæ dicit etenim & ægris omnibus ad sanitatē magnum quid potest, illos reprehendit, qui de sola prisana Hippocratem loqui censent, vel eos etiam qui de sola vel acutorum, vel morborū aliorum victus ratione antecedētem orationem intelligi. nam ægri omnes à sola victus ratione non curātur, cum multi chirurgica ope & pharmaceutica indigeant, vnde neque de sola prisana, neque de sola in acutis morbis victus ratione, neque de ea quæ simpliciter est omnium morborū intelligit Hippocrates neque de sola quæ circa hæc contingit controuersia, sed Hippocrates absolute & simpliciter de omni arte intelligit, quæ experimentis discerni possit & iudicari, nam qui commune & vniuersale iudicium reperit, ex eo quæ particularia sunt iudicat. Ac vnum hoc particulare est quod de prisana dicitur & apud medicos in controuersiam venit, sicuti & illud quod de victus ratione non solum acutorum, sed & aliorum morborum, imo & quod generalis de vniuersa curatione, particulare est, imo & quod isto generalius est de tota corporis prouidēntia etiam si fuerit sanorum particulare est, nam & hi ea indigent arte, nō quæ præcepta tradat ad consequēdam sanitatem, sed ad præsentem conseruandā, & hoc ab Hippocrate cōsideratum est, quando dicebat, sanisq; ad securitatem, nam vt talis seruetur, securitate est opus, addit & Hippocrates vtilem esse speculationē et his qui ad habitum bonū exercitantur, nam sicuti ea ęgrorum curatio, quę nunc ab Hippocrate proposita speculatione indiget ita & prouidentia exercitantium sese, vt bonum habitum consequatur, speculatione indiget, hęc omnia quę in Hippocratis sententia dicta sunt, ad artem pertinent.

Quod legitur, qui etenim cōmunem vniuersalemq; locum sententię quēdā reperit, gręce est ὁ γὰρ τὸ κοινὸν καὶ καθόλου κριτήριον εὑρών. i. qui & enim commune vniuersaleq; iudiciū reperit.

Tertio Galenus notat continuatam seriem ab Hippocrate positam ostendere in omni arte hoc intelligi oportere, adde quid est illud quod inquit, & ad quod quilibet voluerit ¢ Galenus exponit quid hoc sit, inquiens augur, musicus, rhetor, & quilibet artifex putat dissidij causam esse & controuersiæ sua in arte hanc vnam, cū .s. quisq; artifex ex particulari vniuersale facit. vnde in auguribus, de quibus in precedenti sententia mētio facta est, Galenus inquit, illo modo factam esse controuersiam, illamq; deprehendidit, nec non illum iudicauit qui veriora loqueretur. hęc causa fuit cur Galenus Arabis et Gręci augurum mentionem fecerit, nam omnis artis constitutio ex distinctione propriorum à communibus oritur, in omni etenim arte principia sunt vniuersalia, artifexq; eadē vniuersalia distinguit in partes, & ad particularia ac propria deuenit. imo illum optimū artificem esse iudicamus qui propria à communibus distinguere nouit, & qui ab vniuersalibus per determinata media in particularia, & illius artis propria descendit.

Cęterum vti se habet artis constitutio ex distinctione propriorum à communibus, ita iudicatio in distinctione substantiam & essentiam habere certum est, illi etenim falluntur, qui artes constituere volentes & in ordinem redigere ac formare, idq; quod alicui solum particulari contingit, vel in omnes, vel in plures q; oportet extendere nituntur. At si hoc nulli penitus contingat, nemo id in tali arte sibi persuadebit esse verum. & hæc est causa, in qua vere oritur controuersia, cum quispiam rem sibi persuadet, & res hęc circa id non sit quod assumitur & quod confingitur, & contentiose litigat, vt nonnulli fecere, de quibus secus q; sentirent, sicuti illi faciunt, qui preponunt, vtrum vigilamus an dormimus, aut sapimus an insanimus, nam si quis dicat id esse manifestum, statim asserunt ambiguū esse quinam horum vera loquatur, an qui vigilant his qui dormiunt, vel q; insanientes qui non insaniunt. At nullus qui sibi rem persuaserit, aut qui secum opinatus fuerit eo modo loquitur, sed is qui litigiose & cōtētiose litigat, ita loquitur, atq; aliter facit q; sentiat.

Quarto Galenus refert quosdam in facultate medica res nouas esse aggressos, cum rebus prioribus quidpiam melius inuenire nequiuerint, sed vulgi affectionem intellexere quam Hippocrates recensuit. nam id quod externum est & inusitatum & nondum intellectum si vtile sit, magis laudāt, q; assuetum & quod vtile esse notum est, quippe nonnulli sunt medici qui ægris victum suauissimū præbent, taleq; genus victus bonum esse suadent, quo ingenio ęgros alliciunt, & in sui amorem ducunt, tamen ipsi met conscij sunt, id verum non esse, neque suos ignorant dolos, & suam vafricam. hoc vero ob duo faciunt, & ob lucrum vt multos ęgros sub tutela habeant & ob gloriæ cupiditatem. sed de his nō loquitur Hippocrates, neq; de illorū controuersia, nam hos iudicat non esse medicos, sed deceptores, & sponte scientię corruptores. vnde hæc controuersia quę verbis fit, & non re ipsa, neque intentione quam hi viri inter se habēt, non est vera controuersia, sed potius subdola & deceptoria in verbis locutio, illa uero quę est vera controuersia ex re oritur, & non ex puris ac nudis verbis, ea enim est cum quis effert aliquid de pluribus q; oportet vel de omnibus quę sunt diuersa tanquam similiter se habent. ob hanc igitur causam Hippocrates iuste laudandus est, qui de sola secundum rei veritatem meminit controuersia, quam illi patiuntur, qui artem aliquam constituere volunt, quando secum & in sua anima differenter opinantur. hocq; vere credūt, non autem simulatis verbis subdole id agunt ob glorię, vel lucri cupiditatem, vt illi faciunt, qui id equidem sciunt quod agendum est, sed vt ægris morem gerant aliud verbis exprimūt, q; animo sentiant, & aliud etiam opere exequuntur. nam putant sua in anima acuto morbo laborātes esse tenui victu regendos, verbis autem, ægros suadēt esse plene cibandos, & id opere exequuntur, plures etiam non solum verbis, sed & opere ipso decipientes, & necantes.

Vbi legitur, quæ secundum rei veritatem est controuersia, ea oritur &c. illa particula ea debet in principio totius huius partis poni, vt hoc modo legatur, ea quæ secundum rei veritatem est controuersia, oritur &c. ita enim habet Græca series.

Quinto ad particulare propositum Galenus descendit, supponitq; se cum viris doctis acturū, & inquit nullum esse, qui vere animi consilia per experimenta iudicet, & Petronæ victus rationem recipiat, is enim Petronas assas carnes, & vinum nigrum acuta febre laborantibus administrabat, neque in tanta siti, quantam habent acuta febre laborantes, eos crucians, vt porrigeret partem vigesimam cotulæ aquæ.

Nota Galenū in acuta febre assas carnes prohibere, tum quia carnes prohibet, tum quia ob cocturam inflammatæ, & extrinseca saltem siccitate siccæ. Vinumq; nigrum prohibet velut id quod magis obstruit, cum in acuta febre aperientibus indigeamus. At hoc genus uictus Petronę, et similia absurda sunt, & duorum alterum ex his sequitur, aut propter externorū admirationem vafris ab hominibus meditata parataq; sunt hæc victus genera, aut summam propter temeritatem, nam volūt existimari soli veritatis inuentores.

Quod legitur neque in tanta siti ita tēperans vt cotylæ aquæ vigesimam porrigat partem, Græce est ὥσπερ δὲ οὐδὲ δίψει τοσαύτῃ κολάζων, αὐτοῖς ὡς κοτύλης ὕδατος εἰκοστὸν μέρος δίδωσι. i. Sicuti neque tanta siti eos crucians, ut cotulæ aquæ vigesimam porrigat partem.

Quod etiam legitur, duorumq; alterū existit, nēpe aut quod externa sunt, vafris ab hominibus exercitantur paranturq;, aut summam propter admirationem id agunt, græce est καὶ δυοῖν θάτερον, ἢ διὰ τὸ ξυνετῶς ἐπιτηδεύσματα πανούργων ἀνθρώπων, ἢ δι' ἐμπληξίαν ἐσχάτην. i. Duorumq; alterum, aut propter externorum admirationem vafris ab hominibus meditata parataq;, aut summam propter temeritatem &c.

Denique Galenus ad Hippocratem redijt, qui summus in his rebus artifex existimatur. Propterea omnia illa quæ ab Hippocrate scripta sunt, iuste scripta esse & sine fraude censendū est, nam omnia in viris prudentibus reperiri pōt, qui artem uere

constituere

constituere studẽt, etiã in his in quibus non est maxima læsio, quã offeruntur illis in quibus non oportet, hęc.n.sunt in arte difficilima quæ non multum lędunt exhibita, & non conueniũt, vnde talia vt distinguantur, illam difficilem habent quæ experimentis conficitur, iudicationem. Illa vero quæ valde differunt, & quæ præter tempus & occasionem exhibita manifestam læsionem ostendunt, illa inquam facile cognoscuntur. propterea in his quæ parum exuperant controuersiam iudicare, & in quibus acutis morbis pisana exhibẽda sit sola, et quibus hordeacea, & quibus nullo pacto sit danda pisana, sed solus potus sit vsque ad iudicationem dandus demonstrare, Hippocratis intelligentia dignum est, imo & ipse Hippocrates omnia ostendet, & canones, quibus omnia hæc facile intelligantur, præstabit, hæc enim illa sunt, quæ & controuersiam faciunt, & consideratu digna sunt, & in nudis verbis nõ est ipsa controuersia, sed & in re ipsa, quando de his agitur quorum sensatum exemplum parum exuperat, vt si quis cibus exhibeatur, qui tamen non conueniat, sed in re ipsa nihil molesti agat essatu dignum. In his vero, quæ læsionem miram faciunt, & euidentem, iudicare facile est.

## Hippocrates. Sectio XVIII.

Pisana igitur frumentaceis gustamentis recte præferri mihi videtur in acutis morbis: eosq; qui eam prætulerunt, laudo. Nempe viscositas eius leuis, continua, iucunda, lubrica, & mediocriter humens, sitim minime infert, & si quid ablui eget, probe abluit. Non astrigit, non male turbat, neq; in ventre tumescit. Nempe inter coquẽdum quoad maxime potuit intumuit.

## BRASAVOLVS.

Tribus expeditis secundũ Galenum huius libri procemijs, ad rem ipsam, de qua acturus est, peragendã descendit Hippocrates. primo de pisana agens, vbi & naturam eius ostendit, & quibus conueniat, edocet. Primoq; illos non mediocriter laudat, qui pisanam in morbis acutis omnibus alijs frumentacijs edulijs prætulere, cuius sententiæ rationem reddit, quoniam pisanæ viscositas ( quam viscositatem omnia habent in genere frumentacea eduha ) leuis est, continua, iocunda, lubrica, & mediocriter humens. Aliaq; frumentacea sitim inferunt, pisana vero sitim non infert, & si quid in humano corpore ablui debeat, à pisana probe abluitur, non adstringit, non male turbat, neque in ventre tumescit, vt alia faciunt frumentacea. & si petas cur hoc non faciat, statim respondet Hippocrates, non intumescit inquam, quoniam inter coquendum, quoad maxime fieri potuit, intumuit.

Priusquam vero singulas huius sententiæ particulas interpretemur, ab re non erit de pisana nonnihil agere, & experiri, an exacte exequi possimus quomodo conficeretur antiquitus, & quæ pisanæ nomine intelligerentur.

Plinius libro decimo octauo capite septimo, de pisana agens inquit, vnum laudibus eius librum dicauit Hippocrates. hoc à Plinio dictum esse arbitramur, ob antiquorum quorundam errorem, qui hunc librum de pisanę laudibus inscripsere, alij de pisana, tamen ( vt Galenus hic ostendit ) absurda est inscriptio, cũ multa alia in hoc libro scripta sint, quàm pisanæ laudes, imo ab Hippocrate nullæ aliæ pisanæ laudes scribũtur, quàm hæ quæ in præsenti sentẽtia legi possunt. En igitur quomodo hic liber de laudibus pisanæ sit, constat enim Hippocratem nullibi pisanam magis laudasse quàm in præsenti sententia. hocq; decem ferè versibus perficit, non enim amplius de eius agit laudibus, sed in hoc solum primo libro acutis ægritudinibus illam accommodat, & eorum temporibus. At ad rem nostram redeuntes dicimus.

Pisanæ nomine communiter genus pultis intelligitur, vel pulmenti, vel cibi, vel edulij, de quo antiqui mentionem fecere. At quomodo conficeretur, non edocent, & ex qua re particulari, nempe constat ex alia re fieri pisanam, quàm ex hordeo, quod ex multis authorum sententijs facile probari potest. Primo enim Dioscorides libro. 2. cap. 73. inquit, facit hordeacea pisana ad acrimonias omnes, faucium asperitates & exulcerationes, quibus & triticea accommodata est, maiore in nutriendo, & ad ciendam vrinam potestate, vt ex hoc loco videas, & triticeam pisanam apud antiquos in vsu fuisse, idem ex Galeno colligi posse videtur in præcedentis commẽtationis calce. vbi illa proponit, quę sunt enucleanda, et inquit et quibusnam pisana sola exhibenda in acutis morbis sit, & quibus hordeacea. quæ verba clare ostendunt aliam esse pisanam ab hordeacea, & Horatius sermone secũdo Satyra tertia inquit, quid cessas, age dum sume hoc pisanarium oryzæ, vas erat pisanam ex oryza confectam continens, quod ex Plinio astrui potest libro. 18. cap. 7. cum inquit, Italici quidem maxime oryza gaudent, ex qua pisanam conficiunt, quam reliqui mortales ex hordeo, apud Hippocratem in libro de morbis reperitur πτισάνη πυρίνη. idest, pisana triticea, de qua & Aristoteles mentionem facit primo problematum libro problemate. 37. vbi quærit vtrum pisana hordeacea leuior sit, & ad morbos accommodatior quàm triticea. reperitur & apud Galenum in primo de alimẽtorum facultatibus ex chondro fieri pisanam, vocariq; χονδροπτισάνην è chondro farre confectam, quam in vsu esse pro pisana testatur. idem Galenus eodem citato libro phacoptisanin nominat. i. ex lente factam pisanam, quanquam dici possit hanc & ex pisana hordeacea fieri, atque lente. vt ex his facile colligi possit, pisanam & ex alijs rebus confectam esse quàm ex hordeo, imo & vocabulũ ipsum ex alijs rebus fieri posse ostẽdit, quippe pisana dicitur ἀπὸ τοῦ πτίσσειν. i. à pinsendo & excorticando. cum vero in omni farre, & legumine hoc fieri possit, propterea ex omni, pisana fieri poterit, tamen Italis potissimum Plinio teste oryzacea placebat. At quod à Plinio additur, cæteros mortales ex hordeo conficere, absurdum est, cum Hippocrates & πτισάνην πυρίνην, i. triticeam pisanam, & χονδροπτισάνην fieri edocuerit. Reperitur & apud authores mentio crudæ pisanæ, & coctæ. Cruda pisana erat hordeum, vel triticum, vel chondrus, vel lens, vel aliud genus farris pinsum & excorticatum, quod ita præparatum seruabatur ad vsus, simul vero cum seruabant, addebant parua frustula quæ decidebant, ut diutius seruaretur. qua de re deinceps agemus. Cocta vero pisana erat genus pultis. Scito præterea cum simpliciter de pisana sermo fit, de hordeacea intelligitur, & hic est apud authores intelligendi mos, potissimum apud medicos, quoniam hordeacea oẽs alias perfectione & bonitate excedit, quam nonnulli etiam Dæsauam et alij pisanam vocauere. vnde far, quo publice vtimur, & oryza sunt pisanæ crudæ, quia pinsendo glumis & corticibus liberata sunt, & seruantur ad vsus.

De pisanæ vero condiendæ modo, incerta videtur esse ratio, cum ab authoribus id neglectum sit, notissimam rem esse putantibus. vnde & Plin. cap. 7. 18. libri inquit pisanæ conficiendæ vulgata ratio est. ob hoc Plinius eius condituram describere neglexit, apud nos vero non solum non est uulgata ratio, sed & nomẽ hoc pisana adeo obsoletum est, vt nullus ferè intelligat quid hoc nomine vere significetur, imo multi aquam hordei vocatam hoc nomine intelligunt.

Vt igitur pisanæ cõdituram ex antiquioribus inueniamus. circũfertur liber Galeno adscriptus de pisana, qui etsi Galeni nõ sit, tamen est alicuius antiqui diligentis & probi. propterea ac si Galeni sit, recipiatur. nam & inde, & ex alijs Hippocratis & Galeni locis, eius confecturam elicere studebimus, cum uero dictum sit, pisanã & crudã esse, & coctã, coctamq; ex cruda fieri, et Galenũ in principio de alimẽtorũ facultatibus de cruda

ptisana mentionem fecisse. propterea de cruda ptisana ex hordeo primo loquamur.

Hordeum pro ptisana eligendũ est, quod neque antiquum sit, neq; recens, bñ conditũ, albissimũ, mundissimũ, hoc est apud Dioscoridem probissimum hordeum, & deinceps Hippocrates sectione vigesimaoctaua dicet hoc vocari quàm probissimum hordeum, in area sit egregie siccatum, & in horreo bene reconditum, hoc est, horreum sit bene dispositum. Mirandum est de quibusdam recentibus, qui fateantur nõ haberi bonum hordeum, quoniam apud nos est brutorum cibus, neque ptisanam nostro tempore fieri posse, cum non adsint coqui, qui illam parare nouerint, de hordeo vero cum sit brutorũ cibus, curam non exhibemus vel seminandi, vel colligendi, vel seruandi. At mire decipiuntur, cum tanta habeatur cura hordeo, quanta & tritico, & alijs cerealibus. propterea dicimus & verum hordeum nos habere, & optimum, ptisanamq; fieri posse non dubitamus, licet coqui non adsint, qui illam parare sciant, non enim res est tanti momenti vt facile addisci non possit. Hordei igitur selecta grana accipiantur, & cortice liberentur, ac glumis omnibus extrinsecis, id fit tundendo ligneo in mortario, & linteo perfricando, ne grana disrumpantur, & quod Galenus primo de alimentorum facultatibus dicit cum igne tundendam esse, intellige calefaciendam, & aqua etiam aspergendam, quanquam aliqui macerandam dicant. In ptisana igitur grana seruanda sunt integra, quoniam à Galeno dicitur, necesse est hordeum esse integrum, siccum, & plene coctum, est in libro de ptisana, quo in loco vult manibus fricandum, vt glumæ auferantur, quod indicium est, integrum esse oportere. Cum hordeum cortice liberatum erit, exiccari debet. postea iterum manibus aut linteo, aut re aspera perfricetur, ut intimus abeat cortex, & iterum exiccetur. Non debet vero hordeum in micas conteri, nam Galenus primo de alimentorum facultatibus Romanos coquos reprehendit, qui hordeum in mortario conterebant, ex quo conficienda erat ptisana, & licet dixerimus conterendum in mortario, addidimus ligneo, ne grana confringerentur, sed glumæ solum & cortices auferenda, quippe ex hac cõtusione parũ calefacientes, & aqua aspergentes cortex facile remouetur, cum ex sola frictione difficilimum sit illum auferre, imo cogeris bis madefacere hordeum & exiccare, si egregie à corticibus id liberare volueris. Cum igitur tunsum fuerit hordeum, & exiccatum, & liberum à corticibus, ptisana vocatur cruda apud Galenum in primo de alimentorum facultatibus, & apud alios omnes authores, & ita triticum, chondrus, lens, oryza, contusa, & à corticibus liberata sunt ptisanæ. Hic contundendi modus nomen præbuit his cerealibus hoc modo paratis, ex hac cruda ptisana, cocta ptisana conficitur. ex his statim error apparet multorum recentiorum medicorum, qui pro condienda ptisana, hordei farinã accipiendam iubent. Verum Galenus in libro de attenuante victus ratione, & in libro de cibis boni & mali succi, inquit, hordei farinam esse superfluicam & inflatiuam. At hi forte in nos insilient, & hordeum esse eiusdem naturæ nisi coquatur, idque ex coctione amittere. eodem pacto & farinam optime coquunt. propterea ex coctura si quid flatuosi habet, amittit, imo cum farina tenuior sit, ignis actionem facilius recipere potest, quàm hordeum, quod longe crassius est. Imo his dicendum, cum farinæ atomi ad minima ferè iungantur, & vnum sit statim ex tota ipsa corpus, difficilius est illã coquere quàm hordeum, cuius grana distincta sunt. Adde nos debere antiquiores imitari, qui integrum hordeum recepere, & adeo coquebant, vt non possent videri, vel secerni grana, sed omnia in vnum corpus erant redacta in pultis formam, indiget vero longa coctione. At inquies, cum occasiones in acutis morbis repentinæ sint, exhiberi non poterit, quia breui non paratur. Vnde occasio præbendi, quæ præceps est, interim pertransibit. Dicimus nos vno die pro alio parandam, & crudam seruandam ad hos vsus. Prima autem visitatione, & primo die, vel nihil dandum, vel aliud quid ex his quæ communiter dantur. nam nostro tempore non possunt ægri per multas cibationes absque cibis seruari. Iube vero prima visitatione, vt pro alijs diebus paretur. De hordei vero integritate extat & apud Arabes controuersia, quippe nonnulli volunt confractũ esse oportere hordeum, alij integrum. qui integrum hordeum sumendum censent, hi Galenum sequuntur, & antiquiores, ut Auenzoar in primo theisir tractatu. 16. capite. 6. qui inquit in unoquoque semine uirtutem esse naturalem antequam frangatur, & in frusta conteratur. unde hi à recto aberrant tramite, qui hordeum conterunt. Nam hordeum per hãc uirtutem quam habet integrum trahit ad se aquam, & illam alterat secundum eius integritatem. unde simile esse uidetur de hordeo confracto in confectione ptisanæ, & in seminatione, si confractum seminatur, nihil generat, quia uim illam genitiuã ex confractione amisit, integrum uero hordeum generat sibi simile in specie. idem contingit in ptisanæ confectione, hordeum confractum est ueluti mortuum, integrum ueluti uiuum. qđ uim suam toti compositioni distribuit, eandem sententiam. eandemq; rationem secutus est Auerrois in quinto collectionum libro, capite trigesimoprimo. Imo ut suam comprobet sententiam Auenzoaris authoritatem adducit. Alij Arabes, ut Isaac in dietis particularibus uolunt hordeum debere esse confractum, & Azarauius libro. 26. cap. 1. addit terẽdũ esse in mortario lapideo, quamuis Aliabas quinto theoricæ dicat moderate terendum esse. id forte facit, ut cortices solum auferantur, non ut grana confringantur. tamẽ hi omnes authores de aqua hordei loqui uidentur, & non de ptisana. At si intentionẽ illorum consideremus, de ptisana loquuntur, Auicenna & ipse in quarto canone, ubi canonem facit in dando in potu aquã hordei, & syrupum acetosum, iubet hordeum nõ solum in frusta, sed & in farinam conterendum, quãdo magis nutrire debeat, tamen de uera loquitur aqua hordei, in qua aliquid hordei uel farinæ coctum sit. Denique pro cõficienda cocta ptisana Galenum sequamur, qui hordeum accipit integrũ glumis solum & corticibus liberum. Auenzoar, Auerroisq; non solum Galenum sequuntur, sed & illum adducũt, quamuis de aqua hordei loqui uideantur. hordeum uero integrum esse oportere ex Hippocrate colligi potest, qui dicit intumuisse ptisanam quoad maxime potuit. & Galenus in libello de cibis boni & mali succi, inquit patere etiam poterit, illam quæ & celeriter turget probatissimam esse, uerum quæ turgent, sunt integra grana non frustula, quippe frustula non turgẽt. neque dicendum est esse totum confractum qđ turget, quia potius totum minuitur & densatur, ex hocq; Galeni loco colligi potest, hordeũ præparatum seruari ad ptisanam conficiendam, quod erat ptisana cruda, potest & ex Oribasio Sardiano colligi hordeum integrum esse debere, ubi tertio de confectione ciborum libro dicit, coquitur ergo quousque hordeum crepet, uerum si grana essent confracta, non posset expectari hæc in granis apertio. Constantinus Cæsar in secundo de Agricultura libro, capite 32. ex Didymi sententia hoc idem ostendit inquiens, hordeum purgatum ac decorticatum in sole siccato, rursusq; pistatum rursus ad solem siccato. ubi autem reponere ipsum uoles, id quod ex ipso tenue in pistando decessit, ei aspergito, hoc enim ipsum conseruat. quòd uero ptisana humidior accepta maxime nutriat, retulit Florentinus. Hæc Constantinus, è quibus uerbis & crudam ptisanam conficere docet, & quod grana sint integra, & quod conseruentur grana integra à partibus tenuibus, quæ in pistando decessere. Adest & alter eiusdem Constantini locus in libro de Agricultura tertio, capite nono, ubi agit de his quæ præparantur in mẽse Iunij, inquit πτισσάνης πάνσις ptisanæ confectio præparatio, κριθὴν βρέξαντες τρίψαι καὶ ἀποφλοιῶσαι, εἶτα ἀποτίθεσθαι οὕτω, παραμιγνύντες δὲ αὐτῇ τὸ λεπτὸν αὐτῆς. τηρεῖ γὰρ αὐτὴν, ὅτι ἡ πτισσάνη ὑγροτέρα λαμβανομένη τροφιμωτάτη ἐστί. ἔστω δὲ τὸ ὕδωρ διπλάσιον τοῦ τῶν κριθῶν μέτρου, κόπτεται δὲ ἄλλων ἀγρίων τις αὐτὸν

αὐτὴν ἐμπεπτομένην γίνεται δὲ ἐκ σίτου πτισσάνη ὁμοίως. idest, Hordeum maceratum pinsitur, & decorticatur, in soleq; siccatur, atque ita reponitur, inspergitur autem ipsi quod tenue est ex ro decussum, hoc enim ipsam conseruat, verum ptisana liquidior accepta maxime nutrit, sit autem aqua decupla hordei pars, tunditur sale non trito ad ipsam insperso, fit & ex frumento ptisana eodem planè modo. Ex his etiã Constantini verbis clare colligitur hordeum integrum esse ptisanam, & à Galeno vocari crudam ptisanam. Cum igitur habeamus ptisanam crudam, si cocta fieri debeat, aqua indigemus. propterea conueniens aqua accipi debet, de qua in libello de ptisana Galeni agitur. Aqua igitur ad ptisanam conficiendam optima sit, probatur vero optima odore, sapore, colore, sit lucida, pura diaphana, omnis odoris expers, & saporis, & breui notas omnes habeat optimæ aquæ, de quibus in nostris aphorismorum commentarijs, & in quarto huius voluminis libro vbertim egimus.

Si vero coqui debeat cum hordeum præparatum habeatur, & aqua, necessarium est aquæ quantitatem inuenire, & hordei, & cocturæ tempus prænoscere. De aquæ quantitate nihil certi ab antiquioribus habetur, hoc est his qui ante Galenum, vel Galeni tempore scripsere. Constantinus Cæsar præcitato loco vni ptisanæ crudæ parti, idest hordei præparati decem aquæ partes apponit, vt vni hordei libræ decem aquæ libras pro coctura commisceat. Paulus libro primo, capite septuagesimooctauo, vbi de oryza agit, vni oryzæ parti quindecim aquæ partes commiscet ad cocturam, Oribasius libro tertio de confectione ciborum in heminam ptisanæ decem heminas aquæ ponendas iubet. verum hi authores (meo iudicio) non habuere experientiam rei, nam impossibile est ex tam pauca aquæ copia ptisanam coquere, appellatur vero cocta quando maxime intumuerit. Forte Paulus coquet oryzam, quæ facilius coquitur hordeo, si experiaris in decem libras aquæ, vel in quindecim ptisanæ crudæ libram coquere, videbis non intumuisse maxime, neque coctam esse. vt autem, quod ego experientia didici, tu absque labore discas, nisi & ita esse comprobare tentes, ptisanam me præsente, & parante plus quàm vigeties parari iussi. Primo hordei granis tunsis, & excorticatis. Idq; notato non posse probe excorticari, nisi madescat, quod & Galeno placet in libello de ptisana, & quod alij volunt crudam ptisanam in sole siccandam, ob nullam aliam esse causam iudicamus, quàm vt exiccetur ab aqua, quo facilius seruari possit, nec verearis in marmoreo mortario contundere, sed ligneo pistillo, quoniam ita pinsum vix corticem relinquit. Aqua igitur maceretur, postea conteratur, non enim in frustula diuiditur, deinceps manibus fricato, vt decidant cortices, extremo tenuissimo excepto, quod grani nucleum continet, glumosus vero quisque abijciatur, linteo etiam fricetur, vt glumæ facilius decidant. hæc sunt hordei grana præparata, quæ ptisana cruda vocantur. Nunc nunc dum hæc scribo, ex duobus hordei generibus ita præparatis iussi fieri ptisanam coctam, & in duobus vasis vnicuique libram vnam hordei dedi, & vnicuique triginta aquæ libras, vnum hordei genus ex Franculino rusculo meo ortum habebat, aliud ex Bondonio etiam meo rusculo, primum hordei genus in cousumptione triginta librarum aquæ fuit apprime coctum, & maxime intumuit, neque cortices apparebant, sed pars corticis, vbi erat facta hordei scissura alteri inhærebat parti, secundum hordei genus in consumptione triginta aquæ librarum non fuit coctum, neque maxime intumuit, quinque aquæ libras addidi, & perfecte coctum fuit, neque id mirum videatur, quoniam idem contingit in farris generibus, quod in leguminibus euenire compertum est, aliqua esse coctibilia, alia minus coctibilia. Id vero à solo habetur, & à coelo, hoc est ab aeris dispositione, tameo à solo potissimum hæc coquendi ineptitudo recipitur, hordeum, quod exigit trigintaquinque libras aquæ ad perfectam cocturam minus cocibile erat, quàm quod solũ triginta exegit, tamen experientia percepi nunquã minus triginta libris aquæ ad libram hordei coquendam insumi, si esse debeat quàm maxime coctum, & quãmaxime intumuisse. Ne vero contingat error, semper iubeo, vt trigintaquinque libræ aquæ recipiantur pro coquenda vna ptisanæ libra, tuncq; cocta est, cum aqua hæc consumpta erit, quo facto lingula vel spatula probe commisceatur, cum optime cocta est ptisana, & condita vt dicemus, multum sapit. At cum à mulierculis praue conficiatur, neque probe coquatur, non mirum si ægris non sapiat, qui in appetentia ex vi morbi alioqui detinentur.

Cum de ptisanæ coctura dictum sit, & de hordeo parato, qđ cruda ptisana vocatur, & de aqua ad illam conficiendam, cõsideranda sunt alia omnia, quæ ptisanam apud authores ingrediuntur. sunt vero hæc, acetum, oleum, sal, anethum, porrum, hæc quinque communia sunt, & à Galeno in primo de alimentorum facultatibus notata, addebatur & cyminum, & amygdalæ tritæ, & hyssopus, & oleum amygdalarum dulcium recens, & sapa, & mel, saturegia, pulegium, lens. Prima illa quinque communia à Galeno posita primo de alimentorum facultatibus in hectica febre conceduntur, in ptisanæ confectione, vt legi potest decimo methodi medendi libro, vbi de hecticorum victu loquitur, inquit sanè humidum esse & frigidum, quod hecticis febribus sit conducturum, nemo nescit. Eiusmodi vero sunt, tum ptisanæ cremor, cum frigidus sumitur, tum alica similiter ptisanæ cremori condita. Si vero condituram petieris, addit, id vero est ex aqua, & exiguo porri, & anetho, tum sale, oleo & aceto, & deinceps sectione vigesimaseptima in pleuritide, vbi ptisana fastidio sit, dat saxatiles pisces in albo iure coctos ex sale, anetho, porro, & oleo, hic acetum non addit, forte quia pleuritis affectio est in particulis. Si igitur ius album in pleuritide præbet, tanto lubentius ptisanam eo modo conditam præbebit. Si vero conficiendi modum ex his petas, Galenus id ostendit in primo de alimentorum facultatibus. primo vult igne vehementissimo ebullire ptisanam crudam, quoad quàm amplissime intumuerit, postea igne lento, quoad affatim in cremorem profudet. Cum perfecte intumuerit, acetum ei admisceatur, & hoc etiam valet ad infrigidandum in febribus, cum exquisite fuerit decocta sub edendi tempus friamentum salis inijciendum. Si lubeat in principio parum anethi, aut porri addi potest, imo si oleum ab initio addere voluens, eius coctura nõ vitiatur. Paulus lib. primo, cap. septuagesimooctauo inquit, vna eius pars in quindecim aquæ partibus pauxillo olei adiecto eluatur, & cum intumuerit, ebullieritq;, aceto etiam, vbi vero ad vnguem decocta fuerit, superinijciendus quoque tenuis & friatus sal. Nec desunt qui porri aliquid, atque anethi addant. Oribasius libro tertio de confectione ciborum vult in heminam ptisanæ decẽ heminas aquæ imponi, & ad mollem ignem positas, diutius agitando coquas, donec succi fluant, postea mel & acetum addenda, quando minus in ebullitione inflatæ fuerint, sine odore, & post hæc ad molles ignes, donec multum suscipiat. Admiscendum est autem eis in illo tempore acetum, quando iam non inflatur. Coctis autem diligenter sic mitti oportet salem tenuissimum non multum, ante vero pro sapore in initio, mox oleum si mittatur in coctione, nihil nocet, sed & si porrorum modice mittatur, & anethi, & hoc ipsum mox in initio, lenticula autem si cum ptisana bene coquatur, ita vt amplius ptisanæ mittatur & condiatur satureia, & pulegio, & cum coctæ fuerint, edantur, bonus & suauis est cibus. Actius in pleuritide cũ melle exhibet cap. sexagesimoseptimo, octaui libri. Quibus autẽ mel displicet, coquit cum optimo oleo & parũ salis, & Alexander Trallianus libro secundo capite primo, apponit amygdalas minutatim incisas, quod & Plinius fecit libro

quinto suæ medicinæ capite decimotertio, addens & hyssopum, cyminum qui addidere iuxta Galeni sententiam primo de alimentorum facultatibus ptisanam non fecere, sed cinum vocarunt. Damnantur & illi à Galeno eodem loco, qui sapam addunt, non erant antiqui adeo seueri, vt omne condimentum cibis auferrent etiam ægris, sed ambiguitas est de communi conditura Galeni, an in febribus & pleuritide conueniat, ob multa quæ videantur repugnare, vt sal ob siccitatem, acetum, quia obest neruosis partibus, porrum, anethum, quia calida, oleum, quia facile inflammatur. Respondemus & in febribus & in pleuritide hæc concedere, quando ponuntur ad conditura, & non copiose, in tam vero pauca copia vt conditura conuenit, non possunt obesse, mihiq; illi summe displicent medici, qui nolunt in pane cōtrito ęgrorum salem poni, imo mediocriter impositus coctiones accelerat. quòd vero hoc sentiat Galenus poni pro conditura, & non debere poni superflue, sed in pauca quantitate, apparet manifeste in octauo methodi, vbi de picrocholis agit ipsis & febrientibus dicit commodissimum esse ptisanæ cremorem ad vnguem coctum, in quo nullum sit superfluum cōdimentum, intellige adesse quidem condimentum, sed non esse superfluum, ita enim & refrigerare & humectare, ac sine siti seruare hominem potest. multaq; eodem loco de ptisanæ cōmodis & laudibus exaggerat Galenus. In febribus ergo & pleuritide cōdita exhiberi potest ptisana, vel ptisanæ cremor, tamen & à sanis edebatur antiquitus, & Plinius libro decimo octauo capite septimo, illam alicæ comparat, & Celsus inter sanorum cibos ptisanam numerat.

Tria sunt, quæ in hoc libro occurrunt consideranda, duo ad hunc librum spectantia, & vnum ad recentiorum consuetudinem, ad hunc librum spectant ptisana, & ptisanæ cremor, ad recentes aqua hordei, sæpius leges & ptisanam, & ptisanæ cremorem. Vno tantum in loco, libro scilicet quarto, sectione. 71. aquæ hordei mentionem factam inuenies, vbi Galenus inquit, melius fecisset Hippocrates, si prius edocuisset, quonam modo hordeum parare conueniat, quod nec Galenus ipse deinceps edocet, id totum corpus modo prædicto coctum simpliciter ptisana vocatur, vel ptisana hordeacea, vel tota ptisana, vel ptisana non colata. hæc omnia nomina idem significare testatur Galenus sectione vigesimasexta præsentis libri, cum vero percolatur, perq; linteū quod tenuius est, è ptisana demittitur cremor ptisanæ, vel succus ptisanæ, vel cremor simpliciter vocatur, hæc sunt illa duo, ptisana & cremor, de quibus toties apud Hippocratem, & Galenum mentio fit. At cremorem linteo percolatū esse Hippocrates superius testatus est sectione decimatertia cum de ratione victus in morbis acutis aliorum sententias referret, & dixit aliquos vsos esse cremore linteo percolato. Mesue vero, qui medicorum euangelista creditur in ptisanæ confectione secundum Hippocratem multum decipitur, ea in parte, qua de pectoris & pulmonis vitijs in sermone in aqua hordei agit. De aqua vero hordei, quæ in publico vsu nunc est, & quomodo conficeretur, non videtur apud Hippocratem aut Galenum aliqua mentio, apud Arabes de aqua hordei multa inueniuntur. Isaac in particularibus dietis ad hāc conficiendam decem aquæ partes accipit, & vnam hordei. At Auenzoar aquæ quinque partes recipit, & vnam hordei, Auicenna in prima quarti viginti aquæ partes accipit et unam hordei, Mesue Auicennam sequitur, idemq; facit Auerrois quinto collectionum. Alhabas vero quinto theoricæ vnam hordei partē recipit, & tres aquæ, Praeterea hi in coctione dissidētes sunt, nam Auicenna ad quintam deducit partem Mesue consumit ad medietatem, vel ad duas partes. Isaac vero vnam partem ex tribus consumit. hicq; vt illis mens est hanc aquam magis nutrientem efficere, vel minus, maiorem vel minorem consumptionē faciunt, tamen ex ipsis nonnulli adeo coquunt, vt rubra euadat sicuti vinum, verum authores istos inter se dissidentes prætermittamus, & rem ipsam contemplemur. Ob tria in ægritudinibus hordei aqua vtimur, ad eliciendum extrudendumq; sudorem. nam hanc aquam id efficere experientia constat, ad sedandam sitim, quippe sitim sedare hanc aquam certum est, & quotidiana experientia ostendit, & in ardoribus, atque acutis febribus humectat, quandoque illa vtimur ad vomitum prouocandum, hæc vero tria secūdum diuersas habet qualitates, nam frigida sitim sedat, licet & calida idem efficere possit, tepida vomitum proritat, calida sudores elicit, quod etsi tepida ac frigida faciat, longe tardius est, quàm cum est calida. Posset vero nec præter rem hæc hordei aqua, decoctio ptisanæ nuncupari, cum cruda ptisana accipiatur, & in aqua ebulliat. hicq; longe decipiuntur recentes, qui putant aquam hordei Arabum, Græcorum ptisanam esse.

At de huius aquæ hordei confectione loquentes, cum ex ipsa nutrimentum non quæramus, sed vnum solum ex tribus citatis, non est opus illam spissiorem reddere, vt nonnulli fecere. vnde regula haberi potest, quæ in eius coctura nō fallit, & quæ aquam ægris non ingratam præbet, si hordei mundi præscripto modo semilibrā acceperis, quam in decē aquæ libras ebullire facias in vitriata phiala, vel alio simili vase, ad vnius libræ aquæ consumptionē, hoc enim modo gustu non ingrata erit, ac vomitum tepida, sudoremq; calida prouocabit, in hacq; decoctione grana omnia disrumpi ac dehiscere incipient, si decoctio amplior sit, minus gustu placet, minusq; sudoris prolicit, tamen vomitum inducet vehemētius, quia & gustu insuauior est, tamen non dubitamus inflare, qa hordeum non maxime intumuit, sed tantum flatus exire cœpit, & non perfecit. vnde eius diutinus vsus lienes prædurос efficit, tamen ad rem medicam aptior esse videtur, q; aqua pura, & vulgus illam magis expetit.

Iam huic sermoni de ptisana extremam manū imposuissem, nisi in mentem venisset, & aliquos antiquiores non adeo illam coxisse, vt omnia in vnum corpus redderentur, imo grana integra relinqui volebant. En Alexander Trallianus libro primo capite vigesimosecundo de victus ratione in mania ac melancholia habenda, inquit hos vesci debere ptisana cum granulis suis. At dici posset intelligere hunc authorem per ptisanam cum granis, ptisanam non colatam.

Denique nec duos conficiendæ ptisanæ modos prætermittemus, quibus nonnunquam ob celeritatem vsi sumus, vnus est si farinæ hordei semiunciam recipiamus, & in aquæ triginta vncias ponamus, deinde bulliant, quoad vnciæ decem supersint, post hæc addito zucharo ægro porrigatur, in thoracis ægritudinibus potissimum dari conuenit, tamen Hippocratis & Galeni modus magis probandus est.

Alter modus est, hordeum egregie purgatum accipere, atque à corticibus ac glumis mundatum in aquam absque pondere bulliendum ponere, idque fiat, quoad grana omnia optime dehiscant, & aqua sit probe rubra, deinceps in mortario pinsatur, & per cribrum setaceum, quod liquidius est, transmittatur, hoc quod subsidet accepto, iterum in aqua, vel iure, vt ægritudo exigit, percoquatur, zucharoq; addito, ægrotanti concedatur. hæc ptisana plumbus sapit, quàm ex farina confecta. Verūtamen Hippocratis & Galeni conditura potius laudanda est, tamen neque ista improbanda cum celeri ex hordeo victu indigemus. tamen hæc non dicimus, vt putemus nihil aliud esse, quod exhiberi possit in morbis acutis, quàm ptisana, imo multa sunt, de quibus suis in locis, hoc tamen in libro mentio fiet. Hæc sunt, quæ pro exquisitiori eorum, quæ deinceps ab Hippocrate & Galeno de ptisana dicentur, intellectione, præfari voluimus. Ad Hippocratem ergo reuertamur.

πτισάνη μὲν οὖν μοι δοκέει ὀρθῶς προκεκρίσθαι τῶν σιτηρῶν γευμάτων, ἐν τούτοισι τοῖσι νοσήμασι. i. Mihi igit vr i his acutis morbis ptisanā recte præferri frumētaceis gustamētis. Iubet

Hippocrates

Hippperates præferendam esse ptisanam, & cum ptisanam simpliciter dicit, hordeaceam intelligit, præferendam inquit omnibus cibarijs, quæ ex frumento fiunt, non quidem ex eo solum, quod à nobis triticum, à Græcis σῖτον & πυρὸς dicitur, sed & cibarijs ex zea præferenda est, ex milio, ex faba, lente, alijsq; leguminibus, his enim omnibus hordeacea ptisana præfertur. At ambiges nunquid triticeo pani præferatur, qui & communis est cibus & assuetus, & probe nutriens. Equidem non negarim triticeũ panem in morbis acutis, si in micas conteratur, atq; in feminum peponum expresso coquatur. nam & cibus est humidus, verum tot dotes non habet, quot hordeacea ptisana, neque in pleuritide ob fermẽtum triticeus panis conuenit, nisi prius sit elotus, neque hic comparatio fit panis ad panem, sed inter alia cibaria ex his granis facta dissidium ponitur, id enim cõpertum est triticeum panem magis nutrire hordeacea ptisana, quæ modice nutrit. hocq; in acutis febribus exigitur, & quãuis inter frumentacea, & legumina, alia non pauca modice nutrientia inueniantur, tamen nihil minus infensum est cibo ex hordeo parato, neq; negat nos vti posse triticeo pane, sed ptisanam præfert, & si ex hordeo panis conficeretur, triticeo postponeret, imo & apud antiquos cõstat hordeaceum panem in summo fuisse dedecore. Nam Appianus Alexandrinus in libro Parthico, cum Antonius eos qui timore correpti erant puniuisset, decimum quenque supplicio affecit, alijs pro tritico hordeum exponi iussit.i. pro triticeis panibus hordeaceos, quod & Plinius ipse testatur, imo & lib. 18. cap. 7. inquit pane ex hordeo antiquis vsitatũ vita damnauit, quadrupedumq; tradidit refectibus.

καὶ ἐπαινέω γε τοὺς προκρίναντας.i. Et illos laudo qui illam prætulerunt, nempe non solum ipse Hippocrates ptisanã omnibus prætulit, sed & multi ante ipsum alij, nullus vero tam distincte de ptisana locutus est vt Hippocrates, vnde in hoc illos omnes laudat, quia omnibus alijs frumentaceis cibis ptisanam prætulere. Verũtamen in modo illam sumendi non laudaret, cum aliqui semper totam, aliqui semper cremorem, neque in tempore exhibebant.

τὸ γὰρ γλίσχρασμα αὐτέης λεῖον. idest, Nempe viscositas eius lenis. Omnia frumentacea edulia viscositatem quandam habere certum est, quæ & maior et minor illis inest, & leuis, et aspera, tamen illa quæ in ptisana est viscositas, lenis inuenitur, non solo tactu, sed & facultate, illa etenim leuia non sunt, quæcunq; sunt acria, & acida, & adstringentia, nihil horum habet ptisana, quæ adeo lenis est, vt sine masticatione deglutiri possit. Si vero ambigas, hanc non videri cõuenientem ptisanę dotem, vt viscosa sit, quoniam viscosa obstructiones inducunt, quas in febribus potius remouere debemus. Respondeo non dici ptisanam solum esse viscosam, sed viscosam lenem & cõtinuam, & reliqua, quæ faciunt viscositatem illam non esse aptam ad obstruendum. At forte inquies, & non ab re, Quid facit lenitas ad acutam febrem? nam lenitas asperitati opponitur, etsi asperitas remoueri debeat per leuitatem remouetur, vnde lenitas potius asperitati prodest, quæ est in compositione morbus, febris vero morbus est in qualitate. propterea hęc lenitas ad febrem nihil facere videtur, cum vero nõ adsit asperitas, ad rem nullam quicquam faciet lenitas. Respondemus lenitatem esse ptisanæ conditionem, quę ostendit illam nõ esse prauum cibum, & in hoc cæteris frumentaceis gustamentis præstare. Addeq; febri acutæ multum conferre lenitatẽ, quippe in acuta febre multa est caliditas, quæ partes exiccat, atque exasperat, hæc vero asperitas lenitate curatur. Adde cum lenis sit, nocumento illo caret, quo res asperæ insigniuntur, qualia sunt acida, acria, & adstringentia. vnde hoc mali inferre nõ potest, imo si quæ acria insumpta sint uel acida, statim à ptisana eorum impressa qualitas corrigitur. En igitur quid conferat eius lenitas acutę febri. Tamen adest Aristotelis problema de hac lenitate primo libro, ubi quærit utrum ptisana hordeacea lenior, & ad morbos accommodatior, quàm triticea sit. hanc enim nonnulli anteponunt, argumentumq; ex pistoribus capiunt, quòd multo coloratiores qui tritici, quàm qui hordeacei pisturam exercent. addunt etiam, quòd hordeũ humidius est. Quod autem humidius est concoctionem desiderat pleniorẽ. Respondet Aristoteles, sed nihil prohibet quo minus, ut concoctu quid difficilius hordeum habeat, sic ad lenitatem quid unlius præstet, hoc enim non humidius tantum tritico est, sed frigidius etiam, qualis certe sorbitio, cibusq; cõpetit febrienti, ut parum alat, & satis refrigeret, quod ptisana hordeacea facere potest, quod enim humidior, uel corpulentior est, hinc alimentum, idque frigidiusculum præstat. Tamen (quicquid Aristoteles senserit) fateri non est opus, hordeum nonnihil difficilius concoctu habere, quàm triticum, quoniam à Galeno in primo de alimentorum facultatibus oppositum ostenditur.

Verũtamen his non contentus dices, non videri conueniens, quòd viscosa sint, cum potius mediocritatem quandam inter viscosum & separabile habere debeat: hic enim viscosum id dicitur, cuius partes coniunctæ sunt, hocq; separabili opponitur: quæ vero humano corpori exhibentur, potius temperiem quandam seruare debent, quàm alicuius extremi participare. Respondemus hoc absurdũ esse, cum illa quæ pro medicamento exhibentur, opposita potius esse debeãt, quàm mediocria, vt sua actione prohibeant oppositas affectiones, atque expellant. Præterea adde, non dici ptisanam simpliciter viscosam, sed cum prædictis conditionibus viscosam, ita vero & coctioni, & nutritioni confert, neque de hoc mireris, quoniam in primis viscositatem concoctioni conferre probo, quippe in eo quod coquitur, opus est separatas partes necessario coniungi, vt pars partem subintrare possit, & tamen non separetur, nam coctio per commistionem fit, ad hanc vero commistionem partium retentio connexioq; consequitur, & quædam (vt ita dicam) incorporatio, ad hanc vero commistionem vt facilius fiat, multum facit viscositas, qđ etiam nutritioni conferat viscositas, ex hoc probari potest, quia in nutritione quod nutrit, necessario nutrito inhærere opus est, & vniri, atque assimilari, hoc autem facile fit à re viscosa, quę facilius inhæret non viscoso, facilius vnitur, & ob continuationem, quam habet, facilius assimilatur, præsertim cũ hæc viscositas mediocris sit, quæ in ptisana inuenitur, itaque facile probari potest, in acutis febribus ptisanæ viscositatem multum conferre.

καὶ συνεχές. idest, Et continua. in zea partium continuitas abest, cum distinctæ, separatæq; sint. propterea zeæ viscositas minime laudanda, in ptisana ob partium continuationem laudanda, cum adeo simul iuncta sit, vt omni in parte sit similis, & quamuis alicui videretur continuũ in leni contineri, quia quod lene est, non est asperum, & seiunctas partes habet, quarum vna eleuatior, altera pressior, vt asperitas innascatur, tamen continuum supra lene aliquid addit, cum & lene discontinuum esse, nihil impediat.

καὶ προσηνές ἐστι. idest, Et iocunda est. hoc in gustu intelligito. nam eius gustus suauis est. & profecto, si probum hordeum eligatur, & præscripto modo conficiatur ptisana, gustui insuauis non erit, potissimum more Galeni condita. Nos hoc mãne ptisanam in prandio comedimus, quæ & nobis, & alijs multis placuit, verũtamen est, ptisanam illam ex hordei farina, vel hordei expresso, & per setaceum cribrum demisso ægris non placere, vel quia insueta, vel quia male condita, quod potius suspicor. Galenusq; addit ptisanam suauitate pani præferendam, tum quia suauior, tum quia sorberi potest, panis vero sorberi non potest. Adde in acutis febribus, cum vires imbecilles sint, ptisanam prope coctionem esse sumendam, & iuri caponis vel pulli esse imponendam, coctionemq; perficiendam, postea dandam, tunc suauissima est, & plenius nutrire deprehensum est.

καὶ ὀλισθηρόν. idest, & lubrica, cum humida sit, atque leuis. At inquies ex superfluo dici esse lubricam, cum lenem esse prius dictum sit, lenia vero sunt lubrica

Respondemus hanc condicionem ex illa omnino duci posse, tamen nihil mali est, & si illã expressent, vt eius humiditas ostendatur, quia febri confert, humectam aluũ seruans, thoracẽq; pertransit, in ipso nihil relinquens, quod illa faciunt, quæ meatibus impacta atque infarcta vix remoueri possunt, vt viscosa omnia præter ptisanam Galeno teste. At hæc conditio in cremore potissimum inuenitur.

καὶ πλαδαρὸν μετρίως.i. & mediocriter humens, ptisanæ viscositas humiditatem quandam habet, sed non vehementem, vt aqua, atque melicratum, mediocris etenim est, quę nullo pacto stomacho aduersatur, vt aliæ faciunt humiditates. Stomachum igitur humectat, neque illum subuertit, vt alia humida facere consueta sunt. Et si proprietatem hanc in illis proprietatibus contineri dixeris, quòd leuis sit, ac lubrica, leue vero atq; lubricum humidum est. Respondemus posse quidem deduci, sed verbis explicans luce clarius effecit, quippe ita explicatum, facilius recipitur & intelligitur.

καὶ ἄδιψον.i. & sitim non infert. Copus vertit sitim arcet Hippocratis autem sententia est sitim non facere, vt alia faciũt edulia, verum & cum humida sit, sitim in febribus arcere certum est. Hæc duo vera sunt & in acutis febribus conueniẽtia, sitim auferre, quæ à febrili calore infertur, & sitim non inferre, quam alia edulia efficere constat.

καὶ εὐέκπλυτον, εἴ τι καὶ τούτου προσδέοι.i. Et probe abluit, si quid adduci eget. Copus vertit facile descendit, quod & si verum sit, & descendere sit abluere. tamen melius est Hippocratico verbo uti, abluere.s. quàm descẽdere. in morbis acutis semper ablutione nõ indigemus. at cum indigemus, aptissima est ptisana. ablutio vero intelligitur eius descensus ad intestina, quando cibus in via moratur, & ad anum minime descendit, probe igitur abluit.i. descendit, & ad partes alias facile penetrat. hocq; ex sua natura habet, quia leuis eius viscositas lubrica & reliqua. Idemq; ex motu habet, imo ad id quod lubrica est & leuis, facile descendere consequitur. hocq; abluere de cibi superfluitate intellectum in omni febre acuta non conuenit, vt Galenus testatur, tamen abluere de materia faciente morbum in hac febre semper cõuenire, de qua nec locutus est Galenus, nec intelligebat.

καὶ οὔτε στύψιν ἔχον.i. Neque stipticitatem habet, qđ acutis febribus competit, in quibus semper aperiẽdum est, nisi aut alui profluuium commistum sit, aut symptoma aliquod adsit, quod animi deliquium inducat, in his enim casibus, aperientibus vti non est opus, sed adstringentibus, unde eo casu ptisana non vtemur, illa vero cõmodissime semper vtemur, vbi hæc adfuerint. quòd autem in ægritudinibus semper aperiendũ sit, testatur Aristoteles. 54. problemate primi libri, vbi quærit, quãobrem corpus, cui secundam conciliamus valetudinem, non densum, sed rarum reddendũ sit. At vt vrbs, locusq; quicũq; salubris est, qui placide aspiratur, quapropter & mare quoq; salubre est, ita etiam corpus, quod spiratius est, sanitati opportunius esse constat, aut enim nullum recrementum exister, aut quod extiterit, quãprimum excernatur danda est opera, corpusq; semper ita regendum, vt simul atque excrementum admisit, habeat qua parte illud excernat. sicq; motui deditum, non quieti, & alia quæ in illo legũtur problemate, ex quo facile educi potest, in ægritudinibus semper aperiendum.

οὔτε ἀραδῶν κακόν.i. Non male turbat. Copus vertit nõ vellicat grauiter. hoc intellige dum concoquitur. nam inter concoquendum, neque tormina inducit, neq; fastidia in ventre, ut coctum triticum & far plerũq; inducunt. Ego hoc mane ptisanã egregie confectam edi, idem tota die in ventriculo persensi ac si nihil comedissem. propterea non ab re à Galeno dictum est in libello de cibis boni & mali succi, ptisanam vero & si quotidie ad satietatem sumpseris, non iccirco boni succi generationem impedies, fit vero in nobis perturbatio ob ciborum diuersitatem, quorum aliqui ventrem mordent, alij inflant, vel ex cibis diuersas facultates habentibus, vt lenticula & brassica, vel ex flatuosis, vt faba.

οὔτε ἀνοιδίσκεται ἐν τῇ κοιλίῃ.i. Neque in ventre tumescit, nam quicquid in ea flatuosi inuenitur, per coctionem resoluitur, cuius rationem Hippocrates reddit inquiens,

ἀνῴδηκε γὰρ ἐν τῇ ἑψήσει ὁκόσον ἂν πλεῖστον ἐπεφύκει διογκοῦσθαι.i. Etenim inter coquendum, quantum maxime potuit intumuit. propterea quælibet flatuosa pars resoluta est, neque amplius habet quod intumescere possit, reliqua vero, vt triticum, & multa alia si ad extremum etiã coquantur, aliquid habent flatuosi, & faba extreme cocta nũquam relinquit flatus, quia illos habet suapte natura connexos. hæc ab Hippocrate addita sunt, vt quorũdam sententiam refelleret, qui ptisanam flatuosam esse putarũt, & ab ea flatus remoueri nõ posse, Hippocrates vero aliter sentit, nempe existimat per coctionem flatuosam naturam quæ in hordeo est, posse ac debere resolui. Ego hodie pateram ptisanæ integram comedi, idem nũc sentio ac si nihil comedissem, tamen in me ipso cibi facile in flatus commutantur, præsertim cum vehementer literis incumbo. At nonnulli ptisanam haud probe coquentes, quia in ipsis flatus excitantur, flatuosam esse putant. propterea ab Aetio, Paulo, Tralliano, Celso semper dicitur bene cocta ptisana, optime cocta, probe cocta, quæ si probe cocta non sit, præcordia extendit non aliter quàm legumina faciunt, vt Trallianus inquit lib. 2. cap. 1. & Plinius lib. 5. suæ medicinæ, cap. 13. Galenus quoque in documento de puero epileptico ptisanam diligenter coquendam esse ostendit.

Hac in parte decem ptisanæ conditiones, dotes vt ab Hippocrate traduntur, vel quæ ptisanæ uiscositatem determinãt, per quas ostendere nititur, ptisanam in febribus acutis optimam esse, & illis conferre. Scito autem nos vti posse ptisana pro cibo, & pro medicamento, quæ vtræque dotes in vno alio inueniri non possunt, vel non ita apte in morbis acutis vt in ptisana. Si vt cibus ptisana consideretur oẽs habet requisitas conditiones ad hoc vt aliquid cibus sit qui in nutrimentum transire debeat. nam quod cibus esse debet, præcipue vt nutriat opus est, nutrit vero, cum in corporeas partes, vel in spiritus conuertitur. At nullus cibus nutrire potest, quin prius præparandus sit, vnde ptisana vt ptisana est, neque in corporeas partes, neque in spiritus transit, nisi prius per probam coctionem præparetur, & per velocem ad mẽbra penetrationem. At cibus, qui huius generis esse debet, necessario debet facile assumi posse, et absque noxa deferri, & recte posse detineri. Vnde si hæc in vnum colligantur, sex sunt conditiones, quæ ad cibũ, qui apte & commode nutrire debeat, exigũtur, videlicet facilis assumptio, delatio sine noxa, proba retentio, integra concoctio, uelox penetratio, & optima nutricatio. has omnes conditiones in ptisana reperire nihil impedit, si illam dotibus decem comparemus quas illi tribuit Hippocrates, nempe quia leuis et iocunda facile sumi potest, cum vero mediocriter humens sit, defertur sine noxa, ob uiscositatem probe retinetur, & quia gustui non displicet, neq; uẽtriculo, quippe nonnullę sunt cõditiones, quę faciunt, ne cibus bene retineatur, vel potius, vna est cibi abominatio, nam si quis vim retentricem robustam habet, tamen cibos ederet illi abominabiles, non retineret, vt est ptisana praue cocta, & ex hordeacea farina confecta, quę maiorem sumentium partem euomere facit, adde cibum non retineri, ex diuersis partibus inuicem colluctantibus confertum, sicut lac, quod multi euomunt, uel cum generantur flatus, qui cibum intumescere faciant, tunc non retinetur vel cum cibus sumptus post sumptionem acer euaserit. hæc & ipsa causa est cur non retineatur. Nihil vero horum in ptisana esse potest, quia iocunda, mediocriter humens, non male turbat, neque in ventre tumescit, recta cococtio in ptisana reperitur, quia cito & simul fit cito fit, quia lenis, & talem habet viscositatem .s. lenem, continuam, vnde facile alterari potest & coqui, & cum sit continua coctionem simul recipit, & cum sit lubrica, & mediocriter humens, non tumescẽs, velociter penetrat, cumq; sit viscosa cum omnibus iam dictis conditionibus, necessario bene nutrit, & id ptisanę optimum est nutrimentum, licet non magnum, vti ci-

bus

bus igitur acutis competit febribus, quia omnes habet boni cibi conditiones, nunc videndum est, quomodo vti medicina cōferat, acutus morbis calidus est et siccus, ptisana frigida et humida, vt manifeste appareat illi conuenire vt medicina ex apposito alteratiua, adest & in acuta febre causa, quę euacuatione indiget, & coctione, hoc à ptisana fieri potest, quia lubrica & aperiēs, neque stiptica est. nam quę talia sunt, obstruunt magis, & febrem augere faciunt, in febre etiam acuta sitis inducitur, quæ à ptisana remouetur, vt facile colligi possit, ptisanam causę cōferre, morbo, & symptomatibus itaq; in acutis morbis conuenientissimus erit cibus, quę & vt cibus, & vt medicamentum agit in corpus.

GALENVS. Orationem hanc tantummodo legisse mihi videntur, qui librum hunc de ptisana inscripserunt: ueluti procemii partē primam, qui aduersus Cnidias sententias titulum fecerunt. Nam Hippocrates in secunda procemij parte non amplius Cnidios medicos contra agere, sed sese ad curationis acutorum morborum exercitationes conuertere est uisus. Tertia autē procemij pars quam hucusque percurrit, ad eam quæ uictū morbis acutis præscribit, artem spectat. Neque tamen ad eam solam est accommoda, uerum quoque & alteri qui uniuersalior sit, subiecta est sermoni. Demonstrauimus autem in his quos in scripta de fracturis articulisq; parauimus commentarijs, Hippocratē subiectos specialesq; sermones pro alijs quibusdam uniuersalioribus obsignare cōsueuisse, doctrinamq; uniuersalium ex ipsis, quę tanquam exempla constituit, efficere. Neque enim ita ab instituto recedit, neque sępius præcipit quod multorū commune existit. Quo autē modo in ptisana sermonem fecit, causam eius quæ de ipsa est contētionis, tum uestigans tum decernens: sic & de omni acutorum morborū uictu rectam tulit sententiam. Quinetiam & de uenæ sectione & purgatiōe, & tum glandis tū clysteris usu de cataplasmatis itē, fotibus, uino, aqua mulsa oxymelite & baleno, nō parua inter medicos exorta est cōtrouersia. Quæ oīa libro in hoc percurrit Hippocrates methodo una quam nuper dixi: uim cuius ignorasse uisi sunt, qui se empiricos nominauerūt, diorismis, id est distinctionibus propria à communibus separantes. Consueuerunt autem diastolas magis quàm diorismos appellare sermones eos, qui quod proprium est, à communi separant distinguuntq;. Iam ergo quæ ab Hippocrate de ptisana dicuntur, videamus. Vidētur ergo mihi, inquit, priores medici frumētaceis gustamentis prętulisse in acutis morbis ptisanam. Frumentacea gustamenta intelligit, quæ ex frumento fiunt: frumentum autem Græce σῖτον homines appellant, maxime quidem triticum, sed iam vnà cum tritico, tum hordeo tum zea vescuntur. Appellationem vero ad plura extendentes, cerealia quoque appellata semina connumerant: lentem uidelicet, fabam, lupinum, cicerculam, panicum, milium, pisum, fœnum græcum, auenam, tipham, cicera, & quæcunque id genus alia. Horum igitur omnium frumentaceorum gustamentorum, cætera quidem uulgo damnantur, quod protinus magnum inferant detrimentum. Panis autem unus & chondrus in acutis administrantur morbis cum his solis ptisana conferenda est. Lens siquidem, & milium, & fœnum græcum, tanquam medicamēta ob quosdam uentris morbos exhibentur, & non tanquam nutritura cibaria. Ptisanam igitur recte prælatam esse ait frumentaceis edulijs, pani scilicet, chondro & zeæ, ex qua fit tragus appellatus. Nempe eorum qui chondrum temporibus Hippocratis nondum fuisse existimant ignorantiam argues, tum ex quibusdam antiquis comicis quæ chondri meminerunt, tum etiam ex Hippocrate ipso, qui in libro de victu salubri de chōdro ipso mentionem fecit. Nam etsi liber ille Hippocratis non sit, sed vel Euriphontis, vel Phaontis, vel Philistionis, uel Aristonis, vel alterius cuiuspiam ex antiquis (nempe ad multos librum hunc referunt) sanè omnes hi ueteres viri sunt, atque ex eis quidam & Hippocrate antiquiores existunt, alij vero tempore ipsius vixerunt. Loquor autem de Hippocrate Heraclidæ filio, qui librum hunc confecit. Nam auus ipsius Cnosidici filius Hippocrates, quorūdam iudicio nihil omnino scripsit, aliorum vero sententia duos scripsit de membris fractis & articulis. Quare autem ptisana frumentaceis edulijs non perperam anteposita sit, ostendetur per ea quæ ipse infert, inquiens: Quæcunq; etenim ad acutorum morborum sanationem insunt bona, nulli alteri inesse comperies. Recte autē iudicabis, si & acutorum morborum naturam, & ptisanæ vires cognoueris. Natura igitur acutorum morborum est, uti ipse paulo ante dixit, vt horum febres omnino sint continuæ: febris vero ortus, caloris natiui ad igneum est cōuersio, vt alibi demonstrauit, & nunc manifestabit, inquiens: Ex thorace si quidē incipit, atque ad caput flammam mittit. Præterea in libris uulgarium morborum, febrem magnam ignem vocare consueuit: quasi non aliam habeat naturam præterquam ignis substantiam. Si igitur contraria contrariorum remedia existant, sanè febris peculiare remedium vt uirtute tum refrigerante tum humectante sit, oportet. Id nanque febris naturæ, quæ & calida & sicca est, contrarium erit. Talis siquidem naturæ est ignis. Præterea cum febres & ex humorum putredine, oriantur, non paruam diligentiam adhibere oportet vt quicquid ex ipsis cōcoqui possit, concoquatur: & quod iam exustum sit, neq; amplius concoqui possit, euacuetur. Quòd si febrientibus ipsis cibi vsus sit, qui hæc efficere queat, si etiam facile tum coquitur, tum distribuitur, iam omnia hæc quibus est opus habuerit. Quænam igitur sit ptisanæ virtus, ex Hippocrate audiamus: Viscositas, inquit, leuis est. Leue, exasperāti opponitur. Exasperant autem acria, acida, & astringentia: acria sanè omnia calfaciunt, vt eruum, fœnum græcum: acidorum cætera quidem dimittere oportet, de oxymelite uero est dūtaxat agendum. Dimittantur pari modo ex astringentibus pira agrestia, & mespila, & quæcunque huiusmodi, atque ex frumentaceis, lens & similia. Exasperantium igitur malitiam ptisana effugit, vtpote quæ leuorem non tactu solum, verum quoque & facultate habeat. Est item & viscositas eius cōtinua. Est siquidem in omni parte sibiipsi similis propter exactā coniunctionem: quod zeæ nullo inest pacto. Laudatur præterea nō parum quod in ptisana iucundum & mite existit, quod immiti iniucundoq; opponitur: idest, quod dum sumitur, insuauitatē quandam facit: sicut deniq; et panis insuauis est, dum sumitur, nisi abunde ipsum maceraueris madefecerisq;. Imo & ita superatur ab ea quæ in ptisana est iucunditate, quæ mandi non indigeat, sed potum instar sorberi possit. Neque paruæ est conditionis ptisanæ lubricitas, præsertim cremoris. Pertransit enim thoracem, in nulla ipsius parte quippiam dum trāsit, relinquens: ueluti faciūt quę in meatibus infarcta adeo obstruūt, vt vix absolui possint. Quod accidit viscosis omnibus excepta ptisana. Hinc sanè quæ ex chondro fit sorbitio, quod quidem viscosum sit, habet: sed lubrico est destituta. Ptisanæ autem inest & lubricum & detergēs: quapropter medici ad detergendum eum qui in uentre infarctus est humorem, vomitibus, exhibito ptisanæ cremore ueluti & aqua mulsa, vtūtur. Crudam quoque cōterunt ptisanam puerorum mangones, faciesq; ut uitiosos cutis exterant colores, illinunt. Quod autem in ea detersorium existit, id & ad deiectionem est idoneum, distribuitionemq;, pręsertim ubi ex sima hepatis ac gibbam trāsmeare debeat, quæ distribuitur alimonia. Hic etenim infarciuntur quę crassi succi sunt, & quæ tenaciter collæ modo adhærent. Atque ob id chondrus non in affectis iecinore solum maxime nocet: uerum quoque & in his qui uiscus hoc nullo quidem pacto læsum, sed eum meatuum angustia naturaliter affformatum habent. Qui igitur ita natura affecti sunt, ipsis tū uiscosa, tum crassi succi omnia infarciuntur, atque opplent: atque ob id grauitatem in eo uiscere sentiunt, cum hæc distribuuntur. Præterea ptisanæ uiscositas humens est, sed nō vehementer, ut aqua & melicratum: sorbitio item ex chondro, et ea quæ sorbentur oua. Nempe ea omnia stomachum languētibus ipsis ita manifeste supinant, ut subuersum ipsum esse existiment. Verum ptisana humectare quidem ualet, sed stoma-

chum ſubuertere non poteſt. Stomachum autem hoc in loco intelligere oportet, ut huiuſce temporis homines dicere conſueuerunt, non meatum ventriculi tantummodo, uerum quoq; & os ipſius. Quod ſi imbecillum fuerit, atq; exolutum, manet diutius in eo quod ingeſtum eſt ſupnatans. Sed contrarium vſu euenire natum eſt, vbi à cibo aliquo boni ſucci reductũ, quod continetur expellit. Nempe humor protinus ab ipſo recedit & coquitur. atque quod ita expulſum eſt deijcitur. Nec ſecus q̃ crudum manet, tardeq; cedit quod in ore ventris ſupernatat. Nempe partis huius munus eſt appetere, non concoquere. Quæ igitur aſtringẽt edulia, vt ventriculi os roborant, ſic & plus iuſto exiccant. Pari modo & q̃ ex chondro paratur ſorbitio vt humectat, ita & ſupinare nata eſt. Ptiſana igitur humectantium uim aſſecuta, malitiam effugit. Deinceps ptiſanam ſitim minime inferre ait Hippocrates, maximũ q̃ppiã et hoc eſſe in his qui corpus tum exurunt, tum ſiccant morbis teſtatus. Hac ſanè occaſione ptiſana quàm aqua mulſa longe melior exiſtit, quanquam abluendi bonitatem quam deinceps huic ineſſe ait, ſimiliter aquæ mulſæ nacta fuerit: imo ſi ptiſanam aquæ mulſæ comparaueris, ptiſanam ipſam in acutis morbis & ſuperiorem & melioris conditionis eſſe reperies: quod procedente oſtendã ſermone. Nam de ptiſana ſermonẽ abſoluere eſt tempeſtiuum. Probe ſiquidẽ abluere dixit cum adiectione, ſiquid ablui egeat quaſi nõ in omnibus acutis morbis probe abluẽte utamur edulio. Nempe cætera omnia quæ de ptiſana dicuntur bona, morbis omnino proſunt acutis: ſed abluendi bonitas quibus uentrem ſubduci uolumus, vbi cibus in via moratur, eſt idonea. Probe igitur abluere, febrili affectioni neque tanquam contrarium, neque tanquam familiare auxilium unum utile exiſtit: ſed bene tanquam ſymptomatis alicuius emendatorium correctoriumq;. Deinceps inquit, Neq; aſtringit, neq; male turbat, viſcoſitas ſcilicet ptiſanæ: ſic etenim ſermonem de ea inchoauit. Non aſtringere autem quibuſdã maxime bonũ exiſtit. Nemo ſiquidem aſtringẽtibus utitur cibis, niſi vel propter ſymptoma quod animi deliquium inducat, uel propter immoderatum uentris profluuium. Cogunt ſiquidem conſtringuntq; corpora, uiasq; tum diſtributionis, tum alimoniæ, tum eius quę foras fit perſpirationis conniuere faciunt: quas recluſas apertasq; eſſe conducit. Quod autem non turbet, id eſt nullam dum concoquitur faciat perturbationẽ, in laudẽ & ipſum præſtat priſanæ. Perturbatio autem huiuſmodi ex multis paritur edulijs: his quidem ventrem mordẽtibus, aliis uero inflãtibus, aliis item quæ pugnantibus facultate partibus cõſtant, quod tum in lenticula tum in braſſica reperitur. Nempe ſolidũ ipſarum corpus ventrem cohibet, ius autem ipſum proritat, ſubducitq;. Sic & qui cerebrum cum oleo & garo condiunt totum ex ipſis tum diſſimilare, tum ſibiipſi pugnans efficiunt, cerebro quidem ſtabili & tarde meante, mixtis uero ipſi ad deiectionem excitari idoneis. pari modo & de ouo dicendum, ſiue cum melle, ſiue cum ſale, ſiue cum garo adſumatur. Nempe quod ex ipſis conſtat differentes habet facultates. Iura itẽ ferẽ omnia. Quapropter & circa ſermonis initia uiſcoſitatẽ ptiſanæ laudans inquit, continua, quod ſanè citra totius in partibus omnibus ſimilitudinẽ non fit. Verum in præſentia huic uerbo Turbat, adiecit hoc aduerbium, male: (ſic Græce, οὔτε ταράσσει κακῶς) ptiſanã non turbare haudquaquam ſimpliciter aſſerens, ſed male adijciens. Nihil enim ciborum concoctioni quàm hoc ipſum aduerſatur magis. Quo fit, ut qui de concoctione ſcripſerunt, ciborum uarietatem, præſertimq; ubi uarijs conſtent facultatibus, nocentiſſimam dixerint, utpote quæ ingeſta ipſa probe concoqui prohiberet. Obſeruant id maxime, tum qui luctantur, tum qui legitime certant. Prandio ſiquidem panem duntaxat edunt, in cœna uero carnem. Plura de his enunciarem, niſi ſcirem te inuenire ipſa poſſe, qui ex his quæ de concoctione in commentarijs de facultatibus naturalibus dicuntur, ſis inſtructus. Commentarios autem huiuſmodi ſi neglexeris, fruſtra in his uerſaris. Quapropter de pturbatione huiuſmodi ſuperſedens, ad omnium ultimum me transferam, quod ab Hippocrate de ptiſana adhuc loquente dicitur. Neque in uentre tumeſcit. Nempe multos ptiſanam quod flatuoſa eſſet damnantes, haudquaquam ignorans non abs re adiecit, Nam inter coquendum quoad maxime potuit, intumuit. Qua ſanè adiectione crimen, controuerſiamq;, ſimul & purgationem ſignificauit, coctionemq; edocuit. Scribit quædam & nihilominus de coctione in ſequentibus, ſed in præſentia tantillum hoc ſermoni de ptiſana adijciam. Ptiſanam ſi ualde coxeris, cibum haudquaquam flatuoſum efficies. Et nos autem fabaceũ (ita Græci dicunt) neque ſi tribus coxeris diebus, flatu uiduũ orbatumq; reddideris. Nempe ex propria ſubſtantia quod flatuoſum eſt, habet, non autem ob diminutam coctionem ueluti ptiſana. Sunt qui ab ipſius coctione ocyus recedere cõſueuerũt potiſſimumq; diutum coqui. Terũt ſiquidem crudam eam, atque deinde parum calfaciunt. Non enim coctam dominis offerunt. Sed de coctione ptiſanæ, vt dixi, rurſum dicetur. Nunc autem poſteaquam vires ipſius demõſtrauit, deinceps vſus diſtinctiones docebit: ad quem et ego me conferam, ubi me in ſequentibus abſoluturum ſermonẽ de ptiſanæ ad aquã mulſam & alia comparatione præmonuero.

BRASAVOLVS.

Cum variæ eſſent huius libri inſcriptiones, primo Galenus oſtendit nonnullas haud fuiſſe probas, aliqui enim hũc librum de ptiſana inſcripſere, alij librum Hippocratis aduerſus Cnidias ſententias, inquit vero Galenus vtroſq; erraſſe, nam qui de ptiſana inſcribunt, hanc ſolam partem legere, qui vero contra Cnidias ſententias, ſolum percurrere præfationis initium, vel primum procemium. nam Galenus huic libro tria inſtituit procemia, vel tres procemij partes. In prima contra Cnidiorũ medicorũ ſententias diſſerit. In ſecunda non amplius agit contra Cnidios, ſed ad morborum acutorũ curationem habenas vertit. In tertia vero de his agit, quæ ad victus rationem inſtituendam conuenire videntur, & pars tertia vel tertium procemium hoc finit in loco, vbi de ptiſana agit. Præſcripti ergo authores, haud probe Hippocratis librũ inſcripſere (quẽ author ipſe abſque inſcriptione reliquit) cum in ipſo de multis alijs agatur, quæ neq; ptiſana ſunt, neq; ſententiæ Cnidiæ.

Secundo, cum Galenus dixerit in tertia procemij parte Hippocratem de arte agere præſcribente uictum morbis acutis, addit partem illam, non ſolum ad id commodam eſſe, ſed & alteri vniuerſaliori ſermoni, ut ſuperius uiſum eſt. imo ipſe Galenus in commentarijs libri de fracturis & articulis demonſtrauit Hippocratem ſubiectos & particulares ſermones atq; ſpeciales pro uniuerſalibus ponere conſueuiſſe, & eſſe Hippocratis uſum, uniuerſalium doctrinam ex particularibus tanquam exemplis effeciſſe, & ita agens Hippocrates ab inſtituto non recedit, neque id quod multorum commune eſt, ſępius præcipit, ſed breuis Hippocrates quod uno in particulari dicit, in pluribus uniuerſaliter intelligendum uult. Et ſi dicas eſſe inartificialem ſcientiam à ſingularibus ad uniuerſale progredi. Reſpondemus imo eſſe pulcherrimam, & per hunc modum omnes artes eſſe inuentas, neq; Ariſtoteles ipſe, qui ab uniuerſalibus ad ſingularia deſcendere iubet, in naturalibus rebus inueniendis ab alio incepit, quàm à ſingularibus, licet in eiſdem aſſignãdis oppoſito ordine uſus ſit, et ab uniuerſaliſſimis ad ſpecialiſſima proceſſerit. Hippocrates igitur ex particulari uniuerſale proponit, ut in hoc propoſito de ptiſana nonnulla ſectione 13. de illa particulariter proponebat, & nonnulla in decimaſexta quippe in decimatertia contentiones circa eius exhibitionem proponebat, & erat particularis conſideratio in ſola ptiſana, & in decimaſexta cauſam contentionis in ſola ptiſana inueſtigans, docet nos hæc eadem diſſidia conſiderare oportere omnibus alijs in rebus, que ad acutos morbos ſpectant. unde rectam tulit ſententiam de omni acutorum morborum uictu. Aſt hæ met quæſtiones, ſunt & de uenæ ſectione, & de purgatione, & de uſu clyſteris & glandis, & de uſu cataplaſmatum ac fomentorum, & de uino, de aqua mulſa, de oxymelite, de balneo, dę his omnibus eædem ſunt quæſtiones, quales de ptiſana

ſana

sana praescriptae sunt, et in his habent medici cõtrouersias non paruas. Propterea haec omniá concilianda erunt. Cum igitur ab Hippocrate de ptisana sola controuersias propositę sint, ex hac particulari cõtemplatione, tu in omni alio ex prędictis eodem modo intelligendum vniuersaliter intelligas, de quibus omnibus in hoc libro agit Hippocrates per illam met breuem viam, quam nuper expressimus. Verum illi qui empirici vocantur, visi sunt, se hanc methodum non ignorasse, atque eius vim, & quòd ex particularibus vniuersale itelligi debeat, nam propria à communibus hi separare volunt per diorismos.i. distinctiones. Scito tamen consueuisse hos, sermones illos qui proprium à communi distinguũt, potius diastolas, quàm diorismos vocare. Nota diastolẽ distinctionem significare, & simili modo diorismon, sed diastole talis est distinctio, in qua vnum actu ab alio nõ separatur, verum id fit sola designatione. Diorismus vero est separatio actu facta. vnde cum singulare ab vniuersali seiungitur, ea separatio ab empiricis potius diastole, quàm diorismus vocatur, quia singulare actu ab vniuersali non distinguitur, sed id sola fit designatione, eodem pacto proprium à communi actu non separatur, sed designatione sola. propterea diastole est, non diorismus, quãquam nomina haec in his significans confundi certum sit, vnumq; pro alio nonnunquam accipitur.

Scito cum à Galeno dictum sit, Hippocratem vniuersalium doctrinam efficere ex exemplis, postea addidisse quandã suasionem quòd hoc conueniens sit, suasio haec est, qđ ita faciens Hippocrates ab instituto non recedit. Additq; quod saepius non praecipit quod est commune multorum. primo quòd ab instituto non recedat manifestum est, quia circa singularia uersatur, & circa ptisanam, quod autem saepius non praecipiat, quod est cõmune multorum, ex hoc patere poterit. nam si de communi prius verba fecisset in omni particulari opus fuisset commune particulari coniungere. Verum cum de particulari verba facit, idem cõtingere in omni particulari, quod in controuersiam venit notum dereliquit. propterea superius nõ pręcipit quod est commune multorum.

Mirum videtur Galenum hic reprehendere, vel non recipere empiricos, qui propria à communibus distinxerint, in praecedenti vero commentatione oppositum dicere videtur, errores scilicet contingere & diuersitates in artibus, quia authores inter communia, & propria, inter vniuersalia & particularia distinguere nesciebant, imo quia aliquo in particulari vnum esse videbant, idem in vniuersali esse inferebant, cum ergo ptisana alicui febre acuta correpto conueniat, omni acutae conuenire, & quocunque tempore inferebant, quod absurdũ esse cõstat. Dicimus si vniuersalia à singularibus ita separentur, & vniuersalia ab arte excludantur, hic incessus inartificiosus est & vanus. nam & vniuersalia arti conueniunt, errabant vero qui artem circa singularia solum versari fatebãtur. At si Galenum consideremus, ita loqui non videtur de vniuersali & particulari, de communi & proprio superius, sed in praecedenti cõmentatione hoc modo intelligit Galenus, oriri controuersiam, quia oratio non distinguitur, sed dicitur de pluribus quàm oportet, vel de omnibus tanquam similiter habẽtibus, cum de uno singulari ita sit. Ambiguitas igitur nullius est momenti, cum diuersa sint, quae in hac commentatione, & in praecedente edocuit, vel cum circa idem nõ verseur, quia hic de communi & proprio, superius de receptione alicuius vniuersalis ob conditionem inuentam in singulari, vt quod omni competat acutae febri, nonnihil quod vni competit.

Quod legitur, vim cuius ignorasse visi sunt qui se empiricos nominauerũt, per oppositum legi debet, negatiue scilicet vim cuius non ignorasse visi sunt qui se empiricos nominauerunt. nam illa quae sequuntur, hoc ostendunt, quòd haec non ignorarunt. Praeterea contextus Graecus id manifeste dicit inquiens ὡς τὴν δύναμιν ἐοίκασιν ἐγνωκέναι, καὶ οἱ ἐμπειρικοὺς ἑαυτοὺς ὀνομάσαντες.

Quod etiam legitur, subiectos, specialesq; sermones, pro aliis quibusdam vniuersalioribus obsignare consueuisse, Grece est τοὺς ὑποπίπτοντας λόγους ἑτέροις τισὶ καθολικωτέροις ἐπισημαίνεσθαι.i. Subiectos sermones, aliis quibusdam vniuersalioribus obsignare consueuisse, probo potius vt in datiuo referatur, quàm in ablatiuo cum prępositione, pro, illa particula aliis quibusdam vniuersalioribus. tamen etsi eo modo interpretari lubeat, non impedimus.

Tertio Galenus his omissis quae vniuersalia sunt, & quae ad rem ipsam nihil facere videntur, ad sermonem de ptisana reuertitur. primoq; exponit, quae sint frumentacea gustamenta, illa esse inquiens quae ex frumento fiunt, per frumentum vero id intelligit, quod Graeci σῖτον vocant, & à latinis triticũ, imo & Galeni tempore & hordeum, & zeam his attribuebant atq; annumerabant. & si sermonem ampliare voluerimus, illa etiã intelligenda venient, quae cerealia nuncupantur, vt lens, faba, lupini, cicercula, panicum, milium, pisum, foenograecum, auena, typha, cicera, & omnia id genus alia, ptisana omnibus his praefertur, in acutis morbis solum est vsus panis & chondri, et zeae, & ptisanae, panis inquam frumentacei, atque cum his solis ptisanam conferre licet, reliqua vero, vt lens milium foenograecum, tanquam medicamenta in quibusdam ventris morbis adhibentur, & non tanquã illa, quibus corpus nutrire oporteat. ppterea hęc annumerare nõ fuit opus, sed satis fuit intelligere ptisanam praeferendam esse omnibus frumentaceis gustamentis scilicet pani, chondro, & zeae, ex qua fit tragus appellatus. Et si dicas Hippocratem chondrum intelligere non potuisse, quia tempore, quo viuebat, non erat in vsu, nec dũ erat inuentus: Galenus inquit hoc esse absurdum. nam quidã antiqui comici de chondro mentionem fecere, qui tamen ante Hippocratem scripsere, & ipse met Hippocrates in libro de victu salubri chondri mentionem fecit. & si librum illum Hippocratis non esse contendas, Galenus ait, etsi Hippocratis non sit ille liber, est vel Euriphontis, vel Phaontis, vel Philistionis, vel Aristonis, vel alterius ex antiquis. nam liber is ad multos refertur, tamen quicquid sit, hi omnes antiquiores fuere, inter quos nonnulli Hippocratis tempore, alii ante ipsum extitere, & si diceres, hos quidem fuisse antiquiores vno Hippocrate, non tamen illo, qui hunc librum perscripsit, Galenus statim occurrit dicẽs. De Hippocrate loquor Heraclidae filio, qui hũc librum cõfecit, tñ non inus inficias et eius auũ Hippocratẽ fuisse nũcupatũ, illũ inquã q Gnosidici fili⁹ fuit, sed hic Hippocrates Gnosidici filius nihil scripsit secundum aliquos, secundũ alios, duos edidit libros, illum de membris fractis, & illum de articulis.

Quod legitur, sed iam vna cum tritico, tum hordeo, tum zea vescuntur, graece est ἤδη δὲ καὶ τὰς κριθὰς τούτοις προσνέμουσι καὶ τὰς ζειάς.i. Iam vero his tum hordeum, tum zeam attribuunt, annumerantq;.

Vbi legitur panis autem vnus & chondrus in acutis administrantur morbis, statim in Graeco textu sequuntur haec verba καὶ πρὸς ταῦτα ἐστὶ μόνα παραβάλλειν τὴν πτισάνην, idest, Atque cum his solis ptisanam conferre licet, si uero consideres, haec particula nullo modo erat praetermittenda, quae & in codice Graeco est, & in antiqua interpretatione.

Adde & in contextu antiquo, vbi habetur, Panis autem vnus & chondrus, additum esse & zea, quae particula necessario apponi debet, si verba illa quae sequuntur, conueniant, panis scilicet chondro & zeae, quippe non probe superioribus iungeretur, si de pane solo & chondro, & non de zea fuisset facta mentio. Antiquus vero ille contextus ita habet ἄρτος δὲ μόνος καὶ χόνδρος, καὶ ζειὰ ἐπὶ τῶν ὀξέως νοσούντων δίδοται. idest, Solus autẽ panis & chondrus & zea in aegrotantibus acutis morbis exhibetur, quae lectio Aldina probatior est.

Petes vero quae sint δημήτρια καλούμενα σπέρματα.i. Cerealia vocata semina. Respondemus, omnia illa cerealia dici, in quorum vsum necesse est & arare & seminare, & tota cereris arte vti, si gigni debeant, & prospere succedere.

An vero illa, quam uulgus nostrum cicercula vocat, illa sit, de qua nunc Galenus mentionem facit, in dubium vertere poterit.

Respondemus eam omnino esse, de qua Dioscorides nihil egit, in Theophrasto mentio fit λαθύρου, Theodorus semper cicerculam vertit, & octauo de plãtarũ historia, uersu. 137. inquit cicerculam habere folium oblongũ, versu aũt. 144. inquit habere caulem humi procidentem, & versu. 452. inquit vermiculos in cicercula innasci, cum secuta imbribus calor repentinus humorem incluserit, quæ omnia nostræ vocatæ cicerculæ contingunt. idem Theophrastus in tertio de plantarũ causis libro causam hanc reddit, cur vermiculi cicerculę inascãtur, uersu. 875. inquiẽs cum priusq́ fuerint resiccata, dies interim feruidi accesserint, Plinius libro decimooctauo capite. 12. inquit est & cicercula minuta ciceris, inæquales angulos habens velut pisum, & Columella similem piso facit, Palladius libro secundo, capite quinto illam serit in Ianuario, sed inquit raro respondere hoc genus feminia, quia decipitur austro, vel siccitate, dum floret. eodem tempore & Romæ & Neapoli in Campania plantatur nostra cicercula, apud nos tardius. hæc paucula de cicercula dixisse volui ob nõnullos, qui putarunt nõ esse λάθυρον .i. cicerculam quam eo nomine vocamus, cum piso similis esse non videatur, qui tamen longe decepti sunt. Alij dixere ἄρακον . idem cum λαθύρῳ .i. cicercula esse, & ipsi decepti, quoniam Galenus in primo de alimentorum facultatibus primo de lathyro agit .i. cicercula, postea de araco, at dicit esse simile granum cum cicercula, imo fatetur Galenus & quosdam tẽpore suo existimasse lathyron, & aracon idem esse, meminitq́ cuiusdam grani per x. scripti ἄραχον, & non per κ. ad cuius similitudinem plerunq́ in libro de compositione medicamentorũ secundum locos, inquit catapotia fieri debere in modũ ἀράχου, semen est syluestre eruo simile, tamẽ minus, quod abijcitur nõ colligitur. hęc vero alias, nunc ad rem nostram redeamus.

De ciceribus aliquid magni effari non est opus, cum notissima sint & alba, & rubra, & nigra, & columbina vocata, tamen rubra & nigra eadem in specie continentur, à Galeno duo genera describuntur, alterum κριὸν vocatum .i. aries, vel arietinum, alterum ὀροβιαῖον .i. eruinum. Plinius decimooctauo libro, capite duodecimo plures ciceris differentias facit, q̃ Galenus, & ante Pliniũ Theophrastus, imo quicquid à Plinio dicitur, id totum ex Theophrasto sumptum esse constat, ciceum vero differentias ex magnitudine facit, figura, colore, sapore. vnum uero & mirum et consideratu dignum occurrit, Plinium dicere cicer eruo simile esse dulcissimũ. At Galenus, à quo desumpsit Paulus, calidum esse cicer, & amarum fatetur, imo hi authores ob has qualitates inquiunt lienem, iecur, & renes expurgare, & ictericiæ prodesse, res profecto mira Pliniũ dicere dulcissimũ, Galenum amarum, in hoc orobæo cicere dulcedinem illã tam suauem non inuenimus, neque egregiam amaritudinem, quæ gustum male afficiat (si tamen id genus ciceris cognosco) propterea non ab re à Galeno dicitur particeps esse amaritudinis, & hoc non de solo orobęo intelligit, sed in communi & de arietino, & de agresti uehementius, Paulus uero hanc amaritatis participationem solum dat orobęo, & profecto dici non potest uera amaritudo.

De faba, lente, lupino, cum nulli non cognita sint, nihil dicere opus est, nullus enim tam pinguis mineruæ est, qui hæc ignoret, & si multas habeant spẽs & differentias, de quibus authores passim locuti sunt, vt non sit opus huc nos illas referre.

Quid uero sit pison, quod græci πισὸν vocant, in ambiguo est non pauci decepti sunt, putantes nostram vocatam robigliam pisum esse, quoniam & ab aliquibus nationibus bisi vocetur, constat profecto pisum non esse dolichum, nam Theophrastus, & ante ipsum Hippocrates pisum à dolicho distinguunt. Dolichum vero nostra vocata robiglia uidetur, quod an sit in præsentiarum asserere non lubet. Alias nostrum vocatũ rubiglione pisum esse putabamus, sed deinceps sententiam mutauimus, & eruum esse atque orobum iudicauimus. Plin. libro decimooctauo capite duodecimo siliquam pisi cylindraceam esse fatetur, & in apricis seri debere, esseq́ frigoris impatientissimum, Theophrastus octauo de historia plantarũ versu. 66. inquit pisum exire multa folijs, & versu. 157. folia piso oblongiora facit, versu autem. 145. inquit caulem humi habere procidentem, uersuq́. 259. habere grana in siliquis non intersepta, sed quasi inuicem cõtingentia, versu autem. 246. piso siliquam cylindraceam facit. at tertio de plantarum causis versu. 875. inquit vermes innasci piso, cum priusquàm fuerint exiccata, dies interim feruidi accesserint. Idq́ frigidissimum facit versu 764. libri quarti, & versu. 905. pisum generare curculionẽ edocet. Galenus primo de alimentorum facultatibus libro de pisis agit, vultq́ tota substantia esse simil a fabis, nec alio quàm illo modo comedi, tamen non inflant vt fabæ, nec abstergũt, propterea segnius quàm illæ per aluum secedunt. Nullus est ex ante quis qui perfecte pisum descripserit. Omnes uelut rem nouam, aut sellularijs esse notam reliquere, cum angulos habeat veluti cicercula secundũ Plinium. nam de cicercula agẽs inquit angulos habere veluti pisum. propterea pisum cicerculæ vulgo apud nos dictæ genus vnum esse putamus. quippe cicerculæ nomine apud Ferrariense vulgus multa intelliguntur, granum id angulos habens, qui in acutum non vergunt, pisum esse censeo, quoad melius inuenero. De auena aũt quid sit, quam ægylopen vocant Theophrastus, Dioscorides, atq́ Galenus, ac Græci reliqui scriptores, profecto constat, si Plinij ac aliorum descriptiones consideremus ægylopẽ esse auenam, tamen duplex est auenæ genus, vnum quod non seritur, sed ex hordeo degenerante nascitur, vt ex tritico lolium, et hęc proprie ægylops dicitur. Aliud auenæ genus seritur, quod βρόμον nunc vocat Galenus, et ante illum Dioscorides, illaq́ est auena, ex qua conficiebatur panis, vel edulia quædam, & non ex illa, in quam hordeũ degenerauit, Theophrastus vero hæc confundere videtur, & vtranque ægylopẽ vocare, Plinius vero latino nomine auenam vtrãq́ vocat, & fatuam, & illã quę ex hordeo degenerauit, quæ & sponte inter frumentaceas segetes nasci videtur, esseq́ eorum vitium, vnde & Plinius libro 18. cap. 17. illam frumenti uitiũ vocauit. diciq́ non aliter enecari hordeum à festuca, quæ ægylops .i. auena vocatur, quàm triticum à lolio, & cicer, ac eruũ ab herba quæ orobanche vocatur. De bromo .i. satiua auena hic locutus est Galenus, et nõ de ægylope .i. sponte inter frumẽta nascente. hæc spontina auena illa est de qua Vergilius primo Georgicorum cecinit,

Infelix lolium, & steriles dominãtur auenæ .i. ægylopes, quæ potius vitia sunt, quàm grana producentia. potiusq́ frumenta necant, quàm illis prosint, βρόμος autem vulgo auena bianca vocatur. Latini igitur utuntur nomine auenæ ad bromum, & ad ægylopa, Theophrastus nonnunquam ægylopa bromum vocat .i. agrestia vocabulum ad fatuam accommodat, tamen nondum legi, quòd bromus pro ægylope ab aliquo authore poneretur.

Quid typha sit, satis incertum nostro hoc tempore videt. nam typha per y, scripta genus herbæ est apud Dioscoridem libro tertio. Tipha vero per i, est genus frumenti de qua Plin. lib. 18. cap. 10. inquit pistam seri, si quis in triticũ mutari velit, idq́ anno tertio fieri. Additq́ eodem loco tipha & ipsa eiusdem generis scilicet cum bromo, siligine, et trago, deinceps sequitur ex qua fit in nostro orbe oryza, ex quibus verbis in suspicionem veni & oryzam esse grana quædam modo aliquo præparata, vt ptisana est, & chondrus, & tragus. Quid tñ sit tipha apud nos in præsentiarum non constat, nisi species illa farris sit quæ vnum solum habet granum. Ad exquisitiorem vero de tipha intellectionem nobis graue non erit, ea quæ sparsim à Theophrasto de illa dicuntur, in vnum coaceruare. Tipham Theophrastus inquit libro primo versu. 504. habere radicem numerosam, & 591. non habere nodos, & libro secũdo versu. 133. inquit, mutatur in triticum si pista seratur, libro autem quarto versu. 594. prouenit humilis. 620. folio caret. 636. de tipha ambigitur an in terra solum, uel etiam in aqua prouenit. 640. Tiphæ teneram partem ab radice pueri mandunt. At libro octauo versu. 5. tipha inquit frumentacea tritici speciem habet 16. maturæ seritur. 49. parte ima crassa, parte suprema folia.

Si dicas cur superius dicebat folio carere? Respondeo intellige in germinando .92. crassatur, perficiturq; cum defloruit intra dies quadraginta. 171. multiplici folliculo includitur 375. transit in aliud genus. 416. tritico, hordeo similis. 421. leuissima omnium in simplici culmo assurgit, & solo tenui concta est. 425. perq; similis tritico. verum libro quarto de plantarum causis, versu. 161. inquit, frumentum ex tipha fit arte 229. speciem tritico, atq; hordeo similem, nihil potest tolerare 230. triticum in tipham. At libro quito versu. 544. dicit arte nature ratione mutatur in triticū. 550. in quātitate, & qualitate mutatur. hęc de typha à Theophrasto scripta sunt, apud quem neq; syllabam alteram de ópha ipsa inuenire licebit.

De lente uero id ambigui prætermittendum non est, recētiores medici in sanguineis febribus (vt inquiunt) lentem præbent, cum enim febres illæ ex sanguine tenui, ac bilioso fiant, lentes præbent, vt incrassetur: at hic Galenus non vult nos in cibis vesci lentibus, sed tantū extra, quando dolores aliqui adfuerint. Scito apud Galenum non dari febrem ex putredine sanguinis, qui in genere sanguinis restet, sed fit solū ex superaucto sanguine, neque opus est secundum Galenum in febribus incrassare humores, imo si incrassatione indigeremus, adsunt alia media, quæ commodius id efficere possunt, q̃ lens, & si quempiam adducas, qui cū acuta febre alui profluuio detineretur, in quo casu lens conueniat, dicimus competere quidem ratione complicati symptomatis, non autem ratione febris, imo adsunt multa alia, quæ exhiberi possunt præter lentem, tamen non est adeo aspernāda lens, imo in aliquibus acutis morbis eius usus in cibo conferre potest, vt in vno mihi contigit, quem nuper curabam. hic simul cum acuta febre feminis genitalis profluuio detinebatur & non mediocri, ex lentis vsu, ac aliorū quorundam & à febre & à feminis genitalis profluuio liber simul euasit. lentes Romani funerales & lugubres existimarunt, vnde malum protēdere exercitui Crassi, ut Appianus refert in lib. Parthico, quādo fuere datæ Crassi militibus ob aliorum ciborum penuriam.

Galenus per panem triticeū, panem intelligit vel hordeaceum, & chondrū, & zeam & ptisanā, hæc quatuor in acutis febribus exhibētur pro cibis, cæteris vero ptisana præstat. De chondro & in nostris aphorismorum commentarijs vbertim, & alibi disseruimus. cum vero Plinius dicat alicam rem Romanam esse, & Galenus hic probet ab Hippocrate fuisse cognitā, vel etiam ante Hippocratem, propterea cōtradictionem hanc suo in loco cum de alica sermo fiet, dissoluemus. Neq; illud prętereūdum est, cum à Galeno dicitur, lentem, milium, & foenumgræcum in aliquibus morbis exhiberi tanquam medicamenta, & non tanquam nutrientia cibaria, id non solum intelligendum est hæc exterius applicando, sed & in cibis sumpta, quoniam ut cibi non sumuntur, sed ut aliqd prohibentia, ut de lente, quæ in febre acuta conceditur, cum qua sit commistum alui profluuiū, uel sanguinis immodicus ex quacunq; parte defluxus.

Quid vero sit hoc in loco tragus, de quo inquit Galenus, quod fit ex zea, scito apud Dioscoridem libro secundo, tragum esse genus frugis persimile chondro, & lōge inferius zea in alimento, Pliniusq; libro decimooctauo capite decimo. tragum genus frugis facit, & Galenus primo de alimentorum facultatibus inquit tragi semē alicæ adsimile esse, multo vero alere imbecillius quàm zea, ob glutinosam, qua dense vestitur substātiam, eaq; ex parte ægre in ventriculo peruincitur, & aluum magis emollit, ex quibus verbis facile educi potest tragū esse genus frugis, & primo de simplicium medicamentorum facultatibus aperte ostendit esse genus farris capite. 56. Hæc ob nō nullos afferre voluimus, qui tragum solū genus pultis ex zea esse arbitrati sunt. Tragus apud authores multa significat. De trago herba Dioscorides mentionem facit, & tragus odor est alarum in pueris potissimum cum hirquitalire incipiunt, & tragus animal est. propterea apud aliquos authores cum de trago sermo fit, Tragon σιτώδη quasi frumentaceum vocant, ad herbæ differentiam, & aliorum. Plinius præcitato loco putat tragum inter peregrina Italiæ tritica numerari, & cum dicit ex tritici semine tragum fieri in Campania tantū Aegypto, tunc de pulte ex trago tritico facta intelligit, de qua & hic Galenus, cum dicit illum fieri ex zea, tamen Plinius præcitato loco satis cōfusus est, de his quæ fiunt ex frumētis pultibus, nam tragum facit ex tritico, & pro eodē videtur accipere far, & tragum. quomodo autem fieret, inuenire difficile est. tamē occurrit mihi Constantinus Cæsar libro tertio de Agricultura cap. octauo, qui de tragi confectura hæc dicit, τράγου ποίησις· τὸν ἀλεξάνδρινον λεγόμενον σῖτον βρέχειν, καὶ πτίσσειν, καὶ ξηραίνειν, οὕτω τι ξηραίνειν καὶ ἀποτίθεσθαι τὸν τράγον ἐκ τῆς εὐγενοῦς ὀλύρας. idest, Tragi præparatio, frumētum Alexādrinum appellatum, maceratur, & decorticatur, & in sole calido siccatur, deinde idem rursus fit, donec & pelliculæ, & quicquid fibrosum est in frumento dilabatur, atque hoc modo etiam siccatur, et reponitur tragus, qui ex generosa olyra cōficitur. Imo & Galenus tragi mentionem facit ex olyra. Putamus ex frumentaceis & iambus multa fuisse confecta, quæ per tenuius tantum, & crassius differebant, ut apud nos ex eadē farina plura pultium genera fiūt, crassiora, minus crassa, & tenuia. quid vero sit tragus seges nostro æuo incompertum est.

Cum ergo à Galeno in acutis morbis ptisana pani, chondro, & zeæ, ex qua fit tragus (en tragum ex zea, & nō ex trago farre confectum) præferatur, ptisana hisce in morbis vti conueniet, tamen ex his non it inficias, nos alijs uti posse cōsimilibus, cum omnes eodem cibo uti non possint, sed multis odio sit ptisana, his ex herbis minutalia exhibenda, & elotus panis, & seminum peponis expresso decoctus, qui acutæ febri conuenit, si ex illis sit in quibus cibi conceduntur, nam aliquæ sunt acutæ febres, in quibus nihil aliud dandum est, quàm aqua, ut illę sunt, quæ in quatuor diebus iudicantur.

Quarto ad Hippocratē reuertitur Galenus, ostenditq; ex eius verbis ptisanam frumentaceis gustamentis recte prælatā esse. Hippocratis uerba in contextibus qui sequuntur, posita sunt, cum inquit: Quæcunque ad acutorum morborum sanationē insunt bona, nulli alteri inesse comperies. sententia est satis anceps, quippe id sentire videtur, ad acutos morbos nihil aliud præter ptisanam esse conueniens. De hac autem re deinceps suo loco differemus. nunc cum Galeno acutorum morborum naturam perpendamus. Acuti morbi hoc præcipuum habere videntur, vt simul febrem non intermittentem iunctam habeant. Intellige vero acutos, qui cum febre sunt. nam apoplexia acutissimus est morbus, & absque febre est, in genere autē acuti omnes morbi ex calida orti materia, febrem nō intermittentem iunctam habent, cum materia in venis putreat, vel saltem per subnexionem non intermittentes erunt, febris uero cōuersio est natiui caloris ad igneum, sed in hac Galeni definitione ambigua contingerent, an febris calor sit a naturali distinctus, an sit ipse natiuus calor auctus, etsi hic natiuus sit auctus, an vim aliquam habeat natiuus cum amplius in suo gradu nō sit. hæc uero alio in loco & commodiori differemus. Vnū est Galenum in febriente homine & hic, & alibi vnum tantū posuisse calorem, imo et hanc esse Hippocratis sententiam hic testatur Galenus, & per verba Hippocratis, quæ deinceps erūt, hoc probat, quibus & probare nititur, febrem esse igneum calorem nempe dicet ex thorace incipere, & ad caput flammam mittere, cum nunquam sit febris nisi calor sit in corde accensus, & per totum permeet corpus, facilius vero in caput ascendit, & illud inflammat, q̃ alias partes, febrem uero esse igneū calorem ex hoc sumi potest, quod in libris de morbis vulgaribus, cum de magna febre verba facit, illam vocat ignem, ac si aliam non habeat naturam, q̃ ignis substantiam, quæ est calida & sicca, ita febris sit calida & sicca. Ad hunc igitur ignem extinguendum, & ad febrem expellendam, cum contraria cōtrarijs curentur, conueniens erit contraria cibaria illi exhibere, quæ sunt frigida & humida, non quidem actu solo, sed & virtute. Adde febres (de quibus nunc sermo fit) quæ non sunt ephemeræ, neque hecticæ, cum acutæ sint, ex humorum putredine ortum habere, cum etiam putredo in adustionem con

tinuo tendat, quia vna humorũ portio semper exusta est, & a ardet. propterea in his frigidis & humidis indigemus, & pars quæ ardet, vel ad accensionem apta est, concoqui debet, quæ uero iam exusta est, debet euacuari. verum si cibus aliquis inuematur, qui vtrunq; efficere possit .s. putrentem materiam, vel ad putredinem tendentem coquere, & quod iam exustum est euacuare, hic erit perfectissimus cibus in febre, imo haec perfectio magis augebitur, si & facile coqui, & distribui possit, huic enim cibo nihil deerit. At quid aliud est, q̃ ptisana, cui prędictę insunt dotes? quippe exustum euacuat, & putridum coquit, nutrit, facile concoquitur, & facilius destribuitur, estq; cibus frigidus & humidus, propterea & acuto morbo, & eius causę conuenit. Sed iam dotes eius perpendere incipiamus.

At primo ambiges non uideri ptisanam esse humidam, quia ex hordeo fit, hordeum vero siccum est, non humidum, Galeno in primo de alimentorum facultatibus magno teste, & in libro de simplicium medicamentorũ facultatibus. itaq; omnes vno ore hordeum siccum esse fatentur. & in primo de alimentorum facultatibus inquit polentã ex hordeo siccare, & in tertio methodi medendi libro hordeaceam farinam in actiuis temperatã esse dicit, in passiuis siccam, imo & pręcitato de alimentorum facultatibus libro dicit triticum calefacere, hordeum vero medium esse inter calidũ & frigidum, igitur neque ratione qualitatis actiuę febri acutę conueniet, vtpote calidę, quę frigidum exigit nutrimentum. Respõdemus hordeum simpliciter acceptum exiccare, et esse temperiei siccę, vt Galenus pręcitatis testatur locis, quibus adde & prefationem libri de alimentorum facultatibus. at vario pręparatum modo, nunc exiccat, nunc humectat, De caliditate vero apud Galenum constat, nunq; calefacere, sed semper infrigidare quomodocunq; prępararetur, vel ex eo fingatur panis, vel ptisana, uel polẽta. propterea infrigidationis ratione semper conuenit. de humectatione vero, illam habet secundum varias prępparationes, et secundum alias exiccat, quippe ex tosto hordeo facta polenta exiccat, ptisana vero probe cõtecta humectat, nam admistã habet aquam, cum qua diu ebulliuit. Verũtamen quod in hordeo cortice recluditur, humidum esse videtur .i. caro ipsa hordei, & per substãtiam humectare, cum Galeno dicẽdum est, potius exiccare, eiusq; farinã mediocriter exiccare, si intra ulcera, vel ex se, vel alteri simplici mista ponatᵗ tamẽ nõ est egregia siccitas illa quæ in hordeo est, sed talis quæ deprehenditur, vt ferè ad secundũ ordinẽ accedat, neq; potest in inficias aliquid habere in substantia humiditatis. Galenus inquit hordeum siccum esse ordine primo, tamen vel in principio secundi, est vel in tertia parte primi, & in septimo de simplicium medicamẽtorum facultatibus hordeum in primo ordine frigidum facit. Hæc uero aliàs discutiemus, id nũc satis sit, q̃uis exiccare posse, tamen in ptisanã redactam ob aquæ miscellam quæ in coctura est, humectare.

Iterum ambiges in eo quod à Galeno dicitur, quod concoqui potest concoquatur, & quod iam exustum est euacuetur, quid illud sit quod concoqui debet, an materia quę tũc actu putrida est, & febrem facit, an quæ nondũ putrida est. Scito materiam illam esse euacuandam, quæ vel cocta est, vel exusta, illa quæ nunc febrem facit, exuritur, vnde exustione perfecta euacuanda erit, prius vero non, quia esset ad exitum inepta, illa vero coctione indiget quæ ad putredinem est apta, nondum vero putruit, at putrescet, probæq; materiæ, & sanguini probo mista est.

Quinto Galenus ad particulas de laudibus ptisanæ ab Hippocrate positas considerandas orationem vertit, primamq; eius dotem refert, viscositatem habere, quæ lenis est. Verum vt noscamus quid lene sit, vel leue, eius oppositum considerare oportet, ita enim facile q̃d lene sit cognoscetur. Lene aspero opponitᵗ cibaria exasperantia lenia dici non possunt, sed exasperantia. Et si petas quænam sint eiusmodi cibaria, à Galeno respondetur esse acria, acida, & adstringentia. acria illa sunt quæ calefaciunt ut eruũ & foenogræcum, de acidis vero nihil loquendum, sed omnia præter oxymeli dimittenda, de quo solo agemus, eodem modo ex adstringentibus pira dimittuntur agrestia, & mespila, & eiusdem generis reliqua, & ex frumentaceis lens, ac similia. Ptisana igitur cum lenis sit, naturam exasperantem non habet, & quia asperitati lene opponitur, & secundum tactum, & secundum vires, propterea à Galeno dicitᵗ ptisanã & quo ad tactum & quo ad facultatem suam esse lenem.

Quod legitur acria sanè omnia calefaciunt, græce est δριμία μὲν οὖν ἅπαντα ἐστὶ τὰ θερμαίνοντα .i. acria sanè omnia sunt quæ calfaciunt.

Verum petere poteris, & non ab re quomodo acria exasperẽt. Respondemus, acria vt Galenus inquit vehementi caliditate calida sunt. vnde in quarto de simplicium medicamentorum facultatibus capite. 17. inquit hoc demonstratione non indigere, imo Plato de acribus tanquam de omnium calidissimis locutus est: & Aristoteles ac Theophrastus idem sentiunt. Itaq; nullus dissentit, quia excalfactio est ex eius essentię ratione. propterea concedit & vulgus cibum esse acrem, qui fortiter dum gustatur calefacit, vt piper, pyrethrum, nasturtium, allium, cæpe. Cum ergo acria calida sint, partes, per quas transeũt, exiccant. Idq; non æqualiter, vnde asperæ fiunt hæ partes. Adde si re aliqua acri & calida nutriamur, calidos humores gigni, & qui corpus exasperant. De eruo tamẽ & foenogræco, quæ hic acria à Galeno ponuntur, scito hæc multam acredinem non habere. nam foenogræcum ordine secundo calidum est, exquisite vero acria ad quartum caliditatis ordinem attingunt. Orobus vero, quem eruum nos dicimus, in primo solum ordine calefacit. Arbitror Galenum hic exempli potius gratia locutum esse, quàm vt eius esset sententiæ, imo & aliquid amaritudinis participat eruum. Ipse vero Galenus quinto de simplicium medicamentorum facultatibus capite. 18. ab amaris acria distinguit. In acutis igitur febribus non conueniunt acria, tum quia calida, tum quia exasperant.

Acida præterea exasperant. vnde acidis vti non debemus, vel cum acidis nonnullis vti possimus, veluti oxymeli, tamen ptisana est illis melior. hæc acida corporis partes asperas reddũt, id exemplo manifesto deprehenditur in his qui acetũ tractant, quorum manus rugosæ euadunt, eodẽ modo in humano corpore eiusdem generis humores generantur, qui asperi sunt, & partes ipsæ contactæ asperæ efficiuntur, fit vero ex frigore aciditas, vt Galenus quinto de simplicium medicamentorum facultatibus libro, cap. 11. testatur.

Præterea & adstringentia exasperant, id exemplo habetur in mespilis comestis, & syluestribus in piris, sed tam aperte hoc deprehenditur in piris, vt lingua post eorum esum statim aspera sentiatur, per mespilum uero non ita à nobis vocatum intellige, quamuis adstringat & exasperet, sed tricoccum vulgo lazarolum nũcupatum, id enim nomine mespili ab antiquis recipitur, à Galeno igitur acria in acutis febribus sumenda non esse infertur, quia calida, neque acida, præter oxymeli, de quo verba faciet, & adstringentia quoque prætereunda, præter syluestria pira, & mespila, & lens. hic vnus est sensus. alter, quem innuere videtur Galenus, est, vt ex adstringentibus syluestria pira dimittantur, mespila, & lens. At inquies & far nostrum probe coctum, et zeam hoc est speltam probe coctã lenia esse edulia quod experientia, dum edunẽ ostendit. Respondemus, & si tactu lenia sint, id potẽtia non habent, cũ maiore caliditate prædita sint, q̃ ptisana, imo & si lenia essent, alijs carent dotibus, quas hic Hippocrates ptisanę attribuit, quoniam & illa probe cocta lenia esse non dubito, & alia multa eiusdem generis esse, quæ non sunt ptisana, verum alijs ptisanæ proprietatibus & dotibus carent.

Sexto Galenus aliam de ptisana dotẽ ab Hippocrate positam exponendam suscepit, quæ est, viscositatem eius esse continuam, ob id quia ex coctione exacta in omni parte sibi similis est, hoc autem zeæ non inest, hoc est pulti ex zea, ita Galenum intelligo, quia zea .i. spelta probe cocta non minus quàm ptisana continua est. Forte genus pultis erat, quod dum ad suã formam ducebatur, continuum non erat, sed remotas partes habebat, aliquasq; crassas, alias tenues. propterea leuis non erat,

tamen

tamen si zea probe coquatur, cõtinuas habet partes. possemus & intelligere pisanã continuã esse, quia humores continuos generat, & nõ diuersarũ naturarum, ut aliqui sint crassi, alij tenues, imo æqualitatem hñt & continuitatem, vel intellige continuitatem .i. fieri vnum corpus, in quo quidem grana omnia aperta videntur, adeo tamen mista, vt pisana corpus vnũ videatur continuum, hæc profecto proprietas potuisset ab Hippocrate suo cum decore fuisse prætermissa. Scito tamẽ hanc partem, quod zeæ nullo inest pacto, in omnibus impressis græcis codicibus eodem modo legi vt interpres vertit. s. ὅπερ οὐχ ὑπάρχει ταῖς ζειαῖς .i. Quod zeæ non inest. Incidimus tamen in græcum quendam codicem, qui ita legebat ὅπερ οὐχ ὑπάρχει τοῖς λοιποῖς ζωμοῖς .i. Quod reliquis iuribus nõ inest, si hæc uera sit lectio, intelligenda est de iuribus ex chondro, ex farre, ex zea, & similibus alijs. Nam ius pulli ex herbis alteratum, forte continuum erit, quanquam dici possit in iure esse partium diuersitatem, cum aliquæ sint aquosæ, aliæ vnctuosæ, aliæ terreæ, quæ partium diuersitas à pisana longe abest, probo potius vt de zea loquatur, quàm de iuribus, quãuis & illud accõmodari possit. Nunc nunc in contextum quendam incidi, in quo hæc duo simul hoc modo legebantur, ὅπερ οὐχ ὑπάρχει ταῖς ζειαῖς, οὐδὲ τοῖς λοιποῖς ζωμοῖς .i. quod non inest zeæ, neque alijs iuribus. Audias igitur continuationem non solũ corporis pisanæ, sed & suarum virium, cuius oppositum in iure est, quantum sit de viribus, nam & si continuatio videatur in substantia & iuris corpore, tamen in viribus diuersitas est, quoniam pinguedo, aqua, & terra, quæ sunt iuris partes, diuersas habẽt naturas. neq; mireris de parte terrea, quoniam oculata fide, in ebullitione ab alijs partibus sequestrari videtur. nisi quispiam dicere velit, & in pisana tota, & in cremore diuersas esse partes. At illud dici non potest, quia eædem sunt vires, ob tenuitatem & crassitiem magis & minus penetrantes.

Septimo id exponit Galenus, quòd pisana mitis sit & iocunda, hoc in ipsa dignum laude est, quia hoc immiti opponitur & iniocundo, id vero immite est atque iniocũdum, quod dum sumitur, insuauitatem quandam habet, vt panis dum sumitur insuauis est, nisi abũde ipsum maceraueris madefecerisq;, imo panis non solum in suauitate superatur à pisana, sed & in hoc, quia ipsa bibi põt, vel exorberi, si illam quis edere noluerit. Panis profecto, qui cibus communis est insuauitatem non habet, si probe coctus sit, & ex exquisita farina confectus, tamen si pisanæ egregie factæ comparetur, insuauior est, dixi pisanæ egregie factę, quoniam quæ à mulieribus in præsentiarum fit pisana nullis fere sapere potest. si quis tamen fame correptus sit, panis probus illi sapit, quãuis nonnulli sint qui panem absq; obsonio edere non possint. at nunc de his intelligit Galenus, de quibus etiã loquebatur Hippocrates, qui acuto morbo correpti sunt, his etenim insuauis videtur panis, quia & nimis siccus est, & palato inhæret, & masticare nõ possunt. propterea à pane abhorrent multi ægri, Galenusq; innuere videtur Hippocratem posuisse hanc particulam, iucundam ob panem, qui sit iniocundus, licet sit communis omnium cibus. Scito cum dicit pisanam posse sorberi, intellige sine masticatiõe transglutiri, si ex cochleari sumatur, facilius uero eius cremor sorbetur, quia tenuior est. At integra pisana ad spissitudinem venit, talis autem est, quod transglutiri potest, panis vero necessario masticatur, & p os sæpe voluitur, anteq; transgluoiatur.

Octauo Galenus ostendit lubricitatem, quam pisanæ tribuit Hippocrates, non esse minimam cõditionem, præsertim si de cremore loquamur, & pisanæ succo, qui non solum per intestina & naturales alias partes transit, sed & thoracem pertransit, nihil sui in aliqua thoracis parte relinquens, vt illa faciunt, quæ infarcta, & imposita meatibus adeo obstruũt, vt vix absolui possint, hoc uero viscosis omnibus contingit, præterquã pisanæ, quippe sorbitio, quę ex chondro fit, habet quidẽ quod viscosum est, tamen nulla insignitur lubricitate, quia viscositas est adhærens. At pisana viscosa proculdubio est, verum simul habet quòd lubrica est & detergens. vnde medici ad humorem illum detergendum, qui in ventre infarctus & impactus est, vomitu ex cremore pisanæ vtuntur, sicuti & aqua mulsa, quòd vero detergens sit id optimũ est argumentum quòd etiam extrinsece detergit. Nam puerorum mangones pisanam conterunt, faciesq; illinunt illis pueris, quos vendere volunt, vt vitiosos cutis colores expellant. Cum vero pisana detergat, secundum hanc partem, qua detergit, ad deiectionem idonea est, per hanc enim partem intestina, extimulat, & quæ in vijs repererit vnà ducit, imo & per has detersorias partes, etiam distribuit, hocq; potissimum facit, cum cibus à sima hepatis parte ad gibbam transmeare debet, nam hac in via, hisq; in meatibus cibi qui crassi sunt succi, & qui tenaciter adhærent veluti gluten infarciuntur, impinguunturq;. Ex hoc palam est chondrum, cum viscosum sit, & non abstergens, non solum iocinorosis in affectibus obesse, sed & obesse, cum iecur nullam habuerit affectionem, sed hi meatus istos naturaliter angustos habent, imo hæc est generalis regula. Omnes, qui hoc viscus naturaliter arctum, idest vias suas arctas habent, in ipso viscosa omnia infarciuntur & impinguntur, atque vias istas implent, & obstruunt. vnde cum hi cibi à sima ad gibbam distribuuntur, vt deinceps in totum corpus mandentur, grauitas sentitur in uiscere. Scito pisanam ob humiditatem quam habet, esse lubricam, quæ talis est, vt hoc corpus lubricũ reddat: & abstergens, hæc vero lubricitas potissimum est in pisanę cremore per linteũ excolato, qui cum exprimitur, pisana calida esse debet, alioqui vel non exiret, vel difficulter exiret. Ambiges vero, quomodo thoracem pertranseat, cum ventriculum ingrediatur, postea intestina, deinde iecur per meseraicas, post reliquas corporis venas. Respondemus vel intelligendum post eius coctionem, quando sanguis effecta est, tunc pertransit thoracem in vena magna contenta, neque in thorace sistit, vel aliqua eius in parte. Aut cum à faucibus ad stomachum, idest ventriculi os canalis sit gula nominatus, per quem cibus transit, & tota hæc cibalis fistula ad thoracis longitudinem extendatur, ob id dicitur pertransire thoracem, idest spatium istud, tamen non transit per thoracem, sed per gulam, neq; alicui gulæ parti inhæret. Antiquiorem quendam contextum legimus, in quo tres lectiones aderant, vna iam dicta scilicet διεξέρχεται γὰρ τὸν θώρακα. quam omnes sequuntur, alia est διεξέρχεται γὰρ τὴν κοιλίαν. idest pertransit enim ventriculum, tertia διεξέρχεται γὰρ τὸν στόμαχον. idest, pertransit enim stomachum. Differunt vero στόμαχος, & κοιλία, quia hoc cauitatem ipsam significat, illud os ipsum, quãuis & huius dictionis vsus amplietur & ad cauitatem ipsam, & ad gulam. Secunda, & tertia lectio præter rem non sunt. nam proprie pisana gulam & ventriculum transit, & non per thoracem, tamen Hippocratis mens videtur vt per thoracem transeat pisana, quippe uigesimanona sectione huius libri de pisana inquit, neque in recto thoracis manet tramite ἴξιν eum uocant. Galenus in commentatione de thorace & pulmonibus interpretatur. At forte non uidebitur nos pisanæ cremore uti posse ad uomitum prouocandum, cum res sit ualde crassa. Respondemus cremorem linteo percolatum esse ueluti aquam crassiorem. propterea uentriculum ingrediens, eius parietes quodammodo circuit, & emundat, simulq; uomitu citato illa educit, quæ uentriculi parietibus inhærent, hoc nos facimus ex aqua hordei imperfecte excoriati, quo exquisitius, ratione corticis, abstergat, ueluti antiquitus mulsa aqua utebantur ad uomitum proritandum, quæ & ipsa abstergit. Adde & pisanam ita colatam non solum quia abstergit, materias per uomitum ejicere, uerum cum multis displiceat, nauseam cit, à Galeno uero non dicitur quòd nauseam moueat, sed quòd abstergit. propterea in nausea, & iam proritato uomitu, uentriculi parietes emundat. hic pisanæ cremor ad uomitum ciendum tepidus sumi debet, postea uentriculum æger quatiat,

ac per totum vertatur, deinde digitis, aut penna in os positis vomitus prouocetur, hoc enim modo materia, quæ in villis ventriculi est, facile exit, idem fit cum quis vel aquam hordei, vel aquam mulsam gratia euomendi humores qui in corpore sunt, acceperit. vnde hæc solum dantur, vt ventriculi partes abstergantur, & minori cum noxa fiat vomitus.

Quomodo intelligitur Galeni dictum, Mangones crudã ptisanam conterere? Rñdemus superius dictum est ptisanam ἀπὸ πτίσσειν. i. contundere & excorticare deductum esse, cumq; hordeum excorticatum est, nuncupari crudam ptisanam, cum ex coctura in pultem reddatur, esse coctam ptisanam, crudam ptisanam mangones accipiebant, & in paruissimas micas conterebant, postea aqua madefacientes, puerorum facies abstergebant, ut liuidos colores, luteos, & maculas cutis faciei extergerent, quòd & mulieres facere possent minori noxa, quàm ex sublimato argento, aut cerussa, aut aliorum similium fuco, ad quem et dentiũ putredo sequitur, & malus odor halitus, & rugæ prius quàm tempus earum facies arant.

Non semper in iecoris vias naturaliter arctas habentibus, ex cibis crassis, glutinosisq; cum distribuuntur in iecore grauitas sequitur, sed id tantum est si per dies aliquot illis vescantur cibis, quoniam paulatim opplentur, atque obstruuntur meatus, neq; deinceps succi hi permeare pñt, imo & meseraicæ ipsę obstruuntur, arctanturq;, vnde ex hoc alui profluuia contingunt. At non mediocre dubium contingere pōt, quia à Galeno dicitur ptisanam abstergere, & ob hoc etiam idoneã esse ad deiectionem, distributionemq;, & extersoriã esse, potissimũ vbi à sima iecoris ad gibbam alimẽtum transmeare debeat, meatusq; ab humoribus infarctis liberare, verũ in quinto de simp. medica. facult. cap. 11. Galenus ipse de extersoriis agens de cute & vlcerũ sordibus inquit, nõ solum amara pñt abstergere, & nitrosa, sed & dulcia, ut hordeum, addiq; hordeaceam farinam tantum extergere, non etiam meatus farctu liberare. Respondemus de farina hordei loquitur Galenus externus applicata, & si mandatur etiã imperfecte cocta, ptisana vero id habet ex coctura sua, cum hordei natura, ut intus etiam extergat, atq; educat, & ob humiditatem lubricet, idem quoq; Galenus in primo de alimentorum facultatibus, ubi de hordeo agẽs ptisanæ rationem ponit, & inquit si non deglubatur quicquid in hordeo est aceris, elixa ptisana citra ullum aliud damnum magis abstergebit.

Si præterea dixeris abstergentia caliditatem habere, Galeno quinto de simpl. medicamentorum facultatibus libro cap. 11. teste. Rñdemus, omnino aliquid caliditatis inesse ptisanæ, verum & facit sua tenuitate, & quadam corticum nitrositate, qui perfecte nunquã auferri possunt. Scito aũt aliqua esse quæ solam cutem, vel vlcera extergunt rhyptica vocata, alia poros etiam expurgant, quæ his tenuiorum sunt partium, emplasticis contraria, quæ vocantur pororum ecphractica & eccathartica ac si expurgantia & farctu liberantia dixeris, ex his secundis non potest esse ptisana, quamuis nonnihil intrinsecus meatus etiam recludat.

Nono particulam eam Galenus exponit, quod ptisanæ viscositas sit humens, est vero mediocri humiditate humens, nõ uehementer, vt aqua, atque melicratum, & sorbitio ex chondro, & ouis, quippe hæc sumpta stomachum supinant, adeoq; manifeste obtundunt, vt hi qui ita affecti sunt, stomachũ subuersum esse putent. vnde & si illa humectent, & aliqua forte magis q̃ ptisana, tamen humiditas est quæ stomachum subuertit, è contrario autem ptisana humectat quidem quantũ satis est, sed stomachum subuertere non potest, intellige uero hic p stomachum, id quod in præsentiarũ homines vocant stomachũ, non solum ventriculi meatum, sed & os ipsum, nam si hoc os fuerit imbecillum & exolutum quòd ingestum est, diu in ipso manet supernatans, cuius oppositum cõtingit, si à cibo aliquo boni succi reductum sit, tunc enim quod continetur, expellit, quoniam humor statim ab ipso recedit, & coquitur, & deiicitur quod ita expulsum est, quod autem in ore ventris supernatat, manet crudum, tardeq; cedit, quoniam huius partis. i. oris ventriculi officiũ est appetere, non coquere, cibi igitur qui adstringunt, ventriculi os roborant, & plus iusto etiam exiccant, sorbitio vero, quæ paratur ex chondro quia humectat, propterea apta est supinare os ventriculi, & deiicere, hoc autem in ptisana haud inuenitur, quæ apta quidem est humectare, non vero supinare, & deiicere stomachum.

Inquit aquam superflue humidam, intellige cum eius vsus sit frequens in febribus, non si bis, aut ter sumatur, tunc enim appetentiã obtundit, nauseamq; inducit, flatus in stomacho excitat, quæ à ptisana non fiunt, tamen ab aqua hordei, quam nostræ mulieres parant, idem fit appetentiam deiicit, ventriculũ infrigidat, flatus excitat, in liene duritiem gignit, cum aqua sit parum cocta, in qua hordeum ebullierit, magis humens est, quàm opus sit, tamen febris contingere posset adeo ardens, vt nec ipsa pura aqua satis esset humens.

De melicrato inquies cum ebullierit, & mel recipiat, cuius natura calida est, quomodo superfluam humiditatem habere poterit? Respondemus, nullam habet in sua substantia consistentiam, & multas habet flatuosas partes, nam quantumcunque decoquatur mel, in eo semper flatuosę partes insunt, quibus et appetentiam deiicere potest, & os ventriculi perturbare.

De chondro vero ambigi potest, qui ptisana humidior esse nõ videtur. nam vel ex zea. i. spelta sit, vel ex grano chondro vocato, uel ex farre nostrate, semper maiorem consistentiam habet, quàm ptisana. Respõdemus, hic nõ intelligit chondrum. i. pultem ita vocatam, sed inquit ἐκ χόνδρου ῥόφημα. i. ex chondro sorbitio, quæ nihil aliud est, q̃ aqua, in qua huius seminis grana ebullierint, etsi dicas chondrum abominationem nõ inducere, neq; ventriculum peruertere, quia ptisana suauior esse videtur. Dicimus vnctuositatem quãdam habere, per quam in ventriculo superfluitat, & perturbationẽ inducit, dici quoq; posset ad dubitationẽ primam, cum humidum triplex sit, moderatum, quale in ptisana, nimis aquosum hoc est vehementer humidum, & nimis crassum, cũ Galenus nimis aquosum per aquam & melicratum expressisset, per chondrum & oua humidum nimis crassum exprimere voluit, cum uero ptisana in horum sit medio, cæteris præferenda iure uidebitur. De ouis autem loquentes, nonnulli per ouorum sorbitionem, aquã, in qua sint oua decocta intellexere, decepti profecto, cum in nullo sit vsu, & Galenus inquit τὰ ῥοφήματα τῶν ᾠῶν. i. oua sorbilia. At hæc oua Galenus in tertio de alimentorũ facultatibus inquit esse optimi nutrimenti, primo illa, quę ad mediocrẽ consistentiam coquuntur, à Græcis trometa, à Latinis tremula & mollia nuncupata omnium bellissime nutriunt, sorbilia quæ duntaxat incalescunt, minus præstant alimentum, sed expeditius descendunt, ac gutturis scabritiem leuigant, tamen in acutis febribus non valent vt ptisana, quia oua ob vnctuositatem quandam supernatant, & nauseam inferunt, adde in bilem facile conuerti, morbi uero acuti biliosi sunt, idem de melicrato dicendum est, facile in bilem transire, & cuiusdam dulcedinis ratione nauseam, abominationemq; inducere. Cum igitur hæ febres biliosæ sint, Galenusq; mel biliosis non conuenire edocuerit in primo de alimentorum facultatibus libro melicratum quoq; in his febribus non conuenire certum est. ne igitur intelligas oua vehementer humectare, & ob id non conuenire, cum aliud in causa sit cur non cõueniant, uel humectare vehementer substantiose, quod ptisana non facit, idest cur oua non ualeant in acutis febribus, additis tamen & his, quas superius enumerauimus, causis.

Si dicas & ptisanam stomachũ subuertere, ægrisq; summopere displicere. Respondemus ptisanam egregie coctam confectamq; nullis displicere, nisi ut sanis etiam probi cibi, ex longo vsu fastidio sunt. vnde si quis octies aut decies uescatur ptisana, forte displicere incipiet, tamen ori ventriculi fastidium non inducet, neque subuersionem, sed tantũ ex frequentia displicebit, ut quandoque mihi in cuiusdam morbi conualescentia, perdices adeo displicere cœpere, vt nunc etiã non sapiant.

Scito

Scito præterea apud Galenum tripliciter reperiri vsurpatum nomen stomachus, nonnunquam pro cibali fistula, quæ meatus est à faucibus ad ventriculum, nonnunquam pro ore ventriculi ipsum ingrediente, nonnunquam pro ipsius ventriculi cauitate, quæ proprie κοιλία vocatur, ipse quoque ventriculus eodem nomine dicitur.

Vbi legitur quod si imbecillum fuerit atque exolutum, Græce est, ὅταν μὲν ἄτονον τοῦτο καὶ ἔκλυτον γίνηται. i. Quãdo igitur hoc scilicet ventriculi os imbecillum, atque exolutũ fuerit. At inquies, oris ventriculi exolutio ad ciborum supernatantiam quid facit? Respondemus, exolutio talis inappetentiam inducit, & nauseam quandam. vnde cibi ad os ventriculi mouentur vt exeant, hocq; euenit prauis cibis sumptis, vt chondro, ouis sorbilibus, & aqua mulsa in acutis febribus, imo ventriculus ipse ex hoc imbecillior redditur, & multi in eo flatus excitantur, qui cibos ad os ventriculi expellunt, & supernatare faciunt, idq; potissimum fiet, quando erunt vnctuosa. tamẽ si os ventriculi ab aliquo boni succi cibo reducatur, tunc id quod in ipso continetur expellit. propterea quod supernatat, in ventriculi fundũ descendit, et coquitur, atque deijcitur, dum enim in ventriculi ore manebat, coqui non poterat, cum oris ventriculi officium non sit coquere, sed appetere. propterea à superfluis humidis læditur, à siccis vero iuuatur, quoniam adstringentia ventriculi os roborãt adstringentia vero exiccãt, idq; plus iusto faciunt, non tñ omnia adstringentia, sed nõnulla. vides igitur sicca os ventriculi roborare, & fastidium non inducere, quod humida inducunt, vt chondrus, ptisana vero hanc præstantiã habet, quòd humida est, verum noxa illa caret, os ventriculi supinare, vel obtundere, & nauseam inducere, atque fastidia, ob quæ supernatet, & nõ coquatur, quia ventriculi fundum magis coquit, q; ipsum os, imo in ore non est uis concoctrix præterquã proprij alimenti, sicuti omni in alia corporis parte eadem vis inest. At cibum prima coctione cõcoquere ad os ventriculi non spectat, sed ad fundum, quod à iecore, liene, omẽto, & alijs circũiacentibus partibus adiuuaẽ.

Decimo particulam illam Galenus exponit, qua Hippocrates dicebat, ptisanam sitim minime inferre, hoc etenim magnum est in his corporibus nocumentum, quæ exuruntur & à febre exiccantur. vnde ob hoc ptisana longe melior est aqua mulsa, quia aqua mulsa aliquo modo inflammat, quãuis abluat, vt deinceps ostendet Hippocrates, & ideo ptisanæ mulsa comparata in acutis morbis ptisana semper præferenda erit, vt in his quæ sequentur, Galenus ostendet, nunc etenim de ptisana locuturus est, & de ea sermonem absoluturus, aqua vero mulsa etsi in sanis bona sit, nõnullosq; diu vixisse intus mulso, & extra oleo inunctis, vt Plinius testatur, in acutis tamẽ morbis minus cõuenit, quàm ptisana, quoniam mel inflãmari facile põt.

Vndecimo Galenus notat ab Hippocrate dictum esse, ptisanam probe abluere, quòd simpliciter dictum non est, sed cum adiectione, si quid ablui debeat, & hac egeat ablutione, ex hoc innuens Hippocrates in omni acuto morbo conueniens non esse cibo probe abluente vti, cõstat enim in aliquibus acutam febrem alui profluuio commistam esse, tunc ablutione nõ indigemus. vnde omnia quæ de ptisana dicũtur, acutis prosunt morbis. At hæc conditio abluere, illis solum conuenit, quibus ventrem subduci volumus, qñ. s. cibus in uia moratur, tunc. n. ablutio hæc cõuenit. propterea quantũ sit de affectione febrili, abluere neq; prodest, neq; obest, sed rõne alicuius symptomatis acutæ febri cõplicati prodest, idq; symptoma emendat & corrigit. cum uero & abluere humectare quodãmodo sit, & qcqd in uijs est, deorsum ducere, uẽtremq; lubricũ seruare, dici põt cõuenire etiã febri, vt febris est, cui hæc sunt ꝓficua.

Duodecimo, Galenus particulam illam exponit, neq; adstringit, neq; male turbat. s. ptisanæ viscositas, omnia etenim in ptisanæ viscositatem referenda sunt, vt Hippocrates ipse cœperat, hoc uero nõ adstringere, in acutis morbis optimum est, in quibus aperire nunquam non conuenit, duobus exceptis casibus, unus est symptoma quoddam animi deliquium inducẽs, alter cum quis simul cũ acuta febre, immoderato alui profluuio teneatur, in febre uero acuta præter duos prædictos casus, aperire semꝑ opus est. nã in hac febre si adstringentibus vtamur, corpora adstringunẽ, & uiæ distributionis cibi ac alimenti. Adde & cutis poros arctari, quos ꝑspirationis vias esse nemo non nouit, imo absq; adstringentibus, febris ipsa oĩa claudit, cum oẽs fere putridæ febres ex obstructione ortũ habeãt. propterea viæ in his febribus continuo apertæ seruari debent ac reclusæ, hocq; à ptisana fit, & non ab alio cibo cõmodius.

Præterea nõ turbat ptisana. i. nullã dum coquitur, perturbationem in corpore facit, qđ non parum infert ptisanæ laudis, & si petas ex quibus ꝑturbatio ista sequaẽ, Galenus inquit ex multis simul ingestis edulijs innasci, quoꝝ aliqua ventrẽ mordẽt, alia inflant, alia ex purgãtibus facultatibus cõstant, vel ex partibus, quæ habent facultatẽ pugnantemꝗ, quòd añi huius generis nonnulla inueniantẽ, lenticula & brassica oñdunt, quorũ solidum corpus ventrẽ cohibet, ius vero uentrẽ proritat, & subducit. eodẽ pacto cerebrum ex oleo & garo comedentes, totã quandam compositionẽ faciunt dissimilarem, & sibiipsi pugnantem. nam cerebrũ, & stabile est, & tarde meat, oleũ uero & garus ad deiectionẽ idonea sunt. Idem præterea & de ouo dicendum, siue ex melle accipiatur, siue ex garo, siue ex sale, ex his enim compositũ diuersas habet facultates, quin & oĩa iura ex partibus diuersas habentibus facultates constituuntur. hinc non ab re in huius sententiæ fronte dixit ptisanæ viscositatem esse συνεχῆ. i. continuam, nam omnes partes eiusdẽ moris habet, & quo ad corpoream substantiã, & quo ad vires, non. n. diuersarũ sunt, uel oppugnantiũ facultatum. & si dicas colatã ptisanam maioris esse nutrimenti q; non colata igitur diuersas habet partes: nos hoc sequi imus inficias, qm̃ magis nutrire, atque minus, nõ sunt facultates oppositæ, neq; nutrire tenuius et minus tenue, sed illę solũ facultates ꝯsideranẽ, q ex oppositis operationibus oppugnantiã hñt, nõ uero in una solũ opatiõe.

At inquies cur in symptomate animi deliquiũ inducente, nos vti adstringentibus opus est? Respondemus intelligere oportet quando animi deliquium ex relaxatione potissimũ fit, quæ in ore ventriculi est, tũc enim stiptica adhibemus, quæ os ventriculi roborare apta sunt.

Petes deinceps, cum stiptica vias omnes obstruant, & cutis, et distributionis cibi & alimẽti, an nocumentũ quod faciunt, q; iuuamen ad profluuiũ, uel ad animi deliquiũ, aut è contrario? Respondemus, supponitur profluuiũ adeo uehemens esse, vt ad se curationẽ conuertat, alioqui adstringentibus uti nõ esset opus, si aliter fieri posset. Eodem pacto supponitur animi deliquium & vehemens esse atq; frequẽs, ex quibus periculosum esse constat. vnde obstructionis nocumentum postponitur iuuamini adstrictionis, quippe melius est seruare hominem, & ægritudinem prorogare, q; ut breui moriatur. In acutis igitur febribus obstruere obest, sed plus obest uehemens profluuiũ, & frequens animi deliquium. Id propterea medicus adhibebit, quod maius symptoma arcet, etsi obsit vel alteri symptomati, vel ægritudini. nam symptomata quædam sunt adeo sæua, ut statim etiã & morbo despectis, eis succurrendũ sit. hæcq; symptomata vocantur curationẽ ad se cõuertentia. Adde ex his quæ in ægritudinibus exhibentur, nihil esse tam proficuũ, quin aliqua ex parte obesse possit, sed ne quid nimis cõsideramus, vel in nocumento, vel in iuuamine, vt in hoc ꝓpposito, quia magis obsunt animi deliquium, & uehemens profluuiũ, quam nocumẽtum stipticitatis in morbo acuto. propterea illa potius quæ adstringunt adhibentur, quàm aperientia.

Scito duplici modo à cibis in ventriculo turbationẽ fieri, vnus est cum varij sumuntur cibi, qui diuersas habeant facultates, vt aliqui mordicent, alij inflent, veluti si quispiam fasiolos ex sinapi ederit, cum sinapi mordicans sit, & vehementer calidum, fasioli vero humidi & flatuosi. propterea his esitantis magna fit in ventriculo perturbatio. Alter modus est, cum vnus solus editur cibus, qui tamen partes habeat diuersarum facultatum. vt si brassicam, vel lentem comedamus,

lentis corpus, uel brassicę adstringens est, ius vero eductiuũ & lubricans, cum igitur hæc eduntur, perturbationem faciunt, quia in his edulijs diuersæ sunt, & contrariæ facultates.

De brassica vero Aristoteles considerandus est tertia problematum sectione, problemate. 16. vbi quærit cur brassica sedet crapulam. Respondet autem quòd dulcem succum, discutientemq; habeat. vnde medici eam aluo infundunt, frigida autem ipsa est, argumentũ, quòd ad alui vehemẽtes deiectiones medici ea vtuntur, excocta in plenum, & suo callo purgata refrigerataq;. Fit igitur detentes à crapula, vt eius succus humores in aluum pertrahat, qui vitiosi crudiq; tenentur, & ipsa supra in ventriculo remanens, corpus refrigeret, quo fit ut tenues humores ad uesicam labantur, quod cum humor vtrinq; educatur, corpusq; refrigeretur, recte liberari à crapula possint. De problematis ratione nihil in præsentiarum differendum est, id tantum perpendendum est, quod dicit brassicã in plenum excoctam, & suo callo purgatam & refrigeratam, remediũ esse in uehementibus alui profluuijs. propterea aliud fit problema, cur brassica biscocta ventrem sistat, semicocta vero lubricet. Respondetur brassicam partes quasdam superficiarias nitrosas habere, quæ in prima coctura, vel semicoctura in ius imprimuntur. propterea ius illud ventrem soluit, ablato autẽ eo iure, & brassica iterum cocta, quia superficiarium id nitrosum prouectum est, & id dimissum quod erat tenue, brassica redditur adstringens. Est ergo brassica diuersarum ob varias partes naturarum, neq; simpliciter verum est, ius brassicæ lubricum esse, & uentrẽ subducere, nisi de primæ cocturæ iure itelligamus, uel de semel facto iure, cũ quo prima adsit coctura. vñ & Galenus in principio primi de alimentorum facultatibus libri, inter illa quæ compositionem habent ex facultate contraria, & substantia, lentẽ numerat, atq; brassicam, & de brassica inquit. Si brassicã leniter coctam & vniuersim ex lebete in vas oleum garumq; cõtinens transfusam ante alias dapes assumas aluum subducet. At alij brassicam, quæ græcis δίεφθος. i. recocta nuncupatur, ad ventris retentionem hoc modo prępar ãt primo simul vt in aqua ebullit, quicquid in lebete liquidi est, funditus eximitur, mox pura feruente aqua infusa, secundo elixatur, vt si quid propriæ humiditatis post priorem remansit decoctionem, in hac penitus exuat, atq; deponat. In secundo quoque de alimentorum facultatibus libro, vbi de brassica agit, illam desiccantem facit, tamen inquit brassicæ succum habere vim quandam purgandi, solidum uero eius corpus ratione siccitatis cohibere magis, q̃ incitare deiectionem, de eius succo et Aristoteles dicebat eum aluo infundi, nam clysmata ex brassicarum succo antiquitus fiebãt ad educẽdũ, in pręcitato Galeni loco si adstringere debeat, bis coquitur, prima proiecta aqua, si ventrẽ exonerare debeat in prima coctura inijcitur sal vel garus ex oleo, imo & in tertio de simpl. medicamentorũ facultat. libro brassicam ex duabus & contrarijs facultatibus compositam esse fatetur. verũ quia eius succus cum melle sumptus soluit, reliquum vero non manditur, à quo expressus est succus, propterea experimẽto ex duplici coctura ostẽdit ex astringẽte cõstare facultate, nã i prima coctura abijcit succus, imo addit, si ter aut quater aqua effundatur, tanto magis adstringere, non mentitur ergo hoc in loco Galenus, cum inquit brassicã ex his esse, quorum partes varijs facultatibus insigniuntur, quamuis in septimo de simplicium medicamentorum facultatibus libro dicat illam desiccandi vim habere, quod de eius substantia, & non de succo intelligendum est.

Lentem pręterea eiusdem esse naturæ cum brassica. i. partim adstrigere, partim soluere pręscriptis omnibus locis fatet, nam in principio libri de alimentorum facultatibus, & brassicam & lentem, & ostracodermata. i. habentia pro tegmine testam, ex diuersis & contrarijs facultatibus constituta esse fatetur, & vbi in. 2. libro de brassica agit, inquit eodẽ modo parari lentẽ, nam cũ garo & sale & oleo soluit in prima coctura, in secunda, qua δίεφθος bis cocta lens vocatur, & in. 1. libro, vbi de lẽte agit, hanc adstringẽdi vim cortici tribuit, succoq; uim lubricãdi tribuit. Sed inques, si cortex hãc uim habet, cũ cortex primo coquatur primo etiã corticis vis auferri deberet, atq; in secunda coctura lubricum potius reddere deberet. Respondemus, in prima coctura corticis vim non auferri, sed tantum uim succi, quæ lubricat, dura vero est corticis substantia, & ideo in prima coctura remoto succo, in secunda vis corticis relinquitur terrea atq; grauis. propterea in hac coctura adstringit, de qua adstrictione alibi differemus. In tertio de simplicium medicamentorum facultatibus capite. 14. Galenus inquit cum probat & lentẽ esse diuersarum facultatum, si degustes succum lentis, perspicuam misturam repręsentat tanquã si nitroso austerum quid commisceas. In. 9. de simplicium medicamentorũ facultatibus inquit lentes valenter adstringere, illasq; inter calidum & frigidum medias facit, & exiccare in secundo, earum corpus desiccat, & ventrem sistit, decoctũ prouocat. Intellige vero primũ, et ideo ait Galenus proinde etiã prior aqua abijcitur, vbi retentionis causa adhibetur. Adde tu & in prima coctura nescio quid nitrosi à cortice auferri, quod superficiariũ est, & potius vim habet lubricandi quàm sistendi, corticis autẽ corpus vim habet sistendi vehementem. Constat igitur & lens ex partibus pugnantes facultates habentibus. At inquies omne edulũ videri tale, quia ex quatuor elementis compositũ est, quæ sunt partes oppositæ. Respondemus hoc in loco Galenum intelligere de oppositione illa quæ in secundis reperitur qualitatibus, non de illa quæ est in primis. nam hęc ad unum determinata est quod ex omnibus simul resultat, in secundis uero qualitatibus nõ sic res se habet, quia plerũq; in corpore secundæ distincte agunt. Ad rem igitur redeuntes, quod hic à Galeno dicitur lentis & brassicæ ius soluere, intelligendũ est in primo iure, quo remoto adstringit. nam & succus qui soluit, ablatus est.

Non ab re est inquirere de quo cerebro loquatur Galenus, respondemus de uitulino intelligit, aut hedino, aut suillo, aut alterius animalis, Nam omne frigidum est & humidum humiditate valde crassa & glutinosa. propterea tarde descendit. At si cibus fiat ex cerebro, oleo et garo, cum in oleo et garo uis subducendi insit, necesse est ex partibus inuicem pugnantibus fieri corpus, alijs aluum proritantibus, alijs sistẽtibus, cerebrum vero uim adstrictoriam nõ habet, sed glutinosam, tardeq; descendit, & inepte per vias meat. Si uero petas, an huius generis edulium confici debeat. Respondemus fieri debere, vt à cerebro id auferatur quod in se mali habet. s. tarde descendere, Galenus etenim tertio de alimentorũ facultatibus inquit cerebrum esse pituitosum, crassi succi, tardi meatus, & operosæ concoctionis, in fine inquit aliquos comedere ipsum apparatũ cum origano, alios cum sale varijs modis, & nisi condiatur, uomitum inducit, imo experientia hoc ostendit, si post cibũ edatur, nauseam inducere, tamen si quis ipsum cõficere possit alimentum corpori non infimæ notæ præstabit. Qui cibi fastidio laborant, quos Græci ἀνορέκτους vocant, à cerebro abstineant, nos adeo ex cerebro edulium refugimus ac si sit muccus. Aliud edulij genus, diuersas in se facultates habentis ex ouo, sale, melle, vel garo paratur, hæc etenim mel, garus & sal vim alui proritandæ habent, ouum uerò durum cum albumine vim habet sistendi, & magis si in aceto coquatur. Hæc autem edulia ex melle & ouo, ex sale, & ouo ex garo & ouo, ouum ex coctura semper induratum recipiebant, nam profecto de sorbilibus loqui non potest, neq; de tremulis, cum & hæc facile descendant, imo de sorbilibus Galenus inquit, quod expeditius descendunt, de duris uero, quod sunt difficilis coctionis, & tardi transitus, crassamq; alimoniam corpori exhibent hæc in tertio de alimentorum facultatibus. forte hic Galenus per hanc ex ouo compositionem illam intelligit de qua præcitato agit loco, quã pnicta à gręcis vocari dicit, ita vero apparatur, oua consperguntur oleo, garo & vini momento, mox vas, quo continentur aheno aquæ calidæ imponitur, superne vndiq; operculatum, deinde lento igne vsque ad mediocre crassamentum coquuntur, vel igitur hoc sit, vel etiã hoc comprehẽdat, est diuersarũ facultatũ edulium.

Nunc

Nunc vero Graeci in aqua, vel sub cineribus ad duritiem vsq; coquunt oua, deinde in frusta secant, atq; sale tegunt, de hoc edulio Galenum loqui arbitramur. De ouis autẽ in hoc libro differemus, vbi eorum substantiam & naturam aperiemus.

De Garo.

Cum hoc in loco, & alibi frequẽtissime apud Galenum de garo mentio fiat, ab re non erit rationem conficiendi garũ inuenire, vt facilius eius vires & naturam ex his quae compositionem ingrediuntur sciri possit. Galenus in fine. 11. libri de simplicium medicamentorum facultatibus, ac si de re certa, omnibusq; perspicua loquatur, inquit garum facultatem habere multum calidam, siccamq;, ac proinde eo quidam ad vlcera vsi sunt putrescentia, tum dysentericis, ischiadicisq; iniiciunt, nos in ischiadicis eo vteremur, in dysentericis minime, de hoc autem aliàs, quoniam in praesentiarum non est opus antiquiores reprehendere in eo quod ad rem nostrã nihil facit. Dioscorides idem de garo, ante Galenum testatus est. Ad garum vero redeuntes, difficilimum est & propè impossibile gari compositionem apud antiquiores inuenire, quippe erat adeo familiaris, vt omnes de eius conditura scribere neglexerint, sed temporis successio adeo & garum, & multa edulia ob hominũ ganeam immutauit, ut eò res deducta sit, quòd nemo scit quibus haec, & quo ordine pararentur. Scriptum vero apud authores reperitur & garus masculino genere, & garum neutro, à garo pisce ex quo cõficiebatur, nomen sortitũ est, de quo pisce mentionem facit Plinius libro. 32. cap. vltimo, prope finem. Quidam putarunt garum esse oleum è ceto & maioribus piscibus confectum. vt autem de hac re satis incerta quicquid inuenerimus, dicamus, reperimus varijs apud diuersos authores in locis, haec nomina garo attributa, garum sociorum, garum liculmen, garum occultum, garum αἱμάτιον. i. Sanguiculum, garum nigrum, garum Hispanum, garum primum, garum fecosum ex piscibus confectum fuisse constat, tamen & Dioscorides & ex carnibus factum esse censet, cum libro secundo de garo agens inquit, garum omne siue id è piscibus macerans sale fiat, siue carnibus, prodest vlceribus, quae pascuntur illitu, tamen maior erat ex piscibus vsus, ex garo pisce prius fiebat, postea vt inquit Plin. cap. 8. lib. 31. ex scombro, septimo tñ eiusdem libri capite, ex omni pisce fieri innuit, quippe prope finem eiusdem capitis inquit. Aliud etiãnum liquoris exquisiti genus, quod garum vocauere, intestinis piscium; caeterisq; quę abijcienda essent, sale maceratis, vt sit illa putrescentiũ sanies. hoc olim conficiebatur ex pisce, quẽ Graeci garum vocabant. vt hoc indicium sit, ex alijs quoq; piscibus Plinij tempore confici solitũ esse, q̃ ex garo. Deinceps octauo eiusdẽ libri cap. inquit, nunc è scombro pisce laudatissimũ in finibus Carthaginis & Hispaniae cetarijs (ita legi debet hic Plinij locus, & non vt cõmuniter in cõtextibus habetur, Spartanae & caetarijs) sociorum appellatur. De cuius pretio haec addit, singulis millibus numũ permutantibus congios penè binos, nec liquor ullus penè praeter vnguenta maiore in pretio esse coepit, nobilitatis etiã gentibus, postea ex omni pisce fieri coepit, & ideo Plin. circa praeadducti capitis dimidiũ inquit, transijt vero in luxuriam, creueruntq; genera ad infinitũ, sicuti garum ad colorem mulsi veteris, adeoq; dilutam suauitatẽ, ut bibi possit. Aliud uero ad castimoniarum superstitionẽ, etiam sacris iudaeis dicatũ, quod fit è piscibus squama carẽtibus. Id intellige uel quòd eo Iudęi abstinuerunt, vel quòd è piscibus fiat squamã habentibus. nã pisces squama carentes non edunt Iudaei, neq; quidpiam ex illis confectum. Caelius Aurelianus Siccensis in secũdo Cronion libro in curatione paralysis clysterẽ ex garo imponit, additq; exponens quid sit garus, quod appellamus liquorẽ ex pisce siluro confectum. Cur vocatum sit sociorum, deinceps oñdemus. At cur dictum sit liculmen sponte nos ignorare fatemur, vox est barbara, nisi à liquore ducta sit, qua Constantinus Caesar 20. de Agricultura lib. cap. 45. vsus est, & huius gari confecturam ostendit, quo etiam in loco garum αἱμάτιον. i. sanguiculum ponit, à sanguine quo conficiebatur, notatum. Occultum vero dictum est, q̃m seruabatur, et charus erat. Neq; mirandũ est si garum nigrum vocabatur, q̃m eiusmodi compositio ex quocũq; fiat pisce, nigra euadat, tñ portiones diuersorum colorum hinc inde videntur, ab antiquis vero nigrũ fuisse appellatum ex Galeno. 3. de cõpositione medicamentorũ secũdum locos testimoniũ haberi potest, vbi ad foetorem & nomẽ, siue vlcus depascendo proserpens remedia ponit. Primũ remediũ est compositio Hispanorum appellata, quae recipit γάρου μέλανος ῥώμαστὶ λεγομένου σοκιόρουμ. i. Gari nigri à Romanis sociorum appellati, & forte gari nigri dixit, quia diuersorum erat secundum piscium diuersitatem, colorum. vnde & Plin. ad colorem mulsi veteris garum facit, & antiquitus pręstantior. Garus vocatur, qui αἱμάτιος vocatur .i. sanguiculus, estq; ob cruorem niger, ob quem forte cruorem à Martiale in Xenijs fecosum appellatur, cum inquit,

Expirantis adhuc scombri de sanguine primo
Accipe fecosum munera cara garum.

Nec putes solum primum sanguinem accepisse, qui garum cõficiebant, sed & secundum, quippe et saniẽ, & ἰχῶρας, & cruorem recipiebant, vel forte ex primo scombri sanguine vnum conficiebant gari genus, deinceps ex secũdo sanguine et cruore aliud, vnde genus illud ex primo sanguine erat carũ munus, alia genera non ita cara, sed erant triuialia. Nonnulli tñ non legunt in Martiale fecosum, sed fastorum, tunc opus est ad lautiores epulas referre, vel ad ceremonias, in quibus garo utebãtur. At potius pꝓbandũ est vt legatur fecosum, quoniam in antiquissimo codice ita scriptũ est, vt garus laudatur, qui multam habet fecem, imo est ipsa fex. In eodẽ loco Martialis proculdubio ostendere videtur garum ex solo factum fuisse scombro, ex thynno vero factam muriam non garum. muria est, quae apud illum authorem ita loquitur,

Antipolitani fateor sum filia Thynni,
Essem, si scombri, non tibi missa forem.

At si confecturae genus consideremus, idem sunt ex thynno, scombro, & alijs piscibus, verum ex scombro, pretiosior est. propterea inquit, si ex scombro esset, quia pretiosior, non esset illi missa, missa vero est, q̃a ex thynno & pretiosa minus. Martialis vero vtitur cõmuni nomine, quod est muria ad garum. nam & ex thynni interaneis garus fit, nonnunquam vero hoc vocabulo muria vtuntur ad garum, & ad omnia eiusdem generis salsamenta, nempe tria reperiuntur liquaminũ salsorum nomina, garus, muria, alex apud antiquos. Garus pretiosius liquamen esse constat ex scombris confectum. Muria non quidem simplr̃, sed gari muria ex thynno est. Alex uero est imperfecta nec colata fex, Plin. lib. 31. cap. 8. teste non quidẽ ex minutioribus pisciculis, ut quidam putant, cõfecta, sed est imperfecta muriae fex, ut eodẽ loco scribit Plin. constat aũt Antipoli fieri ex thynno. vnde alex erit ex thynno imperfecta fex, & muria secundũ Plin. erit ex thynno. verum vt diximus, nõ est simpliciter muria, de qua aliàs sermonẽ habebimus ostendentes rem esse fictitiam & à garo diuersam, tamen generali vocabulo muria garum complectitur, sed & alecẽ fieri docuit Plinius lib. 9. cap. 17. ex mulli iecore inuentũ Apicij, ad omnẽ luxum ingenio miri, qui & garum sociorum ex mullo excogitauit, Plinio eodem loco teste. Garum vero Hispanum ob excellentiam vocatũ est. nam scombri ex Hispania mittebantur, ab insula Herculis, quae scombraria dicebatur, de qua Strabo in tertio, ex quibus scombris deinceps garus conficiebatur, Hispanus ex eo nuncupatus. Galenus de Hispano garo mentionem facit tertio de compositione medicamentorũ secundum locos libro, vbi Archigenis pharmaca ad aurium dolores refert, inter alia dicit, aut garum Hispanum calefactum per strigilẽ instillato, pretiosissimus vero garus, sociorum garus nuncupabatur, & hoc nomine vsi sunt antiqui. vñ Galenus praecitato tertio de compositione medicamentorũ secundum locos libro ad foetorem, & nomen, siue vlcus depascendo proserpens, cõpositionem Hispanorũ appellatam adhibet, quę est gari nigri, quem Romani sociorũ appellant. Plinius libro nono, cap. 17.

de mullo inquit, Apicium gulæ procerem illum necasse in sociorum garo, ita enim Plinij contextus legi debet sociorum, & non ut prius legebatur infectorum. nam infectorum garus nusquam apud authores inuenitur, imo & libro. 31. capite. 8. dicit vocari sociorum, & libro. 32. capite septimo, de omnibus aurium vitijs agens, inquit esse qui laudant gari excellentis sociorum cyathum. Addidit particulam excellentis, quia sociorum garus omnium erat excellentissimus & præstantissimus. Ausonius Gallus in epistolarum libro ad Paulinũ scribens ita inquit. Quãto me affecit beneficio nõ delata quidem, sed suscepta querimonia mea Pauline fili, veritus displicuisse oleum quod miseras munus iterasti, addito etiam Barcinouensis murię condimento cumulatius præstitisti. Scis autem me id nomẽ muriæ quod in vsu vulgi est, nec solere, nec posse dicere, cum scientissimi veterum, & græca vocabula fastidientes latinum in gari appellatione non habeãt, sed quocũq; nomine loquor, liquor iste sociorum vocatur. Vale. Quidam Ausonium praue intelligebant garum sociorum dixisse, quoniam græcũ nomen est, tamen in vsum latinorum receptum, vt hæc vox garus socia effecta sit, et quasi latina. sed hæc non est Ausonij sententia, qui vult hunc liquorem dici sociorũ, vel garus sit sociorum, vel muria sociorum. Si vero petas, cur garus hoc nomen sociorum sortitus sit, Georgius Merula ita respondet. tandem ab Ausonio poeta non incelebri videor hoc elicere posse, fasti diebant prisci latini, & quidem scientissimi vocabula græca, vnde cum garo semper vtendum foret, & ferè ex Hispania, & à socijs Romani populi mitteretur, ideo sociorum garũ appellatum est, vt voce latina adiuncta, fastidium Græci nominis leuaretur. At Merula meo iudicio neque recte hoc ex Ausonio elicit, neq; est conueniens causa, quoniam ex Hispania, Græcia, Mauritania deferebatur garus, vt Plinius testatur, & apud Foroiulienses fiebat. hi vero omnes populi Romani cũ socij erant, vel potius subiecti, neq; id verisimile est Romanos fastidio habuisse nomina græca, cum infinitis ferè Græcis nominibus vterentur. Neque Vitelij rationem probo, qui vult & ipse solum esse factum garum apud socios populi Romani, non quia vox græca fastidio esset Romanis. nos aliam esse causam arbitramur, cur garum sociorum nuncuparetur, fuere omni in æuo, omnicq; in loco compotationes & cõpotatores, & potissimum Romæ aliquibus temporibus, vt Claudio Tiberio Nerone imperante, cuius nomen ob hanc potationis luxuriam inuertere, ut Caldius Biberius Mero, publice vocaretur, in illis vero compotationibus socij plures vnum in locum colligebantur, & forte alter alterum inuitabat, vt nunc passim fit in Germania, Pannonia, Polonia, & Gallia. hi compotatores socij dicebantur, qui re aliqua indigebant, qua ad potum proritarentur, inter alia vero sitim prouocantia est garus, quo profecto frequentissime ad sitim irritandam vsi sunt. propterea nomen sortitus garus sociorum, ac si dictum sit, garus quo Bibuli consocij, & ganeæ ac Baccho dediti maxime vtuntur. Apud nos cauiaro vocato vtuntur, quod apud antiquos oxtarichum est. cum vero apud Martialem garum arcanum repererim, forte is est, qui ab antiquis sociorum vocatur, qui arcano in loco compotationem exercebant. In septimo epigrammatũ libro de apro à Dextro occiso loquitur, hic Dexter Martialis amicus erat, qui integrum aprum Martiali dono miserit, Martialis vero apro inspecto, & futuræ culinæ sumptu excogitato, qui nimis excedebat, aprum ad dexterũ simul cum epigrammate remisit, in quo epigrammate hæc duo sunt inserta carmina.

Sed coquus ingentem piperis consumet aceruum,
Addet & arcano mista falerna garo.

Nempe falernum garo mistum, aut aliud vini genus oenogarum faciebat. forte igitur arcanus garus est sociorũ garus, qui ob perfectionem arcane & secrete seruari debebat, ne à furibus abriperetur, vel dicamus arcanum vocasse garum, quia adeo exiguus erat, vt à falerno superaretur. itaq; esset arcanus, & sub falerno occultus. quam lubet sententiam tu sequaris.

Non ambigo tamen sociorum garum à perfectione sua primarium fuisse nuncupatum, quo nomine Paulus vsus est libro tertio, capite. 59. iuxta Græci exemplaris fidem, in latino est. 60. Agit Paulus περὶ αἱμοῤῥοΐδων. i. de hæmorrhoidibus eo loco, ad quas restituendas, inter alia hoc vtitur præsidio ἄρτον καθαρὸν ἐμβάψας εἰς γάρον πρωτεῖον. i. panem purum intingens in garum primarium.

At inquies quomodo erat garus res tam expetita, cum foetorem habere videatur, & nos garum cõfecimus, cuius odor minime suauis est. ne dicam insuauis, idq; uidetur testari Martialis libro septimo Epigrammatum de Papilo ita ludens,

Vnguentum fuerat quod onyx modo parua gerebat,
Olfecit postquam Papilus, ecce garum est.

Ex his Martialis verbis colligitur, garum fuisse foetidũ, quoniam Papilus odorans vas ex onyce lapide confectũ vnguento plenũ, ex solo olfactu & anhelitu foetidum reddidit vnguentum, vt garus videretur, quod indicium est garo inesse foetorem. Nam Papilus ille cunnilingus erat, nisi forte dixerimus id non esse dictum ob foetorem, sed ob salsedinem, cum in tertio Epigrammatum libro duobus in locis Bæticum cunnilingum dixerit, qui salsa comedebat. Porphyriusq; testatur salsum esse cunnilingorum halitum. cum ergo dicit vnguentum à Papilo odoratum garum esse effectum, intellige esse effectum salsum, quia cunnilingorum halitus est salsus. Verũtamen negari non potest esse ingratum gari odorem, cum Plinius lib. 31. cap. 7. de quadam salis fauilla, quam & florem salis vocat, loquens dicat eam esse odore quoque ingrato ceu gari, ac si garo ingratus odor insit. Sicq; nos cauiarum vocatum ex thynno & alijs piscibus cõfectum odoremus, ingrato quodam odore afficiemur, non tamen vehementer ingrato. Licet multis placeat præsertim compotatoribus & sapor ille, multa etenim sunt, quæ nonnullis suauiora videntur, alijs insuauiora. in Gallia casei quoddam genus probant pedorem reddens, Italis supra modum displicet, eademq; multis in rebus rõ inuenitur.

Id vero quæsitu dignũ videtur, an garus liquor esset, vel crassum quoddam liquamentum, quippe varijs in locis apud Galenum reperitur, multa garo madescere atque intingi, vt de lupinis ac alijs leguminibus in primo de alimentorum facultatibus, & Paulus libro tertio pro hæmorrhoidibus panem in garum infundi, vt garus res liquida potius videatur quàm crassa, imo Plinius libro. 31. cap. 8. inquit habere adeo dilutã suauitatem in vno genere, vt bibi possit, hæc certe mille in locis inueniri constat. nam & in glutine garo utebantur antiqui, Galeno in septimo de simplicium medicamentorum facultatibus libro teste, vbi de colla agit, & ex garo clysteres conficiebant antiqui in coxendicum dolore, atque alijs eiusdem generis affectibus. propterea gari confectio prætermittenda non est. Ex scombri, vel gari piscis extis fiebat garus, deinceps ex omniũ piscium extis fieri coepit, certa salis portione, simulq; in vase ligneo contunduntur, & premuntur, per vasis scissuras liquor exit, qui exquisitus est garus, in quo intigebãtur, comedebãturq; legumina & panis, hicq; erat primarius garus & sociorum, alter erat crassior, qui non descendebat, qui secundus erat, imo & tertius aderat. i. fex ipsa, si ex scombro vel garo pisce ita cõstabat, si ex thynno, primus liquor erat garus, fex quæ erat in fundo et spuma, à Plinio alex vocabatur, crassum in medio cõtentum muria ab eodem authore vocabatur. Adsunt tñ nonnullæ apud Constantinum Cæsarem de garo confectiones libro de Agricultura. 20. cap. 45. Prima quarum est garum liculmen appellatum, sic fit, intestina piscium inijciuntur in uas, & saliũtur, parui item pisciculi, maxime hatherinæ, aut exigui mulli, aut menulæ, aut lycostomi, aut quicunq; tandem parui visi fuerint omnes similiter saliuntur, & in sole inueterantur. frequenterq; versantur, postquam uero per calorem fuerint inueterati, garum ex ipsis hoc modo tollitur. cophinus longus imponitur in vas plenum prædictorum piscium, influitq; garum in cophinum, atque sic per cophinum percolatum liculmen appellatum garum suscipiunt. reliquum vero recrementum

tum

tum alex efficitur. Deinceps idem author aliã ponit confectionem, quæ à Bithynis præparatur, & garum bithynum vocat, hoc modo conficitur, accipis mænas, quæ quidem præstant, si haberi possint, paruas, aut magnas, sin minus, lycostomos, aut lacertos, aut scombros, aut etiam alecem, & omnium misturam, immittitoq; hæc ipsa in alueolum panarium, in quo farina subigi solet, & additis ad modium piscium, salis sextarijs duobus Italicis, permisces, vt cum sale contemperentur, sinisq; per noctem vnam, ac transfers in fictile, quod deopertũ ad solem exponis per menses duos aut tres, & per interualla virga agitas, deinde ablatum, & coopertum reponis. quidam etiam vinũ vetus adijciunt, ad modiũ piscium sextarios duos. verum quia alicui forte videbitur nimis longa expectatio ad tot menses pro gari confectione, propterea addit Constantinus, Deinde si velis statim uti garo, hoc est non insolare ipsum, sed coquere, sic facies, muriam stillatitiam & excolatam accipis, sic probatam, vt cõiectum in ipsam ouum innatet: si vero mergatur, nondum sufficientem salem habet. deinde in muriam piscẽ mittis in ollã noua, adiectoq; origano ad ignẽ sufficientẽ ponis, donec coquatᷣ, hoc est donec inceperit paulatim absorberi. Quidam etiam sapam addunt postea refrigeratum, iterum atq; iterum per colum transmittitur, donec purum euadat, quod operto vase repones, additur & ab eodẽ authore confectio, quam garum hæmation vocat, quæ hęc est intestina thynni cum branchijs cruoreq; ac sanguine accipiuntᷣ aspergiturq; salis, quod satis est, & in vase sinuntur, post mẽses duos fermè vas ipsum perforato, effluetq; garum hæmation appellatum.

Abstinere non possum, quin compositionem quandam gari referam Galeno attributam, in librum etiam eidem authori attributo tertio de medic. facile paräd's, quam compositionem cur garum uocetur, ignoramus, quoniam neq; piscem garum, neq; alterum piscem recipit, imo vtitur abstrusis ponderum nominibus, est potius Araba quædã cõpositio, q; à Græco aliquo confecta, inscriptionẽ habet, cõfectio gari Ioachi Martyropolitę, accipe frustulorum panis non fermentati, non conditi, putrefactũ libram, nigellę tziaricam semicontusam, mentam, calamintham, bunisam andã, vtranq; semilibræ põdere, rutę syluestris thymbrę, foeniculi, singulorũ tramia quadraginta, anesi tramia triginta, nanachuã tramia quadraginta, vuarum passarum pinguium maurarum semilibram, palmularum mundarum tziaricam, mellis veri hilari melissij semilibrã, sacchari cannę tziaricã, rosarum aridarum, aut humoris ab ipsis per ignem extracti tramia centum. hęc in doliolum cum aqua conijcienda sunt, soliq; per quadraginta dies exponenda, ipsis vero adijcere oportet in puro linteolo deligata, ligni aloes tramia quinq; spicæ tramia septem, cariophylorũ tramia duo, croci tramia tria, mastiches, thuris, vtriusq; tramia decẽ, struthij corticis tramia quindecim, musci tramium, ampar tramia duo. omnia linteolo inclusa in dolioli mediũ succum demittito, & per quadragita dies quotidie tertio, & exprimito, suspendens videlicet in dolio in medio succo, & post quadragita dies aquam succo superfluitantem colligito, & in altero vase reponito, & in succum alterã aquam inijcito, & vtraq; insolato, sed postq; totum ius coactum fuerit in altero vase, tunc in nitido cacabo, aut in olla vsque ad tertias decoquito, & cotoneis maturis impleto, linteolum aũt nunc; de medio garo eximito, & optimum garũ, omnibusq; hominibus vtile conficies. Profecto si hæc conditura vel Galeni, vel alicuius probi viri fuisset, totis viribus insudassem vt multa in illa obscura interpretarer. cum vero nullius sit digni fide authoris neq; sit antiquorum garum, qui ex piscium interaneis, & sale fiebat, in his exponendis quæ obscura sunt nõ immorabimur, satis esse arbitrantes compositionem ipsam adduxisse. Tamen in garo aliqua addi plerũq; præter salem & piscium exta, non ignoramus, fiebatq; antiquitus ex omni pisce Plinio teste, & ex ostreis echinis, vrticis, cammaris, mullorũ iocinoribus, hoc tamen erat alex, cœpitq; & ex apua fieri pisciculo, hic est (inquit Plinius pisciculus à Græcis aphyen vocatur) quoniã ex pluuia nascatur, de quo mentionem facit Ausonius præcitato libri epistolarum loco ad Paulinum in hunc modũ scribens,

Iam patinas implebo meas, vt parcior ille
Maiorum mensis apuarum succus inundet.

Locus erat apud Ausonium deprauatus, quippe apuarum loco, apalaria legebatur, & in omnibus vulgatis codicibus apalaria legitur, vt ab Hermolao quoque notatum est. liquor igitur in vas descendens est garum primũ, quod ex thynno crassius est alex à Plinio dicitur, fex vero eodem authore est muria, quamuis multa alia muriæ nomine significentur. Nam scimus apud Catonem, Palladium, & Columellam, muriã esse genus fictitij salsamenti, ad caseos condiendos, atque vinũ, garo accepto, parumq; aceti addito fit oxygarum, quãuis Columella oxygarum fecerit moreti genus. Ad rem igitur, oua, quę comedebantur ex garo, ut testatur hic Galenus, erant in tenuẽ liquorem imposita, non in gari crassamentũ. Potest & ex Alexandro Aphrodisieo facile colligi tenuem quandam rem fuisse garum. Nam primo problematum lib. problemate. 126. quęrit, cur oleum & aqua sæpe & facile gelu durentur, vinum, acetum, garum aut nunquam, aut rarenter congelascant. Respondet quoniam nulla exuperat qualitate, sed medio potius constat temperamento, refrigerari ob eam rem cito potest, atque adeo vehementer vt stringatur, & consistat, aqua quia frigida est facilius seipsa frigidior redditur, itaq; gelascit. at garum quia tenue & calidum est, icciroo minus friget & vinum quoque eadem ipsa de causa resistere potest: acetũ vero quia partibus tenuissimis constat, incõgelabile est, ex quibus facile colligitur, garum esse liquidum, aliter ab re dubitasset, cur nõ gelascit. Aliàs in errore fui, putans vocatum à nobis cauiarum esse garum antiquorum, cum tamen non sit, nam garum ex interaneis fit, cauiarum vero ex piscium ouis, imo qui cauiarum Ferrariæ parant, ex quolibet ouo etiam si minimo pellem auferunt, apud antiquos vero, & cauiarum nostrũ, & vocatam vulgo Botargam, sub oatarichorum genus comprehendũtur. fit vero cauiarum ex cuiuslibet piscis ouo, & coqui illustrissimi principis nostri Herculis Ferrarię Ducis prestantius cauiarum parant, quàm dici posit. Adduntq; compositioni gingiber, piper, garophylla, cinamomum. sed hæc alio in loco à nobis pertractabũtur, vt de garo finiamus, cuius cõpositionem, dum hæc scribimus, parari iussimus. erat igitur antiquus mos oua ex garo comedere, & legumina, brassicas, ac alia multa garo condiebantur.

Neque illud indubitatum relinquemus, de quibus iusculis intelligat Galenus, cum inquit iura omnia habere talem naturam. Respondemus non de omnibus simpliciter intelligere. propterea vsus est vocabulo fere, tamen pro maiori parte differentes habent partes cum ius eliquetur è tenui substantia rei, quę ebullit, & crassum relinquit, & simul cum iure aqua adest, quæ alterius naturæ est à substãtia rei quæ ebullit, adestq; in iure pars pinguis, nam de carnium iure potissimum loquimur, vel forte simpliciter intelligere possemus iura omnia à rebus à quibus eliquantur, diuersa esse, cum semper tenuior pars rei quæ ebullit ab ea eliquetur, & crassa relinquatur.

Decimotertio Galenus edocet, cur Hippocrates illi particulę, turbare, illam addidit male, ut diceret οὔτε ἀγαθὸν κακῶς i. neq; male turbat, vñ non dixit simplr ptisanã non turbare, sed non male turbare, quia nullus ex cibis coctioni minus aduersatᷣ ptisana, ois etenim cibus qui coqui debet, in eam reagit cõcoctricẽ, ptisana vero hoc minus facit alijs. vnde qui de concoctione scripsere ciborũ varietatem dãnarunt, præsertim vbi cibi varijs facultatibus constant, quippe talia ingesta coctionem prohibent, idq; à luctatoribus maxime probatur, qui ioco ludunt, & ab his etiam, qui legitime certant. nam in prandio solo pane vescuntur, in cœna sola carne. ego inquit Galenus, de his multo plura dicerem, nisi scirem te illa inuenire posse, qui de his es instructus, quæ dicta sunt à nobis in libro de facultatibus naturalibus, quæ commentaria si neglexeris, frustra in his versatis. vnde de tali perturbatione sermonem posthabens, ad vlti-

mam de ptisana particulā ab Hippocrate positā me transferā. Quod inquit, Nihil enim ciborum coctioni, q̃ hoc ipsum aduersatur magis, ab aliquibus de ptisana intelligitur, quę coctioni magis aduersetur, q̃ cęteri faciant cibi. At aberrant, cum à Galeno potius dicendū erat, minus, vt intelligeretur ptisanam minus aduersari coctioni, q̃ alij cibi, nam id vere facit, & facile coquitur, nec male turbat, verum Galeni sensus hic esse debet, hoc ipsum .i. male turbare, coctioni magis obest, q̃ vllus faciat cibus, vnde qui de coctione scripsere, variā ciborū facultatem damnasse, quia .s. male turbat, cū probe coqui non possit. Forte suadebis ciborum varietatē hominibus cōuenire, multa nanq; membra nutriri debent, quorum vnūquodq; propriū alimentum habere debet, membra vero diuersarum substantiarum sunt, & temperaturarum, propterea & eorum alimenta diuersa esse oportet, propterea non videtur res tam absurda, si cibi insumant facultate diuersi, quin & ipse Galenus in secūdo de elementis dicebat, plura necessario exigi elemēta, & diuersa ob membrorum pluralitatem & diuersitatem.

Dicimus non omnem ciborum diuersitatem obesse, sed illam solā, quæ simul non coquitur, nam si cibi simul coquanē, nihil obest, & presertim cum ob has diuersas facultates pugna non fit, imo nullus est cibus, in quo non sint diuersa, & diuersi virtute humores, quia ex vno solo cibo, fiunt omnes humores.

Cum & à Galeno dicatur, luctatores .i. qui lucta ioco ludunt & certatores legitime .i. serio conserentes, solo pane in prādio vesci, in cœna carnibus, dubium contigit, an cœna prandio plenior esse debeat, cum uero de hac re aliàs vbertim locuti simus nunc supersedere decreuimus, addentes solum hanc Galeni sententiam in hoc loco neq; de cœna, neq; de prandio probare quod plenius esse debeat, quippe solum explanare intendit ciborum multitudinem perturbare, & hoc experimēto comprobat, quia luctatores, de quibus minus videretur, hoc sentientes panem solū in prandio edunt, & carnes vesperi in cœna, quantum vero sit de Galeni ratione nihil penitus refert etiam si ex opposito dixisset in cœna eos comedere panem in prandio carnes, & hoc ad suam intentionem comprobandam, tamen quia hoc in loco inter Galenum & Auicēnam contradictio contingit, & Auicēnæ sectatores Galenum derisere. propterea de hac re nonnihil agere opportunū erit. Auicēna in tertia fen primi libri doctrina secunda, capite septimo, de eo quod comeditur & bibitur agens, inquit in tempore quoq; antiquo qui se exercitabant, iam fugerūt ab hoc (.s. à diuersitate ciborum, de qua prius locutus erat) contenti enim erant solius carnis comestione in mane, & solius panis in sero, tamen Galenus ex diametro hic oppositum dixerat. Arbitramur nos Auicēnę codicem esse mendosum, & ex opposito legendum esse quia idem pręci se probare intēdit, quod Galenus fecit, imo arbitramur ex hoc Galeni loco accepisse Auicēnā, qui est Galeni interpres. librarij vero vt multa faciunt cōmutarunt, imo ipse met in quinto de sanitate tuenda inquit in mane se comedisse solum panem, & non bibisse, vesperi vero comedebat panes & bibebat, neque putandum est, cum dicit comedisse carnes, quòd à pane abstinuerit, sed nullū aliud obsonium edit pręter carnes, panis enim cōmunis est cibus, carnes & alia obsonia sunt particularia, constat tamen apud nōnullas gētes nō esse panes, vt apud eos qui hyrcinam habitant syluam, quorū cōmunis cibus est lac. neq; putes hoc esse omnibus necessarium, vt panem mane comedant, & vesperi carnes, quia Galenus de Thelepho illo Grāmatico agens qui erat centum annorum vir, dicit prandere septima hora, primum oleribus, deinde piscibus, aut auibus vespere autem tantum panem ex vino edebat. sed Antiochus medicus, de quo prius mentionem fecerat, et ipse longęuus, mane comedebat pisces saxatiles, vel ex alto mari, in cœna à piscibus abstinebat, & aliquid boni succi capiebat, aut cum mulso, aut auem ex iure simplici. erāt ergo diuersa quæ à varijs sumebantur, sed non diuersarum temperierum, vel saltem non contra pugnantium, nam hoc solum est, quod vitio vertitur, ciborum diuersitas & oppugnantia, vel in multis cibis, vel in vno diuersarum partium. nostro autē tempore alter est ciborū vsus & alij edendi modi.

Forte in Galenum experientiam adduces, quippe quotidie ciborum multitudinem ingerimus, & diuersarum naturarū, tamen non lædimur, quod aperte deprehendatur. En quispiam vesperi in acetarijs lactucam edet, aut endiuiam, & hanc crudam, postea minutal aut ex rapis, vel cucurbitis, vel farre simul cum bubula carne & elixo capone, & assam vituli alongiam post hæc comedet ac testuacium, denique caseum castaneas, & alia multa edet, tamen nihil sentit dispendij ex his tam pugnantibus cibis, & infiniti propemodum sunt qui hoc victu vtuntur, & potissimum aulici, quorum mensæ infinitis obsonijs plenæ sunt, nihilq; ex hac ciborum diuersitate patiuntur. Adde & duo saltem vinorum genera compotare. Respondemus ex his iam dictis cibis aliqui sunt, qui parum distant, ut panis, vinum, caro, & aliqui non principaliter comeduntur, ut parum nutrientia obsonia, quæ edūtur vt principales cibi magis sapiant, & hæc in pauca copia comedūtur, vt acetaria. Cibi illi qui sunt multum diuersi, & si ob consuetudinē cito obesse non videantur, tempore succedente obsunt, & hi qui tam diuersos edunt cibos, aut breui occumbunt, aut podagras incidunt, chiragras, articulares morbos, & eiusdē generis alios, ī summaq; nisi frequentissime euacuentur breui moriuntur. propterea dicendum est, & si ex vsu & consuetudine, tunc hæc ciborū diuersitas obesse non videatur, ex longo tamen vsu vehemēter obesse deprehenditur. Conaberis forte & ciborum varietatem ex Hippocratis regulis, qui secūdo aphorismorum suadet parum deteriorem cibum ægris præbendum esse, Galenusq; causam reddit, quia delectat, ob quam delectationem à ventriculo amplectitur. Itaq; argumentum fieri debet, ciborum diuersitas delectat, vt experientia ostendit, ergo minus obest, quia à ventriculo amplectitur, igitur ciborū diuersitas nō mala. Respōdemus si diuersitas illa sit parua, non multum obest imo neq; obest, sed si magna sit prædicto modo obest, q̃uis delectet, neq; Hippocrates simpliciter dicit cibū deteriorem esse exhibēdum, sed parum deteriorem, cum vero & substantiæ et virium diuersitatem habeat, multum deterior est & ideo prædicta argumentatio nihil inferebat.

Denique Galenus vltimam sententiæ Hippocratis partem de ptisana absoluit, qua dicebat ptisanam in uentre non tumescere. Multi enim ex priscis ptisanam damnarunt velut flatuosam, à quibus dissentit Hippocrates inquiens non tumescere in ventre, rationemq; reddit, quia inter coquendum intumuit, quantum potuit. Addensq; hanc particulam id posuit in quo ptisanam criminabantur, vel saltem innuit & controuersiam, & purgationem significauit, simulq; coctionem edocuit posterius de ptisana. verum nos in præsentiarum hoc parum huic de ptisana sermoni addemus, si ptisanam valde coxeris, nō est cibus flatuosus, & nos autem, quod est ex faba cibus, etiam si tribus diebus coxeris, non reddes orbatum & flatu expers. Ratioq; est, quia à propria habet substantia quod flatuosum sit, et non ob diminutam coctionem, quod ptisanæ contingit, quando non est probe cocta, nam substantia coctæ ptisanæ nō includit esse flatuosum, sed excludit, semper vero intelligo probe coctam. nam ptisana cruda, & semicocta ex sui etiam substantia habet quòd flatuosa sit, faba vero vel cocta vel cruda semper habet flatum sibi proprium, ptisanam vero quidā terunt crudam, & deinde parum calefaciunt, & suis dominis prębent semicoctam. vnde tunc flatuosa videtur, verum de ptisanæ coctione rursum loquetur Galenus. Nunc vero posteaq; eius vires demonstrauit, deinceps vsus distinctionibus docebit ad quæ valeat. Galenusq; notat ubi præmonuerit, in sequētibus se absoluturum sermonem de ptisanæ comparatione ad aquam mulsam & alia, ad illa se conferet.

Notat Galenus ptisanam male coctam flatuosam esse, nam diuitum coqui illam terunt, & calefaciunt, hoc est parum coquunt, & dominis edendam præbent, non enim intelligere oportet quòd solum calefaciant ptisanam, id efficiebant quod

nunc

nunc coqui nostri far coquentes faciunt, nunquam probe cōctum exhibent, quāuis hoc à mulos referatur ad etnos fabaceum, quod id non coquunt, sed tantum calefaciunt, profecto de illo Hippocratem loqui existimassem nisi dixisset οἱ ἐφθοῖσι αὐτῇσι, haec vero particula αὐτῇσι nihil aliud quàm ptisanā referre potest, tamen & nostro tempore etnos calefaciunt, additisq; aromatibus dominis praebent.

Verūtamen petes, quidnam sit hoc fabaceum etnos. Respondetur, Galenus in primo de alimentorum facultatibus libro, quid sit ostendit, cum de faba agens inquit, eius esse multiplicem vsum, nam etnos ex ijs conficitur liquidum in ollis, & spissum in patinis. Tertius modus confectionis cum ptisana instituitur, est ergo apud Galenum etnos puls vel minutal ex faba in olla liquidum, imo vniuscuiusq; leguminis edulium, modo sint fracta, etnos vocatur, cum vero sunt fracta legumina, suis emundantur corticibus. vnde ex fresa faba minutal ad cocturam elixa fabaceum etnos uocatur, non simpliciter etnos, cum adsit & cicerum etnos, & faselorum, quippe constat illos decipi, qui etnos conchim esse voluerunt. nam conchis faba est ex suis corticibus elixa. hicq; deterius labuntur, qui conchim illam esse cōtendunt, quàm vulgo menatam fabam vocamus, cum sit secundum edulij genus ex fabis, quo in patinis vescimur, à Galeno in primo de alimentorum facultatibus positū. Etnos igitur leguminis genus addentes minutal est, ex legumine illo freso atque elixo. vnde et hic Galenus dicit ἔτνος κυάμινον. idest etnos fabaceum, ac si dixerit, puls vel minutal ex faba fresa elixa, quam vulgus Ferrariense, vel fauettam vocat, vel fauettā da frati. Verum quae ex leguminum farina fiunt pulmenta, λέκιθοι dicuntur, vnde κυάμινον λέκιθος ex fabacea farina pulmētum significat, hoc manifeste Galenus ostendit in libro de cibis boni & mali succi inquiens, ἔτνος οὖν ὀνομάζω τὸ ἐκ τῶν ἐρεχθέντων ὀσπρίων τι, καὶ χεδρόπων σκευαζόμενον, λέκιθον δὲ τὸ ἐκ τῶν ἀλεσθέντων ἄλευρον ἑψόμενον ἐν ὕδατι προσεμβαλλομένου τοῦ λίπους. i. voco igitur etnos, quod ex fresis leguminibus chedropisq; conficitur, lecythum vero, cum haec ipsa moluntur, eorūdemq; farinam adipe aliquo admisto in aqua decoxeris. Quid igitur etnos sit, iam nouisti, si & illud addideris Athenaeum tribus modis legumen omne mandi posse testari, aut enim ex eo fit etnos, aut lecythos, aut (vt Galenus in primo de alimentorum facultatibus dicebat) cum aliorum mistione, ibi ptisanae fabam commiscebat. At modum aliū edendi legumina praetermisere, & nūc in Graecia frequentissimum ea sub fauillis, & calidis cineribus assantes. Cretensesq; potatores & cicera ac fabas aqua & sale macerata deinceps tosta, pro Incitanda siti ad cellas vinarias proficiscentes, secum portant, inter haec vero duo edulia lecythū, & etnos, peius est lecythus Oribasio teste, qui tertio de confectione ciborum libro, vbi de cibis qui inflent loquitur, inquit, de faba autem, farina inflat magis, quàm si integra coquatur, aut alio modo cocta sumatur. propterea peius edulium ex faba erit lecythus.

## Hippocrates. Sectio XIX.

**Qui autem in huiusmodi morbis ptisana vtetur, ne vno quidem die vasa, vt ita dicam, inaniri permittat, sed ab vsu eius nequaquā desistat, nisi vel propter medicamentum, vel clysterem eum desistere opus sit.**

### BRASAVOLVS.

Erat ante Hippocratis tempora, & suis temporibus perseuerabat quaestio de ptisanae exhibitione in acutis morbis, quippe nonnulli integra vtebantur ptisana per totū morbi decursum, alij solo cremore, alij nec ptisanam, nec cremorē ante iudicationem praebebant, de horum morborum victu tractaturus Hippocrates & edocturus quādo ptisana vti debemus, & quando non, postea quam eius dotes edocuerat, solitam suam grauitatem seruās, veluti per aenigma hoc nobis proponit, qui in morbis his acutis ptisana vtetur, hic vasa exinaniri non permittat, neque per solam diem, imo à ptisanae vsu non desistat, sed horis suis statutis singulis diebus illam tribuat, nisi hic medicamento indigeat, in cuius gratiam à ptisana abstinere cogamur, vel nisi clystere indigeat, ob quē ab ea abstinere opus sit, in his enim casibus, quando ab alia magis necessaria operatione impedimur, à ptisana, & ab oi alia re abstinere opus est.

ὁκόσοι μὲν οὖν πτισσάνῃ χρέονται ἐν τούτοισι τοῖς νουσήμασι. i. Qui igitur in eiusmodi morbis ptisana vtetur. i. Medicus qui in morbis acutis aegrū ptisana vti iubet, vel aeger ipse qui ptisana vtitur, vtitur vero quia sibi à medico institutū est, & recte quidem institutum. At inquiens mirum videri, Hippocratem qui p̄notare debebas, quibus in morbis ptisana danda sit, solum dicat cum aliquis ptisana vtetur, ac si forte fortuna quibus danda sit cognoscamus. Respondemus Hippocratem vti consueta breuitate, tamen & ex his, & illis quae sequentur, facile intelligi poterit in quibus sit ptisanae vsus, & in qbus cremoris, & in quibus nullius nisi post iudicationem. Scito autem nonnullos esse morbos, qui die quarto iudicantur, exacte peracuti ab antiquioribus nūcupati, in his neq; ptisana vti debemus, neque eius cremore nisi post iudicationem, & hoc ordine, vt primo sit cremoris vsus, postea integrae ptisanae, cum vero in hoc quatuor dierum spatio hoc morbo affecti sitiant, illis vel simplex aqua decocta, uel hordei aqua porrigēda, vel vnus ex vulgatis syrupis alterantibus, vt is est qui de endiuia uocatur, aut violaceus, tamen ipsi antiqui puram aquā, & nihil aliud praestitissent. Si uero morbus septimo die iudicari debeat, aeger integram ptisanam usque ad septimū diem ferre nō poterit, tamen crassiusculam rem comedere non debet, sed talem quae uix ad morbi finem uires conducat, imo & ad finem morbi ducat uiribus etiam imbecillioribus redditis, quoniam apud Hippocratem simul & sanescunt aegri, & imbecilles redduntur. In hoc igitur casu ptisanae succo uti opus est, qui ut integra ptisana non nutrit, neq; adeo parui est momēti ut aqua. Cum uero morbus ad quartūdecimum diem iudicationē protrahet, integra ptisana uti debemus, hic est unus ordo haec exhibendi. Adde & morbi tempora non parum iuuare ad uictus rationem ex his instituendam, nam in principio apud Hippocratem crassiuscula uictus ratio instituenda est, prope statum minuenda. In statu ipso, & extrema naturae cum materia pugna, nihil penitus aegris porrigendū. de his uero in primo aphorismorum libro uberius pertractauimus. Cum igitur quartodecimo die aegritudo iudicanda sit, primo integra ptisana porrigatur, prope consistentiam cremor ipse detur. In consistentia uero, quae est breuissimum totius morbi tempus, aut nihil penitus dandum est, aut ob sitim quae plerūq; urget, aquā puram. hecq; est diuersitas exhibendi ptisanam & cremorem penes morbi tempora, post haec morborum tempora paulatim & iura & carnes praebebant. Nostro autem tempore per hūc incessum procedere nō possunt medici in morbis acutis, quoniam rarissimis placet ptisanae cremor, uel ptisana ipsa, sed cogimur ferè uelimus nolimus hordei aquam praebere. panemq; lotum, & in expressum seminum peponum coctum. delicatioribusq; nonnullis iura pullorum frigidioribus humidioribusq; herbis alterata dare cogimur. his uero quibus ptisana non displicet, ptisanam damus, & ptisanae cremorem, tamen neque despicienda sunt quae nos exhibemus.

οὐδὲ μιῇ ἡμέρῃ κεναγγητέον, ὡς ἔπος εἰρῆσθαι. i. Neq; una die, ut ita dicam, uasa exinanienda sunt. In acuta febre, uasa. i. arteriae, uenae, & reliquae partes in quibus humores continentur, quando homo non ederit, exinaniuntur, & si diutius absq; cibo persistamus, egregie inaniuntur, & membra exiccantur, quod Hippocrati displicet. propterea iubet ne uno die à ptisana cessandum sit, imo neque una cibatione, ne uasa exinaniantur, quia continuo ex ui caloris nonnihil resoluitur, nisi cibis reficiàmus, quibus igitur ptisana conuenit, his singulis diebus danda est.

ἀλλὰ χρηστέον καὶ οὐ διαλειπτέον. i. Sed ab eius usu nequa-

quam desistendum, ab eius inquã vsu quando conuenit, & ab vsu etiam suę comedendi consuetudinis, de qua in consequẽti aget contextu. tamen ne arbitreris velle ægrum semper comedere ptisanam .i. continuare, sed suis & proprijs comedendi temporibus nunquam abstinendum, eodem pacto de eius cremore dicendum est, qui ptisanę cremore vti debet, neque vna die abstineat.

At inquies si Hippocratis regulæ seruandæ sunt, nõnunquam, idest, aliquo die à ptisana abstinendum esse videbitur, quippe in aphorismis docet in principijs crassius in victu regendum ægrum, in consistentia vero vti oportet tenuissimo victu, esto igitur quispiam sit qui in initijs ptisana indigeat, in statu tenuissimo victu indigebit, propterea auferetur ptisana, vnde ab illa desistet. Respondemus, Hippocrates commode intelligendus est in illis diebus in quibus dari debet nullam esse intermittendam, sed quotidie dandam, non enim ab eius vsu desistendum est nisi aliquid impediat, impediet vero status, in quo tenuissimus exigitur victus. Sunt vero qui differentiam faciant in exhibendo uictum in simplici febre acuta, & in morbis acutis ex abscessibus, & hoc penes tempora. nã si in febre simplici septimo die appareat coctio, & in pleuritide septimo die appareat coctio, & hi morbi in decimoquarto die terminari debeãt, ptisana vti opus est, quia hi ægri ex solo potu non possunt vsque in finem peruenire, in his casibus qui simplici febre correptus est, crassius in principio in uictu regi debet, qui uero pleuritim patitur, solo potu vsque in septimum seruari debet, postea septimo die ptisana exhibenda est, & in decimum quartum diem continuandum. At hi decipiuntur, quoniam Hippocrates de omni morbo, simpliciter cuiuscunque sit generis sentit crassius nutrimentum in principio exhibendum esse, circa statum vbi vehemens est pugna, tenuius, neque huius, vel illius differentiam facit, nullam enim aliam huius rei rationem aphorismo octauo primi libri attulit Galenus, quàm naturam tunc noxiorum humorũ coctioni fortiter vacare, ideo vis ipsam circa cibum occupanda non est nisi aliquis contingat casus, vt deinceps nono aphorismo notat Galenus, in quo natura imbecillior effecta in statu nutrire cogat, tamen hoc contingens est & non ex morborũ necessitate. Omnes igitur morbi, uel febres simpliciter sint, uel cum abscessibus, vel diutini, vel acuti, in statu semper tenuissimo uictu regendi sunt, imo & in longis morbis ratione crassitiei principij debet esse tenuissimus. Ad rem igitur, etsi hic Hippocrates iubeat à ptisana abstinendum non esse in illis, in quibus ipsa conuenit, intelligendum est, non esse quidem abstinendum, sed tñ secundum tempora esse attenuandum, & in illo status vigore pro illo breui tempore abstinendum, hocq; egregie ostendit Hippocrates sectione decimaquinta secundi libri huius voluminis, & sectione. 43. eiusdem libri.

ἢν μή τι δέῃ, ἢ ἤ τι φαρμακεύῃ. idest, nisi opus sit vel ob medicamentum. nam medicamenta nonnunquam impediũt ne ægro cibus exhibeatur, quoniam si ea hora qua ptisanã accipere vsus erat medicamentum epotum suas agat partes, tũc pro illa hora abstinere opus est. ne igitur intelligas per totum morbi decursum esse abstinendum, quando medicamentum ebibere opus erit, sed tantum illo mane abstinendum, vel illa die, si tardiuscula esset (vt nonnunquam contingit) medicamenti actio.

ἢ καῦσιν ἀναλωμῶν. idest, vel ob clysterem relinquere opus sit, Aldinus contextus ita legit καῦσιν .i. ardorem, si ita Hippocrates dixisset, sensus esset, opus esse tunc abstinere à ptisana cum ardor .i. febris ipsa ardens impedit, nõ enim danda est ptisana, alterius cibus in summo febris calore, tamen omnes alij codices legunt clysterem, & ita Galenus suo in codice habebat ἢ κλύσιν ἀναλωμῶν, tamen etsi καῦσιν .idest ardorem legamus per quem summum morbi vigorem intelligamus, lectio illa ab re non esset, si contingat aliquem in ventre dolore affici, qui facile per clysteres finiatur, supposito dolorẽ ea hora superuenire qua cibari solitus erat, tunc clystere indiget & ptisanæ exhibitio ad vesperam vsq; differtur, vel ad alteram diem, si id exigat temporis dispositio, in qua dolor hic cõtingit. Adde si quis plethoram patiatur, vt sectione venæ indigeat prius sectio venæ administranda est, quàm ptisana afferatur. propterea hic Hippocrates ptisanæ exhibitionem penitus non aufert, sed à propria consuetudine distulit, tamen alia hora dare non negat, venæ autem sectio in horum morborum initijs plerunque fit.

Sed petes quantum temporis spatium intercidere debeat inter venæ sectionem & prandium? Respondemus, consueuimus nos (nisi alia impedierint) vnius horæ spatium interponere, Galenus in nono methodi libro exẽplum ponens duorũ adulescentium qui synocho laborabant, primo uenam secuit, & post duas horas à sanguinis missione cibum dedit, & quiescere iussit. De secundo uero adulescente dicit post uenæ sectionem idoneo interposito spatio illum cibauit, primo mulsa, deinde una interposita hora ptisanę cremore, alibi uero Galenus statim uena secta cibum exhibet, nihil incommodi contingere putans. Ratio uero quæ huic oppugnat est, si statim edatur, à uenis exinanitis sumptum cibum trahi, tamẽ id & post decem horas facerent. propterea nisi quidpiam impediat, spatiũ duarum horarum, uel saltem unius inter uenę sectionem et cibum interponi debet.

Cum uenæ sectio in ægritudinum principijs fieri debeat, petes de medicamento, an in principio porrigi debeat. Respondemus, non esse porrigẽdum in principio nisi materia turgeat, plurima uero non turget. unde concoctionem expectare oportet. si uero turgeat, & medicamentum exhibere oporteat, ptisanæ sorbitio & cibus quisq; differendus est.

Imo adde & cucurbitulas & circa uentriculum ac iecur cataplasmata, & frictiones, & balnea, quando adhibenda sunt, ptisanæ exhibitionem & cuiuslibet alterius cibi prorogant. fuit tamen Hippocrati satis duo adducere, è quibus nos alia deducemus.

## GALENVS.

Soluere incipit qđ quæritur. Sed quoniam dictionem ipsam non exacte interpretatus sit, ob id obscurum ambiguumq; reddidit sermonem. Quapropter, vt quonã maxime expositus modo nihil obscuritatis habeat, referre conabor, sermonemq; ab initio hoc repetam pacto. Quænam est causa discordiæ, cur in acutis morbis alij quidem ptisana hordeacea utãtur, alij solo ptisanæ cremore, alij ne hac quidem ad morbi usque iudicationẽ? hoc sane est problema. Sed solutionẽ deinceps audi. Qui acutis laborant morbis, alij quidem à cremore solo, alij à ptisana ipsa, alij ab horum neutro iuuantur. Sed sane inmodestius de omnibus morbo acuto laborantibus tulit medicorum unusquisque sententiam, non considerata ea quæ in omnibus esse debuit experiẽtia. Sed distinguam ego demonstraboq; quinam à ptisana iuuantur, quinam à cremore solo, & quinam neutro indigeant. Tota igitur ptisana uti debent ex acuto morbo laborantibus, qui neque alio quopiam ante egent remedio, quale vel per sectam venam, vel uentris subductionem, vel quippiam simile fieri solet: neque etiam eis insit quod periculum minetur symptoma. Cremore autẽ, qui aliquid tum fallacius, tum periculi magis particeps habent. Quos vero uel sanguinis missione, uel purgatione uacuare expedit, uel etiam dolore sedare: his non ante uel ptisanam uel cremorem dabis, quàm quippiam eorum que dixi feceris. Sane hæc Hippocratẽ præscripsisse oportuit, & ab unoquoq; singularium incepisse: atq; hoc pacto futurum sermonem obscuritate omni viduum priuatumq; fecisse. Verum quoniam id non fecit, non absq; causa obscurus abiecto conueniente ordine, est effectus. Nos autem dictiones ipsius sequuti, reducamus vnamquanq; ad ea quæ ante dicta sunt capita, atque in primis diligentia adhibita præsentem exponamus dictionẽ. Quare me latius explicantem Hippocratis dictionẽ, simulq; & uerba aliqua gratia perspicuitatis adijcientem audito. Qui igitur ægrotantes ptisana in his morbis reficit (dicam autem paulopost quinam ea utantur) ij quidem nulla die vasa inaniri vt ita dicam, permittat

nisi

nisi desistere debeat vel propter medicamentum vel propter clysterem. His ergo si bis dederis, cum opus habuerint, bene facies, atq; quantũ corporis tolerat virtus. Explicabo autem tibi scopos, quibus attentus vel per ventrẽ vel per venas ipsos euacuabis, aut fotibus cataplasmatısve vteris. Quos si prædixisset, deinde vnumquenque seriatim resumens cõuenienti exposuisset ordine: non obscurus fuisset sermo ipsius. Nunc aũt quod interrepit, interlabiturq; semper, ad finẽ usque persequi cupiens, vb sermonem non parum suspensum esse uoluit, iure obscurum fecit. Vera autẽ me loqui deprehendes, si dictiones singulas omnes claras manifestasq; inueneris: orationẽ vero totam incompositam, & ob id obscuram.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus Hippocratem expositurus, illum de obscuritate notauit, nõ animaduertẽs quod breuitati semper studuit. hic igitur Hippocrates quæstionem illam soluere incipit, quæ de ptisanę vsu Hippocratis tẽpore vagabatur, an tota in morbis acutis, an cremore, an neq; tota, neque cremore vti debeamus, verum quia Hippocrates dictionẽ ipsam & quęstionem non est exacte interpretatus, neq; per partes illam deducit, vt ab authoribus fieri solet, propterea & obscurũ & ambiguum reddidit suum sermonem. At nos ne obscuritas aliqua in ipso sit, omnia referre conabimur. sermonem igitur ab initio hoc modo incipiemus. Petimus quænam sit discordiæ causa, cur in acutis morbis aliqui medici ptisana hordeacea vtantur, & solam istam integrã suis ęgris exhibeant, alij solo ptisanę vtantur cremore, & nullo alio vsq; in morbi finẽ. Alij ne hoc quidem ad morbi vsq; iudicationem, hoc est problema, hoc inq; ambiguum superius ab Hippocrate propositum, quod absoluere debuit, sed adeo concise respondet vt obscurissimus esse videatur. Nos igitur vt veri interpretis officio fungamur, deinceps solutionem ponemus. audias igitur.

Petes autem an tanta sit in Hippocrate obscuritas vt ex ipso solutio haberi non possit. Respondemus si quis totum hunc librum legat, ex Hippocratis dictis solutionẽ colligere poterit, quod inter interpretandũ colligere licebit, nã proprijs in locis quãdo vnum dicet, uel innuet, & quando aliud, annotabimus. Secundo Galenus ad problematis solutionem sese accingit, inquiens ex his qui acutis laborant morbis nonnulli ab integra ptisana, alij à solo cremore, alij ab horum neutro iuuantur. Scito igitur illos tota ptisana vti debere, qui morbo acuto laborant, & qui à victus ratione suam curationem incipiunt, & præsidio aliquo prius non indigent, præsidio inquam, quale est venæ sectio, vel vẽtris subductio vel aliquid simile, adde quod nullum adsit, vel præsens symptoma, vel quod immineat, intellige vero his totam ptisanã statim in principio dandam esse. At illis qui habent aliquid fallacis .i. quod fallere posset, & medicum decipere, & in quibus maius periculum imminet, cum morbus sit peracutus, in his statim à principio ptisanæ cremore vti debemus. At qui in principio missione sanguinis egent quia plethoram patiuntur, vel purgatione indigent, quia materia ὀργᾷ .i. idest, turget, vel qui dolorum sedatione indigẽt, quod plerunque clysterijs fit, his omnibus neq; danda ptisana, neq; ptisanæ cremor prius quàm id quod exigitur perfectum sit, oportuit (inquit Galenus) Hippocratem hæc scripsisse, quæ à nonnullis dicta sunt, & ab unoquoq; singularium incepisse, vt nos fecimus, nam illo modo eius sermo fuisset obscuritate expers. At quia id non fecit, nõ mirum si fuit obscurus conuenientem ordinem prætermittẽs. At ipse Galenus Hippocratis sententias secutus, vnãquanq; ad ea capita quæ prius dicta sunt reducet. Primoq; præsentem sententiam dicit se expositurum. propterea inquit audiatis me Hippocratis sententiam latius explicantem, & verba aliqua perspicuitatis gratia adijcientem.

Tertio Galenus præsentem sententiam exponit inquiens, medici qui in morbis acutis ægrotantes ptisana reficiunt (qui vero sint qui illa vtãtur deinceps dicet Galenus) hi nullo die (ut ita dicam) horum ægrorum vasa inaniri permittant, quotidieq; ptisanam porrigant, nisi à ptisana, vel ob medicamentum, uel ob clysterem abstinendum sit, sicq; opus sit bis in die dato, & tantum quantum pro viribus satis erit. Et si petas quando hi sint euacuandi, Galenus respondet se deinceps scopos daturũ, quibus quisq; cognoscere potest, quãdo opus erit medicamẽto, quando venæ sectione, & quando fomentis, cataplasmatibusve, aut clysterijs in doloribus. Medicamentis in principijs vtemur si materia turgeat· venæ sectione in plethora· clysterijs si dolor in infimis sit intestinis, fomentis & cataplasmatibus si in superioribus. Si vero Hippocrates scopos istos in genere prædixisset, postea seriatim vnũquenq; exposuisset, eius sermo non fuisset obscurus, verũ Hippocrates præ oculis semper finem habens, & breuitati studens, sermonemq; suspendens iure ipsum obscurum fecit. quòd autem nos uerum dicamus statim cognosces cum inueneris singulas sententias à me ex obscuris claras redditas, tamẽ tota Hippocratis ratio est incomposita, & propterea obscura. Duo sunt quæ Hippocratẽ obscurum reddunt, vnum sermonis breuitas, nempe adeo cõcise quid intẽdit explicat, vt eius sensus vix capi possit. Aliud, quod incompositus est, quippe certo ordine non procedit, imo quæ præcedere deberẽt sequuntur, hæc uero difficultatem pariunt, nec sciri possunt & suo ordine statui priusq; totus liber sit transcursus, putamus Hippocratem multa suis in libris supponere & uel suo tempore nota prætermittere, quæ nobis earum rerum ignaris obscuritatem pariunt.

## Hippocrates. Sectio XX.

**Proinde qui bis die cibari consueuerunt, bis ptisanam dare oportet. Qui semel, semel quidem primo die detur: deinde ἐκ προσαγωγῆς, idest sensim paulatimq; si fieri potest, bis quoque detur si quid putas adiiciendum.**

BRASAVOLVS.

Mirus fuit consuetudinis obseruator Hippocrates, in cibis præsertim & potibus, ut in libro de prisca medicina de illis qui consueti sunt prandere, et non prandent hæc dicat, cum primũ hora transit, confestim vehemens debilitas, tremor, animi defectus, os amarescit, oculi insuper lutei fiunt, lotiũ crassum feruens demittit, lancinantur intestina, caligãt oculi, percitur ira, difficulter spirat, lãguidus efficitur, omniaq; hæc propterea patiūtur, cum autem cœnæ accingitur, quæ prius prandio assumebat, comedere non potest, eaq; cum descendunt, torquent, strepunt, ventriculumq; claudunt, hiq; difficulter dormiunt, somniaq; tumultuosa & perturbata vident. quod plerisque morbi principium extitit. Quot igitur faciat incommoda prandij dimissio, hinc colligere poteris, idq; intelligi oportet cũ quis præcedentem cœnã optime concoxerit, & nihil sit amplius in ventriculo concoquendum, & quod Hippocrates in cibis consuetudinem magnifaciat, potissimum in exhibendi vicibus de eodem prandio ab homine qui inassuetus sit prandere assumpto, hæc dicit. Etenim qui prandere non consueuerunt, si pransi fuerint, venter eorum intumescit, somnolenti redduntur, ac pleni, quæ omnia abunde in secundo huius voluminis libro retulit de prãdio & cœna assuetis, & nõ assuetis. Mirumq; fuisse Hippocratem consuetudinis obseruatorem Galenus prope finem octaui libri methodi medendi testatur inquiẽs, Gaudent enim naturæ consuetis semper, ut & Hippocrates euidentissimis argumentis in libro de acutorum victu astruxit. Forte cõtra hęc adduces id quod secundo aphorismorum protulit Hippocrates, esse. s. ad insueta permutandum. Respondemus id in cibis, non in cibandi ordine intellexisse, in sanisq; loquitur, & non in ægris. Tanta igitur est consuetudinis vis apud Hippocratem, vt ipse etiam in morbis velit illam seruari quãtum fieri potest. vnde & nunc dicit, qui bis die comedere assuetus est, huic bis ptisana detur. At cum ptisana non nutriat, vt cibi faciunt fa-

norum consueti. propterea si quis assuetus sit semel tantũ edere in principio .i. primo die semel cibetur, si vero putes aliquid adijciendum, quia tibi videatur tali victu tenui, & vna cibatione vsq; in morbi finẽ perdurare non posse, sensim, paulatimq; secundam cibationem addas, neq; prima vice integram illam dare conuenit, sed non nihil prębere, quoniam inconsuetus est, postea sequenti die parũ augere, tertia die adhuc magis, quoad in id peruenias vt duę sint cibationes aequales, tamen si tibi videatur cibatione alia non indigere, noli neq; paulatim, neq; ullo modo dare, cum sola necessitas ad secundam cibationem te inducere debeat, & non vt is qui aegrotat, cibetur.

καὶ τοῖσι μέν γε εἰθισμένοισι δὶς σιτίζεσθαι τῆς ἡμέρης δὶς δοτέον. idest, & consuetis bis cibari die, bis danda .s. ptisana, ne consuetudo peruertatur, quae altera est natura. At mirum tibi videbitur, cur consuetudo immutanda non sit, cum & homo ipse sit immutatus. nam prius erat sanus, nũc ęger effectus est, propterea uidẽtur omnia debere immutari, & cõtraria penitus adhibenda, q; ea sint quae cum sanus esset, recipiebat, & vices ipsae immutandę sint. Respondemus, duo proculdubio esse immutanda, qualitas inquã victus, & quantitas, nam aeger neq; talia, neq; tanta edere debet, qualia & quanta cum erat sanus, edebat. Qualitas morbo contraria esse debet. Quãtitas, tãta sit, quãta pro viribus seruandis satis videbitur, vt nihil morbo addatur, tamen cibationum numerus cũ est aeger, cibationum numero aequalis esse debet, quando ipse sanus erat. At inquies si quis in cremẽto febris sit atq; vigore ad horam vsq; diei uespertinam, quomodo huic suis horis victus dari poterit? nam coenare quidem, sed prandere nõ poterit. Respondemus cum res ita vrget, vt commodis careamus temporibus, agẽdum est vt à necessitate ducimur, tuncq; prandiũ per tres vel quatuor horas ante febris accessionẽ praebeatur, & illa erit vna cibatio, aliam in inclinatione prębebis, verum si febris febrem subiret, vt in vocatis à recentioribus subintrantibus, fit, posset ita dispo ni ęger, vt semel tantum cibandus esset, quanq; binis cibationibus fuisset assuetus. Et si Galenum adducas in cõmentatione 17. primi libri aphorismi, volentẽ & vices immutari, quia non nullis aegris satis est, semel tantum victum praebere, etiam si assueti sint bis in die comedere. Dicimus hoc in libro aegros comparari ad seipsos sanos, quo ad numerum cibationum, in primo vero aphorismorum aegritudinem ad aegritudinem, & vim ad vim comparat, in hoc quod est mutare rerum quae offeruntur, numerum & quantitatem, & ideo in illius aphorismi commentatione inquit deberi cibum & saepe, & paucum, in morbo in quo corpus extenuatur et uis est imbecilla, in morbo autem in quo corpus non minuitur, & vis est robusta, multum & raro dari debet, vnde varia est huius partis, & illius aphorismi intentio, tamẽ & in hoc loco si vires essent imbecillae, & bis & ter parum dari iuberet.

Scito praeterea non exhiberi tantam ptisanae copiam, quanta vulgaris cibi in sanitate sumebatur, & ideo duę sunt penes cibi quantitatem mutationes, vna de quãtitate ipsa quo ad molem, quae in acuto morbo minor est. Altera de quantitate quo ad nutriendi vim, quę etiam minor est in ptisana q; in carnibus, & in alijs sanorum edulijs.

τοῖσι δὲ μονοσιτέειν εἰθισμένοισιν, ἅπαξ δοτέον τὴν πρώτην. idest, semel vero consuetis, semel danda primum. Qui ergo assueti sunt semel cibum assumere, & ptisana indigeant, semel cibentur, primum, particula haec primum ab aliquibus intelligitur prima die, nam dicit τὴν πρώτην vt ad ἡμέρην respõdere videatur, tñ & primis diebus intelligi potest, & nõ solo primo.

ἐκ προσαγωγῆς δὲ ἢν ἐνδέχηται καὶ τούτοισι δὶς διδόναι, εἰ δοκέοι προσδεῖν. idest, ex additione autem si indiget & his bis dare, assuetis semel accipere cibum in die non est necessarium bis dare. At si indigemus bis dare, quia vires imbecillę sint, bis dandum est, hoc tamen seruandum vt ad sit προσαγωγὴ idest additio, vt huic secundę cibationi aegrum paulatim assuescere faciamus, prima vice parum dantes, & secunda addentes, tertiaq; magis, quoad cibationes reddanť ęquales, imo nonnunq; quę additur cibatio maior q; prima esse debebit, cũ prima ante febrẽ fieri cõtinget, uel in febris cremẽto, nõnunq; è contrario cibatio hęc erit minor prima & consueta.

Tibi forte Hippocrates sibi ipsi oppositus uidebitur, qui iusserit in progressu morbi uictum semper minuendum, & in consistentia nihil dandum, hic in morbi processu plus tribuit, et augendo potius incedit. Respondemus non Hippocratem iubere hanc secundam cibationem fieri, nisi ea indigeamus, cum uero illa indigemus, & in ipsa consistentia cibandus est aeger ut uires seruentur, neq; illud probo quod à nõnullis refertur, Hippocratem loqui de ratione uictus pleuriticorum, qui semper augendo procedit.

Sed aliam deteges in Hippocrate cõtradictionem, utpote qui dixerit seruandam esse consuetudinem, postea bis cibandum uult, semel cibari assuetum. Respondemus consuetudinem omnino obseruandam. hocq; est summum Hippocratis praeceptum in aegris respectu sanorum. at ubi opus est consuetudinem immutare cogimur, ut si uires imbecillae sint, & aliqua symptomata id expetant.

## GALENVS.

Bis cibandos ipsos inquit, qui bis cibari consueuerunt: idq; si adsumendi necessitas fuerit. Quod si semel tantum cibari consueuerĩt, ptisanam bis dabis, ab ipso quidẽ simul incipiens sed paulatim ad bis ipsum procedens. Nempe ἐκ προσαγωγῆς idest sensim, id declarat. Fitq; res hoc pacto: Semel quidem dabis quod satis sit, sed minimum sit quod secundo exhibeas. Deinde paulatim augebis, idq; efficies donec ambas ęquari alimonias continget. Sed nondũ sermonis huius fides huic patet, qui librum hunc Hippocratis legit, quod neque ab ipso est pręmõstratum, quinã sint qui commode ptisana vtãtur. Verum vbi mediocriter aegrotantes ab ipso ita cibari prędixero, paulo post & Hippocratẽ ipsum velle id demonstrabo. Atque haec tibi sit praesentis huius dictionis expositio. Sunt autem pleriq; qui dictionem hoc scribant pacto, Qui semel cibari consueuerunt, semel quidem prima die dandum sensim paulatimq; quod si fieri potest, bis quoq; detur, si quid adijciendum putes. Sed mente caret dictio haec. Nam quòd prima detur die sensim paulatimq;, fieri non potest, cum sensim ipsum pluribus ingestionibus fieri natum sit, non semel, neque statim in prima.

## BRASAVOLVS.

Primo Galenus notat ab Hippocrate dictum esse bis cibãdos aegros, si bis cibari assueti sint, & necessitas assumendi cibum cogat, nam & si bis assueti sint cibari, & nõ sit aliqua bis cibandi necessitas, neq; aliud incommodi sequatur, si semel cibetur, semel cibandus est. At si quis semel tantum cibari assuetus sit & necessitas cogat, hic bis cibetur ptisana, tamen primis diebus ab una incipiat cibatione, postea paulatim procedens ad secundam tendat cibationem, hocq; ostẽditur ex ipsa particula ἐκ προσαγωγῆς, idest, ex additione, quae particula sensim & paulatim significat. Res igitur hoc modo procedat, semel dabis quod sit satis. Id erit satis quod aegritudo exigit, & uires exposcant cum secundam incipis cibationem, id quod praebes exiguum sit, paulatimq; augeas, quoad utręq; cibationes ad aequalitatem redactae sint, tamen nonnunquam opus erit hanc augere, nonnunquam minorem facere, ut particularia accessionum tempora expetierint. Nonnulli uero sunt longe decepti uolentes illam ptisanae quantitatem, quę mane datur, quando altera die secundam cibationem incipimus, esse diminuendam. nam seruanda est eadem quantitas in hora consueta, si illa hora cibari possit, etenim contingere potest, ut hora consueta ob febris dispositionem cibari non possit, sed hora quae pro consueta accipietur tanta ptisanae quantitate reficietur, quanta satis erit, & quae nunquam nisi prope cõsistentiam minuenda erit. Et licet Galenus ferè iubere uideatur, si semel tantum cibari consueuerunt, ptisanam bis dandam, hoc non iubet nisi ubi opus sit, quoniam & si res etiam expeteret, nihil daret, etsi ter cibandus esset, ter cibũ praeberet, à iureq; & carnibus non abstineret.

Secundo

Secundo Galenus notat eum qui ad hanc vsq; partem Hippocratem legerit, nondum scire huius sententiæ veritatem, nam ab ipso premonstratum non est quinam sint illi qui ptisana uti debeant. Verũ Galenus inquit postea q̃ ostẽdero mediocriter ęgrotãtes ab Hippoc. ita cibari, deinceps nec lõge demõstrabo Hippocratẽ id voluisse, hęc igit̃ sit præsentis sentẽtię expositio. Ambiges vero cur mediocriter ægrotãtes ptisana uti debeãt, cum mediocris morbus pleniorem victum exigere videatur quàm ptisana sit. Respondemus intelligendos hic mediocriter ægrotantes, non simpliciter ad omnes morbos cõferentes, sed mediocriter quo ad acutos, qa de sol's acutis v̄ba facturus est. Sed petes vbi de hoc agat Galenus. Respondemus id erit deinceps sectionibus. 42. &. 43. & per multas sequentes, quoniã & Hippocrates ipse illis in locis hoc ostend t.

Tertio Galenus contextum quendã refert, quem nonnulli sequuntur, illum vero ipse reprehendit. nam Hippocratis sententiam hoc modo scribebant, qui semel cibari consueuerunt, semel quidem prima die dãdum ἐκ προσαγωγῆς. i. ex additione, quod alij uertunt sensim paulatimq;, quod si fieri potest bis quoq; detur si quid adijciendũ putes. At inquit Galenus mente caret hæc dictio. i. illi mente carẽt qui eam sequuntur, quoniam prima die dari ἐκ προσαγωγῆς. i. ex additione fieri nõ potest, nam quod ex additione est, pluribus in ingestionibus fieri natum est, & non semel, neq; statim in prima.

## Hippocrates. Sectio XXI.

Verum inter initia neque multam, neque crassam admodum dare oportet, sed quantum & ob consuetudinem, & ne multa vasorũ inanitio fiat, ingerere conuenit.

BRASAVOLVS. In cibandis ægris vel ptisana vti oporteat, uel nõ oporteat, ambiguum est, quo victus genere, quantum sit de quantitate cibandi sint. Scire oportet si medicus prima visitatione morbi genus ignoret, vt plerũq; contingit, non enim omnes Galeni sumus, qui prima statim visitatione morbũ deprehendere possimus, quanquã & in nonnullis referat se prima vice morbum non agnouisse. Intellige vero esse primum ægritudinis insultum. nam plerũq; tertio aut quarto die uocatur medicus, si his diebus vocaretur, esset penitus ignarus si morbũ non deprehenderet. In prima igitur visitatione & in primo morbi insultu si medicus ægritudinẽ ignorabit, victus genus, si vires constent, attenuare debet, quoad in morbi notitiam deuenerit. At si morbum nouit, victus rõnem ex statu metiri debet. In morbis in quibus ptisana indigemus Hippocrates inquit, in principio cum ægrotans ptisana indiget, non est multa præbenda, neq; crassa, sed tantam exhibere oportet, quanta ad propriam seruandam consuetudinẽ satis est, & ne multa fiat vasorũ inanitio, cum vires seruare opus sit. Si aũt uasa multum inanirentur, vires deciderent, neque in finem vsque seruarentur, & si secundum consuetudinẽ, proportionabiliter non darentur.

πλῆθος δ' ἀρχὴν κατ' ἀρχὰς διδόναι μὴ πολὺ, μὴ δὲ ὑπέρπαχυ. i. At in principio, neq; multam, neq; admodum crassam dare conuenit. Non quidem morbi principium hic intelligit, sed tempus illud, in quo ptisanã exhibere conuenit, qñq; post iudicationẽ ptisanam dare opus est, qñq; prius euacuatione indigemus, uel uenæ sectione, vel clystere, vel re alia simili. Qñ igitur opus erit nos uti ptisana, tunc in principio dãda est, neq; multa, neq; admodũ crassa. Sed inquies non videri probe dictum ab Hippocrate, neq; admodũ crassam, cum superius sectione. 18. edocuerit ptisanã esse continuam et homogeneam, neq; ullã habere in partibus diuersitatẽ. propterea neq; magis crassa, vel minus crassa dici poterit. Scito ptisanã ex aqua coqui, cum perfecte cocta est, aliqua aquæ portio relinqui põt, quæ penitus cõsumpta non sit, & hęc minus crassa ptisana nũcupatur, si uero aqua integre absumatur, magis crassa est, de hac in præsentiarũ loquit̃ Hippoc. cũ dicit, non admodũ crassam. i. quæ aquã adeo consumptam habeat, vt in formã quandam crassam redacta sit, sed aqueæ partes adhuc tñ persistent, hæc vero crassa, & illa minus crassa homogeneæ sunt, & in suis partibus continuationẽ habent. hoc igitur minus crassum, vel magis crassum cocturæ ratione considerare oportet, tñ nihil impediret, si hoc in colata ptisana intelligeremus, quoniã hæc pcolatio, scđm lintei genus magis crassa esse põt, atq; minus.

ἀλλ' ὁκόσον ἕνεκα τοῦ ἔθεος εἰσιέναι τι, καὶ κενεαγγείην μὴ γίνεσθαι πολλήν. i. Sed gratia cõsuetudinis tantum ingerere cõuenit, & ne fiat multa vasorũ inanitio. Scito hanc consuetudinem considerandã esse, penes cibum, quẽ cum sanus erat edebat, vel primis diebus integra ptisana utebat̃, postea prope cõsistentiam attenuauit, & uel nihil, vel aquam accepit, deinceps ne uires desint, ptisana præbenda est, tunc secundũ consuetudinem minus q̃ prius fiebat, danda est, respectu tñ ad consuetudinem habito, verum in tanta danda est copia, ne ob nutrimenti defectũ uasa, venæq; inaniantur. forte hic est Hippocratis sensus quicquid vero sit, hoc semp admonet, qñ ptisana uti oportet, in initio in minori copia danda est, et minus crassa, uel sit post iudicationem, & post coctionem in pleuritide, vel statim in morbi principio, & hoc forte vt per vnũ uel duos dies huic cibo assuescat, cui breui assuescere non dubitamus.

GALENVS. Qui Hippocratem replere ægrotantes asserunt, quòd his qui citra periculum agunt, bis quotidie ptisanam dare iubeat, si quod in dictiõe retulit, cõsiderarẽt, seipsos cõdemnarẽt. Tantum siquidem sorbitionis dari præcipit, quantũ alimoniæ corpori & ob consuetudinem, & non multa fiat vacuatio, administrari conuenit. Si igitur ptisanæ oxybaphũ, id est cotulæ quartam partem, quæ quotidie ad septimam usq; uel nonam diem exhibetur, minoris esse facultatis q̃ id quo alunt nutrimentum faterent̃, mea sentẽtia à nugis sese cohibuissent. Sed Paulopost id declarabo, atq; in præsentia verbum hoc, inter initia, quod Græci dicunt κατ' ἀρχὰς, exponam. Neque enim morbi principium id significat. Sed ex eo generalius audi significatũ. Nempe cum ægrotans primũ ptisana egere videbitur, tũc protinus neq; multã, neq; admodum crassam dato. A' multa siquidẽ & subita tũ repletione, tũ uacuatione semper abstinuit Hipppc.

BRASAVOLVS. Nonnulli antiqui id contẽplantes quod ab Hippocrate in præcedente sententia scriptũ est. s. eis qui cõsueti sunt semel comedere, dandã esse his ptisanã, illum reprehendebant, utpote qui suos ægros nimis infarciret atq; impleret, non animaduertentes Hippocratẽ id velle si opus sit, & à cõsuetudine simpliciter non esse diuertendũ. propterea à Galeno hic primo notatur, eos, qui asserunt Hippocratẽ ægrotantes replere, ob id q̃ his qui sunt citra periculũ, jubeat bis dare ptisanã, sed ipsimet seipsos condẽnarent, si id considerarent q̃ in præcedenti sententia, & in hac pñti dictum est. nempe iubet Hippoc. tantum sorbitionis dandũ esse, quantũ pro corporis alimento satis est, & ob consuetudinẽ, & ne multa fiat euacuatio. s. uenarũ, & vasorũ, quæ fieret, si tantũ nutrimentum nõ reciperet, quantum satis est. Addit ergo Galenus, si hi Hippocratis verba considerassent, in tot nugas non incidissent, sicq; simul considerassent ptisanæ oxybaphum. i. quartã cotulæ, quę quotidie usq; ad septimum vel nonũ diem datur, esse minoris facultatis, et minus nutrire, q̃ faciat nutrimentum illud, quo ipsi alunt, nam ptisana exigui est nutrimenti, & cibus, quẽ illi præbebant, licet una darent vice, maioris erat nutrimenti, quàm ptisana bis data. Adde & ptisanam esse quidem cibum, sed medicum. At Galenus hanc rem se paulopost tractaturum promittit.

Nota à Galeno dici Hippocratem bis dare, his qui citra periculum agunt, quoniam integra ptisana non utitur, neque cibũ auget, nisi post coctionem, ut vires ad expellendũ robustiores efficiat. Cũ uero res in periculo est, aut nihil, aut aquã præbet. Scitoq; Galenum scripsisse, Hippocratem dare tantum sorbitionis, quia ptisana cocta quidem esse debet, sed aqua nõ debet adeo esse consumpta vt bibi non possit.

Vbi legitur, si igitur ptisanæ oxybaphum. i. cotulæ quartã partem, hæc particula. i. cotulæ quartã partẽ, ab interprete addita est, & hoc totum si igitur ptisanæ oxybaphum quæ quotidie

ad ſeptimam vſq; uel nonã diẽ exhibetur, Græce eſt ἐὰν οὖν συγχωρήσωσιν ὀξύβαφον πτισσάνης δὶς ἑκάστης ἡμέρας διδόμενον ἄχρι τῆς ἑβδόμης, ἢ τῆς ἐννάτης. i. Si igitur ptiſanæ oxybaphum bis ſingulis diebus ad ſeptimam vſq; vel ad nonam diem exhibeatur, nullus ambigere debet, illã particulã δὶς. i. bis eſſe legendam, mirandumq; cur ab interpretibus ſit prætermiſſa, cum omnibus in græcis codicibus adſit.

De oxybapho aũt petes cuius ſit quãtitatis, vt facile deprehendi poſſit, an nos tantum exhibeamus, quantum antiquiores illi. oxybaphum à probis authoribus interpretatur acetabulum, & his duobus nominibus vteri cauitates appellantur. in tractatu de ponderibus & mẽſuris, de oxybapho longius egimus, apud Aeginetã, oxybaphum, cyathũ vnũ & ſemis cõtinet, cyathus chemas paruas, ſeu myſtra parua duo, myſtrũ paruum unam continet vnciam. propterea oxybaphum erit quantitatis trium vnciarum, Galenus ergo bis in die tres vncias ptiſanæ prębet. Alij oxybaphum orębent, quod eſt quarta corylę pars, binas vncias cõtinet & ſemis, Galenus tamen nono de cõpoſitione medicamentorum ſecundum locos libro, viſus eſt ſenſiſſe oxybaphum unciam unam tantum complecti, nam in cõpoſitione quę eſt Chriſermi paſtillus ſplenicis, hydropicis &c. inquit δαύκου σπέρματος ὀξύβαφον, ὅ ἐστι γο. α. idest, ſeminis dauci acetabulum, quod eſt uncia vna. Arbitramur hũc Galeni locum eſſe deprauatum, etenim apud aliquos repentur quidẽ oxybaphum drachmarum quindecim, & drachmarũ decem & octo, ſed nũquam vnius vnciæ, judicamus igitur loqui Galenum de acetabulo trium vnciarum. reperioq; apud nonnullos oxybaphum tres complecti cyathos, tunc eſſent ptiſanæ vnciæ ſex, quod magis probo, nam eſt quãtitas ſex vnciarum ptiſanæ illa quam nos in noſtris communibus pateris exhibemus plus minus, exhibemus uero paterã loti panis et cõtriti in ſeminum peponũ expreſſo cocti, his q abhorrẽt ptiſanã, hanc putamus eſſe ptiſanæ quantitatẽ, quã per oxybaphũ. i. acetabulũ ſuis ægris prębet Galenus, idq; facit uſq; ad ſeptimã uel uſq; ad nonã diẽ. Ambiges vero cũ aliqui plus, aliq minus edãt, nõ videri poſſe dari certam ſtatæ quantitatis normã, & firmam ptiſanæ. Reſpondemus id eſſe verum, ſed Galenus illam quantitatem expreſſit, quæ maiori ferè hominũ parti conuenit, noſcens tamen aliquos eſſe, quibus magis, aliquos quibus minus dandum ſit.

Secundo Galenus particulam illam exponit κατ᾽ ἀρχάς. i. inter initia, nam per ipſam Hippocrates non intelligit morbi principium, in aliqua trium ſignificationũ principij, ſed ſignificatum quoddã gñalius intelligit, quippe principium intelligit, quãdo æger ptiſana indigere incipit, tunc enim ſtatim neq; multam, neq; admodũ craſſam dato, nã Hippocrates à multa & ſubita euacuatione & repletione abſtinuit, in aliquibus græcis codicibus adeſt particula ἀεὶ, vt dicat Hippocratẽ à multa et ſubita euacuatiõe & repletiõe ſemp abſtinuiſſe, hoc. n. in aphoriſmis præcipit, & vere obſeruãdũ eſt in abſceſſibus etiã pure plenis.

## Hippocrates Sectio XXII.

Verum dandæ ſorbitionis quantitas hoc obſeruabitur pacto. Nempe ſi morbus ſiccior q̃ vt quiſpiam exiſtimet, fuerit: non multũ dare oportet, ſed ante ſorbitionem, vel mulſam vel vinum vtrum magis auxiliaturum putaueris, propinare conuenit. quod autem modis ſingulis iuuare poſſit, dicetur.

BRASAVOLVS. Hippocrates hoc in loco de ſorbitionis ptiſanæ quãtitate diſſerit, docetq; quonam modo ſorbitionis dandæ quantitas obſeruari debeat, & quonam modo augere debeamus, quidq; ſecundum varia ſymptomata ſit agendum, & præſertim circa vnum, quod febris eſſentiam cõſequitur. ſ. ſiccitatem, etenim ſi morbus ſiccior ſit, q̃ vt quis exiſtimare poſſit, multa ptiſana non eſt exhibenda, imo aliud præconſiderandum eſt, anteq̃ ptiſanam ſorbeat, nõ erit ab re vt prius bibat vel mulſam vel vinum, & ſi ab Hippocrate petas quodnam horum dandum ſit, ipſe tuæ conſcientiæ, tuæq; intelligentiæ, dandum relinquit, quod tibi videbitur magis aptum, & quod putas maius auxilium allaturũ, vſum vero & vini, et mulſæ, poſterius dicet Hippoc. hoc igit ſiccitas exigit, vt aliqd humectãs ptiſanã p̃cedat.

περὶ δὲ τῆς ἐπιδόσιος ἐς πλῆθος τοῦ ῥοφήματος. i. verum de ſorbitionis quantitate animaduertendũ eſt. Sorbitionis inquam ptiſanæ, quæ quidem cocta ſit, verum non tantũ aquæ exhauſerit vt bibi non poſſit hoc igitur obſeruare oportet in quantitate ptiſanæ exhibenda.

ἢν μὲν ξηρότερον ᾖ τὸ νόσημα, ἢ ὡς ἄν τις οἴοιτο οὐ χρὴ ἐπὶ πλέον διδόναι. i. Si igitur morbus fuerit ſiccior, quàm quis putauerit, non oportet multum dare. Forte petes quid per ſicciorem morbũ intelligere oporteat, cum ad oẽm acutam febrẽ ſiccitas ſequat. Rñdemus, morbos dici ſiccos, ſicciores ve triplicieer. Primo qa morbus ſit in mẽbro ſicco, ut in inteſtinis, in chartilaginibus, in neruis, & in his partibus quæ ſuapte natura ſiccæ ſunt, quo mõ non eſt intelligẽdus Hippoc. nam morbus in hoc ſignificato neq; ſiccior eſt neq; minus ſiccus, cũ et pelliculę & nerui et chartilagines, quęq; in ſuo gñe ſunt ęque ſicca, licet ex accidenti vehemẽtius exiccari poſſint, atq; humectari. Secundo dicitur morbus ſiccus, qui ex humoribus ſit ſiccis, vt atra bile, vel bile. Tertio intelligitur morbus ſiccior, quando è partibus in quibus eſt morbus, aut nihil, aut parum exit, vt ſi morbus in iecore ſit, vel i inteſtinis, vel in liene, vel in alia ſimili parte, & nihil vel parum exeat per veſicã atq; inteſtina, & id quod ex neceſſitate exit. valde ſiccum ſit atq; conglobatum, vel ſi morbus in thorace vel pulmone ſit, & nihil vel parũ expuat, vel ſi in capite ſit, & nihil vel è palato, vel è naribus, vel ex auribus exeat, hi ſicciores morbi nuncupant, de quibus petes, vndenam ortum habeãt hi morbi cã ſicci. Rñdemus, cum de acutis agat morbis ex materia fiunt biliosa, quæ calida eſt, atq; ſicca. propterea non ſolum ſiccitas in illis ſit partibus, ſed & ſuperflua exiccantur, quæ in eis eſſe conſueuerũt, in vtraq; nulla p̃manet lubricitas, ſed exaſperant. Ob hoc igitur ſiccior dicitur morbus, & humor qui morbus facit, eſt cauſa.

Sed inquies cum ptiſana humectet, atq; abſtergat, cur in morbo ſicciori, minorẽ exhibet ptiſanæ quantitatẽ, cum ratio maiorem potius dandam ſuadere videatur? Rñdemus id p̃fecto verũ eſſe & humectare, & abſtergere ptiſanã, cum uero corpulenta ſit adeo facilẽ non penetrat, vt mulſa facit, atq; uinũ, quæ inquit eſſe ptiſanæ præmittenda. nam & ſi bibi poſſit ptiſana, & ubi ablutione opus eſt, facile deſcendat, tñ non adeo facile ut cũ mulſa uel uino cõparari poſſit, uel multam dari renuit, quia cum morbus ſit ſiccus, indiciũ eſt nondũ adeſſe coctionem aliquã, & morbum adhuc intenſum eſſe, ut æger extra naturam nõ ſit, propterea multa nõ datur, ne naturæ in morbo agenti impedimẽto ſit, cum. n. hæc ſiccitas ſupra modũ vrget, morbus iam cõſiſtit, uel prope conſiſtentiã eſt, in quibus temporibus minus dare expedit, & ſi re aliqua indigeant, potius eſt exhibẽdus potus, ne naturæ cũ materia pugna ĩpediat.

ἀλλὰ προπίνειν πρὸ τοῦ ῥοφήματος, ἢ μελίκρατον, ἢ οἶνον, ὁπότερον ἂν ἁρμόζῃ. i. Sed ante ſorbitionẽ, vel aquã mulſam, vel uinũ propinare cõuenit. Vtrum magis congruerit, minus ptiſanæ dandũ eſſe, & cremoris iubet Hippocrates, & præterea ante ptiſanæ ſorbitionẽ, in hac ſiccitate uel aquam mulſam, vel uinum propinanda iubet, & quia ambigere poſſes, quodnam horum potius ſit dandum, reſpondet id dandũ quod tibi magis arridebit, & conuenientius videbitur.

Meminit Galenus huius ſententiæ in. 9. methodi, vbi inquit conſtat autem & Hippocratem non in diarijs modo febribus, verũ etiã in acutis ex ijs q̃ de acutorũ victu prodit, vinũ dare.

### De Melicrato.

Ad ampliorem in hac parte doctrinam quid ſit melicratum contemplari aggrediamur, & quomodo apud antiquos conficeretur, ex melle & aqua melle et uino multas potiones antiquitus factas eſſe conſtat, quas oẽs ſub vocabulum melicratum venire concedunt, ex vino quidem duo potionum genera conficiebantur,

ficiebantur, οἶνος μελιτίτης. idest, vinum melitites, quod Plinij tempore fieri desierat, ut ipse testatur & ἀπόμελι. idest, mulsum quo nonnullis ex antiquioribus, vita prorogata est, nam extat apud Plinium libro vigesimosecundo capite. 24. exemplum, illud Pollionis Romuli, quem centesimum annum excedentem cum Diuus Augustus hospes interrogaret, quanã ratione maxime uigorem illum animi corporisq; custodisset, ille respõdit, Intus mulso, foris oleo, ex vino & melle, & uinum melitites, & mulsum fiunt diuersa tamen ratione, de his vero in præsentiarum pertractare supersedendũ est. si vero tibi libeat de his nonnihil præscire, Dioscoridem legas, Pliniũ Columellã, & Constantinũ Cæsarẽ in sua Agricultura, de solo in præsentiarum agamus melicrato, duæ videntur apud antiquos ex melle & aqua factę potiones, & vtræq; suis nominibus à Grecis nuncupatæ, μελίκρατον scilicet & ὑδρόμελι, hoc à melle & aqua nomenclaturam accepisse constat, illud ex melle quidẽ, sed κρᾶτον tam ad aquam, q̃ ad vinum accommodarunt antiqui, si qua differunt μελίκρατον, & ὑδρόμελι, confectura differunt, melicratum à Romanis aqua mulsa nuncupatur, hydromeli vero idem nomen seruauit, quamuis & apud nonnullos authores aqua mellis nuncupatum sit, videturq; eundem esse in vtroq; vsum. Constantinus Cæsar octauo de agricultura libro ex pomis hydromeli fieri docuit, forte in illo authore legẽdum est ὑδρόμηλα. idest, aqua ex malis, quãuis & vna species mel recipiat, hæc vero est eius compositio. Mala optima, vigintiduo in tenuia frusta per harundinẽ secato, et eiectis nucleis, ipsa in mellis sextarios octo mittito, in quo vbi menses octo manserint, aquæ pluuialis veteris sextarios duodecim ammisceto, & in caniculę ardoribus insolato, pluuia & rore vitans. Alij melius facientes sic pręparant. Mala optima uigorosa cõtundunt & exiccant, indeq; succi sextarios quatuor, & mellis optimi dispumati sextarios octo, aquæ pluuialis sextarios duodecim, miscent, insolant, & mediocriter coquũt, ac utantur, alij duplici lebete coquunt, quo aqua magis q̃ igne coctura fiat, queẽadmodũ apud Hispanos mos est. En vides hanc esse ex pomis potionẽ, & nõ ex solo melle & aqua. de hac Hippocrates minime intelligit, vtpote quæ potius acutæ febri obesset, quàm prodesse posset. Hydromeli vero quod ex aqua & melle cõficitur, à uarijs authoribus diuersimode fit, Dioscorides libro quinto eius confecturam non ostendit, cum de aqua mulsa agit, sed inquit maiori apparatu confici, & ab aliquibus vocari hydromeli, quanquam dici possit hanc illam esse cõpositionem, quæ à Plinio libro vigesimosecundo capite. 24. dicitur longa vetustate transire in vinum, nam & à Dioscoride scriptum est Hydromeli vocatum in media ætate vino, quod adynamon dicunt, & loræ in recreandis viribus proportione respondere. Cur autem in vinum transire dictum sit, deinceps explicabimus, nunc de hydromelite prosequamur. idem Constantinus libro octauo capite. 27. hydromelitis compositionem, in hunc modum fieri tradit, aquam pluuialem veterẽ, aut alias ad tertias decoctam accipito, & mellis quod satis est ammisceto, & in vas coniecta in vmbra ad dies decem deponito, foramine relicto ad perspirationem, & sic vtitor, inueteratũ melius redditur. Hoc etiam empirici medici in ægritudinibus vtuntur, scientes quod ex sola aqua & melle sit compositum. Alij niuem per se cum melle commiscent, & trita reponunt, hinc in æstuosis febribus medella petitur, & chionomeli hoc est nix mulsa appellatur. Hæc Cæsar. Volunt nõnulli oxymeli ab aqua mulsa differre, quoniam hoc sit vetustius, illud recentius. In confectione preterea melicrati hoc est aquæ mulsæ inter se dissidentes sunt authores qui de re rustica tractant, & aquam mulsam conficere docent, quod signum est fuisse antiquitus in rusticano vsu, ita. n. Columella lib. 12. cap. 12. illam conficere docet, inquiens per se facienda erit optimo melle aqua mulsa, hæc autem non uno modo componitur, nam quidam multos ante annos cœlestẽ aquam vasis includunt, & sub dio in sole habent, deinde cum sæpius ea in alia vasa transfuderint, & eliquauerint (nã quoties etiam per longũ tempus diffunditur, aliquod crassamentũ in imo simile feci reperitur) veteris aquę sextarium cum libra mellis miscent, nonnulli aũt cum austeriorem volunt efficere gustum, sextarium aquæ, cum dodrante pondo mellis diluũt, & ea portione repletam lagenam, gypsatamq; patiuntur per caniculæ ortum in sole quadraginta diebus esse, tum demũ in tabulatum, quod fumum accipit reponunt. Nonnulli, quibus non fuit curæ cœlestẽ inueterare aquã, recentẽ sumunt, eamq; vsq; in quartam partẽ decoquunt. Deinde cum refrixerit, siue dulciorem mulsam facere volunt, duobus aquæ sextarijs sextarium mellis permiscent. Si uero austeriorem, sextario aquę dodrantem mellis adijciunt, & his portionibus factam in lagenam diffundant, eamq;, vt supra dixi, quadraginta diebus insolatam, postea in tabulatum, quod suffumigatur reponunt. Hæc Columella. Palladius vero octauo de re rustica libro, capite septimo, idem ferè de hydromelite dicit, quod de mulsa aqua Columella, nonnulla tamen est differentia, quoniã Palladius inquit (est vero in mense Iulij) inchoantibus canicularibus diebus aquam puram pridie sumis ex fonte, in tribus aquæ sextarijs unum sextariũ non despumati mellis admisces, ac diligenter per catenarias diuisum, quinq; horarũ spatio continuo per inuestes pueros curabis agitare vasa ipsa cõcutiens, tunc quadraginta diebus ac noctibus patieris esse sub cœlo. Hæc de oxymelite Palladius, Plin. & ipse de oxymelite agens lib. 14. cap. 17. Idẽ ferè dicit quod in aqua mulsa Columella, differt uero, quoniam Plinius inquit, fit vinum & ex aqua & melle tantum. Quinquennio ad hoc seruari cælestem iubet, & tertiam mellis veteris adijciunt, deinde quadraginta diebus canis ortu in sole habent. Alij diffusa ita decimo die obturãt, hoc uocatur hydromeli, & uetustate saporem vini assequitur, nusquam laudatus q̃ in Phrygia. Vides igitur idem esse hydromeli Plinij, vt aquam mulsam Columellæ, hocq; expressius comprobari potest, quia ipsemet Plinius libro vigesimosecundo capite. 24. de aqua mulsa agens, & si illam conficere non ostendat, duas tamen eius species enumerat, vnam subitę ac recentis, aliam inueteratæ, postea multis interpositis inquit, longa tamen vetustate transit in vinum, quod & superius de oxymelite dixerat. Pollux deceptus est, qui putauit melicraton id esse quod œnomeli vocamus, cum œnomeli vinũ mulsum sit, vt apud Dioscoridem & Plinium videre licet, melicratum vero est aqua mulsa.

Alexander Trallianus lib. 2. cap. 5. de hæmaptoica agẽs affectione, vbi propinationes describit, ad hũc affectum inquit & hydromeli ex malis cotoneis confici.

Hæ sunt antiquorum melicrati conficiendi & hydromelitis rationes, si Dioscoridis modũ addiderimus, q lib. 5. de aqua mulsa agens inquit, confici ad vnã mellis mensurã duabus cęlestis aquæ veteris mistis, & insolatis. Omnium igitur antiquorũ rõ cælestem aquã recipit, & sole perficit, q in Dioscoride sequiẽ, quidam ex fonte aquã miscentes ad tertias, decoquũt & reponunt. hæc aqua & si à Dioscoride nõ exprimatur, illa est, qua utuntur pro cœlesti, qñ cœlestem minime seruarunt. Aliũ pręterea addit modũ Dioscorides conficiendi hydromeli qñ lotis aqua fauis, aqua ipsa seruatur, copiosius tñ bibenda hęc est forte ut descendat, ne diu in uentre cõmoretur, quia flatus gignit, & intestina extendens tormina excitat, cum sit cruda hæc mellis aqua. Additq; Dioscorides, decoquunt pleriq; hanc etiam, verum ægrotantibus inutilis est, q multũ κηρώδες. idest ceraginis habet, tñ & ob flatus quos excitare posset, inutilis est. Columella hac de re exquisitius locutus est lib. 12. cap. 11. vbi de hac dulci aqua ex fauis inquit, nec põt languentibus, p aqua mulsa remedio esse, qm̃ si bibatur, inflationẽ stomachi & præcordiorũ facit, itaq; seposita esse, et ad cõdituras destiata. Eius vero cõfectio apud Colu. talis est. Cũ secundariũ mel de fauis fuerit excerptũ, ceræ statim minutę resoluanẽ, et aqua fontana, vel cœlesti macerẽtur, expressa deinde aqua coleẽ, & in uas plũbeũ defusa decoquatur, omnisq; spurcitia cũ spumis eximaẽ, quę decocta cũ tã crassa fuerit, q̃ defrutũ refrigeretur, & bene picatis lagenis cõdaẽ, hac quidã mella pro aqua mulsa vtunẽ,

nonnulli etiam pro defruto in conditturas oliuarũ, quibus quidem magis idoneam censeo, quod ciborum saporem habet, est hic alter coquendi modus, q̃ is qui à Dioscoride dictus est, quãuis ex eisdem sit rebus, fauis inquã & aqua. Nos in pñtiarũ hanc aquam eijcimus, neq; ad aliquem usum illam seruamus. Cum tãta sit in his authoribus diuersitas, ad Arabes aut Mauritanos confugiamus, Mesue aquam mellis ita conficit, mellis partem vnam aquæ fontis partes octo coquatur cum facilitate semper spumam auferentes, postea denso panno coletur, & si bibatur, multæ sit aquositatis, alioqui non penetrat (præsertim quod crassum est) ad remotiores partes, & in bilem conuertitur, sitimq; excitat, Mesue fortassis à Paulo accepit libro primo, capite. 96. qui aquæ mulsæ confectionem in hunc modum fieri docet. Octuplum aquæ melli miscetur, & sic quoad nihil amplius spumæ eijciat, decoquitur. Opus autẽ spumam simul ac primum exoritur, idẽtidem tollere, est is modus, quẽ ex Mesue adduximus, tñ Paulus non magnifacit an in plumbeo vase, vel ex alia materia coquatur. Accipit præterea & ab Oribasio libro tertio de ciborũ confectione, vbi de aqua mulsa agens ex octo aquæ partibus & una mellis, penna semper despumando conficit.

Fit in præsentiarum à medicis passim alter melicrati modus. Aquæ phialam accipiunt, in qua mellis commune cochlear vel vnciam iniiciunt, & semper expumando ebullire faciunt, quod spumam emittit, & nonnunquam saluiæ folia addunt, cum uel epilepsiam, vel apoplexiam, vel paralysim timent, tamen nonnulli plus mellis, alij minus addunt, de qua re vbertim libro tertio agemus, cũ de meraciore, & dilutiore agemus aqua mulsa. Ad rem vero redeuntes, cum ex melle aqua mulsa conficiatur, mel vero calidum sit, atq; acre, facileq; in bilem vertatur, vt eius dulcedo ostẽdit, morbi vero acuti, de quibus in præsentiarum, ex bile sint, videbitur melicratum obesse potius q̃ prodesse. nam & si aquam recipiat, mel tamen, quod in nutrimentum transit, in bilem facile vertitur, vt Galenus in naturis calidis testatur tertio de alimẽtorum facultatibus. At qui calidiores sunt his qui acuta febre detinentur. hi enim tali calore præditi sunt, qui omnia in bilem facile vertit, cui & præcitato loco Oribasius consentit. Respondemus non conuenire profecto in his morbis melicratum, præsertim vt superius dictum est conditum, sed dilutum accipere oportet, in quo multa est aquæ copia. vnde & Hippocrates libro tertio, sectione. 15. inquit aqua mulsa quo fuerit dilutior, & efficaciorẽ euocãdi sputi vim obtinet, atq; pulmonem reddit leniorem, quæ vero minus diluta est, alui spumosa excrementa & supra modum biliosa & calidiora magis q̃ dilutior ducit. In his igitur morbis dilutior sumatur mulsa quæ aquam ad humectandũ secum ducere apta sit, quippe illa quę multum diluta non est, ut illa Pauli, quæ tamen præscriptis dilutior est, biliosos parũ iuuat, cum & ipsa in bilem facile transeat, & Galenus iubet tertio de alimentorum facultatibus, vbi de melle agit, multũ aquæ mulsę miscendum, ac deinceps tantisper coquas, donec spumare desinat, docetq; oportere spumam assiduo mox q̃ emerserit detergere. Aqua igitur mulsa in hoc casu dilutissima sit. nam modi illi non dilutæ mulsę, cibi potius sunt, q̃ medicamenta, ꝓpterea non ab re illa utimur, quæ mellis vnciã in octo aquæ libras recipit. de hoc etiã Oribasius libro tertio mentionẽ facit, & de biliosis inquit, expedit igitur aquosam mulsam bibere, qui tali sint natura. Scitoq; biliosas naturas ex inclinatione quã habent conuertendi cibos in bilem, facilius alijs mulsam in bilem cõuertunt quãuis & hi acuta febre detenti sint, tñ & febre acuta correpti illam in bilem vertũt. Scitoq; & si apud authores varius sit horum nominũ vsus melicratũ & oxymeli, res tñ eadẽ est, vel nõ magnopẽ differẽs, ut ex eorum cõpositionibus cõstat. Forte ambiges neq; dilutũ melicratum cõuenire, cum partes continuas non habeat, qđ tamẽ ad hos requiritur morbos, nõ habere uero continuas partes ex Aristot. probatur. 11. problemate sectione. 21. ubi quærit quãobrem cum mel tenacius q̃ aqua sit, farina mulsoq; subacta rigidior reddatur, ubi decocta est, q̃ aqua subacta. Rñdet an q aqua feruore ignis cogitur atq; consistit, mel contrahit quidem, sed non sine exiccatione, itaq; rem facit rigidiorẽ, causa nãq; rigoris in siccitate est. Respõdemus nos aquã mulsam accipere purã non farinæ mistã, quæ ut accipitur cõtinua est, non tñ ut ptisana, sed citius ob lubricitatẽ humectat, q̃ ptisana, & mel penetrationis cã est, vel Aristoteles per mulsum non aquam mulsam, sed vinũ intelligit, nam uocabulum mulsum, vinum potius ex melle, quàm aquam, simpliciter positum significat.

Petes uero qua hora melicratũ dari conueniat, an statim ante ptisanã uel per duos, aut tres dies ante ptisanã, uel per aliquot horas ante ptisanã, sed eadem die. Rñdemus uideri Gal. lib. 1. voluisse exhibendũ esse per duas horas ante ptisanã. nam cum duo diuersa sint, & debeat melicratũ humectare, & cito penetrare, idq; efficacius faciat q̃ ptisana. propterea ne impediatur, non ab re est melicratũ per se exhibere, & tantũ temporis interponere, q à uentriculo descẽderit, & à ptisana impediri nõ possit. nam ex his unũ est cibus medicus, alterũ potus, tñ cum natura illa quæ cõferunt etiã si mista sint, discernere sciat. propterea & si eadẽ exhiberentur hora, nõ magni facerem momẽti, neq; ex recentiorũ sententia mouerer, qui Auicẽnæ sentẽtiæ innituntur in prima quarti dicenti, & aggregare syrupum acetosum, & aquam hordei simul est illaudabile, qm corrumpit aquã hordei secundũ plurimum, est tractatu. 2. cap. 9. At sententia hæc ad propositũ non est, qm Auicenna de aqua hordei sermonẽ habet, quæ ptisana nõ est, aqua uero hordei facile in uentriculo in acetũ transit, quod nõ facit ptisana, tunc autẽ in acetum facile conuertitur, cũ acetosæ rei cõmista sit, ut cũ syrupo acetoso. Adde Galenũ in. 1. de aliment. facult. simul cum ptisana aceti modicũ cõmiscere. Verũtamen recẽtiores adhuc insurgent, sicuti multa cibaria simul misceri nõ debent, ut superius dictũ est, quia nõ probe coquuntur, & unũ aliud impedit, ita diuersi potus simul cõmiscendi non sunt. At hi decipiũtur, quoniã multi quidem cibi diuersarũ naturarũ simul cõmisceri nõ debent tñ cum eiusdem sunt naturæ, simul misceri nihil impedit, ita ad eandẽ intentionem diuersi potus cõmisceri pñt, imo & diuersi potus ad diuersas etiã intentiones miscentur, & suas diuersas operationes faciũt, ut in syrupis uidere est, in quibus nonnunq̃ ex oppositis mistio fit, Galenus & in lib. de antidotis, & in theriaca ad Pisonẽ de tam ampla disputat cõpositione qualis est theriaca, quæ tot recipit simplicia, quorum aliqua sunt alijs opposita, & aliqua superioribus partibus, aliqua inferioribus, aliqua uẽtriculo, aliqua pectori prosunt, q̃ło fieri potest vt in suã quãq; partem quæq; distribuantur. Galenus rñdet & si vna sit cõpositio, vnũq; corpus, tñ natura sagax res adeo tẽperare scit, atq; distinguere, ut quæ unicuiq; mẽbro ꝓpria sunt, ea illuc trãsmittat, itaq; diuersa sumi pñt in unũ corpus collata, cibi vero diuersi & oppositi, cum in unum corpus redacti nõ sint, absq; nocumẽto sumi nõ pñt, quod & si statim nõ sentiatur, tẽporis processu persentitur. Ad rem igitur, melicratum sumi põt duarum horarũ spatio ante ptisanã. Quod uero hi disputant de syrupi acetosi acceptione cũ aqua hordei & non cũ ptisana, ita à nobis determinatũ sit, si hæc duo simul parumper ebullierint, in uẽtriculo acetosa fieri non pñt, imo & si acetosa fiant, quid sequetur dispendij? modo intentũ nostrum assequamur, ut aquæ hordei rõne infrigidet & humectet, rõne uero syrupi acetosi incidat, atq; infrigidet. Hęc uero alias disputabuntur loco cõmodiori, qm hoc, hordei aquã fieri in uẽtriculo acetosam, eidẽ aquę neq; infrigidationẽ, neq; humectationẽ aufert, non. n. fit vehemẽter acetosa, sed parumper. Imo uocatam Birram in febribus nonnulli in Gallia præbent, in cuius confectione id conantur, ut acetosa fiat, atque pontica.

At dubium maius est de vino, quod perniciosum esse videtur & in pleuritide, & in acutis febribus, imo cum aqua sit longe humidior vino, ob quid aquam potius nõ accepit? Respondemus & à pleuritide incipientes, Arabes authores in pleuritide vinum præsertim dulce exhibent, hic vero Hippocrates in siccitate vinum exhibet, quando expuere nõ possunt, & in ter-

tio

tio huius voluminis libro vini genera, quæ præbēda sunt, edocet. Verum intelligere oportet danda uina & tenuia & alba et dulcia & diluta, meliusq́ esset si præberentur exacta maturitate, & ex aqua tepida mista. Tamen cum hic Hippocrates in sicco exhibeat, nōdum adest perfecta maturitas, dat & vinum Hippocrates in secundo libro de morbis in quodam pleuritidis genere sæuo, dat etenim hordei decoctum cum vino albo vinoso diluto, Galenus tamen negat dandum vinum in acutis febribus, & quāuis in. 11. method medendi in synocho uinum propinet, est tenue vinum aquosum, & post euacuationē, imo damnat in hac febre aquam mulsam, inquiens, nam aqua mulsa quod ad crassos succos extenuandos, et glutinosos detergēdos, & excretionem promouendā attinet, optimum planè medicamen fuerit, in his synochis, quos habitus coarctatior, & putredo excitarunt, quatenus vero calorē febris adauget, est noxia, tamen si valde diluta sit, calorem non adauget. Ad uinum redeuntes, Trallianus secundo libro capite primo in pleuritide mulsam dat cum uino, quicquid tamen sit in pleuritide vinum propinare non auderem, cum mira in hoc casu viderim, sed in potatoribus, qui duarum horarum spatio obiere, adeo uinum hoc in morbo venenum esse deprehēditur, forte quia ad locum penetrat, & alios secū ducit humores, vel sanguinem, qui deinceps in locum decurrens partem magis extēdit, & vehementior fit dolor, experientia igitur ostendit esse præsentissimum venenum in laterali morbo vinum, in principio præsertim, quāuis & Celsus lib. 4. cap. 6. uinum exhibeat, tamen an in acutis dari possit morbis, & in pleuritide, in tertio huius voluminis libro differemus. Ad id vero, cur non acceperit aquam quæ vino multo humidior est. Scito aquam vnū esse elementum, elementa vero omnia alia suis in qualitatibus excedūt, & illas in summo habent, vt apud Galenum in libro de elementis secundum Hippocratem constat, & in suis de natura humana commentarijs. propterea vinum nullo pacto tantā habebit humiditatem, quantam habet aqua, quæ humidissima est, vinum uero aquam excellere dicitur in humiditate, quia mēbrorum substantia à vino magis humida relinquitur, q̄ ab aqua, nam aqua discurrit & elabitur ad vesicam, & minime nutrit, neq; ad membra veluti nutrimentum transit, sed sanguinem forte illuc ducens. At vinū membra, corporisq́ partes secundum propriam substantiam humectat, ad illas etenim penetrat, illis humidum nutrimētum præstans. Neq; putes ad has partes vinum vt vinum est, penetrare, sed prius per coctiones omnes pertransiuit, tamen oris siccitatem, gulæ & ventriculi vinum nondum transmutatum tollit. Aqua uero non transmutatur per coctiones, neque membrum aliquod per substantiam humectat.

Petes deinceps cum ab Hippocrate dictum sit, melicratū esse dandum vel uinum, vt tibi videbitur magis conuenire, quomodo cognoscam vinū magis conuenire quàm melicratum? Respondemus vires considerare oportet, quæ si robustiores sint, melicratum exhibeto, si imbecilliores, uinum, quia ex his est quæ egregie & cito nutriunt.

τὸ δ' ἁρμόζον ἐφ' ἑκάστοισι τῶν τρόπων ἐρεῖται. Quomodo autē modis singulis iuuare possis, dicetur. in tertio etenim libro edocebit, quomodo & melicratum & uinum in singulis affectionibus iuuare possint.

GALENVS. Morbus siccior uarijs dignoscitur modis, quāquam vniuersalem communemq́ rationē habeant eandem. Peripneumonia quidem & pleuritis, atq; omnino qui tum pulmonem tum asperam arteriam infestāt morbi, cum nihil ab affectis expuitur partibus: iecinoris uero, uel mesaraei, uel uentris, uel ieiuni, uel intestinorū, uel lienis, ubi aluus prorsus cohibita sit, aut pro necessitate excernat tum sicca, tum aridiora, & in sese conuoluta spirasq́ referentia excrementa. Morbi tunc arteriarū, tum uenarum dignoscuntur linguæ siccitate, & ea quæ totum corpus occupat ariditate. Phlegmonæ pari modo fiūt duræ in his quæ tum foris tum cōspicue apparent ulceribus, ubi. s. nulla ex ipsis sanies effluat. Sæpius & in oculis phlegmonæ etiam duræ oriuntur nihil excernentes. Cerebri præterea ægritudines, quæ neq; per nares, neq; per palatum expurgantur, iure optimo siccę dicuntur. Et sanè superfluitatum nihil excernere, siccorum omnium morborum notam esse non ignoras. Non immerito igitur Hippocrates humectantium aliquid ante ptisanam adsumi iubet, ut uel aquam mulsam, uel uinum, tanquā hæc q̄ aqua magis humectent. Sed quoniam uires ipsorū sese enarraturum pollicetur, ob id & nos eorum quæ ad aquā est parationē, in eā differemus libri partē, quæ horū uires edocet.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat siccum uarijs cognosci modis, quanquam vna sit generalis & cōmunis ratio, quæ in omnibus eadem est. Scito igitur in omnibus qui thoracem infestant morbis, & in thorace contenta vt peripneumonia, pleuritis, & alij morbi infestantes tum pulmonē, tum asperā arteriam, si nihil expuatur, hi morbi sicciores uocantur, eodē pacto in lienis vitijs uel iecoris, uel mesarei, vel uentris, uel ieiuni, uel intestinorum, si nihil per aluū excernatur aut per vrinam, vel si excernatur, id sit pro necessitate, & excremēta sint sicca arida, & intra se conuoluta, ac spiras quodāmodo referentia. Morbi qui sunt in arterijs & uenis an sicci sint, uel non, duobus modis cognoscuntur, vno modo ex linguę siccitate, alio modo ex totius corporis ariditate, adde ex urinæ paucitate, si adsit phlegmone cognoscitur esse siccum morbum ex duritie, præsertim in his inflāmationibus quæ apparent, & nulla exit sanies, imo in oculis plerūq; duræ inflāmationes apparent nihil excernentes. In cerebro uero illę omnes affectiones siccæ dicuntur, in quibus nihil per nares, uel p palatū, uel p aures, uel per oculos exeat, verum ut uniuersalem habeas regulā, morbos siccos esse deprehendes, q̄n nihil superfluitatū excernitur, sed intus omnes continentur, & exiccatæ sint.

Sed hic ambiges cum à Galeno dictum sit peripneumoniā & pleuritim sicciora esse, q̄n nihil expuunt homines, at si nihil expuant, non solū non est danda pauca ptisanæ quantitas, sed & nihil penitus. Respondemus Galenū non intelligere hoc nihil penitus expuere, sed non effatu dignum, vel & si nihil expuat, necessarium non est vt à ptisana penitus abstineat, nam cum opus sit re aliqua nutrire, nullus est conuenientior cibus ptisana, & iō illi errant qui nolūt ptisanā esse dandā, q̄n nihil expuūt. Nota sicut vulgus tussim siccā vocat, in q̄ nihil expuūt, ita thoracis morbi, q tussim hñt iūctā, si sicca sit, sicci nūcupādi sunt. Ambiges etiā cur de iocinore tantū dixit, ægritudines suas esse siccas, q̄n per aluum nihil excernitur, aut pro necessitate? Cur non dixit q̄n per urinam nihil excernitur, aut pro necessitate? Respondemus superflua omnia quæ in caua iecoris parte continentur, per aluum, quæ vero in gibba & conuexa, per urinā euacuantur, quia pars concaua intestinis cognata est, conuexa vero vesicæ. In hac parte author intelligit de affectione quæ in concaua fit parte, quæ suas superfluitates per intestina trāsmittit, vel id tantum posuit, quia satis pro exemplo videbatur, & præsertim quia alia quæ sequebantur, erant omnia instrumenta, quæ per aluum expurgabantur, & si dicas nonne meseraeum posset expurgari p meseraicas ad iecur, & à iecore ad vesicam? Respondemus posse quidem fieri, sed esse lōge difficilius, natura uero semper assueta est per compendia, sup̄flua transmittere, imo ex intestinis per meseraicas possent materiæ ad vrinæ uias progredi, hoc uero non facit natura nisi alicuius magni symptomatis ratione, aut magnæ affectionis, quæ impediret, ne materiæ deorsum transirent, vt est intestinorū inflammatio, vehemensq́ obstructio, verum in hoc casu, & per os stercora excernūtur, ab antiquis ileos hic morbus uocatur, à recentibus domine miserere mei.

Dubitabis præterea cur ieiunum ab alijs distinguat intestinis, nam dicit ieiuni & intestinorum, ac si ieiunum intestinum non sit. Respondemus esse quidem intestinum, at quia omni fece omniq́ excremento vacuum semper inuenitur, propterea ab intestinorum natura quodāmodo diuersum esse uidetur.

Ambiges etiam an lien aliam habeat viam sua superflua trāsmittendi, quàm intestina. Respondemus habere & uesicam

per iecur, & os ventriculi, ad quod atræ bilis portionem mittit, quæ nobis appetentiam facit. Scito excernere pro necessitate, esse excernere, quia uasa sunt nimis plena, neq; possunt amplius superflua contineri stimulantia, tamē nihil adest quod à morbo deducatur.

Id quoque petes, quænam excrementa magis sicca sint distincta, an συνεστραμμένα, i. in morem spiræ conuoluta. Respondemus, quæ distincta sunt, & veluti in pilularum modum excernuntur, magis sicca esse constat, quàm quæ in modum spiræ coniuncta, quoniam quæ hoc pacto coniuncta sunt, id habent ratione alicuius materiæ humidæ, glutinosæ. propterea valde sicca non sunt. At quæ veluti pilulæ conglobata excernũtur, nihil habent humidi, vel minus habent, quàm in modum spiræ conuoluta. Petes vero an hæc excrementa à morbo sicco fiant harum partium. Respondemus si cibi excrementa sint, ab hoc quidem morbo exiccantur, et à febre quæ concomitatur. at non sunt materiæ quæ à morbo exeant, alioqui non esset siccus hic morbus. vnde quod dicitur aluus cohibita, intelligendum est de materiebus quæ à morbo exire deberēt, & nō de cibi excrementis, nam cibi excrementa bene exeunt, sed & ipsa ex morbi caliditate adeo exiccãtur, vt vel sint in modum spirarum conuoluta, vel in modum caprini stercoris rotũda.

Quod legitur cum sicca, tum aridiora, Græce est σκληρὰ καὶ ξηρὰ. i. tum dura, tum sicca. Petes etiam quinam sint morbi venarum & arteriarũ. Respondemus, multa genera morborum venis & arterijs contingere possunt, sicuti & alijs partibus, nã & phlegmonæ in venis & arterijs fieri possunt. Sed statim inquies, quomodo linguæ siccitas significat morbos in arterijs et venis esse siccos, potius exemplum de excremento aliquo retento dare oportebat. Respondemus, uel dicendum hoc à Galeno exempli gratia dictum esse, vel intellige materias in venis & arterijs contineri, & potissimum in venis, quia hæ materiæ crassiores sunt. propterea cum contineantur, & non exeant, lingua non humectatur, & ita sicca efficitur, eodem pacto cum in venis contineantur, non exeunt materiæ humidæ, quæ per sudorem transferri solent. vnde nō solum adest linguæ siccitas, sed & totius corporis ariditas, vel per arteriarum & venarum morbos febres nō intermittentes intellige, ratione quarum & extrinsecæ cutes arescant, & lingua sicca efficiatur, quippe sitis ad febrem semper cōsequitur, nisi tussicula quædam comitetur, tamen & in alijs morbis, quos febris comitatur, linguæ siccitas adest, nisi destillatio à capite descendat, quæ illam humectam seruet.

Vbi legitur morbi tum arteriarum &c. legi debet morbi sicci, nam Græce est ξηρὰ νοσήματα.

Vbi legitur phlegmonæ pari modo fiunt duræ, legendum est siccæ. nam Græce est γίγνονται ξηραί.

Vbi legitur sanies, Græce est ἰχῶρες, ostēdimus vero in aphorismorum commentarijs significare saniem aquosam.

Vbi etiam legitur sæpius & in oculis phlegmonæ etiam duræ oriuntur, Græce est ξηραὶ i. siccæ, non duræ, & quãuis Hippocrates cum in secundo prognosticorum de phlegmone loqueretur, non vtebatur hoc nomine phlegmone, sed dicebat œdema durum dolens, hic uero intelligendum est de phlegmone sicca, quippe dura esse posset, & non sicca, & hos Galenus ponit uelut nonnihil magnum, quia ad oculos semper fluit humiditas, & in ipsis abunde commoratur. propterea uidetur ferè monstrum in oculo siccitas.

Scito præterea & dici posse morbum siccũ ex ipsa morbi essentia. nam tertiana febris morbus est siccus, quia ex bile fit, quæ sicca est. Quartana, elephas, cancer, & omnes alij, qui ab atra bile fiunt, sunt morbi sicci, quia et is humor natura siccus est, in hoc autem loco ex excrementis iudicantur, cum in pleuritide potissimum loquatur, quæ ex sputis iudicatur, licet & ad alios amplietur morbos.

Secundo Galenus iudicat ob ea quæ dicta sunt, Hippocratem non immerito ante ptisanam vinũ præbuisse, uel melicratum, quoniam hæc magis humectant, quàm aqua. Cum uero Hippocrates post citius sit & uini & melicrati uires se edocturum: propterea inquit Galenus ad illum locum differemus, & vini & melicrati & aquæ differentias in humectatione edocere, de qua re & nos quoque ibidem agemus, id tantum in præsentiarum dicentes, vinum & melicratum substantiam habere magis humidam quàm aqua, vinumq; ad supernas partes humectandas tendit, & ad thoracem, aqua uero descendit. Vnde illud extat Aristotelis problema, sectione secunda, problemate 17. quo quærit, cur vinum dilutius, aqua temperatum magis moueat vomitum, q̃ uinum purum, uel aqua pura. Respõdet an quod ea maxime uomitum mouent, quæ innatare solita, quæque insuauia, fastidiosaq; sunt, uinum autem reprimendi vim obtinet, aqua tenuis nec insuauis est. Quòd igitur tenuis est, cito pro sui tenuitate descendit, quòd non insuauis, stomachum non perturbat, vinum autem nimis dilutum nec ita tenue est, vt perfluere possit celeriter, & fastidiosum est, quod parum obtinet vini, sensum enim conturbat, quia plures motus in eo excitat, scilicet quem vinum, quemq; aqua efficere potest, ambo enim sentiri queunt, quod autem fuerit modice temperatum, id sensum penitus aquæ tollit, viniq; mollis delinientisq; sensum accommodat, ex quo suauiter bibi potest.

Sed cum vinum immodice dilutũ ita insuaue est, tũ innatare redundareq; solet, quod autem tale est, vomitum id facile ciet, ex hoc Aristotelis problemate facile colligi potest, aquam descendere, vinum vero ascendere, itaq; in diluto vino duo sunt oppositi motus, quippe vini motus sursum, & aquæ deorsum, propterea sequitur illa perturbatio, quæ motus dicitur, collige ergo vinum ad superiores tendere partes, & nutrire, cum vero humidum sit, nutriendo humectat. aqua vero solum descendit & non nutrit, neq; ad aliquas it partes nisi ut sanguinem ducat. tamen si Aristotelem hic pensiculate contemplemur, & Hippocrati ac Galeno conferamus, huic vino modicum aquę commiscendum deprehēdemus, vt magis penetret, nã tenuius efficitur, nec aqua tanta est, vt valeat deorsum & ad vesicam ducere vinũ, vnde & Aristoteles in eadem tertia problematum particula quærit cur à vino diluto meraciore, tamen caput postridie magis dolemus, q̃ ex mero, est problema 13. Respondet an merum quia crassius est, foramina capitis angusta subire ipsum non potest, sed vim suam, odorem, & calorem tãtum trãsmittit. dilutum autem illud quoniã per aquæ admistionem tenuius factum est, facile ipsum subit ac penetrat, cum tamen partem corpulentiæ facultatisq; meri non mediocrem adhuc retineat, cōcoctu difficile est. nã & humida vel humores omnium difficillima concoqui, & corpora longe peruicatiora, q̃ facultates eorũ persistere nouimus. Vides igitur aquã modicam vino præstare vt facilius penetret, imo cum de dulci vino potius in hoc casu loquatur, quod non dulci crassius est, illa aquæ portione indiget, quæ in hoc casu non ab re poni debet.

## Hippocrates. Sectio XXIII.

At si os madescat, & quæ a pulmone expuũtur, talia sint, qualia esse oportet, sorbitionis quantitatem vt dicam summatim augere conuenit. Nempe quę citius magisq; madescũt, iudicationis denunciant celeritatem. quæ vero tardius minusque tardiorem significant iudicationem.

BRASAVOLVS.

Nunc Hippocrates de his ex opposito uerba facit, qui siccũ morbum non habēt, sed humidum, hocq; in omni morbo intelligitur, at Hippocrates hic tantum exemplum ponit morbi, qui in thorace est, uel pleuritidis, ut ex eo alios omnes cognoscamus. vnus ergo morbus humidus ratio erit omnium humidorum & exemplum, si os inquit madescat, & illa quæ à pulmone expuuntur talia sint, qualia esse oportet, morbus iam in coctione est, tunc (ut expediam breuibus) sorbitionis quan-

ntatem

ctatem augere conuenit, hæcqꝫ vna eſt generalis regula, quæ citius & magis madeſcunt, iudicationis celeritatem ſignificāt, & quæ tardius & minus, iudicationem tardiorem oſtendunt.

ἢν δ' ὑγραίνηται τὸ στόμα. i. Si uero os madeſcat. ex hoc colligitur de his ſolū morbis loqui, qui in thorace ſunt, & hos pro aliorum exemplo accipi. Scitoqꝫ tunc os madeſcere quando iam cœpta ſit coctio, & materia expurgetur. Verum qui os madeſcere poſſet ex materia quæ à capite deſtillauerit, vel à ventriculo aſcenderit. propterea ſtatim addit.

καὶ τὰ ἀπὸ τοῦ πνεύμονος ἢν οἷα δεῖ. i. & quæ à pulmone ſint qualia oportet. Sunt uero qualia oportet quoties concoctionem præ ſe ferunt, alba ſunt mediocris ſubſtantiæ, & facile exeunt. Cum enim ſunt qualia oportet, cocta ſunt, & morbus in iudicatione eſt. Dicebat vero os humidum ſuperius, vt indicium daret quantitatis materiæ exeuntis, quæ ad os madefaciendum ſatis eſt, non enim modica quantitas os madefacere poſſet, & udum ſeruare. Quem igitur in præcedenti ſectione ſiccum morbum vocabat, erat morbus, cuius materia nondum erat cocta. propterea & ſi quid expuebatur, erat paucū, & non tale, quale purgari oportebat.

ἐπιδιδόναι ἐς πλῆθος τοῦ ῥοφήματος, ὡς ἐν κεφαλαίῳ φράσαι. Sorbitionis quantitas (vt uno capite cōplectar) augenda eſt. hoc facit Hippocrates vt uires augeātur, & facilius expuat, natura uehementius expellente, & quia cibus hic humidus qualis eſt ptiſana, ſputa prouocat, faciliusqꝫ exire facit. Non eſt uero cibus in numero augendus, ſed in quantitate, vt in ſicca ægritudine in aſſuetis bis cibus edatur, ſed paucus, ita humida bis ſumatur, & minus.

τὰ μὲν γὰρ θᾶσσον, καὶ μᾶλλον πλαδῶντα ταχυτῆτα σημαίνει κρίσιος. i. Etenim quæ citius & magis madeſcunt uelociſſimam ſignificant iudicationem. Cum enim ſputa in principio apparent, morbum breuiant, & cum apparent copioſa, vt os madefaciant.

τὰ δὲ βραδύτερον καὶ ἧττον, βραδυτέρην σημαίνει τὴν κρίσιν. i. Quæ uero tardius et minus, tardiorem ſignificant iudicationem. nam cum os tarde humectatur, materia tarde coquitur, & ob hoc iudicatio retardatur, quæ nunquam fit, niſi poſtquam materia quæ morbum facit, cocta ſit.

At alicui Hippocrates ſibi ipſi contrarius videbitꝛ, qui primo aphoriſmorum expreſſe dixerit, Vbi morbus in ſuo uigore cōſiſtit, tunc tenuiſſimo victu vtendum eſt: verum cum os humeſcit, & ſputa ſint talia, qualia oportet, & iudicatio adſit, tunc morbus conſiſtit, igitur tenuiſſimus victus exhibendus eſſet: cur igitur in præſentiarum vis plus cibi exhibendum in iudicatione præſente? Scito id perpetuo verum eſſe, & à Galeno comprobatum, tanto minus cibi dandum eſſe, quanto propinquiores ſumus ſtatui et iudicationi, in quibus temporibus cum ſumus, tenuiſſimo victu uti oportet. Notare aūt oportet, eſſe iudicationis duplex genus, unū quod fit tota cocta materia & una uice expulſa, ut per ſeceſſum, per ſudorē, per urinam, per profluuium ſanguinis narium. In hoc caſu in cōſiſtentia & iudicatione nihil eſt penitus dandum, ſed recte operanti naturæ ſinendū, quę cœptū opus peragat, & poſt euacuatā materiā ſanitatē inducat, aliud eſt iudicationis genus, quoties nō fit ſemel totius materię coctio, vel euacuatio, ſed paulatim materię portio coquitꝛ, et euacuatꝛ, hocqꝫ iudicationis genus i materiebus fit quæ expuuntur, in quo iudicationis genere non eſt victus ſubtrahendus, ſed augendus, vt vires ad hanc materiam expellendam, quę paulatim coquitur, & expellitur, robuſtę permaneāt hæcqꝫ iudicationes imperfectę vocātur, quoniā ſunt ad bonum mutationis, poſtea paulatim incedūt, in quo inceſſu neceſſe eſt naturam ſeruare atqꝫ vires, quod fit cibum augentes, imo ſi criſes, quæ perfectæ ſunt & morborum conſiſtentiæ eſſent lōga, in ipſis cibare cogeremur, ne ægri prius deficerent, qꝫ in illius pugnæ finem peruentum eſſet, verum & conſiſtentiā breuiſſimum eſt tempus, & criſis eſt ſubita mutatio, quanquam id dicere nihil impediret, quando ſputa apparent qualia apparere oportet in pectoris affectibus, et potiſſimum in pleuritide, tunc morbus in inclinatione eſt, in quo tempore augendus eſt cibus vt vires robuſtiores reddantur. Tamen & pleuritis ſemel in iudicationem per vrinam & per ſeceſſum deuenire poteſt, qđ tamen raro eſt, & per ſeceſſum rariſſime. Vidimus nonnullos ita iudicatos, ſed imperfecte, & coacti fuere per tuſſim multa expuere, & morbi diutini effecti ſunt, quāuis à morbo euaſerint, tamen felicius & breuius res ſucceſſit in his qui per vrinam, quàm qui per ſeceſſum iudicati ſunt. Ad rē uero redeuntes, etſi in pleuriticis, quanto magis os madeſcit, tanto iudicationi & conſiſtentiæ propinquiores ſint (intelligo madeſcere, ideſt ſputa abundare, quia ſputorum abundantia vt in primo de iudicatione docet Galenus, conſiſtentiā in pleuritide ſignificat) tamen quia expuitio incipit cibum ampliorem dare debemus, præſertim ptiſanam, vt vires in ſuo robore ſeruentur, & quia cibus hic ſputa reddit faciliora. Imo ſi ea conſideremus quæ à Galeno dicuntur. 14. capite primi de iudicatione libri, quando nihil expuit, vel nō mutatum eſt principium, cum expuere incipit, vel immutatur eſt augumentum, in uigore multa expuit concocta & facile, in declinatione innocue excreat, æqualiter concocta minuuntur ſputa, & dolor abijt, hoc tempus intelligit Hippocrates quando expuit qualia oportet, expuere. i. cocta exquiſite, uerum cum materia incipit minui et ſputa, finis inſtat declinationis. In principio enim declinationis multa expuuntur & qualia oportet. Eſt ergo pleuritis ex his morbis quæ iudicationem habent non ſubitam, ſed paulatim factam. Verūtamen eſt poſſe fieri magnum momentum ſubito, vel ad ſalutem, vel ad mortem, poſtea paulatim incedere vſque in finem. Nam ſex, ſunt iudicationis genera tam perfectas quàm imperfectas accipientes, perfecta criſis eſt ſubita in ſanitatem, vel in mortem commutatio, minus perfecta eſt ſubita vel ad bonum, vel ad malum mutatio, poſtea æger paulatim incedit, ſi ad bonum facta ſit mutatio ad ſanitatem, ſi ad malum ad mortem. Imperfectiſſima omnium iudicatio eſt, quando abſque aliqua mutatione æger paulatim ad mortem, vel ad ſalutem tendit, quo mō maxima morborum pars iudicatur, ſed potius dicendū eſſet eo modo finiri morbū, non iudicari. Omnes ferè morbi laterales ſecūdo modo iudicantꝛ, morbus etenim videtur in magno diſcrimine, deinceps res ſubito ad bonum permutatur, & ita paulatim expuēs ſanatur, uel ad malum permutatur, & ita moritur, nihil vel parum quid nigri vel liuidi expuens, primo iudicationis modo poſſunt ex omni morborum genere iudicari, ſed raro contingit, nos quidē multas vidimus tales ſubitas mutationes, ſed reſpectu ægrorum quos curauimus fuere pauciſſimæ. In ſecundo etiam iudicationis genere poſſunt omnes ferè morbi iudicari, in laterali tamen morbo iudicatio plerūqꝫ fit ratione materiæ febrē facientis, & paulatim expuitur quod in thorace continetur, qđ à Galeno innuitur primo de iudicationibus cap. 5. & in fine ſexti capitis, vbi docet in laterali morbo primo ſputum conſiderandum, deinde vrinam, quoniam (inquit) cum febre prorſus coſtalis fatiget.

## GALENVS.

A' morborum ſiccorū genere ad eos qui contrario pugnant modo cōuerſus, deinde memorato citra omnium adiectionem vno, narrationem eius commune omnium eiuſdem generis exemplum ratus, non abſque cauſa obſcuritatē fecit. Nempe os madeſcere, & talia à pulmone expui, qualia oportet, morbi non ſimpliciter ſunt humidi notæ, qui omnino in omni ſit corporis parte: ſed cū cuiuſpiam eorum quæ reſpirationi ſubſeruiunt inſtrumētorum affectione. Ob eam rem, vt dixi, dictio Hippocratis obſcurior eſt reddita. Sed quod ab eo enunciatur verum omnino eſt: quòd ſcilicet quę per ſputa, veluti oportet excreta expurgātur, celeriter iudicātur. Contraria vero duorum alterum ſubeunt: nempe aut in perniciē, aut in longum finiunt tempus, Ergo qui probe expurgātur, his ptiſanā dare oportet non vt virtutem roboret modo, verum quoque & his quę per tuſſes ex pulmone fiunt humidorū expuitionibus opem ferat. Nempe verba hęc, qualia eſſe oportet, coctionis habent notas

de quibus abſolute diximus tum in his quos de criſibus, tum in illis quos de temporibus morborum fecimus commentarijs. Præterea & in expoſitione aphoriſmi illius, vbi Hippocrates quonam oporteat modo ex apparentibus prænotiones facere oſtēdens, ſermonis exemplum pleuritidem ſcripſit hoc pacto. Veluti in pleuriticis ſi ſputum inter initia protinus appareat, morbum breuiat: ſi vero poſtea appareat, producit.

BRASAVOLVS. Primo à Galeno notatur, ab Hippocrate tranſitum fieri à morborum ſiccorum genere ad oppoſitos morbos, videlicet humidos, qui cū ſiccis pugnant. At de vno ſolum mentionem facit, ipſum pro omnium aliorum exemplo ponens. propterea ſuis in dictis obſcuritatem fecit, quoniā os madeſcere, & talia expui à pulmone qualia oportet, nō ſunt ſimpliciter notę neque indicia humidi morbi, qui in quacunque poſſent eſſe corporis parte, ad ſolum notę ſunt humidi morbi, qui in aliqua ſit parte earum quæ reſpirationi deſeruiunt, vt pulmonis, thoracis, pelliculæ coſtas tegētis, diaphragmatis, vel mediaſtini, vnde Hippocratis ſententia eſt obſcura, in hoc vero obſcuritas conſtat, quia multi putarunt Hippocratem per hæc indicia omnium morborum humidorū notas exprimere tentaſſe. At nulla eſt obſcuritas, ſi tantum in eo morbo intelligamus, de quo verba facit Hippocrates, poſtea in alijs vt fieri conuenit accommodemus, vt in affecta iecoris gibba parte, vrina multa, & qualis excerni debet excernatur, ſi in caua parte ſit affectio, humidus erit morbus, quādo per inteſtina multum excernetur & quale excerni debet, in capitis morbis ſi per nares, aut palatū multum excernatē et quale oportet, itaque nulla eſt in Hippocrate obſcuritas. At Hippocratis ſententiam, quæ in vno ſolo eſt morbo, vel in vnius partis morbis ad omnes omnium partiū morbos accommodare velle obſcuritatē parit, quoniā notæ hic poſitæ morbis omnibus accommodari non poſſunt.

Vbi legitē morbi non ſimpliciter ſunt humidi notæ, legi debet omnium morborum, cum græce ſit νοσήματος παντός.

Secundo Galenus notat, id quod ab Hippocrate nunc dicitur, omnino verum eſſe. ſ. quæ per ſputa expurgantur vt conuenit celeriter iudicari, imo ab Hippocrate hoc primo nō dicitur, ſed ab eo eſſe morbum humidum primo intelligitur, poſtea ex hac humiditate iudiciū breui futurū, vel iam fieri, ſignificari. Quæ vero contraria ſunt .i. quæ per ſputa nō bene expurgātur, neque vt conuenit, aut in perniciem ducunt, aut in longum tempus.

Si vero petas quinam in perniciem ducantur, & qui in lōgum tempus, ſcito illos in perniciem duci qui ſputa habent liuida, nigra, viridia, pauca, & tarda, illi vero in longū tēpus trahūtur qui ſputa tarde habent, craſſa, glutinoſa, & pauca, ſputa autem ſunt vti oportet, quæ cito exeunt, copioſe, bene.i. facile, & mediocrē habent in craſſitie et tenuitate, in glutinoſitate, et lubricitate conſiſtentiam.

Tertio Galenus infert, eū qui probe expurgatur, ptiſana cibandum eſſe, non ſolum vt vim vitalem roboret, quæ penitus defatigata eſt, cum pugna prēceſſerit, & iam vicerit, ſed etiam vt his humidis materiebus quę per tuſſim è pulmone exeūt, opem ferat, exeunt vero per ſputa, quæ à ptiſana vias humectante per quas exire debent, et lubricas ac aptas ad exeundum reddente, faciliora redduntur, ptiſanæque nutrimentum materiæ præſtat vt facile exire poſſit, nam pars illa in qua cōtinetur affectio, & ipſa ſingulo die nutritur, quanquam & aliqua nutrimenti portio, in illius prauæ materiæ naturam, antequam ſit facta coctio, ſemper tranſeat. Nota in græco codice ſententiam fieri, ptiſanam dari gratia roborandi virtutem, & illi opem ferendi, quo humores facilius expui poſſint, qui in pulmone continentur, vt illa particula καὶ ἐπαρκεῖν, idest opem ferre, non determinet humores, ſed virtutem, quippe Græce eſt ἕνεκα τοῦ ῥωννύναι τὴν δύναμιν, καὶ ἐπαρκεῖν. ταῖς διὰ τῶν βηχῶν γιγνομέναις ἀναπτύσεσι τῶν ἐκ τοῦ πνεύμονος ὑγρῶν.

Denique Galenus illam particulam exponit quale eſſe oportet, inquiens per illam coctionis notas ſignificari, de quibus alibi ſimpliciter & exquiſite locutus eſt, vt in libris de criſibus, & in commentarijs de morborum temporibus, et in .12. aphoriſmi primi libri expoſitione, in quo Hippocrates quonam modo ex apparentibus prænotiones facere oporteat, oſtendens, illius ſententiæ exemplum poſuit pleuritidem inquiens veluti in laterali morbo ſputū inter initia protinus apparēs morbū breuiat, ſi vero poſtea apparuerit, producit.

## Hippocrates. Sectio XXIIII.

Et hæc quidē per ſe talia parte plurima exiſtunt. Sed multa quoque & alia peropportuna quæ præmonſtranda ſunt, prætermittuntur, quæ poſtea dicentur.

BRASAVOLVS. A Galeno ſuperius dictū eſt, Hippocratem fuiſſe obſcurū, qui in vno morbo exemplum ponebat, tamen multi illum intelligere poterant ac ſi de omnibus humidis loqueretur, hic igitur Hippocrates quodāmodo ſe excuſat, multa quidem fuiſſe ab ipſo prædicenda & demonſtranda, quæ reticuerit, cum de illis omnibus poſterius acturus eſſet. vnde inquit, hæc quæ diximus ſunt vt plurimum talia & per ſe, verūtamen eſt, & multa alia à nobis prætermitti, quæ tamen peropportuna ſunt, at de illis poſtea agemus.

καὶ ταῦτα μὲν καθ' ἑαυτὰ τοιάδε τὸ ἐπίπαν ἐστί. idest, Et hæc quidem ſecundum ſe talia vtplurimum exiſtunt, hæc inquam quæ dicta ſunt, eodem penitus modo ſe habent vt diximus, in morbis thoracis, & partiū ad thoracem ſpectantiū.

πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα ἐπίκαιρα παρεῖται οἷσι προσημαίνεσθαι δεῖ. i. Sed multa quoque, & alia peropportuna, quæ præmonſtrare oportet, ad alios morbos hoc ſpectat, præter thoracis morbos, imo & de thoracis morbis multa alia ab ipſo dicētur, quàm prædicta ſint.

ἃ εἰρήσεται ὕστερον. i. Quæ poſterius dicentur, erunt vero illa peropportuna.

### GALENVS.

Dixi & ego ſermoni huic deeſſe non pauca, quæ ad diſtincte definiteque loquendum commoda exiſtunt: de quibus & ipſe agere pollicetur. Sed in pñtia de his ſolum uult intelligere, quæ dicta ſunt. Ea ſiquidē per ſe talia ſunt, qualia ipſe percurrit.

BRASAVOLVS. Galenus notat ſuperius ſe dixiſſe, huic ſententiæ non pauca deeſſe, quæ ad diſtincte & definite loquendum cōmoda ſunt, nam de omnibus humidis morbis loqui debebat, at ſolum de thoracis morbis locutus eſt, de his uero nunc agere pollicetur. Nunc uero ſuam ſententiam uult ſolum intelligendam eſſe de his quæ dicta ſunt.i. de thoracis morbis. nā illa quę dicta ſunt, talia per ſe ſunt, qualia ipſe eſſe prædixit.

Si uero dicas non uideri ad thoracis morbos aliqua deeſſe, igitur uanum eſt, quòd non pauca deſint. Reſpondemus, nō pauca deſunt ad intentionem quam habet Hippocrates vniuerſalem, quæ eſt de omnibus humidis morbis uerba facere, imo et ad diſtinctam morborum thoracis cognitionē multa deſunt. At quantum ad ſuam hanc intentionem de qua acturus erat ſcilicet de ptiſanæ exhibitione, nihil deeſt.

## Hippocrates. Sectio XXV.

Et quanto maior fuerit expurgatio, tanto magis ad iudicationem vſque dare oportet: ſed maxime duos ab iudicatione dies, quibus vtique vel quinto vel ſeptimo, vel nono fieri debeat morbi iudicatio. quaſi dierum tum paritas tum imparitas perpendenda ſit. Poſt hoc autem mane ſorbitionem dabis, ſero autem ad cibaria tete conferes.

### BRASAVOLVS.

De ptiſanæ exhibitione in his thoracis morbis proſequitur Hippocrates, vultque quanto magis materia à thorace expurgabitur,

gabitur, tanto augendam ptisanam, hancque plenius dandam vsque ad iudicationem, id est morbi finem, vel maximum momentum in morbo ad bonum, potissimumque augenda est per duos dies post iudicationem, illisque hoc dandum est, quibus die quinto, vel septimo, vel nono fieri debeat iudicatio, ac si dierum paritas et imparitas consideranda sit, post uero hos dies mane sorbitionē dabis, vesperi aūt ad cibaria te conferas.

καὶ ὁκόσῳ ἂν πλείων ἡ κάθαρσις γίγνηται, τοσῷ δὲ χρὴ πλεῖον διδόναι μέχρι κρίσιος. i. & quanto maior purgatio fit, tanto magis ad iudicationem vsque dare oportet. In hoc laterali & thoracis morbo uis robusta exigitur, qua materiæ expellantur vt in secundo prognosticorū edocemur sectione .43. propterea quanto magis expuūt, tanto ptisanæ copia vt vires seruentur, & materiæ facilius expuātur, augenda. Nota igitur in augmēto maiorem ptisanæ copiam esse dandam, quoad in cōsistentiam perueneris, in qua abstinendum, & potissimū cum fit iudicatio deinceps iterū dare oportet, nullaque alia habetur causa, cur maior copia sit exhibēda, quam vt vis robusta seruetur. Tamē dici posset in laterali morbo inclinationem esse, quādo probe expuere incipit, consistentiaque & iudicatio in illa vltima expuendi difficultate facta sit. Et si dicas, hic haberi vsque ad crisim plus dandum. Respondemus hic (vt Galenus notat) per crisim vel morbi finem, vel maximum ad sanitatem momentū intelligit. propterea id quod superius dicebat quando humidum fuerit os, tunc plenius cibādum multos decepit, ex eo inferentes in statu esse homines plenius cibādos, per id enim quod habēt os magis humectum, & expuūt qualia oportet, inclinationē morbi intelligo, & iam transactam crisim ac consistentiam, nisi per crisim intelligas, vt hic morbi finem, vnde Galenus superius dicebat, his dari qui citra periculum agunt, constat vero solos illos citra periculum esse, qui declinationem ipsam assecuti sunt. Neque illud quicquā valet, tunc lateralem morbū esse in consistentia, vt in primo de iudicatione habetur, nā Galenus intelligit quādo abundare incipit, esse consistentiam, ad quam mox in tali casu inclinatio consequitur, neque Galenus in primo de iudicatione dicit abundans sputum perfecte coctum, morbi consistētiam significare, nam sputum exquisite coctum inclinationis principiū ostendit, & sputū in principio apparens Hippocrate teste morbum abbreuiat, & consistentiam propinquam ostendit, per sputū vero apparens qualecūque sputū intelligas à loco exiens, in quo est affectio, non simplex sputum, quod à capite descendere potest.

μάλιστα δὲ κρίσιος ὑπερβολῆς δύο ἡμερέων. id est maxime vero duos dies ab impetu iudicationis, vna est generalis regula, quæ neminem fallit, ægrum post iudicationem cibādum esse medio quodam modo inter ægrum & sanum, quia est in conualescentia. At iudicatio quādoque perfecta est, qunadoque uidetur quidem perfecta, sed non est, quando perfecta non est, duo dies progredi non possunt quin à medico præuideatur. propterea vel perfecta sit, vel imperfecta, cū non constat, ad ampliorem cautelam duos expectato dies post iudicationem, & tunc plenioré exhibeto ptisanā, si fuit perfecta iudicatio, nihil mali egisti, imo tute te gessisti, si fuit imperfecta naturam non onerasti, quæ suum opus perfecit, neque duorum dierū spatium adeo amplum est, quin æger cum tali victus genere perdurare possit. Si vero constaret crisim fuisse perfectam, proculdubio cibus statim exhibendus erat, & copiosior, & alterius generis, quam ptisana, nunc ptisanæ loco, panē locū præbemus, in seminū peponum expresso decoctum, aliaque eiusdē generis, cum Ferrarienses ptisanæ assueti non sint, cum tamen probe confecta gustui sapiat. Ptisanæ cremorem magis odio habeo, quàm ptisanam totam. nam tota ptisana longe gratior est, quàm nostrū vocatum far, & nos pro farre illa frequentissime ac libenter vescimur.

Copus hic sensum facit, non quòd cibus post duos dies augendus sit, sed quod iudicationis impetus magna ex parte duos dies non excedit. At nos dicimus neque vnum excedere.

οἷσι γὰρ ἢ πεμπταίοισιν, ἢ ἑβδομαίοισιν, ἢ ἐναταίοισιν ἡ κρίσις. i. Quibus inquit vel quinto die, vel septimo, uel nono fieri debeat morbi iudicatio, in thoracis morbis, qui quinto, septimo, vel nono die iudicationem habere debent, ptisana secundum sputi multitudinem ad iudicationem vsque augenda est, postea per duos à iudicatione dies, idem modus victus seruandus est, & nihil augendum, neque immutandum, quia certi non sumus, an perfecta sit iudicatio, in his vero quæ his diebus sunt iudicandæ ægritudines, duo dies potius seruandi sunt post iudicationem, quia facilius in recidiuam incidunt, ægritudines patientes quæ cito terminantur, quàm quæ longius terminantur, & magis distantem habent iudicationem. Ob suspicionem igitur, quam habet ad recidiuam, inquit, in ægritudinibus quæ quinto, septimo, vel nono die terminantur, duos illos dies potius seruandos esse à iudicatione, quàm in alijs.

Vel sit huius partis sensus, is qui ex Copi interpretatione colligitur, dictum est prius iudicationis impetum magna ex parte duos dies non excedere, hoc uero intelligere oportet vbi morbus vel quinto, vel septimo, vel nono die finiri debeat, in his enim morbis iudicationis impetus duos dies non excedit, in alijs autem morbis qui .14. 20. 24. & .40. finiri debent, iudicationis impetus duos excedit dies. hæc sententia in veritatem deduci potest, si per iudicationis impetum, principium quo futura iudicatio apparere incipit, quoad finiat, intelligamus. At si per iudicationis impetum, proprium iudicationis motum intelligamus, is in momento fit, postea si exquisita sanitas introducta non sit, paulatim iudicatur, duorum, trium, quatuor, pluriūve dierum spatio. vnde iudicationis violentiam intelligere nō est opus, quæ breui finit, sed cum uideri incipit futuram esse iudicationem, tamen expositio prior Galeno magis arridet.

ὥς κατὰ τὸ ἄρτιον, καὶ τὸ περιττὸν προσμένῃς. i. vnde paritas & imparitas perpendenda sunt. Duplex huic parti sensus assignari potest. vnus cum dictum sit eundem victus modum per duos à iudicatione dies seruandum esse, hic causam reddat, cur ita seruandus, vt. s. dies par, & impar perpendantur, quia pari & impari diebus transactis, nihil amplius adest suspicionis, cum omnes acuti morbi febres habeant, quæ vtplurimum de tertio in tertium male afficiunt. Inter hos vero aliqui per dies pares maiorem habent accessionem, aliqui per impares. Verum hic ambigere poteris, quia ægritudo quę per dies pares motum habet, productior est, vt in primo de diebus decretorijs scriptum est. Cum hic igitur de uictus ratione acutorum loquatur, de pari die mentionem facere non debuit, cum morbus sit longus, si is dies maioris sit afflictionis quàm impar. Respondemus, hic morbus, cuius iudicatio quinto, septimo, vel nono die fuit, motum habuit per dies impares, forte post imperfectam iudicationē posset moueri per pares, & fieri productior. propterea & parem & imparem iubet seruandos, qui duo sunt post iudicationem.

Alter sensus est, vt hoc de paritate & imparitate dierū, ad duos illos dies post iudicationem, in quibus eadem victus ratio seruanda sit, non referatur, sed de omni pari & impari simpliciter verba fiant, velitque pares, & impares dies simpliciter considerandos esse, quod & si verū sit, tamen ad propositum spectare non videtur, vt de paribus atque imparibus diebus absque causa loquatur, propterea expositionem præcedentē magis probandam censerem.

μετὰ δὲ τοῦτο τῷ μὲν ῥοφήματι τῷ ἐς πρωῒ χρηστέον, ἐς δείλην δὲ ἐς σιτία μεταβάλλειν. id est, post hoc autem matutino tempore sorbitionem exhibe, vespere autē ad alios etiam cibos te conuertere potes. Quid post duos illos dies agēdum sit, nunc edocemur, cum æger sit in conualescentia, cibum illi prębere opus est, qui mediam quandam naturam habeat inter sanorum victum & ægrorum. propterea iubet Hippocrates mane dandam ptisanam, vesperi consuetum cibum in sanitate vt triticeum panem, quem nondum ederat, & pullorum iura, oleraque decocta, & alia quæ de die in diē paulatim addemus, & denique ptisana auferetur. Tū ne intelligas per horā matutinā & vespertinam Hippocratem voluisse eas horas ita, præcise ser-

tandas, sed vt conuenit, seruandas censet, nam hora forte vespertina illa erit, in qua secundum morbi dispositionem ptisana conueniet, & hora matutina erit illa in qua cibus, tuncque mane consuetus in sanitate cibus afferetur, vesperi ptisana, fierique poterit vt nec vesperi nec mane hæc sint danda, sed in medijs (vt morbus exiget) temporibus.

GALENUS. κρίσιν, id est iudicationem, nunc dixit vel perfectam morbi solutionem, vel permutationem eam quæ vsqueadeo insignis sit, ut æger periculum omne euaserit. Duos autem ab iudicatione iubet adnotari dies, vt et eos qui diebus tum paribus, tum imparibus fiant accessionum circuitus, obseruemus. Contingit siquidem interdum, vt tanquam soluto exacte morbo ægri confidant, cibentur deinde negligentius, & eius quæ per circuitum repetat accessionis occasionem præbeant. Tutum igitur est etiam, si morbus iudicatus fuerit, ad duos usque dies diligentem victus rationem qua æger usus fuit, seruare. Præteritis autem ab iudicatione diebus duobus, iam securum est plenius cibare. sic vt neque mutationem eam quæ vniuersim subitoque fit, efficiamus, sed mane quidem sorbitionem demus, postea vero dimittente die iam & frumentacea exhibeamus alimenta. Constat igitur Hippocratem languentibus ipsis neque aliud quippiam ante præfinitum tempus nuper dictum dare, neque panem, sed ptisana omnino contentum. Quod ægrum satiantis replentisque non est, sed potius, si quis vitio uertere uoluerit, tenuius quàm oportet, sed exuperantiarum exacte est medium, & maxime laudabile. Quod autem ita cibare sit medium, argumento est eorum, qui contraria uitio vertunt, contentio. Quo è numero Thessalus, eiusque sequaces, tanquã ægros replentem accusant Hippocratem: Erasistratus uero tãquam fame necantem. Nempe quæ ab Erasistrato in primo de febribus aduersus Appollonium, Dexippumque Hippocratis discipulos dicuntur, calumniam habent eius qui per famem sit cruciatus, qui ad Hippocratem magistrum refertur. Sed sanè Erasistrato ignoscendum magis, vtpote qui verisimilia dicat: exteros uero qui Hippocratem ægros replere aiunt, uiros Thessalo dignos esse est existimandum: qui neque aliud quippiam scriptorum Hippocratis, neque quæ de victus ratione proferuntur, nouerunt.

BRASAVOLUS. Primo Galenus monet in præsentiarum dici κρίσιν. i. iudicationem, vel perfectam morbi solutionem, vel permutationẽ illam tam insignem, vt æger periculum omne euaserit, hæcque est morbi inclinatio. Notatque Galenus sit quodcunque genus crisis vel perfecta quæ est subita mutatio ad sanitatem, vel imperfecta quæ est subita mutatio ad bonum, postea paulatim sanatur semper morbum esse in declinatione.

Secundo Galenus notat, Hippocratem iubere, duos illos dies post iudicationem annotandos, vt circuitus illos obseruemus, qui per dies pares et impares fiant, hæ vero sunt accessiones maiores, quæ in his fiunt diebus, & si dicas hanc non videri cõuenientem distinctionem, quia aliquæ etiã sunt febres, quę neque per pares neque per impares dies accessiones validiores habent, sed quotidie habent æquales. Respondemus hoc ad rem nihil facere, quia Hippocrates et Galenus in morbis loquuntur acutis, quorum accessiones de tertio in tertium vt plurimũ vexant, nã à materia fiunt calida biliosa, quæ de tertio in tertiũ per pares, vel per impares dies mouetur.

Tertio Galenus notat cur illi duo dies seruandi, nam plerumque contingit, vt ægri ac si sit exacte solutus morbus, confidant, vnde negligentius ratione uictus vtuntur, prębentque occasionem reuertẽdi accessionem, quę per circuitum fit, & in hac recidiuatione sępe per dies pares ex imparibus fit transmutatio. Quarto Galenus infert, tutum esse etiam si morbus pfecte iudicatus fuerit, ad abundantiorem cautelam per duos dies eandem diligentem victus rationem seruare, quam æger prius seruauerat, his vero duobus diebus transactis, plenius ægrum cibare tutius est, ab Hippocrate tamen notat, nõ esse tam plene cibandum, vt ἀθρόως. i. subito & vniuersim cibetur, verũ mane per dies aliquod ptisanæ sorbitionem concedamus, vesperi vero et frumentacea edulia, hoc est ex tritico panem, vnicuique igitur Hippocratem legenti constare potest, languentibus ipsis nihil ante præfixum tẽpus dedisse, imo neque panem ipsum, sed ptisanam solam. Nos uero in præsentiarum in laterali morbo triticeum panem concedimus quater aut quinquies ablutum, & in expressum seminum peponum decoctum, ptisanam uero maior ægrorum pars renuit. At ptisanam dare non est satiare et replere ægrum, sed potius si quis unam partem in errorem ducere voluerit, est tenuius cibare ægrum quàm oporteat, & profecto apud nos est tenuius, quoniam nostrę ætatis homines lurcones sunt, tuburcinatores, & qui ad os usque implentur, & non vno edulij genere, sed diuersis generibus et illis etiam contrarijs, hos igitur nõ est opus in tã tenui victu seruare, alioqui morbum perferre nõ possent. Tamen iudicat Galenus ita cibandos esse ut neque sit tenuius iusto, neque plenius quàm oporteat, sed medium esse inter exuperantias, & maxime laudabile quod ἄριστον ipse vocat, docetque cibare ęgrũ ptisana, medium esse, exacte nimis tenuis, et nimis crassi cibi. Argumentũ sumi potest, quia aliqui antiqui Hippocratẽ reprehendunt ptisanam exhibentẽ, vt ex hoc illos nimis alat, alij quod inedia interficiat. Quod legitur etiam si morbus iudicatus fuerit, græce est κἂν ἤδη δοκῇ κεκρίσθαι τὸ νόσημα i. & si morbus iam videatur iudicatus. Illa particula videatur apponi debet, vt exquisitius huius partis sensus exprimatur.

Vbi legitur ad duos vsque dies diligentem victus rationẽ, qua ęger usus fuit, seruare, statim hęc uerba desunt, κἂν ἤδη δοκῇ κεκρίσθαι τὸν κάμνοντα. i. & si æger iudicatus iam uideatur.

Quinto Galenus illos refert qui Hippocratem reprehendebãt ægros nimio cibo, & exili necantem. Thessalus & eius asseclæ ex eorum sunt numero qui Hippocratem reprehendebant ueluti ægros nimis replentem. At Erasistratus è contrario Hippocratem arguebat, qui ægros fame necaret. Nam quæ Erasistratus in primo de febribus disputat cõtra Apollonium & Dexippum Hippocratis discipulos, nihil aliud sunt, quàm calumnia vnius per famem cruciati, idque totum refertur ad Hippocratem magistrum. Galenus uero Erasistrato magis ignoscendum putat, qui uerisimilia dicit. At alij qui dicunt Hippocratem ægros nimis replere, viri sunt Thessalo digni, qui de Hippocratis dictis nihil nouerunt, & de his quæ ad uictus rationem spectant minus quàm de alijs.

Galeno magis displicet, Hippocratem reprehẽdi, quod plus cibi exhibuerit, quàm cõueniat quam minus, ob id Erasistratum excusatione dignum censet, quia verisimilia dicit, & quæ non multum dissentiant ab Hippocrate, nam Hippocrates cibum quidem exhibet tenuem, sed non tam tenuem ut Erasistrato uisum est, interpres simila uertit quod erat uerisimilia interpretandũ, nam Græcus codex dicit ὡς εἰκότα λέγουσι. In libro de optima secta ad Thrasybulũ, posteaquã probauit historiam esse de preteritis & pręsentibus, & non de futuris, de his loquitur qui ægros nimis reficiebant & qui victu nimis exili vtebantur, fecitque mentionem Dexippi et Apollonij inquiens, Apollonius uero atque Dexippus Hippocratis auditores, neque aquã propinabant, nedum vinũ, pręparauerant enim scyphos quosdam cereos numero duodecim, vt essent heminæ sexta pars, ex his duos, tresve alternatim ægrotãtibus dabant. in qua parte non solum hic Latinus cõtextus, sed & Græcus deprauatus videtur, nam miror quo modo scyphos cereos ad seruandam aquam conficerent, idque & in græco contextu habetur dicẽte κηρίνους κυάθους. i. cereos cyathos. Suspicor ne legendũ sit κερατίνους κυάθους. i. corneos cyathos, in huius suspicionẽ me duxit alter locus in quarto huius uoluminis libro sectione quinta, vbi Galenus huius rei mẽtionem faciens dixit κηρίνων κυάθων, considerans scripturarum diuersitatem, nam in prima syllaba habet .η. & in secunda ι, sicuti ergo una scriptura ab aliã uidetur diuersa, ita trãsmutari potuit κεράτινον in κήρινον. i. corneum in cereum. Ad hoc me mouit suspicandum Xenophon in sexto & septimo de Cyri minoris expeditione in principio ferè libri, quando Corylus rex Paphlagonum legatos misit ad Grecos,

quos

quos Græci hospitaliter receperũt, ibidem legitur poculis sunt in potando corneis vsi, qualia .s. in ea regione inuenere: vt manifestum sit antiquos corneis poculis vsos esse, vnde & crater dicitur quasi cerater, quoniam prius in cornu infundebant, & Bacchus cornutus cernitur in antiquis nomismatibus, et taurus vocatur, & apud Cyzicũ tauri specie colebatur, propterea & vini mistio cum aqua κρᾶσις dicitur, habeturq; apud Galenum mensurarum quarũdam mentio ex cornibus factarum, quibus Romæ oleum metiebantur, in libris de compositione medicamentorum secundum genera.

De Apollonio vero Hippocratis discipulo, apud aliquem authorem fide dignum mentio non fit, tamen de multis legimus Apollonijs. De Dexippo autem Hippocratis discipulo hæc apud Suidam leguntur. δέξιππος, κῷος ἰατρὸς, ἱπποκράτους μαθητής. ὃς μετὰ πεμφθεὶς ὑπὸ ἑκατόμνω τοῦ καρῶν βασιλέως, ἰάσασθαι αὐτοῦ τοὺς παῖδας ἀπογνωσθέντας μαύσωλον, καὶ πιξώδαρον, ἐπὶ ὑποσχέσει ἰάσατο, τοῦ παῦσαι τὸν πρὸς κῴους τότε αὐτῷ ἐνιστάντα πόλεμον. ἔγραψεν ἰατρικὸν βιβλίον α. καὶ περὶ προγνωστικῶν. β. hoc est, Dexippus Cous medicus, Hippocratis discipulus, qui accersitus ab Hecatomno Carum rege vt filijs suis Mausolo & Pixodaro iam deploratis mederetur, hac conditione eos curauit, vt à bello supersederet, quod tunc contra Cares gerebat. Scripsit medicum librum unum, & de prænotionibus duos.

## Hippocrates. Sectio XXVI.

Talia autem parte plurima prosunt his qui protinus tota vtuntur ptisana.

### BRASAVOLVS.

Pars hæc & ad omnia quę superius dicta sunt, referri potest & ad ea quæ statim sunt dicta, si ad omnia superius dicta referantur, sensus est. Omnia quę de pleuritide superius dicta sunt, & omnes pleuriticorum canones potissimum veri sunt, & conueniunt, ac illis prosunt qui statim ab initio tota usi sunt ptisana hic vero sit vsus ptisanę, si morbus talẽ habet acutiẽ, vt mereatur dici exacte peracutus. quoniam in tribus vel quatuor diebus terminetur, his nihil penitus dandum hoc est neq; ptisanã, neq; cremorem, neq; aliud quicq; nisi aquam propinaueris pro siti extinguenda vel remittenda, si vero morbus septimum diem vel quintum pertingere debeat, cremorem porrigemus, cum morbus diutius progreditur, in principio integram damus ptisanam, prope statum ac iudicationem cremorem. cum iudicatio iam sit & cõsistentia, nihil penitus prębemus. His iam expeditis, ad ptisanam denuo redimus, & vt magis expuit, ptisanæ quantitatem augemus. nam cum sputa incipiunt, & incipiant esse qualia oportet inclinatio iam est, & quanto sputa augentur accelerantq; tanto morbus celerius inclinat, tantoq; magis cibi exhibendum est, nam & si Hippocrates iudicationẽ dixerit, per illam, vel exquisitam morbi ablationẽ, vel magnam ad bonum mutationem intelligit, vt æger extra naufragium sit ac periculum.

Alter sensus est vt ad pręcedentem sententiam referatur, quod talia.s. quæ de ptisanæ additione dicta sunt secundũ sputi multiplicationem in his potissimum vera sint, qui à principio tota vsi sunt ptisana, nam hi in consistentia & iudicatione penitus abstinent, postea ptisana danda est, atq; augenda, vt sputa sequantur, ne vis deficiat, quæ mire expuere cœpit. ξυμφέρει δὲ τοιάδε ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῖσιν ὅλῃσι πτισάνῃσι αὐτίκα χρεωμένοισι. i. Talia vero his vt plurimũ prosunt, qui statim tota vtuntur ptisana. Nam his qui prius tota vtebantur ptisana, & illa vti conueniebat, conuenientius erat dare ptisanam secundum sputorum quantitatem, quã si cremore prius vsi fuissent, & cremore vti fuisset conueniens.

At inquies Hippocratem in huius primi libri calce scriptum reliquisse, si considerentur accurate ea quę dicta sunt, animaduertes in primis ptisanæ cremorem, deinde ipsam quoq; ptisanam dare curabis. Igitur cum simpliciter loqui videatur, nunquam in principio dabimus puram ptisanam. Respondemus, hoc intelligendum esse, quando conuenit, nam in morbis in quibus ptisanæ cremore vti cogimur primo illo vtimur, vt Galenus testatur postea augemus, quando coctio facta est, & sputũ incipit esse quale oportet, de hac etiã re idẽ dicit Galenus in ultima huius libri sectione. Neq; trãsibimus ex cremore ad ptisanam, sed ex cremore ad maiorẽ cremoris copiã, postea simul ptisanã miscebimus, denique ptisana sola vtemur, idq; fiet per duos dies post iudicationem, deinceps vnam dabimus ptisanæ cibationem (vt prius dictum est) & aliam ciborum consuetorum, denique solos consuetos cibos dabimus, vt panem, pullorum carnes, atque eiusdem generis alia consueta.

GALENVS.

Siue totam, siue hordeaceam, siue ptisanam simpliciter dixerit, vnum & idem ex tribus his significatur vocabulis, ptisanã vnoquoq; nõ colatam significante. Nẽpe si à decoctione quis ipsam colauerit, deinde cremorem separauerit, dederitq;, is neque tota, neque hordeacea, neque simplicitee dicta uti ptisana dicetur, sed solo ptisanæ cremore. Rursus autem in præsentia memorabo quinam sint, qui ptisana tota ab initio uti debeant, breuisq; erit memoratio, nisi segniter desidioseq; q̃ p̃dicũtur, audieris. Si ergo quæ expuuntur utilia fuerint, ægerq; neque medicamento, neq; clysteri egere uideatur, ptisana hunc cibare iubet. Sed propositi considerationem adiecit, inquiens.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus exprimit quid intellexerit Hippocrates per totam ptisanam, nempe qui simpliciter ptisanã dicunt, & qui ptisanam hordeaceam, & qui totam ptisanam semper idem intelligunt, per tres istas uoces ptisanam uidelicet coctam uti est neq; colatam, neq; immutatã. si quis uero post eius coctionem illam percolauerit, & expresso utatur cremore ptisana simpliciter non uocatur, sed ptisanę cremor, ptisanę succus, ptisana colata, et cremor simpliciter dicitur, nõ autem uel ptisana, uel hordeacea ptisana, uel tota ptisana.

Secũdo Galenus docet qđ iterũ in memoriã reducet, quinã sint illi qui ptisana tota à principio uti debeãt, unde si quæ expuunt utilia fuerint, & æger neq; medicamẽto, neq; clystere egere uideat, hic ptisana cibandus est. Tñ huius ꝓpositi consideratione in sequenti contextu adiecit Hippocrates. Vtilia ea uocat quæ expuuntur quando utile est quod expuatur, vtile uero est si cocta sint, & talia qualia purgare oportet, & expui, & quod nullum adsit in morbo symptoma vehemens mortis timorem inducens, & quanquam à Galeno hoc dictum uon sit, tamen subintelligi oportet.

## Hippocrates Sectio. XXVII.

Dolores siquidem pleuriticorũ confestim spõte desinunt, ubi aliquid affatu dignum tum expui, tum expurgari cœperit. Nempe & purgationes longe perfectiores existunt, minusq; purulenti ita fiunt, quam si quis aliter cibaret. Pręterea iudicationes simpliciores facilioresq; & minus reuersoriæ.

BRASAVOLVS.

Quòd autem omnia quę superius dicta sunt, constent, et uera sint & hi qui morbum lateralem patiuntur recto uictus ordine sint curati, nunc suadet Hippocrates, inquiens, Dolores quos morbo laterali captos patiuntur, statim desinunt, & sua sponte, quãdo cœperint aliquod effatu dignũ aut expuere, aut expurgari, nã hoc experientia cõstat, semper purgationes longe esse perfectiores quæ fiunt per ptisanam. Quiq; ita expurgãtur, minus purulenti efficiuntur, quàm si quis aliter cibaret. Adde purgationes faciliores esse, minusq; recidiuant qui ita in victu reguntur.

αἵ τε γὰρ ὀδύναι ἐν τοῖσι πλευριτικοῖσιν αὐτίκα παύονται αὐτόμαται ὅταν ἄρξωνται πτύειν τι ἄξιον λόγου, καὶ ἐκκαθαίρεσθαι, id est, & enim dolores in lateralem morbum patientia.

bus statim sponte cessant, quando nonnihil effatu dignum spuere incipiunt, & expurgare. Dolor in laterali morbo fit, tum ex qualitate materiæ, nempe calidæ, biliosę, & commordenos, tum ex copia pelliculam costas tegentem extendente. Cum materia expui incipit, indicium est extra pelliculam illam continentem exudare, propterea deinceps non est adeo extensa, imo & eius acuitas remittitur, propterea cum pleuritici expuere incipiunt, & materia expurgatur, remittuntur dolores, & paulatim desinunt, vt sputa augentur, & materia expurgatur, intellige uero cum sponte expurgātur, nam ita signum est materiam coqui & ad exitum disponi. Aliud esset si alicuius medicamenti ui, aut eclegmatis sputa quispiam extrudisset, cum enim hoc nō sit spontaneum, sed violentia quadam extrusum, & forte in loco conturbationē fecerit, dolorem cessare aut mitigare non facit, sed forte auget. propterea sponte esse debet, & ex natura agente, & morbū regulante, & ex hoc cibo naturæ abscīdante, nam supponitur hos ptisanam accipere, dixitq; aliquod dignū effatu, quia sputum vnumquodq; dolorem cessare non facit, sed tale solum, quod copiosum sit, vt eius copia notari possit, & à loco exeat patiente, nam si quis nonnihil expueret quod è ventriculo, vel è capite exiret, & si esset copiosissimum, pleuritici dolorem non remitteret, sputum ergo à loco exiens, & copiosum sit, & facile exeat. Notaq; dixisse expuere, & expurgari, vt hæc particula expurgari, notet quid illud sit, quod expuitur, quippe id est, quod morbum expurgat, & sanitatē inducit. Scito pręterea particulā spōte, posse determinare dolores, qui sponte abeunt, cū sputa sunt copiosa.

ἔτι γὰρ καθάρσιες πολλῷ τελεώτεραι εἰσί. i. equidem & purgationes multę perfectiores sunt, quę fiunt per ptisanam, & quæ ad hunc victum sequuntur, quia ptisana incidit, attenuat, atq; humectat, & materiam ad exitum parat, nihilq; materiei relinquitur, sed omnes exeunt, & humores qui per sputū expurgantur, perfectius expurgantur. Et si dicas, ptisana frigida est quomodo attenuabit? Respōdemus & in ipsa vim esse abstersoriam & attenuatoriam, quāuis frigida sit, quę multo minor erit si nō nihil corticū relictū sit, neq; deest aliqua in ipsa caliditas.

καὶ ἔμπυοι ἧσσον γίνονται. i. & minus purulenti fiūt. ex laterali morbo nōnulli quādoq; purulenti fiunt, quādo. s. disrupta pellicula quæ pus continet vniuersum, affatim in thoracis cauitatem colligitur, qui vero ptisanam edunt, in suppurationē difficulter transeunt, & rarissime, quia ipsa pelliculam abscessum tegentem non exagitat, imo paulatim emollit, materiam si crassa sit attenuat, si acris temperat, & viā simul ac materiā prępatat, vnde illi qui ptisana vtuntur, quiq; copiose expuunt, raro purulenti euadunt, raro inquā, quoniam nonnunq; ex materiæ acredine, quæ pelliculam erodendo disrumpere posset, fieri posse nihil impedit, quo in casu neq; ptisana satis est, ad illius materiæ acredinem remouendam.

ἢ ἄλλως τις διαιτῷτο. i. q̄ si aliter quis victus ratione vteretur, nā si quis alia victus ratione vteretur, purgationes minus perfectæ essent, & frequentius purulenti efficerentur, possent vero aliter cibari secundum quatuor conditiones, vt. s. cibi essent diuersi in qualitate, diuersi in quantitate, diuersi in exhibendi horis, diuersi in ordine. In qualitate inquam diuersi, vt si daretur panis, caro, oua, & eiusdem generis alia, in quantitate autem diuersi, vt si de ipsa etiam ptisana plus, vel minus præberetur, quàm conueniret, diuersi uero in exhibitionis tpe, ut si prius detē cibus, vel posterius, q̄ cōueniat, & non in suo ordine. In ordine denique diuersi, vt si victum tenuiorē exhibeat sputis crescētibus, & augmentaris, cum Hippocratis ordo sit, auctis sputis, & cibum augeri, & ptisanæ copiam.

καὶ αἱ κρίσιες ἁπλούστεραι, καὶ εὐκρινέστεραι. Idest, & iudicationes simpliciores, facilioresq;, non enim in tanto discrimine versantur qui tali victus ratione vtuntur in iudicationibus, vt hi qui alia victus ratione vsi sunt, vnde horum iudicationes simplices sunt, atq; faciles, simplices inquā, cum nō habeant cōplicata symptomata, faciles uero quia pauca sunt & leuia, quæ facile feruntur, hæcq; ad perfectam iudicationem requiruntur, vt ægri facile ferant, & directæ sint, ac faciles.

καὶ ἧσσον ὑποστροφώδεες. i. & minus reuertantur, vel & minus recidiuationes faciant, nam illæ sunt exquisitæ & certe crises quæ recidiuationem non faciunt, si quidem recidiuationem inferent, essent incertæ insidæ, vt Galenus in libro de diebus iudicatorijs testatur. Non addit autem Hippocrates, quod in die fiant iudicatorio, quoniam ex hoc victus genere id non sequitur, vel forte sequitur, vel quæ faciles sunt & simplices & recidiuam non faciunt, necessario in die sunt iudicatorio, nempe tales non fuissent, si in die iudicatorio motionē non habuissent, & cum tales sint, bonæ præterea sunt atque fidæ.

Verum hic dubitatio occurrit non dissimulanda, de hac iudicatione quæ tuta est, quę facilis, quæ simplex, quæ sine recidiua, & quæ ad victum ex ptisana sequitur, cuiusnam materiæ sit. An febrem facientis, an abscessum facientis in laterali morbo. In laterali morbo febris symptoma quodammodo est, & accessoria affectio. Abscessus principalis est morbus, propterea videtur iudicationem istam de materia esse, quæ abscessum facit, & non de illa quæ febrem accendit, tamen Hippocrates in tertio Epidemiorū dicit Anaxiona laterali morbo correptum. 34. die vniuersim sudasse, & à morbo liberatum esse, idemq; refert Galenus in. 12. aphorismo primi libri, & in primo de iudicationibus capite. 15. & in fine capitis addit per vrinam quidem materię febrem committentes secretæ sunt, per screationem uero humor conditus in thorace Galenus igitur diuersam facit iudicationem materiæ facientis abscessum in pleuritide, & facientis febrem, vnde quod hic ab Hippocrate dicitur, ubi aliquid expui, & expurgari cœperit. Illa particula expui, ad materiam in thorace contentam, particula vero expurgari, ad materiam febrem facientem, referri debet.

Scito febrem in pleuritide, nonnunquam ex materia illa fieri, quę abscessum facit, & in ipso existit, ac affervescit, nōnunquā fit ex materia à recentibus antecedente vocata. Si ex materia fiat in loco contenta, quę cum sit prope cor febrem accendit, ita per sputum fit iudicatio, quæ tamen exquisita non est, cum subito non fiat, nam excreatio paulatim fit. Si uero febrem, quę pleuritim prosequit, consideremus, & à materia totus dependeat, si aliqua tunc fiat crisis, fit per sudorem, uel per urinam tum, vel per secessum rōne huius febris, & materia quæ est in thorace, per sputū exit, nec tibi mirū videatur, & si crisis materię attribuatur facienti febrem, cū pleuritis sit principalis morbus, quia pleuritis ꝓprium nō est iudicatio. i. subito mutatio. Hic Hippocrates de iudicatiōe febris loquitur, quę à materia abscessus thoracis uel inflāmationis depēdet, & de illa etiā quæ fit ex febre à materia cōtenta in pleura nō dependēte, sed in toto homine, & omnibus corporis membris continetur, propterea in Anaxione patet materiam abscessum facientem per sputum fuisse euacuatam, per vrinam vero, & sudorē, illam quæ in omni membro continebatur, & febrem faciebat. Arbitrorq; Anaxiona à febre liberum per multos etiam dies expuisse, itaq; crisis omnibus applicari poterit, & semper erit simplex, facilis, neque recidiuam faciet, quando ad illum sequetur qui ptisana modo prędicto fuerit cibatus.

GALENVS.

Probe autem hęc omnia à ptisana fiunt, tum quòd humectet, mediocriterq; incidat quæ expui debent humida, tum demum quod virtutem roboret. Concurrētibus si quidem utrisque, ocyus expurgantur, qui respirationis instrumēta infestant humores: quos quidem & humectare, & secare potest ptisanæ modo aqua mulsa: sed virtuti robur non addit. Contraria autem pollent facultate, & panis, & chondrus. Nempe uirtutem quidem roborant: sed neque humectant, neque secant. Quod neque alteri cuipiam inest eorum, quæ medici languētibus dare consueuerunt: verbi gratia, ouis, gallorū testiculis, alis, piscibus, iuuenibus columbis, & quæcunque id genus sunt. Quare qui lenticulam ex aceto confectam pleuritico in ea morbi declinatione quæ nihil aliud quàm coctorum expuitionem desideraret, exhibuit, is nō immerito languenti ipsi qui sequenti nocte suffocatus est, mortis occasionem dedisse est visus: immo lenticulam

ticulam nemo qui mentis compos fuerit, dederit. Quod si æger aquam mulsam ptisanamq; fastidierit, pisces saxatiles sunt maxime idonei, ex aqua scilicet et marubio, & anetho, & sale parati, atque ex non saxatilibus aselli. Sed antea oxymeli ꝓpinare oportet: neque enim id stomacho aduersatur, nisi affectis in languente neruis, & in muliere, vtero. Quod si oxymelitis loco medicamentum aliud dare volueris, dabis eam quæ ex marubio & iride fit, confectionem. Nempe hæc si per se cum mulsa bibatur, maturat probe quæ tum in thorace, tum in pulmone sunt superflua, atque ad expuitiones præparat.

BRASAVOLVS. Primo Galenus docet omnia hæc à ptisana probe fieri tum quia homectet, & illa mediocriter incidat, quæ expui debent et humida sunt, tum quia vim roborat ptisana, quæ ad expuẽdas à thorace materias & expurgãdas fortis exigitur: vnde his duobus in ptisana concurrentibus, & posse incidere, & uires roborare, humores illi ocyus expurgantur qui instrumẽta respirationis infestant. Tamen & aqua mulsa humectare potest & secare ac incidere ueluti ptisana, sed uirtuti robur addere nõ potest. vbi legitur qui respirationis instrumẽta infestãt humores, deest particula οἱ μοχθηροί, quę illã ꝑticulã χυμοί, determinat, vt legi debeat praui humores, nam & hi soli sunt qui respirationis instrumenta infestant, boni etenim illa non infestant.

Quod legitur, quos quidem & humectare, & secare potest ptisanæ modo aqua mulsa, sed uirtuti robur nõ addit, legẽdum est. quos qdem et humectare et secare potest aqua mulsa. at similiter uti ptisana, uirtuti robur nõ addit, ut in addendo robur, differẽtia fiat, & nõ in humectatione & incisiõe fiat cõparatio, quoniam et in illo differũt, itaq; habet cõtextus græcus ὧν τὸ μὲν ὑγραίνειν τε καὶ τέμνειν ὑπάρχει καὶ τῷ μελικράτῳ. ὁμοίως δὲ τῇ πτισάνῃ ῥωννύναι τὴν δύναμιν οὐχ ὑπάρχει, tamen & si vt interpres uertit, legere uolueris, nihil impediet.

At inquies quid opus est illa humectare quæ humida sunt? si ergo sunt humida, humectatione non indigent. Respondemus, & si humida sint, glutinosa præterea sunt, & via per quã transeunt, humectatione indiget.

Forte dices Melicratũ aliqd roboris addere, quoniã mel nutrit, imo nõnulli fauis mellis nutriti sunt. Respõdemus, nutrire qdẽ, sed parum, neq; tale nutrimentum est, vt addat in naturæ robur, etenim aqua nihil penitus nutrit, mel uero modicũ est, qđ melicratũ ingreditur, propterea uiribus robur dare non potest. Secundo quispiam Galeno dicere potuisset, panẽ exhibemus, & cum simpliciter panem dicimus, triticeum intelligimus, panis uero robur viribus præstat, pari modo chondrus. Galenus vero ridet & panem, & chondrũ contrariam ptisanæ facultatem habere, vnde & morbo conuenientia non sunt, quoniam & si vires roborent, tamen neq; humectant neq; incidũt, imo si alios consideremus cibos, quos medici languentibus dare consueuerunt, nullũ habet simul incidendi vim & humectandi. Et si petas quænam sint hæc cibaria, quibus antiqui in morbis talibus vtebantur, oua refert, gallorum testiculos, alas, pisces, pullos columbaceos, ut eiusdem generis alia.

Vbi legitur quæ medici languentibus dare consueuerunt, legi debet. Quæ medici huius temporis dare consueuerunt, nam Græce est ἀπὸ τῶν νῦν ἰατρῶν, neq; ab re particula illa νῦν ponit, quĩa alijs tẽporibus, vt Hippocratis tpe his non utebant.

## De Pane.

De pane autem differentes scito et Galeni tempore, eloti panis vsum fuisse, vnde & de illo mentionẽ fecit in primo de alimẽt. facult. in quo & de nõ loto abunde scriptũ reliquit. Cum uero panẽ dicimus, triticeũ semper intelligimus, elotus panis in morbo laterali ægris daẽ. nam vt Galenus pręcitato loco testatur, effectus est ex terrestri ac graui, aereus, leuisq; ex quo obstruẽdi noxam in se nõ habet, tamen minoris nutrimenti est, q̃ panis, & parum habet crassitiei ac glutinis, de hoc in præsentiarũ pane non loquit Galenus. nã & hunc pleuriticis damus, & cõfert, in expresso tñ seminum peponũ decoctum. Cũ uero multa sint panis gña apud Gal. pręscripto loco citata, nullũ genus ptisanã æquare põt. Et si petas an omnia panis gña magis nutriant, q̃ ptisana: Dicimus aliqua esse gña, quæ ptisana minus nutriũt. hęc etenim sunt apud authores panis generã, siligineus similaceus, autopyrus, sordidus, furfuraceus. Vt ãt à prĩo exordiamur siligineus est sincerissimus panis ex pura farina, imo ex flore vocato, vel polline cõfectus, hic cæteris efficacius nutrit, tardeq; à uẽtriculo deijcit. Similaceus panis, ex pura quidẽ fit farina, non tñ ex polline, minus nutrit, q̃ siligineus, sed citius à ventriculo descendit, à Græcis semidalis & semidalita vocatur. Tertio loco panis αὐτόπυρος sequitur ac si dicatur, ὅλος αὐτὸς ὁ πυρός. i. totũ ipsum triticũ. hunc & antiquiores Græci συγκόμιστον vocauerũt, cum oĩa quę mola cõpinsa sunt, mista simul habeat, nih l. n. per excerniculũ setaceũ excretũ est, sed & furfur, & secũdaria farina, & farina cõpacta simul in panẽ reducũt, hic minus nutrit, q̃ similaceus, citius tñ dẽscẽdit. Quarto loco est sordidus panis, qui & secũdarius vocaẽ, ex tenuiori furfuris parte cõfectus, minus nutrit, q autopyrus, & minus q̃ ptisana, facileq; descẽdit. Deniq; adest panis pityrias, à nostris furfuraceus nũcupatus, qui oĩbus minus nutrit, et aptissime descendit, neq; ptisanę in nutrimẽto cõparandus est, abstergit, & nõnihil exiccat, vt in his morbis nõ conueniat. vnde nullũ panis genus præter elotũ conuenire vr̃, qui ab aquæ lotione humiditatẽ quandã acquisiuit, morbo quadrantẽ, & terreas quasdam partes amisit, aereasq; acquirit, qbus & abstergit, & incidere quodãmodo põt. Et si petas an ptisanę cõparari possit: Rñdemus exq̃sue quidẽ non posse, uerũ in ptisanę defectu, uel ubi sit in ęgri abominatiõe ptisana, ꝓ illa sumi poterit ĩ expsso seminũ peponũ decoctus, in qbus & adest quędã caliditas, incidendi vim hñs, & abstergẽdi, nec sua deest humiditas, quæ et lenis et lubrica est, ut ferè oẽs habeat ptisanę dotes. Scito aũt panes nõ tm̃ differre ex uaria partiũ sumptione, crassarũ inquã atq; tenuiũ, quæ è tritico manãt, uerũ & ex cocturæ mõ differunt, Galenus clibanitas oĩbus pręrulit, quos testuaceos vocamus, mõ probe cocti sint. Hipnitæ in scđo sunt ordine, qui furnacei dici pñt, hi sunt clibanitis inferiores, cũ eorũ intima pars non tã probe coquaẽ. tñ & si res ita antiquitus fuisse cõstet, illi nr̃o æuo qui clibanitæ nũcupantur à nobis in furno coquunẽ, & hac nulla in pñtiarũ est melior coctura, furnaceiq; nũc aliĵ nõ sunt à clibanitis. Nos tantũ composita quędã edulia comedimus sub testu cocta, quæ tortæ (ab intorto limbo) uocãtur, coquuntur, & in craticula panes, et in cineribus ferundi, aut in foci tegula, qui focacei dicunẽ, hi potius elixantur intus, extraq; torrentur. vñ probe cocti nõ sunt, & noxij euadunt. solent nr̃i pueri his fere modis pastã decoquere, cũ mulieres panes cõficiunt, & mulieres ipsæ eodẽ modo placẽtulas quasdã coquere consueuerunt, superiores partes exustas habent, intimas uero crudas, hiq; iam dicti nulla re tegũtur. nam & subcinericij panes extitere. & nunc extant, qui tecti cineribus assantur, cuius generis illud fuit, quod Angelus Heliæ porrexit. Galeno placet hos panes à cineribus aliquid noxij cõtraxisse. vnde & praui sunt. Nullum igitur est panis genus, quod possit vere ptisanæ comparari. Nam & si secũdarius, atq; pityrias. i. furfureus abstergere videantur, potius deinceps exiccant qu m humectent, ut ptisana ob prædictas dotes omni genere panis præstantior sit, quanquam elotus illi quodãmodo conferri possit. De pane iam finem fecissemus, nisi Cato in libro de re rustica occurrisset, qui panis depstici mentionem facit, forte hoc nomine dicti, quia ex farina in mortario conficiebatur, vel forte est is panis, de quo Hippocrates in libro de alimẽtis, qui prius lauatur antequã sit panis. Sed priusq; manus extrema huic rei imponatur, forte petes modũ lauandi panes, cũ apud antiquos certus non habeatur lauandi modus. Hippoc. in lib. de alimentis primo, uel quisqs sit illius libri antiquus author, panẽ lauare videẽ anteq̃ sit panis, cũ inquit triticũ homo molit, cribrat, lauat, coquit, vtitur. vides ex hoc ordine, antequam sit panis, lauasse. At Galenus primo de alimentorum facultatibus postea quã de pane locutus est, de loto pane agit, quo ostenditur panem iam esse, quando lauatur. Nos hoc modo lauamus, accepto panis molle in fonte aquã demittimus, per horęq; spatium sinimus, postea exprimimus, & aquam immutamus, idq; fit quater, aut quinquies, deinceps vel ex seminum peponũ ex-

presso, vel ex iure coquimus. At cum aquæ misceantur partes tenuiores, & substantia crassa potius in vnum conglobetur, videbuntur partes aereæ, & tenues potius abire. propterea in hoc pane iubeo semper vt per cribrũ setaceum, vel per lineum excoletur, vt paruis foraminibus sincerum eliquetur, & quod aereum est, et tenue, crassum vero ejciatur, ex hac lotione partes fermenti à pane auferũtur, quæ et calidiores sunt, & putredinẽ irritantes, vnde in acutis febribus conuenire non videntur. Est vnus Galeni locus, qui ostendere videtur antiquos panem non lauasse, vt à nobis relatum est, quippe in primo de aliment. facult. libro panem elotum Galenus inquit, ut suber supernatare. propterea integer erat hic panis & elotus, forte lotio illa talis erat, qualis in pane à nobis biscocto nuncupato, qui aqua abluitur cum coctus est, et iterum coquitur, hic panis leuior existit, & diu perdurare potest à situ liber. nauticus panis vocatur. tamen hic biscoctus panis & nauticus multum nutrit. Elotus vero antiquorũ parum nutrit, si Paulo credamus lib. 1. cap. 78. vbi inquit de pane agẽs. Amylus hoc est ex amyla farina factus minimi alimenti est, non aliter, quàm qui lotus in cibo ministratur, vt lotus panis minimi sit nutrimẽti, propterea cõuenit & pleuritidi, & morbis acutis, hocq; illi præstat coctura, tamen magis nutrire ptisana non dubitamus. Forte is est panis lotus, de quo Trallianus libro primo, capite. 13. vbi ponit hemicraneæ bile orientis curationem, & inquit principem bonitatis locũ obtinet panis aqua calida maceratus ante quæcunq; alia remedia oblatus. Credendum est aqua macerasse, vt calidæ partes si quæ in pane essent ex sale & fermẽto abluerentur. Decipiuntur præterea qui panem aquaticum, elotum panem esse voluerunt, nam is panis, qui vulgo apud nos dicitur boffetto, est aquaticus panis & parthicus apud Plinium libro. 19. capite. 11. quoniam (inquit) aqua trahitur à tenui & spõgiosa inanitate. Ferrariæ Carthusienses religiosi hũc aquaticum panem supra omnes (vt ad ganeam prõpti sunt) optime parãt. Hæc de loto pane, vt ex antiquis colligi potest.

De Ouis.

De ouis autem non paucæ ambiguitates occurrunt, vt an in acutis febribus conueniant, an incidant ptisanæ more, an humectent. Verum hæc pertractare difficile admodum videtur, nisi oui naturam prius considerauerimus, quoniam si calida sint & humida, habeantq; annexam quandam frigiditatẽ, incident, abstergent, nutrient, & humefacient. Si frigida sint & humida, nonnihilq; calida, idem efficere cõstat. propterea de primis ouorum qualitatibus in præsentiarum differemus, cum in nostris aphorismorum Hippocratis commentarijs de ouorum substantia, differentia, modo cocturæ, & similibus alijs abũde egerimus. Solas igitur nunc ouorum qualitates inuenire tentabimus, idq; exordium sit.

Ouum ex quatuor constare partibus nulli dubium est, pelliculis, testa, albumine, & vitello. Natura sagax in rebus conficiendis, ne durum molle immediate tangat, media quædam inuenit, vt in homine ne caluaria prædura, cerebri substantiã mollissimam tangeret, duas pelliculas interposuit, vnam molliorem, alteram duriorem, eodẽ pacto in ouo ne pars mollis præduram hoc est testam immediate tangeret, pelliculam interposuit mediam, quæ durior esset tenella parte, & mollior testa. Hanc pelliculam esse frigidæ & humidæ temperiei, vt sunt & in humano corpore similes pelliculæ nemini dubium esse arbitror. Testam quoq;, medicorum vulgus frigidam & siccã esse cum antiquis fatetur, & eius vsum in re medica esse Galenus in calce tertij libri de compositione medicamentorum secundum locos ostendit, vbi Asclepiadis pharmaca refert, ad sanguinis narium eruptiones, ex ouorum putaminibus compositionem quandam parat, & omnes penè veterinarij, ouorũ testis vtuntur adstringere volentes.

Totum uero ouum, vt à Galeno in. 11. de simplicium medic. facultatibus edocemur, ad generis successionẽ perpetuitatẽq; factum est, quãuis & tanq̃ nutrimentum, & tanq̃ medicamentum vtile sit. Additq; oua non esse animaliũ partes, sicuti nec fructus plantarum, nec grauidarum fœtus, sed his rebus quandam, proportionem habent, quæ adnascuntur, vti viscus, aut agaricus quercubus, aut fungi arboribus. hæc uero à nobis spõte omittenda, & ad alias ouorum partes transeundum, vt earũ qualitates ingrendo inueniamus, ab albumine initiũ sumẽtes.

Albumen oui quod & Columella album liquorem vocauit, & Palladius oui alborem, apud medicos dubitationem fecit. An frigidum esset, an calidum quæ dubitatio multorũ exagitauit mentes, cum in summis viris hac in re sint oppositiones expressæ. De albumine igit̃ locuturi primo argumenta illa in medium adducemus, quibus frigidũ esse probari potest.

Primo Galenus prope calcem. 13. methodi medendi libri antiquos laudat, qui in lippitudine, oui albumine vsi sunt, quod nihil mordet, & aliquid habet glutinosi, in huius uero morbi curatione frigida exiguntur, ex quo igitur albumen frigidum esse iudicauit. nam ipse hac via percipiendas esse rerum qualitates in libris de simpl. medic. facult. ostendit, res ipsas ad corporis affectiones applicantes. Præterea idem Galenus. 11. de simpl. medicamẽ. facult. inquit, Albumen ad ambustiones valere si supponatur. at non valeret, nisi frigidum esset. Additq; temperatura esse frigidius symmetro, et deinceps mediocriter refrigerare dicit, & citra morsum exiccare, eoq; ad lippitudines eodem loco vtitur, quia non mordicat.

Paulus quoq; libro septimo capite. 3. eadẽ ferè sentit cũ Galeno, minime inq; mordicare, & temperatura esse moderate frigidius symmetro, et ad lippitudines ualere, medicamẽtisq; misceri sanguinis profluuium supprimentibus.

Adde Alexandrum Trallianum libro primo cap. 24. dũ præsidia refert, quibus aurium doloribus ex æstu opitulamur, inquit in mediocri ardore dolorem excitãte oui albugo colliquata, & auri dolenti perinde vt dixerat de oculis, tepida pedetentim instillata præsentaneo est remedio. quibus ostẽditur, esse quidem frigidum, sed parum citra mediocritatem.

Neq; id prætermittendum, id frigidum videri quod coctionem impedit, & ipsum met ægre concoquitur, tale est oui albumen, vt Galenus prope finẽ duodecimi Methodi medendi testatur, vbi his opem fert, qui ex nimium tenuibus succis syncope vrgentur, iubet his danda esse oua, sed præcipue eorum vitellum, quia album ægre concoquitur.

Quin & Dioscorides lib. secundo cap. 44. inquit, Quod vero candidum in ouo est, crudum refrigerat, glutinat, & oculorum inflãmationes admotũ lenit, in ambustis excitari pustulas prohibet, si q̃ primum eo inungantur, & demũ multos refert calidos morbos, quibus confert albumen, quo facile deprehendiẽ illud frigidum existimasse, & forte magis supra mediocritatem q̃ putarit Galenus.

Adde insipida omnia, frigida existimari, quippe hic sapor, vel saporis defectus, nunq̃ inest rebus caliditate aliqua prædictis, albumen vero oui insipidum esse quisque, qui experiatur, si sensum habet, iudicabit.

Auicenna, qui & si barbarus sit, tamẽ in rebus naturalibus plurimũ pollet, in secundo canone capite tertio, vbi de cognitione agit virtutũ medicinarum singulariũ per ratiocinationẽ inquit colores albi in corporibus congelatis in quibus est humiditas, non sunt nisi in substantia frigida, nam frigus albificat substantiam humidam. tale albumen est, igitur & frigidum esse constabit, imo tam vehementer congelatur, vt si oui albumen, viuæ calci misceatur tã tenax gluten efficitur, vt vitra simul nectere possit, & fragmenta inhærent ac continentur. At quispiam ex opposito, illa potius calida eẽ probabit, quæ alba sunt cõgelata quoniam in his est lucis natura, quæ cũ alicui inest, in eo caloris naturam esse oportet, quippe calor & lux iuncta sunt. Forte respondendum, in re congelata & non congelata lucẽ semper adesse, eo autem differt quòd in re nõ congelata quæ diaphana sit, lux adest non terminata, cum vero congelatur terminatur, scito autẽ frigus congelans plus facere ad frigidã tẽperaturam inducendã, q̃ lux terminata ad calidã tẽperiẽ, et hoc frigidũ esse in re alba quæ cõdensari põt multo uehemẽtius est, q̃ sit calidũ, quod à luce terminata habeẽ. ppea etsi oui albumen lucẽ hẽat, plus habet frigoris, q̃ hæc lux illi tribuat caloris, imo gñe dici posset,

posset, lucem minus calidam esse posse, q̃ tenebra, quæ ignea sit & fumosa, vt manifeste depræhendi potest in flãma à palea excitata, & in igne qui fit in ferro, vel in chalybe, is enim qui in ferro est ignis calidior est luce illa quæ in flamma paleę visitur calor enim & frigus agentium naturalium instrumẽta sunt, per quæ res albæ vel nigræ, vel aliis imbutę coloribus efficiuntur. hæc agentia calidum .s. & frigidum secundas has qualitates in composita inducunt, vnde omnia quæ ita composita sunt, vt liquida sint, & à frigido condensari possint, frigida esse cõstãt, præsertim cum sunt humida, qualia sunt ouorũ albumina, quę ob hoc frigida esse censenda sunt, quanq̃ Aristoteles albumen ipsum non condensari voluerit. tu an verum sit, experitore.

Deniq; cœlum à ueteribus ouum nuncupatum est, & mundus ipse ouum, in quo calida sint frigidis mista, vt à nonnullis hic ordo cõstituitur, vitellus caliditati proportionatus est albumẽ frigiditati, oui testa siccitati, pars albuminis tenuior circa vitellum, aeris humiditati, itaq; in toto ouo totus reperitur mũdus. hæc vero pars quæ albumen nũcupatur, frigiditati semper proportionatur, hæcq; à nõnullis referũtur, ac si in Aristotelis problematibus scripta sint, nobis vero in problematibus hæc inuenire nunq̃ licuit. at problemata q̃dam Aristoteli ascripta circũferũtur, in quibus hæc cõtinẽtur. quicquid tamẽ sit publicus hominum consensus albumen oui frigidum esse fatetur.

Non defuere authores, qui oui albumen calidum esse defenderint: neq; desunt ad hoc probandum rõnes & proborum virorum sententiæ. rationes hæ erunt, Quę vim habent attrahendi & cõmutandi, calida necessario esse oportet, nam calidi proprium est attrahere, frigidi repellere, calidumq; vim habet cõmutandi, qua caret frigidum. At oui albumen vim habet commutandi & attrahendi, quippe albumen in se oui luteum trahit, & in pulli nutrimentum conuertit. propterea à nõnullis coagulo comparatur, quod in lac agit, ex quibus inferri licet, oui albumen esse calidum.

Præterea animalis principium esse nõ potest, nisi in re calida, nam vita atq; anima calido fouentur, neq; absq; calido inueniri possunt, quippe per calidum & anima ipsa, & ipsa vita corporibus insunt, verũtamen oui albumen vitæ principium esse constat, quia spermati assimilatur, & ex eo gignitur pullus. ppterea & albumen calidum esse nemo dubitet.

Adde animalia illa esse frigidiora, in quorum ouis vitelli quantitas albumen superat, quod manifeste ostendit albumen esse calidum, & non solum calidum, sed & vitello calidius, alioqui animalia quæ in ouis magnam habent vitelli partẽ, essent calidiora, si vitellus fuisset albumine calidior. Alia vero essent frigidiora, in quibus albumen vitellum superaret, cuius tamẽ oppositum experientia ostendit, nam aues quæ in paludibus degunt, frigidæ existimantur & humidę, ut Aristoteles primo capite tertij libri de generatione animalium fatetur, tamen harũ auium oua, in duplo ferè uitellum habent maiorem, q̃ auium in terra degentiũ Aristotele præscripto loco teste, idq; ab Alberto primo cap. primi tractatus sexti libri de animalibus ostẽditur. Opus igitur est aues illas ob albuminis defectum, & uitelli copiam frigidas esse.

Quarto, cum oua generari incipiunt, album atq; luteũ simul iuncta inueniuntur, Aristotele pręcitato loco, atq; Alberto referentibus. At albumen vndiq; & circulariter à luteo separat, idq; ex quadam fit efferuescentia. propterea albumen hoc calidum esse oportet, cum in medio luteum deferat veluti terrestre, & albumen ipsum segregatur & eleuatur ab eo, idq; fieri non potest nisi per calidum, et nisi id quod hoc facit. calidũ sit, probatq; Aristoteles loco præcitato, album ambire luteum, exemplo fracti oui & in sartaginem deiecti, nam albumen uitellum circundat, & vitellus tanquam terreum quoddam ab albumine ambitur.

Adde albumen ab Aristotele semini comparari, semen vero calidum est, igitur & albumen calidum esse oportebit. quanquam una sit hic magna & non contemnenda inter Hippocratem & Aristotelem contradictio, nam Aristoteles censet, albumen esse veluti semen, et animal ex ipso generari tertio de generatione animalium libro capitibus primo atq; secundo, vitellum vero esse cibum. Hippocrates è cõtrario censet, in fine libelli de pueri natura, cum inquit, pullus itaq; gallinaceus de oui luteo procreatur, candido autẽ & albo nutritur & crescit. Plin. Aristotelẽ, secutus est ex albumine fieri pullum, & uitello nutriri. tamen & multi antiquiores Hippocratis sententiam sectati sunt, si Aristoteli tertio de generatione animaliũ cap. 2. aures præstabimus, inquit, Sed contra quàm homines putant, & Alcmæon Crotoniates ait, non enim albumen oui hic est, ex quo. s. fiat pullus, sed uitellum, hoc enim pullis pro cibo est, illi albumen pro cibo esse existimant, propter coloris affinitatem. hæc est inquam maxima contradictio, in qua potius ab antiquo magistro Hippocrate, quàm ab ipsa veritate dissentire voluerim, nam paruis pullis apertis semper in medio eorum vitellus nondũ transmutatus procul dubio apparet, albumẽ uero abest in mẽbra extensum. & de Hippocrate miror, qui hoc patere scriptũ reliquerit, cum oppositũ oculata pateat fide, imo mirãdũ magis de Hippocrate, qui modũ edocet, quo facile deprehẽdere possimus, q̃do animalia in ouis lateãt, uiginti acceptis ouis, & gallinæ suppositis, secundaq; die unum ex his ouis aperire, & tertia die aliud, & quarta aliud, quoad vigesimũ aperiamus, i quo pullus latitabit viuus, & iam ad exitum aptus, quod experimẽtũ bis fecimus. forte Hippocrates luteum proprie non intelligit, sed vltimam vitelli partẽ albumini propinquam, quę simul fiat pullus. tamen ne quicq̃ dissimulemus tam expresse id dicit Hippocrates, vt ab illo sponte dissentire iubeat, & Aristoteli in hac re tam vera, tamq; sensu manifesta inhęrere. albumen igitur id est, quod in animal transit. ppterea & calidum esse oportebit. Sed inquies & Aristotelem hac in re videri sibi dissidentẽ, & cum Hippocrate sentire, decima problematũ sectione, problemate sexagesimo, vbi petit, Cur monstra paruæ quadrupedes pariunt, homo autem, grandesq; animantes omnes minus, vt equi & asini. Respondet, an quod paruæ, vt canes, sues, capræ, oues longe sunt fœcundiores, q̃ grandes, illarum enim aliæ omnino singulos pariunt, aliæ magna ex parte. Monstra aũt tum confici solent, cũ plura semina inter se cohęrescunt, cõfundũturq;, vel cum prodeunt ex mare vel cum se in fœmina permiscentur, unde aues etiam monstra edere possunt, oua nanq; uitello pariunt geminato, monstrum autem ex geminatis illis consistit, quorum vitelli nulla intereiecta membrana distinguuntur. Ex his uerbis facile colligi põt, Aristotelem pro semine vitellum accepisse, & pullos ex uitello fieri, cum monstra ex uitellis, ut inquit, fiant, nisi dixerimus sub uitellis duo subintelligẽda albumina, quibus monstra fiãt: at cum in maiori pretio sit apud homines vitellus, quàm albumen, propterea vitelli mentionẽ fecit, & nõ albuminis. Tamẽ quicquid sit de Aristot. sententia in hac re, dicimus quę ex Aristotelis problematibus colligũtur dicta non accepta à summis viris tanq̃ probata, quia Aristoteles hoc in libro multa in vnũ congessit, & morte præuentus nõ digessit, vnde bis, ter, & quater multa referunt, & modis diuersis. libri vero de animalibus sunt opus exquisitũ, elaboratum, & comprobatum, quęq; ex illo addiscuntur, tanq̃ ex sacrario deprompta sint, recipiuntur. de problemate aũt ipso, illam oculata fide vidimus in pullis esse monstrorũ causam ex albuminũ miscella, quę diuersos continebant uitellos, & ex eodẽ ouo duo prognati pulli similitudinem habẽt, vt in prouerbiũ cessent, Ouo prognatus eodem. in cuius prouerbij explicatione Erasmus Aristotelem adducat in. 5. de generatione animaliũ, cũ in quarto sit cap. 4.

Denique Aristoteles hoc adeo expresse sentit tertio de generatione animalium capite primo, vt dissimulare non sit opus, nam relata causa cur candidum circa luteum fit. prope capitis finem inquit, Cãdida enim pars oui sua natura humida est, caloremq; animalem intra se continet, quamobrem circum ipsa discernitur, lutea & terrena intus manet.

Cum ergo tot rationes oui albumẽ calidũ esse probarint, imo & vitello calidius, vt Arist. uerba nup adducta oñdunt, ubus

addi possunt illa quæ in secundo capite tertij de animalibus libri dixerit. Inquies naturã contrariam habere & luteũ & candidum, luteũ nanq; gelu duratur, & coit, calore contra humescit, quapropter cum uel in terra, uel per incubitum concoquitur, humescit, atq; ita pro cibo animalibus nascentibus est, nec uero cum ignitur assaturq;, durescit quũ naturæ terrenæ est, ut cera. De candido mox sequitur, quod gelu non cõcrescit, sed magis humescit, ignitũ solidescit. Quãobrem cum ad generationem animalium concoquitur, crassescit, ex hoc enim consistit animal luteum aũt pro cibo est, & mẽbris subinde instituẽdis, incrementum hinc administratur, propter hoc luteũ et candidum membranis inter se distinguunť, quasi naturã habeant diuersam. Hæc Aristoteles: quo in loco vna est maxima consideratio, quoniã inquit uitellum quũ ignitur vel assatur, nõ durescere, quia est naturæ terrenæ ut cera, imo experientia ostendit, cũ uitellus ignitur, durescere, & oppositũ ceræ facere, imo & ualde durescere, tu hac de re experimentũ sumere potes, si igni & solum uitellũ, & cũ toto ouo apposueris. Dubiumq; videtur esse terrenæ naturæ vt cera, nam ex quarto Meteororũ, sectione. 15. quæcũq; à frigido incrassantur, terrea sunt, forte intelligit cito ab igne liquefieri, deinceps processu tẽporis necesse est coagulari, & cõstringi uitellum. An uero terrena sint quæ frigido incrassantur, vel aquea, tu considera, sat nobis est in his te attentum fecisse.

De hac autem re exquisite loqui uolentes, cum de albuminis qualitate sermo sit, & interim fiat ad luteum cõparatio, ab re non erit, priusq; de albumine sententiã feramus, de uitello disputare an sit calidæ, an frigidæ temperiei, & an calidior, an frigidior albumine. Primo itaq; uitellũ calidũ esse probabimus. Scito aũt & luteum oui, & uitellũ nuncupari, & à Græcis non nunquã lecython, nonnunq; chryson dici, Hippocrates uno in loco chloron vocauit. Calidum esse id testimoniũ erit, Galenũ in. 13. Method. vbi de his agit, q ex nimis tenuibus succis syncope vrgentur, iubet danda esse oua, & præcipue eorũ uitellos, non aũt albumen, quia ægre cõcoquitur, ex his inferri põt, vitellum probe concoqui. Igitur erit calidus, uel saltem albumine calidior, alioqui & ipsum non probe concoqueretur.

Præterea calida sapida esse iudicanť, & insipida frigida, vitelli uero sapidi sunt, insipida albumina, uitelli igitur calidi, uel albuminibus saltẽ calidiores. Et si dicas nõ esse sapidũ uitellum nisi sale condiatur, id saltẽ habemus esse dulce, & dulcia cẽsentur calida, quia probe cocta, imo si nutrimẽti modũ cõsideremus, vitellus in humanũ uertitur nutrimentũ, albumen vero minime. propterea & uitellus calidus censendus est, & præsertim supra albumen. Adde rubrũ colorem uel luteũ ex coctione factum, non posse esse nisi in re calida, cum uitello hic insit color, non poterit dici nisi calidus. Albumẽ uero colorem habet, qui frigiditatem potius notare uidetur.

Adde generationis principium esse calidum, tale est uitellus, Hippocrate in libro de puerorum natura teste, vbi inquit animalia fieri ex vitello, nutririq; albumine, idq; visus est sensisse Aristoteles. 10. problematum, sectione, problemate. 60.

Præterea quod incidit, & humorũ lentorem in thorace maturat, calidum est, uitellus est talis Paulus lib. 7. cap. 3. teste, imo addit leuigare & placare asperitates arteriæ, & gutturis, quæ à calido & humido corriguntur. Idem Galenus sentit in. 11. de simplicium medicamentorum facultatibus libro.

Præter hæc, id calidum est, uel alio saltem calidius, quod facilius in sanguinẽ mutatur, q; id quod difficulter. At oui luteum in sanguinem facilius mutatur, vt experiẽtia ostendit, albumen minime, vitellus igiť calidus est, vel saltem albumine calidior.

Deniq; omnes in hoc conueniunt vitellum esse callidum, paucissimis tantum repugnãtibus, & his profecto deridendis, neq; inter viros summe spei numerandis.

Ex altera parte rationes non desunt vitellum frigidum esse probantes, & albemine frigidiorem, quoniam ex albumine fœtus conficitur, et luteo nutritur, vt Aristoteli placet, albumen igitur calidius est, & luteum frigidius, cum in albumine sint viţ principia, quæ à vitello absunt.

Præterea id frigidũ censendũ est, q calidos sanat morbos, vitellus aũt calidos sanat morbos, quia utilis est ad cõdilomata et ad sedis inflãmatiões, vt Dioscorides inqt, quũ sunt calidi morbi. Adde calida nõ adstringere, sed aperire, adstringit vero vitellus, si Dioscoridi credamus dicenti, estur cum rhu obsoniorum, aut galla frixum ad sistendã aluum, & ne fugias inquiens id efficere ratione rhu vel gallæ, stat in addit, potest idem per se etiã sumptum, imo & Galenus ipse ouo vtitur ad inflammationes, & Paulus libro septimo capite tertio inquit esse eiusdem potentiæ cum albumine. propterea inseritur remedijs inflammationẽ extinguẽtibus, additq; fluxiones ventris desiccare, & Trallianus libro secundo capite quinto de hæmaptoicorum nutrimentis agens inquit quandam moderatã constipandi facultatẽ habere oportere, talia vero sunt frigida, verũ præ cæteris edulijs ouorum lutea omnibus præfert, & Galenus. 11. de simpliciũ medicamẽtorum facultatibus inquit vitellũ esse adsimilis naturæ cum albumine, additq; misceri cataplasmatibus phlegmonem extinguentibus, quod nec tam constanter assereret, nec eo vteretur, nisi frigidum esse putasset.

Insuper si vitellus esset calidus, animalia illa in quorũ ouis maior continetur vitelli pars q; albuminis illis essent calidiora in quorũ ouis aut non est in his partibus differẽtia, aut albumẽ vitellũ superat, hæc conuenire videtur, quoniam multa calidi nutrimenti copia, saltẽ adest, opositũ vero contingit, nã animalia sunt frigidiora, quę plus hñt luteæ partis ut sunt palustres aues in quarũ ouis lutea pars dupla ferè est ad albumẽ, ex hoc igitur indicium sumi potest, vitellum esse frigidum.

Deniq; Aristoteles in tertio de generatione animaliũ expresse fatetur vitellũ esse frigidũ, & terreę naturę, & crassum, ex quo nutritur animal iam factum ex albumine calido, vitellũ igitur frigidum esse constat, nam album semini assimilat, vitellũ sanguini. semen vero calidius sanguine esse nemo dubitat, idẽ prætera sentit in secũdo capite sexti libri de animalium natura, hęc sunt quę vitellum frigidum esse probare possunt.

Nunc quid authores hac in re sentiant prosequamur. nonnulli putarunt Aristotelem sensisse album oui calidius esse, quod est in parte acuta oui, quoniã (vt eorũ verbis vtar) ibi adest galli caput, per galli vero caput, semẽ intelligũt, quod est animalis principiũ cuius ratione in illa parte calidius est, q; sit vitellus, & non in alijs partibus, horum sententia aberrare videtur, nam cum de hac parte in qua est galli semen loquantur (semen vero est semper circa acumen, quia illi parti inhæret materia, & foramen habet) aut semẽ accipiunt cũ parte, aut partẽ solũ absq; semine, si semen cũ parte intelligãt, tunc de solo albumine sermo non est, neq; id ad rẽ facit, si albumen tantũ accipiãt, sicuti hæc pars esset vitello calidior, ita q̃libet alia p̃s esset eodẽ calidior.

Alij dicunt duplicem esse caliditatẽ vnã actu, alterã potestate, caliditate actu, albũ uitello calidius est: at caliditate potestate, vitellus est albumine calidior.

Neq; probe rationẽ reddunt, quoniã vt actus ad actũ se habet ita potentia ad potentiam, quæ est ad actum vlteriorem.

At si uitellus sit potentia calidior quũ in actum nutriendi deducetur, adhuc in actu calidior erit, vt in hoc exẽplo, Phasianus, lepore calidior est, si mortua sint, et in potentia, phasiani nutrimentũ leporis nutrimento calidius est, imo lepore calidius est in actu adhuc calido & viuente.

Alij duplicem esse inquiũt caliditatem, unam uiuificã, aeream aquositati cõmistam, delectabilem, suauẽ cœlesti virtuti generatiuæ mistam, dicunt vero oui albumen hac caliditate esse calidum, & secundum ipsam esse uitello calidius, & hoc est qđ Aristoteles censuit, quũ in tertio de animaliũ generatione albumen esse calidũ scriptum reliquit. Alia uero est caliditas crassa, obtusa, ignea nõ delectabilis, terreno subiecto immista, cõsumptiua, quæ nihil in se, uel parũ cœlestis habet caloris, hæc est uitelli caliditas secundũ quã albumine calidior censendus est, hocq; utũtur exẽplo, albuminis calorẽ similẽ esse calori i liquore ipresso, uitelli ãt calorẽ calori i lapidẽ impresso assimilari.

Tamen

Tamen neq; hi nobis satisfacere possunt, cum nerui, ossa, chartilagines, & reliqua membra, quæ seminalia nuncupantur, ex albumine fiant, nullus vero est qui dissentiat illa membra esse frigida. at percipere non possum quomodo ex calida materia frigida membra resultent. Forte dicent calorem illum vtpote aereum, & quodāmodo coelestem exhalare, ut membra quę gignuntur, frigida sint.

Id vero absurdum videtur, quoniam hic calor exhalare non potest, quin ouum apertum sit, cū testa solidissima cōtineatur. at cum testa aperitur, iam in hæc membra transmutatum est, vnde hic calor exhalare non potest, igitur vel dicendum membra seminalia esse calida, quod absurdum est, vel albumen, ex quo fiunt, esse frigidum, nisi cauillari velimus caliditatē illam aereā per testæ porositates, et īsensibiles meatus exire, à calore glocientis gallinæ allectam.

Nos vero ambiguitatem istam expedire volentes, simpliciter dicimus albumen esse frigidum & calidum vitellum, quod duplici via probari potest. Primo regia illa Galeni via, qua et ipse acetum in primo de simplicium medicamētorum facultatibus frigidum esse probans, contra Alexandrum vsus est, via aūt regia ex sensu ad rerum cognitionem progredi iubet, quippe experientia ostendit, si oui albumē inflāmationi applicemus, prodesse, quod aliam ob causam fieri non potest, q̄ quia frigidum albumen. Adde quotidiana percipi experiētia ex oui albumine sanguinem à vulnere, vel ab alio loco profluentē firmari, atq; repelli, quæ actiones non nisi à frigidis fieri constat. Adde erysipelā ex albi ouo imposito extingui, hæc est via, qua Galenus simplicium qualitates probauit in libro simplicium, per hanc eādem viam vitellum esse calidum probari nihil impedit, quia inter sedantia dolorem, & anodyna numeratur, anodyna vero ab omnibus calida censentur, licet non sit intensa caliditas. Et si dicas Galenū atq; Dioscoridē ad inflāmationes uitello uti, imo de toto ouo in. 11. de simplicium medicamentorū facult. Galenus dicit. & cum vitello conuenire inflammationibus, & albumen solum sine vitello cum rosaceo. Ob hęc notare oportet, inflammationē esse tumorem durum & dolentem, & Hippocrates in secundo prognosticorū inflammationem vocauit oedema durum dolens, neq; uocat phlegmone. cum uero Hippocrates utitur vocabulo isto inflāmatio id intelligit, ac si de phlogosi. i. ardore loquatur, ad quē ardorē neq; Galenus neq; alij vitellum oui apponerent, sed solis frigidis vterentur, verū in inflāmatione, quæ est tumor calidus dolens durus, opus est & mentem habere ad calorem, & ad dolorem, et ad duritiem, pro calore oleum rosaceum, vel oui albumen, vel utrūque simul apponitur, pro dolore, & duritie oui luteo vti possumus. nam ex caliditate temperata anodynum est, & dolorem sedare potest, neq; tanta est caliditas, quæ locum supercalefacere possit, postq; ex quadam humiditate duritiem emollire. ob id igitur ualet ad pręscripta, quia ferè temperate calidum est, atq; humidum. Calidum vero esse ostendit facilitas conuertendi in sanguinem, quā habet, & pro maiori eius parte. Constat enim omnes ferè oui uitellum in nutrimentū cito conuertere, & pro maiori parte, quod [illegible] ab Hippocrate & Galeno in aphorismis dicebatur. Dixi autem ferè, quoniam nōnulli reperiunt, qui oua coquere non possunt, neque gallorum testes, neq; gallinarum iecuscula, qui tamen bubulas carnes & suillas egregie coquunt, quorum vnus erat Illustriss. Alphonsus Dux Ferrariæ tertius, Galenus in. 2. de aliment. facult. libro, vbi de cucumeribus agit, iudicat hoc ex ignea quadam caliditate proueniere, quæ cum in oua agere incipit, & in illa, quæ sunt facilioris coctionis, statim ea accendit, & corrumpit. Illud vero in his quæ difficulter coquuntur facere non potest. Idem & Aristoteles in problematibus sensit, & Alexander in primo problematum libro. problemate. 50. quærit quam ob cām plerīq; cibos crassos atq; difficiles concoquere facilius possunt, vt carnes bubulas, faciles & succi compotes laudabilis ægre concoquant, ut pisces saxatiles. Rationem alij ad consuetudinem referunt, alij ad habitum quendam naturalem ingenio humano inexplicabilem, alij uentris calore immodico cibos cōcoctu faciles vltra modū pro sua facilitate concoqui, itaq; perfrigi corrumpiq; censent. Difficile vero & qd̄ modice immutatur, concoqui tantum, nō propterea quicq; viciari, nam & paleæ quoniam perquàm facile afficiuntur, in cinerem uertūtur ab ignē largo, & rapido, quod ligno querno accidere non pōt. Ad rem uero redeuntes, uitellum calidum esse inferre oportet, sed cum temperie quadam.

Est alia ex pulli generatione & nutritione probādi uia, qua facile infertur & albumē frigidum esse, & uitellum calidū. Nam in pulli generatione, vt cuilibet videre licebit albumen extenditur, & pars crassior ossa euadit, aliæ minus crassæ partes, nerui efficiuntur, tendines, ligamenta, & chartilagines, & in summa ex ipso fit corporis textura, quæ nondum plena est, nisi carne impleatur, quæ caro ex vitello fit, prius in sanguinē transmutato, deinde in carnem. At nullus est author fidedignus, qui non fateatur partes ex albumine confectas frigidas esse, ex vitello uero cum sint sanguis & caro, calida, igitur & illa ex quibus fiunt, easdem qualitates habere opus est. propterea inferendum est, & vitellum esse calidum, & albumen frigidum.

Reliquum est vt huic ambiguitati finem faciamus, argumenta omnia soluere, & quæ albumen calidum esse probabant, & quæ frigidum vitellum.

Ad primum, quo probatum fuit albumen esse calidū, Respondemus non esse albumen, quod uitellū ad se attrahat, ut foetus nutriaŧ, neq; albumen quicq; cōmutat, sed est semē in albumine contentū, & in tali parte ut iuxta uitellū sit, quippe in illa seminali parte, quæ à gallo decisa est, vis quædā generatiua inest, & formatiua, & ad hoc proportionata caliditas, per quā & in albumē pulli forma introduciŧ, & uitellus ad nutriēdū an̄ trahitur, in carnēq; mutatur. Id vero ab albumine non fit, sed ab eo, qd̄ à recentibus diciŧ galli caput. i. à galli semine in ouo contento, quod si absit, nihil gigni poterit. Albertus in. 6. de animalium libro eius generis oua, quæ nihil seminis hn̄t, oua uenti nuncupat, & mulieres nostræ oua vana, nec opus est albumen proportionari coagulo in lac agenti, hoc enim semini galli competit et non albumini.

Ad scd̄m, albumen materiale est vitæ principiū, qd̄ frigidum esse pōt, neq; est principiū vitæ, sed est galli semē, qd̄ pfecto calidum est, & animam de materiæ potentia in actum ducit.

Ad tertium, si animalia ex uitellis materialiter fierēt. Illa procul dubio essent calidiora, quæ plus haberent uitelli, sed materialiter ex albumine fiunt, & ex uitello tanq; nutriente, vn̄ & si uitelli sint calidiores, & pro maiori parte, non sequitur ea animalia necessario debere esse calidiora. Adde et uitellos in palustrium animaliū ouis esse minus calidos, q̄ in alijs. propterea & ex albumine, & ex vitello frigiditatē nanciscunŧ, quippe in auium genere aliqua habent oua magis frigida alijs, sicuti & ipsa integra ac uiua animalia, alijs sunt frigidiora.

Ad quartum qn̄ album à vitello segregaŧ, id non fit à calore qui sit in albo, sed à gallinæ calore ita disponente, & ita secundum naturę cursum dirigente, ut uitellus qui est nutrimentum ex quo caro fieri debet, in medio seruetur, & quod hoc caloris gallinæ opus fuerit, & non ipsius albuminis, quod efferueat, & sequestret, ex hoc manifestum est, quia oui putamen longius à centro est, q̄ alia quæ ad ouum spectant, tamen nullus ambigit putamen frigidum esse & siccum, quod vero in gyrum vitellus circūdetur, idest à calore gallinæ, ita statuente natura, vt uitellus in medio sit, qui possit vndiq; oēs pulli partes nutrire, & non unam prius alia, & cauitates inter neruos, venas & arterias carne implere possit. Cum vero in sartagine albumen circa vitellum coagulatur, est ob efferuescentem sartaginis caliditatem, & olei ebullientis, nam albumen suum sentiens contrarium in seipsum sese contrahit vt illud fugiat, vnde in globum reducitur, & luteum ambit, ut fit quando aquæ gutta supra rem calidam aut siccam decidit, in seipsam se conuoluit, et veluti in rotundam pilulā conformatur, quo argumento multi probarunt aquæ rotunditatem.

Ad quintum si intelligat albumen vti semen esse, in quo sit vis formatiua, mẽtitur Aristoteles, cū vis formatiua in illa sit parte quæ à gallo deciditur, quæ semen galli est, hæcq; est pars calida, & quamuis albumen in animal vertatur, in illas vertitur partes quæ seminales vocantur, & frigidæ sunt deinceps sanguis, caro, & partes calidæ ex vitello fiunt, & est vis formatiua in semine galli contenta, quæ agit, reperitur vero in oui acumine id semen. Forte dices absurdum videri, galli semen in acumine oui insidere, nam cum id sit agens, quod vim formatiuum habet, in medio potius esse deberet, vt vndiq; vim suam ouo æqualiter daret, imo est philosophi sententia semen, & quodcunq; est generationis principium medium locum obtinere oportere, igitur huius seminis proprius locus medium esse debebat, & non acumen. Respondent nonnulli simile non esse de alijs animantibus & de pullis, nā alia in matrice generantur, quæ in matre continetur, sed in ouis mater situatur in matrice, nam lutea pars mater existimatur, quæ intra pelliculam tenuem situatur, quæ veluti matrix est. At hoc non satisfacit, nam conueniens ratio non redditur, cur non sit in medio, cum æqualiter agere debeat, hæc enim assignata matricis diuersitas non soluit cur in medio non sit. Ob hoc alij aliter censent, generationem. s. pulli non esse in albuminis extremo, sed in parte inferiori, vbi luteum pertingit albumen, vnde & Aristoteles de generatione animalium docet, fit pullus ex parte vitelli, quæ attracta est in albuminis substantiam, vnde inuenitur inter uitellum & albumen, sed neq; hoc rationem di recte soluit, quia id quod in hac generatione est agẽs, est in parte vna, & non in medio.

Nos igitur dicamus vel in medio esse, cum sit prope uitellum, vitellus uero est rotundus, at rotundum corpus quicquid tangit in medio est, vel nõ esse necessarium esse in medio, cum in illa parte esse debeat per quam in ouum ingreditur. In ouum uero per acumen ingreditur & ouum per acumen gallinæ matrici inhæret, in ipsa autem actione per totum extẽditur, quando ouum à gallinæ calore calidum effectum fuerit, & semen hoc in actum agendi deductum sit.

At cum de oui acumine mentio inciderit, temperare non possum, quin contradictionem quandam inter summos viros referam, Albertus libro. 6. de animalibus tractatu primo, capite primo, Aristotelem adduxit, qui scripserit oua longa acuti capitis mares producere, rotunda uero fœminas, hocq; videtur Alberto tam graue, vt putarit Aristotelis contextum esse deprauatum, & oppositum legi oportere, nam Auicenna dicit ex rotũdis ouis gallos gigni, ex longis gallinas, additq; se illud esse expertum, & ratio est, quia uirtutis perfectio in masculino ouo æqualiter ambit & continet extrema, & eiusdem imperfectio in fœminino, causa est cur materia longius defluit à centro, nā calor oui alteratiuus, & maturatiuus in ipso est, & fomentum quod parat auis, extrinsecum est adminiculans. vnde tota Alberti ratio in hoc sita est, quod virtutis perfectio in ouo masculino est æqualiter ambire. propterea ouum efficit rotundũ, tamen Aristoteles oppositum dicit, quàm ab Alberto referatur, quippe in. 6. lib. de natura animalium uel historia cap. 2. inquit, ἔστι δὲ τὰ μὲν μακρὰ καὶ ὀξέα τῶν ᾠῶν θήλεα, τὰ δὲ στρογγύλα, καὶ περιφέρειαν ἔχοντα κατὰ τὸ ὀξὺ, ἄῤῥενα. i. (vt Gaza refert) quę oblonga sunt oua, & fastigio cacuminata fœminam edunt, quæ autem rotundiora & parte sui acutiore obtusa orbiculum habent, marem gignunt. vt videas Albertũ non probe retulisse Aristotelem, nescimus autem quomodo cogitare potuisset deprauatum esse Aristotelis locum, nisi ob id dixerit quia penitus falsum arbitretur ex ouis oblongis fieri mares, ex rotundis fœminas. propterea ne Aristotelẽ in eo errore deserat, contextum eius emendare voluit. At non erat emendandus, cum eadem sit sententia cum illa Alberti, nisi diximus in Alberti codice praue legi, sed in his cõtradictio tantum est, uerum & in longe maioribus & antiquioribus authoribus. Nam Aristoteles summus philosophus inquit rotũda oua marem, oblonga fœminam gignere. Columella uero in re rustica expertissimus, & diligentissimus, & qui in his quæ refert, mentiri non solet, lib. 8. cap. 5. inquit. Cum deinde quis uolet quamplurimos mares excludi, longissima quæq;, & acutissima oua subijciet, & rursus cum fœminas, q̃ rotundissima. Adde & ab Horatio eandẽ cõfirmari sententiã secundo sermonũ libro Satyra. 4. cũ cecinit, Lõga quibus facies ouis erit, illa memento

Vt succi melioris, & vt magis alba rotundis,

Ponere, nãq; marem cohibent callosa vitellum,

Quanquam uideat ex vitello pullũ fieri voluisse. Quisnã horũ uera fateaẽ, ignoramus, sed ineunte æstate periculũ sumemus, tũ ad hoc vsq; tpe Columellæ parti inhærebamus. Nos uero expauefaciũt Aristotelis & Alberti authoritates. ppea nisi oculis viderim, sententiam non feram, neque ratio deest, qua probari potest acuta oua mares gignere debere, quoniam mas est fœmina longe calidior, & ex consequenti semen maris generatiuum, calidius esse debet semine generatiuo fœmellę. Quod autem calidum est, si aliquas actiones agat, ex quantum fieri potest, igni similes esse debent. ignis vero figura pyramidalis est & acuta, vt Plato in Timæo testatur, & ignes accensi ostendunt. vnde si qua figura semini calidiori conuenientior sit, est ignea figura, quæ est pyramidalis potissimũ in illa parte in qua continetur. galli uero semen in illa est acuminis parte, & ideo illam eo modo in pyramidem digessit. nec Alberti ratio te moueat, quòd æqualiter dilatare debuisset, quoniã hoc non fuit opus, sed in illa tantum parte debuit figuram inducere in qua cõtinebatur, figura uero ignis pyramidalis est, tamen quid sentiendum sit, nisi prius viderim, determinare non placet. Tamen neq; ratio à nobis facta necessario concludit, quoniam oblongum ouum in gallinę utero fit & absque gallo. Ad Alberti vero argumentum dici posset, in oblongo semen esse in medio, quia prope uitellum est, qui rotundus est.

Ad vltimum breui dici potest, Aristotelem illius fuisse sententię, nos vero in præsentiarum aliã sequimur, tamen, ne videamur velle tam prudentem philosophum sponte derelinquere, & ab eo dissentire, dicimus in pulli generatione non esse satis seminis galli calorem, qui in ouo continetur, sed indigemus & gallinæ calore, vel alio calore (nempe & ex furni calore, & fimi apud Gallos pulli nascunẽ, et apud nos si furnus ad hoc aptus pareẽ) vt semen in actum agẽdi deducatur, in quo actu cũ est actuali extensione, quantum potest extenditur, & vim suã ad omnem oui partem distribuit, itaq; ui illa formatiua quã habet, partes ad varia membra dispositas separat, ac informat, & ita pullus efficitur, si Aristoteles per albumen hoc galli semen intelligat, quod calidum sit, ab eo dissentire non est opus. At quia de albumine ipso loqui videtur, propterea dissentiẽdum esse nemo dubitabit, qui rem ipsam æqua mente perpẽderit, nam & ratio & experientia quod à nobis dictum est, ostendunt, tamen illa Aristotelis sententia in calce primi capitis tertij de generatione animalium libri, qua legitur. Cãdida enim pars oui sua natura humida est, caloremq; animalem intra se cõtinet, Intelligi posset, albumen calorem animalem in se continere .i. semẽ, in quo est animalis calor, vis inq; viuificans & vis formatiua, itaque faciat calorem esse in semine, & nõ in albumine, nam alio non inest modo illi caliditas, q̃ vt semen est in albumine, si ita intellexerit Aristoteles illi cõsentire cogimur, sin minus è cõtrario.

Nunc argumenta illa soluere aggrediemur, quæ suadebant luteam oui partem esse frigidam, & albumine frigidiorem, ad primum, & si ex albumine mẽbra fiant dicta seminalia, tamen & ex vitello fit caro, quæ seminalibus mẽbris calidior est, fitq; sanguis, & fiũt spiritus, qui sunt calidiores totius animãtis partes, neq; in albumine sunt vitæ pricipia, sed in galli semine, qđ recentes galli caput vocauere. propterea nõ sequitur, vitellum esse frigidum, & albo frigidiorem, imo cum ex ipso partes fiant calidiores, necessario calidior est albumine.

Ad secundum inficias imus vitellum sanare morbos calidos, ut calidi sunt, nam & si ad sedis inflammationes à Dioscoride adhibeatur, id fit ob duritiẽ quę concomitatur, & ob dolorem, quem mitigat, nempe ex temperata caliditate dolores sedat, &

inte

inter anodyna numeratur, ob humiditatem & mollitiem duritiei resistit, eadem ratione totum ouum ad ambusta valere inquiunt, lutea pars ob dolorem, & mollitiē apponitur, totumq; ouum absq; morsu mediocriter infrigidat.

Ad tertium non astringit vitellus nisi ratione cocturæ, quando prædurus fuerit, & solæ terreæ partes relictæ sint, sed coctus vt sorberi possit, vel ad mediocrem consistentiam coctus potius aperit, & Galeno teste .xj. de simplicium medica. facultatibus emollit & exasperationes lenit, propterea et à Dioscoride dictum est vitellum cum rhu vel galla adstringere, per se ipsum uero dilatat. At quia Dioscorides addit, q & per se idem facit, intellige ipsum prædurū accipi & tostum, vt ab eo prius dictum fuerat, in hoc enim humiditas exalauit, & solæ siccæ partes & terreæ derelictæ sunt, & q̄uis Galenus & Paulus dixerint vitellum esse similis potentiæ cum albumine hoc intellige in sedandis doloribus & inflāmationibus, & quia utrunque mordacitate caret, de hoc enim loquuntur, non autem in actiuis qualitatibus, unde eiusdem sunt potentiæ, in genere ad inflāmationem quia vtrunq; prodest, differunt uero in modo & in specie iuuandi, quia albumen inflammationis ignem extinguit, vitellus & dolorem sedat, & duritiei resistit, d'cicq; posset & vitellum inflāmationi conferre, quia respectu caloris inflammationis, vitellus est frigidus, propterea aptus est vsq; ad propriū gradum inflammationem extinguere.

Ad quartum, inter vitellos alij sunt frigidiores, alij calidiores, uitelli in palustribus auibus frigidiores sunt, q̄i in alijs, propterea & si maiorem vitelli copiam habeant, non sequitur, esse calidiores quàm aues nō palustres, verū si aliquæ terrestres aues inuenirentur, quarum vitelli essent æque remisse calidi, ut palustrium vitelli, forte palustres aues illis essent calidiores, qa maiorem vitelli copiam habent quàm prædictę. Vel istud de maiori aut minori vitelli copia caliditatem non arguit, nā tantam habent vitelli copiam, quia pluri indigent alimento, & quia in locis aquosis & valde humidis vt plurimum fouentur.

Ad Aristotelem quid aliud dicere conuenit, quàm de semine intellexisse, et nō de albumine, quod sit uitello calidius, et quāuis in vitello sint terreę partes tamen non sequitur non adesse aereas. imo & aliquæ adsunt igneę, cum vitellus in bilem facile vertatur.

Ac de seminarijs partibus ambigere posses an frigidæ sint, qa ex semine fiunt qd̄ ab omnibus calidum existimatur. Respondemus, in auibus fieri ex albumine semine agente, in nutrientibus uero fœtum in vtero secus est.

Si modo de toto ouo petas cuius sit qualitatis. Respondemus ad temperiem inclinare. imo si totum cum putamine, pelliculis, albumine, & vitello recipiatur, ad frigidum inclinat, adstringit, & repellit. At si albumen & vitellus recipiātur sola, vnum fit ex vtrisq; temperatum, quod tamen ad calidum inclinat & humidum, vnde Galenus in .xj. de simplicium medicamentorum facultatibus inquit nullam obtinere vim validam, vnde addit, oua cum nullā habeant vim validam, sunt ceu materia his quæ tales vires obtinent, & illis miscentur, quippe hæc una est apud Galenum regula. Illa quę ualidam uim nullam obtinent medicamenta, ceu materia ijs quæ tales vires obtinent misceri, quam regulam & in septimo eiusdem uoluminis libro refert, ubi de hordeo agit, eiusdemq; naturæ facit oleū & cerā. Sed inquies quomodo in acutis morbis cōuenire possunt, cum vitellus, ut communis est sententia, facile in bilem uertatur? Respondemus posse quidem dari si uires desint, uel forte præbetur quando ex nimis tenuibus succis in febre acuta syncope urgentur, propterea Galenus in .12. Methodi oua præbet, & potissimum uitellos, qui facile coquantur, non albumina, quæ difficulter tamen in acuta febre quando his indigemus, simul dentur uitellus & albumen, potissimum tenuiorem illam albuminis partem, quæ ueluti lac concrescit. imo & à mulierculis lac uocatur. Verum inquies peto an febri repugnet, ut febris est. Respondemus, tria in febre considerantur, eius essentia, causa, et symptomata. febris essentia est caliditas, quia febris in calido consistit, & si petas in quo sit ordine caliditatis acuta febris. Respondemus, cum febris sit igneus calor secundū Galenum erit in quarto ordine calida, uel saltem in tertio intenso, ne dicas tunc esse necessarium omnes febrientes mori, quia calida in .4. ordine sunt deleteria. ouum uero est uel tēperatum, vel parum calidum. quod uero est parum calidum si rei calidæ in tertio uel in quarto ordine applicetur, illud ad suam temperiem deducit. vnde oua ratione caloris febrilis frigida censenda sunt. at ratione frigiditatis in secundo, vel tertio ordine, calida dici debent. sicuti oleum rosaceum calidum dici potest, atq; frigidum ad diuersa collatum, & cum etiam febris essentia sit sicca, uel ad ipsam sequatur siccitas, & oua humida existimentur, ratione essentię febris dari poterunt, quia & febrili caliditati & siccitati opponuntur. Adde & ratione materiæ dari posse, si pituitosa sit, & potius si atrabilaris, & nota in pituitosa non dari albumen, in atrabilari et albumen & uitellum exhiberi, in biliosa uero præberi non debere, quia vitellus in bilem facile transit. Et si dicas nonne albumen præberi posset? Respondemus posse quidem ratione qualitatis, sed difficulter coquitur, et est crassi nutrimenti, ac glutinosi, ratione symptomatum exhiberi non possunt, quia augētur materia febrem faciēte aucta. Dices, cur igitur recentiores medici ouorū lutea prębent in acutis febribus, & probe succedit? Respondemus nisi re aliqua cogantur, aberrant, & si nonnulli sanentur, hi & absq; medico sanitati restituti essent, imo obsunt potius quàm prosint. Dices oua præbere ut vires seruent? Respondeo non est opus vires seruare quando constant & naturam aggrauare, & plus dare quàm conueniat, & id quod facile in materiam facientem morbum transit tamen humiditatis ratione conuenirent, & cū sint modice calida, illa potius cum opus est exhibenda sunt, q̄i alij cibi, qui forte sunt difficilioris coctionis, nam & Galenus in nono Methodi, ante diem quartū præbet oua, & carnes non ante septimum. Tamen si vires constarent, nihilq; vrgeret, ab ouis abstinendum esset, cum non pura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes, nec opus est ad summum uires seruare, quoniam Hippocrates iubet simul inducendam imbecillitatē, & sanitatem. Sunt uero optimi nutrimenti. sed inquies à me dictum esse oua humida esse, et humectare, hic uero Galenus oppositum sentire uidetur, nam de pane & chondro inquit, quod virtutem quidem roborant, sed neq; humectant, neq; incidunt mox sequitur, quod neq; alteri cuipiam inest eorum quæ medici languentibus dare cōsueuerunt. Quæ uero sint hæc enumerans inquit, oua. igitur oua neq; humectant, neq; incidunt, quomodo igitur humida esse censuisti? Respondemus uel non humectāt humiditate tali, quali ptisana humectat, uel humectāt, sed non incidunt, quod Galeno satis erat, modo alia à ptisana, in una ptisanę conditione differrent, oua uero et si humida sint, non incidunt, sed potius emolliunt, vt docet Galenus in .xj. de simpl. medica. facultatibus. Iterum ambiges, cum dictū sit oua esse optimi nutrimenti, et in sanguinem facilime conuerti, unde hoc habetur ut unus cibus facilius in sanguinem conuertatur alio, ut oua alijs edulijs? Respondemus, Galenus in secundo de alimentorum facultatibus docet rationem nutrimenti esse ut proportionē habeat, ad corpus, quod nutriri debet, et hoc vnū est ex his quæ ad hoc requiruntur ut facile vnus cibus in sanguinem uertatur. Aliud quod requiritur est ex parte substantię ipsius cibi, vt a naturali calore facile alteretur. Tertium est ex parte qualitatis, ut ipse cibus sit calidus & humidus hæc tria in ouo reperiuntur, nam proportionem habet ad corpus, & facile alteratur ac coquitur, habetq; calidam qualitatem & humidam quæ omnia egregius uino insunt, ob id uino ex his quæ nutriunt exquisitius citius ac facilius nutrimur.

De toto etiam ouo alter fortasse enascetur scrupus, quod frigidum sit & constringens, nam Celsus libro quarto, capite secundo ubi de destillatione agit atq; grauedine in horū uictus ratione inquit sumenda oua, amylum, similaq;, quæ pituitam faciunt crassiorem, oua igitur pituitam crassiorem reddunt, & eruos ex consequenti frigida et adstringentia. Respondemus id

fieri ex parte albedinis uel forte id refert ad amylum, ut intelligamus similia amylo, uel ad ipsa oua referatur quæ ob quendam lentorem mistum id faciant, neque ex hoc sequitur esse frigida, quamuis in partem aliquam frigidam habeant.

Ambiges præterea an in pleuritide oua dari possint. Respondemus nec posse nec debere, ante morbi inclinationem, nisi uirium imbecillitas urgeat, in declinatione, quando iam expuit, & egregie, si totam te frigerit ptisanam, aut elotum panẽ, oua dari poterunt. Nam si Galenus & Aetius libro octauo capite. 67. dant columbos, cur & oua dari non poterunt? eodem tempore & Trallianus dulce ouũ præbet libro secundo capite primo, & Celsus libro quarto capite sexto, & Arabes ferè omnes ac Mauritani. Petes uero si hæc oua exhibeantur qua coctura exhiberi debeant. Respondemus uel elixata, uel in cineribus cocta, sed parum cocta, ut sint uel trometa. i. tremula, uel sorbilia, uel in maiori consistentia, modo non sint dura, & per se sola cocta, & non ex garo uel caseo uel alijs similibus, ita enim facile coquuntur, et in optimum transeunt nutrimentum. Forte dices Galenum in decimooctauo aphorismo secũdi libri dicere oua elixata tarde & paulatim nutrire. Respondemus non loqui de ouis tantum elixatis, sed de ouis quo ad fuerint dura elixata, talia enim tarde & parum nutriunt, nam ut ipsemet. xj. de simplicium medicamentorum facultatibus docet, oua non paruam adipiscuntur in lixationis assationisq; differentiam. Cum uero in nostris aphorismorum Hippocratis cõmentarijs de ouorum differentijs ex propria substantia locuti essemus, & a tempore quia hæc recentia illa uetera, & à uarijs coquẽdi rationibus, ne lectorem hic tot rebus onerem, ad eum locum accedat. nos uero ad Galenum exponendum reuertemur.

Fit & à Galeno de gallorum testiculis mentio, nam & hi exhiberi solent in morbis acutis, nempe calidi sunt & humidi facilis coctionis, sed nunc simul cum his testibus, & cristas exhibent, & palearia, & renes, & pedes, propterea de his omnibus simul considerandum est, hæc non sunt exhibenda in morbis acutis, nisi ubi adfuerit necessitas, unde Galenus in. 12. Methodi his qui nimium tenuibus succis syncope urgentur, gallinaceos dat testiculos, tñ vult gallos lacte esse altos non quidẽ lacte puro, sed escis lacte maceratis uel coctis, nã hoc illud est, quod ipsemet dicebat in. 3. de alimẽt. facul. ubi de differẽtia partium agit, quæ in uolatilibus sunt animalibus, ubi de gallinaceis loquens inquit, testes horum maxime probantur, præcipue altilium, qui ipsi delicatiores sunt cũ escis seroso lacte psperſis saginati galli fuerint, nam & bonum succum ac alimoniam præstant, & facilime concoquunt, deiectionem tamen nec iuuant, nec impediunt, nã re uera nullam habent qualitatem quæ mordicet, & nullam quæ adstringat. Tamen si non habeantur testiculi gallorum lacte seroso saginatorum, illi qui haberi possunt, accipiantur, nam sunt & facilis coctionis & probi nutrimenti, quos Trallianus dat libro primo, capite. 21. comitialibus, ut in lacte & aqua sobrius aridos gallinacei testes per dies quinq; a uino usque abstinens dat, & Aetius libro secundo, capite. 247. illa enumerans quæ plurimum nutriunt, testes etiam interponit, et libro secundo, capite. 122. suillos testes damnat, arietinos, hircinos utpote concoctu difficiles & succi uirosi, uirosi odoris, tamen si probe concoquantur, plurimum afferunt alimenti. Nos de gallinaceis tantum loquimur, de quibus hæc dicit. Soli gallorum testiculi optimi prorsus ac suauissimi, utile alimentum corpori præbent, ac maxime altilium, & Paulus libro primo, capite. 85. idem sensit, primo enim uult testes omnes esse βρωμώδεις. idest, uirosos tamen de gallinaceis saginatis, dicit, quòd sunt suaues, et inculpatum corpori alimentum præstant, hi uero non dicunt esse saginatos lacte, vt Galenus facit.

Vna uero est non prætereunda dubitatio, quinam testiculi sint ad hunc nutricatum aptiores. An gallorum qui coitu utuntur, an illorum qui non utuntur, recentes quidam inquiunt illorum qui coitum exercent, cum sint magis exercitati, quàm non exercentium coitum, ob hoc uero exercitiũ aptiores fiunt ad nutritionem. At hi (me iudice) aberrãt, nam aliquæ sunt partes quæ ob exercitiũ fiunt robustiores, ut crura & alæ, aliæ, quæ magis redduntur imbecillæ ut testiculi, potissimum gallorum, qui sunt animalia salacissima, vnde iudicare oportet paruorũ gallorum testiculos nondum coeũtium esse potiores, quia cum coire incipiunt, id frequentissime agunt, & hoc manifeste ex gustu deprehẽditur, quia non coeuntium testiculi sunt molliores, & suauiores, coeũtium uero duriores, & minus suaues, possunt igitur tute exhiberi, quando opus est in febre acuta, vel in inclinatione, quando ægros restaurare incipimus, nã facile coquuntur, & bonos præstant succos, vt Galenus etiam in libello de cibis boni, & mali succi ostendit, tamen saginatos omnibus semper præfert. De cristis uero, & pale aribus in acuta febre dari posse fatemur, quando nutrimento opus est. nã ut Galenus docet tertio de alimentorum facultatibus libro. gallorum gallinaceorum cristas et palearia non est quod laudes, aut damnes, tamen ego puto quòd sint duriora concoctu, quã testiculi, potissimum extremæ suæ partes, quæ & tactu duritiem quãdam præ se ferunt, imo & dum comeduntur, nescio quid lentoris habere videntur, imo re uera aliquid habent lentoris, extremæ vero partes, nisi tenellæ sint à nobis abijciuntur.

De renibus Galenus in libello de cibis boni & mali succi, inquit esse non boni succi renes gallinaceis exceptis, præferum lacte saginatis, aliorum animantium renes inter illa numerantur, quæ sunt crassi succi, imo in animalibus quæ non volant, vrinam gustu referunt, propterea possunt & gallinacei renes dari, cum opus est. Iecuscula in prædicto libro Galenus iudicat esse crassi nutrimẽti, tamen mali succi nõ sunt, imo laudat iecur anserinum, quãdo fuerit anser pabulo lacte consperso saginatus.

Hebræi ex pastillis è milij farina factis anseres pascunt, & mira iecuscula parant, accedunt quandoq; ad duarũ librarum pondus. à Ferrariẽsibus Hebræis, singulis Christi natiuitatibus, his iecusculis donor, Galenus dicit esse cibum iocundissimum & optimi alimenti & succi, & deiectu minime difficilis, & probæ in ventriculo cõcoctionis. Arbitramur Galenum nunquã edisse iecur anseris Hebraici, est adeo pingue, ut nauseam ferè moueat, & difficulter coquatur, forte quia milij farina ex melle in pastillos redacta nutriunt, laudat et Galenus in libello de cibis boni & mali succi, & in tertio de alimentorum facultatibus iecur suis quando comederit caricas, tamen iecusculis e a paruis pullis medici vtuntur, egregie nutriunt, & cito coquunt, suntq; danda hæc iecuscula quando opus est, & in declinatione, cum vires reficere volumus, Galenusq; dicit vocari iecur suis caricis alti, sycoton, quasi ficubus altum. Id experientia ostẽdit pullorum pabulum iecuscula meliora atq; peiora reddere, ex milio nigro pulli depasti, non solum iecuscula, sed & carnes deteriores habent.

De pedibus Galenus in tertio de alimentorum facultatibus inquit, pedes paulo minus omniũ cibo inepti. Nos in præsentiarum pedes damus, quando ægros comedere nolumus, sed tantum animo est vt ossa exugant, intellige vero pullorum gallinaceorum pedes, adest quædam supra ossa cuticula, & in pedibus callosa quædã caro, quæ ideo exhibetur, vt videatur ægrũ aliquid comedisse, cum re uera nihil ederit. Si vero quis pedum copiam edere vellet, probus medicus nõ consentiret, nã pauci sunt, crassi, glutinosi, & praui nutrimẽti, difficilisq; coctiõis, inter pullorum extremas partes à medicis nõ prohibẽtur, quia numerum facere non uidentur, nempe in quacunq; ægritudine si quis pulli pedem comederit, uel duos pedes hic omnino ferè nihil insumpsit, à Galeno in libello de cibis boni & mali succi damnantur, Galenus deinceps & alia ponit inter ea quæ nutriunt, & plusquam ptisana, sed non humectant & incidunt vt ipsa facit. Si uero petas an possint in acutis morbis præberi. Respõdendum est vbi virium refectione indigemus, semper dari posse & debere, vel in inclinatione, quando ægrum reficere incipimus, nam ut Galenus dicit in tertio de alimentorũ facultatibus anserinæ alæ nutritioni et cõcoctioni idoneæ sunt, his vero magis ipsarũ gallinarũ, dantur vero pullorũ alæ, non anserum, quũ illis indigemus, in libro de cibis boni et mali succi, alas uolantium

se mouentium

& mouentium laudat, quòd excrementis carent, non se exercitantium reprehendit quæ sint excrementosę. Aetius libro secūdo, capite .131. laudat alas pinguium iuniorumq́; volucrum, gracilium, inueteratorumq́; uituperat, & res ipsa constat, quia cum pulli sunt macilenti, uel antiqui, alæ sunt duræ neruosæ ut uix dentibus frangi possint, per alas vero intellige ipsas alas, & non quod à vulgo nunc accipitur, ala .s. cum pectoris parte ab illo latere, putantq́; se parum comedisse quando caponis alam ederint. At difficultas quædam nunc oritur quare recentes in pullis coxas potius exhibēt q̄ alas, In capis potius alas q̄ coxas. Respondemus alas semper esse cibū magis aptum q̄ sint coxę uel crura in pullis, tamen de pullorum partibus, atq; caponum hæc quidem est differētia, pullorū partes posteriores laudātur, & caponū anteriores, & hoc solū fit ob ætatē. Et ideo non ab re ambigere poteris, cur ita sit. Respōdemus hoc experiētia constat, pullorū crura, atq; coxas esse magis tenella, mollia, & masticabilia, q̄ anteriores partes, quæ sunt magis viscosæ & ferè immasticabiles. ratio est, quia pulli totum corpus gerunt supra crura, quæ sunt partes neruosæ chartilagineæ siccæ, dum pulli sunt nondum induruere, neq; sunt adeo viscosæ, vt partes anteriores, cū partes anteriores factę sint ex humido, glutinoso, cruдо ad pectus tuendū & ea quæ intus continentur, vnde posteriores partes sunt magis masticabiles, sed ætate ꝓcedēte posteriores partes nimis exiccantur, tum ob cōtinuum exercitium et laborem, tum ob naturā, & ideo efficiuntur duriores, & ferè immasticabiles. at partes anteriores quę erant glutinosę, & veluti stupa, ex ętatis processu, & ex alarū exercitio, & ex pulli caliditate calido vincēte, anteriores partes magis coquūtur, & masticabiliores efficiuntur posterioribus, & ad coctionem aptiores, hæc vero nō dantur in acutis morbis, nisi vel vbi inclinauerint vel vrgeat necessitas, Celsus capite sexto libri quarti dat ius in pleuritide, in quo pullus coctus sit cū porro, dicitq́; esse cibum maxime tenuē & lenē. Trallianus libro secundo capite primo, quando in pleuritide vires fuerint imbecillæ, ius dat, in quo decocta sit gallina sine oleo.

Dicit & Galenus pisciculos esse maioris nutrimenti q̄ ptisana, sed non ita humectare & incidere: at de hac humiditate re uera ambiguū est, nā pisces omnes simpliciter humidi sunt, licet inter se comparati aliqui sint alijs sicciores, de hac tamē re quid sit, non est opus multum digladiari, cum Galeno satis sit, si pisces incidendi vim non habeant, qualem habet ptisana, quam certe non habet.

Galenus ꝑterea pullos colūbaceos inter illa numerat, quæ maius dant nutrimentū q̄ ptisana, tamen nō ita humectant, quod & verisimiī est. Sed petes, an sit conueniens cibus colūbarum pullus in morbis acutis, & potissimū in pleuritide. Respōdetur Aetium libro octauo cap. 67. vbi de pleuritide agit, cū remittit iam morbus, dat columbas, per quas opus est intelligere columbarum pullos, & Galenus in tertio de alimentorum facultatibus libro de alimento agit, quod à volatilibus sumitur animalibus, eorum carnem laudat, quæ volatu fidunt, magis q̄ non uolantium, ob facilem coctionem, & potissimum laudat carnem perdicis, atagenis, columbæ, gallorū gallinaceorū, & gallinarum, vnde carnem columbæ laudat utpote, quæ facile coquatur, propterea non mirum si in inclinante pleuritide ab Aetio cōcedatur, et ius pulli cōcedit Celsus, iusq́; gallinę Trallianus, & Plinius Secundus libro primo capite. 13. Galenus in libro de cibis boni & mali succi numerat colūbos inter cibos nulla ex parte damnandos.

Tertio Galenus in hac. 27. cōmentatione illos reprehēdit, qui ausi sunt dare lentem in morbo laterali, propterea inquit, is qui lenticulam ex aceto cōfectā ausus est dare pleuritico in ea morbi declinatione in qua nihil aliud desideratur, quàm coctorum humorum expuitionem, iste inq̄ non immerito visus est languenti ipse dedisse mortis occasionem, imo sequenti nocte suffocatus est, nemo enim est, qui unquam exhibuisset lenticulam in pleuritide, qui fuerit cōpos mentis, cum humores qui sunt in procinctu vt exeant, adstringātur, & incuneent, & id tunc magis fit, cum habet mistum acetum. De lente superius satis, & in nostris aphorismorum Hippocratis cōmētarijs disputatū est. Vbi legitur, quare qui lenticulam ex aceto &c. addi debet particula ἰατρὸς, vt ita legatur, quare medicus qui lenticulam ex aceto. forte interpres data opera hanc particulam prætermisit, ne sciretur, an is esset medicus, qui tam supinum ac fatuum commisit errorem.

Hic forte ambigere poteris ex his quæ à Galeno dicūtur in tertio de iudicationibus cum inquit, in declinatione nō mori ęgrū, quomodo igitur hic obijt, si erat in declinatione? Et enim vulgata est propositio, quæ tanq̄ maxima recipitur, in declinatione ęgrum nō mori, quoniā in ꝑfecta declinatiōe ęgritudo est in conualescentia. Respondemus, Galenus simpliciter non dicit, hunc esse in declinatione, quæ est conualescentia, quoniam illa nihil penitus relinquit materiæ euacuandæ, sed addit quod est in declinatione, in qua solum relicta est materia quæ expui debet. at si hęc materia retineatur, suffocare potest. fuit uero retenta atq; restricta à lentibus cum aceto, propterea is suffocatus est, & non potuit expurgari, imo verum forte computruit, & vehementiores induxit febres, quàm prius habuisset. adest etenim hic vehemens pugna, sputa etenim, & materia parata sunt vt prosiliant, lentes & acetum restringunt, vnde quædam fit luctatio & pugna cibi & materiæ, ægri interim suffocantur.

Quarto Galenus dubium quoddam remouet, nam & tempore suo inueniebantur ægri, quibus ptisana non placebat, sicuti & nūc fit, & quibus non placebat aqua mulsa, nam potuisset aqua mulsa exhiberi pro ptisana, imo nō solum nō placent, sed plerunq; abhorrentur, & nonnulli hæc accipiunt per aliquot dies, postea in tale fastidium deueniunt, vt non possint, nō dico gustare, sed ne quidem videre, tamen opus est ægrum seruare, & illum in inclinationem vsq; deducere, propterea Galenus cibos exhibet, q & possunt dari in morbis acutis, & in ipsa pleuritide. hi uero sunt pisces saxatiles ex aqua cocti, porro, anetho, sale, & modico oleo. At si nō habeant pisces saxatiles ex nō saxatilibus pręhebis asellos, ueruntamen prius quàm præbeas hos pisces, oxymeli propinare oportet. neque timeas oxymeli stomacho aduersari, quoniam solum in illis aduersatur, in quibus nerui male affecti sunt, aut in mulieribus, in quibus vterus male affectus est. at si tibi non placeat oxymeli præbere sed aliud dare volueris, medicamentum da ex porro & iride confectum. Nam hæc si simpliciter & per se absq; cōpositione cum mulsa bibant, superflua omnia ꝓbe maturāt quæ tum in thorace sunt tum in pulmone, & illas ad expuitiones pręparant.

Hic multa sunt consideratu digna primo de saxatilibus piscibus, an in acutis morbis conueniant, & quinam sint pisces, etenim conuenire non uidentur, vtpote qui facile corrumpantur, vnde & putrentem augebunt materiam & febres. Respondemus pisces saxatiles nō facile corrumpi, præsertim si cocti sint, & ideo Galenus in libro de cibis boni & mali succi, cum de cibis nulla omnino ex parte damnandis loquitur, dicitq́; illos esse qui nec tenues sunt nec crassi, sed veluti in symmetria, omnisq́; excessus mediocritate consistunt. Qui uero hi sint enumerans pisces saxatiles refert, pelagicos, litorales, gobij, murenę, buglossi, aselli. Et vt regulam præbeat, qua quisq; in sua patria cognoscere possit, an sui sint boni pisces, inquit & simpliciter pisces omnes qui neq; insuaue, neque mali odoris, neq; glutinosum quicquam gustu repræsentant, vt hinc regulā habeamus bonos cognoscendi pisces, & qui dari possunt in morbis acutis & in pleuritide. omnes saxatiles exhiberi possunt. Et si petas quinam sint saxatiles, Galenus in tertio de alimentorū facultatibus scarum refert, merulam, turdum, iuliam, ficedulam, percam, sunt inquam saxatiles Galeno teste, quia semper vel in saxosis locis sunt, nascuntur, & diuersantur, vel circa promontoria delitescunt & pariunt. tamen & gobius ab aliquibus pro saxatili accipitur, cum tamen nō sit, nam eodē loco Galenus inquit gobionem esse litoralem, ex eorū numero est, qui parui perpetuo manent, suauissimus, ac cōcoctu facilimus simulq́; ad distributionem, & succi bonitatem optime compa

ratus est, sed hoc est in gobione qui in arenosis litoribus, aut saxosis promontorijs viuit, nam qui in fluminum hostijs, aut stagnis, aut in cœnosa aqua, aut in fluuio in quo sordes oppidi deriuentur, isti sunt non suaues, neq; probi succi, neq; concoctu faciles, vnde gobiones exhiberi possunt in acutis morbis præscripti, non vltimo loco positi. Tamen Hippocrates in secundo de victus ratione libro, quem Galenus non putat esse Hippocratis, inter saxatiles pisces gobionem numerat, & sequêtes veluti saxatiles refert, qui sunt merula, turdus, phycis, elephetis, gobius. Adde & Hippocratem eodem loco numerare percam inter siccissimos pisces, quam inter saxatiles Galenus numerat. Paulus præterea gobionē laudat in mari degentem nō in palustribus libro primo, capite. 90. de saxatilibusq; inquit esse reliquis salubriores, quia coctioni minus resistunt, & bonum succum derelinquunt, neq; affatim adeo humectant, nisi solidiore carne constent. Et quamuis Hippocrates loco pręcitato notauerit percam siccissimum esse piscem, id in piscium genere intelligito. nam quilibet piscis frigidus est & humidus, & ab has qualitates febribus prosunt. Cumq; inueniuntur aliqui faciles coctionis & probi succi, statim in febribus & alijs acutis ęgritudinibus dari possunt. Aetius libro secūdo, capite. 139. idem de gobione dicit, quod superius Galenus. de saxatilibus uero idem ferè. itaq; primo scarum enumerat, deinde merulam, turdumq;, postea iulias, phycides, percas, atq; horum nutrimētum non tantum coctu facile, sed & saluberrimum est, sanguinem gignens substantia temperatum, & capite. 138. Dioscorides libro secundo capite. 32. mentionem facit ζωμοῦ. i. iuris piscium recentium, & inter alia numerat phycidas, scorpiones, iulias, & percas, idq; ius dicit aluum emollire, & quonam modo fiat edocēs, idē ferè dicit, quòd hic à Galeno, ex aqua fieri, oleo & anetho. Græcus Dioscoridis contextus non habet sal, sed antiqua trāslatio addit sal. At una in Celso atq; Galeno uidetur contradictio, nam Galenus scarum mire laudat, & illi primū dat locum bonitatis: at Celsus libro secundo, capite. 18. vbi de cibis agit valentis, mediæ, aut imbecillæ materiæ. inquit pisces esse grauissimos, ex quibus salsamēta quoq; fieri possunt, qualis lacertus est, deinde qui, quamuis teneriores, tamen duri sunt, vt aurata, coruus, scarus, oculata. en scarum ponit inter graues, cuius oppositum sentit Galenus. imo & in alio est oppositio, quoniam post scarum ponit mullum, cū tamen Galenus mullum durissimum fecerit, si uero cōficiatur, rectè nutrit. Forte dices, quomodo Celsus vocat teneriores tamen duri sunt? nam si sunt teneriores quomodo duri? Respondemus esse teneriores, sed inter teneriores esse duros per comparationē ad alios, forte Celsus aliud piscis genus per scarum intelligit, quàm Galenus fecerit, vel non omnia æque omnibus vidētur, imo si rectè consideremus Celsum, non ponit scarum inter saxatiles, Plinius vero libro nono, capite. 17. scaro dat principatum, qui solus piscium dicitur ruminare.

At quicquid sit de horum authorum dissidijs, ad rem ipsam redeamus, pisces saxatiles, quorum Galenus meminit, & à reliquis græcis authoribus referuntur, marini sunt. pisces vero marini simpliciter magis sani sunt, quàm dulcium aquarum, ob aquæ salsedinem, quæ humiditatem quodammodo remittit, cum uero nostra inclyta patria prope mare non sit, uerum distet quinquaginta milibus passuum plus minus à mari, ut saxatiles marini facile haberi non possint, propterea considerandum est, an ex nostris piscibus, nonnullos dare possimus. Quod facile cognoscemus si Galeni regulā in libro de cibis boni & mali succi in memoriam reducamus, cum inquit probandos esse pisces qui neq; insuaues, neq; mali odoris, neq; glutinosum quicquā gustu repręsentant. Vnum habemus pisciculorū genus padanum album paruum, in quo nulla praua qualitas inuenitur, sed ferè odoratissimus est, citissimę coctionis, & optimi nutrimenti, vulgo à nobis vocatur stregi, forte dicere volentibus tricla, cum tamen non sit tricla. hoc pisciculorū genere uti possumus absq; discrimine etiā in pleuritide, quando ptisana, & alij cibi, qui consueti sunt exhiberi abhorrētur, neq; uererer lupū paruū præbere, per lupum vero genus piscis intelligo, quod vulgò luzo dicimus. scimus etenim Galenum in tertio de alimētorum facultatibus lupi mentionem facere, & velle in mari oriri, postea flumina ingredi, nunquam vero nasci in fluminibus. At noster vocatus luzus & in pado & in stagnantibus aquis oritur. paruum vero accipiēdum iubemus, quoniā magnus glutinosus aliquantisper est. & quāuis hi pisces nō sint petrosi, sunt padani ex viua aqua, non enim ex illis accipi voluerim qui in paludibus nascūtur. vrbes uero Ferrariæ propinquæ, quę sunt prope montes, pisciculos habent variorum generum vere petrosos ex loco in quo habitant, vt Bononia, Florētia, Senę, Luca, Mutina, Regium Lepidi. nec vererer in hoc casu auratam præbere, & gobionem, diuitibus q; gobionis geniturā exhibeo, nam optimi est nutrimēti, & facilis coctionis, & gustu delectabilis, quoniam vt Oribasius docet libro tertio de cōfectione ciborum, vbi quæ sint euchyma. i. boni succi, tradit, inquit pisces facilius cognosci odore & gustu, imo clupeæ genitura, & lupi non sunt despicienda, & in genere omnium piscium genituras, præter cetariorum, probo. Notaq; in pleuritide omnes ferè antiquos confugere ad pisces, nam Aetius capite. 67. octaui libri, inclinante iam morbo pisces præbet in petrosis aquis degentes, & hanc putat esse diętam tenuem, & Trallianus libro secundo, capite primo in pleuritide quando alia fastidierit; dat pisces præsertim cyclas, quem aliqui ptisanam marinam appellant, quoniam non tam duræ est carnis, & humidę tēperaturæ, & facilis coctu, & excrementi sua natura expers, præterea pectines. Plinius Secundus libro quinto, capite. 13. & ipse cyclam præbet piscem paruum & mollem, ut inquit nos uero & auratam damus & gobionem, quoniam ex maritimis nullos alios habemus potiores.

Petes vero quomodo coqui debent hi pisces. Respondemus, ut Galenus hic refert, ex aqua, porro, anetho, sale, & oleo. Si & petas an debeant in sartagine coqui. Respondemus hunc modum esse minus laudabilem alijs cum cibos reddat nidorosos, nam Galenus in tertio de alimentorū facultatibus ova tagenista. i. in sartagine frixa damnat, quæ sint deterrimi alimēti, nam dum coquuntur (inquit) nidorem & fumum edunt.

Inquies vero non videri conueniens in acutis morbis, in quibus sunt & febres intensæ, porrum simul coqui, & anethum, quæ sunt herbæ calidę, minusq; salem in pleuritide, qui adstringit, & oleum minime, quod facile inflammatur. Respondemus aliquos voluisse non esse pisces ex his coquendos, sed tantum simul concutiendos, vt piscium viscositas auferatur, postea in sola aqua coquendos, hi vero absurde loquūtur, quia Galenus vult in his coqui, nam & varijs alijs in locis ponit hanc cocturam, & vocat ius album, nec fuisset opus vt his prius præbuisset oxymeli, aut aliud medicamentum, quàm accepissent hos pisces, propterea dicimus illa apponi in paucissima copia tanquam condimentum, hæcq; omnia conferunt thoraci, & sputa prouocant.

Petes vero an simul cum his piscibus panem dare oporteat. Respondemus non esse dandum panem, sed pisciculos tāntum & iusculum, nā panis solus fuisset satis in his morbis, si panem dare voluisset, vel saltem in pleuritide non est dandus nisi elotus & in quantitate.

At vnus error est non dissimulandus in hoc interprete, cum enim modum ponit coquēdi pisces saxatiles, inquit ex aqua. s. & marubio, & anetho, & sale parari, verum contextus grecus ita dicit σκευαζόμενοι δι' ὕδατος καὶ πράσου, καὶ ἀνήθου, καὶ ἁλῶν, ἐλαίου τε συμμέτρου. i. ex aq̃ & porro, & anetho, & sale, oleoq; modico parari. prætermittit sua in interpretatione oleū, & particulam πράσου, quæ porrum significat, marubium vertit, quod πράσιον vocatur. Aldinus codex habet πράσου. idest porri, non πρασίου. idest marubij, hoc eodem errore vel simili ductus Plinius (vt Leonicenus ostendit) plerūq; nomen unum cum alio confundit, sed hoc in loco interpres errare non debebat, in quo Galenus mutat ægro edulium, quando ptisana, & aqua mulsa illi fastidio fuerit. At hoc loco dare edulium quod

marubium

marubium reciperet, esset dare nonnihil longe peius, quàm ptisana, vel aqua mulsa, imo tale ferculi genus ex marubio nullus ferre posset, quanquã marubium vitijs pectoris conueniat, & pulmonis. Interpretatio vero antiqua melius vertit, quàm hæc noua porrũ vertẽs, constat. præterea antiquos vsos esse porro in pleuritide hoc & posthabito quod omnes ex porro ptisanã conficí tradidere. Celsus i pleuritide coqit pullũ cũ porris, et iusculũ exhibet cap. 6. libri quarti. Aetius libro octauo, cap. 67. ptisanam exhibet cum porro capitato, oleo, & sale, quãdo renuerit æger ptisanam cum melle sine sale, & sine alio condimento. Paulus libro tertio, capite. 35. dat primo mulsum, aut ptisanæ cremorem, postea in incremẽto his cremoribus porrum addit, & Dioscorides libro secundo, capite. 139. de porro inquit, cum ptisana cocto, et in cibo sumpto adiuuat pectoris excreationes, imo & ipsum solum in cibo sumptum purgat fauces, & animæ canales, imo & erat peculiaris Græcorum mos pisces in aqua coquere ex aliquibus herbis, & ius illud zomon vocabãt. Paulus & si non ponat porrum in zomo, tamen libro septimo in litera. z. inquit, zomos. i. ius piscium recentium, vẽtrem subducit, cum per se cũ vino admisto epotus, docetq́ ex quibus pisciculis fiat, & saxatiles refert inquiens peculiariter vero ex phycidibus, scorpionibus, iulidibus, percis, alijsq́ saxatilibus molliusculis cũ aqua adiectis insuper oleo, & anetho, & sale elixis, & Dioscorides de zomo agens libro secundo, capite. 32. dicit hoc modo fieri, μεθ' ὕδατος καὶ ἐλαίου, καὶ ἀνήθου. i. ex aqua, et oleo, et anetho, tñ traductio antiqua addit, et sale. Marcellus fatetur se antiquũ codicem vidisse, in quo erat sal, nos alium vidimus, in quo erat & porrũ hoc modo μεθ' ὕδατος καὶ πράσου, καὶ ἀνήθου, ἐλαίου τε, καὶ ἁλῶν. i. ex aqua, & porro, & anetho, oleoq́, & sale, tamen illa particula καὶ πράσου, erat superius adscripta, sed ex eisdem characteribus, & designatus erat locus, in quem poni debebat, puto zomon ex uarijs herbis confecisse antiquos, vt nos in præsentiarũ piscium iuscula paramus, tamen porrum, & anethũ præ cæteris placebãt, in hoc igitur loco & si aliquis græcus codex legisset πρασίου. idest marubij, corrigendus erat, & legendum πράσου. i. porri, quoniam nemo vnq̃ ius ex marubio decoctum ederet, neq́ aliq̃s antiquorum inuenitur, qui nonnunquam marubio vsus sit in his iusculis. & quod deterius est, ostendit interpres se non esse expertum in Galeni cõmentarijs, quoniam hoc est ius id, quo frequentissime vtitur, & ius album vocat, de quo mentionẽm facit in libro de attenuante victus ratione, vbi docet. In saxatilium piscium penuria nos vti posse chartilagineis, vt sunt torpedo & turtur, inquit, satius tamen fuerit pisces eos præparari cum beta trita, aut albo iure, porrum prolixius miscendo, & piperis portiunculam, in quo loco, quia in sanis loquitur piper albo iuri addit, & prope finem libri quarti de sanitate tuenda in lassitudine phlegmonode inquit, quod si carnem quoq́ gustare velit saxatiles pisces vel oniscos in albo iure bene elixos dabis. Voco ius album cum sine garo, magisq́ etiam sine superuacua conditura, cuiusmodi καρυκείαν græci vocant, præparatur, anetho, saleq́ cum oleo, & porri exiguo in aquam coniectis, vt videas Galenum applicare particulam exiguum hic ad porrum, & non ad oleum, vt facit in cõmentarijs, quos præ manibus habemus, & in tertio de alimentorum facultatibus, vbi de piscibus molli carne præditis agit, egregie ponit iuris albi confecturam, inquiens, ad coquendum autem sunt præstantissimi qui ex albo iure fiunt, quod ad hunc modũ fit. copiosam aquam prius inijce, deinde olei quod satis est adfundito, cum pauco anethi, & porri, deinde cum pisces semicocti fuerint, salis tantum inspergito, quo ad totum ius salsum nondum appareat, hæc præparatio vel ægrotis ipsis est accõmoda. in. x. de simplicium medicamentorum facult. vbi de colũbæ sanguine agit, ad difficulter spirantes dat, secundum quosdam coctam in albo iure, en et carnes etiã in albo iure coquebãt. in. xj. quoq́ de simplicium medica. facultatibus dicit in libri initio viperarum carnes excalfacientes & desiccantes esse, ubi conduntur, ceu anguillæ, nempe oleo, sale, anetho, porro, & aqua seruato nimirum modo, & in secundo de cõpositione medicamentorum secundum locos, vbi illa refert quæ Apollonius ad capitis dolorem ex ebrietate, & meri potu scripserit, dicit his moderate habentibus gallorum testiculi, & alæ, & ex piscibus petrosi, & teneris carnibus præditi exhibebuntur, & columbarum pulli. hæc vero omnia citra garum & vinum in albis & simplicibus iusculis coquantur, in quibus aqua sola cum oleo, & anetho, ac exiguo porro cocturam perficiat, exiguo adiecto sale, non statim in principio cocturæ, sed cum iam aliquo modo flaccida facta fuerint ac victa. In septimo Methodi in siccitatibus dat ex albo iure asellum, in octauo methodi in febre ex obstructione dat pisces carne molles ex albo iure sunt vero molles saxatiles omnes & aselli, & deinceps in eodem libro, vbi ea ponit, quæ valent ad ventriculum refrigerandum atq́ firmandum, quando venter non amplius excernit, dat gallinaceorum testiculos, & saxatiles ex albo iure pisces, & prope finem decimi libri Methodi in hectica dat alicam, simpliciter ptisanæ cremori conditam, id uero est ex aqua, et exiguo porri, et anetho, cum sale, oleo, & aceto. vides, & hoc esse ius album, sed præter alia quæ alijs in locis sunt tradita, ponit acetum, in fine secũdi libri de arte curatiua ad Glauconem cum agit de elephãtia, præbet viperas in olla, anguillarum modo præparatas, efficitq́ album ius, quod hoc fit mõ. Aqua abundantee in ollã funditur, et paucũ olei & cũ hoc porrũ & anethum adijcitur. Reticet hic salẽ, sed arbitror obliuioni mandasse. in documento præterea de puero epileptico, dat huic puero carnes simpliciter conditas, ait vero esse simpliciter conditas si aquæ incoquantur, & anetho, porro, sale & oleo concinnentur. en hoc est ius album, quod uocat simplicem carnium condituram. in tertio quoq́ de alimentorum facultatibus, vbi de alimento, quod a volucribus animalibus sumitur, agit, iuris albi mentionẽ facit. Scito tamen & alijs mistis herbis antiquos iuscula carnium & piscium condiuisse, pro sanis, nos vero in præsentiarum & ex cæpis, petroselinis, oleo & sale condimus. raro apud nos additur anethum, & ex alijs quoq́ herbis parant nostræ mulieres, imo & plerunq́ ex brassicis & oleribus frequenter vescor ex dulci vino & pipere coctis piscibus, sed hæc nihil ad morbo laterali affectos. fiat album Galeni ius pro illis, quod tantum pro condimento illa habeat, & non ex superfluo.

Si vero petas quinam sit asellus piscis, scito hunc a Græcis dici ὀνίσκον, in antiqua translatione legebatur auiscum, & oniscon. Quidam iubebat vermiculos accipi, qui sub situlis, hydrijs, & aquarijs vasis nascuntur, multis pedibus præditos, & qui tactu, sese in pilæ formam conuoluunt, quos nostrum vulgus porcelette vocat. Dioscorides vero libro secundo ὄνους, sed hi tam magno errore hos sumebant, vt nihil grauius fieri potuerit, cum ὀνίσκος, idest asellus, pisciculi genus sit, de quo Galenus pluribus in locis mẽtionem facit, & potissimum vbi de piscibus carne mollibus tractat, præsertim uero de his in tertio de alimẽtorum facultatibus habetur, cum de piscibus molli carne præditis agit, ab alijs inquit vocari asellos, à Philotimo asinos, si probo alimento, & puro vtantur mari, cum saxatilibus de carnis bonitate certare queunt. at qui corruptis implentur cibis, aut in aquis mistis, ijsq́ maxime vitiosis diuersantur, carnis quidem mollitiem non abijciunt, verum præter eam pinguitudinem quoq́ ac leniorem acquirunt, quo circa & minoris in cibo sunt suauitatis, et alimoniam excremẽtitiam reddunt. tamen duo sunt eius genera, maior & minor asellus ὄνος scilicet & ὀνίσκος. Plinius libro nono, cap. 17. asellorum inquit duo genera callariæ minores et Bacchi, hi in alto capiuntur, ideoq́ prælati prioribus. in capite duos habent lapillos molari figura, & cor in ventre habent. Plinius ex illis lapidibus superstitiose sanat febres libro. 32. capite. x. Aetius asellum marinum libro secundo. capite. 134. coquit aqua, anetho, oleo, & sale, ad omnes intestinorum ægritudines, sed præcipue ventris quem acres humores vexauerint. fuit maximus apud antiquos in condiendis cibis anethi vsus. propterea non mirum si Dioscorides dixerit, & ipsum vocari anicetum, nempe hoc voca-

bulum anicetum commune est omnibus alijs, quę cibi appetentiam faciunt, ac si sint inuincibilia, quia ἀνίκητος inuincibile significat. vel ab aniso deductum quod appetentiam mire prouocat. similacem quoq; asperã anicetũ uocari Diosc. tradit. anisum uero appetentiã inducere testat Plinius lib. 20. capite. 17. eũ inquit, appetentiã ciborũ pręstat, qñ id quoq; inter artificia deliciæ fecere ex quo labor desiit cibos poscere, ob has causas quidã anicetum ipsum vocauere. Virgilius quoq; rusticanum moretum anetho honorauit, quãdo illud simul cũ alijs miscuit rebus nam apud Simulum ipsum.

Et vetus astricti fascis pendebat anethi.

Et alibi anethũ bene olenti epitheto decorauit, quin in culinaria arte apud antiquos fuit præcipua herba anethum, tamen non eodem semper modo pisces parabant, sed nõnunquam vnam nonnunquam aliam herbam, nonnunquam plures sumebant, non enim erat vnus tantum & perpetuus condiendi modus, ad asellũ redeũtes, Varro ab asinino colore sic nũcupari cẽsint. Ex hoc loco generalis colligitur regula, acetum obesse neruis & omnibus neruorum affectibus, vtcunq; affectibus, tamen in neruorum, & vteri medicamentis nonnihil aceti addere, vt melius penetrẽt, plerũq; cõuenit, potissimũ cũ incisiõe indigemus. Quod legitur dabis eam quæ ex marubio & iride fit confectionem, Græce non imperat vt illud dari oporteat, sed inquit ἢν ἐστι τὸ διὰ πρασίου τε καὶ ἴρεως, vt sensus sit, si oxymelitis loco aliud medicamentum dare volueris, vt illud est quod ex marubio & iride conficitur, hic recte vertit marubium, quia dicit πρασίον, non πράσον, et recte conuenit marubiũ cum iride ad probe elicienda ex thorace sputa, & pulmone, utrunq; enim ad hoc valet, & pleuritidi conferunt, prohibetq; ne piscium viscositas obesse posit, nam & ob piscium lentorem pręebatur oxymeli. puto hanc fuisse antiquam quãdam compositionem quæ aliud forte recipiebat, sed ego illã inuenire nõ potui apud Galenum in libello de compositione medicamẽtorũ secũdum locos, neq; apud Scriboniũ Largum, neq; apud Trallianum, Paulum, Aetium, Actuarium, aut alterum ex authoribus qui de medicamentorũ cõpositionibus scripsere, tamen apud Dioscoridẽ inuenitur libro tertio, capite. 110. vbi de marubio agẽs dicit cassas pectoris excreationes eadẽ. s. marubij folia adiuuãt, siccata iridis admista farina, ut hæc cõpositio ex farina radicũ iridis sit, & marubij folijs melle exceptis, vel alio liquore. Nã ut Galenus refert. 9. de compositione medicamentorũ secundũ locos capite quarto, ex Archigene in primo pharmacorum secundum genera de affectionibus circa stomachum loquẽs, dat marubij succum cum melle, & libro. 7. eiusdem voluminis in arteriacis ab Asclepiade in secundo interiorum conscriptis, facit quidem mentionem confectionis ex marubio Platonis, sed hæc non est, quoniam multa alia recipit, & non iridem, nã recipit Myrrham, styracem, opium, galbanum, & crocum, pręter marubij succum.

## Hippocrates. Sectio XXVIII.

**Prisanam autem ex optimo confectam esse hordeo oportet, atq; quamprobissime coctam, & maxime si non solo uti debeas cremore.**

### BRASAVOLVS.

Vnum quodq; ex aliqua particulari materia confectum, si materia illa in genere suo optima non sit, id quod conficitur, materiæ naturam sequitur, nã & ipsum ea parte est ineptum, qua ꝓpria deficit materia. ut ergo prisana cõueniẽs sit, & i morbis acutis proba, duo habere debet, vnum vt ex optimo sit hordeo confecta, aliud vt sit quàm probissime cocta, & hoc potissimum quando ea integra vti volueris, & non solo cremore, quoniam cum cremorem exhibemus, forte neq; oberit, etiam si ad tam probissimam decoctionem non peruenerit. Nonnulli vero ex recentioribus veluti ad aras contendunt, nos prisanam recte parare non posse, tum quia coquis caremus ad hanc aptis, tum quia hordeum malignũ est, de coqis probant ineptis, quoniam nunquã videre potuere, quin fuisset opus grana masticare, hordeum vero esse malignũ suadent, quia est brutorũ esca vnde grana non eliguntur ad sementem, ager conueniens non eligitur neq; præparatur, neq; prauis herbis emundatur, nec custoditur in area satis, nec in horreo bene conseruatur. Addũt hordei grana videri sordida, rara, leuia, rugosa, exigua, & si aliqua sint magna, sunt laxa & mollia, & superfluo humida, à multisq; dum franguntur, puluisculus quidam instar calcis euolat, & fuscedo quędam potius q̃ albedo intrinsecus apparet, tetri odoris, saporeq; quanto cocta fuerit iniocunde, quę sunt notæ praui hordei à Galeno in primo de alimentorum facultatibus positæ. Addunt & aliud, nos probo hordeo carere, vt experientia ostendit quoniam & sero & vix aqua madefactum in tumorem attollitur. propter hæc prisanam confici non posse iudicant.

Nos vero è contrario iudicamus (pace semper à tãtis viris tãq; egregijs accepta) & prisanã cõfici posse, & facile, & hordeum esse optimũ, id etenim quod de coquis dicunt, absurdissimum est, cũ nostrę mulieres domi meę prisanam vt superius instituimus, egregie parent, & suauis sit, atq; iocũda, imo loco vulgaris farris prisana pro minutali frequentissime vtimur, & tota nostra familia, & alij externi plerunq; & sapide illam comedunt, in diebusq; quibus caro interdicitur, parant nonnunq; domi meæ ex oleo, sale, porro, anetho, & modico aceti, gustui meo absque aceto sapidior videtur, vnde arbitrandum est illos fuisse infelicissimos medicos, qui coquos quonam modo conficeretur, edocere nesciuerint, cum nos vna vice tantũ mulierculã edocentes, illam instituerimus, vt nunquam erraret.

Neq; illis rationibus, vtpote exilibus & vanis mens adhibenda est, quibus probare nituntur hordeum non esse conueniens, quia brutorum sit pabulum. nã nullus est tam pinguis mineruæ vir, qui non nouerit, eandem à rusticis haberi curam & diligentiam hordei, qualem habent tritici, in seligẽdis & gubernandis terris, in granis aptãdis, nã sicuti triticea grana cribro excernunt, & purgant, ita hordeacea, eademq; penitus est custodia in area, in horreis & hordei, & tritici, tamen non dicimus nos carere optimo tritico, quod est hominum cibus.

Cum vero inquiunt grana esse parua rugosa, leuia, hoc uniuersum absurdissimum est, si ex hordeo puro, & potiori quod habemus accipiatur, nam & in tritico adsunt, & peiora, & meliora grana. Quemadmodum igitur triticum eligimus vt in farinam redigatur, ita hordeum eligamus ad prisanam. Adde pro hordeo plerunq; ægilopem accipere, quæ est hordei vitium, nam hordeum quandoque in ægilopem. i. auenam degenerat. Cum igitur hæc ægilopis grana sint in hordeo commista, nonnulli ignari hordeum esse putant, & leue esse, nihilq; ferè sub glumis continere, & dum frangũtur, puluisculus in ueluti calx apparet, in probo autem hordeo albedo farinæ uidetur, & non fuscedo, nuncq; Ferrariam ex Apulia hordeũ affertur q̃ probissimum omnibus notis quę dicentur, insignitum.

Quod autem addunt, in tumorem vix attolli aqua maceratum adeo absurdum est, vt verbis non indigeat, sed experimentis, perfectioribus hordei granis collectis & pinsis, deinde in prisanam redactis satis cito attolli percipies, & maxime intumescere, hodie habebimus in cœna paratam prisanam ex oleo, sale, porro, & anetho, quæ sapidissima est & perfectissime cocta. et hæc dum scribimus. illam gustamus. neq; opus est grana masticare, his autem omissis, ad rem nostram redeamus. nõ putamus nostrum hoc seculum esse adeo infelix, ut hordeo careat, & coqui desint, qui prisanam parare sciant, si edoceantur.

Nos igitur quæ ad exquisitum hordeum exigantur, contemplemur. hic Galenus docet plenum esse oportere, & nihil habere rugosum, quoniã infirmũ est quod est rugosum, & in se parum habet succi. cumq; uides ipsum in coctione summe tumescere, & copiam succi magnã habere, hoc probato Galenus, in primo de alimentorum facultatibus hordeum probat, quod vbi pinsitum est, candidum apparet, procq; hordei captu densum,

& ponderosum. Nota illam particulam pro hordei captu, quoniam necesse non est, densum esse vti triticũ atq; ponderosum item plenum, confertum, ac foris vndequaq; tensum. Quod vero rugosũ est, cassum, ac gracile, minus ꝓbatur, imo Gal. ius dicat has eẽ cões ac publicas oiu; seminũ exploratrices notas, in optimo nr̃ate hordeo (de hoc loquor) has oẽs notas inuenies.

τὰς δὲ πτισσάνας χρὴ ἐκ βελτίστου τῶν κριθέων εἶναι. Ptisanam autem ex optimo confectam esse hordeo oportet, perfectum uero prædictis dotibus insignitum est.

καὶ ὡς βέλτιστα ἑψῆσθαι. idest, Et quàm probatissime coctam, omnes vno ore veluti vno afflati spiritu, hanc ptisanæ dotem prædicant, ut sit optime cocta, ne quicquã flatuosi in illa permaneat, id enim (vt Trallianus inquit lib. secũdo, cap. primo) præcordia extẽdit, non aliter q̃ faciant alia legumina.

καὶ ἄλλως ἢν μὴ τῷ χυλῷ μούνῳ μέλλῃς χρέεσθαι. idest, & maxime si non solo uti velis succo, nã cũ succo uti volueris, etiam si non sit eximie cocta, plurimi non refert, quoniam solæ tenuissimæ partes per linteũ descẽdunt & eliquantur tñ & qñ solo uteris cremore, melius est ut ptisana, sit q̃ optime cocta.

GALENUS. Probatissimũ hordeũ prius quàm experiaris, ex eo solum quòd & plenum sit, & nihil rugosum in se habeat, iudicabitur. Sed experientia iudicatum per decoctionem deprehendetur, ubi scilicet plurimum intumuerit, et succum fecerit plurimum quod stabile ratumq; facultatis ipsius est argumentũ. Nempe quod ab alendi bonitate sumitur, id scientificum non est, neq; perpetuo uerum, quãquam utplurimum insigne, egregiumq;. Ptisanam autem perpetuo optimam esse iubet: sed maxime si nõ solo uti cremore uelimus, uerũ & ipsa tota. Quare autem id præcipiat, manifeste declarauit, cum inquit.

BRASAVOLUS. Primo Galenus probatissimi hordei notas describit, quas superius retulimus, anteq; uero an probatissimũ sit hordeum experiaris, ex eo primo cõsidera uisu & tactu quod sit plenum extensum, & nihil habeat rugarum, neq; flaciditatis, hæc sunt indicia absq; experientia, si uero experimento, an bonum sit, iudicare volueris, id ex decoctiõe facile efficies, si ex decoctiõe plurimũ itumeat, & plurimũ fecerit succũ, hordeũ fuit optimũ, hoc etenim argumẽtũ est eius facultatẽ esse stabilẽ atq; firmã. Secundo cum hordei bonitas possit etiã ex nutriendi bonitate deprehẽdi, sicuti & alioꝝ omniũ edulioꝝ, tñ Gale. de hac nihil locutus est. ꝓpterea hic se excusat inquiẽs. Nota bonitatis, quę ab edendi bonitate sumit, sciri non põt, id. n. scientificũ nõ est, neq; ꝑpetuo uerum, & nõ est uaria singulorũ hominum differentia, quia oẽs non sunt vna præditi temperie, tñ si per hanc notã hordei bonitas deprehendat, est egregia & insignis nota, quia ab essentia prouenit, & tota habet perfectio. At in ꝓbando hordeũ in febre acuta, in qua nõ dant probandi inducię, nõ est opus prius experiri an probe alat. ꝓpterea ex aliis notis id deprehendit, quæ oñdunt, qñ adfuerint, hordeũ bene alere, nõ enim aliæ inesse possent nisi bñ aleret, de omni aũt edulio medicus in genere scire debet, an bene uel male alat.

Quod legitur, quanquam utplurimum insigne egregiumq;, Græce est ἀλλ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ κατορθούμενον. i. Sed quod maxime rectum est, seorsus est esse rectum & perfectum. hoc iudicium quando habetur, unde est maxime rectum si fieri possit. Tertio Galenus refert Hippo. semꝑ voluisse, ptisanã esse optimam, sed potissimũ qñ non solo cremore vti voluerimus, sed tota & integra vtemur, cur uero hoc pręcipiat Hippoc. ut sit optime cocta, per sequentẽ sententiã manifeste declarat. Cum uero ab Hippoc. duo posita sint, hordei. s. ꝑfectio, et optima coctura. Galenus de hordei perfectione signa posuit, de coctura uero nihil agit, de qua tamen uerba facere debebat. Respõdemus Galenus ex superioribus colligi supponit, quãdo dictum est maxime intumescere, & ipsemet in hac cõmentatione optimã cocturam innuit, cum signum ponit per decoctionem.

## Hippocrates. Sectio XXIX.

Nam præter reliquas ptisanæ facultates lubricitas eius ne hordeum cum deuoratur noxam inferat, efficit. neque enim adhæret, neq; in recto thoracis manet tramite, ἴξιν cũ vocant.

BRASAVOLUS. Ptisanam probe coctã esse oportere ex his ab Hippoc. probatur. q; si optime cocta sit, lubrica est, hæc uero una est potissima ptisanæ facultas, qua multis aliis præfertur eduliis, nã si cruda sit, noxã infert, vñ crudum hordeũ. i. non probe coctũ obest. at si probe sit cocta, lubrica est, & nullã affert noxã, cũ cruda est, adhæret, & in uia media thoracis manet, neq; descẽdit, sed à febrili calore exiccatur in via, & in illa manet, qđ nõ fit si bñ sit cocta, tunc. n. est lubrica, & ꝑñr bñ descendit, neq; ulla in ꝑte morat, ut multa alia faciũt edulia, q̃ glutinosa sunt.

μετὰ γὰρ τῆς ἄλλης ἀρετῆς τῆς πτισσάνης. i. Nẽpe præter alias ptisanæ facultates, multas quidem habet ptisana facultates, sed secundũ hãc votata, nullã infert noxã, propterea dicit.

τὸ ὀλισθηρὸν τὴν κριθὴν καταπινομένην ποιέει μὴ βλάπτειν idest, Lubricitas eius facit, ne hordeum inter vorandũ noxam inferat, habet uero lubricitatẽ illam ex coctura, quia crudũ hordeum, uel inepte coctum (id enim crudũ voco) lubricũ nõ est, sed gulæ inhæret, & à febrili calore ibidẽ exiccatur. Etsi alias quæras nõ bene coctæ ptisanæ noxas, Dioscorides inquit, qđ inflat, & stomacho nocet, qđ de non probe cocta intelligendũ est, nam probe cocta nihil horũ facit. unde q̃ multi antiqui putarunt esse flatuosam ptisanam, cum illã essent experti non bñ coctam propterea Hippocr. in sectione. 18. dicebat in ventre non tumescere, quia cũ decoqueret, intumuit, quanto maxime intumescere potuit, ob quem tumorẽ ablatæ sunt oẽs flatuosæ partes. Opus igit est Dioscoridẽ de nõ probe cocta intelligere. Dices vero decoctionẽ non videri posse illi dare lubricitatem, quoniã ex decoctione inspissatur, spissa uero si fiat, nõ efficitur lubrica, nã Aristoteles quarto Meteororũ dicebat coctionem inspissando fieri. Respõdemus ptisana cruda est hordeũ pinsum, quando coquitur aqua additur, quę simul cũ igne emollit hordeũ, & lubricũ quoddã reddit corpus ac molle, nõ solum ad masticandũ aptũ, sed & ad potandũ, quando perfecte facta est decoctio, neq; eius partes gulæ inhærere possunt, sed deorsum labuntur, quia lubricitatem mollem acquisiunt.

οὐδαμῇ γὰρ προσίσχεται. idest, Neq; enim adhæret, nã discurrit deorsum, & nõ adhęret pti, ut glutẽ facit, aut glutinosum qđ, sed tota i vẽtriculũ descẽdit, nihil sui ꝑtiũ in uiis linquẽs.

οὐδὲ μένει κατὰ τὴν τοῦ θώρακος ἴξιν. idest, Neque manet per directum thoracis tramitẽ, constat gulã per thoracẽ transire, & per septũ transuersum in uentriculũ. Quod hic ab Hippocrate dicitur per directã thoracis viam, intellige per gulam, quæ per thoracẽ trãsit. Etsi dicas nõ uideri directe ꝑ thoracem transire, sed per diagonũ potius. Respõdemus hoc nihil facere contra Hippocratis propositũ, quoniã hoc vocat thoracis directũ, quia à superiori parte ad inferiorẽ transit, illa etenim quæ glutinosa sunt, cibario adhærent canali, postea à uehemẽti cordis calore, pulmonis, & aliarũ partiũ quę i pulmone sunt, exiccatur, & magnam infert noxam, & illis partibus obstructionem, appetentiamq; demit.

GALENUS. Hippocratẽ ἴξιν utplurimũ qđẽ εὐθυωρίαν. i. rectũ tramitẽ, interdũ aũt & φορὰν. i. delationẽ dicere nõ ignoramus. Quòd aũt ptisanæ haustæ ꝑ thoracẽ tum rectũ iter, tũ delatio ad ventrem vsq; per stomachũ fiat, liquido cõstat oĩbus: uult q; Hippocrates in ea re nihil ipsi adhærere. Nẽpe cum multa in thoracis pulmonisq; affectionibus existit caliditas, qđ adhæret arescitq;, atq; adeo pertinaciter obstruit, ut uix absolui possit, id ciborum fastidium quoddam & sitim facit.

BRASAVOLUS. Primo Galenus notat vocabulum ἴξιν & κατὰ ἴξιν frequẽtissime ab Hippocrate esse usurpatũ, ꝓ εὐθυωρίᾳ. i. recto tramite, aliquãdo tamẽ illud accipit, ꝓ φορὰ. i. delatione. At manifestũ est sumptã ptisanã ꝑ rectũ thoracis iter deferri, et delationẽ esse ad vẽtrẽ ꝑ stomachũ, Hippocratiq; uisum est i hoc trãsitu, et in uia ipsa nihil adhęrere sed totã ptisanã ꝓbe coctã ꝑtrãsire. Qđ legit iterdũ aũt et φορὰν grece habet αὐτὴν φορὰν. i. ipsam delationẽ, cõuenientiusq; videt cũ hac particula ipsam, legere.

Secundo Galenus docet in thoracis ac pulmonis morbis multam esse caliditatem. propterea quicquid adhæret, arescit, & tam pertinaciter obstruit, ut uix absolui possit, hoc vero quod inhæret ita siccatum, ciborum quoddam fastidium & despectum facit, & præter hæc, sitim inducit, & nonnunquam hæ partes adeo exiccantur, vt singultus fiat, atq; cōuulsio, ad quae mors in omnibus proculdubio sequitur. Et si dicas fieri posse & frigidos morbos in thorace, & pulmone. Nos hoc fatemur: tamen acuti non sunt.

## Hippocrates. Sectio XXX.

**Lubricissima autē est, sitim maxime arcet, facilime concoquitur, & infirmissima existit, si optime cocta fuerit, quibus omnibus est opus.**

BRASAVOLVS. Non solū ex perfecta ptisanę coctura illa quę, superius dicta sunt, habentur, sed cum ex hac coctura lubricissima fiat, sitim maxime arcet, facilime cōcoquit et si optime sit cocta. Copus in hac vltima parte sensum facit, vt facilime concoquitur, ita ībecillissima est, his uero omnibus indigemus ī morbis acutis.

ὀλισθηροτάτη τε. i. Lubricissimaq;. hoc est ex coctura lubricissima fit.

καὶ ἀδιψοτάτη. i. Et nequaq; sitim inducens. imo hoc peculiare habet, vt illam arceat.

καὶ εὐπεπτοτάτη. i. facilime concoquitur. hanc dotem de nouo exprimit Hippocrates quā superius prętermiserat saltem distincte, perfecta exterior coctura illi donat, vt in ventriculo, iecore, & membris facilime cōcoquatur, & conuertatur.

καὶ ἀσθενεστάτη ἐστὶν ἢν κάλλιστα ἑψηθῇ. i. Et imbecillissima est optime cocta. Vnus posset esse sensus ipsam esse ībecillissimam, quia vīcitur, & facilime digeritur: hoc vero Galeno non placet, nam dictum iam est facilime concoqui, ꝓpterea Copi interpretatio nō videtur quadrare Galeno. Alter sensus est esse imbecillissimā idest paucā pręstare corpori alimoniam vel nullam habet qualitatem, quę adeo vehemens sit, vt vel neruos, vel mentem feriat, quæ qualitates in aceto & vino reperiūtur, notaq; particulam illam, optime coctam, quę ultimo in cōtextu posita est omnibus particulis inseruire debere, imo & præcedenti etiam sententiæ.

Forte ambiges, quia ex prædictis cōditionibus nōnullę simul repugnare uideantur, hęc inq; extinguere sitim, & illa facilime cōcoqui, nam sitim extinguētia frigida sunt, & humida, quæ difficulter coquūtur, illa etenim facilius coquūtur quę sunt calida & humida: Rñdemus ptisanæ frigiditatē nullo efficere modo, ut difficulter coquatur in febribus pręsertim, in quibus naturalis calor in igneū est mutatus, vñ à ptisana potius iuuantur.

GALENVS. Ptisanam probe coctam non lubricissimam modo, maximeq; āb inferenda siti alienam, & facilis domiturę esse adstruxit, sed tandē infirmissimā esse adiecit. Quòd maxime lubrica sit, si probe cocta fuerit. iam antea est enunciatū. Sed q̃ ab inferenda siti maxime aliena sit, hic propter hordei naturā continuo adijcitur. Est aūt hordeum tēperamento frigidum. Verquonā pacto substantiā ipsam tum frigidā, tum calidam iudicare oporteat, inter animantia quidē in libris De temperamentis diximus: inter ea uero quę anima carent, in his quos de simplicium medicamentorū uiribus fecimus cōmentarijs. Imo et facilime ait esse concoctionis ptisanam hmōi, utpote quæ dissoluta sit, neq; quippiam habeat quod & durū sit, et difficulter perfici possit, atque haudquaquam flatuosam iam propter longam cocturam affectam esse. Quantum vero spectat ad id quod in dictionis fine dixit, ptisanā huiusmodi infirmissimam asserens: si nihil de probissima ipsius cōcoctione antea egisset promptum esset, sermonem Hippocratis ad eam quæ in vētre sit domituram referendū affirmare: quasi infirmissimā dixisset quæ in uētre & facile uincatur, & perficiatur, & permutetur. Sed quoniam id prædixit, infirmitatem illā intelligere oportet quod uel paucam pręstet corpori alimoniā, uel nullam habeat qualitatē quæ usque adeo uehemens sit, ut uel neruos, vel mentem feriat, quomodo acetum uinumq;.

BRASAVOLVS. Primo Galenus docet ptisanam probe coctam non solum esse lubricissimam, & maxime ab inferenda siti alienam, & facile concoqui, sed demiq; adiecit illam esse infirmissimam, superius dictum est esse maxime lubricā si probe cocta fuerit. At quòd ab inferenda siti multum sit aliena, hic ob hordei naturā adijcitur, nam hordeum temperamento frigidum est, vt in libro de alimentorum facultatibus & in illo de simpliciū medicamentorum facultatibus edocuit.

Secundo cum à nonnullis dici posset, Quomodo nosti tu hordeum esse frigidum? Lectorē ad alios mittit locos, in quibus hæc temperamenta pertractantur, nempe quibus medijs iudicari possit substantiā ipsam esse vel calidā vel frigidam, si de animalibus loqueris in libro de temperamentis scriptū habes, si de rebus anima carentibus, verba fiant, de eorum temperamentis, & de modo quo cognosci possint in libris de simpliciū medic. facult. edocuit. Lege secundū de temperamētis librum prope finem. Methodus habeť inueniendi, quinam hominum sit temperatissimus, & deinceps quę sit singularū corporis partium temperatura. In tertio uero libro medicamentorū temperamenta ostendit. potissima tñ illius libri intentio est de homine loqui. De inanimatis tñ & prædicto libro agit & per oēs libros de simpl. medic. facul. tamē unus est parocularis locus, in quo Vniuersaliter edocemur qño simplicium temperaturæ cognoscantur, lib. 5. cap. vlti. quippe qd' calefacit. non tñ euidenter, sed rōnali quadam probatione indigemus, ut calidum esse suadeamus, in primo ordine calidū est. Idem de frigido intellige, humido & sicco. Quo uero euidēter calefacere, vel frigefacere, vel humectare, vel exiccare deprehenduntur, secūdi ordinis esse iudicantur: at quæ iam vehementer quidem, sed nō summe illa facere pñt, in tertio sunt ordine. Nota uero nihil reperiri in quarto ordine siccum, qđ non erat. De humido nihil dicit Galenus, quia summe humidū est aqua. In quarto uero ordine frigidum necat, & mortificat. Hæc est apud Galenum methodus simplicium medic. facultates probandi.

Tertio Galenus particulā eam exponit, qd' sit facilimę concoctionis talis ptisana. s. probe cocta, qm̄ dissoluta est, nec in se quicquā habet qd' durum sit, et difficulter cōcoqui possit. Deniq; ob longā cocturam nihil in ea relictū est flatuosi, hoc. n. hordeo inest peculiare, vt ex coctura flatuosæ partes abeant, hoc non inest fabæ quā etsi per decē dies coxeris est flatuosa.

Deniq; Galenus considerat huius sententiæ finem, quo dicitur ptisanam esse infirmissimā. Dicitq; si statim superius de ipsius celeri cocti one nihil dixisset. Potuisset facile hanc particulā interpretari quæ dicit ptisanā infirmissimam, & imbecillissimā, nā intelligeremus qd' facilime à naturali calore superaretē, & vinceretur. Itaq; facile coqueretur. vnde esset infirmissima ad resistendū coctioni, sed facile permutatur, & facile cōficitur. At quia hoc ab Hippoc. prædictū est, ne idem absq; utilitate bis repetatur hanc infirmitatē alio mō ītelligere cōuenit ut. s. paucam præstet corpori alimoniā, uel nullam habeat qualitatem, quæ vsq; adeo excellens sit, & uehemēs, ut uel mentē, uel neruos ferire possit, qđ faciunt & uinū & acetum, utrūq; n. ipsorum tali qualitate præditū est, vt neruis obesse possit, & cerebro, atq; ipsi menti, cui potissimū obest uinū. vnde quod mentē feriri à uino, & aceto dicat, & Græci dicunt τὰς γνώμας, idest vel per mentē non vim illā perfectissimā intellectus audire oportet, sed cerebrum ipsum, uel id ad uinum tantū referendū est, quòd mentē feriat, quoties fumi ascendunt, et hominē suę mentis non compotē reddunt, in quo etiam casu & simul nerui læduntur. Acetum uero & cerebro & neruis inimicissimum est, vtpote frigidum, & sua illa acutie ualde penetrans.

## Hippocrates. Sectio. XXXI.

**Nisi igitur quis quantum deest contulerit, vt ptisanæ sorbitio sufficienter paretur, crebrius sane detrimentum afferet.**

BRASAVOLVS. Hippocrates hic velutivniuersalem quandam propositionē infert, hoc pacto, nisi igitur quispiam ptisanam recte præparauerit,

parauerit, & illi, quę addēda sunt, addiderit, & nisi debito modo illam confecerit, frequētissime obest, quo iuuare debebat, nam recte parari debet, & recte administrari, & corpori disposito dari, vt postea edocebit, vnde Galenus vult hic illa incipere quę superius dicebat, alia peropportuna esse administranda, quæ præmonstranda erant.

ἢν μὲν οὖν μὴ προστιμωρέηται τις ὁκόσον δέεται αὐτάρκως εἶναι ὁ τρόπος τῆς τοιαύτης πτισανορ'ῥοφίης. idest, Nisi igitur quis quantum deest sufficientiæ attulerit ut modus talis sorbitionis ptisanæ conuenienter paretur. nihil aliud ab Hippocrate tam ardenter expetitur, quàm vt conueniens sit ptisanæ coctura, & cōuenienter exhibeatur, nam optimum medicū cognoscere opus est, & iuuamenta quæ res datę exhibent, & nocumenta etiam quæ inferunt, vel quando non sunt conuenientia & conuenienter præparata, vel quando non dantur vt deberent.

πολλαχῇ ἐκβλάπτεται. idest, Frequenter lædet, quando non erit bene cocta, una erit lęsio apud Trallianum descripta lib. secundo, capite primo, quoniam erit flatuosa, & præcordia extendet, aliasq́ nocumenta faciet, de quibus in posterum loquetur Hippocrates.
Habetur huius sententiæ mentio apud Galenum in primo de iudicationibus ad tertias libri partes, cum illam particulam statim interpretatur.

GALENVS. Docere incipit, quæ paulo ante se dicturum promisit, cum dixit, Multa quoque alia peropportuna quæ præmonstrāda sunt prætermittuntur, quæ postea dicentur. Quod autem uerbum τιμωρῆσαι, idest conferre, tum apud antiquos, tum apud Hippocratem ipsum sæpius pro βοηθῆσαι, idest auxiliari dictum sit, demonstrauī & in alijs libris per eas quas in ipsos confecimus enarrationes.

BRASAVOLVS. Primo Galenus docet, Hippocratem iam illa edocere incepisse quæ superius se dicturum promiserat, cū dixit multa quoq; alia peropportuna, quæ præmonstranda sunt prætermittunē quæ postea dicentur, hoc vero est superius sectione. 24.
Secundo Galenus docet verbum τιμωρῆσαι, idest conferre, et apud antiquos, & apud Hippocratem ipsum poni pro verbo βοηθῆσαι, idest auxiliari, hocq́ sæpius Galenus testatur se dixisse in uarijs commentarijs, quæ in Hippocratem edidit, in tertio huius voluminis, sectione. 22. Hippocrates vtitur ἐς τιμωρίην pro ad auxilium.

## Hippocrates Sectio XXXII.

Quibus enim cibus statim inclusus, siquis non vacuato eo sorbitionem dederit, dolorem si adest adaugebit: si non adest, protinus inducet, frequentiorq́ reddetur spiritus, quod malum est. Nempe pulmonē exiccat, fatigatq́ tum hypochondrium, tum uentrem imum tum septum transuersum.

BRASAVOLVS. Vnum ex his quæ præmonstrāda erant, & quæ erant prænoscenda, exorditur Hippocrates, & quæ superius sectione 24. se dicturum promiserat, si quis cibum sumpserit, qui pro portione sua in feces couuersus sit, & eæ feces sint intus conclusæ in intestinis, & non exierint, si quis sit medicus tam temerarius, qui sorbitionem dare voluerit, fece illa nondū expurgata, si hic æger dolorem habet, dolor hic augebitur: si dolore carebit, protinus inducetur, et spūs reddetur frequētior, q̃ prius, qđ malum est, & non mediocre, ex hoc. n. pulmo exiccatur, & hypochondria, & imus uēter, & septū trāsuersum male afficiunt.

ὁκόσοισι γὰρ σῖτος αὐτίκα ἐγκατακέκλεισται. i. Quibus enim cibus recens inclusus est. vocabulum αὐτίκα & si statim significet, tamen hic cibi continuitatē ostendit, & quod nuper fuerit ingestus, nuper vero idest tanto tempore vt alius cibus nondum sit acceptus. vnde à Copo recte vertitur recens, vt cibus qui datur, alium inueniat cibum cuius feces nondum exierint. vt sensus sit, qui adhuc præteritum cibum in vētre habent. Etsi petas in qua ventris sit parte. Respondemus si de cibo ipso intelligeremus, & non de fece, adhuc esset in ventriculo. at si de ipsis intelligamus fecibus, sunt in intestinis, quoniam feces in intestinis fiunt, & ibi formam acquirūt, quoties à meseraicis tota humiditas fuerit attracta, et vera fecum forma, potissimum in crassioribus fit itestinis, per cibum igitur feces intellige præcedentis cibi, quæ in intestinis continentur. Galenus in primo de iudicationibus exponens vocabulum principium, & vocabulum statim, vult vocabulum principium nullum determinatum tempus significare, ita & verbum statim tantam temporis latitudinem obtinet, quantam et principij nomen, vultq́ sæpius nos vti statim pro ilicet, & adducit hāc sententiam, in qua notat Hippocratem ita accepisse verbum statim. qui uero sit inclusus cibus à Galeno edocemur in suo commentario in primum prorrhetici sectione vltima. & in primo commentario in sextum de morbis vulgaribus sectione sexta, in quibus locis sententiam hanc adducit & exponit.

εἰ μή τις ὑποκενώσας τὸ ῥόφημα δοίη. idest, Siquis eo non euacuato sorbitionem dederit. hoc est si quis ptisanam dederit, stercore præcedentis cibi non euacuato ut ostendat cuiuslibet cibi euacuanda esse superflua, prius q́ comedatur, & hoc præsertim in morbis, nā in sanitate semel in die satis est excernere, quanq́ & aliqui sine noxa per duos aut tres dies & sani nō excernant. nos quandoq; per sex & octo dies, & semel per duodecim absq; ulla noxa non excreuimus, eodem tamen modo comedentes vt prius faciebamus, veruntamen egregie mingebamus: nunc cognoscimus nos iam peruenisse ad senium, cum singulis diebus semel excernamus.

τὴν ὀδύνην ἐνεοῦσαν προσπαροξύνειεν ἄν. i. Dolorē iam existentem adaugebit. de laterali intelligit morbo, in quo dolor est in affecto loco, si feces sint relictæ in intestinis, ad ventriculū suis perueniunt fumis, quē implent, ptisana addita maior fit in uentriculo tumor, & supra diaphragma cōprimitur, diaphragma vero supra pelliculam costas tegentem, itaq; dolor augetur.

καὶ μὴ ἐνεοῦσαν, εὐθὺς ἐμποιήσειεν. idest, & si non adsit, statim inducetur, sed hic dubium mouere poteris, cum de lateralis morbi essentia sit loci dolor, quomodo dicit Hippocrates si dolor non adsit? Respondemus, nunq́ profecto pleuritis est absq; dolore, vnde non intelligo penitus abfuisse dolorem, sed fuisse mitiorem. propterea, si dolor vehemens non adfuerit, statim vehemens inducetur, ob compressionem, quā faciet uentriculus supra septum trāsuersum, & alias superiores partes, quā non fecisset, si superiores partes fecibus vacuæ fuissent, nā uentriculus deorsum extenderetur.

καὶ πνεῦμα πυκνότερον γένοιτ' ἄν. idest, Et spiritus frequentior redditur, quia supra spirituales partes comprimitur.

κακὸν δὲ τοῦτο. i. hoc aūt malum est, nā Hipp. in. 27. primi prognosticorum sectione dicebat, spiritum frequentiorem, dolorem significare, aut inflammationem, quæ sit supra septum transuersum. In huius sententiæ cōmentatione à Galeno notatur, spiritum fieri crebriorem, & paruum ob dolorem, fieri vero crebriorem, & magnum ob inflammationem. In proposito, cum de pleuritide loquatur, quæ inflammatio est, spūs erit crebrior, & magnus, & quia adest dolor, deberet esse crebrior & minor, tamē cum utrūq; adsit in pleuritide. Spiritus erit quidem creber, sed in magnitudine, et paruitate, nō mediocris aderit differentia, quoniam euariabit. Est vero paruus hic creber spiritus, quia difficilis, Hippocrates uero in. 28. primi prognosticorum sectione inquit, facilitatem spirationis habere magnā vim ad sanitatem in omni morbo acuto, qui intra quadragesimum diem terminatur. E cōtrario difficultas respirationis magnum protendet malum in omni morbo acuto, imo et simpliciter in omni morbo, nam semper mala est. Si uero causam petas cur in hoc casu sit creber anhelitus. Causas tres assignare poterimus: vna est, in intestinis feces contineri, à quibus flatus eleuantur, & supra ventriculum comprimunt, ventriculusq́ iam compressus, sumpto cibo, adhuc

magis comprimitur, & diaphragma comprimit, ad quam cōpressionem spirituales partes coarctantur & offenduntur. unde spiritum frequentius attrahere coguntur. Secunda causa est dolor ille qui augetur vel si mitis fuerit, vel intensus & augeatur, tunc enim dolente parte spiritualia membra dilatari non possunt ob doloris intensionē ad faciendū anhelitū. propterea fit paruus, ad quod statim cōsequitur frequētiori indigere spiratione, in inflāmatione vero ob caliditatē multū dilatatur, & ideo fit magnus & frequēs ob caloris inducti necessitatē. Cum vero duo sint & dolor, & inflāmatio, nō erit in paruitate et magnitudine cōstātia, sed vt vnū erit aliu vehemētius, ita in illud inclinabit, semper tamen erit creber anhelitus. Tertia causa est quia ex dolore partes intumescūt, & maior necessitas attrahendi spiritum inducitur, & ideo crebriores fiunt.

Nota eandē esse in anhelitu rationē, quæ est in pulsu, Galenus vero quarto de causis pulsuū libro de pleuriticorum pulsu agēns inquit, esse celerē & crebrū, nec admodū magnū quamuis vehemens esse videatur, & ratio est, quia pleuritis est inflāmatio membranæ costas succingentis, itaq; febricitant acute, quippe cordi vicina est, cū vero ad eū modū febricitent, ideo habent pulsum celerē, quod neruosa etiā pars sit quæ affecta est, hinc insigniter est durus. Tamē q̄a ita habet, ideo minor est quoq; q̄ febri cōueniat, quare vt & creber fiat par est, quod magnos pulsus calor postulet refragetur durities, diximus autē ante ab usu absit magnitudo pulsus resarcire crebritatē, ponitq; Galenus inęqualē crebritatem his, secundū humores quos habent, & quos participāt, eadē dicenda sunt in spiritu, & eędē causæ reddēdæ, tamen repletio hic plurimū addit ad crebritatē anhelitus & sui necessitatē, quæ si apud Gal. in spū noscere contendas, lege illū in. 3. de difficult. respirat. ad tertias libri partes, vbi de his spiritibus agēs, hanc Hipp. sentētiā adducit & interp̄tat̄. Forte inquies, cur de ueloci spiritu mentionē non fecit, cū crebrum præcedere videat̄. Rn̄demus, id forte p̄termisisse, quoniā uelocitas in spiritu non est signū adeo manifestū ut frequētia, vel dicendū si vis sit imbecilla, spūs pōt esse creber, & non velox. nam eadē est rō in pulsu apud Gal. at si vis sit fortis, in crebro spiritu includitur uelox, vt in pulsibus esse contingit.

ξηραίνει τε γὰρ τὸν πλεύμονα. i. Etenim pulmonē exiccat, hoc est, id malum, qd' sequitur, pulmonē. s. exiccari, sed inqes q̄ūo exiccatur, cum ptisanæ sorbitio humectet. Rn̄demus, intellige pulmonē exiccari. i. nihil posse expuere, qd' sequitur ad cōpressionem & spm̄ crebrum. nā spuimus solū expirando, sed tanta spirandi & respirandi necessitate indigemus, vt hoc tanta fiat frequentia, qd' tempus nō adest cōueniens ad sputū in expiratione eliciendum, vel etiam verum est ex tam crebra spiritus anhelatione pulmonem exiccari.

καὶ πονῶδες ὑποχόνδριον. i. Et dolore afficiuntur p̄cordia, qm̄ & ipsa stringunt̄ et cōprimunt̄, partim à cibo de nouo existe in uētriculo, p̄tim à fecibus, q̄ sunt in itestinis, et prius nō exiuere.

καὶ ἦτρον. i. Et imus uēter. Copus vertit abdomē, Gaza u'o ἦτρον uertit mō abdomen, mō sumen, mō uenter imus. Si Celsum cōsideremus in fine capitis primi libri quarti p̄ abdomen totū intelligit ventrē à pube ad præcordia, nā inquit, Ipsa autē ilia inter coxas et pubē imo uentre posita sunt, à q̄bus ac pube abdomē sursum versus ad pręcordia p̄uenit. ut abdomē apud Celsum p̄ueniat ad pręcordia, videt̄ tn̄ Celsus interpretari uocabulū ἦτρον. i. pubes. nam. 2. lib. cap. 4. referēs aphorismū. 35. secūdi libri, qui est hic, In quouis morbo partes ad umbilicū, et imum ventrē attinentes crassitudinē hēre melius, uti̅t Hippoc. vocabulo ἦτρον. Ita uero à Celso referī de malis signis ægrotantiū agente, maliū signum esse cutē circa umbilicū & pubem macrā. Nos in p̄n̄tiarū utamur noībus ut alij fecere, cū & ἦτρον imum etiam significet uentrem, illum contra medium & superiorem uentrem. i. thoracem & caput distinguentes.

καὶ φρένας. i. Et septum transuersum, dolore. s. afficitur, quoniam necessarium est ab his cibis cōprimi & extendi cum nuper sumptis, tum prius receptis.

De hac sententia Galenus vbertim agit in tertio de difficultate respirationis, & in sexta sectione primi commētariorum in sextum epidemiorum, & in tertio de iudicationibus libro.

GALENVS. Cibum dixit, quod ab edulijs in intestinis ipsis continet̄ excrementū: quod Græci & σκύβαλον & κόπρον appellāt. Si igit̄ incluso eo. i. ex multo t̄pe haudquaq; eiecto, ptisanā quis propinauerit, lateri offensam fieri est necesse p̄p̄ itestinorū oppilationem: quā ex collecto in ipsis stercore, flatuq; p̄p̄ oblatā ptisanā haudquaquā pertranseūte, & demū ob prauā quæ ad affectam partē fit distributionē nacta sunt. Quo fit, ut exhausta ptisana, necessario dolorem si adsit, adaugeat: et si cōquieuerit, reducat. Nēpe uapores, flatuosiq; spūs, et scybalorum exhalationes cū ad latus perueniunt, dolorē ipsi pariunt, adaugentq; ob eas cās & frequentior fiet respiratio. Vocauit aūt totam respirationem spm̄, & in prognostico, et in libris populariter uagantium morborum. Densata aūt frequēsq; reddita respiratio, respiratorijs in organis assiduū ob motū caliditatem efficit maiorē, qua siccant̄ tum pulmo, tum septū transuersum: siccanturq; unà & calfiunt eæ quæ tū in hypochōdrio, tū in peritonæo existunt animalis partes. Omnes siquidem in respirationibus unà cum thorace mouēt̄ur. Quod autē principio dictionis dicitur: Quibus. n. cibus statim inclusus, Vocē hanc, statim, ordine habet cōmutato: quæ si suā, peculiarēq; acceperit cōcinnitatem, compositionemq;, dictio ita habebit. Nisi præfato ptisanaceæ sorbitionis modo suppetias tulerimus, frequētius orietur læsio: statim siquidē quibus cibus inclusus est, nisi quis prius uacuato eo sorbitionem ita dederit, maximam afferet offensam.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat hic ab Hippocrate p̄ cibū eduliorum excrementū intelligi, quod in ipsis continetur intestinis. id m̄ōi excrementū Græci & σκύβαλον & κόπρον vocant. si igitur eo excluso in intestinis excremento. i. ex multo tempore nequaq; eiecto, aliquis ptisanā propinauerit, necessariū est lateri nocumētū fieri, ob obstructionē intestinorū, quę obstructio ortum habuit tū ex collecto in intestinis stercore, tū ob ptisanā exhibitā, quæ non pertransit, & tū ob prauā distributionē, quæ ad affectam fit partem.

Scito Galenū intelligere cibū. i. excrementū inclusum, hoc est multo t̄pore nequaq; eiectū, vt forte sit multarū cibationum excrementū, & non vnius, nā vnicę cibationis excrementum adeo lædere non posset, quoniam satis esset si in intestino cęco seruaretur, idq; fieri solet, & ad hunc finem intestinum illud effectum esse constat.

Scito et qd' σκύβαλον dicit à recētibus pro exustis stercoribus usurpari, quę cū canū stercoribus similitudinē quandam hn̄t. Forte petes quę nam sit illa ad affectā partē praua distributio, Rn̄demus flatus sunt qui eleuātur, & ad lęsam partē ascendūt. Sed addes flatus istos vel fumos vaporosos debuisse potius ascendere ad affectā partē, qn̄ nondū erat sumpta ptisana, q̄ ipsa iam sumpta: nam sumpta ptisana ueluti sepes est, quæ iter intestinorū feces, & locū affectionis thoracis interiacet. Scito hunc flatū ab excrementis eleuatū, in uentriculum progredi, in quo cū est, quia à ptisana detinetur, et concoctionē impedit, et alij ēt ibi fiunt flatus, qui simul misti ad doloris locū ascēdunt. Etsi petas cur potius non descendant hi flatus: Rn̄demus, quia à fecibus detinentur ibidē inculcatis. p̄p̄ea ascēdere cogunt̄ur. Tamen potiori argumento ambigere poteris, quonam modo hi flatus ad locum læsum deuenire poterūt, quia si per intestina ad ventriculum ascendant, via directa est per gulam peruenire ad os, & exire, et non ire ad thoracē, in quē necessario progredi deberet, si in affectam partem, & in locū doloris deuenire oporteat, necessariumq; esset vt pellicullā abscessum tegentē ingrederetur, eamq; magis extēderet, vt dolorē augeret, nā & si thoracem ingrederetur, modo non ingrediatur pelliculam tegentem abscessum, non videretur dolorem inferre posse. Respondemus, hunc dolorem multis modis induci posse. primo si cōprimatur supra ventriculū, & ventriculus supra diaphragma, & diaphragma supra pelliculam costas tegentem, in qua est abscessus. Alter est modus, si hi flatus paruas venas ingrediantur, deinde venam portæ, & deinceps magnam deniq; deue-

piant

niant ad venam fine pari qua coftæ nutriuntur. Itaq; ad inflãmationis locum deueniat, & hoc rationi cõuenit, quia illuc omnia concurrunt ubi dolor infeftat, omnia inquam .i. fanguis, fpiritus, humores, ac vapores. Tertius modus eft vt per infenfibiles membrorum meatus, quæ inuicem continuantur, ab inteftinis ad thoracem hi flatus afcendant, & vel abfceffus pelliculam ingrediantur magis extendentes, vel thoracis cauitati inhærentes, abfceffui dolorem inducant, et hoc eft, quod à Galeno innuitur in fecunda parte, quæ nunc fequitur.

Secundo Galenus ad propofitũ iam dictũ profequitur. Cum ptifana fumpta fuerit, dolorem adaugeri neceffarium eft, fi relaxatus fit. Si vero quieuerit .i. penitus abierit, iterum reuirefcit, nempe uapores & flatuofi fpiritus, & ftercorum exhalationes cum ad latus perueniunt, & ad locum abfceffus, dolorem pariunt & adaugent, vnde ob has caufas refpiratio fit frequentior. Galenus vero hic notat Hippocratem totam refpirationem vocaffe fpiritum, quod & in libro prognofticorum, & in epidemijs obferuauit. Cum uero refpiratio, & denfior effecta eft atq; frequentior in refpirationis organis ob continuum motum caliditas maior efficitur, ex qua caliditate & pulmo ficcatur & tranfuerfum feptum. Adde unà & partes omnes animales ficcari, quæ & in hypochondrio funt, & in peritonæo, nam omnes vna cum thorace in refpiratione mouentur.

Quod legitur neceffario dolorem fi adfit, adaugeat, & fi conquieuerit reducat, Græce eft, ὅτι τι ἀναγκαῖον ἐστι τὴν ὀδύνην εἰ μὲν ἂν λελωφηκυῖα, παρακαλέσαι πάλιν, εἰ δὲ πεπαυμένη γενήσεται .i. Neceffario dolorem fi relaxatus, remiffusq; fuerit, rurfum adaugeat, fi defierit, reducat. hic profecto alter eft fenfus, q̃ is qui ab interprete refertur.

Quod etiam legitur dolorem ipfi pariunt, Græce eft τὴν ὀδύνην αὐτῆς .i. dolorem ipfius pariunt, dolorem inquã ipfius pleuræ, non autẽ vapores ipfi pariunt, quamuis & ipfi pariant, tñ Galenus per particulã αὐτῆς pleurã referebat, & nõ vapores. Quod legitur, denfata autem frequẽsq; reddita refpiratio, Græce tantum eft πυκνωθεῖσα δὲ ἀναπνοή.

Sed hic ambiges caliditatem potius videri caufam refpirationis, q̃ frequentem refpirationem caufam caloris, quoniã cum adfit calor, maior fit refrigerandi neceffitas, itaq; frequẽtior fit anhelitus. Refpondemus vtrũq; vtriufq; effe caufam, nam caliditas vt febris, frequentioris refpirationis atq; maioris eft caufa. Ille vero frequens refpirationis motus calorem auget, itaq; fui caufam auget, tamen in propofito frequentioris refpirationis caufa eft dolor, cum quo tamen & caliditas & repletio coniuncta funt. Itaq; vnũ aliud auget, & id faciens feipfum quoq; auget, nec iftud incommodum eft.

Si vero petas in quibus libri prognofticorum locis, & epidemiorum Hippocrates vocabulo fpiritus, pro tota refpiratione vtatur. Scito vigefimãfeptimam primi prognofticorũ fectionem vnum effe locum, cum inquit fpiritus crebrior dolorem fignificat. Alter eft in tertio epidemiorum libro locus, fectione 74. tertij libri cõmẽtariorum Galeni, vbi Hippocrates cafum ponit in Thafo Pythonem, qui fupra Herculis fanum decũbebat, dicit hunc habuiffe diu breuem fpiritum .i. refpirationem. In primo epidemiorũ eft alter locus, vbi Hippocrates cafum ponit. Philifcus prope mœnia habitabat, fpiritus huic erat perpetuo quafi reuocanti rarus & magnus. En quod pro refpiratione fpm̃ accepit, eft in. 3. cõmẽtario fupra primũ epidemiorũ fectione. 19. Alter quoq; eft cafus fectione. 4. fecũdi lib. cõmẽtariorũ Galeni in. 3. epidemiorũ, vbi ponitur cafus illius quæ angina laborabat, et apud Gitonem agebat, ubi inquit fpiritus fublimis, Galenus exponit fummis naribus refpirabat, funt alij plures loci, quos prætermittere decreuimus, ne his cõmentarijs libros omnes mifceamus, fat fuit nos oftẽdiffe à Galeno verum dici fpiritum pro tota fpiratione in prognofticis, & in epidemijs accipi, imo & nunc. 63. quarti libri aphorifmo addemus, vbi Hippocrates inquit in febribus fpiritus offendens malum, conuulfionem enim fignificat, vbi Galenus notat in hoc aphorifmo ficuti in prognofticis, fpiritum accipi pro refpiratione, intelligit vero offendentẽ .i. in medio fui interruptum. Scito apud Galenum refpirationem à mufculis thoracis fieri, qui illã dilatant, in qua dilatatione, omnes fimul inferiores partes molles, vfq; ad pubem commouentur, non eft autem pulmo qui moueat, fed ipfe ad thoracis motum commouetur, ex continuatione vero, & partes, quæ ad hypochondria fpectant & quæ ad peritonæum commouentur, & hoc eft cur in doloribus ventris videatur impediri fpiratio, & inter fpirandum vehementius doleant.

Deniq; Galenus ad expofitionem particulæ reuertitur in principio huius fententiæ pofitæ, cum dicebat, quibus enim cibus ftatim inclufus, hæc vox (ftatim) fecundum quendam fuperioris fententiæ ordinem ad hanc poni debet. propterea fi hæ duæ fententiæ fuam habeant concinnitatem et conuenientem compofitionem per hunc ordinem poni debent, Nifi modo prædicto forbitionẽ ptifanæ quis dederit, frequentius orietur læfio, ftatim fiquidem quibus cibus inclufus eft, nifi quis prius vacuato eo, forbitionem ita dederit, offenfionem maximam afferet. vt velit Galenus particulam αὐτίκα ordinem notare collectionis fimul fententiarum, & quãuis fuperius in Hippocrates, contextu de recenti cibo intelligeremus, & Copum ita vertentem fequeremur, id nõ erat vt à Galeno vel lato vngue difcederemus, fed potius vt oftenderemus præcedentem cibum intelligi, tñ cũ in verbis Hippocratis id fubintelligere oporteat Galenum fequi nihil impedit, vt particula ftatim connexionis ordinem in his fententijs denotet, quod & iterum vifus eft intellexiffe Galenus in tertio de iudicationibus libro, quando huius particulæ ftatim fignificata recenfet.

Quod legitur vocem hãc ftatim ordine habet commutatio, Græce eft τὴν αὐτίκα φωνὴν ἐνηλλαγμένην ἔχει κατὰ τὴν τάξιν .i. vocem hanc ftatim ordine habet commutatam.

## Hippocrates. Sectio XXIII.

Præterea fi lateris dolor afsiduus eft, calidisq; fomentis non remittitur, fputumq; non procedit, fed καταγλισχραινόμενον ἀσαπέως, id eft fumme citra coctibilitatem glutinofum fit, nifi quis dolorem, vel alui fubductione vel fecta vena pro vtriufuis exigentia foluerit, ptifanam autem ita affectis dederit, præcipitem aget in mortem.

De ptifanæ exhibitione loquitur Hippocrates, & potifsimũ in pleuritide. nam illam pro exemplo recepit. propterea inquit fi quis ptifanã dederit lateris dolorem continuum habenti, qui calidis fomentis non remittitur, & hic fputum extrudere non poffit, quoniã abfq; ulla coctione ualde glutinofum fit, ægrum in mortem deducet, nifi quis dolorem foluerit vel per alui fubductionem, vel per venã fectam, vt ars exigit, & regulæ ipfæ fieri debere oftendunt. BRASAVOLVS.

τοῦτο δὲ ἢν ἔτι τῆς ὀδύνης τοῦ πλευροῦ συνεχέος ἐούσης .i. Quin etiam vbi lateris dolor continuus fit, vt nullas det inducias, & nullum ferè fpirandi tempus.

καὶ πρὸς τὰ θερμάσματα μὴ χαλάσῃ .i. Et calidis fomentis non leuatur, fed inquies ex calidis fomentis neceffaria remitti, quoniam materiam exiccant, quæ in loco continetur, vel faltẽ eius partem, & confequenter non adeo extenditur vt prius, doloreq; remittitur. Scito omnino cum calidum fomentum, vel res calida loco applicatur, ftatim dolorẽ remitti, cum vero calidi natura fit attrahere materia ab hoc calore attracta, & multo maiore q̃ refoluta, dolor vehementius augetur.

καὶ τοῦ πτυέλου μὴ ἀνιόντος .i. Neq; procedit fputum. fed fi exire cœperat, amplius non exit, vel neque exit, neq; ob fuũ lentorem exire poteft, adeo partibus inhæret. & canalibus per quos exire deberet.

ἀλλὰ καταγλισχραινομένου ἀσαπέως. ideft fed glutinofum fit, & valde incoctũ, & ob hoc exire non põt, nã vehemẽter inhæret, & quãto magis crudũ eft, tanto eft craffius & ineptũ exitui.

Sed inquies hic videri contradictionem in Hippocrate, qui dicit esse glutinosum, statim uero dicebat non exire. at si nõ exit, quomodo glutinosum esse deprehenditur, cum glutinosa visu cognoscantur? Respondemus id à nobis cognosci tum quia aliqua exit portio, non enim putandum est nil penitus exire, tum per ratione͂, nam hic est sputi glutinosi effectus, exire non posse, sed plurimum inhærere. Cum igitur non exit, multũ inhæret, cum multum inhæreat, est glutinosum. At dices forte non adesse sputa. Respondemus id dici nõ posse, ob dolorem ob anhelitus difficultatem, ob impedime͂tum quod in vijs sentitur. At dices, & si esset valde aquosus, exire nõ posset, et si valde crassus absq; lentore. Respondemus, quãdo ab Hippocrate dicitur & incoctum, sub hac particula incoctũ & aquosum & crassum intelligit lentore carens. Dices uero, nonne potuisset glutinosum sub ea particula incoctum complecti, & particulam illam glutinosum prætermittere. Respondemus, potuisset quide͂, sed hoc expeditius est, cõmodius, atq; amplius. Forte etiam dubitabis an sputum sit glutinosum et incoctum, ex se, aut ob fomenta calida, quæ adhibita sint. Respõdemus ex se tale est, & tam intensæ qualitatis, & nec possit per calida fomenta resolui, quæ tame͂ adhibita sunt. Petes præterea quid intelligendum sit per valde incoctum. Respondemus id quod supra naturalem cruditatem crudum est, & quod supra naturalem lentorem lentum est.

ἢν μὴ λύσῃ τις τὴν ὀδύνην, ἢ κοιλίην μαλθάξας, ἢ φλέβα τεμών, ἢ ὁκότερον ἂν τουτέων συμφέρῃ. i. Nisi quis vel emolliens, vel secans venam dolorem dissoluerit, uel utrum horum conferat. Fomentum vnum ex his est, quæ dolore͂ soluere consueuerunt, supponit vero per fome͂ta non esse ablatum dolorem. propterea duo alia addit præsidia, quibus dolor leuari solet, vnum est ventris subductio, aliud venæ sectio. Hæc sunt egregia præsidia ad remittendum dolorem in pleuritide, Hippocrates secundo prognosticorum libro sectione. 52. modos enumerare videtur, quibus dolor in thorace aufertur, hi sunt screatio, ventris subductio, venæ incisio, medicame͂ta, victus ratio. eo in libro fome͂ta derelinquit, et inũctiones. Sed inquies, ibi dicit subductionem, postea medicamenta quæ idem esse vide͂tur. Respondemus, subductio fit per clysteres, medicamenta uero per os sumpta euacuant. Hic vtitur verbo emolliens ventre͂, per quod quispiam forte dicere poterat intelligendum esse medicamentum emolliens, & quod ventrem leniat, non autem medicamentum catharticũ. Forte in hoc sensu intellexit Hippoc. quãquã ipse utatur catharticis & vehementioribus, vt suis videbitur locis, si Hippocrate͂ sequeremur, quando dolor ascendit ad clauiculam, sectione venæ vti debemus. Cum vero deorsum tendit ad præcordia, tũc vti oportet medicamento, sed hac de re in secũdo libro huius uoluminis vbertim agemus, ne locum proprium de hac re loquendi præoccupare videamur.

τὰς δὲ πτισάνας ἢν οὕτως ἔχουσι διδῷ. i. Ptisanas aute͂ ita affectis dederit, nempe ita affecti in summo sunt uigore, in quo ptisanã præbere nõ est opus, imo nihil dandum, ne a suo opere natura impediatur. i. à coctione, quam molitur, & à pugna, quam habet contra materiam.

ταχέες οἱ θάνατοι τῶν τοιούτων γίγνονται. i. Mortes horum festinæ sequuntur, vel præcipitem aget in mortem, & erit ipsa ptisana, quæ ad celeriorem mortem festinare faciet, & ad præfocationem in illo discrimine, in quo nec sputa exibunt, & materia le͂ta erit ac cruda, notatur etenim esse morbum sæuum, cum sputa non sequuntur, imo & cum dolor neq; per fomenta, neq; per venæ sectionem, neq; per medicamentum cessauerit.

GALENVS.

Quod de pleuritide tanquam exemplo agat Hippocrates, memoria non excidat. Fieri autem pleuritidem ipsam propter inflammationem eius quæ costas succingit membranæ, ostendimus. Si igitur cum in vigore fuerit inflammatio, ptisanã quis dederit, ægrum grauiter offendet. Vigentis autem inflammationis notæ sunt, dolor assiduus, & quòd nullo pacto à calidis fomentis remittatur. Continuo autem & alia addiicitur pleuritidis non magnę modo, verum & morosæ nota, quod se licet sputũ abunde glutinosum ab euacuatione arceatur, infarcitũ in affectis partibus sit & detentũ. Nempe hoc uerbum καταγλισχραίνεται plus aliquid indicat, dictione maximam significante glutinositatem, facta præpositionis huius κατὰ adiectione. Satis igitur fuerit ex ipsius additamento quod ita glutinosum sit, ab eo quod concoquitur distinxisse. Nempe quod concoquitur, mediocriter glutinosum existit, non tamen καταγλισχραίνεται, idest neq; extreme neq; summe id habet. Et ne quis in ea re falleretur, continuo Hippocrates uerbo huic καταγλισχραινόμενον, aduerbium hoc ἀπέπτως adscripsit, quod idem cum ἀπέπτως, id est, incoctibiliter significat. Nempe καταγλισχραινόμενον ἀπέπτως, id est citra coctibilitatem glutinosum malum est. Aegro autem ita affecto si quis ptisanam dederit prius, quã dolorem uel secta vena, vel ventris euacuatione soluent, hominem perimet. Nempe in pręsenti & tali pleuritide, posteaquam à calidis fomentis nõ remissum esse dolorem dixit, statim duo alia habet aduersus dolorem remedia, sanguinis missionem scilicet & purgationem. Nempe eorum quæ ex opio, hyoscyamo & mandragora conficiuntur medicamentorum vsus pleuritidis dolorem non sanat, sed sensum tollit enecatq;. Nunc ergo sectionis venæ meminit simpliciter & purgationis. Sed deinceps super vtriusque vsu distinguetur.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus monet, & si de acutis morbis agat Hippocrates, tamen memoria commendandum, de pleuritide, tanquã de aliorum exemplo agere, iubetq; ne hoc memoria excidat, addit se ostendisse pleuritidem esse membranę inflãmationem quæ succingit costas. propterea hic dicitur, si cum hæc inflammatio in vigore fuerit, aliquis ægro ptisanam dederit, ægrum grauiter offendet. Et si petas quomodo cognoscat͂, pleuritidem esse in summo vigore, Gale. inquit ex hac cognosci nota, qua dolor est assiduus, & à calidis fomentis nullo modo remittitur. Sed inquies pleuritidem quoq; in septo fieri transuerso, et inter costam & costam. propterea non videri conuenientem pleuritidis descriptionem, quæ dicit esse inflammationem membranæ costas ambientis. Dicimus illam quæ fit inter costas, esse mendosam pleuritidem, & plerunq; non acutam, de qua hic sermo non fit, illa vero quæ in septo transuerso continetur, sub illa intelligitur quæ est in pellicula costas tegente, nã membrana tegens costas, in substantia eadem est cum septo transuersi membrana, sed loco tantum differt, est vero diaphragma musculus rotundus, semper uero in membrana, prope musculum fit septi transuersi pleuritis, & non in chartilaginis medio, quę spiritualia à naturalibus distringit, & hæc pleuritis sæuissima est, nam & deliria inducit atq; necat. vnde illam partem græci voca͂t φρένας quasi mentes, quia mens afficitur, ex huius partis affectione, hoc est quod Auicenna dicebat transire ex sirsen in birsen. Cum videatur Galenus edocere pleuritem esse in summo vigore, quia fomẽtis non resoluitur, & dolor assiduus est, ambiges ex his dici non posse pleuritim esse in summo vigore, quia suapte natura morbus sua habet te͂pora, etiam si nulla fiant fomenta, & nulla præsidia, quare ex alio quàm ex fomentis, & magis intrinseco opus est vigoris signa inuenire, q̃ in pleuritis suapte natura in uigorem uenit absq; pręsidijs. Respondemus, præsidia nõnihil procul dubio conferre ad temporum morborum cognitionem, sed id secundario est, nã cum præsidia prosunt, & in hoc iuuamento perseuerant, inclinationis indicium est, nam alijs in temporibus, et si cum applicantur statim prodesse videant͂, iuuamentũ non pseuerat, in sola declinatione perseuerat, neq; putandũ est quod mori debeat æger quando in alijs temporibus vel non videntur prodesse, vel in iuuamento non perseuerant, imo plerunque crescit ægritudo cum in augmento est, tamen præsidium illud multum profuit, quoniam magis creuisset morbus, & æger forte obijsset, morbusq; breuior efficitur, imo & pręsidijs tempora immutantur, constat enim in pleuritide nisi quis venam secuisset, uel ęgrum

interijsse,

interiisse, vel longiorem fuisse morbũ, quicquid tamen sit, tempora à præsidijs immutantur, nã à venæ sectione celerius tempora discurrũt, quę tardius ꝓcessissent, nisi sectio facta fuisset imo si obijsset, inclinatio consecuta non fuisset, vnde ægritudines habent quidem suapte natura tempora, sed & à præsidijs immutantur, & prorogantur, ac celerius fiunt.

Secundo conditionem alterã addit Galenus quæ morbũ hunc non solum magnũ, sed & morosum facit, illam inqꝫ, quòd non expuat, sed impactum sit affectis partibus & detentum, & id Hippocratẽ voluisse Galenus ex Hippocratis loquendi modo ostendit per id verbum καταγλισχραίνηται, quod nõ tantum lentorem significat, sed vehementem lentorem, id ostenditur per hanc præpositionem κατὰ, quæ in huius dictionis compositione addita est vnde cum talem habeat lentorem, nõ concoquitur. idque satis fuit pro distinctione glutinosi ab eo quod concoquitur addere illam præpositionem κατὰ, quoniam id quod concoquitur est mediocriter glutinosum, tamẽ non καταγλισχραίνηται .i. hoc non habet extreme, & in summo, & ne quis putet hoc non esse verum, & deceptus aliter intelligere velit, statim Hippoc. post verbũ καταγλισχραινόμενον addidit hoc aduerbium ἀπέπτως, idẽ significans ac si dixisset ἀπέπτως .i. incoctibiliter vnde καταγλισχραινόμενον ἀπέπτως .i. citra coctibilitatem glutinosum malum est.

Scito, quod coquitur necessario lentorem mediocrem habere oportere, qui talis est, vt quæqꝫ pars rei quæ coquitur coniungatur, & in vnum deueniat corpus, nã quæ coquũtur, inuicem inhærent, & ad æqualitatem reducuntur.

Quod legitur morosæ, Græce est κακοήθεα.

Tertio Galenus omnia supradicta in sententię propositũ vertit. Cum æger igitur ita affectus sit, si quis illi ptisanam dederit priusqꝫ dolorem vel per venæ sectionẽ, vel per euacuationem soluerit, hic hominẽ perimet. intellige vero, & si non fuerit perfecte sedatus, saltẽ sit remissus, vnde in tali pleuritide, quę prędictas habeat notas, posteaqꝫ dixit dolorem à calidis fomentis non esse remissum, statim duo alia contra dolorẽ addidit remedia, quę sunt missio sanguinis, & purgatio, & quia aliquis in medium afferre potuisset medicamenta quæ opium recipiunt, vel hyoscyamum, uel mandragoram, quæ & ipsa dolorem sedare uidentur, propterea Galenus addit illa non sanare dolorem, sed sensum auferre, propterea de his mẽtionẽ non facit, sed tantum de sectione venæ & purgatione, quæ tamen quomodo fieri debeant, & de eorum vsu posterius suo loco differetur.

Hic vero dicere poteris à Galeno nõ negari vsum stupefacientium medicamentorum in pleuritide. Respõdemus imo neqꝫ in pleuritide, neque alijs in morbis hũc negat vsum, qñ opus est, tamen cum negat, sit absqꝫ magna fiat necessitate, nempe si quis tam intenso afficeretur dolore, vt viuere non posset stupefacientibus uti opus est, quæ & si potius sensum obtundant, qꝫ dolorẽ leuent, tamen interim dũ æger ita stupidus dolore non necatur ægritudo procedit, quæ tamen citius procederet absqꝫ stupefacientium exhibitione, nam hæc sunt opij ratione vel mandragoræ frigidissima. Necessitas igitur seruandi ægrum, quanoĩ fieri potest in vita, suadet, vt opiata exhibeãtur, & si dicas debẽtne per os, vel exterius applicari? Arbitramur exterius applicata parum prodesse, cum non multum penetrent, & quãuis ratione commistarum rerum penetrent, tamen cum tot adsint inuolucra prius quàm ad inflammationem perueniatur, propterea per os potius hæc sumenda suaderem in vehementissimis pleuriticorum doloribus. Notaqꝫ non esse hæc pura præbenda opium, hyoscyamum, mandragoram, sed compositiones, quas ingrediuntur, dandæ sunt. vnde in vehementissimis pleuriticorũ doloribus danda est Philonij Romani drachma, interim vero dum æger quiescere videtur, alia præparanda sunt præsidia, quæ stupefacientia nõ sint, Galenus iudicat Philonium post primum annum vsqꝫ ad decimum maxime ualere. 12. de arte curandi libro parum post principium. nam Galenus medicos illos eo loco reprehendit, qui ex qualibet re etiã minima Philonium præbent, et illos etiam qui sunt adeo austeri, vt talia nunquam dare velint. Ipseqꝫ iudicat id sapientis dictum obseruare oportere, Ne quid nimis. narratqꝫ in quibus casibus hæc præbuerit saporifera, quamuis & ipse ab eorum vsu abhorreret. Dedit vero colicis, & ijs qui vel oculorum, vel aurium, vel aliarum partium vehementissimo dolore cruciantur, tamen vehementioribus somniferis nunquam vtitur. In proposito igitur ne ęgrum mori sineret Galenus in vehementissimo lateris dolore soporiferum daret medicamẽtum, imo de his soporiferis quæ sequuntur, describit, & talium quidem medicamentorum vsus eorum qui aduersus symptoma pugnant, est proprius, potissimum vbi ex frigida causa dolor est excitatus. Obsunt enim talia plurimum ipsi affectui, ac curationi contumacem eum reddũt. Est curatio coacta, in qua symptoma tantum respicitur, non morbis, neque morbi causa, imo hæc potius intenditur potissimum si sit frigida, quia soporifera frigidam quandam imprimunt qualitatem, quæ ita breui non soluitur, tamẽ Galenus nono de compositione medicamentorum secundum locos libro in compositione Philonij adscripta vsum opij edocet in doloribus citra sumptionem per os, si sapa diluatur, & tomento accipiatur, ac sedi inditum. Itemqꝫ frono ac naribus illitum. Si vero cum alio quopiã uini ipsius moderante misceatur, moderatius hæc facit. Idem iudicium facito de hyoscyamo & de mandragora, tñ pręcitato loco omnibus soporiferis opium præfert Galenus, à quo tamẽ quantum fieri potest, abstinere oportet. nam in pleuritide adstringit infrigidat, & affectioni penitus obest, quãuis suæ frigiditatis rõne, causæ quodãmodo quæ calida est, obstare possit.

## Hippocrates Sectio XXXIIII.

Ob has igitur προφάσιας .i. causas, atqꝫ ob alias similes adhuc magis, qui tota utuntur ptisana, septimo die vel celerius moriũtur: alij quidem deliri, alij vero ob difficultatem spirandi, stertoremqꝫ præfocati.

### BRASAVOLVS.

Ex his quæ prædicta sunt, Hippocrates nunc infert, eos qui tota vtunẽ ptisana, ob dictas causas mori septimo die, aut etiã celerius, & ob alias præterea similes causas celerius moriuntur. Genus vero mortis est, quod nonnulli deliri, alij vero ob spirandi difficultatem, atqꝫ stertorem. cum enim materia crassa sit glutinosissima, dolorqꝫ intensus, qui nullis remittitur præsidijs, si integra sumatur ptisana, mortem accelerat. si uero alia sumantur pter ptisanã, vt vinũ, vel carnes, tãto citius obeũt.

διὰ ταύτας οὖν τὰς προφάσιας .i. ob has igitur causas, vel ob has igitur occasiones, superius dictas, quando. s. tota exhibetur ptisana, morbo, vt descriptum est, existente at dices morbus cum prædictis notis éstne letalis? Respondemus esse quidem malignam ægritudinem, & talem quæ multos necabit, tamen non est necessarium vt obeant, cum. n. in consistentia cruditatis signa videbis, de illius ægri vita ambigito, tamen nõ est in extrema desperatione, cũ nonnunqꝫ morbi in diuturnitatem vertantur. Quippe si letalis simpliciter fuisset, non erat ab Hippoc. eius ratio victus, vt fecit, instituẽda. καὶ ἑτέρας τοιαύτας ἔτι μᾶλλον .i. & alias tales amplius magis, sunt uero tales ac similes causæ, aliorum ciborum exhibitiones, & potuum, præter ptisanam, à quibus effectus qui dicentur facilius sequi oportebit, quoniam si carnes comederint vinumqꝫ potauerint, tanto magis consequentur. Quod autem hoc velit, ex. 40. huius libri sententia suaderi potest, cum dicet: Prehẽdunt autem hęc non solum si ptisana intempestiue vtantur, verum & multo magis, si quippiam aliud, quod ptisana deterius sit, vel ederint vel biberint. & Galenus in illius partis commentationem probat illam sententiam per hæc verba οἱ ὅλῃ χρώμενοι πτισάνῃ, ἑβδομαῖοι καὶ ὀλιγημερώτεροι ἀποθνήσκουσιν .i. Qui tota vtuntur ptisana septimo die, & citius etiam moriuntur, hoc ut plurimum contingit, nam quandoqꝫ sanari possunt, quãdo præ

cedentia aderunt ſigna, & totam priſanam non accipient, neq; aliud ex his quæ ſumi non debent. Petes uero vnde hoc ſumitur quòd mori debeant, nam ex priſana ſumi poſſe nõ videtur, cum ſuapte natura hoc nõ habeat, vt interficiat, nec iſtud etiã habet ex ſignis, cum multi cum prædictis ſignis ſauetur, & ſi dicas ſequi ex priſanæ quantitate. hoc eſt abſurdum, quia ignoratur priſanæ quantitas. Reſpondemus hoc ex omnibus ſumi, primo quia expuere non poſſunt, & in ſummo ſunt vigore, & ſputa in tam magno morbi proceſſu craſſa ſunt glutinoſa incocta, propterea anhelitus difficultatem neceſſario habent ſi priſanam demus, augetur hæc difficultas, itaque moriũtur, & præſertim cum ſit integra priſana, nam in hoc caſu nihil penitus eſſet porrigendum morbi tempore etiam conſiderato, quod eſt ſummus vigor, & morbi intenſione cõſiderata, verum ſi quid eſſet dandum pro ſiti eſſet aqua decocta.

Hic iterum petes vnde hoc accipiatur quod ſeptimo vel citius moriantur? Reſpondeo ex morbi acutie, & ex his quæ exhibentur, ex omni edulij genere in ſeptimo mori poſſunt, vel citius, tamen ex priſana potius in ſeptimo, ex alijs vt vino, carnibus citius intereunt. Eſſentia vero morbi hoc oſtendit, nam morbus eſt peracutus qui ſeptimum diem non pertranſit, præſertim cum ſymptomata habeat prædicta.

οἱ μέντοι καὶ τὴν γνώμην βλαβέντες. i. hi quidem mentem læſam habentes, vel dementes, aut deliri, inquies uero quomodo ex integræ priſanæ exhibitione poſſunt hi mori dementes? Reſpondemus, non eſt ex priſanæ exhibitione, quòd hi moriantur demẽtes, ſed vt Galenus, potius eſt ex vini exhibitione, nã vinum eſt veluti venenum in pleuritide, præſertim vbi præter tempus datum ſit, nempe ſuo tempore dulce vinum competit. Tempus vero proprium, quo uinum dari debet, eſt inclinatio morbi. Nota uero duas eẽ cauſas, cur aliqui deliri in pleuritide moriatur: una eſt uinum ſi ante tẽpus ſit compotatum vel per ſe, vel cum priſana: alia cauſa eſt locus, in quo inflammatio continetur, ſit in quacunq; parte, ex vino deliri moriuntur, verum abſq; vino ſi inflãmatio in ſepto trãſuerſo ſit, quod φρένας græci vocant deliri etiam moriuntur, & ab hac inflammatione cito necantur.

οἱ δὲ ὑπὸ τῆς ὀρθοπνοίης, καὶ τοῦ ἔγχεος ἀποπνιγέντες. i. Illi autem ex eo quod non poſſunt niſi recta ceruice ſpirare, & a ſtertore ſuffocati. Copus vertit, alij vero à ſpiritus difficultate ſtertentes ſuffocantur, tamen aliud manus eſt dicere ὀρθόπνοια, & aliud ſpiritus difficultas, nam ſpiritus difficultas δύσπνοια eſt, orthopnœa vero eſt talis difficultas, vt non niſi recta ceruice ſpirare poſſint, hoc multis cõtingit ex pleuritide obeuntibus, quando ſputa retinentur, tam arcte impeditur anhelitus, vt erigi cogantur, nec poſſint iacere proſtrati, & hoc prouenit, vel totam ederint priſanam, vel aliud quid abundat. etenim in thorace materia, quæ & pulmonem implet, et impedit, ne dilatari poſſit, vnde ſuffocãtur, verum quia ex reſpirationis uiolentia aliquæ tenuiores materiæ aſcendunt, quæ ex imbecillitate virium non poſſunt expelli, & cãnæ inhærent, & à flatu impulſæ ampullas faciunt, itaque fit ſonitus, qui ronchus nuncupatur & ſtertor, in morientibus oregmon vocatur, vulgus appellat il rocho ac ſi dixerint ronchus, in ſanis tamen ab alia cauſa fit ronchizatio, quamuis & in morientibus ex nimia fiat aſperæ arteriæ ſiccitate, per quam plerũq; ſpiritus cõmotus talẽ facit ſonitum, ſunt vero in extremis, quãdo talia ægri patiuntur.

GALENVS. Quod ſæpius appellet cauſas προφάσεις, demonſtratũ quidem in his quas in alios libros parauimus enarrationibus. Sed quaſnam alias præter dictas unà celeriorẽ inferre mortem dicat, adijcere ſermoni oportet. Nunc ſi quidem ſumptionem priſanæ prius quàm ſoluatur dolor, recenſuit, ſputiq; ob frequentem reſpirationem glutinoſitatem, ob quam & ſuffocant. Sed lædi quoque aſſent, ſi prius, vt ſupponitur, quàm vacuati ſint, vinum ſumpſerint, aquã item mulſam & oxymeli. Nempe de alijs omnibus neque idiotis ipſis non conſtat. Non abs re igitur ait alios mente læſos mori. Id enim contingere natum eſt, ſi vinum vinoſaq; intempeſtiue ſumpſerint.

BRASAVOLVS. Primo Galenus docet ſe in alijs Hippocratis commentarijs oſtendiſſe vocabulum πρόφασιν apud Hippocratem ſignificare cauſam, ſed quæ ſint illæ cauſæ, præter dictas, quæ ſimul celeriorem ſolent, inferre mortem, nunc à nobis declarandum eſt, vnde in præſentiarum priſanæ acceptionem priuſq; ſoluatur morbus, recenſuit, & ſputi lentorem ob frequentem reſpirationem, ob quem & ſuffocantur, ſuffocantur inquam à cibi lentore reſpirationem frequẽtiorem agente atq; impediẽte, viamq; ſpiritus occludente.

At petes quibus in locis uocet cauſas προφάσεις. Reſpondemus multos eſſe locos in quibus hoc eſt, nobis ſat erit, duos aut tres adducere locos, in primo libro de morbis vulgaribus in prima tempeſtate ſectione. x. ſecundum Galeni diuiſionem in primo ſuorum commentariorum libro. quamuis interpres uertat occaſiones, ſed Galenus exponit per προφάσεις cauſas, eſt alter locus in duodecimo aphoriſmo tertij libri, vbi Hippocrates de mulieribus loquens prægnantibus inquit ἐκ πάσης προφάσιος ἐκτιτρώσκουσιν, ideſt, ex quacunq; cauſa, & occaſione aboriunt.

Secundo Galenus proſequitur partem illam exponens, quod ob alias cauſas, adhuc magis lædũtur, nam inquit et Hippocratem per illam partem oſtendere etiam lædi, ſi priuſq; vacuati ſint (hoc autem ſupponitur) vinum ſumpſerint, aquam etiam mulſam & oxymeli, de alijs vero omnibus nihil dicendũ, cum & apud idiotas conſtat illa citius necare, propterea non abſq; ratione addidit Hippocrates alios mente læſos mori, quoniam hoc contingere, natum eſt, ſi vinum, aut vinoſa intempeſtiue ſumpſerint, hoc eſt anteq; expuere incipiant.

Petes vero quid illis exhibendũ anteq; expuere incipiant, nempe ſitiunt, neque opus eſt illos ita exiccari ſinere, vt lingua exareſcat. Reſpondemus, dabitur aqua decocta, vel noſtra aqua hordei, vt os abluat, & aliquid etiam deglutiat. Inquies uero & mulſam aquam dari poſſe. Reſpondemus poſſe quidem dari, vt os abluatur, non autem copioſe, vt illa nutriatur, hocq; modo nunc à Galeno prohibetur, non enim pro ablutione, aut exigua madefactione prohibet, imo nec oxymeli hoc modo prohiberet, ſed vinum penitus arceret, nam præter alia neſcio qd habet occulti veneni in pleuritide. Etſi dicas Hippocratem ſuperius ſectione. 22. iuſsiſſe, ſi æger ſit ſiccus ante priſanæ exhibitionem dandam eſſe aquam mulſam, aut vinum, vt tibi uidebitur, aquam igitur mulſam præbet, & vinum, quando nihil expuitur. Reſpondemus eo in loco per ſiccum, illum non intelligit qui nihil penitus expuat, quia materiam habeat incoctam glutinoſam, ſed eum intelligit, qui parum expuit. hæc uero prædari iubet, vt facilius expuat, atque humeſcat. Quid in hoc caſu non fieret, ſed anhelitus difficultas potius augeretur.

Notaq; Galenum ad illos tantum referre qui demẽtes moriuntur, quamuis & ex pleuritide in ſepto tranſuerſo demẽtes abſq; vino moriantur.

Si vero petas quænam ſint vinoſa? Reſpondemus eſſe illa omnia quæ vinum recipiunt.

## Hippocrates. Sectio XXXV.

Non perperam autem hos antiqui ſideratos eſſe exiſtimauerunt, tum maxime ob id, tum non minime, quod mortuis latus liuidum plagæ ſimile uideretur.

BRASAVOLVS. Antiqui medici, qui tales obeuntes pſiderarunt, & celeriter mori, & in latere veluti percuſſionis ſignum habuiſſe, et liuorem quendam circa partem, illos ob hæc ſideratos vocarunt.

μάλα δὲ τοὺς τοιουτέους οἱ ἀρχαῖοι βλητοὺς ἐνόμιζον εἶναι. i. Antiq uero nõ ab re hos ſideratos eſſe exiſtimarũt et percuſſos. Conſiderandum eſt quinam eſſent apud antiquos ſiderati. ſcito antiquos a deo & ſideribus mitti fulmina putauiſſe & illos ſideratos vocabant, qui erant fulmine percuſſi, à græcis ἐμβροντῆται nuncupati. hæc ex Plinio partim duci poſſunt, qui

ſed

92. libri secundi capite inquit, cum vero à sideribus veniant, hinc siderati fulmine tacti dicuntur. Nonnullos uidimus sideratos & mortuos, unam tantum mulierem uidere licuit ad hæc usque tempora sideratam, & fulmine tactam, quam curauimus, & sanitati restituta est. Secundus tamẽ agitur annus, & adhuc i lecto moraẽ Soror Lucida in diuæ Claræ cœnobio Ferrariæ initiata, tamen à stupore mentis libera euasit. hi latine dici possunt fulmine tacti, fulmine percussi, de cœlo tacti: unde & Virgilius.

De cœlo tactas memini prędicere quercus.

Celsus libro tertio capite. 27. hos uocat attonitos dicitq; attonitos raro uidemus, quorum & corpus & mens stupet. fit interdum ictu fulminis, interdum morbo, ἀποπληξίαν hunc Gręci appellant ut ex Celso colligi possit fulminis ictum & corporis, & mentis stuporem inducere. & siderati ipsi mentis & corporis stuporem habent. tamen ictus vna in parte uidetur. Iudicandum est de talibus βλήτους. i. sideratis Hippocratem loqui, qui una parte percutiuntur, & cito obeunt, uestigiumq; remanet. Rusticos uidimus uniuersim combustos ex ictu, nec locus ictus discerni poterat. puellam uidimus, in qua nullum ictus uestigium apparebat, circa dorsum duo tantum erant signa à summo ad imum pertracta, quæ à pyragra candenti facta uidebantur, intus nihil erat incommodi, præterq; in una pulmonis penula, in cuius fine exustio quędam uidebatur. Celsus sideratis opẽ fert, tamen qui uere tacti sunt fulmine, curari non possunt, sed obeunt. In libello de medicinis facile parabilibus adsunt præsidia ad sideratos, possunt ex propinquo aere afflari, pcussi uero, ut hic intelligit Hippocrates, curatione nõ egẽt. tamen qui fulmine tacti non sunt, sed tantum sunt attoniti, hi & curantur, & sanitati restituuntur. sunt & qui sphacellum morbum sideralem uocarint, et Theodorus Gaza in septimo aphorismorum libro in illo aphorismo, Quibus cerebrũ sphacellatũ est, uertit sideratum est, & Plinius libro. 17. capite. 24. de arborum sideratione pertractat, & communem morbum uocat, dicitq; proprium siderationis esse sub ortu carnis, siccitatum uapor, cum insitæ ac nouellæ arbores moriuntur præcipue ficus & uites, tamen & si de hominibus sideratis nullam faciat mentionem libro. 27. capite. 16. remedium ponit ad hominem sideratum inquiens, sideratis vrina pulli asinini nardo admisto perunctione prodesse dicitur, & Plinius Secundus in lib. de sua medicina tertio. capite. 16. in quo de sideratis agit, multa ponit præsidia ad sideratos, quorum primum est ex asinini vrina. additq; si sideratus ad se non fuerit reuersus, dimittas, sciens eũ ita ira dei esse percussum. forte & Plinius hunc diuinũ morbum iudicauit, & sacrum, qualem antiqui comitialẽ morbum uocarunt, ut Hippoc. in libro de epilepsia vel de sacro morbo edocuit, q̃uis liber ille à Galeno non existimetur Hippocratis, sed alterius uiri, probi tamen et eruditi, nam neq; characterem Hippocratis, neq; eius sentẽtiarũ acumen sapit. iudicabant antiqui à matre deorum mitti, a Neptuno, ab Apolline, a Marte, ab Hecate, & ab alijs dijs, quos reprehendit in eo libello vel Hippocrates, vel alter antiquus nobilis, & Galenus ipse in primo pgnosticorũ antiquos rephẽdit, q ægritudines à deo mitti putabant. Nota igitur βλήτους. i. sideratos quãdoq; mori, q̃doq; non mori, quãdo vere percutiuntur, vt possint nuncupari ἐμβρόντητοι, procul dubio moriuntur, & repente nonnunq̃; ictus uidentur, semper nos uidimus nonnihil exustũ, & denigratum ubi est ictus. Illi qui non obeunt uere tacti non sunt, sed fulmen proxime spirauit, propinquumq; aerem cõmouit & attonitos reddit, hosq; curant Plinius atque Celsus. multi pręterea latini sideratos vocant cerebri sphacellum habentes, vulgus sideratos illos nuncupat, qui membra mouere non possunt, ut antiqui crus apoplecticum uocabãt, & alia membra particularia, quæ erant dissoluta. Habetur, & apud Xenophontem in quarto rerum græcarum, de fulminis ictu in castris. Ad rẽ uero redeuntes, antiqui putabant eos qui tam cito moriebantur, q̃ denigrato signo in parte in qua erat inflammatio, ictos & sideratos. Tamen Galenus, & siderationẽ affectum uocat qui supra gangrenam est, in quarto commentario in librũ de articulis Hippocratis, sectione. 17.

διὰ τό δὲ μάλιστα. i. maxime quidẽ propter hoc. s. illos sideratos existimabant ob hoc inquam quia cito moriebantur, nam ante septimum diem ut plurimum obibant, uel septimũ ipsum non pertransibant.

οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ ὅτι ἀποθανόντων αὐτέων ἡ πλευρὴ πελιδνὴ εὑρίσκεται, ἴκελόν τι πληγῇ. i. nec minus, & quod mortuis ipsis latus liuidum inueniunt, in aliquo plagæ simile. hoc aliud est, quo mouebantur, ut putarẽt hos esse percussos sidere, quoniam non solum repentinam uidebant mortem, sed & latus reperiebant liuidum in parte illa ubi intus erat inflammatio, vt ferè plaga, uel percussio uideretur. Petes uero cur horum latera fiant pallida, imo intensiori pallore, qui proprie liuor nuncupatur, nam ex percussione fit liuor. Respondemus hoc ob dolorem prouenire, qui sanguinem liuidum reddit. Causam uero statim petes cur dolor liuidum reddat sanguinẽ, & partes quæ dolore afficiuntur. Respõdemus sanguinem esse pulchrum, & suum habere decorẽ à spiritibus qui cũ eo mixti sunt, hi etenim spiritus sanguini suum seruant viuidum & floridum colorem. At dolor extinguit quodammodo, & ferè colorem mortificat, & liuorem acquirit ac mortificationẽ. Dices uero propter quid is locus extrinsecus ita afficitur, cum intrinsece & sub costis sit affectio? Respondemus esse quidem sub costes, sed cũ homo morti appropiquat, humores in illo ultimo derelicti ad viciniores partes tendunt, & cum semper sit e regione alicuius costæ materiæ quæ intus sunt in extinctione caloris naturalis extra mouentur, quo extincto, & ipsæ colorem admittunt, locumq; illum veluti extensum & liuidum relinquunt, tamen ne putetis hoc in multis contingere præsertim circa locũ, vbi erat inflammatio. in multis vero nos hoc vidimus circa collum & post aures, & circa gulam, quia natura ad has partes in extremo sub conatu transmittit.

Veteres talis prehẽdit opinio, tũ propter necis celeritatem, tum quòd nonnullorum latus affectum liuore uideretur, vbi scilicet inflãmationis erat radix. Sãguine etenim in latus ob dolorem perueniente, quicquid in cute diuisum solutumq; est, id in morte refrigeratum nigrorem contraxit: similiter illis qui ita ex plaga affecti sunt. GALENVS.

Primo Galenus rationẽ reddit cur antiqui in hanc opinionem deuenerint, vt hi essent siderati, qui tam cito morerẽtur, vna erat ratio mortis celeritas, alia quòd in nonnullis (nota particulam in nõnullis, & non in omnibus) latus videbatur liuore affectum, & id erat, vbi inflammationis radix subsidebat, hoc quoq; raro videre licebit. BRASAVOLVS.

Secundo Galenus huius liuoris causam reddit, in latere dolor adest, qui semper materias attrahit. propterea sanguis ibi colligitur, vbi enim dolor est, illuc & sanguis & spiritus confluũt, vt opem ferant. Copia vero sanguinis talis est atque tanta, vt una pars in cute seruaretur, quæ sanguinis portio in cute seruati, morte superueniente refrigeratur, & nigredinem cõtrahit, quæ liuor, & percussionis vibex esse uidetur, nam est similis nigror illorũ nigrori qui ex pcussione affecti sunt, uides igitur ex caloris naturalis defectu nigredinem, pallorem, vel uiriditatem induci, nam sanguis in cute refrigeratus vnum ex his coloribus contrahit & acquirit.

### Hippocrates. Sectio. XXXVI.

Rei huius causa est, quoniam priusquam dolor soluatur, pereunt celeres si quidem fuẽt respirationes.

Ab Hippocrate nunc redditur ratio cur horũ latus liuidum efficiatur, veluti si percussum fuisset, & inquit causam esse quoniam prius moriuntur, quàm dolor soluatur, hi etenim celeres habent respirationes, quæ sunt mortis causæ, nam celeres respirationes sputi retentionem simul augent, & sputi retentio celeriores facit respirationes, propterea citius moriuntur, q̃ dolor BRASAVOLVS.

soluatur, vnde sanguis qui ad locum currebat, extinguitur, in locoq; liuorem ac nigrorem contrahit.

αἴτιον δ' τούτου ἐστιν, ὅτι πρὶν λυθῆναι τὴν ὀδύνην θνήσκουσι. i. rei huius causa est, quòd priusq̃ dolor soluatur, obeũt intellige huius rei causam. i. liuoris in latere, hæc inquã est causa, quia prius moriuntur, quàm dolor ipse soluatur, propterea pars à naturali colore destituta, tamen sanguine plena liuorem contrahit. inquies vero hoc tibi mirum videri, quòd moriãtur, priusquam dolor soluatur, nam dolor post mortem esse non potest, quoniam mors est sensuum priuatio, absentibus enim sensibus nihil sentitur, vnde est communis & vulgata propositio, vi animali absente nihil sentiri. Respondemus Hippocratem non intelligere ægrum mori, & deinceps dolorem persentiri, nam post mortem ablatus est sensus, sed dolorem intelligit non abiisse antequã moreretur, sed illum vsque in finem concomitatum esse, & non dolorem solum, sed & doloris causam. Nonnulli putarunt naturalem quidem calorem in corde extingui posse, tamẽ aliqua in parte vel aliquo in membro vim sensitiuam derelinqui, quæ tamen diu perdurare non poterit, vt in anulosis animalibus videre est, in quibus & causa & alia membra diutius absque corde viuunt, & alijs membris. adduntq; exemplum hominis decapitati, qui bis & ter abrepto capite os aperit. adduntq; si cor vulneratum sit, naturalem calorem qui in corde est, prius deperire, q̃ q in pede. nobis vero impossibile vr̃, in aliquo prius cor frigescere, q̃ aliqua mẽbra, nã cor est fons caloris, & totus qui est in corpe calor est pp cor, vnde cordis calore deficiente, omnes alij deficiũt calores, non è contrario, nam in corde spiritus omnes oriuntur, qui p totum corpus calorem gerũt. propterea imaginari nõ possum, alia membra remanere calida, & cor refrigeretur, & sentiant, cor vero sit mortuum. Et si causam quæras cur ex cordis ictu quispiam statim obeat, non est credendum esse ob intensissimam caliditatem, cum cordis caro terrea sit. tamẽ & non modicã habet sensibilitatem, sed causa est repentinus sanguis, & spirituũ concursus ad ipsum, quo suffocatur, veluti lucerna à nimio extinguitur oleo, Ad rem vero redeuntes, exempla quæ pro eorum sententia illi adferunt, ad rem nihil faciunt, quippe de animalibus anulosis, spinam habent cerebro proportionatã & cordi, neq; tot indigent membris, quot indigent homines ad vitam, propterea viuere videntur, & viuunt per aliquod spatium, at diu non perseuerant, quia membris carent, quibus nutriantur, homines vero ad uitam pluribus alijs indigent, propterea partes post extinctionem sui principij. i. cordis viuere nõ possunt, neque aliquo fungi officio, & si nonnunq; moueri videantur, cor etiam mouetur, vt in illis qui os mouere videntur abscisso capite, nam prius mouebãtur, & erant in illo motu dicẽdi Iesu, vnde motus qui iam erat post partẽ iuguli dissectam, & spiritus recta tendunt ad uiam ad quã ibant, & illũ faciunt motum, imo aliqua capita post abscissiouẽ audita sunt dicere Iesu. cor uero, quod in illo decapitato est, diutius viuit, quàm hoc caput abscissum, uel naturalis calor tardius ab eo exit. adde si cor vulneretur, tardius frigescere quàm alia membra, quæ citius naturalem amittunt calorem, quàm cor faciat. Verum propinquissima membra simul cum eo extingui videntur, notaq; ob hoc, quia simul cum caloris cordis extinctione huius loci calor extinguitur, propterea non retrahitur hic calor ad cor, vt prius extinguatur, quã cordis calor, & ferè hoc in loco suffocatur, & ideo pars nigrescit, nam si calor fuisset ad cor retractus, sanguinem simul et spiritus duxisset, quia calor per se nõ est, sed simul cum sanguine, et spiritu, itaq; locus restitisset albus, vel pallidus, non liuore affectus. id tamẽ inficias ire non debemus, si adsit aliquo in loco abscessus quispiam calidus, si contingat hominẽ mori, & ibi magna adsit putredo, cor prius refrigerari posse, q̃ illa pars in qua est abscessus, quæ poterit etiam per aliquot horas illum putredinis calorem seruare, & denique extinguetur, hæc vero nihil ad rem, propterea illis prætermissis, ad Hippocratis contextum redeamus.

ταχίαι γὰρ πνευματίαι γίνονται. i. citãtur enim spirationes. hæc est causa cur morte præuenti sint. nõ tamen causa cur liuorem, & nigredinem contraxerint, de his vero citans spirationibus statim loquetur Hippocrates.

**GALENVS.** Quòd autem hoc respirent pacto, deinceps ipse ostendit inquiens.

**BRASAVOLVS.** Primam sententiæ partem non exponit Galenus, cum in præcedenti sententia, de illa verba fecisset. De secunda nihil aliud dicit, quàm Hippocratem deinceps ostendere, hos hoc respirare pacto.

## Hippocrates. Sectio XXXVII.

**A multo autem frequentiq; spiritu, ut iam dictum est, summe tum uiscosum, tum incoctum effectũ sputũ, fieri egressum prohibet.**

**BRASAVOLVS.** En quo circulo res hæc agatur considerato. sputa à frequẽti respiratione glutinosa fiunt, & frequens respiratio à sputo fit glutinoso & incocto, quæ cõditiones sputum exire prohibent, cum facile exire non possit, imo neq; ob lentorem exire.

ὑπὸ δ' τοῦ πολλοῦ, καὶ πυκνοῦ πνεύματος, ὡς ἤδη εἴρηται καταγλισχρασμένον, τὸ πτύελον ἄπεπτον. idest, A multo autem & frequenti spiritu, ut iam dictũ est, sputum & summe viscosum, & incoctum effectum est, intellige incoctum. i. ineptum ad exitum, cum enim viæ glutinosa materia sint plenæ, ægri spiritum ingeminare coguntur, & vehementer frequenti spiritu vti, qui adhuc crassius reddit sputum glutinosius, & ad exitum ineptius.

κωλύει τὴν ἐπάνοδον γίγνεσθαι. i. fieri egressum prohibet. sputũ quo glutinosius fit, eo ineptius exit, ipsumq; sputũ meatus obstruens, spiritum prohibet ne exeat.

**GALENVS.** Quod prius ἀσαπὲς dixit, nunc ἄπεπτον, id est incoctum dicit, fidemq; facit quòd & probe tunc vocis transpositionem fecimus.

**BRASAVOLVS.** A Galeno id tantum notatur quod ab Hippocrate dictum est superius ἀσαπὲς sectione. 33. nunc ab eodem dici ἄπεπτον. Idest incoctũ, & hic contextus fidem facit nos tunc cõuenienter exposuisse vocabulũ, & vocem vnam in alterã transposuisse.

## Hippocrates. Sectio XXXVIII.

**Nempe & sputum quod intus retinetur, prohibet aeris ad interna delationẽ, cogitq; ipsum celeriter egredi.**

**BRASAVOLVS.** Sputum igitur (vt Hippocrates censet) quod intus retinetur, & vijs inhæret, & in loco est doloris, aeris delationem prohibet ad intrinsecam partem, id tamen non fit penitus, alioqui homo suffocatur, sed ita prohibet, vt cogat illũ celeriter egredi, nam cum æger magna indigeat respiratione. & illã habere non possit, quia via est occupata. vnde frequentius trahere cogitur, & emittere, vt celeritate ac frequẽtia magnitudinem compenset, quamuis neque hæc magnitudo compensari possit.

καὶ γὰρ αὐτὸ τὸ πτύελον ἐνισχόμενον κωλύει μὲν τὸ πνεῦμα εἴσω φέρεσθαι. idest, Etenim sputũ quod intus retinetur prohibet quidem aeris intus delationem, aerem ample ingredi oporteret, et per omnes distribui partes, sed à sputo impeditur, & à cruda materia in vijs contenta. vnde

ἀναγκάζει δ' ταχέως ἔξω φέρεσθαι. i. cogit autẽ celeriter extra deferri, vt iterum ingrediatur, & exeat, & cor frequenter refrigeret, quod uno integro & pleno spiritu refrigerare non potest, tunc enim tali frequentia non indigeret.

**GALENVS.** Non omnis aer in huiusmodi affectionibus ad interna ferri prohibetur. Nempe si id fieret, hominẽ protinus mori esset necesse, non secus quàm his accidit qui strangulantur. Verum quod vsui respirationis conferat, introferri prohibetur: quapropter ad dies aliquot sufficiunt, sed tractu temporis aucta indigentia moriuntur.

**BRASAVOLVS.** A Galeno notatur, in his affectibus, totũ aerem ingredi non

prohiberi

prohiberi, nam si totus prohiberetur, homo statim obiret strangulatus, vt illi faciunt qui in aqua suffocãtur vel vt illi, quibus vel fune vel re alia via spiritus occluditur. At tantum spiritus intro deferri prohibetur, quantum ad respirationis vsum satis est, vnde ob hoc, spiritum celeriter & attrahere, & emittere coguntur, hicq; possunt quidẽ per aliquod dies perdurare, tamen processu temporis, cum indigentia augeatur, necessario obeũt. Copus præcedentem sententiam, & præsentem vertens, nonnulla addit cõtextui, quæ in Galeni cõmentatione sunt scripta. Quod legitur nõ omnis aer, & græce est οὐ πᾶν δὲ τὸ πνεῦμα, nos vertendum censemus non totus spiritus.

## Hippocrates Sectio XXXIX.

**Et ita aduersus malum sibi inuicem opitulantur. Nempe retentum sputum, frequẽtem spiritum reddit, qui frequens effectus sputum adglutinat, atq; expui prohibet.**

BRASAVOLVS. En quo modo vnum alterius sit causa, nam retentũ sputum aerem prohibet, ne intro deferatur, & illũ cogit celeriter egredi magnam addens frequẽtiam, è contrario præterea, hic spiritus sputum simul agglutinat, & lentum adeo facit, vt expui nõ possit, vnumq; aliud impedire videtur, & alter est alterius causa.

καὶ οὕτως ἐς τὸ κακὸν ἀλλήλοισι συντιμωρέουσι. idest, & ita in malum sibi inuicem opitulantur, nam unũ aliud adiuuat ad malum augendum, & sputum adiuuat anhelitus frequentiam, & anhelitus frequentia sputum, de verbo συντιμωρεῖν Galenus in commentatione loquetur.

τότε γὰρ πτύαλον ἐνεχόμενον, πυκνὸν τὸ πνεῦμα ποιέει. idest, Nempe sputum retentum frequentem spiritum reddit, quia impactum est in uijs quas occludit, neq; sinit libere spiritum meare. & cor refrigerari, propterea cogitur ingeminare, & ter geminare respirationem, quia uicibus compensare vellet, quod semel recipere nõ potest. Sed ambiges quoniam & si per minorem canalem ingrediatur aer, tamen quia uiolenter ingreditur, frigidior est, nam hæc uiolenta emissio frigidiorem reddit spiritum quamuis sit tenuior, id manifestissime apparet si nos pleno ore expiremus, spiritus est calidior, si clauso ore est frigidior, imo spiritũ per osiculum emittimus, quando minutalia refrigerare uolumus, itaq; in proposito, & si spiritus per angustiorem uiam ingredi uideatur, tamen ingreditur frigidior, unde aptius officio suo fungetur, in refrigerando corde, quàm si totũ aerem una attraheret, propterea nõ uidebitur differẽtia inter aerẽ plene attractũ & paulatim attractũ & frequenter, q̃tum ad hunc finẽ, cordis. s. refrigerationẽ. Rñdemus, causa cur aer per os tenuiter emissus non refrigeret, & plene emissus nõ refrigeret, nihil aliud est, q̃ impetus, nam si spiritus tanto impetu exiret, à pleno ore quando refrigerare intendimus, ut aer qui paulatim & tenuiter emittitur, ille q̃ plene emittitur, egregius refrigeraret, quàm hic qui tenuiter emittitur, uerum ita tenuiter emittitur, & non plene, ne spargatur minutal, & ne simul exeat sputum, ita aer qui ingreditur, si tenuiter ingrederetur & uehementer, forte plus refrigeraret, quàm si plene, & absq; impetu ingrederetur, uel forte eodẽ pacto infrigidaret. Sed cũ ingrediatur etiam tenuiter, maiorem non habet impetũ, q̃ quãdo plene attrahitur, imo & si maior sit frequentia, minor tamen uidetur impetus, propterea non debet magis infrigidare, nec æque infrigidare, ut plenus facit spiritus.

τοῦτο δὲ πυκνὸν ἐὸν ἐπιγλισχραίνει τὸ πτύαλον καὶ κωλύει ἀποχρέμπτεσθαι. idest, Hic autem frequens effectus sputum glutinat, & expui prohibet, frequentia spiritus è contrario sputũ glutinosius reddit, attractione ingeminãdo, & ipsum facit crassius ac glutinosius, nam tenues partes dissoluit, crassiores crassescũt magis, & glutinosiores redduntur, unde huius materiæ expuitionem prohibet, quanto enim materia est crassior, & glutinosior tanto magis inhæret, & difficilius expuitur. Forte ambiges, unum non posse esse alterius causam, & è contrario, ut ex secundo physicorum elici potest, tamẽ hic ab Hippocrate sit sputum causa frequentiæ spiritus, & spiritus causa crassitiei & lentoris sputi. Respondemus idem non posse esse eiusdem causam, & è contrario in eodem genere causæ, tamen in diuersis causarum generibus nihil impedit, vt ab Aristotele de ambulatione dicitur & sanitate, ambulatio est causa sanitatis, in genere causæ efficientis, sanitas vero est causa ambulationis in genere causæ finalis. in proposito lentor sputi frequẽtem facit anhelitum secundum substantiam, frequentia uero anhelitus auget lentorem secundum quantitatem, vnde vtrunq; quidem aget aliud, & in genere forte causę efficientis, sed mõ differenti, nam sputum quia vias occupat, spiritũ impedit, & vias arctat, propterea frequentiori respiratione indigemus. At frequens respiratio in materiam agens, & sputum exiccans, quod illius tenue est, crassius facit, ac glutinosius, imo si recte à primo ad vltimum consideremus, sputũ ipsum sui lentoris & crassitiei causa est, id vero est secundario, & quodammodo per accidens. habetur ter aut quater hæc sententia à Galeno repetita in tertio de difficultate respirationis.

GALENVS. Quòd uerbo hoc τιμωρεῖν pro opitulari tum antiqui alij, tum Hippoc. vsi sint, sępius ante dictum est, & nunc sane συντιμωρεῖν ἀλλήλοις εἰς τὸ κακὸν, dixit ꝓ συμπράττειν καὶ λυσιτελεῖν. i. opitulari & prodesse, atque quonam modo sibi inuicem opitulentur, prosintq;, perspicue quidem ipse ostendit, sed & à nobis dicetur. Sputum in bronchijs pulmonis tenaciter adherens, pulmonis canali angustiam parit, atq; ob eam angustiã minus ægri inspirant. Quo autem minus inspirant, eo magis insatiabilem reddunt respirationis necessitatẽ, atq; ob id citius à priore inspiratione, ad secundam properant, quod densum frequentemq; spiritum vocant.

BRASAVOLVS. Primo Galenus docet, non solum Hippocratem, sed & antiquos alios vsos esse hoc verbo τιμωρεῖν pro τοῦ βοηθεῖν. idest opitulari, sæpiusq; ante dictum est, & nunc iterum dicitur συντιμωρεῖν ἀλλήλοις εἰς τὸ κακὸν, pro eo quod est συμπράττειν, καὶ λυσιτελεῖν. idest, simul agere & perficere, quomodo autem hæc inuicem sibi opem ferant, ipse ostendit, tamen non cõtentus hoc Galenus, & ipsemet idem referre voluit.

Petes vero quonam loco Hippocrates superius vsus sit verbo τιμωρεῖν pro βοηθεῖν. idest opitulari, Dicimus fuisse superius sectione. 31. verum & deinceps sectione. 41. dicet τιμωρητέον pro auxiliandum. Quod & faciet libro secundo sectione. 35. & libro tertio sectione. 12. vtitur ἐς τιμωρίην pro eo quod est, ad auxilium.

Secundo Galenus verborum Hippocratis rationem reddit, sputum adherens in pulmonis bronchijs. i. canalibus & pulmonis meatibus, in his meatibus angustiam facit, ob quam ægri minus spirant, & difficilius. at quo minor est spiritus quantitas, eo magis insatiabilem reddunt spirationis necessitatem, vnde citius à priore inspiratione ad secundam properant, hocq; nuncupatur spiritus densus & frequens. nota vero βρόγχους esse pulmonis venas & guttur ipsum, vnde & βρογχοκήλη est gutturis tumor à latinis gutturosi vocantur tali affecti tumore, de hoc & denso & frequenti spiritu Galenus in tertio de difficultate respirationis egit.

## Hippocrates. Sectio XL.

**Prehendunt autem hæc non solum si ptisana intempestiue vtantur, verum & multo magis si quippiam aliud quod ptisana deterius sit, vel ederint vel biberint.**

BRASAVOLVS. Hec omnia quæ superius dicta sunt, his ex laterali morbo laborantibus contingunt, quando præcedentia signa adfuerint si ptisana intempestiue vtantur, imo non tantum si ptisana, sed multo magis si aliquo alio vtantur, quod sit ptisana deterius. & hoc est quod superius dicebat sectione. 34. atq; ob alias similes magis, hæc erant alia cibaria, quæ magis & celerius mortem inducebant, vt carnes, pisces, panis, chondrus, far, ac eiusdem generis reliqua.

καταλαμβάνει δὲ ταῦτα οὐ μόνον ἢν πτισσάνῃ ἀκαίρως χρέωνται.i. prehendunt autem hæc non solum si prisana intempestiue utuntur, illa quæ superius dicta sunt sectione. 34. de morte septimo die, vel ante septimum, prehendunt non solum eos qui prisana vtuntur.

ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον, ἤν τι ἄλλο φάγωσιν, ἢ πίωσιν, πτισσάνης ἀνεπιτηδειότερον. idest, Sed multo magis, si quid aliud comederint, vel biberint, quod sit prisana deterius.i. peioris nutrimenti, non habeat viscositatem lubricam, humentemque & reliqua, neque facile coquatur, & sit magni nutrimenti vt chondrus, oua, pulli columbacei, & alia de quibus superius sectione 37. egit Galen. & quæ deinceps referet, intellige vero deterius prisana ratione morbi, nam posset esse melior cibus ratione nutritionis, & aliorum qualitatum. verum si prisana necis causa est, quæ tamen inter edulia in hoc morbo est optima, tanto magis alia necabant, nam huic morbo non ita quadrant, quę vero bibuntur, sunt oxymeli, aqua mulsa, vinum, & eiusdem generis plura alia.

GALENVS. Iam rei huius pauloante meminit, cum dixit: Ob has igitur causas, atque ob alias similes magis. imo eo in loco de vino, aqua mulsa, & oxymelite mentionem fecimus. Hic autem & alia intelligere est opus, quæ ita affectis non aliter plerique medici exhibentque etiam quàm aqua mulsa, vinum & oxymeli nocent magis.

BRASAVOLVS. Galenus notat Hippocratem pauloante.s. sectione. 34. huius rei mentionem fecisse, cum dicebat: Ob has igitur causas, atque ob alias similes magis. & per hanc particulam, ob has causas, prisanæ vsum intelligebat, per illam vero, atque ob alias similes magis, vsum aliorum ciborum intelligebat qui citius in mortem inducebant, quàm prisana, cum non sint tam lubrici, neque tam humidi, imo Galenus in illa. 34. sectione de vino mentionem facit, aqua mulsa, & oxymelite, in hoc autem loco, & alia intelligere opus est, quæ à medicis solent exhiberi ita affectis, multi enim medici exhibere solent & pisces & oua, & reliqua in. 37. sectione enumerata, & de quibus sermo etiam posterius fiet, hæc etenim magis etiam obsunt, quàm aqua mulsa, vel uinum, vel oxymeli, nō enim tā propria sunt huic morbo, quàm hæc tria & prisana, tamen neque vinum iudico bonum in hoc casu, sed valde perniciosum.

## Hippocrates Sectio XLI.

**Bene igitur vt plurimum similia sunt auxilia tum his qui tota vtuntur prisana, tum his qui cremore ipsius: verum qui neutro horum, sed potione sola vtūtur, his interdum nō vno est auxiliandum modo.**

BRASAVOLVS. Denique ab Hippocrate hoc infertur, auxilia ut plurimum esse similia, & horum qui tota vtuntur prisana, & horum qui solo prisanæ vtuntur cremore, intellige quando his vti opus est. At illi qui neutro horum vtuntur, sed sola indigent potione his nonnunquam debemus eadem præsidia præstare, nonnunquam diuersa.

μάλα μὲν οὖν τὰ πλεῖστα παραπλήσιαι αἱ ὠφέλειαι τοῖσι τε ὅλῃσι πτισσάνῃσι χρεωμένοισι τοῖσι τε χυλῷ αὐτέῃ.i. Bene igitur vt plurimū similia sunt auxilia his qui vtuntur tota prisana, & his qui cremore ipsius, nam qui tota vtūtur prisana, acutum habent simpliciter morbum. qui cremore prisanæ, vel peracutum, vel acutū simpliciter. in his præsidia quæ adhibentur sunt eadē, intellige uero præsidia & quæ exterius adhibentur, & quæ per os sumuntur, & per sectiones venarum. & omnes ferè præscriptæ regulę his conueniunt, nam & in prisanæ vsu, & in vsu cremoris, quando opus est uel medicamento, uel clystere vel aliquo simili, prisana uti non debemus, neque cremore, & si his in sanitate singulo die vtebantur cibo, bis opus est dare prisanam vel cremorem, & si semel, semel. Et hi qui semel consueti sunt cibari, si opus est, debent paulatim assuescere, ut bis comedant. et primo cum æger cibatur prisana dari debet tenuior & minus, & cremor tenuior, & in minori copia. Pari modo si æger siccior sit, non est danda prisana, neque cremor, priusquam uel vinum, uel aqua mulsa dentur, & omnia alia, quæ superius dicta sunt, & multa quæ dicentur, tam in prisana intelligi debent, quàm in eius cremore, vnde hic Hippocrates docere intendit non solum præsidia ut plurimum eadem esse in his qui tota vtuntur prisana, & in his qui cremorem ipsius, sed & regulæ quæ dantur vtrisque conuenire uidentur.

At dices quomodo idem modus esse potest, & eædem regulæ, cum hi qui vtuntur cremore, morbum habeant acutiorem? Respondemus hoc non impedire, vt eisdem præsidijs vtamur, & eædem sint vtrorunque regulæ, nam neque in uno, neque in alio, primo indigemus medicamento, uel sectione uenæ nisi raro, tamen de sectione uenæ frequentius est.

τοῖσι δὲ μηδετέρῳ τουτέων, ἀλλὰ ποτῷ μούνῳ. ἔστιν ὅπῃ καὶ διαφερόντως τιμωρητέον. idest, Qui uero neutro horum, sed potione sola utuntur, his differenti modo auxiliādum est. nam talia non exigunt præsidia, neque enim morbi in his procedunt quibus non est danda prisana, uel cremor, ut illi procedunt in quibus neutrum dare oportet, nā hi sunt exacte peracuti morbi, in quorum principijs alia sunt agenda, quàm uel prisanam, uel eius cremorē exhibere. Copus huic parti aliū facit sensum, quàm hic sit, quem nuper adduximus, vetit ille ergo easdem fere commoditates magna ex parte adipiscuntur & hi qui tota prisana, & qui succo ipsius, quique neutro horum, sed potione dūtaxat utuntur, atque accidit interdum ut diuersę sint singulorum commoditates, ut Copus in hac sua interpretatione innuere uideatur, commoditates easdem in omnibus esse, & qui prisana tota, & qui cremore, & qui potu utuntur, & illos ab his differre nolit, tamen & græcus contextus differre facit, & simul Galeni cōmētario, & res ipsa illud petit, & ita esse ostēdit, nā in his diuersis utimur auxilijs, & ut plurimū uel à medicamēto, uel à uenæ sectione, uel à clystere, uel ab alio simili, Itaque nec prisana, nec cremore vtunt, inc pimus, sed solo potu, qa ita morbus exigat. Petes vero quid per solum potum intelligere oporteat. Rn̄demus in habentibus exacte peracutum morbum, neque prisana, neque cremore utimur, neque re alia, tamen quia hi sitiunt, potum dare cogimur, & hi sunt qui nec prisanam accipiunt, nec cremorem, sed tantum potum, & licet potum dicat, tamē neque est necessarium exhibere nisi opus sit. Nonnulli ex hac parte nostram aquam hordei colligūt, de qua re nunquam contēderim, licet exquisite sciuerim, hinc non colligi aquam hordei. nos uero in hoc casu illam porrigimus, simplex quoque præbetur aqua & aqua mulsa, & syrupi nostri ad frigidum alterantes, vt syrupus de endiuia, atque violaceus, unde si ex hac parte aquā hordei colligere uoluerint, his minime cōcedatur, si uero illā præbere uoluerint, absque pugna concedatur, & si aliā exhibeant ad propositum potionem, & iterum cōcedatur, unum est, aliquid intellige uel nihil penitus nutriens, uel exigue nutriens. Nota uero & in his qui solo vtuntur potu, nōnūquam fieri oportere eadem præsidia, & eædem regulæ ueræ sunt, tamen raro contingit. Forte petes quænam sint potuum genera apud Galenum in hoc casu. Respondemus sectione. 43. huius libri oxymeli numerat, mulsam aquam, & aquam, tamen in biliosis in tertio de alimentorum facultatibus mel damnat, & Oribasius libro tertio de confectione ciborū, de potionibus, quæ infirmis expediunt, agens, mulsam numerat, oxymeli, & aquam, quæ absque aliqua mordicatione conficitur, & modos cōficiēdi edocet. mulsamque in biliosis damnat, quia ex ea bilis augetur, & contraria est, quibus præcordia sunt in tumore.

GALENVS. Auxilia inquit similia sunt & his qui prisana, & his qui cremore ipsius utuntur. Sed qui potione duntaxat utuntur, his interdum differenter opitulari oportet. Sed qualisnam sit huiusmodi differentia, in sequentibus perdocet.

BRASAVOLVS. A Galeno breuissimis verbis, Hippocratis sententia refertur, qui voluerit auxilia esse similia, & his qui prisana, & his qui ipsius cremore vtuntur. Illis uero qui potione sola utūtur, non-

nunquam

nunquam præsidia indifferenter præbere oportet. De horum vero differentia cum nihil in præsentiarum dictum sit, in sequentibus dicetur.

Hippocrates. Sectio XLII.

Verum omnia hæc ad hunc modum facere oportet. Si nuper pasto cuipiam, & alui oneribus haudquaquam purgato, febris vel cum dolore, vel sine dolore inceperit, a sorbitiõe tantisper temperandum, donec cibum ad infernam intestini partem descendisse coniectum fuerit.

**BRASAVOLVS.** Cum Hippocrates confuse quodammodo de his egerit, quę disputãda erant, nunc vel incessum suum, vel inordinationem contemplatus, ea digerere videtur, de quibus disputare debebat, erat uero disputatio de totius prisanę exhibitione, vel solius cremoris, vel neutrius vsq; ad iudicationem, quid vero agendum sit, explicatius traditurus est, in hunc autem modũ exorditur, necessarium est, hæc omnia per hunc facere modum, si aliquis sit æger paulo ante cibatus, & morbo laterali correptus, (hunc enim exempli gratia morbum accipiamus) neq; illa sint purgata, quæ in aluo continetur, sed febris vel cum dolore, uel sine dolore inceperit, tu per tantũ temporis spatium, à ptisanæ vel cremoris sorbitione tẽperare debes, quoad conijcere poteris, cibum ad infernam intestini partem descendisse, post hoc cibum iterum dare poteris, nam opus est esse & secunda coctione percoctum.

χρὴ δὲ τά γε πάντα οὕτως ποιέειν. i. Opus autẽ est hęc oĩa ad hunc modum facere. i. opus est medicum hoc modo agere, vt statim dicemus, opus inq; est, si recte incedere debeat.

ἢν μὲν νεοβρώτῳ αὐτίκα ἐόντι, καὶ κοιλίης μὴ ὑποκεχωρηκυίης. idest, Si cuipiam qui nuper cibũ acceperit, & alui excrementa non sint expurgata. sed adhuc in ipso ventriculo perstiterint, nam κοιλία proprie ventriculum significat. i. cauitatem ipsam. ut notet Hippocrates onera & excrementa quę in ventriculo sunt, non esse expurgata. i. à ventriculo non descenderint ad inferiora intestina. At petes quo modo illa quę in ventriculo sunt, onera vocantur & excremẽta. Respõdemus quia simul mista sunt excrementa, nam chylus est qui descendit à ventriculo, intestina petens, tunc meseraicæ probum trahunt succum, & ad portæ venam deferentes, reliquum ad crassiora descendit intestina, & transformatur in stercus. Intellige ergo quod à ventriculo non descenderit, nam cum descendit, in tenuioribus intestinis parum immoratur, sed in crassa recipitur, in quibus aliquo permanet tempore, & in intestino colo plerunque seruatur.

ἄρξηται ὁ πυρετὸς. ἤν τε ξὺν ὀδύνῃ ἤν τε ἄνευ ὀδύνης. i. febris cœperit vel cum dolore, vel sine dolore. huic inquam cœperit, qui nuper cibum sumpserit, & nõdum descenderit. Inquies vero quomodo potest esse hic sine dolore, cum in pleuritidis essentia complectatur dolor? Respondemus, vel intelligit parum doloris, vel hoc de dolore, referendum est ad alios morbos acutos, qui non sunt pleuritis. Nam &si pro omnium aliorum exemplo pleuritidem sumpserit, nihil tamen refert, si quãdoq; unam ponat conditionẽ vel proprietatem, quæ alijs acutis conueniat, multi uero sunt acuti absq; dolore, nisi quis affectionem illam febrilem, quæ in corpus imprimitur, dolorem nuncupare uoluerit.

ἐπισχεῖν τὴν δόσιν τοῦ ῥοφήματος, ἔστ' ἂν οἴηται ὑποκεχωρηκέναι ἐς τὸ κάτω μέρος τοῦ ἐντέρου τὸ σιτίον. i. Ab exhibitione sorbitionis tantisper abstinẽdum, donec cibum ad infernã intestini partẽ descendisse putaueris, hoc qđ ab Hippoc. pręcipitur, qñ febrem habet æger, vel cum dolore, vel sine dolore, & prius cibum acceperit, non est alter cibus dandus prius q̃ præcedens cibus prima coctione perfectus à ventriculo ad inferiora intestina descenderit, quoniam si cibus simul acciperetur, dum is alter adhuc in uentriculo continetur, vel ille hunc secum duceret crudum, vel quod uerius est, simul misti se inuicem corrũperent & alterarent. vnumq; alterius coctionẽ impediret. intellige uero per infernã intestini partẽ crassa intestina, & cæcũ intestinum, nempe nõ est opus hominẽ semp excreuisse, qñ edere debet, tamen melius fuisset. At satis est præcedẽtẽ cibũ in uẽtriculo nõ esse, neq; in gracilioribus intestinis. Petes vero quomodo deprehendi possit cibum & nutrimenti superflua à ventriculo & gracilioribus descendisse intestinis. Respondemus hoc multis vijs cognosci, vna est communis, si excreuerit, idemq; in præcedentibus fecerit cibationibus. Alia via qa ventriculus leuis p̃sentit, & partes circa ipm nõ extẽsę. Adde hominẽ tunc appetere, vel saltem cibum nõ abhorrere. Scito præterea intelligendum esse, postquã cibus descenderit, huic dandam esse sorbitionem. Si tempus febris hanc expostulauerit. nam si febris adhuc consisteret, nõ esset dandus cibus, sed expectanda esset inclinatio.

**GALENVS.** Sermonem lacerum, frustatimq; sectum, neque cõtinenter & conuenienti, digestum ordine fecisse sese deprehendit Hippocrates: quapropter resumens ipsum, ad accommodum perducit principium. Hoc autem ideo ipsi accidit, quod quæstionem super medicorum cõtrouersia soluere conatus, in ea solutione de rationibus curatorijs mentionem fecit: qui sanè re intellecta, atque his quidem permutatis, sermonem ab initio aliter percurrere debuit. Nempe & ita mihi aliquãdo felicius contingere est uisum: utpote qui his quæ ante scripta fuerant permutatis, alio de ipsis scripserim modo. Sed quonam pacto & quæstionem ab ipso propositam soluere, & sermoni ordinem dare debuit, his exponam ego, qui talia interpretari, exponiq; desiderant, uiamq; dilucidabo. Iam ergo animum conuerte, sermonem ab initio auditurus. Quare contingit ut interdum præstantes medici, de curatione dissideant? quòd scilicet in nonnullis expertum, conuenire omnibus putauerunt. Sic sanè & in uictus ratione in morbis acutis fuerunt controuersi: alij quidem ægros ad iudicationẽ usque ptisanæ cremore seruãtes alij ptisanam ipsam exhibentes, alij autem neutrum horum administrãtes. Ex parte autem uerum quidẽ dixerunt omnes sed ex parte falsi, circumuentiq; sunt. Nempe quidã ex acutis morbis ptisana indigent, alij cremore, alij horum neutro ad iudicationem vsque. Verum lucis gratia de acuto morbo vno tanquam exemplo, sermonem faciam: & demum pleuritidis super curatione agere proponatur. Si languenti nõ multo ante tempore cibato, neque ventris oneribus expurgato febris inceperit, sorbitionem huic non dabis donec quæ administrata est alimonia, penetratis plurimis intestinis, ad ultimum usque peruenisse uidebitur. Principiũ huiusmodi vbi quispiam sermoni fecerit, atq; deinceps oĩa ꝓprio dotauerit ordine, doctrinam in his haudquaquam obscuram pariet.

**BRASAVOLVS.** Primo Galenus notat Hippocratẽ deprehendisse, et cognouisse præcedentẽ sermonem fuisse lacerũ & in partes sectum, neq; esse digestũ conuenienti ordine. vñ ipsum resumens, ad principium quoddã commodũ reducit, & hoc Hippocrati cõtigit, quia conatus est antiquã illam controuersiã dissoluere, & in dissolutione de curatorijs rõnibus mentionẽ fecit: profecto Hippoc. re nota atq; intellecta, his omnino permutatis sermonem ab initio aliter ꝑcurrere debuit, & ordinare, q̃ ordinauerit, & certe mihi ẽt superius felicius contingere visum est, qñ & ea quæ supius scripta sunt, ꝑmutaui, et de ipsis aliter scripsi. At qũo quæstio ab ipso proposita soluenda sit, & qũo debeat sermoni suo ordinem dare, ego nũc exponam illis, qui talia interpretari, exponiq; desiderant, & viam ipsam aperiã. Tu igitur animum præsta ab initio sermonem auditurum.

Quod legitur aliquando, Græce est ἄνωθεν. i. superius.

Secundo Galenus quæstionem proponit, cur contingat vt nonnunquam medici præstantiores de curatione dissideant? Responsio est, quia rem illam, de qua habent in aliquibus experientiam, in omnibus conuenire arbitrantur, verum & in victus ratione in morbis acutis plurimum differunt, dissidentesq; sunt, nam nonnulli vsq; ad iudicationem cremore

ptisanæ ægros perducunt,& seruãt, alij idem met ptisana perficiũt, alij neq; vno, neq; al o vtũtur. At omnes ex parte verum dixere, & ex parte falsum, quoniã aliqui ex morbis acutis ptisana ind get, alij cremore, alij neq; ptisana, neq; cremore, vsq; ad iudicationem. quisq; igitur illorum ita opinantium in hoc decipiebat,quia id uniuersale accipiebat,quod particulare erat, nos vero de vno acuto morbo tanquam exemplo sermonem faciamus.

Tertio Galenus vnum accipit casum examinandũ,& de pleuritidis curatiõe agere incipit, si hic tali morbo languẽs accipiat, qui non multo ante tempore cibatus sit,& febris inceperit non expurgato uentris onere, huic sorbitionem non dabis,quod alimentum prius sumptum,penetratis plurimis intestinis,ad ultimum usq; peruenisse videbitur, quando aliquis huic sermoni fecerit hoc initium, atq; deinceps omnia proprio ordine digesserit,in his obscurã doctrinam non pariet, quæ in Hippocrate obscura est,quia aliter incessit,q̃ modo nunc dicto.

Tibi forte videbitur Galenũ voluisse excrementa descendere vsq; ad intestinum rectum,quia dicit usq; ad ultimum peruenire. Respondemus per ultimum intestinum opus est totum crassum intelligere, & colon, in quo stercora proprie formam accipiunt, cum vero illuc peruenit, plura equidem penetrauit intestina,duodenum inq; ieiunum, ilium,& partẽ etiam ipsius coli.si uero dicas superius sectione. 32. uoluisse egerendũ esse, putamus ibi Itellexisse illum multas habere in corpore cibationes, in hoc uero loco unam solum.

Quod legitur neq; ventris,Græce est οὐδ᾽ ὑπὸ τῆς κοιλίας .i. Neq; ventriculi,nam venter totum complectitur,quanq; hoc nihil referat. At si diceremus non expurgatis uentris oneribus sententia videretur, debuisse vẽtrem exiuisse,& esse expurgata quod tamen non magnifacit Hippocrates,licet melius esset.

## Hippocrates. Sectio XLIII.

Vbi autem dolor aliquis vexauerit, oxymeli bibendum dabis, hyeme calidum, æstate frigidum: quod si multa sitis fuerit, melicrato vtendum & aqua.

BRASAVOLVS. In præcedenti sententia Hippocrates vniuersaliter locutus est,& in habente dolorem,& in non habente.Nunc in habente dolorem hunc canonem præbet ( Intellige uero dolorẽ lateralem ) si æger sit qui dolore vexetur, huic oxymeli bibendum præbeto,huncq; ordinem seruato, si hyems sit, da calidum, si æstas,frigidum.uerum si hic multa siti prematur,cum oxymeli illam non probe extinguat, vtendum est melicrato, & aqua.

χρῆσθαι δ᾽ ποτῷ ἢν ἄλγημά τι ἔχῃ ὀξυμέλιτι .i. Sin vero quis dolore captus sit,oxymelite uti debet. vt hic sit sensus,Dolorem lateralem patienti oxymeli potui dandum est, vt meatus aperiat ac dissoluat.

Hic vero ambiges,cum oxymeli sit calidæ naturæ quomodo in morbis acutis dari possit,nec dicere conuenit quòd acetum recipiat frigidæ temperaturæ,quia & mel recipit calidæ temperiei,multoq; maior est mellis caliditas,q̃ aceti frigiditas.Respondemus oxymeli aperiendi gratia dari,et crassiusculas materias incidendi,& attenuandi etiam pelliculam,quæ in laterali morbo abscessum tegit.Si uero illud febri conferamus, non magnopere illi opitulatur,nisi fuerit aliqua crassa,& glutinosa materia simul mista.De oxymelite vero in tertio libro amplè loquemur,vbi & eius compositionem, & an his in morbis cõueniat,& in calidis differemus. Iterũ vero dubitabis oxymeli ratione aceti adstringere,& thoraci obesse, tussimq; irritare, omnia enim hæc acetum facere potest tussim excitando, quia materiam ad spirituales partes prouocat. Respõdemus si acetum esset purum,eo non uteremur,sed damus melli mistum, adde secundum tempora dari uario modo paratum, nam parum aceti recipit in principio,ne multum excitet tussim postea paulatim augetur,ut tussis magis proritetur, nempe malum non est in pleuritide tussim prouocare ( quod omnia faciunt ad hoc propositũ eclegmata )ut materia facilius exeat, quippe tussis est veluti expultricis potentiæ instrumentum, quo materiæ facilius expelluntur. Adde & acetum non esse tam frigidum, vt frigiditatis rõne adstringat,quin habeat partes aliquas calidas, vt Galenus in. 10. methodi ostendit, vbi de his loquitur,quæ exterius applicata refrigerant & humectant inquit,acetum esse omnium ( quæ nouimus ) potestate refrigerantium tenuissimarum partium,tamen admistam sibi habet aliquam caliditatem. præterea corpora quæ contingit, siccat, quãuis ad imaginationem sit humidum. vt eo loco nolit Galenus in quibus infrigidare & humectare volumus nos vti non debere solo aceto,sed tãtum aquæ frigidæ admiscemus, vt bibi possit. propterea & in tertio huius voluminis libro melicratum facit ex aceto. Forte id genus est,quo nunc vti vult.nam maiorem refrigerãdi vim habebit si admista fuerit aqua,quoniam & si adsit mel,quod est calidum,acetum & aqua simul sunt magis frigida. vnde plus erit frigidum in hoc casu, quàm calidum,adde plus humectare q̃ oxymeli absq; aqua ex solo melle & aceto. Sed & si oxymeli potio sit calida, iubemur à Celso libro quarto,capite sexto,nos uti debere cibis & potionibus calidis,& euitare frigida in pleuritide,sed hoc in processu Intellige.nam ubi adest ardens febris,frigidis,et humidis indigemus,neq; inflammationem offendimus,non enim extreme frigida accipimus. vnde & Trallianus libro secundo capite primo,iubet in pleuritide vitãda omnia gelida & sicca, imo & mala punica,& omnia acerba pectori inimica sunt, Paulus vero non respicit,an quæ sumuntur sint calida, cum uelit sorbitionibus post quartum diem mel esse addendum. Nos vero in præsentiarum delicatiori condimento vtimur.nã saccarum habemus apud antiquos ignotum, quo oxyzaccar cõficimus ad hunc vsum saccarumq; est ferè temperatum, neq; flatuosas habet partes, uti mel.

χειμῶνος μὲν θερμῷ.idest hyeme calido,calido inquam ne ventriculus frigescat,& vt citius penetret ac facilius, ita enim ventriculus non indiget calefacere ipsum,cum iam igne calefactum sit.

θέρους δὲ ψυχρῷ .i. æstate vero frigido, nec ( vt inquit in commentatione Galenus) sitim adaugeat,sed potius illam remouens contrarium inferat.

Vna est hic contradictio in cõmuni opere quo medici omnes vtuntur,& in Hippocrate,& hi qui ita agunt,rationẽ ex Auicenna recipiunt libro tertio fen. 10. tractatu quinto capite primo,inquit aquam hordei,aquam zuchari, & aquã mellis debere dari hyeme calidam vt hic dicit Hippocrates, æstate vero non vult dandam frigidam, sed temperatam. Itaq; opere agunt qui praxin exercent Auicennam sequentes,aquam mulsam tepidam præbent,& omnem aquam quam bibunt pleuritici,tam hyeme q̃ æstate, semper ita parant, hyeme uero magis calidam,& re uera frigiditas pleuritidi obest. caliditas vero aperit,& sputa facilius exire facit. Adde oxymeli ex multo aceto, frigidum si exhibeatur, multum obesse posse, nam locũ infrigidabit,& infrigidans materiam potius cõculcabit, quàm prodesse possit. propterea in hoc casu dari debet ex pauco aceto, vt in tertio huius voluminis edocemur.

Scito autem in exhibendo oxymeli duas intentiones haberi, vna est ad febrem & sitim, alia ad abscessum, ratione abscessus, semper conueniunt tepida & calida, ratione sitis & febris frigida, sitis vero in hoc casu materias reddit quæ expui deberent, magis crassas & glutinosas, & ideo non est ab re sitim extinguere, quod fit oxymelite frigido, hocq; respexit Hippocrates. At Auicenna abscessum respexit. propterea calidũ dari voluit, imo & Galen. in cõmentatione docet in pauca eũ dari quãtitate. qui ergo rem medicam cõiter exercent, respectum habent ad abscessum,& non ad sitim, Hippocrates vero sitim respicit, quæ est appetitus frigidi & humidi nõ solũ potẽtialis, sed et actualis. At inges si calidũ sit, nõne magis pene-

trabit

trabit ad causas sitis? Respōdemus illa actualis frigiditas multum facit ad hoc sitis desiderium extinguendū, quod in ore est, & in his gutturis partibus, quamuis citius penetret calidum, tñ illam delectationem non habet, quàm cum est frigidum. Forte dices & si frigidum sumatur, non posse ad thoracem penetrare, nisi prius in uentriculo concubuerit. Respōdemus id esse verum, tamen & si esset calidum, nunquā ad has perueniet partes, nisi prius in ventriculo aliqua coctione conficiatur, nō negamus uero hanc coctionem citius fieri in calido, quàm in frigido. At si frigidum accipiatur plurimū delectat, sitim quæ in ore est extinguit, & eadē postea facit, quæ calidū, nec opus est dubites acetū inculpare materias qñ sumit, qa calescit anteq̃ illuc perueniat, & est cū pauco aceto, vt vētriculo obesse non possit, quāuis sit nerueū membrū, nisi aliquā haberet particularem affectionem, cui obsisteret acetum, imo pleriq; illi opē fert, cum glutinosis humoribus & crassis oppletur, illos incidens, & attenuans.

ἐὰν δὲ πολλὴ δίψα ᾖ, καὶ μελικρήτῳ καὶ ὕδατι. i. Si uero multa sitis adfuerit, & melicrato, & aqua utaris. Vt hic ferè sit ordo, si multū oxymelitis biberit, sitisq; nō cessauerit, da melicratum, & hoc ob id, ne tanta aceti copia ingeratur. At si non fuerit sans melicratum, da aquam puram, per quam intellige aquam decoctā, vel secūdum cōem morem, aquā hordei, vel vnum ex nostris syrupis alterantibus, & sit m extinguētibus. Inquies vero, videri tibi oxymeli sitim magis extiguere, quàm aqua mulsa, nam ratione aceti, ad sitis causas magis penetrat, & magis infrigidat, quàm aqua mellis. Galenus ad hoc respondere uidetur, Hippocratem à magna oxymelitis copia abstinere voluisse, nam cum oxymelitis quātitatem exhibuerit, ob acetum ex hoc nihil amplius dandum, tamen melicrati copia dari potest, imo si à melicrato non extinguatur sitis, ab aqua extingui debet, ne maxima etiam melicrati copia accipiatur.

De aqua præterea ambiges, non videri cōuenientem potum, cum frigida sit atque cruda, neque sputa euocat, vt Hippocrates in tertio huius voluminis libro edocebit. propterea nō videri Hippocratē de aqua pura intelligere. Respondemus, forte intelligit aquam, uel melicrato, uel oxymeliti mistam, quam dicit præcitato loco sputum euocare hoc modo sumptam, tamen decocta & saccaro dulcorata, calidaq; si bibatur, sputum euocat, sitim arcet, & febrem extinguit. Estq; optima in acutis morbis potio. nam neq; habet aquæ noxas, neq; mellis neque aceti. Idem videtur iudicium de aqua hordei, tamen & Oribasius libro tertio de confectione ciborū, vbi de potionibus agit, quæ infirmis expediunt, mulsam aquam præbet, vel oxymeli, vel aquam, quæ absque mordicatione aliqua conficitur, multasq; refert aquarum confectiones stipticarū laxarum, & aliorum generum, vt in morbis opus est.

GALENVS.

Siticuloso existente ægro, ab oxymelite admodum multo maxime temperandum præcipit: quapropter continuata serie tum melicrati, tum aquæ mentionem fecit. Nempe quantum ad morbum spectat, oxymelite magis est utendum: verum si æger accepto multo oxymelite, adhuc sitiuerit, melicratū dare oportet. Quòd si & ab ea re sitiuerit, aquā offerendā putato. Nempe aqua ꝑ se pota culpa nō caret. Causas uero ob quas aqua pota culpetur, in sequentibus atq; in ea libri parte quę de virtutibus ipsius agit, perdisces. Nunc autem quod præsenti apposuit orationi, recensebimus: qua scilicet præcepit oxymelite utendum hyeme quidem calido, æstate uero frigido. Nēpe id ad eam, quæ in acutis morbis magno est adiumento, nos hortatur gelidæ aquæ potionem, quam omnino prætermisisse videtur Hippocrates: atque ob eam rem à quibusdam est culpatus. Res etenim doceri, non negligenter incuriosèq; narrari debuit. Si ergo de aquæ frigidæ potu intellexerit, præsenti ex sermone dignosci valet. Nempe si Hippocrates sitiētibus oxymeli frigidum aliquando exhibeat, quòd & aquam daturus sit est manifestum. quāuis si quidem non prorsus de frigidæ potione id præceperit, uerūtamen præceptionem sequitur ipsius; vtpote qui febrem ex natiuo calore exardescente suscitari existimet, atq; contraria contrariorum esse remedia. cum autem ignis tum calidus, tum siccus sit, atq; ob id etiam febris: sanè aqua febris naturæ aduersissima est, corpus tum refrigerans, tum humectans. Et sanè ab ea si tempestiue detur, febres protinus extingui uidentur. Dictum sanè abunde in libris methodi medēdi: sed & nunc rei summa dicetur. Cum ergo febris fuerit, constante uirtute, tunc non solum non offendes, uerum & iuuabis abunde. Potio autem frigidę huiusmodi tanta sit, quantum frigidæ aquæ æger inspirādo haurire possit. Oxymel ēo uero exiguū datur, neq; singulis oblationibus plus dimidio: in hoc ergo exhibitionis scopus est dissimilis. Nempe ad febris extinctionem frigida affatim atque ad laborantis usque satietatem bibitur. Quæ enim ita bibitur aqua, sanationis occasio efficitur. Oxymeli vero æstate datur frigidum, ne laborantis adaugeat sitim: imo ut aduersus etiam contrarium conferre possit. Ob eas etiam causas, frigidum oxymeli ante morbi coctionem dari iubet, quasi frigidam aquam ad satietatem usq; in eiusmodi affectione dare æstate haudquaquam debeamus: densat siquidem inflammationem, si ex ea febrierint: crudosq; refrigeratione reddit humores, ubi ex ipsis morbum contraxerint: sed ab oxymelite reducuntur, quòd secandi vim habeat. Nempe quod secat, penetratq;, id spissanti, cogentiq; corpora, est contrarium.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus docet potum primum, qui pleuriticis ad extinguendam sitim dari potest, esse oxymeli. At quia nonnunquam in illa copia, in qua datum est, sitim non extinguit. propterea notat ab Hippocrate dici cauendum esse ab oxymelite in copia sumpto. & si huius causam petes, est quia nimia aceti quātitas insumeretur, & quia minus nutrit, quàm mulsa aqua, ob id vult dandum esse melicratum, si oxymelitis potio sitim non sedauerit. Et si petas cur transit ad melicratum, cum ęgritudini magis conueniat oxymeli. Respondet, quia ex hoc maior copia bibi potest absq; ullo incommodo, q̃ ex oxymelite. At si à multo melicrato sitis non extinguatur iubet dandā esse aquam, ne in tanta copia melicratum etiam sumatur. En Hippocratem non sinere suos ægros mori siti, neq; cruciari, vt illi ab antiquis nonnullis impositum fuit. Et si petas cum in principio aquam non dederit, Galenus inquit aquam per se potam culpa non carere, vt in tertio docebitur libro, tamen Hippocrates eo loco notat. Si inter oxymeli & aquam mulsam bibatur, conuenire, & sputum prouocare.

Inquies vero, quomodo præcipit Hippocrates abstinendum esse ab oxymelite admodum multo? Respondemus ex eo colligi, quia inquit, si ab eo sitis non extinguatur, ad melicratum transeamus, si uoluisset magnam illius sumi copiam, ad aliud non transiuisset, sed in eodem permansisset, forteq; dixisset si oxymelitis quantitatem bibisti, iterum ingemina.

De aqua & qualem habeat culpam, & quomodo conueniat, in tertio libro differemus.

Secundo Galenus ad Hippocratis sententiam enucleandā descendit. Inquiens recensendum esse quod in præsenti sententia scripsit, in qua præcipit oxymelite utendum hyeme quidē calido, æstate autem frigido. Galenus uero ex hoc accipit Hippocratem nos hortari ad potionem aquæ egelidæ, quæ mire adiuuat in morbis acutis, & quam uisus est Hippocrates prætermittere, & ob hoc nonnulli illum culparūt. propterea quidam in Hippocratem dubitabant, illum diminutum facientes, qui de aquæ frigidæ potione locutus non sit. At non erat tam temere culpandus, tum quia non erat hic de potu locuturus, qui febrem auferat & extinguat, tum quia si quis sit acutioris ingenij, hoc inde sumere potest, quia Hippocrates ægris præbet oxymeli quandoque frigidum. vnde et à Galeno dicitur, hanc rem de aqua frigida non fuisse negligenter, sed curiose tractandam, & ideo non mirum si de illa hic nihil dixerit. Adde si Hippocrates oxymeli frigidum quandoque exhibeat, & aquam frigidam exhibere non verebitur. vnde & si

precise de aquæ frigidæ potione locutus non sit, tamen ad eius præceptum. nam Hippocrates arbitratur febrem ex natiuo calore exardescente suscitari, arbitraturq; contrariorum contraria esse remedia. cum enim ignis calidus sit & siccus, & ob hoc et febris, aqua profecto erit naturæ febris aduersissima, quoniam & refrigerat & humectat corpus, quod febre & calidum & siccum effectum erat, & hoc proculdubio verum est, si aqua tempestiue præbeatur, febres protinus extingui videntur. Ambiges uero in Galeni consequentiã, qua infert, si oxymeli frigidum aliquando dat, dabit etiam & aquam frigidam. hæc consecutio constare non videtur, nam oxymeli mel recipit & acetum, quæ aquæ ineptitudinem, & malitiam aduersus pleuresim remouent, aqua uero habet suam malitiam, & frigida pleuresi obest. Respondemus non accipi ex hac Galeni sententia esse eundem modum exhibendi aquam frigidam, & frigidam oxymeli, sed intelligit hinc ansam haberi conuenire aquã frigidam, quia frigidum datur oxymeli, vt Galeni consequentia sit ratione frigiditatis, quoniam & aqua frigida datur ratiõe sitis & frigidum oxymeli. Valet ergo faciẽtes comparationem ad frigiditatem, & non ad sumendi modum.

Cum dicit aquam frigidam esse maximo adiumẽto in morbis acutis. Intelligit in illis morbis, in quibus adest pura febris, & nullus coniunctus abscessus. Scito igitur aquam frigidam dari quidem in æstate ad extinguendam sitim in pauca quãtitate & mistam, sed ample non dabitur, vbi aderunt abscessus. In febre autem sola acuta, in tanta dabitur copia vt simul febris ipsa cum siti extinguantur.

Quod dicit, cum autem ignis cum calidus, tum siccus sit, atque ob id etiam febris, in græco contextu adest quædam vocabulorum consecutio. nam πῦρ græce ignis est, πυρετὸς uero febris ἀπὸ τοῦ πυρὸς deducta. Si uerbis græcis vtamur, videre licebit, quomodo uocabula sibi inuicem alludant, inquit cum autem πῦρ, i. ignis cum calidus tum siccus sit, ob id & πυρετὸς, idest febris.

Dubitabis preterea aquam frigidã omni simpliciter febri conuenire videri, & non solis acutis, nam febris quælibet est calor naturalis mutatus in igneũ, vt hic dicit Galenus, & alibi sepius omniq; calori i igneũ mutato aqua frigida cõuenit, igiẽ et omni febri conueniet & non solis acutis. Respondemus omni febri conuenire ratione causæ, nam multa exiguntur, vt aquæ frigidæ potus conueniat.

Nota hic ẽt à Galeno dici febrẽ esse calorem natiuũ mutatũ in igneũ, & in hoĩe febriente nõ eẽ duos calores, ut multi putarũt, qui naturalem calorẽ à febrili distinxerunt. At cũ vnũ sit illorum subiectum, erit etiam vnus calor.

Tertio Galen. refert in medẽdi methodo de aquę frigidę potu se abunde disseruisse, nunc autẽ breuibus & in summa de eadem loquetur, cũ quis febre acuta captus sit, quę nihil habeat mistum abscessus, virtute constãte, tunc non solũ non offendes si aquam frigidam exhibueris, sed etiam abunde iuuabis.

Etsi petas quanta esse debeat aquæ frigidæ quantitas Galenus respondet tantam esse oportere, quãtam æger inspirando haurire possit. At de oxymelite exiguum datur, neq; singulis oblationibus plus dimidio. hinc uides scopos exhibendi aquam frigidam, & oxymeli esse diuersos. Nam ad febris extinctionem frigida aqua bibenda est affatim & ad sanetatem usq; laborantis. nam aqua tali in copia ebibita in febribus acutis occasio est ut sanentur, quanquam in aliquibus contextibus non legatur occasio, sed ἵνα, idest causa. verum in idem incidunt. intellige uero occasionem esse vt citissime sanetur. At oxymeli nõ datur vt protinus febrem extinguat, sed æstate frigidum datur ne ægrorum sitim adaugeat, quod efficeret si calidũ esset, imo & datur, vt agat aduersus contrarium scilicet aduersus sitim, & illam extinguat.

Vbi legitur tunc non solum non offendes, addi debet δοὺς τὸ ψυχρὸν. i. dans frigidam.

Petes uero in quo loco methodi medẽdi, de aquæ frigidæ abũdanti potu egerit Galenus, Respondemus est varijs in locis, tamen nono lib. de synocho agens iubet exhibendã, quantum ægro lubeat, modo nullũ immineat nocumentũ uel paruum, si immineat, abstinẽdum, quippe hoc incõmodi facit, si immodice & intempestiue detur: lentos crassosq; humores, siue hi obstructionem, siue putredinem, siue phlegmonem, siue qualis erysipelas aut scyrrhus, aut œdema est affectũ creauerint, attenuari, digeriq; prohibet. vnde si nõ extinxerit, alia succedit febris, quæ sit prima vehementior, hæc est una noxa frigidæ aquæ non contẽnenda. Alia noxa multæ laborãtis imbecillæ particulæ, siue ita se ex naturali intemperie habeãt, siue ex vitio adscititio, à frigida lædentur. alicui adeo est affecta gula, ut vix deglutiret, alteri uentriculus, ut uix concoqueret, alijs os uẽtriculi, alij iecur, alij colon, alij pulmo, alij septum trãsuersum, alij renes, alij uesica. Tertia noxa illico nõnulli spirandi difficultate capti sunt, & cõuulsione & tremore, & toto neruoso genere læditur. Nota cum adest tremor in principe aliqua particula e phlegmones, œdematos, aut scyrrhi genere, frigidã obest, obest & obstructionem habentibus et humorem putridũ non coctum, erysipelas verũ sanat, sed non sit mistum phlegmoni nisi post coctionem iubet nono methodi libro dandam esse frigidam, cum notas videris coctionis humorum, de quibus in libro de crisi locutus erat, & tunc tute dabis quãdo fuerit assuetus, his dari non debet qui exiguum sanguinem, & exiguam habet carnẽ, hecticis nullo pacto danda, sed inquies à Galeno in pñti cõmẽtatiõne, tot impedimenta nõ edoceri. Sed simpliciter inquit, stante febre. s. acuta cõstante uirtute, non solũ non offendes à frigida, sed iuuabis abunde. Rñdemus hoc potissimum debere respici. s. uirtutem, tñ & alia quę supponit te alijs in libris vidisse & potissimũ in medendi methodo, quã adducit imo & in. 5. aphoris. lib. de frigida aqua multa disseruntur, & aphorismo. 17. &. 18. &. 21. ex persusione frigidæ aquæ sanat iuuenem bene carnosum æstate media à distentione sine ulcere Hippoc. unde non solũ erunt cõsiderandæ vires, sed & an sit iuuenis pro frigida exhibenda per os. nam si in externa persusione hoc considerauit Hippocrates, quãto magis in exhibitione per os cõsiderandum erit? Et si in persusione æstas media exigebatur, in potatione etiam æstas media haberi debet. Vt vero in vnum colligamus, iuuenis esse debet, biliosæ temperiei, biliosa febre affectus, bene carnosus, æstate media, partes ventris imbecillas non habens, neq; sit doloribus affectus, & simpliciter nulla pars sit imbecilla, aquæ frigidæ potui sit assuetus, & nullum habeat abscessum. Nos uero omnibus etiam his constantibus, aquæ frigidæ exhibitionem ob inassuetudinem veremur, quamuis Galenus in quarto huius uoluminis libro, sectione. 12. dicat se omnes sanasse, quibus aquã potui dederit, nempe vidimus in eius exhibitione repentinas mortes, quæ (vt arbitror) absq; aquæ potu non successissent. Auerrois tamen septimo suarum collectionum libro, capite octauo Galenum reprehendere conatur, cum enim à Galeno in nono Methodi medendi libro dictum sit, materiam debere esse coctã, si potus hic præberi debeat, Auerrois insurgit non esse expectandam coctionem, quia æger ante coctionem consumetur, & si coctionem expectabis, erit praua coctio, sicuti est nebula nigra, aut hypostasis nigra, ob combustionis nimietatem, & tunc aquæ frigidæ exhibitio nõ ualebit. vñ ab Auerroe infertur. In principio melius esse absque signorum digestionis apparitione exhibere, & nonnullorum dicta negligere, vt Galeni, quoniam hæc est res ueracissime probata, nam materia quæ tandem facit febrem, qualis ista est, cum sit in vltimo caliditatis, non est priuata digestione, nisi propter malam qualitatem acutam, non propter crassitiem, neque propter uiscositatem, & quando hanc infrigidabis, tunc statim erit materia digesta, & melius est ut cõuertas talem febrem ad febrem lentam & longam, quæ curari potest, quàm æger subito moriatur, nam error qui fit in alteratione complexionis febrium facilior est, quàm mors.

Addit & exemplũ Auerrois de duobus iuuenibus à Rasi propositũ, qui in diebus canicularibus iter agebant, uterq; causo-

nem

nem incidit,& domino fuit data potui aqua,qui sanatus est,seruo non fuit data,& obijt.

Nos uero dicimus nõ esse dandam ubi adfuerit obstructio,est uero obstructio cum materia fuerit cruda & nondum cocta. At quia eiusmodi materia tenuis est & biliosa.ppterea pauca indiget coctione,hinc dicimus Galenum in synochis aliquam expectare coctionem,nõ tamen perfectam, sed illam quæ exigitur,segregationem .s. prauę materiæ à bona,& viarum præparationẽ,ita enim obstructio non aderit,vel erit modica. nec dicere conuenit,statim hunc mori, nisi aqua in principio exhibeatur,quia exhibet Galenus in principio in causo .i. ardore,in quo breui coctio apparet,tamen non tã cito ad illam ultimam exustionẽ peruenitur,& quotidiana experiẽtia ostendit multos etiam absq; frigida sanitati restitui, & idem Galenus in .11. Methodi, cum febris magnitudo instat vt in synochis inquit, neq; uino utendum est,neq; balneo, neq; inunctionibus, quæ rarefaciunt,sed frigida in his aptissima.Galenus ergo frigidam præbet in causone,in synocho, & in ephemera ob irã,ob ambulationem per solem, & ob magnum æstum,& in hac fit in principio,priusq; vires imbecilliores reddantur,in causone in principio bibendam praeberet,in synocho non nisi aliqua præcedente coctione,& in terriana cõtinua.in hectica uidetur non nunq; dare febris gratia in .10. methodi,in nono vero dicebat non esse dandam hecticis valde frigidam neq; multam, imo iubet cibandos esse prius chondro, ptisana,& sorbitionibus in 10. postea dandam aquã,& quod additur ab Auerroe,melius esse ægritudinem prorogare,q; ægrum mori,verissimum est. At Galenus non prębet frigidam, vt ægritudinem proroget, sed vt statim sanitati restituat,verum ( vt diximus ) & si Galenus hanc operationem tutam faciat,tot sunt quæ exigũtur conditiões, vt nos illam suspectã habeamus,nec possum ad illam exhibendam inclinari, neq; nostri temporis febres vel nostræ patriæ videntur frigidam, nisi raro expetere, illam tantum ad hæc usq; tempora .1549. die .16. februarij bis dedimus,& ad vota successit,exemplum uero illud Auerrois de duobus iuuenibus,Galeni est in methodo medendi,& nõ Rasis,& ad rem ipsam nihil facit. Aliud in Auerroe septimo collectionũ libro capite.12. perpendendum est,uoluit in causo anguriæ aquam potius dare q; aquam egelidam,nam aqua egelida ( ut inquit) q̃uis sit in ultima frigiditate,tamen uelociter recipit caliditatẽ. Additq; aquam cum sit simplex nihil restaurare, neque præstare corpori nisi frigidam qualitatem, aquam vero anguriæ restaurat,& addit in sanguinem faciendo frigidã substantiam & qualitatẽ, intellige vero per aquã succum,& per anguriam vocatum σικύον à Dioscoride satiuum.i.cucumerem satiuum, & ab aliquibus ad differentiam aliarum cucumeris specierum cucumis pepon vocatur,ac si dixerint cucumis qui mitescat & tenerescat magis, tamẽ Virgilius quarto Georg.libro inquit,

Tortusq; per herbam Cresceret in ventrem cucumis.

At de anguria nõ loquit̃,q̃uis de ea intellexisse multi cẽsuerint quicquid tamen sit,nobis non uidetur conuenientior esse aqua anguriæ,simplici aqua,nam ut Dioscorides dicit,ægre concoquitur, & Paulus, ægerrime concoquitur, & si concoquatur mali itidem succi esse, & Plinius inquit viuunt hausti in stomacho in posterum diem, nec perfici queunt,& Galenus secũdo de alimentorum facultatibus inquit ex his humorem crassum gelidumq; in venis aceruari, & non in bonum sanguinẽ uerti, consulitq; ab hoc edulio in totum abstinẽdum esse.propterea succum eius non iudicamus simplici aqua potiorem,quę neq; in venis aggregatur, neq; transit in alimẽtum. Adde ut aqua non infrigidare,& habet crassam substantiam quæ non facile penetrat, vt substantia aquæ facit, habetq; nonnihil viscosi & flatuosi & facile putrescibilis, vanumq; est hunc succũ restaurare,& in sanguinem addere,nam ex eo non fit sanguis, vt notabat Galenus,sed humor crassus lentus, qui in probum sanguinem verti non potest.Adde in hoc casu nos non indigere nutritione,quando aquam frigidam exhibemus,sed infrigidatione tantum,& caloris præter naturam extinctione.

Nonnulli vero argumenta quædam fecere,quibus probare nituntur,aquam in acutis febribus non cõuenire,quæ argumenta cum logicam potius sapiant, q; medicam rem, de illis nihil agemus.si uero cuius sunt generis scire cupias,sunt ueluti illud curatio fit per contraria in gradu,quando approximantur directe,vt in Arte medicinali edocemur,verũ aqua nõ est in gradu cum febre,quia febris habet caliditatem in gradu, aqua vero frigiditatem extreme participat.Ad quod dicimus ad actionem nõ requiri hos exquisitos gradus,sed aquæ satis est,quod frigida sit,& in pauca quantitate, vel in frigiditate temperata applicari potest,vt ad gradum febrilis caloris deueniat,notaq; cum qualitatem aliquam expellere intendimus, non esse satis eosdem oppositæ qualitatis gradus applicare, aliter æque pugnarẽt,sed opus est,vt id quod acturum est, parum exuperet, vnde cum hæ febres & ipsæ sint igneæ,aquam applicare conuenit,quæ hanc caliditatem sua vi excedit. Aliud argumentum est ( ut unum vel duo ex his attingamus)si aqua detur,nihil agitur,nisi ipsa in corpore humano aliquid agat. verũ aqua nihil agit in corpore nostro,igitur dari non debet. Minor probatur ex Isaac in elementis,& cibis vniuersalibus, simplex in compositum non agit,sed est compositum quod in compositum agit.At aqua simplex est,homo uero ægrotus compositus.Aqua igitur in hominem ægrum non agit. Profecto logicum est argumentum nihil petens ex his quæ ad artẽ spectãt, quippe nos dicimus aquã agere in cõposita corpora,& ipsam esse ex materia & forma compositam,quod alicui rei satis est, vt omne actionis genus in omne compositum agere possit.Si uero Isaac id senserit,ab eo sponte dissentimus,tamen et illum considerantes,id simpliciter non dicit qđ refertur,sed hoc facilius compositum agere in compositũ & efficacius, quàm simplex in compositum.Adde & aquam simplicem, quæ purum sit elementum,nõ haberi.Nos reliqua huius generis argumenta cum logica sint, deseremus.

Petes vero quæ sint ex arte argumẽta,& non logica? Respondemus illa quæ ex rerum essentia fiunt,vt id non esse dandam frigidam,quia ventriculum infrigidare poterit,& vim concoctricem dejicere & similia,vt tormina inducere. Ad quæ breui respondemus,non dari aquam frigidam ac si præsidium sit quod nihil obsit. Imo obest,sed maius est iuuamentum nocumento in prædictis febribus,nam ęger à morte seruatur, quãuis alia incidat discrimina,talia vero sunt,vt facilius sanari possint quàm illa vehemens febris acuties. Scito prętereа & alios authores in febribus frigidam aquam exhibuisse. nam Paulus in febre ab erysipelate dat aquam egelidam libro secundo capite.31.in vulgatis codicibus,in græco uero codice est caput. λ.idest trigesimum, verba Pauli hæc sunt,primo inquit abstinendum esse ab aqua, postea addit ὕδατι δὲ ψυχρῷ κατὰ μὲν τὴν ἀκμὴν τοῦ νοσήματος, χρηστέον ἀγωνιστικῷ. τουτέστι ψυχροτάτῳ. ἐν ἀρχῇ δὲ οὐ χρηστέον. idest, Aqua cutem egelida agonistica hoc est gelidissima, in morbi vigore exhibere utile est, in principio uero non est utile. quanquam Auerrois oppositum censeat,aquam vero agonisticam vocat,aquam frigidissimã,quoniam febri,quę est igneis calor velut in agone certans debet obsistere. in febre igitur quãdo erysipelas fuerit prope uiscera frigidã potui dat,& balneum prohibet. At Alexander Trallianus oppositam habet sententiam,quippe libro quinto capite tertio inquit,ubi erysipelas sit circa pręcordia,aquam frigidam potui dare ne in animum quidem veniat,iubetq; cauendũ omnino ab illa quando in febribus adsit erysipelas, casumq; cuiusdam refert,quem curabat, qui in magno fuit vitæ discrimine, vt Paulus,atq; Trallianus inter se dissidentes esse videãtur,tamẽ Galenus nono methodi non esse dandam aquam frigidam, habẽtibus tumorẽ è phlegmones,œdematos, vel scyrrhi genere, additq; in vero erysipelate dari, & quod non aliter sanatur, in non vero autem prius nolebat dari posse, neque in phlegmone, vt hæc esse possit cõtradictionis solutio. Trallianus in non puro erysipelate frigidam dari nõ vult cum Galeno, & hoc ostendit illius

capitis titulus, qui est de phlegmone erysipelatodes. Paulus uero iubet dandam frigidam in erysipelate vero, & ipse quoque à Galeno non dissentit. Trallianũ uero ita sensisse manifeste apparet sequenti cap. 4. s. quinti libri, vbi in causo cum inflammatione erysipelatode, quæ uerum est erysipelas, frigidam exhibet. sed mirum videtur, illam exhibet cum oleo rosacco, forte ne adeo uentriculũ male afficiat, vt male afficere posset. et Paulus cap. 28. secũdi libri. gelidam exhibet, & vt inquit καὶ μάλιστα εἰ ψυχροπότης ὁ κάμνων εἴη. i. & maxie si æger sit frigidi potus appetens. Aetius & ipse libro quinto, capite. 71. in synocho aquam frigidam exhibet conditionibus à Galeno superius positis obseruatis. iubetq; principium & augmẽtum euitanda, sed summum uigorem esse accipiendum, & etiam pticularis exacerbationis vigorem, & iubet tunc dandam, quando in vrinis coctionis signa uideantur, legeq; eodem loco quod discrimina incidere possunt, qui illã hauriunt, nisi tempore insumpserint, & nisi Galenicas cõditiões obseruauerint. Nec vult ipse in erysipelate dandam, quanquam & hoc intelligendum censeam, in non vero erysipelate. in ardenti quoq; febre capite. 77. eiusdem libri dat aquam frigidam, & illam dat in summo uigore ex sententia Philomeni, quod Auerroi oppugnat qui in principio exhibet. vnumq; eodem loco notatur, si nullus sit timor dãda sincera frigida. si vero aliquid obstiterit, docet primam potionem refractam propinare, id vero ita fiat. sume temperatæ aquæ cyathum vnum, cui quinq; sincerę frigidæ admisceto. Alij ponunt cyathum vnum olei rosacei, postea frigidam bibunt, nam rosaceum moderate refrigerando, & corpus oleagino liquore illinendo non sinit ipsum à frigido lædi, sed & uigorem quendam rosaceum uentriculo, lubricitatemq; præstat. quidam pro rosaceo oleum cytoniorum accipiunt, idem Aetius libro quarto, capite. 48. aquæ frigidæ discrimina ponit I curãda inustione. vnum vero addit capite. 51. eiusdem libri, q̃ agere nunq̃ auderem. de crudelitate loquitur. in qua iubet heminam aquę frigidæ exhibendam, nam non nocet inquit, quoniam os stomachi repente excitatum depellit ea quę sunt in uẽtriculo, at si hoc non efficeret, maiorẽ induceret cruditatẽ, & dubium est q̃uo id faciat, nisi per viam symptomatis, & motus pręter naturã, qui postea peius exagitat, quàm homo prius esset, & ventriculo frigidiori reddito, maior cruditatis copia exaggeratur. Quicquid antiqui dixerint de huius egelidæ aquæ potu, nos nõ audemus illam tam facile propinare, cum rarissime contingat vt omnes in vno reperiãtur cõditiones, & aquæ frigidæ potationi inassueti sunt nostri tẽporis viri. adde neque Celsum illã temere præbere, imo capite sexto tertij libri iubet ægrum esse sine potu, faciteq; aquam in ęgris periculosissimam, & illam pulchram sententiam ibi refert ita celerius eũ desinere sitire, qui nõ bibit, sed neque istud mihi placet, nam est alter morbus morbo sęuior ferre sitim. Celsus deinceps capite septimo in pestilẽtiali febre dat frigidam.

In Galeno præterea dubitatio contingit, nam dicit dandũ esse aquæ frigidæ, quantum æger inspirando haurire posit, sunt uere nonnulli qui breuem habent inspirationem, in his non esset extincta febris, propterea his magis obesset. Respõdemus non intelligere Galenum vna sola inspiratione bibi, sed multis. imo cogi debet æger, posteaq; cœperit, ut bibat, & ob hoc forte addit Galenus ad laborãtes vsq; satietatẽ bibi, imo & cogi debet supra satietatem, q̃n iam cœperit, nã ægri omnes phiala una exhausta amplius nõ sitiunt, tamen nondũ est extincta febris, propterea cogendus est, vt amplius bibat, de qua re lib. 4. sectione gnta, quo in loco quantus sit iste haustus edocebimus. Ambiges pręterea qd illud sit, qđ à Galeno dicitur, nõ esse dandum de oxymelite nisi exiguũ, neq; singulis oblationibus plus dimidio. Rñdemus hoc referri posse ad aquę frigidæ potum, nã dicebat de illa haurire ęgrũ quãtũ inspirãdo haurire posit. idq; intellige in una inspiratione. At de aqua mulsa in singulis oblationibus nõ debet dari plus dimidio haustu. i. plusq̃ id sit qđ dimidia inspiratione hauriri posit. uel intellige cũ ab antiquis fiat melicrati compositio ex octo partibus aquæ & vna mellis, nõ esse sumendum nisi dimidium compositionis, vt si factum sit ex vncijs octo aquæ & vna mellis, vel sit magis dilutum, accipiet vsque ad sex uncias pro singula vice. sed hæc est incõstans expositio, quia hæ partes & magnę & paruę esse possunt. Græcum quendã contextum legimus, qui non habet τὸ δὲ ὀξύμελι βραχὺ διδόμενον, οὐ πλέον ἡμίσεως καθ' ἑκάστην προσφοράν. idest oxymelitis vero exiguũ datur, neq; plus dimidio per singulam oblationem, sed in eo ita legitur τὸ δὲ ὀξύμελι βραχὺ διδόμενον, ὡς ὀξύβαφον καθ' ἑκάστην προσφοράν. idest, oxymelitis uero exiguum datur. s. oxybaphum per singulam oblationem: dictum uero superius est oxybaphũ tres uncias cõtinere apud aliquos, apud alios quatuor, & apud nõnullos duas, cum dimidia, apud alios sex. Quicquid uero ex his sumatur oxybaphũ parum est, respectu sumptionis aquæ frigidę. & is qui antiquitus hunc librum è græco in latinum vertit hanc lectionem habere visus est, quippe dicit, licet barbare, sed quoniam quod secaniabin bibitur, est quãtitas parua, nõ est possibile ut quod de eo in potu datur in omni die vice vna sit plus quatuor vncijs & media. Vbi vides in his barbaris verbis determinatam dare quantitatem, & esse oxybaphi quatitatem, vel oxybapho propinquam, vt suspicer hanc esse veram sententiam, quæ determinet quantitatem, & comparationem non faciat ad semihaustum vna in respiratiõe. Nam Galenus non est assuetus res suas ita indeterminate & cõfuse tractare. Adde haustum vno spiritu in aliquibus esse maiorem, in alijs minorem, aliqui heminam intelligunt quæ est unciarum decem.

Neque illa prætermittenda est ambiguitas, cum à Galeno dicitur scopum exhibitionis oxymelitis, & aquę esse dissimilẽ q̃n frigida exhibetur, tamen & superius dixit & deinceps dicet, de vtroq; quod frigida sitim extinguunt, & eam ob causam frigida exhibentur. Respondemus aqua in febribus datur secundum duas intentiones, vna est, ut febris tota extinguatur. Alia vt oxymeliti misceatur & mulsæ aquæ, quo euadant dilutiora. Oxymeli quoq; datur, & ad incidendam materiam, & ad nutriendum aliquo modo, & ad extinguendam sitim. Ad hãc intentionem datur & aqua frigida & ad totam febrem una vice dissoluendam itaq; dissimilis est eius scopus ab exhibitiõe oxymelitis. At vt datur ad diluenda vel oxymeli, vel aquam mulsam scopus quodammodo conuenit, sed oxymeli vt frigidum exhibetur, semper ad extinguendam sitim exhibetur, non autem ut febri subito auferatur. Differunt præterea in nutriendi scopo, quoniã oxymeli aliquantisper nutrit, aqua uero non nutrit. Tamen quispiam de aqua ambigere poterit an nutriat, quoniam Celsus libro. 2. cap. 18. vbi de cibis agit & potionibus aut ualentis, aut medię, aut imbecillæ materiæ dicit, Aqua omnium imbecillissima est. Intellige uero imbecillissimam in nutriendo. Igitur aliquo modo nutrit, verum cum ipsa sit elementum, putamus illam non nutrire, quoniam nullũ simplex elementum vere nutrit. si uero quicquam mellis addatur, ratione commisti mellis nutrit, et non ratione sui, nam in sanguinem mutari non potest, & Galenus tertio de alimentorum facultatibus libro, de vino agens, inquit esse potum, & nutrire, tamen de illo uult ibidem sermonem fieri etsi non sit cibus, q̃a nihil aliud reperiẽ quod simplex sit potus, et nutriat. ex quo facile colligi potest aquam non nutrire, tamen officiũ habet daducendi cibum ad partes quæ nutriri debent. neq; Hippocrates in tertio huius uoluminis libro aquam nutrire ponit, cum id quod nutrit, ex elementis compositum esse debeat.

Denique Galenus infert ob has causas. s. ne sitis fiat, sed ut extinguatur potius oxymeli frigidum ante morbi coctionem dari iubet, ac si Hippocrates innuere velit, in hoc casu, & in hac affectione laterali frigidam aquam ad satietatem in æstate nõ esse dandam. nam si febris sit ex inflammatione, inflammatio magis dẽsatur, & humores ex hac infrigidatione crudi redduntur, quando morbus ex frigidis humoribus cõtractus sit, nam ex aqua frigida magis crudi fiunt, hæc uero non præstat oxymeli, imo si & frigidum bibatur ad sitim extinguendam corriguntur. nam uim habet secandi humores crudos & crassos, &

illos

illos incidendi qui in phlegmone sunt. Cum uero oxymeli secet penetretq; contrarium est illi quod spissat & cogit corpora. propterea frigida aqua quæ hoc efficit oxymeliti contraria. est oppositum agenti.

Q uod legiť reducunť, Grece est ἐπανορθοῦσιν τοι.i. corriguntǁ Hinc collige, vbi inflãmatio aderit, non esse aquam frigidam exhibendam, & ideo in pleuritide nullo conuenit modo, Galenus vero inquit non conuenire si febris ex phlegmone fit. addetu, & si febris ex se sit, & inflãmatio uiscera occupet, dãda non est, ut in nono Methodi edocemur, tamẽ dari posset si purum adesset erysipelas in quo dat frigidam Galenus, vt Trallianus cum Aetio sensere.

Scitoq; in ea parte qua dicit oxymeli dandũ ante morbi coctionem, vt coquatur citius materia, aquam aũt frigidam non dandam, hoc dupliciter intelligi potest, uel simpliciter nõ dandam, uel nõ dandam ante morbi coctionem, ut oxymeli datur ante morbi coctionẽ, at in pleuritide simpliciter non danda. Dubitabis præterea in oxymelitis & aquæ frigidæ exhibitione, an perueniant usq; ad membra prius tamen alterata à uentriculo, an frigida perueniant. Respondemus oxymeli à ventriculo alterari priusq; penetret ad inflammatiõem, aqua uero frigida & vẽtriculum actu infrigidat, & ad omnia mẽbra cum illa actuali transit frigiditate, quoad calorem quem contraxere à febre, extinguat.

Cum vero aqua frigida in pleuritide non conueniat, cur tot de ea egit ? Respondemus quia in alijs valet acutis morbis.

## Hippocrates. Sectio XLIIII.

Postea si dolor quispiã uel periculum comparuerit, sorbitionem dare oportet neq; multã neque crassam, sed post septimam uel nonam si validus sit.

BRASAVOLVS. In laterali morbo, & dolor plerunq; & periculum ingruit, Tunc medicus ægrotãtis vires considerare debet, quæ si validę sint, hic vsq; ad septimam, vel usq; ad nonam sine cibo seruandus, postea dãda est sorbitio, quæ neq; crassa sit, neq; multa. & si petas quid interim sumere debeat, oxymeli sumat, vel aquam mulsam, vel simplicem aquam, adducitur hęc sentẽtia in secundo de diebus decretorijs prope libri calcem.

ἔπειτα μὲν τοι ἢν μὲν ἄλγημά τι ἐνῇ, ἢ τῶν ἐπικινδύνων τι ἐμφαίνηται. idest, Postea si dolor quispiam adfuerit, vel aliquod periculum appareat, ab Hippocrate notatur, quando aderit dolor, et non quilibet dolor, sed intensus, si uictum prorogare debeat, neq; conueniens esset dicere si dolor adfuerit cum de essentia lateralis morbi sit lateralis dolor. vel intellige omnia esse perfecta quæ ad sedandum dolorem fieri debent, tamẽ adhuc vigeat, vt venarũ sectiones, euacuationes, fomenta, inunctiones, tunc danda sorbitio pauca & tenuis, sed post septimã vel nonã si vires habet robustas, vt morbus à natura non impedita à cibo, facilius superetur, interim vero bibat & oxymeli, & aquam mulsam, & aquam. Petes uero quomodo periculum apparebit. Respondemus periculũ apparere intelligitur, cũ anhelitus difficultas adfuerit, sputa facile nõ exeant, ęger morbum ferre non possit, & si nonnulla uideantur sputa, illa sint penitus praua, hæc omnia periculũ inesse ostendunt.

De hoc præterea dolore petes quo tempore apparere debeat, si hic modus victus seruandus sit, an quando vtitur potibus, id si concesseris, contextus dicit postea, ac si innuere velit post illos prædictos potus. An quando iã exhibita sit ptisana, neq; hoc dici potest quia dolore perseuerante ptisana nõ datur, an in alio tempore, neq; istud conuenit, cum alia non dentur tempora. Respondemus, intelligendũ esse dum sumit illos potus, vt sensus fiat dolore perseuerante dandum esse oxymeli, vel melicratum, vel aquam, postea .i. prosequendo, si videamus dolorem non remitti, sed progredi, & alia immineant pericula in potibus adhuc perseuerandũ, & nihil aliud dandũ nisi post septimam vel nonam. illud vero obseruato vt vires constent, post hoc tempus tenuẽ da ptisanam & paucam, quam etiam prius dabis si vires imbecillas prius fieri deprehendes, & si dolor prius cessaret, prius etiam dares. Hippocrates vero supponit dolorem progredi, quia factis omnibus pręsidijs nõ abiuit. Tamen hi morbi laterales sunt perniciosi qui septimum vel nonum diem cũ periculosis symptomatibus trãseunt & pauci euadunt, imo & pauci usq; ad septimum, & dubio procul qui hæc habent symptomata ante septimam cum virium imbecillitate, in sexta moriuntur, uel in septima, nã uirium defectus in pleuritide unum est ex signis pessimis quę haberi possint. nempe Galenus in .x. medendi libro censuit unam esse salutem in pleuritide pulmonia, & angina robur uirium.

διδόναι τὸ ῥόφημα μήτε πολὺ, μήτε παχὺ. i. sorbitionẽ dare opz neq; multã, neq; crassam. cum simplr sorbitionẽ dicit, ptisanę sorbitionẽ, intelligit inquiens uero neque crassam intelligit, plurimum sui iuris secum habere mistum.

μετὰ δὲ τὴν ἑβδόμην, ἢ ἐνάτην ἢν ἰσχυῇ. i. sed post septimã uel nonam si ualidus sit tempus docet in dolore & periculosis symptomatibus dandi ptisanam paucam, & tenuem, tempus inquam est post septimam uel nonam si uires ferre poterunt, & si post hos dies & dolor adhuc & symptomata pseuerarẽt, expectandum non est, sed danda, tamen rari postea sunt qui non abeant, quando & dolor & periculosa symptomata diem nonum pertranseunt. multos uidimus & septimo & nono & vndecimo die ex pleuritide sanari.

## GALENVS.

Qui Hippocratem ægros ἐμπιπλᾶν, id est replere, dixerunt (ita enim uerbo sunt usi) dictionem hanc prætermittere mihi uidentur, ut qui fame necare ipsum dicunt, solam hanc legisse apparẽt. Quod si utrique animaduertissent, eorumq; quæ ab ipso bene enarrata sunt meminissent, quonam scilicet pacto naturæ inter se ualde differant, forsan eos contraria Hippocrati imponere puduisset, & potissimum si reliqua animo uolutassent, quæ ipse demõstrauit, regiones inter se differre ostendens, anni tempora, ætates, consuetudines, & proprios peculiaresq; languenti unicuique ante morbum uictus. Si ergo in omnibus quę dicta sunt, contrario habentes modo inter se comparaueris, maximas in victus ratione comperies differentias. Q uas ubi è regione inter se ordinaueris, iã & hoc pacto multas consistere in medio exacte uidebis. Sed de huiusmodi differentijs dictum quidem absolute in libris methodi medendi, dicetur quoque & nunc rei summa. Statue igitur quempiam natura siccum quidem corporis habitu, sed superficie densum spissumq;, latis uenis, virtute vitali valida, cibisq; non multis assuetum ægrotare hyeme non admodum frigida, in loco tali; atque prius quàm ægrotaret otio deditum, insatiabiliterq; ciborum varietate abusum, præterea & os uentris ualidũ sit, quod & stomachum quidam appellant. Sit aũt & alter cõtrario affectus modo: humidus quidem & mollis, & uirtute uitali imbecilla, & qui plures cibos ingerere consueuit: ægrotetq; ęstatis tempore æstuoso, regione eiusmodi: statuamusq; hominem anteq; ægrotaret, tum curis, tum, assiduis necessitatibus fatigatum, pauca præter consuetudinẽ edisse, & oleracea, & quę haudquaq̃ nutriunt: uẽtris item os non ualidũ, sed natura imbecillum habere. Atque his ita habentibus, vterque eodem, si uolueris, morbo infestetur, ea scilicet, quã Hippocrates ueluti exemplum hoc in loco constituit, pleuritide. Anne vna tibi victus ratio in vtroq; definienda uidetur ? an posterior à prima die alendus ? prior vero potu solo ad septimam vsque gubernandus, ubi morbum non longius protracturum sese sperauerís ? Ego sanè qui longa experientia utrũq; probauerim, optimã ita fore uictus formã assero. Nam si uice uersa feceris, priorem scilicet à principio nutrire aggressus, posteriorẽ vero ad septimũ usq; sine cibo seruare uolueris, trucidabis sanè ante quartum diem utrunq;: nempe alterum ocissime præfocabis alterius uero uires prosternes. Cæterum adijce si uelis ætatem utriq; contrariam, priorem quadragenarium constituens, po-

sterioremq puerum. Nam hoc pacto citius adhuc ad mortem uterque properabit. Sed sane omnia hæc, quæ nunc dicta sunt ad unum reducuntur scopum, qui uno verbo ab Hippocrate est declaratus. Quid enim ait, sorbitionem dare oportet post septimam, si ualidus fuerit. verbum siquidem unum est, sed ex omnibus quæ nuper dicta sunt inuenitur. Si enim ualidus ad septimum usque diem fuerit, oxymeli, & melicratū, & aquam dare satis erit, per quæ ut dixi omnia tum liberabitur tum sanabitur. Quasi sane ex ipsis alia quidem præsto sint, alia uero nō, quorum vires si uice uersa comparaueris, quòd diebus sufficere ex tali victus specie æger possit, deprehendes. verum hæc nostris in tractationibus demonstrata sunt, quas si legisti, memoriæ mandes oportet, si non legisti, in eas te prius transfer, si sententiæ Hippocratis ueritatem cognoscere uolueris. omnia si quidem in operibus omnibus dicta sunt à nobis, qui uerissima Hippocratis dogmata sequimur. Sed cū fieri non possit, ut homo unus conuenientem methodū & singularia quæ in ea sunt omnia doceat, neque ideo ab Hippocrate singularia omnia auditurum te existimaueris. at potius culpa eos, qui cū ea quę ab Hippocrate bene præcepta sunt, elaborare & conficere deberent, laudis appetentia ducti, sectam aliam constituunt. verum nos qui ueritatem honoramus, laudamus Hippocratem cum in cæteris omnibus, tum quòd in unoquoque opere proprium scopum ita docuerit, ut huic attentus omnino quispiam definitam certamq; inuentionis auxiliorum habeat uiam. Sic sanè & cibandi scopum unum cōmunem prorsus tum sanis, tum languentibus esse demonstrauimus. Is autem facultatis uitalis custodia est, quam nunc manifeste explicuit, cum dixit, si ualidius fuerit. ob eandem sanè facultatē sani edimus & bibimus, aliaq; omnia uitæ munia exequimur. propter hanc eandē & ægri ad cibos potusq; procedimus. Nempe morbus suæ affectionis indicat auxilia, phlebotomiam uidelicet, clysma, cataplasma, purgationem, oxymeli, aquam mulsam, atq; aliorum unūquodq;. virtutis uero custodia solam indicat alimoniam. Si igitur morbosam affectionem nullo pacto offenderet alimonia, nos uirtuti soli attendētes, ægros ut sanos aleremus. sed quoniam sępius noxam, vti ostendimus, affert, ob id morbi affectionem, non tanquam cibi indicatricem, sed tanquam prohibitricem cōtemplamur. vbi ergo non prohibuerit, facultasq; præceperit, tunc nutrimus. neque enim cibus morbi affectionem sua ratione iuuabit. id sanè dixi, quoniam sæpius materia una, uim tum cibi, tum medicamenti obtinet, vt ptisana. nempe quod uirtutem roboret, id ea efficere tanquam alimentum nata est, sed quoniam & secat & humectat quæ expui oportet, ideo medicamenti obtinet rationem. Chondrus ergo pleuritico cibus tantum existit, oxymeli vero medicamentum, sed vtranque facultatem ptisana obtinet, usumq; languentibus ipsis exhibet, sed ingeritur uirium quidem conseruandarum gratia tanquam alimentum, ut uero soluatur morbus, tanquam medicamentum. Cum igitur uictus ad morbi vsque iudicationē sine ptisanæ sorbitione suffecerit, oxymeli & aqua mulsa satis sunt, oxymeli quidem vim medicamenti solam habens, aqua mulsa uero cibi pauci & imbecilli. At si iudicationem septima die citius futuram sperateris, vt, verbi gratia, vel quarta vel quinta, ægros sanè multos sufficere citra ptisanæ sorbitionem posse comperies. Quod si ad septimam usque protrahatur, paucos omnino suntq; qui & virtutem habent valentem, corporisq; habitum tum durum, tum, ægre transpirabilem, succosq; uel crassos uel uiscosos, atque si ambiens aer calidus non fuerit. nempe si nihil è nostro effluxerit corpore, alimento opus non esset, sed quoniam huius proportione effluit, cibi ideo quantitatem definimus. Quibus igitur per cuticulares meatus parum exhalat, fieri potest vt his summam consulamus inediam, & magis vbi uirtutem ab initio validam habuerint, quasi velociter laboret quæ imbecilla veluti senū fuerit, & si corpus parū exhalauerit. Quapropter & paulo ante quadragenarij meminimus, & nō septuagenarij.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat antiquos illos vt Thessalum & eius assectas, qui Hippocrati attribuebāt, implesse nimis ægros, hāc sententiam non legisse, è contrario illos qui dicebant Hippocratem ægros inedia necasse, tantum hanc sententiam legisse constat ut Erasistratum. at si et Thessalus & Erasistratus rectè animaduertissent, illaq; memoriæ mandassent, quæ superius, & quæ deinceps ab Hippocrate dicuntur, & non solum hic, sed & in alijs locis, & quomodo naturas, quæ inter se ualde differunt, considerandas esse edocuerit, forte puduisset illos, Hippocrati & contraria inter se, & contraria quàm ipse dicat imponere, & præsertim si Hippocraticæ disciplinæ incubuissent, ubi ostendit regiones inter se differre, tempora anni, ætates, consuetudines, & genera victus, quibus utebantur ante morbum lāguentes. Si ergo tu qui operum Hippocratis vis esse studiosus, hæc inter se comparando, quæ sunt, inuenias inter se quæ contrario modo se habeant, etiam in victus ratione maximas inuenies differentias, quas differentias si per ordinem quendam è regione statuas, inuenies præter extremas differentias, multas consistere in medio, inter quæ aliquæ sunt in medio exactè, aliæ in unum extremum inclinant, verum nos de his omnibus differentijs in libris methodi medendi egimus. At ne cogaris pro huius rei notione librum illum nunc legere, in pręsentiarum rei summam adducemus, & illam per exempla perficiemus.

Scito Galenū in hoc libro varijs in locis de his mentionem fecisse, qui nimis implebāt, & nimis tenui victu reficiebāt ęgros, primo fit mentio superius sectione. 13. & sectione. 25. adde in secundo libro de inedia, sectione. 13. sermonem haberi, & sectione. 15. & 34. & 40. 43. 44. 47. 48. 54. Et tertio libro sectione. 17. 18. & quarto libro sectione. 5. & sectione. 13. de his qui quinta, vel 7. die recepturi sunt coctionem, & sectione. 18. & 44. & in fine ferè libri de temporibus vniuersalibus.

Hic vero petes quid intelligat Galenus per naturas, cum inquit naturas inter se valde differre. Respondetur, idem intelligit cum illa aphoristica sententia: naturarum hæ qdem ad ęstatem, illæ ad hyemem bene maleve se habent, intelligit vero Hippocrates in illo loco temperaturas, nam hominum temperaturæ sunt ferè tā diuersę. vt ipsę inter se sunt diuersæ hominū facies, & secūdum temperaturas ratio uictus est adhibenda.

Petes præterea in quibus locis Hippocrates de his rebus locutus sit. Respondemus de regionum defferētijs in libro de aere, aquis & locis, de anni temporibus & ætatibus in tertio aphorismorum libro, de consuetudinibus & in aphorismis, et in alijs sparsim locis, de mō victus in aphorismis, & in libro de prisca medicina, & seorsum de vno quoq; in varijs locis.

Si etiam quæras in quo methodi loco hæc victuum differentia à Galeno doceatur. Scito per totum librum sparsim esse, tamen particulariter in octauo libro multa dicuntur, & in libris de sanitate tuenda.

Quod legitur naturæ inter se, Gręce est φύσιες φυσίων. idest, naturæ à naturis, & pari modo, καὶ χωρία χωρίων. i. & regiones à regionibus, καὶ ὧραι ὡρέων, καὶ ἡλικίαι ἡλικιῶν καὶ ἐθέων. i. Et tempora anni à temporibus anni, & ætates ab ætatibus, & consuetudines à consuetudinibus, tamen eadem est sententia.

Quod legitur, Quod si utriq; animaduertissent, eorumq; quæ ab ipso bene enarrata sunt, meminissent. Græce est οἱ δέ γε ἀμφότεροι ἐπείπερ προσέσχον τὸν νοῦν, ἐμεμνήσθησάν τι τῶν καλῶς ὑπ' αὐτοῦ λελεγμένων. i. qđ si vtriq; vtranq; animaduertissent, eorumq; quę ab ipso bene enarrata sunt, meminissent.

Secundo Galenus vt ad rem ipsam descendat, duos oppositos viros simul comparat. Primo igitur supponit aliquem esse hominem in habitu corporis natura siccum, qui superficiem habeat densam & spissam, hoc est cutē ipsam, & uenas habeat latas, vim uitalem ualidam, & qui non sit assuetus multis cibis ægrotet hic hyeme non admodum frigida, & locus in quo est sit etiam talis non admodum frigidus, & hic in sua sanitate fuerit vir ocio deditus antequam ægrotaret, & etiam abusus sit insatiabiliter ciborum varietate, habueritq; os vētriculi calidum, quod stomachum vocant. Ex opposito alter sit, contrario modo affectus, qui humidus sit & mollis, & qui vim vitalem habeat imbecillam, & qui multos cibos edere sit assuetus, & hic

æstuoso æstatis tempore, ut sub diebus canicularibus, & regio etiam ipsa sit calida, supponitq; hunc antequam ægrotaret, & curis & assiduis necessitatibus fatigatum, pauca edisse, prępter consuetudinem suã, quę erat bene edendi, imo cibi fuerint oleracei, vel qui non nutriant, aut parum nutriant, & hic habeat uentriculi os non validum, sed natura imbecillum. sint igitur hi duo qui ita se habeant, & vterque laboret eo morbo, quem pro exemplo accepit Hippocrates, pleuritide inquam, his suppositis casibus an tibi uidetur quòd uterq; sit eodem modo cibandus? An secundus ęger à prima die alendus? primus vero solo potu ad septimum vsque diem ducendus, quãdo sperabis morbum diutius non se protracturum? Galenus respondet, cum ipse longa experientia vtrunq; probauerit, omnino iudicare illam esse optimam victus rationem, secundum à principio cibare, primum ad septimam pducere, si morbus amplius prorogari non debeat. Nam si per oppositum vtrunq; cibare volueris. s. secundum, vsque ad septimum sine cibo seruare, & primum statim in principio nutrire, profectò ante quartum diem vtrunq; necabis, primum enim citissime præfocabis, secũdum vires prosternẽdo interficies, verũ vt hi casus adhuc pfectius opponantur, si placet ex ætatibus differentiam adijcito, vt primus ęger sit quadragenarius, secundus sit puer, ita enim constituentes ętates vterque adhuc citius moritur.

Quod in primo casu legitur. in loco tali, græce est κατὰ χωρίον τοιοῦτον. i. in regione tali scilicet non admodũ frigida vt hyems etiam supponitur.

Quod etiam legitur ciborum varietate abusum, græce est πολυτρόφοις ἐδέσμασι. i. cibis multi nutrimenti, ita habet Aldinus codex. tamen alter contextus legit πολυτρόποις. utrunq; dici potest.

Hic uero non mediocris dubitatio insurgit, quoniã Galenus in primo casu supponit hominem natura siccum in habitu corporis, & qui habeat τὴν ἐπιφάνειαν πυκνὴν. i. superficiarias partes densas. At hi qui talẽ habent tẽperiem, inediã ferre nõ possunt, ut Galenus ipse testatur in uarijs methodi medendi locis.

Scito non intelligere Galenum hunc habere temperaturã siccam sed hæc est eius mens vt siccitatẽ habeat hoc est duritiem quæ membri temperaturam cõsequitur. Et hęc duritiem potest etiam ex temperie prouenire, quæ non sit sicca. quòd autẽ hoc sentiat ostenditur primo quia inquit densum superficie, & quia in oppositi viri casu dicit esse humidum & mollẽ, vel et si hunc siccum ponat, non tam siccum ponit ut inediam ferre non possit, pręsertim illa supponẽs quæ à Galeno addita sunt. Inquies vero, si uenas habet latas, ergo calidæ naturæ, calidi uero inediam non ferunt. scito & hunc non supponi tam calidum vt inediam ferre non possit, imo cum pręter consuetudinem plenus sit facile ferre poterit. Insurges iterum, si vis uitalis est fortis, quid de hoc ambigere, nam hoc est quod ab Hippocrate edocetur, si fortis est, non est opus comparationẽ facere, quia ferre poterit. scito comparationẽ fieri, ut notetur haberi diuersitas in ratione uictus, & ca habitu corporis, ex uiribus, ex cibis, & anni tempore, ex ætate, & ex consuetudine, hęc enim omnia in his casibus considerantur, & uno exemplo uoluit Galenus simul de omnibus quicquid dixerat ostendere.

Forte in Hippocrate cõtradictionem deteges, q in primo casu dicit non esse assuetum multis cibis, postea dicit quod erat abusus insatiabiliter ciborum uarietate. Respondemus nullam esse contradictionem, quoniam hic suapte natura & pro consuetudine paucos cibos comedere assuetus erat, sed per aliquot dies ante ęgritudinem præter suam naturã multos cibos & uarios comederat, illud nõ fuit semper ante ægritudinem, sed tantum per aliquot dies antequam ægrotaret.

Neque illud prętermittendum est non uideri perfectam in omnibus conditionibus horum casuũ differentiam, nam in primo casu supponit esse ἐν χειμῶνι μὴ πάνυ ψυχρῷ. i. in hyeme nõ ualde frigida. in secundo uero casu dicit esse ἐν θέρει πνιγηρῷ. i. in æstate ęstuosa. At non apponitur hyems non multum frigida, & æstuosa æstas, sed potius essent opposita hyems frigidissima, & æstas æstuosa. Nnonnulli particulam μὴ. i. non, auferendam esse censuerunt, ut sensum facerent, in hyeme valde frigida, uidimusq; nos græcum quendã contextum antiquum in quo particula μὴ, erat obelo confossa, authorẽ uero qui confoderit, ignoramus. Nos negatiue legẽdum putamus, nam Galenus hic non studet oppositas conditiones, quo ad uerba ponere, & quo ad esse rerum, sed quo ad affectus, quærit omnes conditiones inuenire in primo casu, quæ cibum dari prohibeant, & in secũdo casu quę cibum dari suadeant. At si hyems sit ualde frigida, cum frigus calorem naturalem intus congregari faciat, & appetentię sunt meliores, & cõcoctiones, frigiditas uero non multa potius obtundit, propterea quo ad hunc effectum q est minus famescere, & minus cibo indigere, hyems non multum frigida, calidissimę ęstati magis opponitur quàm hyems frigidissima. Sed inquies uideri in secũdo casu æstatem æstuosam ciborum necessitatem non inducere, quia calor ille intensus potius appetẽtiam obtundit, & vires resoluit. Respondemus & si vires resoluat, & forte appetentiam, tamen & sanguinem resoluit & nutrimentum & spiritus, itaque sumendi nutrimentum necessitatem inducit.

Ambiges præterea, Si primus habet ventris os ualidum, & secundus imbecillum, primus igitur bene cõcoquet, & secundus minime, primus igitur quantum ex hoc sit, cibis magis indigebit, quàm secundus. Respondemus, os ventriculi non concoquere, sed appetere, & licet dici posset magis appetere, tamen dici non potest magis coquere, fieri etenim potest vt quispiam os uentriculi robustum habeat, & fundũ imbecillum, & econtrario, aliquem habere fundum robustum, et os imbecille, nam Galenus superius sectione. 18. vbi declarabat ptisanæ viscositatem esse humentem, edocuit oris ventriculi munus esse appetere, non concoquere. Sed petes quænam sit hæc vis oris ventriculi, & quidnam sit esse validum. Respondemus est uis quędam oris vẽtriculi sensibilis, & est vis quædã naturaliter retentrix, quæ cum valida & robusta est resolutionem vehementer non sentit, vnde cum hæc vis est fortis, in ore uentriculi resolutio remittitur, & ideo ieiunium facile ferunt hi qui hanc uim robustam habent: econtrario qui illam habent imbecillam, ut in secundo supponitur casu, uim illam sensibilem laxam habent, unde inediam facile sentiunt, & quamprimum inflammantur spiritus illi, qui sunt in ore uentriculi, & os ipsum consequenter, & ideo magna fit resolutio, propterea hi ieiunium ferre nõ possunt, sed mire cruciantur, & in sęua incidunt symptomata. Sed statim petes in quo huius ualiditatis oris uẽtriculi uis consistat. Galenus in principio. xi. libri methodi medendi respondebit, cum edocuit fortunã, & artem, & artificem materierum interuentu agere, postea sequitur, naturam uero per se ipsam, quæ ex tribus his partibus constat, ex spiritus substantia, & ex earum, quę uere dicuntur solidæ, substantia, quas alibi ex semine genitali conditas esse monstrauimus, & tertia ab ijs carnosa, quæ cuique particula est sua, singulæ autem iam dictarum trium, proprium pro natura sua tum qualitatem habent tum quantitatem, at qualitas quidem earum ex congrua temperie humidi, sicci, calidi, & frigidi consistit. Quantitas uero solidarum partium par semper manet, sed ijs qui adhuc inaugentur numero duntaxat. Qui vero absoluti iam sunt etiam magnitudine, carnosæ uero substantiæ magnitudo uariatur, etiam si præterea non augeatur animal, pari modo & spiritus substantia tantum non quolibet momento, tum minor, tũ maior, conspicitur. Hæc Galenus, quę & deinceps in eodem repetit libro, ex quibus colligitur hanc oris uentriculi validitatem, in membris seminarijs consistere, in carne, & in spiritibus, quæ ibi sunt quando in his fuerit qualitas conueniens & quantitas uirtuti retentrici oris ventriculi, tunc erit robustum.

Petes præterea quid intelligendum sit per oleracea. Rñdemus omnia illa quæ à Galeno in secũdo de alimentorũ facultatibus libro referuntur, & olera nuncupantur vt lactuca, endiuia, blitum, brassica, & eiusdẽ generis reliqua, quæ parũ alimenti corporibus præstant, & id etiam in plurimis non bonum.

Vt autem casus à Galeno propositi luce clarius elucescant, utrunque per sua signa e regione disponemus.

| Primus casus. | Secundus casus. |
|---|---|
| Siccus habitu corporis natura | Humidus |
| Superficie densus | Mollis |
| Latis venis | |
| Virtute uitali ualida | Virtute uitali imbecilla |
| Cibis non multis assuetus | Plures cibos ingerere solitus |
| Hyeme nõ multũ frigida ęgrotet | Aegrotet ęstate ęstuoso tpe |
| Regio non sit multum frigida | Regio sit calida & æstuosa |
| Deditus otio antequã ægrotet | Añq̃ ęgrotet curis fatigatus |
| Abusus sit ciborum uarietate | Ederit pauca præter consuetudinẽ & pauci nutrimẽti |
| Os ventris sit validum | Ventris os natura imbecillũ |
| Sit annorum quadraginta | Sit puer. |

Vna relicta est conditio in primo casu, cui non assignauit Galenus comparem & oppositum in secũdo casu, est uero latitudo venarum, quæ in primo casu est. in secundo casu non adest venarum arctitudo. propterea aliquis ambigere poterit, an latitudo venarum causa sit, cur homo facilius possit ediã ferre: et cur in secundo casu arctitudinem venarum Galenus subticuit. Respondmus ad secũdum nos putamus Galenum illius conditionis esse oblitum, nam & illa poni poterat, & debebat. Ad primum latitudo venarum magnam notat capacitatem. cum igitur primus multa comederit, & in otio fuerit, multũ ẽt sanguinis aggregauit, & capacem habuit conseruandi locum, cum venæ essent latæ, propterea plurimum habet. quod resolui debet, priusq̃ ad ultimam perueniat resolutionẽ, & ideo uenarum latitudo facit ad inediam ferendam, præsertim cum homo prius egregie comederit, nam si non plene comedisset, neq; venas implesset, nihil penitus factum esset, ob hoc forte Galenus neglexit in secundo casu arctitudinem venarum in ordinem referre.

In eo etiam dubium contingit quo dicit esse otio deditũ, & habere curas, quoniã otio deditum corpori applicari uidetur, ad corporis scilicet motiones, habere uero curas ad animi motiones. Respondemus utrunque ad corpus & ad animum referri oportere, vnde primus in corporis otio esse debet, cum labor multus exiccet, & nutrientem humiditatem auferat, ac illam exhauriat, debet præterea esse in animæ otio, quoniam hi qui nullas habent curas pinguescunt, & magnã sanguinis copiam contrahunt, econtrario per curas, & solicitudines, & corporis & animi labores intelligere oportet, quibus corpora exhauriuntur, coctiones impediuntur, & omnia resoluuntur, utiturq; verbo Galenus ταλαιπωρεῖσθαι, qđ & ad defatigationẽ ampliatur. Nec illud dubium præterire oportet, An hi casus nõnunquam inueniantur. Respondemus, esse quidem possibiles, tamen difficilimum est ut omnia hæc indicia in unum coeant. & conueniant, & quod unum non sit alio intensius. Galenus uero illos ita ordinauit, vt omnes in duobus casibus conditiones, quibus uictus ratio immutatur, ostenderet, tamen in uno erũt duæ conditiones, in alio plures, propterea opus erit medicum esse diligentem, atq; prudentem, qui hæc perpendenda receperit.

Petes uero quomodo in his procedendum sit. Respõdemus ex Galeno modum sumere potes, & ex. 1 2. aphorismo primi libri & ex tertio methodi medendi, nempe non erit opus medicum tam exquisite metam attingere, sat uero erit, si uel tantillum metæ appropinquet.

Petes deniq; cur de ui uitali sola mentionem fecerit, & non de animali, & naturali. Respondemus quoniã de huius opere, solum agitur, nam ipsa est quæ seruari debet, nec pati debemus, vt resoluatur.

Tertio Galenus præcedẽtibus illis oppositis casibus dimissis, & undecim conditionibus præcitatis, (latitudinem venarum simul enumerãtes) inquit hæc omnia quę prius in illis duobus casibus enumerauerat, ad unum reduci scopum, qui ab Hippocrate uno uerbo dictus est, in illa. s. particula, sorbitionem dare oportet post septimam, si validus fuerit, est unum solum uerbum ἢν ἰσχύῃ si ualidus fuerit. quod verbum ex omnibus quæ dicta sunt inuenitur, nam omnia debẽt ad uim ualidam reduci. Vnde si fuerit validus ad septimum usque diem, oxymeli, melicratum, & aquam dare satis erit, per quæ omnia æger sanitati restituetur, ac si ex his alia sint præsto, alia præsto non sint, quorum vires si inter sese comparabis, ex tali victus specie deprehendes, quod diebus æger sufficere posit, sed hæc in suis libris inquit Galenus demonstrata sunt, quos si legisti, opus est, ut memoriæ mandaueris, si non legisti prius te transfer ad meos libros, si Hippocratis sententię ueritatem cognoscere uolueris. Nã ego Galenus qui uerissima Hippocratis dogmata sequor, omnia in omnibus meis operibus scripsi, at cum fieri nõ possit vt homo vnus conuenientem methodum, & omnia singularia, quæ in ea sunt methodo doceat, propterea neque exstimato te auditurum omnia singularia ab Hippocrate, sed potius illos culpato, qui cum illa quæ ab Hippocrate dicta sunt, perficere deberẽt, & interpretari, & moderari, & sano modo intelligere, ipsi gloriolam appetentes, & humanam laudem, sectam aliam constituunt. at ego Galenus qui ueritatem honoro, Hippocratem laudo, & in omnibus alijs rebus, & in hoc quod in uno quoque opere ita edocuerit proprium scopum, vt si quis animo attentus sit, uiam habeat definitam, & certam inuentionis ambborum.

Quod legitur. si enim validus ad septimum vsque diẽ fuerit, oxymeli, & melicratum, & aquam dare satis erit. per quæ ut dixi omnia tum liberabitur, tũ sanabitur. quasi sint ex ipsis alia quidem pręsto sint, alia uero non quorũ uires si uice uersa comparaueris. grece est εἰ γὰρ ἰσχύοι μέχρι τῆς ἑβδόμης ἡμέρας ἐπ' ὀξυμέλιτι, καὶ μελικράτῳ καὶ ὕδατι διαρκέσειν ἐξαρκέσαι, δι' ὧν εἶπον ἁπάντων ἐλλιμαγχήσεταί τι καὶ ὑγιασθήσεται, ὡς ὄντα τὰ μὲν αὐτοῖν παρέῃ, τὰ δὲ, ἀπῇ, τὴν δύναμιν τῶν παρόντων, τῇ δυνάμει τῶν ἀπόντων ἀντιπαραβάλλων. idest, Si enim ad septimum vsque diem oxymelite, & melicrato, & aqua vsus, sufficere valeat, per quæ dixi omnia, tum roborabitur, tum sanabitur. quod si ex ipsis alia quidem sunt, alia uero non, eorum quę adsunt vires, si cum uiribus eorum quæ absunt, comparationis. vbi legitur memoriæ mandes oportet. deest particula νῦν, nunc.

Hic ambigere poteris quonã modo omnia prædicta ad unum scopum reducãtur. i. ad uiriũ robur. Rñdemus sunt undecim conditiones, quæ omnes ob uirium robur aliquid valent, nam robore isto perfecto, & perstante omnes conditiones valent, eo uero deficiente omnes deficiunt, quoniam ad vires instandum est, & non ad aliquod aliud, nam ad se curationẽ trahunt. Sed ambiges q̃nom cõditiones aliæ ad robur viriũ deducant, cũ & in illis cõditionibus robur uiriũ numeret. Robur igit̃ uiriũ ad se ipsum deducetur. Respondemus uiriũ robur dupl̃r accipi, uno modo particulariter pro sola uirtute uitali. alio modo pro qualibet uirtute tam uitali quàm naturali, inter conditiones & robur uirium vitalium numerauit, sed hic generaliter accipit uirium robur, ad omnes uires. Sed argues, hic uirium robur accipi ob quod æger ad septimum vsque esse potest absq; cibo. at robur hoc est de vi uitali, & nõ de alijs, quia aliæ nihil faciunt ad inediam sustinendam. imo forte naturalium uirium imbecillitas causa esse poterit bene ferendi inediam. vnde alio modo ambiguitas solui debet, nihil referre & si posuerit robur uirium vitalium inter conditiones quę faciunt facilius ferre inediam, postea robur hoc ad omnes alias conditiones comparans, et ad facilitatem ferendi ieiunium, ipsum omnibus alijs conditionibus præferat.

Petes vero an prædictis conditionibus aliqua alia addi possit. Respõdemus nullam addi posse, quæ ad prędictas deduci non ualeat, potissimum & reliquas addentes, quas deinceps in hac referet commentatione, de quibus & tunc agemus. At inquies cur non posuit conditionem a temperatura ? cum aliquæ sint temperaturæ, quę facilius, aliæ quę difficilius ieiunium ferunt.

Rñdemus

Rñdemus hanc conditionem posse conprehendi sub ætate, & consuetudine, qm̃ ut ab ipso met dicitur Galeno prope finem noni libri methodi medendi, temperatura ex consuetudine cognoscitur. additq; non est igitur quod paruũ ac leue quiddam pro inueniendis remedijs spectetur, consuetudinẽ existimemus ut faciant consuetudinem, et temperamentum iudicare, & multum facere ad inuenienda præsidia. pari modo ætas idem facit, unde temperatura, ad hæc reducenda, sed hoc non facit tẽperaturam ad hæc reduci oportere, quia per hæc in cognitionẽ deuenimus, imo cum temperatura ad ieiunij tolerãtiam multum faciat, & ad intolerantiam illam addere fuisset opus, nã à Galeno prope finem libri octaui methodi medendi dicitur temperaturam frigidam, & humidam magis posse ferre ieiunium alijs, & in quarto methodi dicebat temperaturam frigidã & siccam minus posse ieiunium ferre, à temperatura igitur indicatio sumitur ferendi, & non ferendi ieiunium, & Hippocrates ipse in secundo huius uoluminis libro, sectione. 29. docet bibosos minus ferre inediam alijs, & sectione. 30. inquit pituitosos magis illam ferre, & ab ea ita facile non offendi. Forte dicendum est prędictis stantibus conditionibus, conditionem à temperatura poni non potuisse, nam si poni debeat, necessarium est hos duos viros temperaturas habere cõtrarias, ut ille qui est in primo casu sit tẽperaturæ frigidæ, & humidę, quæ facile ieiunium fert, ille qui est in secundo casu, erit temperaturæ calidę & siccæ, quæ ieiunium ferre non potest. at pręcedentibus suppositis conditionibus hoc impossibile est, qa primus cũ habeat uenas latas, & uim uirium, frigidus & humidus esse non potest, cum habeat siccum corporis habitum, & densum superficie, neque secundus poterit esse calidus & siccus, quia supponitur ipsum habere, uenas arctas & uim imbecillam, ideo non calidus, non siccus, quia humidus & mollis forte i alijs casibus poni possent hę diuersæ temperaturę & oppositę, in his vero quę prędictę non possunt. Ob hoc à Galeno prætermissa est hæc conditio, tanquam illa quę non poterat in numerum uenire cum alijs, et si quis dicat, potuisset poni unus temperatus, alter incidens in intemperiem, sed & hoc vanum est, quia nullus cũ prædictis conditionibus potest dici temperatus.

Petes nunquid tria illa danda sint oxymeli, melicratum, aqua. Respondemus, ut ex his quæ in cõtextu dicta sunt, colligi licet, si ex oxymelite sitis non abierit, mulsa danda est, si neque ex mulsa, aqua præbẽda. at si ex oxymelite sitis esset extincta, satis fuisset oxymelite uti. si nõ ex oxymelite, sed ex melicrato extingueretur, ad aquam non transibis. si uero non extinguatur à melicrato, aquam accipito. at cum vires satis sunt, vnumquodque illorum sumi potest.

Petes præterea quænã sint illa quorum vires sunt cõparãdæ, quia hoc & ad prædictas conditiones referri posset, & ad oxymeli, melicratum, & aquam. Respondemus hæc referenda esse ad hęc tria, tamen posset & ad conditionem applicari.

Dubitabis & in eo quo inquit hominem unum nõ posse & conuenientem methodum tradere, & omnia singularia quæ in ea sunt edocere. dices uero, methodus est ars. at in qualibet arte si perfecta esse debeat, necesse est hominẽ omnes illius artis actiones in finem artis ordinare sciat, hæ uero actiones circa singularia fiũt. necesse igitur est, ut omnia illius artis singularia sciat. Galenus in arte medicinali idem ferè argumentũ de re medica contra se facit, nam & ars hæc circa singularia versatur petit circa omnia, vel circa aliqua. Respondet non esse circa omnia, quia incomprehensibilia sunt, nam sunt infinita, neque esse circa aliqua, quia hoc est sine arte, sed est qualium. i. in uniuersali est, & in genere de omnibus, nempe Aristoteles in p̃dicamento substantiæ dicebat primam substantiam significare hoc aliquid. i. determinatam quandam substantiam quæ per hãc conditionem, hoc aliquid significabatur, secundam uero substantiam significare quale quid, quid subiectum significat, qualę est vniuersalitas, quæ substantiam in cõmuni, & secũdas particulares substantias amplectitur, vnde Socrates significat hoc aliquid determinatum, animal vero, aut homo, significant substantiam qualem idest vniuersalem. Ad rem igitur uersatur circa omnia singularia in genere artifex, & non in singulari, hoc vero potestate est, actu vero ad quædam particularia descendit, vt illi opus est, vnde & Aristoteles in primo posteriorum suadebat. si quis scit omnẽ triãgulũ habere tres angulos ęquales duobus rectis, ex inductione solum ad sensum huius trianguli qui est in semicirculo, hunc met triangulum cognoscit habere tres angulos æquales duobus rectis, nam potestate continetur in illa vniuersali propositione, Omnem triangulum habere tres angulos ęquales duobus rectis, quam propositionem prius didiceramus. Ad rem igitur. Hippocrates omnia singularia non est sectatus, sed in genere ut uniuersaliter de rebus ipsis egit, vt quisque possit per illa quæ dixit, ad omnia particularia descendere, & hoc non solum in singularibus quæ se habent secundum sub & supra, sed etiam in regulis, in quibus ex similitudine, & proportione vnius, sumuntur multæ aliæ.

Q uarto cum Galenus dixerit Hippocratẽ in omni opere proprium scopum edocere, si quis bene consideret, nunc hos scopos aperit, vnus est scopus communis, tum sanis, tum ęgris in cibando illos, is uero est custodia facultatis vitalis, nam sani comedunt vt seruent vitalem vim, ægri comedunt vt eandem seruent, nunc Hippocrates hunc scopum edocuit, et hanc vitalis facultatis custodiam, cum dixit, si validus fuerit, nam sani ob hanc facultatem edimus & bibimus & omnia uitæ munia exequimur, & propter eandem facultatem ad cibos & potus procedimus. etenim morbus de præsidijs indicat, quæ in sua affectione adhiberi debeãt, sunt vero hæc p̃sidia vel venæ sectio, vel clysma, vel cataplasma, vel purgatio, vel oxymeli, vel aqua mulsa, vel aliquod aliud ex his quæ exiguuntur, sed custodia virium tantum indicat cibum, unde si cibi morbi affectionem non offenderent, nos soli uirtuti attendentes ægros vt sanos nutriremus, uerum quia plerumque, ut demostrauimus, noxam affert cibus morbo, propterea nos affectionem morbi contemplamur non tanquam cibi indicatricem, sed tanquam prohibitricem, propterea ubi nihil prohibet morbus, & facultas expetit nutrimentum, cibum damus, neque cibus ut cibus & suapte ratione morbi affectionem iuuabit, hocq; Galenus dicit se dixisse, quia frequenter materia una, una & eadem res, & cibi & medicamenti uim affert. cuius generis est ptisana, quæ ut nutrimentum uirtutem roborat, uerum quia præter nutrimentum, & incidit, & humectat illa quæ expui oportet, propterea medicamenti rationem obtinet. Alia uero sunt, quæ tantum medicamenti rationem exhibent, alia quę tantum nutrimenti, ut chondrus si pleuritico exhibeatur, est tantum cibus, & oxymeli est tantum medicamentũ, ptisana uero utranq; habet facultatem, & usum exhibet ipsis languentibus. at datur uirium conseruandarum gratia ut alimentum, ut autem soluatur morbus, uti medicamentum.

Dicitur hoc in loco cibandi scopum sumi à uiribus, & medẽdi scopum ab ægritudine ipsa, sed ambiges, imo uideri medendi scopum sumi à uiribus, nam ad omne opus quod in humano corpore perficiendum est præcipuus, & primus scopus est à uiribus, nam & uis ipsa est principale agens, neq; damus medicamenta si uis sit imbecilla, neq; uenam secamus, scopus igitur medendi erit etiam ipsa uis, quæ uis ea est quæ in nostro corpore agit, ut Galenus in tertio de iudicationibus testatur. Respondemus euitari non posse, quin & intentio sumendi medicamentum secundario non sumatur à uiribus, sed primo ab ęgritudine sumitur. propterea notato, uniuersalem hanc intentionem opus aliquod agendi, quod uires deijcere possit, aut imbecilles reddere, à uiribus sumitur. sed res particularis quę exhiberi debet sumitur à morbo, nempe à uiribus sumitur, si possit accipere medicamentum, & ferre uel uenę sectionem. à morbi specie sumitur, an fieri conueniat, & quando, & per quẽ modum, & de medicamenti genere, unde medicus plethoram uidens, primo nõ cõsiderat uires, sed statim primus scopus est uenam esse secandam, quod ex morbi specie colligitur. an uero absq; discrimine fieri possit, à uiribus, ut hæc sit summa. quid fieri

debeat, à morbo accipi, à viribus uero an fieri debeat, in illis præsertim operationibus in quibus vires deijci possunt & perturbari, nam medicus semper morbum considerat, ut illum expellat, vnde ab eo intentionem capit illum expellendi. Quod fit per contraria, semper etiam considerat, vires vt illas conseruet quod ex cibis fit, propterea de cibi exhibitione scopus à uiribus sumitur, & non à morbo de indicatione præsidiorum à morbo accipiendorum. ita differit Galenus in fronte .xj. libri, primo inquit esse vnam, communem indicationem omnium morborum, quæ est contrarietas ipsa, qua rursus diuisa, duas existere, morbo scilicet ex ijs quę sibi contraria sint, adhibenda remedia indicante, laborantis vero temperie vnà cum ipso morbo. Contrarietatis mensuram definiente, vt ostendat morbum indicare de præsidio, & ægri temperaturam indicare de præsidij mensura, an tantam debeat habere contrarietatẽ, vel tantam, vnde morbus indicat sumẽda esse frigida. Temperies uero, & morbus simul an frigida in primo ordine, vel in secundo, & ita de alijs.

Dubitabis præterea non videri perpetuam intentionem cibandi à uiribus sumi, nam in morbis ex inanitione, intentio cibandi à morbo sumitur, & non à viribus, hic etenim morbus indicat de repletione, quod fit per cibos. Respondemus, cibus in morbis de inanitione datur tanquam contrarium inanitioni, quia morbus qui est inanitio petit repletionem, repletio vero fit per cibum, qui ut replet, est inanitioni contrarius, verum ut simile est, ita conseruat uires. Cibus igitur ut implet, est morbo contrarius, ut uires seruat, est illis similis, quoniam curatio fit per contrarium, & per simile conseruatio, vt implet igitur est oppositus, & est scopus ab ægritudine sumptus, vt nutrit conseruat, & est scopus à viribus sumptus.

A Galeno dictum est ob eandem facultatem nos edere & bibere, & alia uitæ munia exequi, sed inquies illa facultas est vis uitalis, quę solum dat viuere, & nutrit, & nihil aliud facit, quæ sunt ergo hęc uitæ munia, quæ ab hac uirtute fiunt? nam hæc uis uitalis, & nobis, & arboribus communis est. Arbores vero nulla alia habent vitæ munia, quàm quod nutriuntur, & ideo nos etiam ab hac ui id tantum habebimus. Respondemus, vel Intelligimus per vitę munia omnes actiones, quæ à vi vitali fiunt, vel sub ui uitali omnes corporis vires comprehendimus, si primum nemo dubitat vim vitalem dare vitam, cibum trahere, retinere, coquere, distribuere ad partes, commutare, assimilare, superfluaq; expellere. itaque intelliges hæc esse vitę munia .i. vitalis potentiæ opera. Si secundo intelligamus modo, opus est intelligere Galenum de omni vi corporea, & non de sola vitali. veruntamen hæc sunt parui momenti, & vtrunque dici potest, tamen primæ solutioni potius annuerẽ. dictum est & à Galeno sæpius cibum noxam morbo inferre, potius dicendum videbatur, cibum morbo obesse, & re uera semper morbo obest, cum semper morbi materiam augeat, tamen nõnunquam morbo prodest, non ut morbus est, sed uires augẽs, quæ deinceps morbo oppugnant, tamen si morbus ex inanitione esset, prodesset etiam morbo vt morbus est, at non prodesset, vt cibus, sed ut replens, quamuis ut cibus, & nutriat, & repleat.

Petes quonã modo una materia uim cibi, et medicina habebit. Rñdemus, alias de hac re locuti sumus, in pñtiaꝝ ỳo notato pisanã hẽre uim cibi & medicinæ, ob duas quæ illi insunt uires, una est eius vis qua reficit quicqd à naturali calore quotidie cõsumitur, itaq; cibus nuncupatur. Alia qua infrigidat, incidit, abstergit, atq; humectat, & alia quæ superius dicta sunt, facit, & ita medicina uocatur. scito tamen illa quę solũ sunt cibi, quãdoque dici posse medicinas, ut est panis, caro, oua, hoc uero tantum est, cum ad aliqua, comparantur per solam diuersitatem relationis ad illa ad quę comparantur, & in aliquibus casibus particularibus, tamen non habent virtutes diuersas, panis etenim in morbo ex inanitione facto, ratione qua implet q inanitum est vim habet contrarij & medicamenti. at ratione qua nutrit est cibus, si uero petas cur hæc non dicantur cibi & medicamenta. Respondemus quoniam & si impleant, tamen per uirtutem aliquam qualitatis nõ agunt in corpus vt illa faciunt quę sunt medicamenta, & hoc raro contingit, estq; per accidens quod dici possint medicamenta.

Ambiges & in eo Galeni dicto, oxymeli esse solũ medicamentum, cum in eo sit mel, quod nutrit, igitur erit & cibus. Respondemus, mellis quantitas est tam parua in oxymelite, ut dici possit nihil nutrire.

De ptisana vero quod cibus sit, & medicamentum dubitabis, quoniam si id sit, est per varias uirtutes, quod si concedatur, ut necesse est, fateri opus erit, & has virtutes inesse ob partium diuersitatẽ quæ in illa sunt actu, vel potẽtia. At superius dictum est ptisanam esse similium partium sectione. 18. & esse lenem, continuam, quæ conditiones ostendunt non esse diuersitatem in partibus, imo Galenus conditiones illas exponens, caulem & lentem reprehendebat, quæ differentes haberent partes & oppositas, secundum quas adstringunt, & aperiunt. Respondemus in rebus corporeis virtutum diuersitas, quandoq; prouenit à partium diuersitate, quæ actu rem illam integrant, & quæ partes ab inuicem segregari possunt, vt in brassica, adstringit ratione partium terrestrium intrinsecarum, aperit ratione partium superficialium nitrosarũ, & ratione substantiæ tenuioris. Ex prima ebullitione partes hę soluentes separantur ab adstringentibus actu, nam pars quæ relinquitur, adstringit, in hoc sensu ptisana non habet partes distinctas, sed est continua, & quo ad substantiam, & quo ad uires. Alio modo potest dici aliquod diuersum, quia partes essentiales diuersas habet, hoc est materiam & formam, per quas partes uaria agit, ptisana secundum has partes diuersitatem habet, quoniam secundum partem materialem & corpoream transit in nutrimentum, secundum partem formalem .i. frigiditatem & humiditatem & vim abstersoriam agit uti medicamentum in corpus, & ita diuersas habet partes, ex hoc tamen non dicitur discontinua, uel ex tota sui substantia hoc agit vt sit cibus, & medicamentũ, neq; habet diuersas partes vel per substantiam vel per uirtutem, sed est cibus & medicamentum, neq; ista simul repugnãt, imo absq; aliquo impedimento simul esse possunt, nempe non opponuntur esse cibũ & medicamentũ, nã ut cibus nutrit, et nutrit simul suas habens qualitates p quas agit ut medicamẽtũ, dicit uero agere ut medicamentum, quia illę qualitates morbo opponuntur.

Quinto Galenus ad propositum sententiæ Hippocratis redit, inquiens. Cum uis usque ad morbi iudicationem absque ptisanæ sorbitione suffecerit, tunc si alia re indigeat, & non ptisana, oxymeli, & aqua mulsa satis erũt, & si petas ad quid respõdet oxymeli quia solum habet uim medicamenti, aqua uero mulsa, quia habet quidẽ uim cibi, sed pauci et imbecilli, in eo autem casu cibo non indigemus nisi paucissimo & tenuissimo, si uero sperabis ante septimũ diem iudicationẽ futurã, ut si quarta, vel quinta die futuram sperabis, multos quidẽ ægros inuenies, qui hos dies absq; ptisanæ sorbitione pertransire poterunt. At si ad septimã vsq; protrahi debeat iudicatio, paucos prorsus inuenies, qui absq; ptisanæ sorbitione pertransire possint. Et si à Galeno petas, quinam illi sint, qui absq; ptisanæ sorbitione septem dies pertransire queunt. Respondet illos esse qui vim habent valentem & robustam, & habitum habent corporis durum, & qui ægre transpirentur, quia meatus non sint apertũ & qui humores habẽt uel crassos, uel glutinosos, uel simul crassos & glutinosos, adde ambientem calorem non esse calidum, in his omnibus conditionibus, & in alijs superius positis, homo facile per septem dies ieiunium ferre potest, præsertim cum & oxymeli & mulsam biberit. Scitoq; si è nostro corpore nihil penitus per insensibiles meatus afflueret, alimento non esset opus, at quia portio aliqua è corpore semper effluit, ob id cibi quantitas danda statuitur, vnde homines illi, quibus per meatus cutaneos parum quid exhalat possunt in summa inedia detineri, et hoc potissimum si à principio uis ualida fuerit. Notaq; vim debere esse validam, quoniam illi cito laborant & exsoluuntur, quibus vis est imbecilla, quamuis parum exeat per cutaneos meatus, vt sunt senes, in quibus & si corpus parum exhalet,

habet, tamen quia vim habent imbecillam, cito exoluuntur unde superius mentionem facit quadragenariorum, & non septuagenariorum, propterea nō satis est quod è corpore nihil effluat uel parum, sed & uirium robur exigitur. Vbi legitur suntq; qui uirtutem habent valentem, addendum est. ij ut hoc modo legatur suntq; ij qui uirtutem habent valentem.

Quod legitur sed quoniam huius proportione effluit cibi ideo quantitatem definimus græce est, ἐπεὶ δ' ἀπορρεῖ κατὰ τὴν ἀναλογίαν τοῦδε, καὶ τὸ τῆς τροφῆς ποσὸν ὁριοῦμεν. idest, Sed quoniam effluit cibi, quoq; quantitatem definiemus.

In eo præterea dubitabis quod à Galeno mulsa aqua paucus fiat cibus & imbecillus, oxymeli vero tantum fieri medicamentum, ut innuere procul dubio videatur, nihil penitus nutrire, scito negari non posse quin aliquantisper nutriat, sed adeo parce, ut in numerum non ponat, causaq; est quoniam acetum, vim illam nutritiuam quam mel habet, in vim medicamentosam secum dicit, quæ est ut incidat, & uehementius attenuet. propterea mel multū amittit de ui illa nutritiua, & præsertim quia pauca est mellis quantitas illa quæ oxymeli ingreditur. Adde ob acetum non posse accipi magnam oxymelitis quantitatem, propterea adeo modicum est quod recipitur mel, ut modicissime nutriat. Experiētia tamen nos docet, nauticos uiros posca, idest aceto diluto, & pane biscocto nutriri, tamen sunt robustissimi, & uiridi colore, arbitror in illorum hominum uentriculis qui extreme se exercent, acetū confici ac si uinum sit, & aquam ipsam biscocto mistam in nutrimentum verti.

Petes an qui quarto uel quinto die iudicari debent absq; melicrato uel oxymelite uel aqua seruari possint. Respondemus si siti non infestarentur possent & deberent seruari, tamen si molesta siti premerentur, oxymeli præberi posset, uel aqua, uel melicratum valde dilutum.

Petes præterea quinam sit habitus durus. Respondemus, hi durum habitum habere dicuntur, qui duram habent carnem & cutem, quos superius in secunda huius commentationis parte dicebas superficiem densam habere atq; spissam, quę uel sit dura, densa ac spissa per naturam, uel sit tēpore acquisita, nihil refert, semper est causa tolerantiæ ieiunij, quando ex ipsa uel nihil uel parum exit p cutaneas partes propterea absque cibis diutius seruari potest, nam tanto tempore seruabūtur, quanto quicquid intus continebatur dissolutum sit.

Neq; illud indubitatum relinques cur Galenus in suprapositis undecim tolerantiæ ieiunij conditionibus, hanc non posuerit, illos inquam facile tolerare qui humores habēt crassos uel glutinosos, & facilius ferunt si simul crassi sint et glutinosi. Respondemus hic illam posuisse, ut ibidem adderetur, uel quod in precedenti uictu illud continebatur nam supponebatur illum insatiabiliter comedisse, & ciborum uarietatem, ex qua & glutinosi humores & crassi fiunt, imo græcus Aldinus contextus non dicit ciborum uarietatem, sed πολυτρόφοις ἐδέσμασι. idest, cibis multi nutrimenti. tales uero in copia sumpti crassos gignunt humores, quāuis & ciborum uarietas idem faciat, cū enim crassi sunt & glutinosi humores, difficulter resoluūtur, & causa sunt cur ieiunium aptius ferri possit. scito hic poni aerē ambientem non esse calidum, hoc enim est causa cur cibis nō indigeamus, cum enim non sit calidus, non resoluit, & cum non sit frigidus, appetentiam non incitat, neq; naturalem auget calorem, ut maior fiat resolutio, unde & superius in undecim numeratis conditionibus dicebat, hyemem esse non admodum frigidam, & locum eandem habere qualitatem. sed inquies, cur & naturalem non posuit calorem, nam non est solus aeris calor qui resoluat, sed & est naturalis calor qui cooperatur, unde ita effari non fuisset ab re, & naturalis calor non multum fortis minus resoluit, magis uero resoluit multum fortis. Respondemus uel subintelligendum esse hunc calorem simul cum aeris calore, nam calor aeris simul cum natiuo calore hoc efficit. s. resoluit. uel dicamus non fuisse opus, naturalem calorem distincte referre, quia sub uirium fortitudine continetur, nempe uirium robur in calore naturali cōsistit. Sed inquies, De febrili calore saltem mentionem fecisse debuit, quoniam & hic resoluit. Respondemus in utroq; casu mentionem fieri, nā supponitur & unum & alium hominem febre correptū esse, tamen in uehementiori febre plus resoluitur, quàm in imbecilliori. At quia in utroque casu necessarium erat febrilem adesse calorem, propterea Galenus nullam de illo particularem mentionē fecit. uel dicamus febrilem calorem semper cibum prohibere; & de sui ratione semper est ut cibus prohibeatur.

Quod præterea à Galeno dicitur si nihil è nostro efflueret, corpore, alimento opus non esset absurdum uideri, nam si quempiam supponamus qui nullam penitus habeat transpirationem, naturalis caloris subiectum tempore saltem resoluetur, & hic famem incidet. Forte dicendum est, non fieri perfectam famem, nam hæc vt Galenus tertio de symptomatum differentijs edocet, fit cū è meatibus insensibilibus omnia quæ continebantur, euaporauerint, vt illi meatus nonnihil à toto corpore traherēt, oēs etenim corporis extremę partes ab intrinsecis et ꝓpinquioribus trahunt, propinquę vero à iecore, iecur à vētriculo, si vētriculus nihil habeat, et ipse trahit ab extrinseco, & hoc desiderio quodā uehemēti petit, qd' à fundo uētriculi incipit ab ore petente & ab ore ventriculi. s. petente ab extra, hæc est naturalis fames, quæ in eo esse non potest à quo nihil à corpore effluit, & qui transpirare non potest. Dices uero si talis aderit obstructio, igitur erit æger. Rñdemusu, el æger dicendus, quia læsam habet operationem, vel talis qui breui ægrotabit, ad rem igitur non intelligebat Galenus hunc non indigere simpliciter alimēto, sed quod neque multo, neq; cito. vel intellige Galenum in illo casu intelligere in septem dierum spatio, non quòd perpetuo non indigeret, vt intelligat si nihil exhalauerit, nihil dandum alimento per septem dies, si vero parum exhalet per cutaneos meatus, fieri etiam potest, vt hunc summam inediam septem. s. dierum iniungamus, potissimum quando vires sunt robustæ. Tamen semper secundum cibi proportionem aliquid è corpore effluit, vnde aliquid semper dandum & secundum proportionem eius quod exit. Notaq; ex hoc Galeni loco, diuersitates in resolutionibus per hunc ordinem, quem & nonnulli recentes in hoc quidem probandi, sequuntur, valde magna, valde parua, parum magna, parū parua, in medio adde mediocrem.

At in resolutione duo sunt, res ipsa quę resoluitur, & agēs actu resoluens. Res quæ resoluit, triplex esse potest, vehemēs, imbecilla, mediocris. Res quæ resoluitur, & ipsa triplex, facilis, difficilis, mediocris. si hæc simul iungantur, diuersæ fiunt resolutiones, per hunc ferè modum.

Resoluens vehemens, facili resoluenti applicatū, valde magnam inducit resolutionem.

Resoluens uehemens, difficili applicatum resolubili, mediocrem facit resolutionem.

Resoluens vehemens, resolubili applicatum mediocri, parum magnam facit resolutionem.

Resoluens imbecillū rei facile resolubili applicatum, resolutionem facit mediocrem.

Resoluens imbecillum rei difficulter resolubili applicatū, resolutionem facit multum paruam.

Resoluens imbecillum rei mediocriter resolubili applicatū, resolutionem facit parum paruam.

Resoluens mediocre, rei applicatum faciliter resolubili, resolutionem facit parum magnam.

Resoluens mediocre rei applicatū difficulter resolubili, resolutionem facit parum paruam.

Resoluens mediocre rei applicatum mediocriter resolubili, resolutionem facit mediocrem.

Ex commistione igitur resoluentis rei, & resolutæ nouem prædictæ resultant cōbinationes, ex quibus facile discurrens quis noscere poterit, quid dandum, quantumq; secundum rei cognitionem quæ resoluitur, & eius quæ resoluit, quæ omnia nō sunt temere despicienda. Id præterea petes quid intelligēdum sit per virtutem quæ ab initio sit ualida, quid enim est hoc ini-

i

tium. Respondemus, Galenus in fronte. 11. medendi libri docet uim ab initio naturæ in carne consistere, in seminarijs membris, & in spiritibus, intellige ergo uim validam in principio uitæ talem qualem potest quisq; ex Galeno colligere citato loco, vel intellige per initium ægritudinis initium, ut uis sit in ægritudinis initio robusta, & non defatigata.

Deniq; cum à Galeno & Hippocrate dictum sit, posse absque cibo vsque ad septimum diem traduci ægrum, imo usque ad nonum secundum Hippocratem, nunquid fieri possit, vt absq; cibo vsque ad hoc tempus, homo viuus seruari possit. Respondemus, aliud est in sanis loqui, aliud in ægris, in ægris. n. diutius inedia seruari potest q̃ in sanis. nunc fabulaměta illa quarundam religiosarum quæ Romæ superioribus annis p triennium fuere sine cibis, prætereo, & Heliæ ieiuniũ per quadraginta dies diuina uoluntate factũ, & ieiuniũ quadraginta dierũ sospitatoris nostri Iesu Chři miraculosum ex sua diuina potentia factũ, sed naturaliter sermo fiat. Plinius libro. xj. capite ultimo inquit homini non ante diem septimum letalis inedia, durasse & usq; vndecimum plerosq; certum est. Huius rei ratio ex temperatura reddi potest, nã qui pituitosi sunt vna & atrabilarij, in quibus pituita crassa & glutinosa in ventriculo abundat, absque cibis diutius viuere possunt. nos collegam habuimus in philosophicis studijs Philippum Riminaldum, quem bis vidimus per quatuor integros dies & noctes nihil penitus cibi uel potus accepisse. nã tunc una eramus in loco Sandali nuncupato, fatebaturq; bis per spatium octo dierum integrorum absque cibo & potu fuisse. Cui absq; iureiurando omnia credenda sunt, tamen omnibus uitæ muniis fungebatur, mingebat, excernebat, expuebat, nares emungebat obambulans, me indefessum ferè, delassabat, & quod nec minimum est, dormiebat. quisque vestrum nouit, quantum pituitæ abundet & atræbilis. tales naturæ diutius possunt absque discrimine ferre inediam. at biliosi qui calidum habent ventriculum, ante quartum diem moriuntur, si à cibo abstineant, de sanis intellige. ego quartũ diem non attingerem. in ægris alia est ratio, nam . 1 5 2 8 . curauimus non nullos, imo neque curauimus, quia nihil penitus accepere ex coma vigili, & cataphora, & morbo mazuchi vocato, qui absque cibo, & potu ad decimumquartum diem puenere, & multi conualuere, inter alios superuixit dominus Polydorus Illustrissimi Alphonsi ducis Ferrariæ æditus, multos alios per quatuor, per quinque, per sex dies, & octo absque cibo & potu curauimus. cum primum Polydorus ille comedere cœpit, magnifica Lucretia Trissona illi ouum porrexit. in ægritudine diutius perdurare possunt, quia naturalis calor circa morbi materiam occupatus est, & licet ex febre resoluantur, tamen non indigent tanta refectione, vt sani. De triũ dierum inedia in ægrotis tota antiquitas est plena vt hi qui tali genere curationis uterentur, à Galeno diatritarij nuncupentur.

## Hippocrates. Sectio XLV.

**At si nuper cibato cibus prior non descenderit, virtusq; valida fuerit, & floruerit ætas, subluere oportet. Si vero virtus imbecilla fuerit, glande est vtendum, nisi aluus sua sponte probe deiecerit.**

## BRASAVOLVS.

Nunc & ex corporis dispositione præsidiorum indicationem accipit. Cum. n. quis cibatus fuerit, et prior cibus nõ descenderit, neque ventrem exierit, hicq; calidam habuerit uim, & ætas florens sit, huius ventrem subluere debes. si uero imbecilla fuerit virtus, pro clysmate, glãde vtaris, hocq; facito, nisi sua sponte æger probe deiecerit. tamen solicitus est Hippocrates ne confectus in ventriculo cibus & vẽtre, ibi reperiatur, quãdo aliam cibationem daturus est, vt uelit aluum prorsus subducendam, antequã noua sorbitio recipiatur, & si uis sit fortis, id fieri vult clystere, si imbecilla, glande veluti ex ea re, quæ non multum ascendit, & quæ non agitat, vt clysteres faciunt.

ἢν δὲ μὴ ὑπεληλύθῃ ὁ παλαιότερος σῖτος νεοβρῶτι ἐόντι. idest, Si vero non descenderit antiquior cibus, nouo adueniente. huic sententiæ duplex sensus assignari potest, vnus, vt prius fiat euacuatio antiquioris cibi & præcedentis, q̃ nouus detur cibus, & hoc etiam superius dictum est. de descensu saltem à ventriculo, & in secundo libro sectione. 16. præparationes fieri iubebit, ante ptisanæ sorbitionem, Galenusq; dicit esse has præparationes siue sectionis venæ, siue clysmatis, siue balani necessitas fuerit, illud ante faciendum iubet, ante inquam ptisanæ sorbitionem, & hoc est, quod & superius iussit sectione. 19. quando opus est ptisana, danda est, nisi vel propter medicamentum, vel clysterem desistere opus sit, ibi de clystere intelligebamus, qui ob dolorem fieri deberet, sed & de clystere intelligi potest, qui fieri debeat, quando cibus nondum descenderit. Alter sensus est, vt iam acceperint nouum cibum, & antiquior nondum descenderit, & hæc uidetur esse Hippocratis sententia, vt eius innuunt verba, quamuis & prima iam dicta vera sit.

ἢν μὲν ἰσχύῃ. i. Et virtus quidem valida sit, quoniam vis valida omnes medicas operationes ferre potest, & nihil vel parum recipit incommodi.

καὶ ἀκμάζῃ ἡ ἡλικίη. i. Et ætas viget, sit inquam in ætatis vigore, in qua & vis robusta est, & æger omnes rerum medicatarum commotiones ferre potest.

ὑποκλύσαι. clystere vtendum est, ut exeat antiquus cibus, idest fex & recremẽtum antiqui cibi, ne superius effumans, vt sectione. 42. dictum est, multa inducat symptomata, quæ grauiorem reddant morbum.

ἢν δὲ ἀσθενέστερος ᾖ. i. Si vero imbecillis sit, vt medicas operationes ferre non possit.

βαλάνῳ προσχρῆσθαι. idest, Balano vti oportet, quoniam vis à balano non tam infestatur, neque tam commouetur, vt à clystere commoueri solet.

ἢν μὴ αὐτόματα διέλθῃ καλῶς. i. nisi sponte probe deiecerit. hoc etenim à clysteris & balani impositione excusat, & cum natura id sua sponte facit, multo melius est, quàm si coacta excreuerit, ostendit enim se non esse sui prorsus oblitam, sed de balano & clystere ambiguitas emergit, cum uideantur aliqua balani genera magis perturbare quàm aliqua clysteriorum genera, nam si clyster fiat communis vocatus, ex maluæ, violarum & hordei decoctione, q deinceps recipiat violaceũ oleum et salem, minus efficere uidetur, quàm si balanus ex salgemmate, recipiatur, vel ex colocyntide, vel ex scamonio in puluerem redacto, & ex rosaceo melle, vel tragacanthi decoctione fiat balanus. Respondemus posita in omnibus æqualitate, clyster semper magis perturbat, quàm glans, nam si glandem acceperis communem ex melle, vel ex brassicæ tursione & sale, minus perturbat, quàm si recipiatur clyster nuncupatus communis, minus etiam perturbat balanus fortis quàm clyster fortis, & ratio in promptu est, quoniam clyster ad magnam ascendit uentris partem, balanus vero rectum intestinum non pertransit, nam habet longitudinem quatuor aut sex digitorum, imo ob hunc clysteris ascensum in nonnullis clysteres uocati communes magis perturbant, quàm balani fortes, quia rectum intestinum non pertranseunt.

At petes cum ab omnibus ferè receptum sit, clysteres nonnullos è capite ducere, nunquid eius vis ad caput usque pertingat. Respondemus, si clyster actu perueniret in uentriculum, eius uis profecto perueniret in caput, tamen arbitrandum est per partem post partem à capite fieri euacuationem, vt euacuatis Intestinis ne vacuum detur, illuc descendunt, quæ in ventriculo sunt, & cum superflua in capite sunt, ad uentriculum demittuntur, petes uero ad quam intestinorum partem possint peruenire clysteres, Si homo erectis &

elevatis

eleuatis maneat cruribus, nullus ambigit peruenire in colon, an vero altius aſcendant multi dubitarunt, tamen Galenus ſexto de ſymptomatū cauſis libro, ubi de ſymptomatibus agit attractricis potentiæ vētriculi, inquit, cum enim ſecundum naturam ſe habuerit uētriculus, è ſupernis partibus ad ſeſe trahit, atq; per inferiores deijcit, cū uero præter naturam affectus eſt ab infernis etiam aliquid aſſumit, quippe nonnullis clyſteres adeo aſcenderunt, ut uomitione reijcerent, quemadmodum & ſtercus per letales voluulos. Raſis vero nono ſui continentis inquit, clyſteres, & abſque vētriculi affectione ad vētriculum aſcendere, & ad nares per ſolam inſtrumenti compreſſionem nam dicit ſi comprimatur clyſter cum vehementi vehemētia aſcendit quandoq; ad ſuperiora ad ſtomachum, & emanabit de naribus, ſed compreſſione leui ualde adſurſum non peruenit niſi ad locum neceſſarium, ſed noſtro iudicio hoc abſurdū eſt quod à Raſi dicitur, nam compreſſio, quę per directam fit rem profecto poſſet inijcere longius id quod comprimit, at ſit in re obtorta, & per inuolucra circumplicata, & per tantam longitudinem, vt illa magna expreſſio, etiā ſi adhuc eſſet maior, non eſſet ſatis ad impellendum clyſteris liquorem ad quartū inteſtinorum partem, nam quodlibet inuolucrum eſt tanq; paries qui clyſteris liquori obijcit. propterea Galenus ſapienter hoc attribuit non impulſioni uel expreſſioni uehementi per inferna ſed attractioni, quæ per partes ſit ſuperiores, quia ventriculus male affectus ab inferioribus trahit, cuius erat officium in ſanitate à ſuperioribus trahere partibus, & ad inferiores expellere, at mala affectio eſt oppoſiti cauſa.

Forte aduerſus iſta Galenum adduces quinto methodi libro, vbi docet, vlcera quæ in vētriculo, pectore, & pulmone ſunt, per ea quæ eduntur, ac bibuntur, eſſe curanda. At quæ in inteſtinis bifariam, nam quæ vicina ventriculo ſunt his per comeſta & bibita ſuccurritur, quę vero inferius ſunt ſita, per ea quę inijciuntur, quando neq; ad ea quæ vicina ventriculo ſunt ſubire poteſt, quod per ſedem infunditur, nec integris viribus ad inferiora pertingere quod per os eſt ingeſtum. Ex quibus Galeni verbis facile colligi poteſt clyſteres ad inteſtina ventriculo propinqua non attingere, unde ad ieiunum non pertinget, et forte non pertinget ad ileum. Quid ergo dictum eſt à Galeno ſexto de ſymptomatum cauſis ad ventriculum vſq; peruenire? Reſpondemus intelligere illo in loco aſcendiſſe ad ventriculum ob malam ipſius affectionem. At contradices, quoniā & in quinto methodi ſupponit eſſe vlcus in inteſtinis. Reſpondemus & ſi ulcus adſit, tamen non eſt illa affectio ob quā uentriculus à partibus inferioribus trahat, de qua in ſexto de ſymptomatum cauſis, hæcq; ſit concluſio & ſumma apud Galen. clyſteres non peruenire ad ieiunum, niſi fuerit mala affectio in ventriculo, quæ ab inferioribus trahat partibus præter naturam, vti à ſuperioribus trahere deberet. Cuius rei & Galenus ipſe teſtis eſſe poteſt. 13. methodi medendi libro, vbi de eiſdē ferè loquens, de quibus in quinto libro, ſed hac in affectibus iecoris inquit, Cum partes ſuperius poſitæ laborant per ea quæ eduntur ac bibuntur, cum inferiores per id quod ſit per clyſterem infuſum, quandoquidem quę eduntur ac bibuntur, eorum vis antequam ad inferiores partes perueniat, reſoluitur, quæ infuſa ſunt, ea omnino ad ieiunum vſq; aſcendere nō poſſunt, imo ſi admodum nitaris, fortaſſe tenue tātum inteſtinum contingent, ergo illud quoq; ex partium poſitura didicimus, nempe inferioribus inteſtinorum aliquid eſſe per clyſterē infundendum, ſuperioribus vero, atque etiam ipſi ventri, lieni, et ſtomacho ſuperne aliquid exhibendum, vt ex hoc loco colligatur, clyſteres etiam ieiunum non attingere, & raro etiam tenuioris inteſtini principiū. Vides igitur quid Galenus ſentiat de clyſteris aſcenſu, vbi non fuerit mala affectio in ventriculo quæ attrahat, imo ſi animaduertiſti, non aſcendit niſi ad principium tenuioris inteſtini, quātuis Raſis temere uoluerit ad uentriculum aſcendere, & per nares exire. Notaq; clyſteridion inſtrumentum eſſe apud Paulum, quo vehementius impellūtur clyſteres. Sed petes an clyſteres qui in morbis acutis fieri debeant, fortes eſſe debeant. Reſpondemus Hippocratem in præſentiarum de clyſtere tantum loqui feces præcedentis cibi trahente. propterea & emolliens, & feces ducens eſſe debet, & qui aliquantiſper infrigidet, & ſale non proritandū aliquo modo mordicet, & leniat, tamen in morbis acutis dolores contingere poſſent, & tormina, pro quibus fortioribus clyſterijs indigeremus, qui medicamentis proportionantur, tamen eorum vſus ſit rarus, cum iecur imbecille reddant. De clyſterijs aliàs abunde loquemur, & inſtrumentis, & de clyſteriorum generibus, de quibus & vbertim egit Oribaſius in medicinæ compendio, hic vero de clyſtere imbecillo intelligendus eſt Hippocrates.

Forte ambiges, videri Hippocratem de clyſtere forti & vehementi potius loqui, quoniam iubet conſiderandam eſſe ætatem, & vires. At ſi de forti clyſtere nō loqueretur, abſurdum eſſet ætatem conſiderare, cum in omni ætate tam antiqua, q̄ puerili clyſteres fiant et profine, Nos & in centenario homine, & in puero decem dierum fieri iuſſimus, & profecere, hæc in quotidiana fiunt experientia. Igitur Hippocratis clyſter de quo in præſentiarum, fortis eſſe debet, alioqui & vires & ætatem conſiderare abſurdum eſſet. Reſpondemus in fortibus clyſterijs proculdubio verum eſt ætatem & vires eſſe conſideranda, quamuis ætas non ſemper eſſe debet ἀκμή. id eſt vigor, nam & in primis & vltimis ſenibus robuſtis, & in pueris fortioribus vtimur clyſterijs, tamen non vtimur, niſi uis ſit valida. At cum in iuuenta valida eſſe ſoleat, ab Hippocrate illius ætatis mentio facta eſt. Ad propoſitum vero redeuntes, de Hippocratis intentione, quæ eſt ſolum præcedentis cibi feces eſſe educendas, clyſter imbecillis eſſe debet, tamen conſiderationes de ætate & viribus ſupra fortem clyſterem ſententiam ferre videntur, vnde dicimus Hippocratem de clyſtere prorſus intelligere qui feces tantum educat, qui eſt imbecillis, inquit uero & ætatem & uires conſideranda ob acutum morbum & pleuritidē, nam in morbo ipſo, quantumcunque clyſter ſit imbecillis, ſi vires ſint imbecillæ, multum obeſt. Et ſi in tali ſit ætate, in qua ob acutum morbum vires facile deficiantur, multum quoque perturbat, in morbis vero non acutis tot conſideranda non ſunt, quanquam opus ſemper ſit vires ferre poſſe.

In vltimis quoque particula ambiguum eſt, qua dicit, niſi aluus ſua ſpōte probe deiecerit, quomodo hoc dici poteſt, ſi ſupponit hunc non deieciſſe? Reſpondetur, interim dum clyſter paratur, uel balanus deijcere poſſet, tunc & ſi illa ſint parata, abſtinendum prorſus eſt.

Petes vero quo tempore hæc agenda ſint. Reſpondemus in omni tempore vniuerſali morbi, & in particularibus ſingularium acceſſionum temporibus, vel in inclinationibus ſi habeantur, id dico, quoniam acuti morbi ſunt cum febribus non intermittentibus, quæ non veniunt ad infebriam, ſed in quendam teporem, vnus eſt tantum contextus in libro quarto huius voluminis ſectione. 16. qui his opponi videt̄, in quo inquit, ſi febris hominem prehenderit, vetere excremento deſcendente, uel nuper cibatum, ſiue cum lateris dolore, ſiue non, is quieti tantiſper permittendus, donec cibus primum ad imum ventrem deſcenderit. Oppoſitio uero eſt, quia clyſterem non imponit, neque balanum, ſed deſcendere ſinit. Reſpōdemus non eſſe contradictionem, quia vbi ſpōte deſcenſurum ſcimus, deſcendere ſinimus, ubi vero ambigimus, in acceſſionis tepore imponimus, illam tamen quarti libri ſectionem Galenus Hippocratis non eſſe cenſet, & inquit vnam ex illis eſſe, quæ oſtendunt hunc quartum librum non eſſe Hippocratis, quia tam pauca de pleuri inde iterum non repetijſſet Hippocrates.

Cum vero incertus ſis an antea ſponte excernere debeat, ne ægrum male afficias, forte ambiges, tutius eſſe ſpectare. Reſpondemus acceſſiones ſequi acceſſiones, & ideo cum medicus occaſionem habet, expectare non debet, cum ſint præcipites occaſiones, & cum dubium ſit, an excernere debeat, vt tutius res ſuccedat, clyſterem exhibere conue-

nit,ne uero febris cremento superueniente, postea ad aliam inclinationem transire cogamur, post sinum cum clysteres constantibus viribus in ætate vigenti (vt supponitur) obesse non possint, & ob id imponere conuenit, vt cibus conuenienti tempore detur.

GALENVS.

Rursus & hoc in loco remediorum indicationem ab affectu corporis accepit, simulq; virtutem considerauit, neq; tanquam remediorum usum aliquando indicantem, sed tāquam contrario indicantem modo interdum autem & prohibentem. Non enim quòd æger ualida sit uirtute, ob id clysmate est opus, sed clysmatis indicatio ex ventris desumitur affectu. Si uero uirtus ualida fuerit, uacuationi non reclamat: quæ si imbecilla est, uacuationem ipsam inhibet. Sed rursus ad Hippocratis consuetudinem conuerte animum, qui in talibus aliquando de sola agit virtute, sicut in antedicta uidere est dictione, sed interdū adijcit ætatem. Præcipuus siquidem est virtutis scopus, sed ad notitiam eius confert etiam ætatis cognitio, cito quidem in pueris laborante propter copiam effluuij virtute, in ætate vero florentibus abunde sufficiente. Cæterum quo modo in pueris corporis substantia, tum mollis, tum humida, præcipua exolutionis virium causa efficitur, sic & in regionibus & anni temporibus res habet. Nempe horum caliditas velociter confestimq; uirtutem vacuationis quantitate soluit. Iure igitur Hippocrates ex virtute interdum sola distinctionum huiusmodi doctrinam efficit: interdum & quippiam ex alijs adijcit, vnà cum ipsis & cætera commemorans.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus docet & hic iterum à corporis affectu, præsidiorum indicationem sumi, & virtutem simul considerauit, tamen virtutem ipsam non considerauit, veluti eam quæ in hoc casu aliquando vsum remediorum indicet, sed veluti eam quæ contrario modo indicet, imo, & quæ nonnunquam prohibeat, quoniam clystere nō est opus, quia æger vim ualidam habeat. At ipsa clysteris indicatio sumitur ex ventris affectu, verum ex virtute hoc habemus, si ualida sit, euacuationi non contradicit, si vero sit imbecilla, euacuationi repugnat.

Quod legitur, neq; tanquam remediorum vsum aliquando indicantem, legi debet, non, & dimitti neque quia nihil præcedit negatum.

Sed inquies quinam est hic corporis affectus vel διάθεσις. Respondemus, non intelligit hic per affectum ægritudinem aliquam, sed corpus ita esse dispositum, vt veterem cibum intus habeat, qui nondum descenderit, nedum exierit.

Secundo Galenus docet animum ad Hippocratis consuetudinem conuertendum esse, qui in similibus casibus solius meminit virtutis, ut in præcedenti sententia videre licet, tamen ætatem nonnunquam adijcit, vnde præcipuus scopus est uirtutis, nam uirtus ipsa est quæ de horum exhibitione indicat, tamen ad virtutis notitiam, & ætatis cognitio confert. nam ætates aliquæ sunt robustiores, aliæ minus robustæ, ut in pueris ob copiam effluuij cito laborat vis, in ætate vero florenti vis abunde sufficit, etiam si è corpore multa effluxerint.

Scito hic per ἀπορροίας. idest effluuium, id intelligēdum non esse, quod nōnulli recentes intellexere scilicet alui profluuium, sed effluuium intelligendum est, eorum quæ insensibiliter euacuātur. nam in pueris fit maxima resolutio, & ideo facile à uentrem commouentibus offendi possunt, vt sunt clysteres: quod robustioribus ætatibus non cōtingit, à quibus tot non effluūt, à pueris vero tot effluūt, quia calidi sunt & humidi, & habent caloris subiectum facile resolubile, & meatus insensibiles apertos ac patentes. hæc vero iuuenibus non ita insunt, nempe puerorum substantia est mollis & humida.

Tertio Galenus hoc ampliat, quod hic dicitur in pueris, & ad regiones, & ad anni tēpora. nam sicuti in pueris corporis substantia & mollis & humida, est præcipua exolutionis virium causa, ita res habet & in regionibus, & in anni tēporibus, nam horum caliditas, & regionis scilicet & temporis anni, uelociter & statim virtutem soluit ob vacuationis quātitatem. Ob hoc igitur non immerito Hippocrates ex sola virtute talium distinctionum doctrinam effecit, quandoque ex alijs vnum adiecit, vt ætatem vel regionem, vel anni tempus, tamen cum his cætera talia semper subintellexit.

In Galeno vero dubium incidit, quia non videtur conueniens fieri comparatio, cum inquit causam resolutionis in pueris esse eorum substantiam, quæ mollis & humida est, postea inquit eodem modo fieri scilicet resolutionem in anni temporibus & regionibus, quoniam horum caliditas per euacuationis quantitatem virtutem dissoluit: vt manifeste appareat nō esse conuenientem comparationē, quia in vno est substantia mollis & humida causa resolutionis, in alio est caliditas eiusdē resolutionis causa. Respondemus in pueris id quod resoluit nō est molle & humidum, sed est calor, verū hoc facilius agit, quando patiens fuerit molle & humidum, vnde & in pueris est caliditas, sed cum patiēte disposito, in quod ita dispositum etiam agit regionis caliditas & temporum anni. Volebat Galenus factam esse comparationem in calore, sed cum patiente disposito ad suscipiendum calorem. Scitoq; euacuationē illam, quæ fit à regione & à tempore per suum calorem, intelligi debere & de insensibili per poros euacuatione.

## Hippocrates. Sectio XXXXVI.

**Tempus autem dandæ sorbitionis, tum per initia, tum per omnem morbi decursum, hoc maxime seruare oportet. Nam si pedes frigidi fuerint, non a sorbitione modò, verum quoq; & maxime a potu temperandum. At cum caliditas ad pedes descenderit, tunc dare expedit. Sane tempus ualere admodum putandum cum in morbis omnibus, tum præcipue in acutis, & potissimum quibus febris vehementior suberit, periculumq; summum.**

BRASAVOLVS.

Nunc Hippocrates ad tempus exhibendi cibationem singulo die per totum vniuersalem morbi decursum verba conuertit, inquiens tempus exhibendæ sorbitionis, & per initium vniuersale, & per totum morbi decursum secundum tempora vniuersalia hoc maxime seruandum esse, quoties pedes fuerint frigidi, non solum à sorbitione temperandum erit, sed & à potu præcipue temperandum. At cum caliditas ad pedes descenderit, tunc cibum dare expedit, nempe tempus multū valere putandum est, cum in omnibus morbis, tum potissimum in acutis, & præcipue in illis morbis acutis, in quibus & febris vehementior est, & periculum adfuerit summum, in his enim tempora maxime seruare oportet.

καιρὸν δὲ τῆς δόσιος τοῦ ῥοφήματος τόνδε μάλιστα φυλάττεσθαι κατ' ἀρχὰς, καὶ διὰ παντὸς τοῦ νοσήματος. idest Occasionem uero dandæ sorbitionis hanc maxime & in principijs, & in toto morbi decursu seruare oportet. In quatuor vniuersalibus morbi temporibus secūdum acutiem, & longitudinem morbi plures & pauciores distribuuntur dies, in quibus inq; diebus febres quotidie augentur & minuuntur, in illis potissimum febribus, in quibus sorbitio danda, quia in ardore semper eundem seruat modum, opus uero est accipere pro cibatione exhibenda tempus conueniens, de quo nunc agit Hippocrates, inquiens.

ὅταν μὲν οἱ πόδες ψυχροὶ ἔωσιν, ἐπισχεῖν χρὴ τοῦ ῥοφήματος τὴν δόσιν, μάλιστα δὲ τοῦ ποτοῦ ἀπέχεσθαι. idest Quando enim pedes frigidi fuerint, ab exhibitione sorbitionis abstinere oportet, presertim uero à potu temperādum. Hic duo sensus fieri possunt, vnus cum pedes frigidi sunt abstinendum à ptisana, & à potu, alter cū frigidi sunt pedes, à ptisanæ

sorbitione abstinendum, sed præcipue à potu abstinendum, vtrunq; dici potest.

Si vero petas quinam sit hic potus. Respondemus sunt potus superius enumerati, aqua simplex, aqua mulsa, & oxymeli. nos & aquam hordei habemus, & syrupos, quos propinamus in febribus.

Scito cum pedes frigidi sunt, febris initiũ est, in quo nõ est æger cibandus, nisi à virium imbecillitate cogamur, aut ab aliqua syncope, hic non est opus nos de febre loqui intermittente, quoniam in illa dubium non est semper expectandam esse infebriam, antequam cibus exhibeatur, hic uero de nõ intermittentibus sermo fit. in quibus adueniente febre, materia quæ morbum facit, calorem ad interiora propellit. ipseq; se ipsum sponte cohibet, vt ad cor eat velut ad arcem, vt ipsum tueatur, itaq; extrinsecę partes calore priuatæ relinquuntur, & potissimum manus, & pedes, & nares, & aures, quæ à corde longius distant cæteris partibus. inter hæc vero longius uidentur distare pedes cæteris, quãuis in hominis commensuratione nõnulli uoluerint cor ęqualiter ab omnibus extremis partibus distare. s. capitis apice, pedum & manuum extremis digitis, sed hi hominis symmetriam non nouere, & commensurationem, qua & Cabalistæ sius in mysterijs utuntur, & uaticinatores, nẽpe media pars est vmbilicus, in quo si circinum posueris, & manus ac pedes extenderis, peripheriam effinges, quæ extremas manuum & pedum partes, & capitis apicem attinget, & merito pars illa in medio fuit, quia foetus in utero per hanc nutriebatur, ut ęqualiter cibus vndiq; distribueretur. cum ergo pedes à corde magis distent alijs partibus, propterea non mirum si vltimi calorem recipiunt.

Sed hic dubitabis, cum de acutis morbis loquatur Hippocrates, & nunc de pleuritide, quæ febri non intermittẽti iuncta est, quomodo fieri potest, vt hi frigidos habeant pedes? nam proprium est intermittentium febrium frigescere, horrere & rigere, non intermittentium uero, neq; frigescere, neq; horrere neq; rigere. Respondetur, verum proculdubio esse in non intermittentibus febribus non frigescere ægros, tamen in nonnullis superuenit quædam priuatiua frigiditas, ut recentiorum verbis vtar, in alijs uero, & si non adsit frigiditas, tamen ad teporem deueniunt, postea in hoc tepore per aliquod spatium perseuerant, qui tepor cum febris crescere debet, est frigori magis propinquus, & licet æger nihil sentiat frigoris, tamen medicus cognoscit hoc esse principium febris. vnde & si non sit verum frigus, nunc frigus ab Hippocrate vocatur, qui edocere nititur in singularium accessionum principio non esse cibandos ægros. semper adde nisi aliquid impediat, imo & si sitierint, nihil etiam est dandum in potu, Et si hanc partem intelligas, quod potissimum nihil in potu sit dandum, hoc erit, quia potus ad affectas partes, & ad materiam facientem morbum facilius quàm ptisanæ sorbitio discurrit, tamen putandum est vtrunque æque auferendum, & cibus potius quàm potus esset remouendus, non est igitur vel cibus vel potus ægro in principio dandus, ne omnia accessionis tempora augmententur & progentur, & ne cibus cum materia febrem faciente misceatur, & in eius naturam trãseat, potissimum in principio in quo mouetur, imo cibi dandi non sunt per totam particularem accessionem, nam ex hoc cibo calor suffocatur, quia & in principio iam contractus est & submersus. Secũdo tardius finiũtur accessiones ex sumpto cibo, nam calor natiuus à cibo simul & materia morbi occupatus materiam quæ morbum facit, tardius resoluit, & ex hoc accessio longior efficitur. Tertio hæ superfluæ materiæ multiplicantur, nam cibi in materiam quæ morbum facit transeunt. adde febrem impedire ne cibus facile possit conuerti & transmutari in nutrimentum, propterea in materiam transmutatur, quæ morbum facit. Deniq; si cibus in accessione recipiatur, accenditur, & ab eo fumi atq; vapores vsti eleuantur, qui ad omnes corporis partes transmissi corpus ipsum vehementius calefaciunt, ut ignis igni, & febris febri addita esse uideatur. Notaq; hæc quæ dicta sunt contingere, sumpto cibo in principio vel in cremento, vel in consistentia, quippe in declinatione nihil sequitur dispendij.

ὅταν δὲ ἡ θέρμη καταβῇ ἐς τοὺς πόδας τότε διδόναι. idest quando uero caliditas ad pedes descenderit, tunc dare expedit. Quatuor sunt particularia morbi tempora, de non intermittentibus potissimum loquentes, principium, incrementum, uigor, inclinatio. in principio & vigore, nisi adsint quæ cogant, nunquam dandus est cibus, imo neq; in augmento, in inclinatione dandus, si uero aliquid impediat, in augmẽto dari potest. at in principio & uigore, nunquam dari debet, nam Galenus hac de re loquens in calce vndecimi libri methodi medendi inquit duplicem respectum esse considerandũ in dando cibum, vnus est uigor præcedentis accessionis, alter est principium futuræ. tuncq; addit, Ad hęc nanq; spectantes operam dabimus vt quàm longissime ab vtroq; nutriamus. vt Galenus velit cibationem debere esse longinquam à summo vigore, & à principio, propterea infert, Ergo si spatiũ quod inter summũ accessionis uigorẽ, et sequẽtis principiũ interuenit, satis sit amplum, facile est idoneum tempus inuenire, nam tu in medio dabis spatio inter futurum principium & præteritum vigorem. verum si id spatium fuerit exiguũ, alterũ facias necesse est, ut aut ægrum admodum calentem nutrias, aut sequẽtis accessionis inuasione iam iam affutura. quo magis præsagi medici huiusmodi febris indiget, qui primis statim diebus, quãto spatio duratura febris sit, cõijciet, hæc uero pars q̃ dicit tũc dãdũ cibũ cũ caliditas ad pedes descẽderit, duobus modis ĩtelligi põt. primo, ut sit febris augmẽtũ. scd͠o ut sit iclinatio, uel s͠m aliquos uigor, in pricipio etenim pedes frigidi sunt in augmẽto paulatim incalescere incipiunt, & tunc dicĩ caliditatẽ descẽdisse ad pedes, quæ paulatim intenditur usq; in uigorem, in quo sunt extreme calidi. vt nonnulli dixerint Hippocratem hic cibum exhibere in summo vigore, quia vult pedes esse calidos hoc est perfecte calidos, id non est nisi in vigore. hi vero minifice decipiuntur, quoniam in vigore & Hippocrates & Galenus dari cibũ semper negarũt. melius est Hippocratem in augmẽto intelligere, sed inclinatio intelligenda vere est in qua calor ad pedes descẽdit, quod non tantum ratio, sed & experientia ostendit, cum calor à præcordijs recedit ad extrema confugit, ibiq; intenditur, & nonnunq̃ per aliquod spatium immoratur. nos multos vidimus qui post febrem, miram in manibus & pedibus caliditatẽ per spatium quindecim dierum & plurium perpessi sunt. Hippocrates igiẽ inclinationem hic intelligit, in qua caliditas à partibus superioribus ad inferiores descendit.

Petes vero quid agendum sit in synocho, in quo febris nunq̃ inclinat, imo semper in eodẽ statu permanere videntur. Rñdet huic ambiguitati Galenus in. 11. methodi medẽdi libro, inquiẽs quippe si continens fuerit, constat breui finiendã, si igitur ultra septimum progressura non videbitur, protinus continendus à cibo est æger, utiq; si virtutem non defecturam conijciamus. At si uis sit imbecilla, si prorogetur morbus, quid agendum sit eodem loco docet Galenus inquiens, sin ad nonum aut. 11. aut quartumdecimum vsq; progressura videtur, aut etiam in septimo finienda, cæterum ægrum vires infirmiores habere, q̃ vt in tantum tempus sufficiat, necessum erit nutrire. Ac deligere sicuti in re ancipiti cõuenit, quod minus sit noxium, distinguendo id, discernendoq; ab eo quod sit magis nociturũ. Et si huius rei normam quandam petas, Galenus videtur illam ex his innuere, inquiens, idq; tum ex loco affecto unà cum affectu, tum accessionis & principii, & summi etiam vigoris consuetudine siquidem vbi uel iecur vel ventriculum phlegmone prehendit, perniciosissimum est ante accessionem cibare, vbi hęc abest, quibus infirma est uirtus vtilissimum, assolent enim ij qui ita se habent, iocinore quidem afflicto, alui deiectiones vna cum accessionibus inuadere, ore autem ventriculi vexato syncope. In alijs uero animalis instrumẽtis, qđ iam dictis portiõe respondeant, tum ex situs eorum ratione, tum dignitatis æstimabis. At de febribus solis quibus nõ sit complicata phlegmone si petas quomodo sit incedẽdum, ita dicis Galenus, At summi,

vigoris & accessionis principij morem sic consideres censeo, In summo vigore notabis an citra magnitudinē febrilis caloris siccus sit & squallens, an citra siccitatem urens, priorem nanque humectante victu madefacere quā primum oportet, in secundo dum plurimum caloris se remittat, manere, in principij vero accessionis more æstimabis, an corporis extrema perfrigeret & magnā sanguinis reuocationē ad interiora corporis faciat, an omnino corpus non premat, quippe secundum hoc ceu facile contemnes, in priore distinguas opꝫ, nam si absque uisceris phlegmone, aut succorum redundantia motus ad interiora in accessionibus pollet, nihil offendes paulo ante cibās. sin uero phlegmone uel redundantia sit, cauenda est ante accessionem cibatio, ceu res maxime noxia. hæc Galenus de morborū temporibus se inculcātibus. cū ergo de synocho petis, in quo semp adsit æqualitas, & cibare cogamur, hæc adde his q̄ dicta sunt eligendam esse cōmodiorem diei horam vel frigidiorem, vel seruandam naturalem consuetudinem.

καὶ νομίζειν μέγα δύνασθαι τὸν καιρὸν ἐν πάσῃσι τῇσι νούσοισι, οὐχ ἥκιστα δ' ἐν τῇσιν ὀξείῃσιν. idest, Et occasionem valere admodum putandum in omnibus morbis, maxime uero in acutis. Nam vbi agendi occasio est magis præceps, tunc magis consideranda est, & ex his quæ occurrunt agenda nihil prætereūdum, sed in acutis agēdi opportunitas est magis præceps, quàm in alijs morbis, propterea in acutis magis consideranda, cum tamen in omnibus consideranda sit, medicus igitur cum opportunitatem habet cibandi ægrum, illam sinere non debet, quoniam facile præterit. sed est rapienda. & statim cibus exhibendus est, nam præceps est occasio, & deinceps medicus cogetur in tempore cibum exhibere, in quo non conueniet.

μάλιστα δ' ἐν τοῖσι μᾶλλον πυρεταίνουσι, καὶ ἐπικινδυνοτάτοισιν. idest, Potissimum vero in uehementer febre correptis & in summo periculo existentibus, nam hi citissime occasionem mutāt, & ideo debent vtroque oculo intueri, ne prætereant, quoniam deinceps non repetunt. vehemētissimæ enim febres, & periculosissimæ breui finiunt, & in ipsis agendi opportunitas in præceps ruit in febribus vero longis & in tutissimis occasiones veniunt, & per aliquod temporis spatium perdurāt, in quo actiones fieri possunt, nec tam cito transeunt, vt consilium de agendis accipi non possit, & si quæ fieri debent, prætereantur, hic non tam facile occumbit, in acutis vero si actiones, quæ fieri deberēt, prætereātur, æger facile occumbit propterea non immerito in his potissimum occasiones considerandas iussit.

GALENVS.

Quomodo dixi vnum quidem esse alimoniæ scopum custodiam virtutis, necessario autem simul morbi affectionem contemplandam esse: ita cibi offerendi tempus ex morbo non prohibente inuenitur. Quantum siquidem ex primo virtutis scopo est, interdum & per accessionum initia alimoniæ existit necessitas, sicuti & in sanis, vbi primum in naturalibus euacuationibus quis ob educationis virium focillatricis necessitatem probe laborat. Sed quoniam in accessionum tum principijs, tum incrementis ingesta alimonia lædere admodum nata sit, ob id differimus ipsius exhibitionem, quāquam corpus ipsum iamiam indigere videatur. Quodnam igitur optimum languentibus ipsis dandæ alimoniæ tempus? Sanè cum moderatissime habuerint, tum thorax, tum venter: deterrimū vero, cum ea deterrime habuerint. Deterrime autem habent in accessionum principijs, moderatissime vero in declinationibus. Constat igitur optimum cibi ministrandi tempus in ægrotantium declinationibus esse. Accessionis autem principium fit calore omni toto ex corpore ad cor, thoracemque concurrente: Incrementum, cum paulatim ad extremas corporis partes sese expandit: Status, cum ex æquo corpus totum occupat. Verum declinatio contrarium principio modum habet, perspirante scilicet caliditate, atque medium corporis relinquente, quod vno ostendit verbo, inquiens, Cum ad pedes calor descēderit. neque enim idem est calidos ex frigidis fieri pedes, & caliditatem in eos transire. Nam descendere cōmutationem caliditatis ex alia parte in aliā manifestat. Fieri aūt pōt, vt pedes calfiant, manēte in corporis medio caliditate, quod in uigore ipso contingit.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus docet, id constare, quod superius dixerat, vnum esse alimenti exhibendi scopum. s. virium custodiam. Nunc vero notat simul cum hoc scopo affectionem contemplandam esse, & quod eo pacto tempus offerendi cibum ex morbo non prohibente inuenitur, vnde si quis consideret primum exhibēdi alimēti scopum, qui est virium custodia, quandoque & in accessionum principijs, cibum sumendi necessitas adest, sicuti adest & in sanis, quando quis primo in naturalibus euacuationibus ob necessitatē focillatricis educationis uirium probe laborat. verum quia & in accessionum principijs, & in incrementis cibus sumptus lædere aptus est, ob hoc eius exhibitionem differimus, quāuis corpus ipsum indigere videatur. Quod legitur ita cibi offerēdi tempus, græce est καιροῦ μὲν τοῦ. ad exquisitiorem intellectionem iuberem vt verteretur ita, cibi offerendi occasio.

Quod legitur sicuti & in sanis, ubi primum in naturalibus euacuationibus quis ob educationis virium focillatricis necessitatem probe laborat, Græce est ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῶν ὑγιαινόντων, ὁπότε πρῶτον ἐπὶ τῶν φυσικῶν γιγνομένων κενώσεων ἐγγύς ἐστί τις τοῦ κάμνειν ἀναλύσεως αὐτῷ χρεία. idest, Sicuti & in sanis, quando primum in euacuationibus naturaliter factis aliquis prope ægrotationem est ob resolutionem ex indigentia ipsius cibi. vt notet in naturalibus euacuationibus, quando ex cibi defectu resoluuntur homines propè laborant, nisi succurratur.

Ex hoc Galeni loco tria colliguntur, primum scopum exhibendi cibum esse vires, nam cum maxima adest indigentia, tempora non considerantur, imo scito, vbi maxima est indigētia, tempora non sunt recte distincta, sed quædam adest morbi continuitas, quæ eodem ferè modo semper sequitur, secundum est, affectionem morbi. i. essentiam ipsius morbi, & illam considerandam esse, quando cibum damus, nam ex morbi genere, an cibus dandus sit, vel non sit, comprehendimus, & an talis vel talis dari debeat. Tertium est dandi cibi occasio, quæ ex morbo accipitur, non prohibente, & ex morbi temporibus, quæ cibum dari non prohibent.

Secundo Galenus de ægris ambigit, quodnam sit optimum cibandi tempus? Respondet id esse quando moderatissime se habent & thorax & venter. deterrimum uero tempus, quando hæc deterrime habuerit. Si uero petas in quo tēpore deterrime se habeant. Respondet in accessionum principijs, moderatissime vero in declinationibus se habent, vnde hoc omnibus rem probe noscentibus constare debet optimum tempus administrandi cibum esse in declinationibus, itaque res constat de particularibus morbi temporibus. principium accessionis fit calore omni, toto ex corpore ad thoracem & cor cōcurrente. Contrahitur nanque calor in principio, et extrema relinquit exanguia & frigida. in incremento uero calor paulatim ad extremas corporis partes sese expandit. in statu hic calor ex æquo totum occupat. in inclinatione vero res econtrario quàm in principio succedit, tunc enim caliditas perspirat, & mediam corporis partem relinquit, hocque vno ostendit verbo cum dixit. cum ad pedes calor descenderit, tunc enim Hippocrates inclinationem intellexit, in qua calor medias corporis partes relinquit, & ad extrema tendit, potissimumque ad pedes, sed & ad manus, nempe uolam manus summe calidam sentiunt, qui in febrium inclinationibus sunt. scito vero hoc non esse tam necessarium, ut in omnibus opus sit has partes concalescere, & calorem ad ipsas extendi, in multis tamen fit.

Petes vero cur de thorace & ventre solis, & nō de alijs membris mentionem fecerit cum moderatissime se habent? Respondemus, quia hæ duæ potissimum partes illæ sunt quæ afficiuntur, nā in thorace calor accensus est, & ab eo per totum corpus expanditur. si cibum demus priusquā febris ad inclinationem peruenerit, exaugetur hic calor, & ob cōpassionem vētriculi á

grauior effectus ſepti trāſuerſum trahit,& pectus conſequenter male afficitur,& in ventre etiam calor exæſtuat, nam et circa præcordia & ilia vehemens calor adeſt,& cibus in ventriculo tunc ingeſtus corrumpitur. Sed de principio & ſtatu petes quodnam tempus ex his deterius ſit ad cibum exhibēdum, nam hic Galenus innuere uidetur peſſimum tempus omnium ſumendi cibum eſſe principium,de conſiſtentia vero hoc non dicit,tamen ſcito nocumenta quæ principio cōtingunt,ab omnibus morbi temporibus participari,quæ vero vigori ſummo tantum participantur,à vigore ſolo & inclinatione , tamen reſpectus aliqui maiora poſſent in conſiſtentia, quàm in principio ex cibo nocumenta,& econtrario inferre.

Scitoq; hanc temporum diſtinctionem ex calore ſecundū Galenum,eſſe diſtinctionem temporum particularium . Etenim vniuerſala tempora ex materiæ coctione diſtinguuntur,principium eſt quando nondum cocta eſt,vel obſcuram habet coctionem,augmentum quando coquitur,ſtatus cum vltra additur coctio,inclinatio cum iam coctum eſt exquiſite,quod coqui debebat,& omnia quieſcunt,in conſiſtentia perficitur , in declinatione uero quæ immediate ſequitur ſtatū, eſt perfecta, tamen poſſemus & hoc de caliditate particulari attribuere materiæ,quæ in particulari acceſſione ſua facit tempora.

Tertio cum aliquis putare poſſet,ex his verbis, cum ad pedes calor deſcēderit, intelligere pedes eſſe frigidos,& tūc cibādos, quando calor ad pedes deſcenderit & ſint calidi , propter hoc Galenus notat,non eſſe idem dicere calidos ex frigidis fieri pedes,& dicere caliditatem in eos trāſire, nam deſcendere ſignificat commutationes caliditatis ex alia parte in aliam . At fieri poteſt vt pedes caleſiant,in corporis medio caliditate manente,quod in vigore contingit . At nunc pedes calent,quia ſuperiores partes febrilem caliditatem quam habebant remittunt, & maiorem caliditatem acquirunt , quàm prius haberent extremæ partes.

## Hippocrates. Sectio XLVII.

**In primis autem & maxime cremore , dein de ptiſana vteris , præſcriptis coniecturis diligenter attentus.**

### BRASAVOLVS.

Ex his quæ ſuperius dicta ſunt docuit Hippocrates , quādo ſolus potus vſus eſſe debet,quando ptiſanæ , & quando cremoris,nunc vero id monet,cum volueris ægrum vti ptiſana, qui prius illa non vtebatur,ſed ſolo vtebatur potu,hunc ordinem ſerua.primo cremorem dato,imo & paucā cremoris portionem,poſtea auge cremorem, deinceps ad ptiſanam deuenies,poſtea ad alios cibos,idq; ordinate facies atque perfecte, ſi præſcriptas coniecturas in mentem reuocabis,nam opus eſt in his intelligere Hippocratem quibus nihil dat,vel ſolum potum,niſi poſt ſeptimum in his equidem quādo cibare incipies, non eſt à ptiſana ordiēdum,ſed ab eius cremore,& pauco, deinde pluri,denique ptiſana,nā in alijs in quibus à principio danda eſt ptiſana,ſuccum præmittere nō debemus,ſed potius ptiſanam ipſam,& cum ſummo vigori appropinquamur,ſolum dare cremorem,in ipſo vero vigore nihil dare.

χρῆσθαι δ' πρῶτον μάλιστα μὲν χυλῷ ἔπειτα δ' πτισάνῃ. idest , Primum vero maxime cremore vti oportet , poſtea ptiſana,intellige cum ad ſeptimam vel nonam diem perueneris,vel ad illam ad quā vſq; ægrum ex ſolo potu ſeruaſti.

κατὰ τὰ τεκμήρια τὰ προγεγραμμένα ἀκριβῶς θεωρῶν. idest Per coniecturas præſcriptas diligenter attentus. Sunt vero vel in toto hoc primo libro hæ coniecturæ præſcriptæ,vel in propinquis ſolum contextibus , in quibus Galenus dicebat Hippocratem diſtinctius loqui,à ſectione.42. inchoantes, vſque in finem huius libri.

### GALENVS.

Poſtea quàm Hippocrates prædixit quando potu ſolo regere ægrotantes oporteat,& quando ptiſana:nunc quādo cremore ſolo,& quando ptiſana ipſa vtendum ſit,diſtinguit, breui quidem & conſpicua diſtinctione. Nempe ad coniecturas, quas recenſuit,animum conuertens,quiſnam ex languentibus ptiſana uti poſſit,comperies : ſic tamen ut à cremore ipſo exorſus,ad ipſam ſenſim paulatimq; te transferas. Dico autem ſenſim paulatimq;,ut primum quidem ſolo utaris cremore, deinde cremoris quidem plus exhibeas , ptiſanæ autem exiguum: deinceps æqualiter utrunque,mox ptiſanæ plus,atque tādem eam ſolam : ſciens ptiſanam ipſam ad corporis nutrimentum uirtutiſq; robur exuberare,cremorem autem ad concoctionē confectionemq; facilem eſſe . Cum igitur morbi cōditionem virtutiſq; robur vergere ad melius videris,auge & tu ptiſanæ oblationem.

### BRASAVOLVS.

Primo à Galeno notatur: poſtquam Hippocrates edocuit: quando ægri ſolo potu regendi ſint,& quando ptiſana , Nunc de ptiſana & cremore diſſerit,docetq; quando cremore ſolo, & quando ptiſana ipſa vtendum ſit, breuiq; vtitur & clara diſtinctione,nam ſi ad coniecturas,quas recenſuit,attendere volueris,quiſnam ex languentibus ptiſana vti poſſit inuenies, ita tamen vt ab ipſo incipiens cremore : ad ptiſanam ſenſim , & paulatim te transferas,& hoc eſt,quando fueris prius ſolo potu vſus.

Secundo Galenus exponit particulam καταβραχὺ .i. Paulatim & ſenſim,eamq; ob id dictam eſſe cenſet : vt ab Hippocrate innuatur.Primum ſolum debere eſſe cremoris vſum, & pauci,deinde cremoris quantitas augenda,& parum ptiſanæ, poſtea æqualiter,mox plus ptiſanæ,atque denique ipſam ſolam ptiſanam,hoc enim te latere nō debet ptiſanam ipſam ad corporis nutrimentum,& virtutis robur magis præſtare, cremorem vero ad confectionem concoctionemq; eſſe faciliorē, vnde cum videris morbi conditionem , & virtutis robur ad melius vergere,tu quoque ptiſanæ oblationem augeto.

LIBER II.

# ANTONII MVSAE BRASAVOLI MEDICI FERRARIENSIS IN SECVNDVM DE RATIONE VICTVS IN MORBIS ACVTIS

## Hippocratis & Galeni, Commentaria & Annotationes.

## HIPPOCRATES. SECTIO I.

LATERIS dolorem, siue is per exordia fuerit, siue postea obortus sit tentare calidis fomentis dissoluere, non ab re existit.

### BRASAVOLVS.

DE morbis acutis hactenus Hippocrates egit, & sermonem suum ad pleuritim conuertit, & modũ curationis pleuritidis, ex conuenienti uictus ratione edocuit. In hoc autem secundo libro de iisdem acutis morbis pertractat: & suam sententiam iterum in pleuritidem figit: & eius curationis modum edocet, ex parte euacuationis, & applicationis præsidiorum, & ex conuenienti uictus mutatione. In prima uero hac Sectione, & in sequentibus nõnullis de fomentis agit, quę laterali morbo applicari debent. hoc igitur modo exorditur Hippocrates. Ab re non erit tẽtare lateralem morbum dissoluere, siue is in initio fuerit, siue postea incepit, fomentis calidis.

ὀδύνην πλευροῦ. i. lateris dolorem. Dolor lateris, ut Galenus testatur, fit cum ex calida materia latus mordicante & dolorem inducente, tum ex eius copia excedente. Tunc uero uehementior est, cum omnes simul sunt cõmistæ doloris causæ.

Sed de Hippocratis ordine ambigere poteris, qui conueniens esse non uidetur. nam hic debuisset de pleuritico abscessu prius agere, quàm de dolore: cum dolor symptoma sit ab abscessu dependens, qui ex abscessus ablatione remouetur. prius uero causa remouenda est, quàm effectus, & quàm symptoma à causa illa dependens. & hæc est in arte medicinali Galeni regula, primo succurrendum esse causę, quàm symptomati. unde primo Hippocrates debebat uel ab ipso abscessu, uel à causa abscessus incipere. Respondemus plerũq; symptomata ob suam intensionem ad se curationem trahere: ut in laterali morbo dolor est adeo intensus, ut ad se curationem trahat, tamen non despecta etiam causa. Adde & Galenum in. 13. Methodi medendi parum post principium edocuisse phlegmonem esse causam doloris, & dolorem esse causam inflammationis, quando ob dolorem in locum influũt humores, qui inflammationem pariunt, postea dolor crescit, ut alter alterum ad crementum adiuuet. propterea & à dolore incipiens, à causa incepit.

εἴτε κατ' ἀρχὰς γένηται, εἴτε ὕστερον. i. siue in principiis fuerit, siue posterius, sed inquies cum dolor in laterali morbo signum sit (ut inquiũt) essentiale, uel substantiale: quomodo dici potest esse in principio, & non esse in principio, & esse posterius: nam semp concomitatur morbum dolor: Respondemus uel de doloris uehementia intelligere, quia re uera non est semp æque uehemens, & dicat semper quidem dolorem adesse. sed de uehementia loquor, quæ uel sit in principio, uel posterius, cum dolor pleuritim semper consequatur, sed non semper uehemens. uel intellige dolorem esse in principio, antequam uocetur medicus, uel non adesse, nisi posteaquam accesserit medicus. tamen aliquis nonnunquam ægrotare incipit, deinceps quarto die, uel septimo pleuritis detegitur. ut intelligat siue fuerit ab initio pleuritis, siue postea detegatur, fomentis utendum esse.

θερμάσμασι μὲν τὸ πρῶτον, οὐκ ἀπὸ τρόπου ἐστὶ χρεώμενον πειρᾶσθαι διαλῦσαι τὴν ὀδύνην. i. primum calidis fomentis non ab re utile est tentare dissoluere dolorem. ut primum iubeat & ante omnia fomentis utẽdum esse. fomentorum etenim natura, est aperire, & particularem in aliquo loco existentem materiam dissoluere.

Hinc uero multæ ambiguitates ortum habent. quarum prima est. Cur à febris curatione non inceperit, quæ unum est ex maximis quæ lateralem morbum consequũtur, & ab ipsa curatiua indicatio sumitur. Nam Galenus libro. 9. Methodi medendi prope finem dicit febrem perpetuo indicare refrigerandum & humectãdum. Indicatq; deinceps illam esse summam indicationem, quæ à febre sumitur. Galeni uerba hæc sunt, Siquidem, & quia febris plus cæteris omnibus solicitos nos habet. Respondemus febrem in laterali morbo esse quodammodo symptoma. nam in ipso, febris ex dolore augetur, & ab ipso uires colligit. nempe dolor ad thoracem materiam attrahit, quæ inflammata febrem auget, & ex ipsomet dolore febrilis calor augetur. propterea febris non est adeo intrinseca ut dolor uel febris dolorem non inducit, sed dolor febrẽ. Quod uero ex Galeno affertur. 9. Methodi, ad rem nihil facit, quoniam de febribus non loquitur, quę sequuntur abscessus sed indicationem à febre sumptam, indicationibus comparat, quę à temperatura sumuntur: ab ętate, à tempore, à regione, & ab his similibus. In pleuritide uero primum quod magis urget, & hominem necare uidetur, est uehemens in loco tam sensibili dolor.

Sed dices, uideri saltem ab aliis inseparabilibus pleuritidis signis indicationes fuisse sumendas, ut ab anhelitus difficultate & à tussi: experientia enim ostendit longe citius ex anhelitus difficultate obire homines, quàm ex dolore: propterea curationem potius à sedatione difficultatis anhelitus, quàm à remotione doloris exordiri debebat. Adde ab eo curationem esse ordiendam, quod dolorem auget. Constat uero à tussi uehementi & sicca dolorem augeri. Curatio igitur à tussi initium sumere debebat. nam tussis membrum, ubi est dolor, extendit: & partem affectam concutit, quo dolor intenditur. Respondemus, si contemplemur, ob quid dolor in pleuritide cõsequatur, noscemus esse magis proprium symptoma pleuritidis, quàm aliquod aliud. nam ut Galenus in huius sententię commentatione docet, dolor ad duo sequitur: ad malam temperiem in loco contentam: & ad solutionem continui imperfectam, quæ est partium extensio. hæc uero sunt magis intrinseca pleuritidi, q̃ aliqua alia. adde & dolorem magis hominem afficere aliis: nam si perpendas, dolor abscessum auget

quo aucto anhelitus difficultas augetur: imo dolor, Galeno teste in libro de constitutione artis, respirationem impedit: & augetur tussis tum ex dictis, tum quia uis thoracis expultrix, exagitatur, & id expellere nititur, quod expellere non potest. Argumenta uero nihil probant. nam & si ex dolore tam repente non moriantur, ut ex anhelitus difficultate, quãdo sunt separata: tamen simul iuncta dolor auget necessitatem anhelitus, & ita dolor est necis causa. Idem de tussi, tamẽ omnia sunt praua. uerum quę à dolore liberant, ab omnibus alijs liberare possunt. propterea Hippocrates de doloris remotione tantum locutus est: quoniam ad illius remissionem omnia remittuntur, & ad eius augmentum omnia augentur, febris inquã, anhelitus difficultas, & tussis.

Mira tamen in hoc loco differentia est in doloris sedatione apud Hippocratem, & omnes alios Grecos: nam Galenus duo summa in doloribus habet presidia, uenę sectionem, & medicamentum. Galenus profecto in hoc casu à principio statim uenam secat. & Aetius libro.8.capite.68.inquit: Cura dilationem uena secanda est, potissimum si dolor sit circa mãmas usq; ad clauiculam. & Paulus libro.3.capite.33. In dolore usq; ad clauiculam, iubet prius fieri uenę sectionem, notatq; recentes in eo etiam dolore qui ad precordia tendit, uenam secare. Trallianus primo uenam secat, si sanguine abundauerit egeridq; confestim facit, quando in supernis partibus sit inflammatio. Celsus libro.4.capite.6.& ipse ait, Remedium uero est magni & recentis doloris sanguis missus. notatq; id fieri in principio nam addit. Siue leuior, siue uetustior casus est, uel superuacuum, uel serum id auxilium est: confugiendumq; ad cucurbitulas est, ante summa cute incisa. ut manifeste appareat id fieri uoluisse in principio: cum iudicet si tarde fiat, nihil prodesse. Omnes igitur authores fomentis uenę sectionem premittunt uel medicamentum. Curatio igitur non est à fomentis inchoanda, ut facit Hippocrates, si authores alij digni fide sint. Preterea fomenta sunt particularia presidia, quæ uni particulari parti opitulantur. Est uero Galenica sententia in.4. Methodi, primo adhibendam esse curationem toti, quàm parti. Inuehitur in Thessalum, dicitq;: Si oculus debeat curari, prius curandum esse caput: & si capiti præsidium afferri debeat, primo toti corpori id esse exhibendum. At à fomentis incipere est à particulari curatione & unius partis euacuatione incipere, & non à toto, quod prius erat euacuandum quàm pars. Idem de abscessibus & inflammationibus dicit Galenus. 13. Methodi.

Respondemus præmittenda profecto aut uenę sectionem aut medicamentum, priusquam particularia applicentur presidia. idq; omnes antiqui medici fecere, & recentiores faciunt, & Arabes ac Mauritani seruarũt. Imo & ipsemet Hippocrates. nempe Hippocratem intelligimus præmisisse fomenta, ut experiretur, an dolor absq; uenę sectione, aut medicamẽto dissolui posset. Vnde illud mihi non displicet quod à nonnullis dicitur, Hippocratem in presentiarum uti curatione tentatiua. Nam cum medicus uocatur, & ad ęgrum accedit, si statim nouit hunc habere plethoram, & pleuritim pati ueram, sitq; pertingens ad clauiculam: statim uenã secare debet, & nihil prius tentare. Si uero corpus fuerit cacochymum, & pleuritis sit uera, & dolor ad precordia usq; pertingat, secundum antiquos & Hippocratem dandum est medicamentum. Nostro tamen tempore, & Pauli tempore in hoc etiam casu uenam incidunt & perpetuo incident. At si medicus ad ęgrum accedens, qui lateris dolorem patiatur. ignoreturq; an sit uera pleuritis: quia suspicio est, ne sit flatus qui illas partes extendat, & dolorem inducat, anhelitus difficultatem, & tussim, & adsit febris, imo poterit esse uera pleuritis, sed à pauca materia, & corpus non habebit plethoram, neq; cacochymiam: in his casibus tentandum est, an possit dolor aboleri fomentis. & hęc nuncupata est à recentibus curatio tentatiua. Imo si Hippocratis uerba contemplemur, ipsum tentasse ostendunt, nam dicit πειρῆσθαι διαλύειν, i. tentare dissoluere. cum medicus uidet dolorem sedari & dissolui fomentis: iudicare debet aut fuisse flatum, aut paucam materiam quę dolorem faciebat. itaque progredi debet, quousq; in perfectam sanitatem reducatur. Si uero fomentis non remitteretur, neq; cessaret dolor: iudicandum est non esse flatum, sed adesse magnam materię copiam, quę solis fomentis solui non potest. unde ad uenę sectionem transire oportet, aut ad medicamentum ut exigitur. de qua re Sectione X. huius libri peragemus. Non possum igitur opinari, Hippocratem summum in re medica uirum, huius morbi curationem à fomentis incepisse, nisi ut experiretur, an pauca esset materia uel flatus. nam fomenta ante euacuationem materiam ad locum trahunt, in quo fiunt. propterea cum uideris inesse copiam materię, & fixam, & non flatum: ad euacuationes transire oportet. fomenta preterea quæ in hoc casu ab Hippocrate fiunt, mitia sunt, nam acria materiam attraherent. Ad illud igitur quod antiqui omnes non à fomentis, sed à uenę sectione incepere: ita fieri oportere concedimus, quando de materię copia & pleuritide certi erimus. fomentis uero antiqui probare nolebant an flatus essent, uel pauca materia quę facile resolui posset, & ad locum nihil aliud traheretur. tamen si tentare uoluissent, Hippocratis more per fomenta incepissent: ut multi nostro tempore medici agunt. Nosq; in ambiguis casibus semper à fomento incipimus. Et si fomenti genus petat: illud fieri iubemus, quod ex milio fit, & sale: addimusq; furfurem. In applicatione uero fomenti id notato: si prima qua applicatur uice dolor augeatur: non est sistendum, quin & secunda uice apponatur, & tertia: si deinceps creuerit dolor, ad euacuationes progredi opus est. tamen & uenę sectionem fieri iubemus, & fomentum, quando corpus plenum est, & cum à sanguine pleuritim factam esse uidemus. Mos uero presens omnium medicorum est, statim, nulla re considerata, uel plethorę, uel cacochymię, uel dolor sit tendens ad clauiculam, uel ad precordia, sectione uenę semper uti. Sed dices, nónne errant? Respondemus, procul dubio errant, nisi prius tentarint, an uera sit pleuritis, uel non sit, nisi alia uenę sectionem experierint. & ita Pauli tempore errabant, qui uenę sectione semper utebantur. tamen, cum nostri temporis homines plethoram ferè semper habeant, hunc suum morem tutius seruare possunt: quoniam & si non esset uera pleuritis, tamen ratione plethorę sectio uenę conuenit. Forte dices, Impossibile uideri à flatu eiusmodi dolores fieri posse. Respondetur: Imo & à flatibus fiunt pelliculas extendentibus, & qui musculos ingrediuntur intensissimi dolores: ex illaq; lęsione siccę fiunt tusses, & anhelitus difficultates: imo ex dolore febres accenduntur, uidenturq; hi dolores ex materia pleuritis esse, & sunt, sed non habent abscessum, neq; inflammationem, quę ad maturitatem perduci debeat. At flatu resoluto desijt dolor, & morbus. Ad illud uero quòd totum prius sit euacuandum quàm pars, fatemur in curatione illa quę non est tentatiua. sed hic Hippocrates tentat, non curat è directo. At dices, si ex flatu esse prenouerimus, exercebimus'ne solum hęc fomenta ab Hippocrate posita? Respondemus ad calidiora deueniendum esse, & quę uehementius resoluant.

Alia quoque ambiguitas est non prætermittenda: de qua Auicennę sectatores in.3. libro multum gladiantur. est uero de his quæ prima uice applicari debent, an resolutiua esse oporteat, ut Hippocrates docet: uel repercussiua, ut est generalis regula apud Galenum in libro artis medicinalis, quòd repellentibus in principio uti debemus, postea repellentibus & resoluentibus, denique resoluentibus. Certum uero est Hippocratem à resolutiuis incipere, & non à repellentibus: cum omnia fomenta de quibus agit, resoluant, & non repellant.

Adde si in hoc casu repellamus, & materia retrahatur & compellatur: ad cor repellitur, & ad pulmones. at nunquam repercussio ad principalia membra fieri debet.

Preterea

Praeterea quae repercutiunt, curationi pleuritidis sunt penitus opposita. nam pleuritis calida & humida concoctionem acquirit, repellentia uero frigida sunt atque sicca. Respondemus in pleuritide nullo tempore repellentibus uti debemus, ut Auicenna testis est tertio canone fen. 4. de curatione apostematum partium pectoris: quem in recte dictis despicere non debemus. Inquit uero nullo pacto in his abscessibus pectoris adhibenda esse repercussiua, quia prohibent maturationem & sputum: quanquam ex eodem authore libro. 3. fen 10. tractatu. 5. capite. 3. regula haec de repercutientibus colligatur. Repercutientibus in praedicto casu uti possumus, si materia sit pauca, si adhuc in principio, & uenae sectio praecessent. Nos igitur dicamus, repellentium usum in pleuritide non conuenire, quia supra locum poni debent. At inflammatio intus est: supra quam non possunt poni repellentia: & quamuis externus applicentur, difficulter repercutere possunt. Galenusque in. 12. Methodi de iecinore & uentriculo, inquit, Adstringentia his posse apponi. postea de pectore agens dicit: parcius uero ad pectus, quàm ad ea (.i. iecur, & uentriculum) est adstringentibus utendum, quãdo talia humores qui phlegmonem excitant, in pulmones & cor nonnunquam reprimunt: quamuis Galenus simpliciter non neget non uti posse, forte erit in casibus ab Auicenna praedictis, nam simpliciter non negare, non est aperte prohibere. propterea nos illos aberrare dicimus qui repellentibus utuntur & restringentibus in pleuritide. Argumentum uero, quo probatur, in abscessuum & inflammationum principiis semper esse repellẽdum: omni alia in parte uerum est, sed non in pectore: ubi periculum maius consequi posset, quàm iuuamen. & in illis loquitur inflammationibus, supra quas possunt apponi praesidia & repercutientia, nec periculum imminet de materiae transitu ad partem corporis praecipuam.

Vna uero est non spernenda in Galeno & Auicenna contradictio. nam Galenus primo huius uoluminis libro Sectione. 27. illum reprehendebat, qui lentes cum aceto in pleuritide praebuerat, atque fuisse causam mortis: & nullum sani capitis lentem dare in pleuritide. At Auicenna praecitato loco de curatione dolorum pectoris agens inquit, & cibi eorum sint sicut lentes cum acetositate & similibus. Imo & sibiipsi contradicit Auicenna: nam prius dixerat, & non dentur in potu infrigidantia stiptica: mox dat lentes cũm aceto, quae infrigidantia sunt styptica. profecto excusari non potest Auicenna, imo recentes, qui Auicennam à calumnia defendere uolunt, inquiunt, ut plurimum non concedi. Putamus nos cum Auicenna fuerit aggregator ex aliis authoribus, eam sententiam ex illo authore collegisse, quem damnauit Galenus. Scito tamen nos quandoque uti frigidis, cum materia fuerit ualde biliosa, nunquam tamen frigidissimis utemur.

De fomentis nonnulla habentur apud Galenum Sectione. 5. sexti commentarii in. 6. epidimiorum.

## GALENVS.

Quod à me saepius est enunciatum, ad memoriam & nunc id reuocare est melius. Nempe quod exponũtur explananturque quae obscuritatem habent dictiones: neque tamen expositores id tantummodo in commentariis faciunt, uerum quoque & ea quae dicuntur in libris in quos commentaria parant, astruunt & demonstrant. Ob eum igitur morem cogor ego & his consentire quos non probo, atque ut plurimum ad ea quae explicatione egent, sententiam meam prodere & efferre. Neque tamen eorum quae in huiusmodi commentariis uera mihi apparent demonstrationes scribo, utpote qui de his peculiariter in eorum unoquoque scripserim: sed solas earum quae caeteris in tractationibus demonstratae sunt, rerum summas ad memoriam reuoco: quod & hoc loco in mentione doloris sum facturus. Ergo quòd dolor in sensilibus fiat corporibus, cum ea ipsa in id quod praeter naturam est, subito simulque transmutantur, diximus & in libro de elementis secundum Hippocratis mentem, & in eo quem de symptomatũ causis fecimus. Praeterea & quonam pacto transmutatio ea bifariam fiat, corporibus huiusmodi aliàs tum subito simulque, tum uiolenter secundum qualitatem alterascentibus, alias unitatis dissolutione. Alterantur autem subito simulque ab efficientibus qualitatibus, cum & calfiunt, & refrigerantur, & siccantur, & humectantur. Verum unitas dissoluitur corrumpiturque, ubi corpora illa uel distenduntur, uel comprimuntur. Ad hunc igitur modum dolor lateris in pleuriticis affectibus, de quibus agit Hippocrates, ortum habet. Nam phlegmone illis in locis prae caloris qui praeter naturam est copia, partes eas quae phlegmone obsidentur, per distemperantiam contristat, & repletione distendit. Primo autem auxilio si dolor is uel sanari, uel mitigari fomentis calidis possit, tentandum praecipit Hippocrates. Nempe fomenta calida cutim ipsam ad perspirationes rariorem efficere, phlegmonesque sanguinem tum tenuare, tum per halitum digerere consueuerunt. Quae si facta fuerint, non solum sanguinis aliquid euacuabitur, uerum quoque & affectae quae minus distenduntur partes, mitius exinde & mansuetius dolebunt. At cum sanguis in phlegmone non diminuitur, uel etiam spiritus uaporosus ex calore generatur, tunc dolorem augeri contingit. Sanguis autem non diminuitur propter eam quae in toto corpore est, humorum redundantiam. Nam pars quae calore afficitur, plus trahit quàm euaporet. Nempe quae calfaciunt, suapte natura haec ut quod uicinis continetur partibus digerũt, sic & quod redundat ex propinquis trahunt. Cum igitur fomenta calida dolorem non soluerint, corpus totum insigni aliqua uacuatione praeuacuabis. Vacuatio autem insignis in morbis acutis, aut per uentrem, aut per uenae sectionem fit. Quarum alteram adsum praecipit Hippocrates, scoposque eius quae praesidio magis esse possit, edocet. Sũma ergo praesentis narrationis haec est. Verum quae particulatim ab eo dicuntur, & quae multis tum obscura, tum ambigua extitunt, in sequentibus explanabo. Multis dixi: quoniam his qui sese in dictionibus antiquis intelligendis exercuerunt, pauca omnino obscura sunt. At in hisce commentariis intentionem non eò tantum dirigimus.

## BRASAVOLVS.

Primo Galenus notat id quod ab eo superius dictum est, esse in memoriam reuocandum. Idque in prognosticis dixit se explanare & exponere dictiones que habent obscuritatem. hoc uero non solum faciunt suis in commentariis expositores, sed omnia etiam illa, quae in libris dicuntur, in quos commentaria parant: ita esse probant ac demonstrant. unde ob horum morem his ego consentire cogor. quos tamen nõ probo. nam mos meus est & uerus, illa solum aggredi quae explicatione egent, & in his sententiam meam aperire & in medium afferre. Neque demonstrationes scribo earum rerum quae in his commentariis mihi uera uidentur, quoniam de his particulariter meis in libris scripsi. hic uero solum rerum summas, quae aliàs longius tractaui suis in locis, in memoriam reuoco, quod in praesentiarum in mentione doloris sum facturus nam cum de ipso aliàs locutus sim, de illo breuibus nunc transigam.

Quod legitur, Nempe quòd exponuntur explananturque quae obscuritatem habent dictiones, graece est ὡς ἡ μὲν ἐξήγησις ἐπὶ τῶν ἀσαφῶν γίγνεται λέξεων. i. nempe quòd commentationes de obscuris fiant dictionibus, si hoc modo uertamus sententiam, clarior uidetur, quamuis & interpretis expositio idem significet, tamen nobis magis arridet, ut de commentatione & expositione mentionem faciamus.

Secundo Galenus de doloris causa in summa agit, id ferè inferens. Igitur quòd dolor fiat in corporibus sensilibus, quando

do hęc met corpora subito & simul in id quod pręter naturam est transmutantur, in libris de elementis secundum Hippocratem locuti sumus, & in libro de symptomatum causis. Adde, nos etiam edocuisse quonam modo hęc transmutatio in his fiat corporibus, quę bifariam fit. nam quandoq; subito ac simul, & cum uiolentia quadam fit alteratio secundum qualitatem, quando quod integrum est, dissoluitur.
Tertio Galenus notat comprehensim & subito alterari res à qualitatibus efficientibus cum calefiunt & refrigerantur, & siccantur & humectantur. At tunc unitas dissoluitur. quando corpora illa uel secantur uiolenter, uel comprimuntur, nempe non tantum est solutio continui, quando partes actu separantur, sed etiam cum adeo extenduntur, ut sit quędam separatio.

Quod legitur uel distenduntur, uel comprimuntur, gręce est τεμνομένων σφοδρῶς, ἢ θλιβομένων .i. uel uiolenter secantur, uel comprimuntur.
Hic uero dubitabis à Galeno dici alterationem fieri à qualitatibus agentibus, postea agentes qualitates enumerans humidum & siccum unà refert, quas alias passiuas qualitates uocauit, & Aristoteles calidum & frigidum actiuas qualitates, humidum & siccum passiuas censuit, cui omnis philosophorum & medicorum schola consentit. Respondemus, hęc duo humidum & siccum ob id non dici passiuas qualitates, quia non agant, sed quoniam in composito corpore consistentiam dant & firmitudinem, imo ipsę agunt & alterāt. unde & Galenus in libro de constitutione artis, quando numerum quęrit elementorum, & ostendit qualitates alias pręter calidum, frigidum, humidum, & siccum uere non alterare, nam id non faciunt in tota substantia, inquit. calor autem & frigus totam proximę rei substantiam alterare possunt. similiter etiam modo humiditas & siccitas, quamuis hę non ęque cito ac priores, attamen & ipsę tandem subiecta transmutant. Infertq; deniq; & humidum & siccum agere & alterare, sicuti & in calce primi de elementis libri edocuit.
Aliud dubium in Galeno contingit: nam doloris causas referens, duo' refert, alterationem subitam, & solutionem continui· postea alterationem exponens, quæ dolorem facit, simul numerat humectationem, cum tamen dictum sit humidum non inferre dolorem. Respondemus, humidum quidem per se ob humidam qualitatem dolorem non inducere, sed per accidens ut materię iungitur, partes extendendo dolorem inducere potest. hoc à Mesue notatur illa in parte qua de psilio agit. imo Galenum adducit hoc modo dicentem· humida res non transgreditur metam usq; ad quam potest regimen hominis extendi. propter quod non inuenimus humidum esse causam doloris in quantum humidum, sed in quantum potest esse materia, quæ quantitate sua mouetur ad continuitatis solutionem. Idem sensit Auicenna libro. 3. tractatu. 2. primæ fen. capi. primo. cum dicit & complexio quidem humida secundum quod est complexio humida, non efficit dolorem· nisi ibi adsit materia humida faciens dolorem ex parte euaporationis, aut euentus uentositatis facientis solutionem continui, ut faciat Auicenna humidum per accidens inferre dolorem, quando materia est humida, quę partes extendit. Siccitas uero dolorem magis inducit, quando multum excedit, nociuam qualitatem inducens. De his uero qualitatibus adest Galeni sententia in quarto de symptomatum causis, ubi inquit: porro uehementes eueniunt in tactu à naturali habitu transmutationes, ob uiolentum calidi, frigidiq; occursum, atq; ob eas res quæ contundere, secare, extendere, aut erodere possunt. Nam siccitas, humorq;, nisi calori, frigoriq; coiungantur, occursu suo uim inferre non consueuerūt, ut Galenus aperte uelit siccum & humidum ex se dolorem non inferre, hoc tamen non refert in materiam, ut à nobis prius dictum est, sed in actiuas refert qualitates. Ad rem igitur Galenus hic non tantum qualitates enumerat, quę alterantes dolorem pariunt, quatum qualitates simpliciter alterantes, & uere ac secundum totum alterantes. nam & in primo de elementis circa libri finem, probat alias qualitates, pręter primas quatuor elementorum non alterare per totum. Putat ergo duas esse doloris causas, solutionem continuitatis, & subitam qualitatem, sed Auerrois. 3. suarum collectionum libro. capite. 31. ubi de accidentibus loquitur uirtuti sensibili superuenientibus, Galenum in hoc reprehendit, quippe uult ipse unam tantum esse doloris causam, prauam. s. qualitatem subitam. Argumenta uero, quibus in Galenum utitur, hęc sunt. Primo, solutio continuitatis, est causa complexionis, quę dolorem facit. ergo non est causa doloris. Consequentia proba est, antecedens probatur, quoniam solutio continuitatis est cum prauo motu, conueniensq; est, ut talem motum sequatur mala complexio.
Pręterea (inquit Auerrois) in libro de anima declaratum est sensum tactus inter sensus omnes primo sentire. s. quatuor qualitates, hoc est calidum, frigidum, humidum, siccum· ergo dolores non fient, nec ab eo sensu sentientur, nisi quando sua propria sensata multum superabunt, ut aliis contingit sensibus· quia oculus non dolet, nisi propter superfluitatem colorum, quando exeunt uiam temperatam, uel mediam, & sic lingua cum saporibus, auditus cum sonis, & odoratus cum odoribus.
Tertio, si accideret huic sensui tactus dolor, ob continuitatis solutionem, tunc esset suum proprium sensatum substantialiter solutio continuitatis sola· & sicuti oculus dolet ob colorum superfluitatem, quia suum sensatum est de genere colorum, & non res quę sit contraria colori. Sed solutio continuitatis est propter quam accidunt qualitates superfluæ, & anima sensibilis non est nisi ad qualitates. Id confirmat quòd anima sensibilis non sit nisi ad qualitates, ex ipsomet Galeno, qui dixit, uola manus non fuit facta in fine temperantię nisi ad apprehendendum contraria. Et ad hoc apparet quòd superfluitas contrariorum est causa doloris, qui fit in sensu, eo quòd parum, & multum de necessitate sunt sub eodem genere. & delectatio quę est contraria dolori non est nisi comprehensio sensati temperati & similium, sicuti delectatur sensus tactus ex aqua calida, & uisus ex coloribus uiridibus, & gustus ex saporibus dulcibus, & auditus ex amoenis uocibus, & odoratus ex odoribus aromaticis. & quasdam delectationes pręcedit molestatio, & illę sunt delectabiles naturę, & quędam sunt absq; molestatione pręcedente. Hęc sunt argumenta, quibus Auerrois utitur in Galenum ad uerissimam eius sententiam euertendam.
Hicq; author Auerrois nō contentus impugnasse Galenum, secundo argumento pręscripto utitur in Auicennam· quem putauit uoluisse duas esse doloris causas, solutionem continuitatis, & frigiditatem ac caliditatem. Intellige uero quòd hęc duo simul sint ad dolorem inducendum. In hoc uero mētitur Auerrois. nam Auicenna libro primo, fen. 2. doctri. 2. summa prima, capite. 19. expresse Galeni sententiam refert de solutione continui, & subita qualitatum mutatione, quę singulatim dolorem pariunt, quem & simul iuncta inducunt. imo expresse in. 3. libro, fen prima, tractatu. 2. capite. 2. ipse ponit doloris capitis causas, quem sodam uocat, calidum, frigidum, & siccum. addit uero humidum non esse causam doloris, nisi per accidens, ut est in materia, quę uel per se continuum soluat, uel in flatus reducta idem faciat. Nos igitur Galenum ab Auerroe defendentes, & Auicennam simul defendemus. Constat Galenum plerisque in locis, doloris causas pręscriptas esse censuisse, ut. 12. &. 13. Methodi, &. 2. de locis affectis. ubi ex frigidis digitis statim igni approbat dolorem ex subita fieri qualitate. & in arte medicinali, ubi loquitur de inęquali temperie. & in. 4. de symptomatum causis· imo adest in promptu ratio, qua suaderi potest dolorem, & ex continui solutione, & ex subita mutata qualitate fieri posse. Nam in corpore humano quę sunt principales naturę.

rę.s.temperies, & compositio. propterea & duas esse doloris causas dicere conuenit, quę causę cum duabus illis naturis proportionem habebunt. nam delectatio est, quando temperies fuerit optima & compositio. si uero unum uel aliud, uel utrunque simul fuerit disproportionatum, conuenit ut dolorem inducat. Intellige uero disproportionatum ut dolorem inducere possit· non enim omnis inęqualis intemperies, neque omnis solutio continuitatis dolorem inducere possunt.

Continui uero solutionem dolorem inducere posse per se absque coniunctione qualitatis ex his suaderi poest· quoniam dolor statim inducitur parte incisa, uel continuitate soluta. tamen in tam breui tempore non potest esse inducta praua qualitas. Solutio igitur continui de se absque praua qualitate est causa doloris. Consequentia conuenit, antecedens probatur. nam subita alteratio quę dolorem facit, per alterationis motum efficitur. At continuitatis solutio fit per motum localem, sed alterationis motus à locali motu separari potest, ut ab Aristotele primo de physico auditu probatur contra Parmenidem & Melissum. Igitur & quod ab hoc motu dependet separari potest ab eo quod ab alio motu dependet. Dolor igitur, qui ab alteratione fit, & dolor qui fit à motu locali hoc est ab incisione, separari poterunt, & ita dolor à solutione continui, à dolore qui à subita fiet mutata qualitate distinctus erit.

Pręterea si in cōtinui solutione alteratio semper esset causa doloris, opus esset dolorem semper eodem modo sentiri, & eadem ratione, & in eadem dispositione, ut fit quando qualitas alterat. tamen oppositum contingere uidemus: nam eodem modo non sentitur dolor à solutione continui, & à qualitate mutata. hoc ex Galeno probari potest secundo de locis affectis libro post principium, ubi docet diuersum esse dolorem à solutione continui, ab eo qui est à praua qualitate. Casumq; in seipso refert, cui contingit dolor uehementissimus, ut ipsi uideretur in intimo uentre terebro perforari in spatio à renibus ad ureteras sibi imponi iussit clysterem ex rutaceo, quem cum eiiceret, humorem uitreum à Praxagora uocatum cum grauissimo dolore simul eiecit· quippe uitro fuso tum dolore tum substantia haud absimilis erat, hic color talis erat, ut terebro perforari uideretur locus. perforatio uero est continui solutionis dolor, & non prauę qualitatis· ut eo loco egregie ostēdit. propterea à dolore distinguitur, qui fit à qualitate mutata. imo ille uitreus nuncupatus humor adeo frigidus est ut dolorem ex qualitate non inducat. potius enim stupefacit, uel dolor ex frigiditate mitis est. Ex his ergo nemo inficias ire potest dolorem ex solutione continui, à dolore secundum qualitatem esse distinctum. Auerrois autem in hoc deceptus est, quia semper uidit ad continui solutionem qualitatem mutatam sequi. inde putauit ex qualitate mutata omnem fieri dolorem, & non considerauit distinctos esse, & quòd unus erat alterius causa, uel unus alterum augebat, nec difficile est argumenta, quæ in Galenum fecit Auerrois dissoluere.

Ad primum, continuitatis solutio est profecto causa doloris, & ad ipsam mala temperies sequitur, quę postea dolorem auget. sed in eo genere non est, in quo est solutę continuitatis dolor. Nam solutio continui, ut secundo de locis affectis habetur, dolorem facit à prauę qualitatis dolore distinctum. unde si quis acu pungatur, idem fit dolor ac si quis ab acri humore corrodatur. hi uero dolores sunt continui solutiones.

Ad aliud dicimus duplicem esse à sensu tactus, sentiendi modum· unus est, quo sensibiles sentiuntur qualitates· alter, quo percussiones sentiuntur & uulnera. Et si in secundo de anima dictum sit sensum tactus esse circa calidum, frigidum, humidum, siccum. id uerum est in una tantum parte, nam & sensus tactus uerbera & percussiones sentimus, & reliqua quę dolorem inducunt, dolorq; ab his factus sentitur.

Ad tertium, eodem pacto non putat Galenus solam continuitatis solutionem esse doloris causam, sed & qualitatem repente mutatam, neque it inficias prauam qualitatem ad continuitatis solutionem sequi, tamen hunc dolorem esse alterius generis censet. nec opus est fugere ad animam sensibilem, quę sit circa solas qualitates, quoniam percussiones etiam per se sentit, & non ob qualitates nam illas immediate sentit. Et quod additur de uola manus quę sit temperatissima, ut contrarias sentiat qualitates, ad rem nihil facit· quoniam & pręter tactibiles qualitates, percussiones etiam sentit.

Imo siquis probe consideret, facilius est defendere doloris causam esse solam continuitatis solutionem, quàm solam mutatam qualitatem. nunc uero dolores intelligo ad tactus sensum spectantes, quoniam hi sunt uehementissimi, ut in quarto de symptomatum causis edocemur, & in tertio de symptomatum differentia· imo inquit ex doloribus huius sensus laborantes, doloris grauitate uicti, seipsos interemere. In aliis sensibus ita non contingit, nam oculos dolor inuadit ob lucis splendorem, aures ob uehementem & asperum strepitum. In olfactu quoque & gustu aliæ quędam molestię eueniunt, prout quilibet horum à proprio sensili dolenter fuerit affectus. Et si quispiam dixerit dolores uehementes in oculis esse atque in auribus· Galenus inquit esse quidem, sed non esse illorum sensuum dolores, sed dolores tactus. Ad rem igitur. facile defendere auderem, omnem dolorem fieri à solutione continui. nam cum duę solum sint qualitates, calidum & frigidum, quę dolorem inducunt, calidi uero proprium sit dilatare & extendere, frigidi coangustare & contrahere· hę extensiones continui solutiones uocabuntur, pari modo contractiones. Calidum igitur, atque frigidum ratione qua dilatabunt, & constringent, hoc est continuum soluent, dolorem inferent. Tamen Galenum sequentes duas distinctas causas sequamur. Sed hęc addere uoluimus, ut ostenderemus Auerrois oppositum esse magis probabile, quàm id quod ipse sequitur. imo & Galenus in libro de inęquali intemperie, prędictam sententiam innuere uidetur.

Pręterea dubitabis, quinam dolor uehementior sit, an is qui ex solutione continui, an is qui ex mutata subito qualitate. Respondemus eum esse uehementiorem qui fit à solutione continui, quoniam ad illam perpetuo sequitur subita mutatio in qualitate, itaque dolor dolorem auget. Sed inquies, & in qualitate subito mutata uidetur esse continui solutio. Respondemus, non est actu solutio, sicuti actu est in solutione continui mala qualitas. Adde, quod subito alterat, non esse adeo repentinum, ut quod subito incidit. propterea conueniens est ut hic dolor sit uehementior, quando uel in summo fuerint causę, uel in ęquali gradu.

Dubitabis iterum, cum dolor sit passio ab una causa dependens, quę est solutio continuitatis, & ab alia quę est subito mutata qualitas, iuxta Aristotelis sententiam in primo posteriorum, necessarium est ut conueniant in uno tertio, quod sit harum causarum uniuersalior causa & suorum effectuum. Datq; Aristoteles in triangulis exemplum. Nam Isocheles tres habet angulos ęquales duobus rectis. idem habet Isopleuros. idem Scalenon. propterea opus est ut hę tres species in unum tertium conueniant, cuius proprie sit passio habere tres angulos ęquales duobus rectis. Id uero est triangulus. Ad rem igitur. opus est id tertium inuenire quod est commune dolori facto ex solutione continui, & ex qualitate ἀθρόως .i. uniuersim & subito mutata. Quid ergo est hoc commune doloris causas complectens? Respondemus hoc negari non posse, hoc tertium adesse, & cum adsit, dici potest esse uehementem improportionem,

quæ ἀλγεῖν .i. quę uniuersim & subito sensili membro contingit, uel hæc improportio fit ex parte temperaturæ per qualitates subito mutatas, uel ex parte compositionis per continuitatis solutionem. Scitoq; dolorem ex solutione continui longe distinctum esse à dolore ex qualitatibus. At de speciebus doloris aliàs agemus.

Idq; prętermittendum non est, hic à Galeno duos solutionis continui modos referri, per scissionem, & per compressionem, tamen in arte medicinali capite. 80. quatuor ponit modos, per incisionem, per exesionem, per fractionem, & per tentionem, & in. 4. de symptomatum causis, dolorem ex his rebus fieri posse docet, quæ contundere, secare, extendere, aut erodere possunt. Respondemus illa quatuor ad hæc duo reducere oportere, nam & exesio est continuitatis dissolutio, qua partes actu distinguuntur. & etiam fractio, unde solutio continuitatis distingui potest in perfectam solutionem, & in imperfectam. perfecta, est cum actu partes separantur: imperfecta, ut cum adeo tensę sint, ut profecto sint separatę, sed actu non appareat.

Quarto Galenus ea quę dicta sunt ad propositum applicat, docens quonam modo ortum habeat dolor lateris in pleuritide, de qua in sententia agit Hippocrates. In illis etenim locis, in quibus est inflammatio, duo adsunt. & calor exuberans, & copia materię. propterea adest distemperantia, quę dolorem parit: adest & materia quæ implet, & partes distendit: ut simul duæ doloris causę contingant, & praua qualitas, & continuitatis solutio. unde necessarium est uehementissimos esse dolores, illos qui in dolore laterali excitantur.

Quinto, Galenus docet Hippocratem primo tentare, si hic dolor calidis fomentis sanari, uel remitti possit. nam fomenta calida uim habent cutem ipsam ad perspirationes rariorem efficere, & ex ipsis etiam inflammationes & sanguinem attenuare, & per habitum digerere consueuerunt. unde si hęc sequantur ex factis inflammationibus non solum aliquid sanguinis euacuabitur, uerum & partes affectę, quę minus distenduntur, ex hoc minus & mansuetius dolebunt.

Sexto autem, tunc ex calidis fomentis fieri iuuamentum, quoties uel materia fuerit pauca, uel tantum flatuosa.

Sexto, Galenus notat cum ex calidis fomentis sanguis in phlegmone non minuitur, uel spiritus uaporosus ex calore generatur: tunc ex fomentis dolorem augeri contingit. Si uero causam pétis cur sanguis non diminuatur, à Galeno talis refertur, non diminui ob redundantiam humorum qui in toto corpore sunt. hæc profecto est regula, quę non fallit: pars quæ calore afficitur, plus trahit, quàm euaporet, & quàm resoluat. hoc fieri intellige quando magna fuerit in corpore humorum redundantia. natura equidem calefacientium est hæc, ut id difflare faciat, quod in uicinis partibus continetur: & si quid redundet, illud ad se trahunt.

Quod hic legitur digerunt, & gręce est διαφορεῖται, interpretari debet per habitum digerunt, & difflare faciunt.

Dubitabis uero in eo quod dicitur, calida in corpore redundante humoribus, plus attrahere quàm διαφορεῖται .i. difflare faciant. Et forte tibi uidebitur calida non magis attrahere, quàm difflare faciant: quoniam, ut philosophi censent, attractio quę fit à calore fit ob uacuum. imo Auicenna libro primo fen prima, doctrina. 6. capite 3. attractionem ex caliditate ad uacuum reducit. unde cum lucernę calor à calido trahitur, hoc ad uacuum reducitur apud Auicennam. At in attractione quæ est per uacuum, non plus attrahitur, quàm diffleatur. Quid ergo est, quod à Galeno dicitur plus attrahi, quàm dissolui? Respondemus, & si Auicenna hæc ad uacuum reducat, tamen nos dicimus attractionem ob uacuum non esse, sed ob calor[illegible], cuius natura est attrahere propinqua. imo & in proposito, & dolor cum calore simul attrahunt. Calor ex sua natura attrahit, dolor male afficiens lęsam partem, ad quam lęsionem natura sanguinem transmittit & spiritus ut opem ferat, tamen magis obsunt. Et quòd hoc non fiat uacui ratione, ex hoc probatur, quia in illa parte plus adest materię, quàm esse debeat: alioqui dolorem non induceret. Igitur uacuum non adest. Adde: cum uacuum nihil sit: quam uirtutem actiuam habere potest, per quam dicatur attrahere? Imo si in his probe consideremus, in quibus attractio fieri uidetur ob uacuum, ut in tubis, per quos ascendit aqua: non fit quia uacuum attrahat, sed natura id facit, ne hoc inconueniens in natura fiat, quod est uacuum. Si uero petas cum aqua ascendit ne detur uacuum, an motus ille sit per modum attractionis uel impulsionis: Respondemus hoc & distinguere & soluere ad naturalem philosophum spectat. nunc non est opus nos rei rem commiscere: satis sit nunc calorem ad se attrahere, quod dum facit, duo agit, attenuat corpora, & illa reddit aptiora ad motum, postea trahit. Aliquis dicere poliet: ignem in lychnio accensum, oleum resoluere quod est in porositatibus lychnii, & ne uacuum detur oleum transmitti: & hoc modo uacuum attrahere, sed hoc uanum est dictu. nam non est uacuum quod attrahat: imo est lucernę calor, qui per se hoc facit, & oleum attenuat, ut facilius attrahatur. hęc alium quærunt locum, quo philosophice disputentur.

Preterea, dicere poteris: cum omnes ferè circa initia humorum copiam habeant, applicatis igitur calida in omnibus maior erit attractio, quàm euaporatio. Respondemus hoc uerum esse, supposito omnes habere talem copiam. sed Hippocrates hoc agit, ut experiatur: an materię copiam habeant: quoniam si non habebunt, ex fomentis dolor dissoluetur: si habebunt non dissoluetur, & ansam capient, aut porrigendi medicamentum, aut uenam secandi.

Denique Galenus infert: cum calida fomenta dolorem non soluerint, corpus uniuersum insigni aliqua euacuatione esse euacuandum. At euacuationis genus non refert, quoniam de illa post hęc agetur. Tamen in acutis morbis euacuationes in genere docet. quippe fiunt aut per uentrem, aut per uenæ sectionem. quarum unam Hippocrates adsumi iubet: & scopos docet, quibus cognoscere possimus quęnam sit magis allatura pręsidium. hęc est, inquit Galenus, huius sententiæ summa. sed illa quę particulatim ab eo dicuntur, & multis uidentur & obscura & ambigua: in sequentibus explanabimus. Et si petas, cur dixerim, multis esse obscura: multis dixi: quoniam illis hominibus qui se in antiquis dictionibus intelligendis exercuerunt, pauca sunt obscura. nos uero in his commentariis non solum in hoc intentionem dirigimus, sed & in alia.

Vbi legitur insigni aliqua euacuatione, in gręco codice abest particula insigni.

In Galenum ambiges, qui inquit alteram euacuationem solam fieri debere: cum tamen in laterali morbo & uenam secemus, & per medicamentum euacuemus. utręque igitur fient euacuationes. Respondemus Galenum intelligere in principio, nam in principio una solum utimur euacuatione. Insurges statim, si in principio medicamentum exhibebimus: contra ipsum agemus, qui in principio nihil mouendum iubet. Respondemus in hoc casu aliquid mouendum iudicat, tum ob dolorem, tum ob materiam quę in locum confluit.

## Hippocrates. Sectio. II.

### Fomentorum calidorum probatissimum est aqua

**est aqua calida, uel in utre, uel in uesica, uel in uasculo, aut æneo, aut testaceo posita.**

FRASAVOLVS

Iam Hippocrates ad fomentorum genera descendit unumq; primo adducit: quod calidum est, & humidum, molle, & nihil penitus habens acredinis, inquiens, inter fomenta calida probatissimum esse aquam calidam. Et ne te fugiat applicandi modus, inquit hanc aquam calidam in utrem imponendam esse, uel in uesicam, uel in æneum uas, aut testaceum. Itaque corpori applicentur hęc uasa aqua calida plena. Intellige uero corpori applicandi illi corporis parti, è cuius regione dolor uexat, hoc est cui subest dolor.

θερμασμάτων δὲ κράτιστον τὸ ὕδωρ θερμὸν. i. fomentorum calidorum optimum est aqua calida. Hic fomenta calida intellige (Galeno teste) illa omnia quę corpus quodammodo calefaciunt. nam de aqua calida aliquis ambigere posset, an pro fomento calido sumi debeat, cum aqua frigida sit, imo & calida infrigidat. Respondemus calidam aquam ratione actualis caliditatis calefacere, idq; mediocriter facit, atque suauiter: unde & suauiter resoluit. & ideo obesse non potest, & parum obesse, etiam si in uera pleuritide ab hoc fomento inceperit medicus. Tamen si medicus de pleuritide esset certus, & nullo indigeret experimento, à fomento incipere non deberet. Cum uero aqua calida uteris, illam semper facias esse calidam. neque permittas tandiu permanere fomentum ut frigescat: sed frequenter muta, & eandem caliditatem serua. Et licet aqua calida quandoque refrigeret, tamen & nonnunquam calefacit, ut in proposito apparet, quando scilicet caliditas mediocritatem excedit, ut à Galeno in Methodo medendi edocemur.

ἐν ἀσκῷ. i. in utre ponitur aqua calida, & loco applicatur. nempe adiunt parui utres, qui aqua calida impleri possunt, & affecto loco commode supraponi. per utrem uero omnia intellige quę ex corio fiunt instrumenta, quę aquam possunt continere calidam.

ἢ ἐν κύστει. id est, uel in uesica. hoc est & commodius & paratius instrumentum ad fomenta quod haberi possit.

ἢ ἐν χαλκῷ ἀγγείῳ. id est, uel in æneo uase. & in hoc etiam uas ponitur aqua calida ad fomenta. Et alia imponuntur liquida fomenta in ipsum, & locis, qui indigent, applicantur.

ἢ ὀστρακίνῳ. id est, uel testaceo. per uas autem testaceum uas intellige ex alicuius animalis ostrocodermatis confecto: ut astaci, cancri, aut alterius ex similibus quod testaceum sit. Inueniuntur enim tam magna conchylia, ut aquæ calidæ iustam quantitatem capere possint. & patenti loco apponi nihil impediet. Nos domi cochlearum testas habemus capacitatis quatuor librarum.

Petes uero, cur Hippocrates de uitreo instrumento mentionem non fecerit, de fictili, de ligneo, & aliis similibus. Respondemus, subintelligenda esse omnia instrumenta optima, quæ aquam recipiunt calidam. & calor extra uas penetrat, & facile corpori applicari potest, tamen uas ligneum caliditatem diu non seruat, & corpori difficilius applicatur: uitreum uas facilius applicatur, & diu caliditatem seruat: figulina & uitrea, in coli intestini dolore, & in ileo, non parum ualere uidentur: quoniam cum propriis decoctionibus plena sunt, non solum resoluunt & attenuant, sed etiam comprimunt, quia grauia sunt, supra locum affectum, quę compressio dolori conferre uidetur. Mesue ubi de pleuritide agit, inquit, inter fomenta humida & sicca medium est uas æneum, aut terreum, aqua calida plenum, & oportet (inquit) ut sit uas amplum conuexum ut ex omni parte circundet. Notaq; uasa ista solida, ut æneum, ostreaceum, fictile, uitreum, debere esse plena aqua, ne agitetur. Vasa autem alia, ut coriacea, ex uesica & utre, debent esse semiplena, ut facilius loco inhęreant. Scito autem in huius fomenti applicatione ex aqua, esse inconstantes authores. & indifferenter de Gręcis, Arabibus, & Latinis intellige. Nam hanc aquam calidam aliqui cum Hippocrate accipiunt dulcem & solam, alii salsam. Alii simul excoquunt camęmalum, alii addunt anethum & rosas, alii alia, ut illis uidetur. At quanto simplicius erit fomentum in hac curatione tentatiua, tanto melius erit. & ideo Hippocrates aquam calidam & dulcem & simplicem omnibus prętulit. Omnes de his fomentis uerba faciunt.

## GALENVS.

Fomenta calida proculdubio uocat, quę corpus quouis modo calfaciunt. Quorum alia prorsus humida, alia sicca, & alia ex utrisque mixta: mordentia pręterea alia, & alia mordendi facultate carentia, & ex iis commixta tertia. Primum igitur horum genus, cuius in dictione meminit, morsu caret, atque humidum existit. Secundum ex utrisque, sicco & humido, mordenti & morsu priuato commixtum est. tertium autem siccum quidem, sed uel mordens uel morsu carens. Quod si & affectiones quæ unoquoque dictorum generum egent recensuisset, orationem profecto suam tanto perfectiorem, melioremq; quanto & legentibus ipsis uberiorem fecisset. Sed quia non recensuit, propterea neque id recensere necessarium erit nobis, qui doctrinam alterius explanamus, non nostram persequimur. At uero quoniam partes meæ sunt contra quàm expositores cęteri agere (nempe illi suis in enarrationibus sophisticas, quæ discentes ipsos ad finem artis nullo pacto iuuare possunt, superseminant quæstiones: ego autem semper quę commodissima sunt prosequi molior) ob id & nunc doctrinæ Hippocratis pręter missa quidem ab eo, sed quę toti sententię dogmatisq; atque uniuersalibus pręceptis quodam accedunt consequio, adiicere non cunctabor. Quanam igitur ratione totus omnis doloribus sępiusculæ adiumento sit, prius dictum est. Dictum quoque & de his est doloribus, qui à fotu nullo pacto, nisi prius uacuato uniuerso corpore, iuuantur. Verum cum hęc fotibus omnibus communia sint, humidi quidem phlegmonis his quę à biliosiore succo factę sunt, opitulantur: sicci uero his quę à tenui aquosoq; sanguine exortę sunt. Perpetuo siquidem contraria contrariorum esse remedia, meminisse oportet. Hoc igitur scopo fotus morsu carentes aduersus mordentes succos prosunt. Mordentes uero, quòd tenuent, contra crassos uiscososq; ualent humores. Eam ob rem quisnam in ea quę phlegmone obsidetur parte euincat humor obseruabis, ab his quę retuli auspicatus, ętate scilicet laborantis, naturali temperatura, anni temporibus, locis, & uita antecedente: & si phlegmone uideatur, ex his quę ipsi tum in colore, tum in magnitudine, tum in duritie, tum in mollitie, conuegerunt. Et si pleuritidem uel peripneumoniam curaueris, ex his quæ spuendo excernuntur. Verum cum pręiata omnis dignotio coniecturalis sit & non scientifica, non certa, cōpertaq; pręsertim ubi in corporis imo sita sit, quę dolore afficitur, particula: ab his inchoare te oportet, quę quàm cętera magis auxilio esse tibi uidebuntur. Quòd si nihil præsidii tuleris, ad alia etiam te transferre conueniet. Dolore autem non sedato, ad aliam totius corporis accede euacuationem. Videtur ergo Hippocrates ab eo incepisse fotu, qui periculo omni uacat. Is autem est, qui minime mordet, humidusq; exi-

stit. Nempe tametsi nihil aduersus malum fecerit, non tamen magnum & insigne afferet detrimentum. Cæterum fotus qui ex aceto, uel orobo, uel sale fiunt, nisi propriam conuenientemq; consequantur affectionem, non solum non salutares erunt, uerum quoque & malum augebunt, utpote qui fortem efficaciam habeant facultatem.

BRASAVOLVS

Primo, Galenus docet ab Hippocrate per fomenta calida in hac parte omnia illa intelligi, quæ corpus quouis modo calefaciunt, uel humectando, uel exiccando, uel cum morsu, uel sine morsu. Et fomentum in sex species distinguit, hoc pacto.

Aliqua sunt fomenta humida, ex aqua.
Alia sunt fomenta sicca, ex furfure.
Alia sunt fomenta mista ex utrisq;, ex aqua et furfure.
Et Alia sunt mordentia, ex sale.
Alia mordendi facultate carentia, ex milio.
Alia tertia ex his commista, ex milio & sale.

Tamen & plura alia sunt fomentorum genera. sed hæc à nobis gratia exempli sint dicta. Primum genus, de quo mentionem hic facit Hippocrates morsu caret. Secundum, de quo in sequenti aget sententia, ex utrisque commistum est, sicco, & humido, mordenti & morsu carente. Tertium uero siccum quidem, sed uel mordens, uel morsu carens. Hippocratesq; orationem & perfectam fecisset & optimam, & legentibus utilem, si affectiones illas recensuisset, quæ unoquoque dictorum fomentorum egent. At quia Hippocrates id non recensuit, non erit necessarium nos illa recensere, qui explanamus alterius doctrinam, & nostram non prosequimur. tamen Galenus ipse deinceps edocebit quibus affectibus fotuum genera enumerata conueniunt. nam Galenus secus procedere statuit, quàm alii faciant expositores. nempe illi quæstiones sophisticas superseminant, quæ discipulos ad finem artis percipiendum iuuare non possunt. Galenus uero semper illa aggreditur, quæ sunt commodissima, & utilissima. propterea illa quæ ab Hippocrate prætermissa sunt, tamen ad uniuersalia artis præcepta consequuntur, Galenus referre aggreditur & explicabit qui fotus quibus affectibus conueniant, & applicari debeant.

At in Galenum ambiges, qui uocat fomenta calida illa quę καθ' ὃν τινῶν τρόπον .i. quouis modo calefaciunt. ut id sentire uideatur. Omnia quę corpus calefaciunt, esse calida fomenta. hoc uero absurdum uidetur. nam ipsemet in arte medicinali in abscessuum curatione, calidum quod applicatur, mediocre esse oportere ostendit. Igitur non omne calidum conuenit, & non omne calefaciens erit calidum fomentum. Respondemus & si in illo casu ad coctionem calido mediocri indigeat, tamen secundum modos abscessuum, & secundum uarias materias diuersis egemus fomentis, de quibus Galenus statim aget. Sed inquies, illa quę uehementer calefaciunt, non uidentur posse dici fomenta. aliqua igitur calefaciunt quę non sunt fomenta. Consequentia constat, antecedens probatur. nam fomenta resoluendi uim habere debent & aperiendi. At calida uehementer uim habent adstringendi, & sistendi. hoc probatur in quinto de simplicium medicamentorum facultatibus libro dicente uehementer calida meatus insensibiles claudere, & prohibere ne materia resoluatur. quod exemplis probari potest in his in quibus fluit sanguis, si nihil ex adstringentibus & frigidis inueniatur, quod claudere possit igne utimur. Respondemus calida uehementer id per accidens facere, quia cutim incrustant, & indurant propterea poros claudunt. per se uero id non faciunt, alioqui calidum omne clauderet. quanquam concedi posset id à uehementissimo calore & igneo per se fieri posse.

Petes præterea. An semper ob humido fomento incipiendum sit, ut Hippocrates facit, supposito nobis esse notam materiam peccantem. Respondemus ab humido incipiendum non esse, quando sicco fomento materia indiget, si tunc fomento uti uelimus, & experiri, an sit pauca materia quæ possit fomento resolui, à sibi proprio incipere debemus. Quid uero sit proprium, statim à Galeno edocebimur. tamen humidum fomentum cum obest, non potest nisi parum obesse.

Secundo Galenus exprimit quibus affectibus fotus prędicti conueniant. Primo uero notat dictum esse, quomodo fotus doloribus frequenter succurrunt. Secundo, de his dictum est doloribus qui à fotu non iuuantur, nisi corpore prius euacuato. hęc uero sunt fotibus communia. Vt autem ad particularia descendamus, humidi fotus hic phlegmonibus opem ferunt, quę à biboslore succo factę sunt. At sicci fotus his opitulantur phlegmonibus, quę à tenui aquosoq; sanguine ortum habent. hęc profecto est perpetua regula, & quę neminem fefellit unquam. Contraria esse contrariorum remedia. unde secundum hunc scopum & hanc regulam, ea quæ dicta sunt, recte applicantur. & ea quę dicentur, recte applicabuntur. si succi mordentes sint, quibus fiunt inflammationes fotus debent esse morsu carentes: at si humores sint crassi & glutinosi, fotus debent esse mordentes, utpote qui humores attenuent. & hęc erit uia uariis affectibus diuersos applicandi fotus.

Tertio, Galenus iubet ob id quod dictum est, humorem esse obseruandum, qui in ea parte uincit, quę phlegmone occupatur. Et si petas, unde id cognoscere poteris? Respondet ex his quę diximus, in aliis libris, ex laborantis ętate, ex naturali temperie, ex anni tempore, ex locis, ex pręcedente uita. adde & ex ipsa phlegmone, .s. ex his uideantur, quæ in colore, in magnitudine, in duritie, uel mollitie contigere. Et si uel morbum lateralem curabis, uel peripneumoniam. ex sputis humoris genus cognoscere poteris. Cum uero tota hęc cognitio coniecturalis sit, etiam si singulatim omnia perpendas, & non sit scientifica, sed incerta, quoniam non procedit per causas, potissimum, quando in aliqua corporis profunda particula adiit affectio. tunc ab his inchoare debes, quę tibi uidebuntur magis auxilio esse, quàm cętera. quòd si ex his nihil pręsidii attuleris, tunc ad alia te transferre conueniet. unde ex fomento, dolore non sedato, ad aliam totius corporis euacuationem accedito. Nec putes Hippocratem & Galenum uelle, huius fomenti usum esse per duos aut tres dies, antequam ad alia te transferas. nam usus solum sit aliquarum horarum: quippe solum tentamus. unde si bis aut ter applicatum fomentum magis obsit, ad alia transeundum. si prodest, prosequendum: si unius diei spatio abeat, ad alia transire non est opus. At si non dissoluitur, ad alia transeundum.

Quod legitur locis, gręce est χώρας regionibus.

Dices uero. quid ętas facit, anni tempus, regio, uita pręcedens ad humorem in parte affecta cognoscendum? Respondemus, coniectandum esse humorem illum qui in toto est corpore, in illa etiam esse parte. in ęstate, in regione calida, in iuuene, qui prius ederit fructus, iudicandum est bilem abundare in toto corpore, & ex sequela in parte affecta esse bilem, tamen necessarium non est. quia & ibi alter humor esse posset.

Scitoq; per πεπραγμένην δίαιταν .i. præcedentem uitam, intelligere & uictus genus, quo ad cibos & potus, & exercitationes, & alia quæ fiunt in uita, quibus humorum uariatio fit.

Quarto Galenus infert Hippocratem ab illo fotu cœpisse, qui omni uacat periculo. hic uero est fotus humidus, & qui

non mordet,

non mordet. nam & si contra ęgritudinem nihil faciat utilis non potest etiam insigne aliquid detrimentum inferre, ut fotus qui ex aceto, uel orobo, uel sale fit. nam si hi fiant, & affectionem propriam non assequantur & conuenientem non solum non erunt salutares, sed etiam & malum augebunt, quoniam & fortem & efficacem habent facultatem: omnia etenim perturbabunt. quod à simplici aqua calida non fit.

De fotuum uero diuersitate nonnulla apud Galenum inuenies sexto commentario in sextum epidimiorum, Sectione quinta.

## Hippocrates. Sectio. III.

Verum prius molle quippiam lateri, ut & mitior & iucundior fotus fiat, supponere oportet.

BRASAVOLVS

Ad perfectiorem fomenti applicationem iubet Hippocrates. priusquam fomentum applicetur, ut iocundius fiat, & minus molestum, aliquid molle lateri supponere oportet, ut lanam, linum, aut huius generis aliud: & præsertim cum in duro corpore fomentum ponetur, ut in uase testaceo, aut æneo, aut uitreo. quia si lateri hęc uasa applicarentur, cum sint ualde dura: dolorem inferrent: quem leuabit molle quid interpositum, ne molli durum immediate coniungatur. In hocq; naturam imitabimur: quę ossa nunquam & carnem simul iungit, quin chartilagines medias interponat, & alia quę prohibent, ne durum immediate molle tangat.

προυποτίθεσθαι δὲ χρὴ μαλθακόν τι πρὸς τὴν πλευρὴν .i. prius autem molle quippiam ad latus supponere oportet: hoc est uel lana, uel linum, uel linteum, uel aliquod simile. Mesue omnia hęc ab Hippocrate accepit. In uesica uero receptum fomentum nihil exigit necessario, quod intermedium sit, ne à duro tenellum offendatur: quia uesica aqua plena ex se mollis est. forte quis uesicam in linteum ponet: ne fumi caput ascendant, & ne madescat locus. tamen causa prima deinceps ab Hippocrate Sectione quarta ad aliud propositum adducetur.

πρηΰτερον εἴη .i. ut sit mansuetum magis: uel, ut alii interpretantur, mitius uel iocundius sit fomentum: ne intensa caliditas locum offendat: nam fomentum applicari debet ualde calidum. si uero linteum, aut aliud supponatur: mitius redditur fomentum.

GALENVS.

Postea quàm in utre, uel uesica, uel uasculo aut ęneo aut testaceo positam aquam lateri exhiberi pręcepit, hac in dictione prius molle aliquid supponi his quę lateri tum quadrare, tum cohęrere debeant, ut nullo pacto angat, prorsusq; iocunda fit eorum quę exhibentur applicatio, pręcipit Hippocrates: cuiusmodi fuerit lana mollis, uel linteum multiplex, uel quippiam eorum quę tum tenera, tum mollia existunt. Sed paulo post de eo qui per spongiam fit fotu agens, nihil supponi iubet.

BRASAVOLVS

Primo Galenus docet, cum ab Hippocrate dictum sit, aquam in utrem poni debere uel uesicam, uel ęneum uas, uel testaceum, postea id uas loco applicandum. hic notat molle quippiam his uasculis quę recepere fomenta, supponendum esse, & id supponendum quod conuenire uisum erit: & hoc supponitur, ne locus mollis quem res dura tetigerit, angatur. Idq; ab Hippocrate pręcipitur, ut eorum quę exhibentur applicatio iocunda prorsus sit.

Secundo Galenus explicat quid per illud molle intelligendum sit, inquiens, id molle esse lanam, uel pallium multiplex, uel quippiam eorum, quę tum tenera, tum mollia sunt. statim uero de fomento quod fit per spongiam loquitur, illi nihil supponi iubens.

Forte dices, imo aliquid iubere supponi, quia iubet linteo uestiendum. hæc autem uestis id est quod fomento supponitur. Respondemus intelligere nihil supponi prꝫter uestem, nam & ipsa spongia mollis est.

Quod legitur, eiusmodi fuerit lana mollis: grꝫce est ἔριον δὲ ἂν εἴη τοῦτο τὸ μαλακόν .i. hoc autem molle sit lana, quamuis & interpretis translatio conueniat, tamen melius est, ut nos diximus, interpretari. nam prædixit Hippocrates supponendum esse aliquid molle. nunc docet quid hoc sit molle Galenus. propterea dicit hoc autem molle, quod. s. supponi debet, lana sit, uel πολύπτυχον ἱμάτιον .i. pallium in multas plicas conuolutum. nam & si linteum quoque sumi posset, tamen græcus contextus pallium dicit.

## Hippocrates. Sectio. IIII.

Vtilis autem & spongiæ mollis magnæq;, atque ex aqua calida expressæ applicatio. Sed fomentum linteo uestiendum: ut uis eius pluſculo sufficiat tempore, permaneatq;: atque simul ne halitus ad laborantis spiritum feratur: nisi forsan & id prodesse aliquando uideatur. nempe interdum prodest.

BRASAVOLVS

Hoc fomenti genus idem cum primo esse uidetur. propterea illi non probe iudicarunt, qui hoc secundum fomenti genus esse uoluere. nam potius alter est modus applicationis primi fomenti ex aqua calida. nempe fieri potest, & id fomentum ex molli spongia & magna, quæ aquæ calidę imposita & expressa, lateri applicetur. Frequenterq; nos hoc genere utimur ex spongia. Notat uero Hippocrates fomentum lineo uestiendum .i. uas uel spongia: ut uis illa calida diutius permaneat, & perseueret: & ne halitus, qui ab aqua calida eleuatur, ad ęgri spiritum deferatur, & simul thoracem ingrediatur: nisi talis sit casus, in quo & hic halitus prodesse uideatur. nam plerunque prodest hunc haurire halitum, & ęgroto conducit.

ἀγαθὸν δὲ καὶ σπόγγος μαλθακὸς μέγας ἐξ ὕδατος θερμοῦ ἐκπεπιεσμένος προστιθέμενος .i. utilis etiam & spongia magna mollis, ex aqua calida expressa, quę applicetur. Spongiam iubet accipi magnam, ut locum ample capiat. mollis uero sit, tum ne locum lædat, tum ut calorem magis seruet: molles enim spongiæ calorem diutius seruant, quàm asperæ, quarum meatus sunt patentiores. potestq; tam mollis spongia absque re aliqua supposita applicari. Recentes à Mesue desumentes aliquid supponunt. Ipse nanq; spongiæ pannum supponit, & cum spongia mutatur, pannum simul mutari iubet. additq; illum pannum antiquum esse oportere, atque siccum.

περιστέλλειν δὲ ἱματίῳ τὴν θάλψιν χρή .i. fomentum uero pallio uestire oportet. Per fomentum, & supradictos fomentorum modos intellige. & hoc particulare quod ex spongia fit. palli uero nomine non quidem linteum, sed laneum pannum intellige, ut fomentis uis diutius seruetur: quod hic expetitur. tamen & linteum esse posset, uel densum, uel multis plicis conuolutum.

πλέω τε γὰρ χρόνον ἂν διαρκέσει, καὶ παραμενεῖ .i. ut uis eius pluri sufficiat tempore, atque permaneat. panno nanque inuolutum non euaporat, propterea uis illa calorifica diutius seruatur: tamen cum remittitur, iterum applicari debet. Scitoq; illos errare, qui uolunt fomenta debere esse mediocriter calida. imo calidissima esse debent, hæc præsertim ex hac aqua, modo ægrum non urant, ut pannis inuoluta calorem transmittant.

καὶ ἅμα ὡς μὴ ἡ ἀτμὶς πρὸς τὸ πνεῦμα τοῦ κάμνοντος φέρηται .i. & simul ne halitus uel uapor ad ęgri spiritum deferatur. nam uapor qui eleuatur, in aerem spargitur, quem ae-

rem æger attrahit, qui uapores, qui in aere sparsi sunt concomitantur, circumpositum pallium prohibet ne hi uapores in aerem deferantur: & consequenter per inspirationem attrahi non poterunt.

ἢν μὴ ἄρα δοκῇ καὶ τοῦτο χρήσιμον πρός τι εἶναι. i. Nisi certe & id utile ad aliquid esse uideatur. cum enim utile uidetur hos uapores attrahere, tunc attrahendi sunt.

ἔστι γὰρ ὅτε δεῖ πρός τι. i. nam ad aliquid quandoque prodest. Et si petas, quando prodest: Respondemus, tunc prodesse cum laterum dolores sicci sunt, & ægri nihil prorsus expuant.

At inquies, In omni laterali morbo conuenire hos humidos halitus per inspirationem haurire, cum uim habeant conquendi sputum, & facile educendi, emolliendi, ac dolorem mitigandi: ut uideatur & in omni laterali morbo, & in omni tempore illius, calidi & humidi halitus inspirationem conuenire: Respondemus, duo esse, quæ prohibent hos halitus inspirari debere: primum est caliditas, quæ febri conferre non potest, sed illi perpetuo obest: aliud est materia quæ pleuritim facit: nam ex his uaporibus augetur, & consequenter uehementius dolet æger. propterea simpliciter dicendum est non conuenire. in aliquo autem casu conuenire potest, quando. s. materia fuerit pauca, & dolor siccus, ut nihil expuat æger. In hoc casu ualet: quoniam & si simpliciter obsit, plus tamen prodesse quàm obesse potest.

GALENVS.

Cætera quidem quæ in dictione continentur, liquida manifestaque existunt: sed de halitu est discutiendum, qui & lædit, & contristat, non spirandi difficultatem caloris incremento solum proritans, sed pulmonis angustiam, quia ob replentem, qui humidus est, halitum afficitur. Solis igitur laterum doloribus tum siccis, tum quibus nihil expuitur, idonea est halitus inspiratio, plus auxilii, quàm noxæ afferens. Hoc igitur in loco scriptum est primum fotus genus: mox ad secundum sese conferens inquit.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus notat omnia quæ in præsenti sententia scripta sunt, manifesta esse & aperta. de uapore tantum & halitu nonnihil discutiendum est: nam & lædit, & contristat: quia ob caloris incrementum spirandi difficultatem proritat. Adde, pulmonis angustiam facere, ob halitum qui humidus est, & replet: ut ob has duas proculdubio causas obsit: nam & calorem auget febrilem, & replet.

Vbi legitur, qui & lædit & contristat, addi debet particula multum: cum græce sit. πολὺ τὸ ἀσῶδες, καὶ ἀνιαρὸν ἔχουσα. i. qui & multum lædit, & contristat.

Secundo Galenus ostendit huius halitus inspirationem, illis tantum laterum doloribus conuenire, qui sicci sunt, & quibus nihil expuitur. nam in his & si aliquid obsit, plus tamen affert auxilii, quàm noxæ. Notatque Galenus hoc in loco. i. ad hanc usque partem primum fomenti genus esse descriptum. nam quod de spongia additum est, aquæ calidæ fomentum non uariat, sed instrumentum quo fit tantum uariat, post hæc ad secundum fomenti genus se conuertit.

Scito autem & spongiam ipsam aliquid agere & exiccare, nosque plerunque filtro utimur, uel panno pro fomento. Raro tamen ex aqua calida fomẽto utimur: sed decoctis utimur, ex maluis, uiolis, capillis ueneris, camomali floribus. ex aliquo prædictorum instrumentorum hac utimur decoctione. frequentissimus apud nos usus est, aut uesicæ, aut spongiæ, aut filtri, aut panni: reliquis non utimur. Tamen in coli doloribus & ilii æneis uasculis utimur, atque uitreis.

## Hippocrates. Sectio. V.

Præterea & hordeum & eruum in aceto ita diluto, ut paulo acidius sit, quam ut quis bibere possit, madefacta perfusaque & feruefacta atque in sacculos coniecta lateri apponuntur: atque ad hunc modum furfur.

BRASAVOLVS.

Secundum fomenti genus ab Hippocrate nunc describitur, quod ex sicco & humido commixtum est, mordenti & morsu carente. hordeum inquit & eruum in aceto madescere debent, & feruefieri. acetum uero tale sit, ut ita dilutum sit, quòd paulo acidius euadat, quàm ut aliquis bibere possit. postea in sacculos coniecta, lateri apponantur. atque ad hunc modum furfur excoquendus est, & macerandus: & sacculo imponendus, atque lateri applicandus.

ἔτι δὲ καὶ κριθαί, ἢ καὶ ὄροβοι ἐν ὄξει. i. Amplius uero & hordeum, uel & orobum in aceto. Hordeum contusum, & ut furfur redactum & in farinam, uel in minimas partes, in acetum poni debet. Idem de orobo agendum est, quippe hic duo sunt intelligenda fomenta, unum ex hordeo & aceto, aliud ex orobo & aceto: tamen & hordeum & orobum simul iungi possent: ex hordeo & aceto fomentum, mixtum est ex humido & sicco, ex mordenti & morsu carente. Ex orobo & aceto, humores crassos attenuat, cõficit & euaporare facit. debet & orobus esse pinsus, & in aceto maceratus, atque feruefactus. Si uero de aceti genere petes: Respondemus tales esse oportere, ut hordei uim uel orobi ad profundum usque penetrare faciat. Hippocrates uero quale esse debeat, ostendit, inquiens.

κεκρημένῳ, σμικρῷ, ὀξυτέρῳ ἢ ὡς ἄν πίοι τις. i. ita temperato ut paulo acidius sit, quàm ut quis bibere possit, aqua huic acerrimo aceto miscenda: tamen non est tanta aquæ quantitas miscenda, quo remittatur aciditas ut bibi possit: nam simul & uim penetrandi amitteret. Si uero dicas, cur acetum non accipit quod ex se acredine careat: Respondetur: quoniam apud Græcos acetum acerrimum est, cum ex uinis fiat uehementissimis, tamen si acetum esset ex se dilutum qualia nostratia quædam, aquam addere non esset opus, uel acerrimum acetum aqua multum magis penetrat, quam acetum ex se imbecillum sine aqua.

δεύσαντα καὶ ἀναζέσαντα, εἰς μαρσύππια ἀποράψαντα προστιθέναι. i. macerata & feruefacta, & in sacculos coniecta apponuntur. Modum conficiendi docet, contunduntur primo, postea in aceto diluto macerantur, deinde ebulliuntur, postea in marsupium uel sacculum imponuntur, & dolenti lateri applicantur. Est uero hic sacculus uel hoc marsupium ex tela uel corio, imo & uesica ad hoc est apta. Vides hoc fomenti genus ex his fieri, quæ decoquuntur, & non ex ipsa decoctione, quanquam & decoctione ipsa uti possemus.

καὶ πίτυρα τὸν αὐτὸν τρόπον. i. & furfur ad hunc modum. nam furfur ponitur in dilutum acetum, & ebullitur, postea in marsupium imponitur, & lateri applicatur. Notaque hæc fomenta esse media inter sicca & humida. cum enim acetum ponatur: est siccum, & siccum quoque furfur, aqua uero humida est: in illo etiam quod hordeum recipit hordeum est siccum, aqua humida. Id uero, quod recipit orobum, eius ratione est siccum, aquæ autem ratione humidum.

BRASAVOLVS.

Petes uero, An molle quippiam fomento supponi debeat: Respondemus, nihil referre. si apponatur, bene est: sin minus, fomentum est in marsupio.

GALENVS.

Hordeum eruumque non semina quæ integra sint, ex aceto & aqua excoquere præcipit, sed prius concisa comminutaque: cõstatque Hippocratem uelle id ex uerbo hoc δεύσαντα. (δεύω siquidem madefacio & perfundo significat) atque aliter ex actione ipsa certior fies. Nempe hoc pacto tum blandior, tum efficacior erit fotus. Furfur denique & hoc pacto parare præcipit: fotus autem huiusmodi, priore efficacior, uirtute aceti redditur. Quòd si & ex orobo paret, conferet sane & is nõ parum. Nempe eruum crassos humores tum secare, tum conficere, tum euaporare potest: atque ob id fotibus huiusmodi utemur, ubi crassos uiscososque humores in ea quæ phlegmone obsidetur parte collectos suspicabimur. Tibi autem sane

id constabit

id constabit ex antecedente uictu, si humores huiusmodi produxerit anni temporibus, & locis, & ætate. Preterea & si beneuoli hi mansuetiq;, quos prius memorauimus, fotus nihil presidii attulerint. Nã ubi de corporis totius repletione distinxeris, cum uidelicet neque huius notæ apparuerint, neque beneuoli mitesq;, hi fotus quippiam iuuerint, succorum existimabis crassitiem, quæ in habitum soluitur, flatuosumq; spiritum, qui ob denegatum exitum contristat, grauatq;. Flatum ergo hunc, parientesq; ipsum humores, præstant discutiunt fotus: & potissimum qui ex eruo parantur. Præterea, & sermonem percurrens Hippocrates, manifeste simul & optime metricam aceti ad aquam temperaturam memorauit. Nempe acetum ita dilutum esse oportere inquit, ut paulo acidius sit, quàm ut quispiam biberit, ut scilicet & acrius ob mordendi facultatem, & aquosius propter operationis ignauitatem uitemus. In incidendis igitur atque per habitum digerendis, tum crassioribus, tum uiscosioribus succis, aquoso oxycrato congruentius fuerit quod acrius. Sed quoniam medicamenta huiusmodi non tolerant quæ phlegmone obsidentur partes, ob id mediam utriusque exuperantię temperiem fecit. Hoc tibi fit secundum fotuum, quos ab initio trifariam separauimus, genus.

ERASA VOLVS

Primo Galenus notat Hippocratem per hordeum & orobum non intelligere semina ipsa integra, sed concisa, & in tenues partes confracta, quæ iubet excoqui in aceto & aqua. Id autem uoluisse Hippocratem constat ex particula διέντα.i. madefacta: quoniam uerbum δίημι madefacere significat. imo ex actione ipsa ita fieri cognosces: nam ita agens, blandior fit fotus & efficacior. Deniq; Hippocrates iubet & furfur ad fotum eodem modo parari. hoc uero genus fotus uel ex hordeo uel ex orobo, uel ex furfure, ratione commisti aceti primo efficacior est. Galenus dicit hunc fotum præcedente efficaciorem esse. quod absurdum uidetur: nam furfur, orobus, & hordeum ex se ad resoluendum efficaciora uidentur, quàm aqua: & orobus calidior est aceto. Respondemus Galenum intelligere quantum sit de penetratione, quia ex ui aceti magis penetrat. Contra inquies, non uidetur acetum dare his ut penetret. nam Galenus. 11. Methodi medendi ostendit acetum esse ualde repercussiuum. his igitur non dabit ut penetrent, cum repercussiuum sit, sed potius à penetratione remouebit. Respondemus, causa cur in his fomentis ponatur acetum, est ut uim quam habent resoluendi ac concoquendi fomenta, penetrare faciat: tamen & si uim habeat repercussiuam acetum, illam amittit ob actualem caliditatem, imo & decoctio illam minuit, quia aceti frigiditatem remittit. Dubitare etiam poteris, esse Galeni regulam in arte medicinali in abscessiuum curatione mordicantia non debere adhiberi. At acetum est mordicans: in pleuritide igitur non conuenit: nam pleuritis abscessus est. Respondemus, quando abscessus est in corporis superficie, tunc mordicantibus uti non debemus. At si in profundo sit corporis, ad quas partes mordicantia non pertingũt nisi cum sua quadam uirtute, adhiberi possunt, nam illuc perueniunt refracta neq; suas integras uires habentia, ob idq; tantum aliis commiscentur ut illa ad loca conducant. Imo & hic aceto aquam miscet.

Secundo Galenus docet, Si fomentum hoc secundum ex orobo fieret, multum conferet: nam eruum uim habet crassos concidendi humores, & conficiendi, & in uapores reducendi. unde hoc fomenti genere tunc uti debemus, quando crassi & glutinosi humores, in parte ab inflammatione obsessa collecti sint. At si petas, quo'nam modo cognoscere potero an humores sint tales? Galenus respondet, ex antecedente uictu id tibi constiturum esse, si talis fuerit uictus qui hos humores producat, & ex anni temporibus, & ex regionibus, & ex ætate. Adde & si fomenta quę prius adhibita sunt beneuola & mansueta nihil presidii attulerint. Nam quando de totius corporis repletione distinxeris, ut.s. repletionis notæ non appareant, & fotus hi mites nihil contulerint: tunc iudicato esse humorum crassitiem quę in uapores soluitur, & inspiritum flatuosum. hic uero flatuosus spiritus exitum non habet, propterea ibidem manens, & partes extendens contristat, & grauat. unde infert, & hunc flatum, & humores ex quibus fit, ab his fomentis discutiuntur, & ab his potissimum quę ex orobo fiunt. nam hic est ordo trium fomentorum in hoc secundo genere positorum. unumquodq; trium, his uehementius est, quę in primo sunt genere: sed quod ex hordeo est, his imbecillius existit, quę in secundo sunt genere. secundum locum tenet furfuraceum: tertium orobeum, cum sit inter hęc tria genera uehementissimum.

Quod legitur, nempe eruum crassos humores tum secare, tum conficere, tum euaporare potest: Interpres hęc uerba, tantum refert ad fomenta ex orobo, tamen Galenus ad omnia refert in hoc secundo genere dicta, ad illa inquam quę ex hordeo sunt, & quæ ex orobo, & quæ ex furfure. In codicibus uero Græcis non adest illa particula eruum. Ita enim dicit ἱκανὴ γάρ ἡ δύναμις αὐτῶν, τέμνειν, καὶ κατεργάζεσθαι καὶ διαφορῆσαι, πάχος χυμῶν.i. uis etenim ipsorum (.s. fomentorum) conueniens est incidere, & conficere, & euaporare facere humores crassos. ut de omnibus loqui fomentis in hoc secundo genere manifestum sit, tum ob illam particulã αὐτῶν .i. ipsorum, tum quia unumquodq; horum in hoc secundo genere fomentorum, incidendi uim habet, conficiendi, & in uapores reducendi crassos humores. Id uero est per magis & minus, nam ex hordeo mediocriter efficitur, ex furfure uehementius, uehementissime ex orobo. Adde uerba quæ statim sequuntur ostendere de omni fotu in secundo genere loqui. uerba autem illa sunt διὸ καὶ παραλειπτέον τὰς τοιαύτας πυρίας, ὑφ' ὧν ὑποπτεύομεν παχεῖς ἢ γλίσχρους χυμοὺς ἠθροῖσθαι κατὰ τὸ φλεγμαῖνον μόριον.i. propterea huiusmodi fomentis utemur (de omnibus in hoc secundo genere intelligens) ubi putabimus crassos & glutinosos humores collectos in ea parte quę phlegmone obsidetur. Illa igitur pars de omni fotu in hoc secundo genere, & non solum de eruino intelligenda est.

Quod legitur, Si humores huiusmodi produxerit, grece est εἰ τοιούτων χυμῶν [illegible].i. si talium humorum generatiuus fuerit. non enim dixit Galenus, Si illos humores produxerit, sed si talium humorum fuerit productrix. nam si produxit non est incedere per coniecturam, sed certe. At si producturus sit ex hoc & aliis an sint tales coniectemur. Præcedens enim uictus si ex cibis sit qui facile in bilem conuertantur, coniectandum est, biliosos humores hunc inesse. Si cibi in pituitam, quos prius sumpsit, facile uertuntur, coniectandum est hunc pituitosis humoribus abundare. Et de aliis eodem pacto discurrentibus, ac coniectantibus.

In anni quoq; temporibus, & regionibus, & ætatibus, eędem contingunt coniecturę.

Quod etiam legitur, parientesq; ipsum humores grece est, καὶ τοὺς γεννῶντας αὐτὸ χυμούς.i. facientesq; ipsum humores. forte librarii incuria id contingit, qui parientes, pro facientes impresserit. uel legendum parientes, & forte interpres ita uertit, facillimum uero fuit chalcographo, r, loco, t, accipe.

Ex hac parte facillime ostenditur cum superius de crassorum humorum attenuatione, confectione, & euaporatione ageretur, de omni fotu in hoc secundo genere uniuersaliter factum esse sermonem. nam illud aperte nunc repetit, hoc modo inferens: flatum ergo hunc, parientesq; ipsum humores, præstant discutiunt fotus (qui in secundo sunt genere) & potissimum qui ex eruo parantur. unde omnes fotus idem faciunt, sed uehementius eruinus.

Tertio, Galenus Hippocratem laudat, qui acetum aqua temperauerit, & temperiei normam ostenderit. ut.s. paulo acidius sit, quàm ut bibi possit, & ob mordendi facultatem ipsum acutius euitemus. esset uero acrius non dilutum. & præterea ipsum quoque uitemus aquosius ob actionis ignauiam. nam cũ minus aquosum est, neq; penetrat, neq; incidit;

propterea à Galeno infertur. In incidendis, atq; per halitum digerendis crassioribus atq; glutinosioribus succos conuenientius fuerit acri oxycrato uti, quàm aquoso oxycrato. At quia partes inflammatione affectæ, quæ neruosæ sunt, & chartilagineæ, hæc non ferunt medicamenta· ob hoc mediam utriusq; exuperantiæ temperiem fecit, simul aquam miscens, & acetum ad datam mensuram, ut bibi non possit. Sunt uero qui poscam .i. dilutum bibant acetum. Nautæ, & qui ui in triremibus detinentur, poscam bibunt, præsertim cum discrimen aliquod subire debet, quo illi exercere coguntur, sed parum aceti multa diluunt aqua, neque acetum ualde acidum esse solet, quod in triremibus seruatur· licet in aliquibus sit acerrimum, ut minor copia satis sit. Deniq; Galenus infert hoc esse secundum genus fotuum, quos sectione tertia trifariam separauit. Quod legitur, propter operationis ignauitatem· græce est, διὰ τὸ ἀπρακτον.

Nota hic accipi, hoc nomen pharmacum, pro fomento, ut uideas, & ad illa ampliari, quę non euacuant.

## Hippocrates. Sectio VI.

**Siccis ex fomentis maxime conueniunt quæ ex sale milioq; frictis, torrefactisq;, atq; in sacculis conclusis parantur: leue siquidem quippiam & beneuolum iucundumq; est milium.**

BRASAVOLVS

Tertium fomenti genus ab Hippocrate refertur, quod siccum quidem est· sed ex mordicationis parte, potest & mordere, & morsu carere· & ex his componi, quorum aliqua mordeant, aliqua morsu careant. unde dicit ex siccis fomentis illa maxime conuenire, quæ ex sale fiunt, & milio frictis, torrefactisq;, & in marsupiis laneis conclusis: nam milium quoddam est lene, ac iocundum

ξηρῶν δὲ θερμασμάτων, .i. ex siccis fomentis. Sicca intellige quo ad uim, & quæ nihil recipiunt humoris: sunt uero siccorum fomentorum multa genera. Ipse uero quæ potiora usa sunt, & minus apta ostendere elegit.

ἅλες, κέγχροι πεφρυγμένοι ἐν ἐριδίοισι μαρσιπποῖσιν ἐπιτηδειότατοι, .i. quæ ex sale, milio fricto rectissime in laneis marsupiis apponuntur. Scito duo esse in hoc tertio genere fomenta, unum ex sale, aliud ex fricto milio, utrunq; in marsupiis per se ponitur, sal etenim uim habet exiccandi, & mordet, ac calefieri debet. notaq; nostrum sal in marsupia poni debere, & adhiberi. tamen lapideum sal in frusta magna calefit, & loco apponitur, uel per se, uel linteo inuolutum. Vsi sumus lapideo hoc sale pro fomento, in Reuerendiss. Hippolyto Cardinali Ferrariēse in uentris dolore, & optime cōtulit. Miliū quoq; est siccum fomentū, sed non mordicat, si uero simul iungant, cōpositio fit, ex exiccantibus mordicātibus, & nō mordicātibus.

Petes uero· An milium adhiberi oporteat integrū, uel pinsum. Respondemus, ex his quę in precedenti Sectione à Galeno de hordeo & eruo dicta sunt, quæ integra non apponūtur, colligi posse uidetur, neq; milium integrum apponi oportere, sed frixum, facilius potest torrefieri, & facilius applicari. Nūc communis est usus integro uti milio. imo quia integrum milium non probe accommodatur, fit communiter sacculus, in quo furfur apponuntur, sal, & milium, quæ omnia sunt sicca, & inter ipsa sal mordicat. Si uero & milium & sal tererentur, tunc facilius torrefactionem reciperent, & sacculo facilius accommodarentur.

Si etiam petas, ob quid marsupia fecerit lanea: Respondemus ob id forte, quia lana uim habet resoluendi maiorem, q̃ linum: nam lana calidior est, & quodammodo spongię naturam habet quo ad resolutionem. uel ita dixit Hippocrates, tamen nihil refert an lanea sint, uel linea. communiter fiunt linea marsupia & sacculi, in quibus hęc imponuntur.

καὶ γὰρ κοῦφον, καὶ προσηνὲς ὁ κέγχρος, .i. etenim milium & lene est & iocundum: nullam enim habet qualitatem, quæ lędere possit, & quę praue afficiat partes. Plinius libro. 22. capite. 25. milium leuissimum esse dicit, & mollissimum. Galenus hoc fomēto utitur ex solo milio in dolore capitis antiquo, quem cephaleam uocant. in. 2. capite libri. 2. de compositione medicamentorum secundum locos, & ex sale fomentum renuit. nam ubi est inscriptio Archigenis de Apophlegmatismis, inquit· Si quis fomentis aut cataplasmatis uti uelit, fomēta ex milio meliora fuerint. quemadmodum enim Hippocrates ait, leue & lene milium existit. Sales uero ob grauitatem molesti sunt. pręsertim capiti admoti, ut hinc discas leuitatem intelligendam esse in milio quo ad pondus, quia non uult apponendum sal ob grauitatem. pręterea; fomenta sicca humidis in. 3. de compositione medicamentorum secundum locos, ubi pharmaca Archigenis adducit ad aurium dolores, & fomenta numerat ex sale, & milio. & in. 5. eiusdem uoluminis libro, ubi ponit remedia Archigenis perforatorum dentium, de fomentis agit· & inquit fomenta ad dentium dolorem faciunt, forinsecus ex sale torrefacto, & milio in sacculos coniectis, aut per sordidos panniculos probe calfactos. Habetur quoq; usus sacculorum apud Galenum milio calido plenorum, quos capiti apponit in capitis dolore. Est in. 3. cōmentario in librum Hippocratis de his quę in medicina fiunt inscriptum, Sectione. 37. In. 2. quoq; de arte curatiua ad Glauconem, ubi de scirrhis agit, utitur in leuibus doloribus fomento ex milio, & fomento ex sale calefacto. Et. 12. Methodi in coli dolore fomento utitur sicco ex milio. Plerunq; nos usi sumus in capitis dolore, & profuere. Scito autem cum difficilius sacculus capiti applicetur si integrum sit milium, quàm si contusum· potius conterendum esse, quàm integrum sinendum: tamen cum parua sint grana, quę simul aptari possunt, & calorem seruare, nihil etiam impediret & integro uti milio. Est uero milium & pondere leue, & exasperanti contrarium· nam non est acre, non acidum, neq; adstringens: estq; suaue, quia nihil habet mordens, & nihil quod uexare possit.

GALENVS.

Cum de sale & milio agit Hippocrates, ad tertium fotuum, quos ab initio distinximus, genus sese transfert. Est autem communis utriq; siccitas: sali uero peculiariter inest siccitas. Milium autem morsu caret.

BRASAVOLVS

A' Galeno breuibus edocetur· cū de sale & milio hic agat Hippocrates, ad tertiū fomenti genus sese transferre. de his aūt intelligo fomentis, quę ab initio distinxit. utrunq; uero & sal & milium siccum est. sal uero peculiariter mordet, at milium caret morsu· nam uel per se, uel mista ponantur, sicca sunt. sal est mordens, nihil mordet milium.

Quod legitur, Sali uero peculiariter inest siccitas· græce est ἴδιον μὲν τῶν ἁλῶν τὸ δακνῶδες, .i. proprium quidem salis esse mordax. & ita legendum esse constat: nam dictum est esse commune habere siccitatem. imo pro maiori parte authores conuenire uidentur, quòd utrunq;, & sal, & milium sint in secundo ordine sicca. propterea dici non poterat, sali peculiariter inesse siccitatem· sed potius intelligi debuit in mordacitate, quia hoc tertium fomenti genus siccum est, tam actu, quàm potentia, & mordax & morsu carens: mordax quidem si simul ponantur sal & milium, ratione salis, morsu carens ratione milii. Si uero utrunq; separatum ponatur, milium siccum est & morsu carens, sal est siccum mordens. Antiqua translatio melius Galeni sententiam explicauit, inquiens, rem propriam salis esse, quòd est mordicatiuus.

De sale uero an mordax sit ambiges, quia mordicantia extreme calida esse debent. Sal uero in secundo ponitur ordine calidus. imo & idem dubium de aceto fieri potest, quomodo mordicet, quia non est frigidum nisi in primo ordine. at extreme frigida sunt quę mordicare debent. Respondemus, & calida proculdubio & frigida mordicare, ut in. 4. de simplicium medicamentorum facultatibus libro, capite. 1. à Galeno edocemur, ubi & diuersos mordicandi modos docet. De frigido autem rationem reddit· quia frigidum quęcunq; contingit, eorum

rum substantiam contrahit, condensat, & constringit. primo autem tenues humiditates excernuntur, sicuti ex oculis lacryma, & ex naribus muccus. postea uero etiam mordax appareat, licet alia ratione quàm in calido. nec enim erodendo quod continuum est, sed diuellendo molestum ac mordax est frigidum. quare nec duris corporibus tale apparet: nam dum mollia contrahuntur, comprimunturq;, humidum exprimi contingit, simulq; partes diuelli. humidum quidem sicut in spongia à manibus nostris contracta compressaq;, diuelli autem, sicut in ijs, quę distrahuntur, diuelluntur q;, siue à nostris manibus, siue aliunde. tale quid raro, molliaq; corpora à frigido perpetiantur necesse est, raritate frigus prompte intro recipiente, multoq; etiam promptius partibus in ea mollibus, quę in profundo sunt à frigore concrescentibus. frigidum itaque spiramenta cuncta in raris corporibus subiens, qualia sunt uulnerata omnia, oculiq;, & nares, ac os, uenterq;, omnes refrigerandorum corporum partes arripit, & quodammodo multis circumquaque ansis eas contrahens, atque condensans à continuis auellit, quæ dum patiuntur, multa fieri spatia inania necesse est, non tantum quia tenues exprimantur humiditates, uerum etiam quia substantia mollis in arctum contrahatur. atque spatium inane in sibi continuis corporibus, seruata etiam num continuitate fieri non potest. ergo si fieri id constet, clarum est illam deperdi, ac corpus continuum distrahi, ex quo molesta mordaxq; sensus exoritur affectio. Hæc Galenus de his quæ ex frigore mordent. ex calore uero quæ mordent, partes corrodunt sensibiles. unde eodem loco differentiam ponit Galenus mordicationis ex calore, & ex frigore. nam & si utrunque continuum soluat, tamen mordens ex frigore illico contractionem condensationemq; facit, quæ sensu percipiuntur. Calida uero quæ mordent, dissoluunt & fundunt. Quin nec par est utriusque affectus celeritas. uerum in refrigerantibus quodammodo tardior & cunctantior est mordacitas. at in excalfacientibus celerrime penetrat. & multa alia à Galeno de mordicãtibus medicamentis & calidis & frigidis dicunt. Notaq; calida & frigida licet nõ sint extreme talia, tamen & in minori gradu mordicant in interioribus, quæ ad exteriora applicata non morderent, ut de sale & aceto patet: nam sal ex compositis partibus compositus est, terreis adustis, & ex partibus aqueis tenuibus. unde ob suam tenuitatem penetrat, & ob caliditatem mediocriter corrodit. partes etenim illæ aqueæ corrosionem prohibent uehementem. propterea mediocriter mordicat, id est solutionem continui facit inæqualem. Acetum ex ui calefactiua accidentali compositum est, quæ ex eius putredine sit, quando ex corrupto uino generatur, & ex ui materiali infrigidatiua, quæ suæ substantiæ tenuitati innititur. unde in aceto est uis penetrans ratione suæ caliditatis meatus aperientis, & ratione suæ tenuitatis sequẽtis caliditatem, quæ subito penetrans illi uiam tribuit, unde aceti frigiditas ad membrum penetrat, quæ & si adeo frigida non sit, tamen repercutit, substantiam membri congregando, & aliquam facit expressionem per quam continuitas parum soluitur. hicq; est morsus, quem facit acetum. De hac uero re Galenus abunde in quarto de simplicium medicamentorum facultatibus agit.

Forte ambiges à Galeno in. 5. de simpliciũ medicamentorũ facultatibus dici, quę mordẽt esse biliosa. at quę biliosa sunt, calida esse constat: igit quæ mordent omnia sunt calida. Respondet, aut intelligit oĩa quę mordẽt calida esse biliosa, aut quę mordẽt cibaria dũ comedunt quę os mordeãt, ut piper, hęc esse biliosa, nã frigida dũ comedunt non mordẽt, neq; in os mordacitatis impressionem faciũt. At quia acetũ adducere posses, quod mordere uidet, scito non mordere ut calida faciũt, sed potius adstringit sumptũ in os, & ex pane masticatum.

Hippocrates. Sectio VII.

## Fomentum huiusmodi, & dolores ad clauiculam humerumq; pertinentes soluit.

BRASAVOLVS.

Tertium fomenti genus uehemens esse nunc probat Hippocrates, inquiens, fomentum hoc adeo uehemens est, ut & dolores ad clauiculam, humerumq; pertinentes soluat, nedum illos qui ad hypochondria uergunt.

μάλθαξις δὲ λύει ἡ τοιήδε, καὶ τὰς πρὸς κληῗδα παρηκούσας ἀλγηδόνας. id est, fomentum uero huiusmodi & dolores ad clauiculam pertinentes soluit, ut sensus sit non tantum soluere extensos ad hypochondria, sed & illos qui perueniunt ad clauiculam, uel ad humerum: ac si sit difficilior solutu, illo qui pertingit ad hypochondria.

GALENVS.

Ex adiectione huius coniunctionis, &, ostendit, & dolores alios soluere, utpote eos qui ad hypochondria pertinent.

BRASAVOLVS.

A' Galeno hic notatur, per additionem huius coniunctionis, &, Hippocratem ostendere fomentum istud & illos etiam dolores soluere, qui ad hypochondria pertinent. Scito tamen hanc sententiam ad tertium fomenti genus uideri referendam, tamen & ad omnia etiam superiora fomenta applicari potest, quæ dolores tam ad clauiculam, quàm ad hypochondria tendentes soluant.

Nota præterea apud Græcos authores infinita essealia, ad hoc propositum fomentorum genera, ut ex Aetio libro octauo capite sexagesimooctauo colligere licet, & ex Paulo libro tertio capite trigesimotertio. & ex Tralliano libro. 2. capite primo. illa nunc prætermitto, quæ & à Mesue & ab Arabibus scripta sunt, quin & Celsus libro quarto capite sexto sinapi ponit cum aceto, & lanam sulphuratam.

Hippocrates. Sectio VIII.

## Sectio autem non similiter tollit dolorem, nisi is ad clauiculam pertingat.

BRASAVOLVS.

Fomenta cuiuscunque sint generis, dolores soluere apta sunt qui in lateribus fiunt, uel ad clauiculam pertingunt, uel minime pertingant, sed ad hypochondria inclinet. At sectio uenæ & si unum sit ex præsidijs quæ dolorem leuant, tamen non similiter omnem dolorem leuat, sed illum tantum qui ad clauiculam pertingit, idem & de medicamento dici posset, quod dolorem quidem soluit, sed non omnem, nempe illum non soluit, qui ad clauiculam pertingit, illum uero tantum soluit qui ad hypochondria inclinat.

τομὴ μέν τοί γε οὐχ ὁμοίως λύει ὀδύνην. id est, sectio quidem non similiter dolorem tollit. supple sicuti fomentum tollit, & per sectionem, uenę sectionem intellige, nam hoc nomen τομὴ, id est incisio, sectio, simpliciter positum, illam significat quæ ex uena fit sectionem, etsi consuetus sit Hippocrates illam uocare phlebotomiam.

ἢν μὴ πρὸς κληῗδα παραείροιτο ἡ ὀδύνη. id est, nisi dolor ad clauiculam pertingat. quoniam, ut deinceps ex Hippocrate colligere licebit, cum dolor ad clauiculam pertingit, uenę sectione indigebimus, cũ ad pręcordia, medicamẽto purgante, ita enim facilius dolores soluunt.

GALENVS.

Sectio, inquit, uenę scilicet, quam non similiter soluere inquiens, auxiliari & ipsam non negauit, sed de huiusmodi auxilio, in sequentibus fusius latiusq; scribit.

BRASAVOLVS.

Galenus notat Hippocratem dixisse sectionem uenę sci-

ficet quę & si auxilium prestet, id tamen non facit similiter sicuti fomentum. tamen in his quę sequuntur fusius atque latius de hoc auxilio ab ipsomet Hippocrate scribetur, idque statim erit, & simul de medicamenti exhibitione uerba faciet, nam sub sectione uenæ & medicamentum intelligo, tamen opus est genus pleuritidis determinare, cui hęc conueniunt.

## Hippocrates. Sectio IX.

**Verum si fomentis dolor non placetur, non diutius calefacito. siccat enim id pulmones, atque ad suppurationem excitat.**

### BRASAVOLVS.

Fomenta, quę ab Hippocrate in laterali morbo applicata sunt, experiundi tantum gratia applicata sunt: experiundi inquam si dolor absque aliis presidiis resolui possit: quia materia sit flatuosa uel pauca, & corpus plethoram non patiatur. uerum si fomentis dolor non soluatur, neque humidis, neque siccis: neque mordicantibus, neque morsu carentibus: noli tu diutius in calefactione prosequi. nam calefactio pulmones siccat, & ad suppurationem abscessum inducit, quod in laterali morbo fieri non debet, ne hi suppurati euadant.

ἢν δὲ μὴ λύηται πρὸς τὰ θερμάσματα ὁ πόνος. id est, uerum si fomentis dolor non soluatur, non uno quidem fomenti genere, sed pluribus, uel illo solo, quod uidetur conuenire, non est semper fomentis procedendum: nam preter id quod obsunt presente plethora, id etiam faciunt quod sequitur, pulmones nimis exiccant, & ad suppurationem conducunt.

οὐ χρὴ πολὺν χρόνον ἐκθερμαίνειν. id est, non oportet multo tempore calefacere. imo tribus factis fomentis uel quatuor, si dolor remitti non uidetur, fomentum statim dimittendum est, & ad alia accedendum præsidia.

ξηραντικὸν γὰρ τοῦ πνεύμονος τοῦτο. id est, hoc enim pulmones exiccat. qui cum exiccantur, magna ęger ingreditur discrimina. Sed de hac pulmonis siccitate ambigere poteris: quia pulmo duobus modis potest intelligi siccus: uno modo, ut in primo dicebat libro Sectione 21. cum dixit: Nempe si morbus siccior, quàm ut quispiam existimet, fuerit: tunc enim siccior est morbus, & pulmo siccus, cum æger non expuit. Alio modo, siccus pulmo intelligi potest, uel quia in ipsum siccitas imprimatur, uel quia eius naturalis humiditas resoluitur & exiccatur. Peto per siccitatem pulmonis quid hic intelligat Hippocrates uel primam, uel secundam siccitatem. Quicunque recipiatur modus, absurdum uidetur fomenta exiccare. nam si fomentum illud ex calida aqua recipiamus, profecto neque pulmonem exiccat, quia sputis illum priuet, neque eius humidam substantiam exhauriet, neque siccitatem in tale membrum inducere poterit, quia cum calidum sit, naturam habet resoluendi. At cum plenum sit corpus, tenuem materiam in abscessum multiplicat, quæ ad pulmonem attracta sputa incitat, thoracemque humectat, & partes quæ in eo sunt, ex sua humiditate. unde non poterit uel pulmonis substantiam exiccare, uel sputa minuere tale fomentum ex aqua calida: imo à Galeno superius dicebatur Sectione.4. fomenti humidi habitum uel uapores conferre, quando tussis erit sicca.

Respondemus uel adeo multiplicari in abscessu materiam, ut membri affecti uis, ad eam expellendam non sit satis: nec pulmo ad eam attrahendam est aptus: itaque sputa non sequentur: tamen ex hoc membrum ipsum, id est pulmo non exiccabitur. & addemus forte: hoc ex aqua calida fomentum, plus imprimere per caliditatem, quàm per humiditatem: nam caliditas illa actualis plus exiccat quàm humiditas potentialis. itaque substantia pulmonis exiccatur prius ab hoc calore actu agente, quàm humiditas possit humectare, quæ est minus actiua qualitas. Et quamuis à Galeno dictum sit uapores ad pulmonem per nares progredi, & illum humectare, hoc rarissimum est. Et in casu quodam quando tusses fuerint ualde siccę, uel fateamur calidi usum pulmones, prorsus exiccare, & quo ad sputa, & quo ad substantiam, quoniam supra thoracem fomenta adhibentur, etiam si humida sint, quia calidum probe & facile penetrat, humidum difficilius. & quod dicebatur humidos uapores in corpore plethoram habente materiam multiplicantes quę in abscessu est, etiam sputa excitare: nihil est, quoniam id quod tenue est, resoluitur, & crassum relinquitur, quod extrahi non potest. itaque & si in principio sputa multiplicari uideantur, denique tamen exiccantur & diminuuntur. uel cum Galeno dicamus Hippocratem istud in exiccantibus fomentis intelligere. nam primo usus est aquę calidę fotu, quod siccitatem nullam inducere poterat: postea aliis siccis fomentis usus est, quę siccitatem inducere potuere. nam Galenus in commentatione innuere uidetur, medicum omni fomentorum genere usum esse.

καὶ ἐκπυητικόν. id est, & suppurationem inducit, uel suppuratiuum est. calor ille est, qui materias in abscessu contentas ad pus mouet: quę tamen pus fieri non deberent, sed paulatim extra pelliculam tegentem abscessum exire deberent, & expui. nam cum lateralis abscessus ad suppurationem uenerit, pus exiens, in thoracis cauitatem colligitur, & alter sequitur morbus non parum uerendus, qui empyema, id est suppuratio nuncupatur, ad quem plerunque phthisim sequi certum est.

Ambiges uero, non uideri ex calore pus fieri posse, quoniam calidi est resoluere. At resolutio puris generationi contraria est: quippe medicamenta illa resoluere experimur, quæ uehementer calida sunt, utpote quæ corporis meatus aperiant, & tenue à crasso disseparent, hocque calidum tenuem habet substantiam ad penetrandum aptam. è contrario autem pus generatur, non quidem ex calido hoc uehementi quod resoluit, sed ex calido temperato & ex medicamento tali, caliditatem habente moderatam, quod glutinosam habet substantiam, & meatus aperit, crassumque cum tenui permiscet, imo Galenus in libri prognosticorum primi fine, abunde ostendit quonam modo ex naturali calore fiat pus, sicuti & in urinis coctio.

Pro huius ambiguitatis solutione, scito resolutionem uel arte factam uel spontaneam, circa abscessus materiam dupliciter fieri posse. uno modo fit perfecte & exquisite resolutio. idque fit cum tota materia quę abscessum facit, perfecte resoluitur: & tunc exquisita sanitas inducitur, quia nihil ad abscessum spectans relinquitur. in hoc casu uehementi indigemus calore, saltem ad materię proportionem, quę in abscessu est, & quę resolui debet. Alio modo fit resolutio imperfecte & quodammodo diminute. & hoc dupliciter contingere potest. nam plerunque id totum quod tenue est, resoluitur: & crassum tantum relinquitur, quod nonnunquam adeo indurescit, ut lapis efficiatur. & hoc etiam non fit nisi cum uehementi caliditate, hisque duobus modis ob resolutionem pus gigni non potest: quoniam in primo modo pus totum resoluitur, & crasso tenue non permiscetur, quod in puris generatione contingit. Alio modo fit resolutio, quoniam portio illius quod tenue est, resoluitur, tamen alia materia ad abscessum trahitur, quę illam exuperat, quę resoluitur. & hoc in homine plethoram patiente contingit. hęc uero materia cum temporis spatio forte ad quartumdecimum diem resolui non possit crassum & tenue simul mista & ebullientia in pus conuertuntur, ut ex calore pus

fieri,

fieri, & resolutionem facile deprehendas, non tamen totius resolutionem.

### GALENVS.

Fomenta uaria, alia quidem humida, alia sicca, & alia mordentia, aliaq; mordacitate carentia, ubi percurrens, si ab horum experientia dolor non leuetur, totum corpus uacuabis à fomentis desistens, cum pulmonem exiccent, & suppurationem excitent. Fit autem suppuratio huiusmodi, lateris inflammatione non exhalante, sed in pus transeunte, mox pure ipso in mediam thoracis pulmonisq; regionem confluente.

### BRASAVOLVS.

Primo, Galenus docet. cum uaria consideraueris fomenta· & quòd hæc quidem humida sunt, illa uero sicca· & hæc mordentia, illa mordacitate carentia: si dolor ab horum experientia non leuetur, tunc totum corpus euacuare opus est, neque fomenta amplius applicanda sunt, quoniam pulmonem exiccant, & suppurationem excitant. Nota uero ex Galeno colligi posse, hæc fomenta fieri oportere per ordinem, & successiue, singulatim, uel quod singulum pro ratione fiat & ut uarijs fomentorum speciebus conuenit.

Quod legitur, & suppurationem excitent· græce est, καὶ τὸ καλούμενον ἐμπύημα ποιούντων. id est, & uocatam suppurationem faciant. ait uero uocatam suppurationem, ut notet de uera suppuratione uerba fieri, quæ est puris collectio in cauitate thoracis, inter ipsum & pulmones. nam suppuratio duo significat, ut à Galeno. 60. Sectione secundi prognosticorum annotatur, & puris generati eruptionem, & puris collectionem in parte thoracis caua, de qua in præsentiarum agit.

Secundo, Galenus docet suppurationem fieri, quando lateris inflammatio non exhalauerit, sed in pus transiuerit. postea abscessu disrupto pus istud in mediam thoracis & pulmonis regionem colligatur. nam si absque noxa inflammatio lateralis sanari debeat, necesse est ut paulatim resudet materia extra pelliculam, quæ abscessum continet, & paulatim etiam expuatur, donec tota exiuerit.

Sed tibi forte id non uidebitur conueniens quod à Galeno dicitur, cum inquit· si fomenta non iuuerint, transeundum esse ad euacuationes. nam in huius libri initio dicebat, quando fomenta non iuuabant, corpus pati plethoram, at in plethora nunquam euacuat, sed uenam semper secat. Igitur & hic dicendum potius erat secandam esse uenam, quàm euacuandum. Respondemus, hic per euacuationem communiter intelligere, tam illam quæ fit per uenæ sectionem, quàm illam quæ fit per medicamentum. id uero deinceps fieri debet quod magis conuenit, secundum regulas, quas tribuit, & de quibus etiam superius mentionem fecit. imo & utitur uocabulo κενώσιος, quod ad omnem quæ fit in humano corpore euacuationem commune est. Cum enim Galenus, de illa sola quæ per medicamentum fit, sermonem habet· aut uocabulo determinationem addit, aut dicit φαρμακεύειν. Forte dices Galenum dicere totum corpus uacuabis. at totius corporis euacuatio per medicamentum fit. Respondemus, imo & fieri per uenę sectionem, & hanc nuncupari euacuationem uniuersalem.

## Hippocrates. Sectio. X.

Si uero dolor ad claviculam pertigerit, aut molesta sit uel brachio, uel mammæ, uel partibus septo transuerso superioribus grauitas: internam cubiti uenam secare expedit: neque ut copiose sanguis detrahatur, est cunctandum, sed eousque auferendus donec rubidior multo, uel pro puro rubidoq; liuidus fluxerit. Nam utrunque contingit.

### BRASAVOLVS.

De euacuatione quæ in pleuritide fieri debeat nunc agit Hippocrates. & cum hęc sit duplex· una ex uenę sectione· alia ex medicamento· de utraque agit· indicia primo illa docens, quę uenę sectionem fieri debere ostendunt: postea illa quæ suadent per medicamentum esse euacuandum: accipitq; potissimum argumentum ex locis conferentibus, per quæ natura uergit. Ita igitur primo exorditur. si lateralis dolor ad claviculam pertigerit, aut adsit grauitas quędam molesta in brachio lateris ubi est dolor, aut in mamma, aut in partibus supra septum transuersum· tunc conueniens est internam cubiti uenam secare: idq; celeriter faciendum est, & copiose ostendit inquiens non esse cunctandum ut sanguis copiose detrahatur. Et si quantitatem petas sanguinis qui auferri debeat, inquit eousque auferendum donec rubidior multo fiat, quàm prius fuerit, uel pro puro sanguine, atque rubicundo fluat liuidus. nempe utrunque contingere potest, & nonnunquam contingit.

ἀλλ' ἢν μὲν συμβαίνῃ ὀδύνη ἐς κληΐδα. id est, si uero ad claviculam dolor pertingat. Nulli dubium est hunc dolorem in aliqua esse thoracis parte uel dextera uel sinistra, uel superiori uel inferiori. Si contingat simul compati claviculam, ut nos plerunque nonnullos audiuerimus dicentes, se circa humerum persentire, ac si sit dolens locus ueluti funiculo coalligatus qui attrahatur· dolor igitur pertingit ad claviculam, quia ex partium neruosarum continuatione ad illam usque partem extenditur. & ideo dolor non est in clavicula, sed ad illam tantum pertingit. Est uero clavicula os in humero ita nuncupatum. Copus uertit ad iugulum, & profecto clavicula prope iugulum est, sed uocabulum κληΐδα claviculam potius significat. Vidimus, qui ob claviculæ dolorem inclinati & gibbi permanere cogebantur, & referebant se in illo situ minus incommodi perpeti, neque tensione illa affici, qua extensi afficiebantur. Intellige uero claviculam ea in parte, in qua est inflammatio.

ἢ ἐν βραχίονι βάρος. id est, uel grauitas persentitur in brachio. nam proprie in brachio non est dolor, sed grauitas potius ex sanguine illuc currente, & congregato. non enim per compassionem potest brachium ita affici ut uehementer doleat, aut à partium continuitate ita trahi, ut dolore tali afficeretur, sed tantum ob materierum cursum in brachio, hoc est supra cubitum, grauitas sentitur, quam & grauatiuum dolorem recentiorum more nuncupare potes. non tamen pungitiuus est, ut ille qui in lateris abscessu uexat, & ille qui ad claviculam pertingebat. estq; in brachio ab eadem parte, in qua est pleuritis, & hoc signum absque claviculæ dolore per se esse potest, & simul etiam cum claviculę dolore, si unà sint, exquisitius tunc erit pręsidium agere· de quo Hippocrates loquetur.

ἢ περὶ μαζὸν. id est, uel circa mamillam. hic referri potest dolor sentitur, uel grauitas sentitur. tamen Galenus in omni parte intelligit esse condolentiam. nam, ut diximus, & si sit grauitas, grauitas ipsa est doloris species. in mamilla uero, uel circa mamillam potest esse & grauitas ob materiam quæ illuc currit, & dolor ob compassionem affectę partis.

ἢ ὑπὲρ τῶν φρενῶν. id est, uel partes quæ supra septum transuersum sunt, quando partes supra septum transuersum dolorem persentient uel grauitatem, id tunc agendum quod ipse statim dicet. Sed forte dices, id tibi uideri superfluum, quia cum de mammis & clavicula, & brachio locutus sit, omnes partes expressit quę supra septum sunt. Respondemus hoc addi, quoniam & alię sunt partes pręter enarratas à mammis ad septum. posset & pars hæc de parte illa intelligi, in qua est dolor lateralis· quæ talis sit, ut in ea tantum sit dolor, & ad alias non extendatur. At ad indicationem de uena secanda supra septum transuersum esse satis est.

ταμνειν ἀρήγει τὴν ἐν ἀγκῶνι φλέβα τὴν ἔσω. id est, internam cubiti uenam secare expedit. cum supra scilicet septum transuersum fuerit dolor. nam regio consideranda est, ad quam natura uergit, & per loca conferentia ducendum est. in hoc autem casu quando supra fuerit dolor, uena secanda, quæ in brachio est. & uena intrinseca cubiti, quam recentes basilicam uocant.

De sectione autem uenę dubium emergit, an potius conueniat, quàm medicamentum. nam, ut Galenus docet in. 13. Methodi, & est cõmune eius pręceptum, ubi de hac re agit: cum adest plethora, uena secãda est: cum uero cacochymia, medicamentum præbendum. & quid plethora sit enarrans inquit esse quoties omnes humores sunt æqualiter aucti: cacochymia uero, quoties unus solus, uel duo augentur. At in pleuritide ut plurimum adest cacochymia, quia ex bile ut plurimum fit. In pleuritide igitur medicamenti usus ut plurimum conuenit, raro uero sectionis uenę usus: quia talis usus est, cum quatuor humores in humano corpore sunt ęqualiter aucti, & unus non pręd ominatur.

Respondemus, ut Galenus. 13. Methodi edocet, duo sunt. quę nos cogunt ad totum corpus euacuandum. unum est, omnium humorum redundantia, & hoc intellige in uenę sectione quando ęqualis est redundantia. Aliud est magnitudo morbi, in pleuritide ob morbi magnitudinem fit uenę sectio. Et adde raro esse quòd homines plethoram non patiantur, pręsertim nostri temporis homines. & materia quę peccat est in uenis. Scitoq; & si pleuritis ut plurimum biliosa esse dicatur, tamen est aliis humoribus mista. si uero esset simplicissima bilis quę peccaret, profectò sectio uenę non cõferret, imo esset euitanda. rarissime tamen est pura. propterea ob multa uenę sectio conuenit. primo, quia natura huc inclinat, & materia est in uenis, & raro est q plethora careat, idq; morbi magnitudo suadet. nã & si Galenus dicat morbi magnitudinem euacuationem indicare, de euacuatione & per uenę sectionem intelligendus est.

Dubitabis pręterea de hac conditione, dolorem ascendere, uel descendere, quę conueniens signum non uideatur, quo de uenę sectione, uel de medicamento indicetur. nam hęc signa in principio statim non apparent, sed in. 12. Aphorismo primi libri potius inter post apparentia numerantur. Sectio autem uenę & medicamentum in initio fieri debent. Signa igitur hęc ad hęc ostendenda nihil facient, quoniam nondum erunt. Respondemus, in illo principio medicum non uocari, quin hęc superuenire non debuerint. Nam à principio cum medicus uocatur, si pleuritim esse cognoscit, opus est ęgrum sentire dolorem. itaque ex doloris loco ansam agendi auspicatur. tamen & si adhuc dolor non adesset, medicus à dolore ansam euacuandi non acciperet, sed à plethora acciperet, uel cacochymia. At pleuritis absque dolore esse non potest, quia dolor ex inseparabilibus signum est. tamen fieri posset, ut in principio ad clauiculam usque dolor non ascenderet, uel ad brachium, uel ad mammas. uerum ipse lateris dolor semper adesse debet.

Notaq; omnes authores, Hippocratem in hoc esse secutos, ut uenę sectio fieri debeat, si ad superiores partes dolor pertingat. hoc sentit Aetius libro octauo capite. 68. qui ex Archigenis sententia hoc modo exorditur: in his uero qui acuto morbo, ut diximus, laborant, siquidem circa mammas ac clauiculam hęreat dolor, uenam incidere oportet, & Trallianus libro secundo cap. 1. iubet primo considerandum esse, an adsit pleuthora, uel cacochymia. & si plethora non adfuerit, uenam secandam negat, sed affectionem iubet solis fomentis esse resoluendam, & his quę extrinsecus applicantur, & Aetius, etiam si dolor erat mediocris, clysteriis & fomentis uti nos debere suadebat. Ad Trallianum redeuntes, plethora præsente, si dolor ascendit, uenam secandam esse iubet, ut Hippocrates testatur. Paulus libro tertio capite. 33. inquit: si ad iugulum usque dolor procendatur, uena incidenda est. Celsus & ipse libro quarto capite. 6. ait, remedium uero est magni & recentis doloris sanguis missus. nihilq; de doloris loco dicit, an superius esse debeat, uel inferius. Constat uero apud omnes Gręcos, si dolor ad clauiculam peruenerit, secandam esse uenam. quod prius ab Hippocrate dictum fuerat. Et profecto Celsus non ab re dicit esse remedium uehementis doloris & citum sanguinem missum.

BRASAVOLVS

An uero mitti debeat sanguis, si dolor ad septum perueniat: post hęc dicemus. nam Paulus ait medicos suo tempore semper uenam secuisse in hoc morbo. tamen Trallianus illos reprehendit medicos, qui in pleuritide negant posse dari medicamentum, & uenam semper secandam iubent.

καὶ μὴ ὀκνεῖν συχνὸν ἀφαιρεῖν. id est, neque timeas multum auferre sanguinem. hoc intelligendum est si uires constent: nam si constent, hoc fieri potest: sin minus, fieri non posset. Et si dolor sit uehemens, & si hic habeat plethoram, & si ferre possit. At dices ab Aetio illos reprehendi qui magnam trahunt sanguinis copiam. Respondemus, eos reprehendi qui una uice id faciunt: quippe non uult usque ad animi deliquium semel extrahendum esse sanguinem. inquit enim: sanguinis autem multitudo extrahatur, non usque ad animi deliquium, periculum enim ne in peripneumoniam morbus permutetur. siquidem refrigerato ualde sanguine, pulmo rarus & calidus existens lateriq; uicinus, prompte & facillime morbum susceptat. itaque modicum extrahere oportet, & post sufficientem temporis intercapedinem rursus repetita incisione modicum auferre. quòd si animi detectionem timeamus, usque in sequentem diem eius ablatio differenda erit. Hinc habes non ire inficias sanguinis copiam esse exhauriendam. sed una uice fieri negat. hoc uero ex Archigenis sententia relatum est.

ἔως ἂν ἐρυθρότερον πολλῷ ῥυῇ. id est, donec fluxerit multo rubicundior. id est quod à recentibus dicitur donec calorem immutauerit. Intelligunt uero, ut pallidior effectus sit. Hic uero Hippocrates censet redditum esse rubicundiorem, nam cum sanguis qui in abscessu continetur, magis excoctus sit, quàm is qui est in aliis locis: ob id cum alter exiuerit sanguis, & rubicundior exire incipiat, indicium est sanguinem exire qui in abscessu continebatur: qui si diutius in loco perseuerasset, ad nigredinem peruenisset. at prius quàm ad nigredinem deueniat, per media transit. unde ab Hippocrate subiungitur, ἢ ἀντὶ καθαροῦ τε καὶ ἐρυθροῦ πελιδνόν. id est, uel pro puro & rubro, liuidus effluxerit. nam in transitu ad nigrum, per liuidum primo transitur, & per uiridem colorem. Nos in experientia uidimus sanguinem pallescere, quãdo aliqua effluxerit copia. At dubitabis, si sanguis non mutaretur: an progredi debeamus sanguinem educentes. Respondemus, non debere progredi, quando uidemus ęgrum ad syncopim moueri. tamen in abscessibus intrinsecis experientia mutari ostendit.

Dices uero tunc non debere sisti, quando mutari incipit: tunc enim utilis esse incipit sanguis qui euacuatur: nam is educitur sanguis qui morbum faciebat: tunc igitur non sistendus, sed potius adhuc ducendus: Respondemus, Hippocratis sensum esse, tunc sistendum, quando sanguis efficitur rubicundior, uel liuidus, non quidem statim, sed cum aliqua exiuerit portio. non enim uel totus debet exire, uel statim cum apparet sistendus: nam cum apparet, & aliqua exiuerit portio, tota uia à læsa parte ad uenam sectam est hoc sanguine plena, qui è parte lęsa educitur.

Ambiges forte, cum hic Hippocrates de sanguinis quantitate extrahendi loquatur, & hanc quantitatem per qualitatem notet: absurdum uideri, quoniam qualitas de quantitate nihil agere potest. Respondetur, qualitatem significare de quantitate: quia cum talis exit qualitas, signum est tantam exiuisse quantitatem ut satis sit. tamen si qualitatem consideremus hoc modo, ut una sanguinis portio modo sit rubra, postea nigra efficiatur uel liuida, mutatio il-

la nihil

la nihil de quantitate ostendit. At mutatio quę de quantitate iudicium pręstat, in diuersis est sanguinis partibus, quarum una post aliam exit.

Dubitabis preterea de hac sanguinis mutatione. hoc etenim omni sanguinis mutationi conuenire uidetur, etiam si non sit abscessus, imo & in mutatione illa in qua solum plethoram euacuare intendimus, hęc sanguinis mutatio sequitur: quoniam conuenit sanguinem illum, qui in corde est & iecore, esse rubicundiorem, ob calorem qui intus magis uiget, quàm illum qui est in circunferentia. nam in circunferentia calor est minus incensus. propterea & in febre & in omni alio affectu sanguinis mutatio sequetur. Respondemus, in intrinsecis abscessibus esse magnam mutationem, sed in febre, & in alijs affectibus aliqua est omnino mutatio, uerum non tam intensa, ut in abscessibus. & in sanis, in quibus ob plethoram uenam secamus, aliquam inesse mutationem necessarium non est. imo si adsit, talis est, ut ferè sensum effugiat. Si uero dicas omnes medicos hanc facultatem exercentes hoc obseruare, ut sanguinis mutationem semper considerent: Respōdemus id quidem illos facere, sed nullius momenti esse: quia id fieri debet, ubi aliqua huius rei utilitas haberi possit. In plethora sanguinis quantitas educi debet, nō ad mutationem, sed ad pondus & mensuram ipsius plethorę, uel usque ad animi defectum. ita enim sanguinem educēdum uolunt in plethora potissimum Arabes medici. Nota uero ab Auicenna libro primo fen. 4. capite. 20. dici attendendum esse sanguinem exeūtem per uenæ sectionem quo ad colorem, nam si fuerit subtilis albedini attinens ipsum, dico retine. Causa uero cur retinendus si albus sit & tenuis, est quia tunc pituitosus existit crudus, ob quem uenę sectio non competit. Scito Galenum in libro de curandi ratione per sanguinis missionem, hanc sententiam adduxisse uno folio ante libri finem, cum docet in educendo sanguine quid considerādum sit: pulsum manu tenēdum esse iubet: tuncq; sanguinem sistendum precipit, cum pulsus immutari percipitur. docetq; mutationem potissimum expectandam esse, ubi erit inflammatio, in qua sanguis à puro sanguine diuersus est, utpote plus excalfactus. Nam si antea crudior erat, rubrior modo & flauior efficitur. sin eiusmodi prius fuerat, ad atredinem uergit adustione. proinde Hippocrates de pleuriticis in hunc modum scripsit. Secanda uero in cubito uena interna. nec uerearis multum detrahere, si rubrior flauiorq; multo fluat, aut pro puro aut rubro liuidus, utrunque enim euenit. Et si à Galeno petas, an semper expectanda sit hæc mutatio: Respondet ipse, non esse semper expectandam. Duo uero sunt, quæ impediunt, unum est uirium imbecillitas, aliud prauitas phlegmonis. nam interdum nihil ab ea emittitur, sed inibi fortiter constrictus est. in his casibus usque ad mutationem euacuare nō debemus. tamen Galenus notat, quando uires suppeterint, & ambiens sit temperatum, mutationem expectandam esse. uires ex pulsu, & ætate uigenti cognoscuntur. notatq; Galenus ambiens debere esse temperatum, ne reliquum sanguinis à continente ualde calido absumatur. Nota uero Galenū uideri Hippocratem hic aliter referre quàm in hac scriptum sit sententia: nam dicit non esse timendum multum detrahere, si rubrior, flauiorq; multo fluat. itaque in greco codice dicebat ἔστ' ἂν ἐξερυθρότερόν τι καὶ ξανθότερον πολλῷ ῥυῇ. Hippocrates uero in secundo de ratione uictus dicit adeo detrahēdum donec rubidior multo fuerit. Respondemus Galenum noluisse Hippocratis sententiam pręcise adducere, sed intentionem solam. nam cum fluit ruber uel flauus, semper dimittendus quoad colorem mutet. propterea ibi addit. ἢ ἀντὶ καθαροῦ καὶ ἐρυθροῦ πελιδνόν. i. uel pro puro & rubro liuidus. Reuera aliter refert Hippocratis sententiam Galenus, quàm dixerit: tamen ab intentione non multum distat. Hic uero & ambiguitas contingeret, de uena euacuanda. At cum in commentatione de hac re hic agemus, supersedendum non ab re erit.

ἀμφότερα γὰρ γίγνεται. i. nam utrunque fit. & utrunque fieri contingit. s. nonnunquam rubicundior apparet sanguis, nonnunquam liuidus magis. Et si dicas nónne etiam in nigrum mutatur? Respondemus, mutari quidem in nigri apparentiam, sed Hippocrates hoc sub liuido intellexit.

Pro eorum qui inflammationem patiunt humorum uergentia inclinationeq;, uacuationes facit Hippocrates. Nempe quod dicitur: Quò natura uergit, per loca conferentia eo ducere, id uerissimum existit. Contingit autem interdum id ob differentiam partium eius quę costas succingit membranæ. Nempe superiores ipsius partes cum inflammantur, ad humerum, brachiumq;, & mammam condolentiam extendunt: inferiores uero ad septum transuersum & hypochondrium. Cum igitur superiorum condolentia signum fecerit, uenam in cubito secare eam oportet, quæ sanguinem ab affecta parte & magis & uelocius tum reuellere, tum uacuare possit: uerum si partibus infernis affectus consenserit, purgatione uacuare expedit. Recte autem grauitatem circa brachium esse, & non dolorem dixit. Nempe quòd hoc in loco sanguis magis aceruetur, repatq;, signum est grauitas quę ex multitudine fit. Tensiones autem & in sola affectus participatione fieri consueuerunt: cum uidelicet partes his quæ inflammantur attiguæ, citra sanguinis redundantiam tenduntur. Ob id igitur sanguinem redundantem secta interna uena uacuandum præcipit. Sunt autem in interno cubiti articulo plures quas secare consueuimus uenę, de quibus abunde quidem in anatomicarum tractationum tertio, atque in alio libro qui seorsum de uenarum arteriarumq; sectione scriptus est, diximus: sed in præsentiarum de ipsis summatim agemus, ab initio ducentes orationem. Vena caua ex gibba hepatis sursum ad dextram cordis aurem sanguinem deferens, partibus quidem interiacentibus exiguum ipsius distribuit, sed cordi ipsi plurimum elargitur: Deinde ab eo tanquam ab initio progressa ad collum recto festinat tramite, atque in duas rectas scinditur in thoracis parte uenas, easq; insignes, quas iugulares uocant. Propagantur autem ab ipsa prius, quàm ad cor ipsum pertingat, insignes quidem uenæ ad septum transuersum: paruæ autem ad inferiorem thoracis partem, quę octo costis constat, contendentes. Pars autem hęc ab ima, quę coniugio caret, nutritur uena: quæ in quibusdam animantibus supra cor adnascitur: in cęteris uero, ut in hominibus, ex ea emergit parte, qua iam cordis aurem uena caua tangit: hinc siquidem emergens, humilius, depressiusq; per cor defertur, atque in spinam contorquetur. Vena igitur quę ad inferiorem thoracis partem defertur, utrinque costis octo ad septum usque transuersum distribuitur. Cęterę autem sublimiores thoracis costę quatuor, ab alio uenarum nutriuntur coniugio: quod à uena caua propagatur, prius quàm ea in iugulares scindatur. Ab his igitur duabus uenis deinceps sunt quę ad manus per axillas pertingunt. Verum quę humerarię appellantur, ab ipsa caua postea quàm in iugularias fissa est, utrinque unà iam thoracem extra progignuntur, habentq; radices his quę in superficie extant iugularijs communes. A iugularijs siquidem quę in superficie extant ut partes ferè omnes, tum colli, tum capitis in superficie constitutę nutriuntur: sic & à iugularijs altius profundiusq; latentibus partes omnes altius profundiusq; latenter ali contingit. Verum quę circa scapulas atque in collo dorsali existunt loca, uenas habent quę ex inferioribus prefatę radicis communis partibus ad ipsas ascenderunt. Communem dico radicem, quam proxime dixi, & his quę in superficie constitutę sunt iugularijs & humerarijs communem esse. Non immerito igitur humeraria superiores clauiculam partes, easq; quę & in collo & capite existūt, tum magis, tum uelocius euacuat. Axillaria uero thoracis partes, & magis eas quę in sublimi sitę sunt, presertimq; in hominibus ipsis: nempe infernas demissasq; omnes uena una altera nutrit, quę sub corde à uena caua procedit. Ex sinistra autem parte ue-

GALENVS.

ne illius que infernas thoracis partes alit, atq; ad costarum radices prona fertur, adusq; septum transuersum singulis intercostalibus spatiis tum sinistris, tum dextris rami distribuuntur. Verum quod reliquum ex ea est septum transuersum penetrat, primisq; ab eo corporibus dispensatur. Ceterum que per axillas ad manus feruntur uene, proximas his que sublimes thoracis alunt partes, radices habent, suntq; quàm quæ per humerum ad manus contendunt, longe maiores: ascendunt autem ad internam brachii utriusq;, atq; cum per ipsam prone feruntur, musculis ipsis qui inibi situm habent, notabiles dispensant ramos. Verum cum ad cubiti articulum prope uenerint, uenas brachii internas ad ipsius cubiti ossis nodum, qui hic positum habet, producunt: quicquid uero reliquum est, bifariam scissum diuisumq; per cubiti flexum defertur, parte ea que in superficie constituitur, uenam eam que in eo cubiti flexu secatur efficiente: penitiore uero eam quæ cum arteria diuiditur. Secatur quoque & uena alia in cubito obliqua, ueluti & ea que in utraq; manu una est humerariæ non exigua portio. Nempe & humeraria ipsa per brachium subter cutem cõspicue percurrens, in ipso cubiti articulo qua sublimiores extant partes, figurata scilicet, ut Hippocrates in libro de membris fractis, manu, diuiditur. Que igitur sublimior uene ipsius à fissura portio per externa cubiti loca defertur, ea que post fissuram ipsam secatur, qua prime uene radici è directo maxime respondet. Eam ob causam & sublimiora clauicularum loca citissime euacuat. Porro autem que in cubiti flexum oblique fertur, minus quidem ea, sed ceteris magis eas euacuat partes. Pars uero quæ ab interna notabili uena oblique etiam fertur, minime quidem prefatas uacuat partes: uerum maxime thoracis superiora, quod radices tum eius que per axillam ad manum fertur, tum eius que superiores thoracis alit partes, uicine admodum existant. Secare igitur hanc iubet Hippocrates prius quàm uene que ex humerariæ fissura prouenit, præsens sit, inferaturq;. Que si aliquando non comparuerit, uice huius secamus aliquam ex internis quas recta in os cubiti sidere mergiq; didicimus. Quòd si & eæ non comparuerint, accedimus ad eam que ex prefatarum duarum uenarum obliquarum insitione progignitur. Verum & cum ea interdum non apparere possit, humeraria apparente, seca humerariam: quis scilicet uacuationes ab uniuerso animalium corpore fieri noueris: quanquam neq; celeriter, neq; similiter ex uena omni fiant. Nos uero partem eam que phlegmone obsidet, tum celeriter, tum quàm ceteras partes magis in acutis præsertim morbis uacuare contẽdimus. Quòd sanẽ interna cubiti uena facit, multoq; magis ubi sanguinis redundãtia ad superiora uergere uideat, aut superiores thoracis partes affecte sint. Nempe in eo malo tum brachium, tum mamma grauari solent. Verum quæ partes thoracis inferiores prope septum transuersum infestant phlegmone, non abs re dolorem ad hypochondrium transmittunt. Quo fit, ut dolores huiusmodi non admodum iuuet quæ in cubito fit uacuatio, corde scilicet medium occupante. Nempe uenam que inferiores thoracis alit partes sub corde emergere audiuisti. Dicta quidem mihi hec sunt super eo quod ab Hippocrate bene scriptum est, de secanda scilicet interna cubiti uena. Sed quòd uacuandi sanguinis terminum coloris mutationem posuerit, deinceps est differendum. Quicquid ergo sanguinis in phlegmone continetur, id caloris abundantia calore permutatur. Reliquum autem in partibus omnibus simile manet. Eam ob causam sanguine qui in totum spargitur corpus pituitosiore existente, rubicundior sanè erit, qui in eo quod phlegmone obsidetur, latere continetur. Quòd si sanguis in corpus totum diffusus, rubidus fuerit, is proculdubio qui ad phlegmonem est adustus, assatusq;, in nigrum permutabitur. Liuidus autem in ea que fit à rubido ad nigrum transmutatione, medium obtinet. Coloris igitur mutatio, sanguinis ex particula inflammata translationem sufficienter commonstrat. Vacuationis igitur modum mensuramq;, que affectui peculiaris sit, diximus. Sed cum interdum uirtus tãtum uacuare prohibeat, parti ipsi que phlegmone obsessa est, minus quidem futurum auxilium scire oportet. Quo fit, ut non uirtutem exoluere melius sit, quàm sanguinem uacuare redundantem.

Primo, Galenus notat ab Hippocrate euacuationem fieri, pro humorum qui inflammationem pariunt uergentia & inclinatione. nempe id uerissimum existit quod in Aphorismis ab Hippocrate scriptum reperitur· Quò natura uergit, per loca conferentia eò ducere. Cõtingit uero hãc inclinationem fieri ob partiũ illius mẽbrane inflãmationem, que costas cingit· nã superiores membrane partes cum inflãmant· ad humerũ, uel clauiculam, uel brachiũ, uel mãmam dolorem extendunt. Inferiores uero huius membrane partes inflãmate ad septum transuersum & hypochondria condolentiam extẽdunt. quando igitur superiores condoluerint partes, quæ signum prebẽt partes superiores pati· tunc uenam in cubito secare oportet. uenam intellige illam que sanguinem ab affecta parte, & magis & uelocius reuellere & euacuare potest: at si affectus partibus infernis consenserit, ut ad septum pertingat, & præcordia· tunc expedit purgatione euacuare. BRASAVOLVS

Qđ legit ad humerũ, grece est περὶ τὴν κλεῖν. i. ad clauiculã. Notaq; Galenum duo fieri uoluisse ἀντισπάσαι τε καὶ κενῶσαι. i. & reuellere & euacuare. & hec simul fiunt in una uene sectione in morbo laterali.

Secũdo, Galenus notat recte ab Hippocrate dictum esse, grauitatem circa brachium, & non dolorem· quia sanguis in hoc loco magis aceruatur, & repit. & quòd sit aceruatus, indicium est grauitas, que ob aliud in loco esse nõ potest, quàm ob multitudinem. he uero tensiones, & partium compassiones in sola affectus participatione fieri consueuerunt, quando partes attigue his que inflammantur citra sanguinis redundantiam tenduntur. Ob hoc igitur Hippocrates iubet sanguinem redundantem per uenæ internæ sectionem esse euacuãdum· nempe in interno cubiti articulo plures sunt uene que secari consueuerunt, de quibus Galenus in tertio anatomicarum aggressionum abunde egit, & in alio seorsum libro, qui de uenarum & arteriarum sectione pertractat. Nobis uero graue non erit (Galenus inquit) de ipsis in presentiarum summatim agere, orationem ab initio exordientes.

Forte in illa Galeni sententia ambiges, qua dicit, partes attigue citra sanguinis redundantiam tenduntur· mox sequitur, quod iussit sanguinem redundantem euacuare. Respondemus Galenum primo de sanguine in compatientibus loqui partibus· nam partes compatiẽtes, absq; sanguine redundãte tenduntur & dolent, sanguis uero qui redundat in loco est, abscessus. Et si dicas, nónne posset esse bilis uel pituita? Respondemus est sanguis biliosus uel pituitosus. quãquam raro fiat à pituita talis morbus, uel à sanguine pituitoso· à biliosо frequentissime fit.

Scito in interno cubiti articulo tres esse uenas ab authoribus nominatas. sunt quidem & alie, que nomine carent, sed he tres in communi & publico sunt usu· mediana. s. communis nuncupata, iecoraria, & capitis uena. hec sunt recentiorum nomina, de quibus, simul cum ipsis uenis aliàs agemus.

Tertio, Galenus de uenis summatim agere incipit, ut pars hec Hippocratica exquisitius intelligatur. ita uero inquit. uena caua, ex parte iecoris gibba sursum extensa ad dexteram cordis uocatam auriculam sanguinem defert, & partibus interiacentibus exiguum quid huius sanguinis distribuit, cordi uero plurimum huius sanguinis elargitur, à corde postea discedit, ac si à suo principio recedat, & recta uia ad collum festinet, atque in parte thoracis in duas rectas scinditur uenas, que sunt uene insignes & magnæ, iugulares nuncupate. Ab ista uero caua uena prius quàm ad cor pertingat, uene quedam insignes ortum habent ad septũ transuersum cõtendentes, sed ad inferiorem thoracis partem, que cõstat octo costis, parue. hec uero thoracis pars, que octo inferiores costas continet, à uena ἄζυγον. i. sine pari dicta nutritur. hec autem uena in nonnullis animantibus

manibus supra cor nascitur. In aliis uero, ut in hominibus, ex ea parte emergit, qua uena caua cordis aurem tangit. unde hinc emergens humilius & depressius per cor defertur, & in spinam contorquetur. & ideo infert uenam quę ad inferiorem thoracis partem defertur, distribui utrinq; octo costis usq; ad septum transuersum. ut manifestum sit recentes illos aberrare, qui censuere Galenum non cognouisse uenam sine pari. de qua & in libris de usu partium, & in aggressibus anatomicis mentionem fecit.

Quod legitur, in cęteris uero in hominibus, grece est, ἐν ἐνίοις δ' ὥσπερ καὶ ἐπ' ἀνθρώπων. i. in quibusdam uero, sicut & in hominibus. si hoc legamus modo continuatio perfectior est.

Quarto, cum uenę octo inferiores à uena ἀζύγου. i. coniuge carente nutriantur, Galeno conueniens fuit, quibus uenis nutrirentur costę quatuor superiores, & partes quę costas tegũt, edocere. Dicit uero cęteras quatuor costas sublimiores, ab alio uenarum coniugio nutriri. hoc autem coniugium à uena caua propagatur, prius quàm ipsamet uena caua in iugulares uenas scindatur. Nota quòd ab his duabus uenis illas omnes deduci uenas, quę ad manus per axillas perueniunt. Si uero petas, an sint hę uenę humerarię, Galenus notat humerarias nõesse, quoniam humerarię à caua uena oriunt̃ & propagantur, posteaquam in iugularias distincta erit. Imo scito quòd utrinq; gignuntur, & iam extra thoracem, & habent radices communes iugulariis, quę in superficie sunt. nam iugularię in superficiarias & intraneas diuiduntur. Notaq; ab his iugulariis superficiariis omnes colli partes & capitis superficiarię nutriri. A' profundioribus uero iugulariis, colli partes & capitis profundiores nutriuntur. uerum loca illa, quę circa scapulas sunt, & in parte colli dorsali. i. posteriore, & circa dorsum, uenas habent, quę ex inferioribus partibus pręfatę radicis communis ad ipsas ascendunt. Et si petas quid per communem intellexerim radicem, intelligo, quam statim superius dixeram, his communem esse, quę in superficie constitutę sunt iugulariis & humerariis. ob hoc conueniens est humerariam uenam, superiores clauicularum partes, & eas quę & in collo & in capite existunt, magis & uelocius euacuare. At uena axillaris, thoracis partes, & illas magis quæ in sublimi sunt, euacuat· & hoc potissimum in hominibus. Nam de aliis octo costis uena non habetur, quę proprie euacuet· quoniam est una uena ab aliis diuersa, quę has partes thoracis infernas nutrit, & ad radices costarum prona, ad septum usq; trãsuersum deuenit, itaq; facit, nam ab illa distribuuntur singulis intercostalium spatiis & dextera parte, & sinistra rami. At huius uenæ sine pari reliquum, septum transuersum penetrat, & primis dispẽsatur corporibus, quę ab ipso transuerso septo depẽdent.

Quod legitur in collo dorsali, grece est ἐν τῷ τραχήλῳ τὸ κατὰ ὠμοπλάτην. i. in collo circa scapulam, quanquam & id uerum sit, quod ab interprete refertur.

Petes uero quomodo dici poterit, communem habere radicem iugularię, & humerarię, cum sint distinctę, & distincta inter se habeant officia. Respondemus ob earus propinquitatem communem radicem habere dicuntur.

Quinto, Galenus notat, uenas quę per axillas ad manus deferuntur, radices habere his proximas, quę sublimes thoracis partes alunt. suntq; longe maiores, quàm illę quę per humerum tendunt ad manus. uerum ascendunt ad internam utriusq; brachii partem, & feruntur pronę per ipsam. dũmq; ita feruntur, ipsis musculis, qui inibi situm habent, notabiles ramos contribuũt. At cum uenerint prope ad cubiti articulum, uenas brachii internas producunt, ad ossis cubiti nodum, qui hic positus est. Quicquid uero harum uenarum reliquum est, in duas partes diuisum per cubiti flexum defertur· faciteq; in illa parte quę in superficie constituitur, illam uenam, quę in illo cubiti flexu secatur· in penitiori uero parte illam uenam facit, quę cum arteria diuiditur.

Quod legitur, quę sublimes thoracis alunt partes, hęc dictio partes grece est, τὰ ἄνω μέρη πλευρῶν. ut hoc modo legi oporteat, quę sublimes quatuor thoracis costas alunt.

Sexto, Galenus notat & aliam uenam in cubito obliquam secari, sicut illa quę in utraq; manu est portio magna humerarię. nam & ipsa humeraria per brachium sub cutem conspicue percurrens in ipso cubiti articulo ea parte qua sublimiores extant partes, diuiditur eo modo figurata manu, quo Hippocrates in libro de membris fractis dixit.

Septimo, Galenus infert, portionem sublimiorem ipsius uenę à fissura, quę defertur per loca externa cubiti, illam esse quę post ipsam fissuram secatur, ea parte qua radici primę uenę, e directo maxime respondet. ob hanc causam sublimiora clauicularum loca citissime euacuat. At illa portio quę in cubiti flexum oblique fertur, minus pręcedenti, sed magis cęteris aliis illas euacuat partes. At pars, quę ab interna notabili uena obliqua etiam fertur, non euacuat prędictas partes, sed potius superiores thoracis partes: nam radices habet ei uicinas, quę per axillas ad manum ferũ, & ei quę superiores thoracis alit partes. hęc est illa hęc, quam iubet hic Hippocrates secandam, prius quàm pręsens sit uenę, quę ex humerarię fissura prouenit, & illi inseratur. nam cum illi inseritur, tunc efficitur illa uena quę axillaris uocatur. Nempe humeraria & axillaris in cubito coincidunt, & in unum coniunguntur, tuncq; ea uena dicitur communis. At humeraria uena capitis à recentibus uocatur, anteq̃ iungatur axillari. Axillaris uero dicitur basilica & iecoraria. At si contingat hanc uenam non uideri, neq; à tonsore inueniri, quam iubet Hippocrates secandam· tũc eius loco aliquam ex internis secamus, quas didicimus recta incedere in os cubiti. uerum & si hę inueniri non possint, ad illam accedimus quę ex duabus obliquis uenis iam dictis per insitionem progignitur, quę communis uena nuncupatur. At si nonnunquam & hęc non appareat (quod fieri potest, sed raro) tunc humerariam secato. nam scire debes, ab uniuerso animalium corpore omnem uenam educere. propter hoc uenę sectio uniuersalis euacuatio nuncupata est, tamen hęc euacuatio & si uniuersalis sit ex quacunq; fiat uena, ita celeriter non fit, & similiter ex omni uena. Nos uero hanc regulam obseruamus: in morbis acutis contendimus potissimum partem ipsam quę phlegmone obsidetur, celeriter euacuare· idq; facere studemus ante omniũ aliarum partium euacuationem. Id uero in pleuritide facit interna cubiti uena, & id multo celerius & magis facit, quando sanguinis redundantia, ad superiora uergere uideatur, uel quando superiores thoracis partes affectę sint. Intellige uero superiores quatuor primas costas· nam in illo affectu cum partes superiores ęgrotant, & brachium & mammę grauari solent. At inflammationes illę, quę thoracis partes inferiores prope septum transuersum infestãt· non ab re dolorem ad pręcordia transmittunt. propter hoc uenę sectio quæ in cubito est, si fiat, & per illam uiam euacuatio fiat· tales dolores non admodum iuuat, quia à loco immediate non trahit, sed multa eget uia, & multo tempore. dicit uero non admodum, quia denique iuuat, cum omnis uena à loco trahat. ratio uero cur non iuuet, est, quia cor est medium. nam uena quę costas octo nutrit inferiores, in hominibus est sub corde· cor uero medium est inter uenam hanc quę tales nutrit costas, & uenam quæ inciditur. Scito tamen in aliquibus esse supra cor ꝑpe auriculam dexteram. Hęcq; satis sint à me super id quod ab Hippocrate dicitur de secanda uena cubiti interna. hęc autem uena à recentibus iecoraria uocatur.

Hic uero ambiges, cur potius non iubet communem uenam secandam, quoniam, ut in huius. 2. libri initio dicebat Galenus, tota ratio cur uena secari debebat, erat plethora, & nimia sanguinis abundantia· nempe si plethora non fuisset, facile per fomenta resolueretur affectus. At communis uocata uena uidetur potius plethoram soluere, quàm iecoraria. Igitur potius aperienda erat communis uena, quàm iecoraria. Respõdemus, & si à toto corpore magis euacuare uideatur uenę cõmunis sectio, quàm iecorarię, cum & à superioribus & ab inferioribus partibus euacuet· tamen nõ ita conuenit ut euacua-

tio à iecoraria, quia hęc à propinquioribus abscessus partibus euacuat, quàm faciat uena communis. Pręterea, communis uena ab inferioribus & superioribus partibus trahit, iecoraria ab inferioribus tantum trahere uidetur.

Quod legitur, quæ igitur sublimior uenæ ipsius à fissura portio per externa cubiti loca defertur: in Aldino codice habeť: ὅσον μὲν οὖν μετὰ τὴν σχίσιν αὐτῆς ὑψηλὸν μέρος ἐπὶ τὰ τοῦ πήχεος ἐκτὸς φέρεται, τοῦτο παρὰ τὴν σχίσιν αὐτῆς ὑψηλὸν μέρος ἐπὶ τὰ τοῦ πήχεος ἐκτὸς φέρεται.

Putamus hunc græcum contextum esse mendosum. & huius sententię ferè dimidium in Aldino codice superesse, in quo & nonnulla deesse arbitramur.

Septimo, Galenus exponit terminum uacuandi sanguinis ab Hippocrate positum, & de coloris mutatione rationem reddit. nam sanguis qui in inflammatione continetur, ob caloris abundantiam in calore permutatur: & sanguis qui in omnibus aliis est partibus, similis remanet. unde cum sanguis qui in toto spargitur corpore sit pituitosior, ille qui continebitur in inflammatione, erit rubicundior quàm qui in toto corpore existit, quia actio uehementioris præter naturam caloris illud efficit. At è contrario si contingat hominem sanguinem habere calidiorem, qui est in toto corpore, & rubicundum: ille qui in inflammatione continebitur, ob intensum calorem adustus, atq; assatus erit, propterea & niger efficietur. uerum quando sanguis è rubro in nigrum in phlegmone transmutať, opus est hunc incessum per medium fieri. medium uero est liuidus color. Contingit uero talem educi sanguinem, quando in tali dispositione, nondum sit adeo assatus ut ad nigrum peruenerit. hoc igitur est sufficiens argumentum, sanguinem ex inflammata particula deduci, quãdo alterius exit coloris, quàm prius exiuerit. Nunc igitur dictus est euacuationis modus, atq; mensura, quę est pecularis & cõueniens affectui. Tamen quando contingit corporis uires prohibere, ne tanta sanguinis quantitas euacuetur, tunc scire oportet, & hoc ipsum auxilium non conferre parti, quę phlegmone affecta est. unde non est melius uirtutem exoluere, quàm sanguinem redundantem euacuare, imo longe deterius.

De uenę sectione in pleuritide.

Hic uero à nobis pręteremittẽda non est disputatio illa, quę passim per hominum ora uagať, & de qua recentiores libros confecere ne dicam uolumina. Tamen nos breuissime rem tractare curabimus, ut succum tantum afferamus, non uerba. Cum ab Hippocrate dictum sit secandam esse uenam cubiti intrinsecam in pleuritide, tamen non exprimit, an secanda sit eiusdem lateris uena, uel alterius: imo an primo secanda sit uena pedis oppositi, quàm uena oppositi brachij uel pedis eiusdem lateris, quę profecto disputatio multorum animos uexauit. Nos uero ut hac ipsa de re nõ nihil exquisite agamus, primo suadebimus Hippocratem & Galenum, uel Hippocratem ex Galeni expositione in hac parte, uenam eiusdem lateris secandam iubere. De uenę genere non ambigunt authores: omnes enim (ut inquiunt) basilicam secandam uolunt: quam uero accipiendam uelit Hippocrates, dissident. Hippocrates hic inquit secãdam esse uenam cubiti intrinsecam. Cur uero id fieri oporteat, in præsenti commentatione uberius à Galeno disputatum est; multaq; de humeraria uena, & axillari disseruit, docuitq; axillarem secandam esse, antequam humerarię conueniat, & cõmunem uenam efficiat: rationem q; reddit, quia sublimiora clauicularum loca citissime euacuat. Galenus igitur uenam illam euacuandam censet, quę facilius & citius à loco læso euacuat. At talis est eiusdem lateris uena. Igitur eiusdem lateris uena secundum Galenum in hac commentatione secãda est. Adde Galenum iubere partem illam quę phlegmone obsidetur, celeriter euacuandam esse, & celerius quàm alia quęlibet pars. Id uero celerius fieri non potest, quàm si ab eiusdem lateris uena sectio fiat. Forte dices eandem fieri rationem, etiam si ab alio euacuetur latere, potissimum quando pleuritis in octo inferioribus costis sit, nam dexterę partis axillaris ęque à dextera euacuat parte, sicuti à sinistra, & è contrario. Non est igitur de una maior quàm de altera ratio. Respondemus: & si, uenarum æqualitate considerata, pręsertim quando morbus in partibus sit inferioribus i. in octo costis inferioribus, maior ratio non uideatur, neque maior distantia axillaris brachij, & sinistri ad uenam cauam, & ad uenam ἄζυγον, quam sine pari uocant: tamen Hippocrates iubet semper κατ' ἴξιν seruandam. i. ἐυθυωρίαν secundum Galenum superius libro primo Sectione. 29. i. secũdum rectum tramitem incedẽdum est. unde magis directa est, dexteri brachij uenam, ad dolorem dexterę partis lateralem, quàm uenam sinistri brachij ad eundem dolorem in latere dextero: in pleuritide uero, quæ in costis quatuor fit superioribus, nulli dubium est uenas eiusdem lateris esse magis propinquas, quàm alterius, & immediatius ab eo latere euacuare, quàm oppositi lateris uenę euacuent. Adde aliud argumentum hic ex Galeno, quòd eiusdem lateris uena sit secanda. nam uniuersaliter loquitur, tam in quatuor costarum in pleuritide superiorum euacuatione, quàm aliarum: atq; tantum sanguinis ducendum esse, ut color immutetur. notat uero Galenus colorem immutari, quando exit sanguis à loco læso & inflammato. uerum si in superioribus costis, imo & in inferioribus, tanta sanguinis copia extrahi deberet, ut ad mutationem talem deueniret, quòd sanguis in inflãmatione contentus exiret: si ab altero latere uenę sectio fieret, opus esset decem aut duodecim sanguinis libras, uel magnam copiam educere, prius quàm sanguis in inflammatione contentus exiret. nam caua uena prius euacuaretur, & iecur, & latus illud totum, & eiusdem lateris magna pars. Et tanta est q; distantia prius q̃ sanguis illuc accederet, homo esset exanguis. ut ex hoc iudicãdum sit Hippocratem & Galenum in hoc loco ab eodem latere sectionem faciendam censuisse. Verum ut hac in disputatione ordine quodam incedamus, huc adducendæ sunt uariæ in hac materia opiniones, & earum rationes: ut denique quid boni authores afferant, & ueritas ipsa elucescant. Id uero scire oportet, quęstionem hanc nõ esse nouam, ut quidam putant, sed esse antiquissimam. nam & Galenus illius mentionem facit in libro de curandi ratione per sanguinis missionem, ubi ab eodem latere secandam docuit, & ex. 4. huius uoluminis libro colligi potest, ubi aperte dicit ab eodem latere fieri debere. idq; Hippocrates in cõtextu palàm dicit Sectione. 22. imo ut Galenus notat in principio libri de curandi ratione per sanguinis missionem, Erasistratus, & eius sequaces hoc auxilio carebant. s. uenæ sectione, quippe in nullo casu uolebant secandam esse uenam. Ad rem uero nostram redeuntes, ut breuibus hoc negotium expediamus: non enim ample rem tractaturi hic sumus, de qua seorsum una in quęstione scripsimus, sed rerum tantum capita enarrare statuimus: Ludouicus Paniza Mantuanus, uir nostra ętate celeberrimus ac doctissimus, in pleuritidis principio, uenam pedis oppositi lateris secandam esse iudicat. nam supponit in principijs semper diuertendum esse. hæc uero maxima diuersio est. nam ipse considerat spiritum, & sanguinem, qui in toto sunt corpore, semper ad locum lęsum cõfluere, in quo quidem loco dolor adest. cum uero ad locum doloris mouenť, in illo nõ sunt: nam primo sunt in termino à quo, postea mouentur in terminum ad quem: in utrisq; enim his locis eodem tempore esse non possunt, sed in principio modica particula ibi esse incipit, quę partes extẽdens atque inflãmans, in membro tam sensili dolorem facit. unde materia quę est in termino ad quem, in principio est paucissima: crescit uero paulatim: in termino autem à quo, est multa. in fine motus è contrario res se habet. nam in termino ad quem, est multa: in termino à quo, pauca: in tempore medio, est parum in termino à quo, parum in termino ad quem: ut dimidium sit in termino à quo, dimidium in termino ad quem. propterea tres sectiones fieri iubet: unam in principio, quę diuersiua tãtum uocatur, in qua saphenam pedis oppositi secãdam uult, aliam

in medio

in medio, quę partim sit diuersiua, partim euacuatiua· nam in morbi medio pars fluxit materię, & pars adhuc fluit, tūc axillarem oppositi brachij incidendam dicit: tertiam in fine sectionem facit, in qua solum euacuare intendit, & sit in axillari eiusdem brachij, tunc enim materia est iam fixa. prima igitur sectio est diuersiua· secunda, partim diuersiua, partim euacuatiua· tertia, euacuatiua solum.

Suam hanc rationem confirmauit uir egregius: si in fine cum materia est iam fixa, euacuatio conuenit per uenę sectionem ab eodem latere· igitur hęc uenę sectio in principio est inepta. Consequentia proba est. nam sicuti principium opponitur fini· ita operatio quæ in principio fit, illi opposita esse debet, quæ fit in fine: sed oppositus maxime locus affectę parti, est oppositio pedis saphena: igitur oppositi pedis saphena in principio secanda est.

Addit & hoc uir ille diligentissimus, per partem inflāmatam nunquam esse materiam trahendam· quod fieret, si in principio ab affecta parte euacuatio pareretur.

Pręterea inquit· non licere aliquam corporis particulam euacuare, prius quàm uniuersum corpus euacuatum sit, ubi potissimum uir affectus plethoram patiatur.

Hęc sunt potissima ferè celeberrimi uiri fundamenta, quibus suam opinionem astruere conatur. reliqua aut his innituntur, aut ad refellendas aliorum sententias de uena secanda in eodem latere ponuntur.

Quid uero de huius doctissimi uiri opinione censeamus, si petis, dicimus nos id proculdubio sentire, quod & aliàs publice diximus, & uniuerso medicorum coetui demandauimus· imo quod & ad ipsummet egregium Panizam literis scripsimus, artificiose admodum & philosophice, in sua opinione tradenda incessisse. & si medicus in illo initio ęgrum curaret, quo materia ad locum moueri incipit, materiaq; à toto corpore per ordinem ab eo relatum moueretur· nos pedibus ac manibus in Panizæ nostri sententiam insiliremus· sed medicus nunquam in illo principio uocatur. Et cum dolor sentiri incipit, non pauca adest materię copia in loco. & materia nōnunquam à capite ad inflammatam partem descendit, & non ab alio loco· quamuis deinceps & sanguis aliarum partium, & spiritus illuc concurrant.

Alij uero sunt, qui ab opposito brachio in principio iubent secandam esse uenam, qui tribus rationum generibus potissimum innituntur: unum genus, est ex diuulsione, quę in principio fieri debet· aliud genus, ex Arabum sententijs· tertium genus, ex uarijs Hippocratis & Galeni locis, in quibus ab opposita parte uenam secandam iubent, qui loci & in Aphorismis sunt, & alijs in libris. huncq; Hippocratis & Galeni locum intelligunt, ut de uenę sectione deriuatiua loquantꝰ, quę in principio fieri non debet. Nos horum cumulo Aetij sententiam adducere possumus, qui à latere diuerso uenam secandam censet.

At sententia hęc Hippocrati & Galeno repugnat, qui simul & ab eodem latere euacuatiuam uenę sectionem fieri & diuersiuam intelligunt. Nec mirum erit, quòd diuertat simul & euacuet, si quis bene & loci situm, & ordinem uenarum contempletur. Et de hac opinione, in quęstione de uenę sectione egimus. Nos igitur Hippocratis sententiam esse & Galeni iudicamus, uenę sectionem in pleuritide ab eodem latere in principio semper faciendam esse. unum tamen est ab his authoribus semp suppositum, adesse. s. plethoram, quia plethora causa est cur uenę sectio fieri debeat. & profecto uerum dicunt, plethoram uenę sectionem expetere: tamen sunt, & multa alia quæ nos pręter plethoram ad uenę sectionem inducunt. Nempe Galenus in libro de curandi ratione per sanguinis missionem Menodotum reprehendit, qui in sola plethorica syndrome uenę sectionem seruari dicebat. Galenus uero inquit· plethoram non esse primum mittendi sanguinis scopum, sed scopi sanguinis mittendi sunt fientis passionis suspicio: quia si apparet passionem futuram magnam, sanguinem omnino mittemus, etiam si nulla adsit plenitudinis nota. solum hæc tria consideranda uult, ætatem, uires, regionem. tamen Galenus iudicat primos & præcipuos mittendi sanguinis scopos esse morbi magnitudinem, & laborantis robur. plethora uero quia auget morbi magnitudinem, propterea & ipsa huc adducitur. imo Galenus notat non solum secādam esse uenam, quando morbus est magnus, sed & quando timetur ne fiat magnus. & uerisimile est quòd debeat fieri magnus· nam Hippocratis doctrina iubet. præuidenda esse futura, & ad illa pręparandum· nam morbi pręsentes, incipientes, & imminentes sunt considerantes. imo addit nos secare uenam in sanis, cum timemus, ne fiat aliquis morbus, tamen habita ratione ętatis & uirium. statim igitur ne magnos incidant morbos, quia ad hoc propēsi sunt, phlebotomare iubet. & ideo infert Galenus tria esse quę agnitionem continent· morbi magnitudo aut pręsens aut imminens, ętas florens, & uirium robur. Nota tamen Galenum sępius multos alios posuisse scopos. nam cum aliqua princeps pars, uel totum corpus grauatur, opus est euacuare. qui uero ita sunt affecti, nisi in pueriti, uel senili ętate sint constituti, de secanda uena consilium inito, pręoculis habens principales hosce scopos, plenitudinis tum quantitatem, tum qualitatem, & uirium robur, atq; infirmitatem, deinde naturalem totius corporis habitum, tempusq; & regionem, uitamq; anteactam, tum an cibi potusq; copia, & pręcipue affatim nutrientium, qui sic affectus est, sit usus. Ad hęc consuetudinem & res pręter consuetudinem actas, quosq; motus exercuerit, quas excretiones habuerit, aut pręter solitum compescuerit, ad omnia autem hęc non gracilior ac crassior euaserit. Nolo tñ ut hos omnes scopos ad uenę sectionem referamus, sed ad totius corporis grauitatem, aut partis principalis curādam· quia pędicta solum tria sunt primi scopi. imo & paulopost docet, quibus suaserit sanguinem demendum esse, & dicit podagricis, arthreticis, morbo comitiali obnoxijs, ad hęc melācholicis, quiq; sanguinem ante expuissent, aut in thorace structuram fortiti essent, ad id malum idoneam, præterea uertiginosis, quiq; assidue corripi solent angina, peripneumonia, pleuritidibus, hepatidibus, ophthalmijs uehementibus, aut (ut in summa dicam) magno quopiam morbo. in his omnibus sanguinis minutionem iudicat Galenus esse necessarium remedium confestim adhibitam, post habitam uirium atq; ętatis rationem. ut hic etiam uideas Galenum magnitudinem morbi fecisse scopum in secanda uena, & non plethoram. Illa igitur consideratio, quam omnes subintelligendam iudicant, nullius est momenti. s. in pleuritide cum abundantia materię esse secandam uenam. imo nos dicimus uel adsit materię quantitas uel absit, modo non sit tam pauca ut fomentis solui possit, soluendam esse uenam in pleuritide, si ętas & uires ferant, scopo ex morbi magnitudine sumpto, & ex morbi genere: nam & magnus est morbus pleuritis, & talis qui uenę sectionem requirit.

Nunc probandum est ex Hippocrate & Galeno in lateralis morbi principio, ab eodem latere secandam esse uenam. primo, hic Hippocrates dicit· si dolor supra ad clauiculam pertigerit, interiorem brachij uenam secandam. hoc autem fieri uult quoad sanguis qui in abscessu continetur, exeat. uerum si ab opposito latere sectionem fieri uoluerit, opus erit totum ferè sanguinem exhaurire, prius quàm is exeat sanguis qui in loco est affecto. ab eodem igitur latere fieri intelligit. At dicere posses apud Hippocratem & Galenum non esse inconueniens sex aut septem sanguinis libras educere. ne hoc sit tibi excusatio, primo dicimus exigi plusquam decem, anteq; is sanguis exeat. sed ne hoc modo fugere uidear, ex uerbis ipsius Hippocratis id probo. nam in. 4. huius uoluminis libro Sectione. 7 3. ipsemet idem repetit, quod hic scriptum reliquit. & addit illam sectionem ab eodem fieri latere· nam de pleuritide agens inquit: si dolor sursum penetrauerit, uel clauiculam, uel mammam, uel brachium· uenam brachij internam secare oportet, qua dolor afficit parte. & ne fugias, librum illum

quartum Hippocratis non esse, Galenus expresse testatur esse Hippocratis illam partem, propterea dicit, Rursus & in presenti loco partis legitimę sententiam elaborat, quoniam in ea pretermissum est, quod simul cum dictis intelligitur adijciatq; illud uenam.s.secandam recto à latere dolente tramite, & id exposuit, inquiens, uenam brachij internam secare oportet: sed manifesta usus breuitate, orationem negligentius percurrit. nam uenam cubito dicere debuit, cum uenam brachij dixit. Hęc Galenus, quibus ostendit Hippocratem idem sensisse in hac parte, quamuis non expresserit.

Pręterea, idem Hippocrates in primo de morbis libro prope finem, in pleuritide, cuius dolor tendat ad clauiculam, iugulum'ue, secandam esse uenam lienis docet, si in sinistra sit parte, si in dextera sit dolor, secandam esse uenam iecoris, ut hęc manifeste uelit eiusdem lateris uenam esse secandam.

Galenum uero hoc idem sensisse palàm est, primo ex his quę superius adduximus, pręterea circa dimidiam libri partem de curandi ratione per sanguinis missionem, inquit, quin & pleuriticis, quę è directo laborantis lateris adhibita fuit sanguinis missio, clarissimam sępe utilitatem attulit. quę uero ex brachio opposito, aut obscuram omnino, aut certe post temporis interuallum. Imo & de grauissimis oculorum doloribus ibidem dicit, è directo uenę, quam humeralem uocant, sectio intra horę unius spatium compescuit. Nec dicere cõuenit, hęc in principio non fieri, quoniam tunc fieri censet, quando uenam secare opus est. in his uero morbis statim in principio secandum nemo dubitet. Adde in eodem libello, in lienis affectu sanguinem ex sinistro detrahit brachio, & ꝓdesse dicit.

Vt autem rem hanc breuibus pertrãseamus, dicimus & Hippocratem & Galenum hoc proculdubio sensisse, illosq; à tota aberrant uia: qui in alias quasdam sententias pro suarum opinionum libidine hos authores deducere conantur, & extorquere, & qui ad diuersiuas euacuationes Hippocratem & Galenum reducunt, & ad euacuatiuas & ad deriuatiuas, & quòd fieri non debeant, nisi postea quàm tota materia sit collecta. hoc omnes iudicamus Hippocratem & Galenum haud probe interpretari, excellentissimum Panizam potius laudamus, qui non it inficias Galenum hęc sentire, sed propriam sententiam Galeno oppositã statuit. Hęc satis esse arbitramur, ut illam fuisse Hippocratis & Galeni sententiam ostenderemus. Et si cui lubeat in has opiniones argumẽta noscere, & omnium argumentorum solutionem contra Hippocratis & Galeni sententiam: nostram legat de uenę sectione amplam quęstionem, legatq; recentiores omnes, qui de hac materia ubertim scripsere. Nos uero in ipsa quęstione nõnunquam fuimus adeo diffusi, ut uobis ipsis fastidio fuerimus, reprehendentes nos, qui in re tam plana tantum temporis contriuissemus, in qua tot probi uiri mentes exercuere. Arbitramur igitur secundum Galeni sententiam hoc modo incedẽdum esse, si pleuritis sit in quatuor costis superioribus, in principio semp ab eodem latere euacuandum, & humeralem uenam eiusdem lateris secandam. si uero una sit ex quatuor inferioribus costis, internam cubiti uenam seca, quam recentes iecorariam & basilicam uocant. At si uenarum distantiam ab illa quæ ipsas nutrit consideremus, ita profecto illa secari potest, quę in una est parte, ut illa quę in alia. Tamen cum ab Hippocrate perpetuo predicetur, medicos semper κατ' ἴξιν, id est, rectitudinem seruare oportere. & si ab eodem sit latere, exquisitius seruetur. propterea ab eodem latere semper fieri censemus, illamq; & euacuatiuam & reuulsiuam uocamus euacuationem, de quibus in nostra ampla quęstione de uenæ sectionè ubertim egimus.

Habeẽ mẽtio huius sentẽtię Hippocratis in libello de uenę sectione aduersus Erasistratũ. & omnia hęc ad uerbũ adducit.

## Hippocrates. Sectio. XI.

**Si uero eas quæ sub septo transuerso sunt partes, dolor infestat, nullumq; ad clauiculam signum fecerit: uentrem uel nigro ueratro, uel peplio mollire oportet. Sed ueratro nigro, uel daucum, uel seseli, uel cyminum, uel anisum, uel aliud quippiam boni odoris miscebis. Peplio uero silphii succum, quanquam & hæc inter se mista non dissimiliter agant. Cæterum ueratrum nigrum tum melius, tum ad iudicationem iuuantius, quàm peplium, uentrem soluit. sed peplium flatum magis excutit. Dolorem præterea ambo hæc sedant. sedant quoq; & alia quæ expurgant medicamenta. Verum omnium quæ nouerim uiderimq;, hæc potissima existunt. Nempe & quæ in sorbitionibus dantur purgantia medicamenta soluere possunt, quæcunque .s. non ualde insuauia existunt, uel propter amaritudinem, uel aliam quampiam iniucunditatem, uel quantitatem, uel colorem, uel suspicionem aliquam.**

**BRASAVOLVS** Hippocrates de illa in pręsentiam agit euacuatione in pleuritide, quę fit per medicamentum. Prius dictum est, si dolor ad superiores pertigerit partes, intrinsecam cubiti uenam esse secandam: at si dolor partes illas infestet, quę sunt sub septo transuerso, & nullum faciat signum ad clauiculam, & ad illam non extẽdatur, neq; ad brachium, neq; ad partem aliam ex superioribus: tunc uentrem soluere oportet, quod fiat uel nigro ueratro, uel peplio. Tamen non sunt hęc simpliciter dãda, sed nigro ueratro, uel daucum, uel seseli, uel cyminum, uel anisum, uel aliud quippiam boni odoris miscebis: peplio uero silphij succum commisceas: quamuis & hęc inter se mista dissimiliter non agant. ueruntamen, nigrum ueratrum & melius & iuuantius ad iudicationem, quàm peplium uẽtrem soluit: peplium tamen flatus magis excitat. Scitoq; duo hæc dolorem sedare. & non solum hęc duo id faciunt, sed & alia expurgantia medicamenta idem facere certum est. Iudicat uero Hippocrates inter omnia quę nouerit & uiderit medicamẽta id pręstare, & omnia superare. nam & medicamenta illa purgantia quę in sorbitionibus dantur, soluere possunt, quęcunq;.s. non sunt ualde insuauia, aut ob amaritudinem, aut ob aliam quandam iniocunditatem, uel quantitatem, uel colorem, uel suspicionem aliquam. hęc breuibus ab Hippocrate in hac sententia dicuntur.

In octauo de compositione medicamentorum secundum locos, ubi ponit stomachica pharmaca ab Asclepiade in primo internorum conscripta, hanc sententiam refert: & notat apparere Hippocratem maxime odorem respicere, quo medicamẽtariam uim, quę hominis naturę contraria est, mitiget & obtundat: quemadmodum enim graue olentia omnia stomachum subuertere solent, sic odorata corroborare. fit & huius sententię mentio à Galeno in primo de compositione medicamentorum secundum genera parum post principium, ubi titulus est, Quis compositorum medicamentorum usus. Intendit uero hoc loco Galenus probare apud Hippocratem esse quidem usum medicamenti purgantis, sed insuauitatem eius in potu, moramq; in uentriculo condimentum requirere. imo in fine libelli inscripti apud Galenum, Quos oporteat purgare, & quibus medicamentis, ratio habetur cur odorata catharticis medicamentis sint addenda: ubi Galenus inquit, Cum uero medicamenta omnia quęcunq; purgant, uentriculum lędant, & maxime eius ostium, quod neruis quamplurimis cõstat, & acute sentit: excogitatum est beneolentia purgãtibus admiscere, ne sola atq; sincera eorum uis ostium uentriculi attingat.

attingat, Oportet autem admista semina talia esse, quę & medicamēti malignam retundere, & eius opus impedire nequeāt, quęq; attenuare & incidere ualeant, ut & crassos humores secare, & uias, p quas educi debēt, aperire, & patefacere possint. τὸ ἢν δ' ὑπὸ τὰς φρένας ᾖ τὸ ἄλγημα. i. si uero sub septo transuerso dolor infestet. Sed inquies, quomodo erit dolor lateralis si sit sub septo transuerso? nam, ut superius à Galeno dicebatur, & aliàs ubi de hac re sermonem habet, pleuritis in pellicula fit costas tegente: sub diaphragmate uero non sunt costę, igitur impossibile est dolorem esse sub diaphragmate. Respondemus omnino uerum esse lateralem morbum non posse esse sub diaphragmate: sed perpetuo est supra diaphragma, cum sit in panniculo tegente costas, tamen symptomata sub diaphragma respondere possunt, ut dolor, qui partes sub diaphragmate infestabit, ob cōmunitatem quam habent inferiores costarum partes cum precordijs, unde cum inflammatio est inferioribus costis, correspondet deorsum ad praecordia dolor, & tensio quędam atque grauitas, quę ostendūt dolorem ad illas partes communicari.

Iterum ambiges: cum sint quatuor superiores costæ, quę ab axillari nutriuntur, & octo inferiores quę à uena sine pari: petimus si Hippocrates intelligit euacuandam esse per aluum, quoties dolor ad precordia descendit, sit in quacunq; costa affectio. Imo ubi forte uidebis esse aliquam costam ex his quæ inferiores uocantur, quę tamen est magis propinqua claviculę quàm precordijs, ut quinta costa, quę clauiculę magis propinqua est, quàm precordijs, si ibi sit inflammatio, dolor potius ad clauiculam peruenire deberet. Respondemus uiden Hippocratis sensum secūdum anatomicum superius à Galeno positum incessum, quòd octo inferiores costę euacuationem exigunt si pleuritide afficiantur: tamen nos nō putamus id sensisse Galenum, neq; esse uerum: nam & ex his octo costis, superiores etiam communicant quandoque cum clauicula dolorem, & ita erit sectio agenda: quandoque cum precordijs, & ita euacuandum. unde costarum situs apud Hippocratem is non est, qui nos faciat uel iubere sectionem, uel medicamentum: sed est locus ad quem uergit dolor ad illum etenim locum simul uergit materia. itaq; si per conuenientem regionem euacuari debeat, si ad clauiculam ascendit, fit uenę sectio si ad precordia euacuatio. fieri uero potest, ut si inflammatio in inferioribus sit costis, compassio fiat ad clauiculam, & in superioribus ad precordia: licet raro sit, quia utplurimū partes inferiores affectę partem inferiorem & precordia coafficiunt, & superiores clauiculam. costę autem medię, ut quinta costa id suadebunt fieri debere ad quod inclinabuntur. Si uero dicas, nónne fieri posset ut in aliquibus ex medijs costis fieret affectio, tamen nulla esset neq; ad clauiculam, neq; ad præcordia compassio? Respondemus hoc prorsus esse posse, & plerunq; adest pleuritis, tamen nihil horum compatitur.

At inquies, quid tunc agendum? Respondemus: considerandus est costarum situs: nam quę deorsum sunt, cum suaderēt utplurimum de medicamento, medicamentum & nunc dandum suadebunt, & superiores de uenę sectione, medię uero potius reducuntur ad uenę sectionem, etiam si de octo inferioribus costis esse iudicentur.

Dices autem, si in septo transuerso morbus lateralis fiat, qd tunc agere oportebit? Respondemus & fieri in septo, & esse periculosissimum, & eos delirare, qui illo sint correpti, paucosq; superuiuere. in hoc autem laterali morbo, & Hippocrates forte uenam secaret, quamuis partes quę sunt sub septo compatiantur, & materia ad inferiora tendere uideatur. Sed dices: si inflammatio lateralis in septo sit, potest'ne compati clauicula? Respōdemus nihil impedire, quoniam in quacunq; sit costa, potest compati clauicula. & hoc plerunq; experientia contingere uidemus. imo quod maius est, in iecoris inflammationibus quę in conuexa sunt parte, dolor ad clauiculam pertingit, ut ex Galeno in libro de locis affectis colligere licet, quanto magis compatietur si in septo transuerso sit, & in costis inferioribus: cum sit maior & breuior continuatio hęc ad clauiculam, quàm iecoris.

Si etiam petas, an sit lateralis morbus is qui in inferiori septi transuersi parte fit: Respondemus procul dubio esse lateralem morbum, qa lateralis morbi symptomata omnia habet, & sæuus est morbus, at non tam sæuus, ut is qui est in parte uersus thoracem, nec materia expui potest quę in hoc loco est, sed facilius per secessum euacuatur.

Petes preterea, an necessarium sit semper purgare, cum dolor ad precordia descendet. Respondemus, si corpus plethoram pateretur, deberet prorsus uenæ sectio precedere. & id adde quod à Galeno hic dicitur, Maius auxilium sequitur per purgationem, quàm per uenę sectionem. sed tutius est uenam secare, quia medicamentum porrigentes nescimus an supra modum purgare debeat, uel diminute, uel ut conuenit, hoc ut cōuenit difficilimum est scitu, nisi aliàs in illo expertus fueris. imo cum res immutentur, & hominum status, poteris alicui homini & bis & ter prębuisse medicamentum, quod probe eduxerit, deinde quarta uice aut effrenit abit, aut nihil adducet, quia hominum naturę tempore immutātur. si uero supra modum educat compesci non potest, quando lubuerit: si diminute educat, mouet & nō euacuat: quare potius crabrones irritat, quàm dolorem sedet. hęc uero in uenę sectione nō contingunt: nam quando lubuerit, sistere potens, & multum educes, parum & mediocriter pro uoto, & rei necessitate. idem Galenus in libello de curandi ratione per sanguinis missionem, de uenę sectione respectu pharmacię hęc dicit. nam quod laboranti medicamentum dandum sit, aut bilem tum flauam, tum atram, aut pituitam, aut serosum excrementum euacuans, exacte nouimus: ceterum quantum prębeti debeat, nescimus. atqui talis exhibitio corrigi postea nequit. nam quod semel in uentrem deuoratum est medicamentum, quo minus omne deuoratum sit, fieri non potest, neq; fieri potest, ubi plus quàm conueniat, iam purgetur homo, partem ablati auferre. at in sanguinis missione summum id bonum est, euacuationem dum uoles posse sistere. ac rursum quo uideatur tempore, fluere sinere, quoadusq; recte habere appareat. Paulus quoq; censet & cum dolor ad partes infernas tendit, secandam esse uenam: nullamq; aliam affert rationem, quàm pręsidij securitatem: nam libro. 3. capite. 33. inquit, si ad iugulum usq; dolor protendatur, uena incidenda est: si uero ad precordia usq; perueniat, purgandum est per inferna. Recentiores autem omnibus sanguinem secta uena detrahunt, formidantes (ni fallor) purgationem, turbationem, & molestiam. itaq; in presentiarum nos utimur in quacūq; sit parte thoracis, modo uires constent, & ętas sufficiat, secamus uenam in pleuritide. At Trallianus illos reprehendit medicos, qui inficias eūt dari posse medicamentum in pleuritide, inquiens: reperiūtur etenim indigni sanè nomine medici, qui negant purgandos esse pleuritide affectos, atq; ob id tanquam exquisitum malum expurgationem deuitant, sanguinem uero qui per uenas detrahendum uno ore omnes iudicant. id enim inculpatum, & omnis perniciei expers esse autumāt. Nos etiam non negamus fieri posse euacuationem per medicamentum, sed cum inflāmatio fit, uenę sectionem potius eligimus, & ea in principio potius utimur, etiam cum tendit dolor ad precordia. at in hominibus exanguibus multum confert cucurbitula adhibita. de qua ita dicit Trallianus libro. 2. capite primo, illud uero scitu omnino dignum esse arbitror, quòd plerique auspicato satis, cum aliàs, tum maxime in qbus sanguis non multum abūdare uidebatur, scarificationem usurparunt, & cute scalpello incisa, extemplo cucurbitulam ad extrahendum ex imo, quicquid noxij humoris intus lateret, adplicauerūt. qua re uix absoluta, ne dicam inchoata, mirum dictu, quàm continuo, nullo alio medicamine adhibito, dolores ita qdem profligati sunt, ut neque ullis fomentis, neq; quoquam alio medicamēti pręsidio esset opus. Tu hinc uides Trallianum, & antiquos supra locum lęsum cucurbitulam ponere, quanto magis sectione

ab eodem latere uti poterimus? Et si dicas id uideri absurdũ, quia materia à cucurbitula ad locum trahitur ipsum: Respondemus Trallianum id fieri uoluisse quando nulla adsit plenitudo, & non simpliciter, unde & Celsus libro. 4. capite. 6. in pleuritide notat, quando morbus fuerit uel lenis uel antiquus, ad cucurbitulas confugiendum esse, antea summa cute incisa. fit & tute hoc presidium, quando fuerit mendosa pleuritis. Nonnulli uero Hippocratem hic intelligunt de dolore sub septo transuerso, non quidem de lateralis morbi dolore, sed de dolore & uentriculi & intestinorum, & partium que sunt sub septo. hi uero reprehensione non indigent: quoniam manifestum est, Hippocratem de laterali morbo intelligere, & Galenum ita exponere. Imo adde in partium doloribus sub septo quandoq; opus esse uene sectione uti, & semper nõ esse opus dare medicamẽtũ, ut in iecoris inflãmatione & alijs similibus. Posses etiã petere, an diuersi sint humores qui in costis inferioribus pleuritidem faciũt, ab illis qui in supioribus eandem excitant: Respõdemus: cum fieri possit ut totus thorax sit eque robustus, & una pars non sit magis imbecilla alia: in hoc casu humores qui in inferioribus costis pleuritidem faciunt rationabiliter debẽt esse crassiores, & pituitosiores, uel magis atrabilarij: illi uero qui in superioribus costis pleuritidem faciunt, rationabiliter debent esse tenuiores & biliosiores. At si una thoracis pars esset alia imbecillior, uel male affecta, nulla est ratio, cur potius ad illam partem fluat genus hoc materie, quàm illud: nam ad ipsam ob eius imbecillitatem, omne materiae genus transire potest.

Preterea ambigere poteris, si materia que in partibus superioribus pleuritidem facit sit biliosa, cur per uomitum potius nõ educitur, quàm per uene sectionem: Respondemus: quãtum sit ratione materie in sua natura & sua specie, pfecto conueniret uomitus nisi aliud impediret. impedit uero morbus qui est in thorace: nam uomitus spiritualia membra offendit, ab eo etenim concutiuntur & læduntur: pproptere ob materiam forte competit uomitus, sed ob morbi situm non competit: imo ob hoc potius uene sectio competit.

ἐς δὲ τὴν κληῖδα μὴ σημαίνει. i. ad claviculam uero nullum signum fecerit. ut dolor non pertingat ad claviculam, sed tantum sub septum transuersum extendatur, ut ille partes per συμπάθωσι. i. compassionem afficiantur. ex quo nota doloris quidem principium esse in panniculo costas tegente, sed ad precordia usq; extendi, quod indicium est materiam ad illam uergere partem.

μαλθάσσειν χρὴ τὴν κοιλίην ἢ μέλανι ἐλλεβόρῳ, ἢ πεπλίῳ. i. uentrem mollire oportet uel nigro ueratro, uel peplio. intellige uero emollire uentrem. i. euacuare: nam neq; ueratrum, neq; peplium sunt emollientia, sed euacuantia: at Hippocrates cõsueuit uti uocabulo emollire pro eo quod est euacuare: ut etiam in primo libro usus est Sectione. 33. ubi dicebat: si in pleuritide non erunt satis fomenta, κοιλίην μαλθάξας ἢ φλέβα τεμών. i. uentrem emollias, uel uenam secato, & non ab re utitur uocabulo κοιλίας, quod uẽtriculi cauitatem significat, per quam humores hi, qui deorsum uergunt, euacuari debent.

Petes uero, an semp in principio hec dare opus sit, cum deorsum uergit dolor: Respondemus, si Hippocrati Hippocratem consentaneum reddere uoluerimus, hec medicamenta in principio semp non dandanam in primo Aphorismorũ dictum est: In acutis morbis raro, & in principijs purgantibus medicamẽtis est utendum. unde in acutis morbis raro purgantibus medicamentis uti debemus, ut eodem libro notat Galenus, quia omnia medicamenta potentia sunt calida, & acutus morbus est calidus. & idem hic notat. & potissimum in principijs illis uti non debemus, nisi materia turgeat, plurima uero non turget. propterea etsi ab Hippocrate hoc presidium proponatũ, tamen non ita proponitur ut semper fieri debeat sed solum cũ materia turget, uel cum necessitas nos cogit, ut sit non nihil mouendum. hoc uero non nihil mouendum erit, si dolor maxime uexet, tunc enim medicamento isto utemur, quia apud Galenum duo sunt potissima sedandi dolorem instrumenta, uenæ sectio, & medicamentum. cum igitur dolor erit ualde intensus, tunc aderit quid mouendum, & cum deorsum inclinet materiam, materiam illam in principio statim euacuabimus. at si dolor non sit tam intensus, hoc medicamento non utemur, sed cum Galeno potius in commentatione uenæ sectionem adhibebimus.

Iterum uero dubitabis: cum utplurimum à bile fiat pleuritis, cur nigro utimur ueratro? nam bilem atram soluit, ob id ad rem esse non uidetur. Respondemus, Hippocratis intẽtionem fuisse, unum aut alterum referre medicamentum ex his quibus utebantur. propterea posuit nigrum helleborum, qui atram bilem soluit & pituitam. & Dioscorides bilem addit, sed atram addendum putamus: retulitq; peplion, quod bilem soluit & pituitam. ut igitur humores exigent, id accipito: si atrabilarij humores uel pituitosi descendant, helleborum accipito: si biliosi uel pituitosi, peplion. Pauca extabant apud antiquos cathartica, quibus uterentur medicamenta. Antiquos intelligo illos qui ante Hippocratis tempora scripsere, & Hippocratis etiam tempore.

At petes, an niger helleborus ita simpliciter acciperetur, ut est, uel prepararetur: Respõdemus: nihil aliud miscet Hippocrates helleboro, quàm illa que sequentur, ut uis eius effrenitans corrigeretur. nam res est uehementissima niger helleborus, & multo magis albus. sed in hoc casu albo helleboro nõ uteretur Hippocrates: quoniam uomitum excitat, nimisq; thoracem conturbaret, & in eo contentas partes. Antiqui uero uarijs parandi helleborum modis usi sunt: Dioscorides nigrum helleborum in lenticula coquit, & alijs iusculentis, & uinum facit ad purgationes efficax: Galenus in libro quos purgare conueniat, & quibus medicamentis, helleborum in frustra concisum accipit, & raphano imponit, raphanumq; hũc per diem & noctem oxymelite madefacit, postea oxymeli prebet. Et quamuis hæc sit albi hellebori preparatio, tamen & niger eodem modo preparari potest: & eo ita uti est tutius. Sepe aqua ardente usi sumus, in qua hellebori nigri radix per noctem fuerit infusa, & mire contulit. Arabes, ut Mesue, cum hellebori radices in raphanum ponit, postea ablatis radiculis raphanum prebet. De albi uero hellebori preparatione uberrime egimus in nostris in. 4. Aphorismorum libro commentarijs Aphorismo. 13. tamen & simpliciter dedimus nigrũ helleborum in insania, & mirum contulit. nullum est medicamentum quod tam certe operationem propriam ostendat, ut helleborus niger. nam in his qui ducuntur, bilis atra & sola manifestissime exit. Peplion uero à Dioscoride describitur habere folia portulacæ simila, imo & syluestris portulaca uocatũ, foliumq; est orbiculatum, & auerso rubente frondosum, semine pepli modo sub folijs rotundo, gustu feruenti, radice una alba sine usu aliquo. Notatq; appellari à Dioscoride peplion Galenum, quod ipse uocat peplum. Nos frequenter iuxta mare peplion uidimus, frutex est & satis nonnunquam altus, multa folia habens per ambitum ferè circueuntia, quæ non sunt intense uiridia, imo non tantum folia in inferna parte rubẽtia sunt, sed & caulis ipse rubens est. Notaq; & si Dioscorides dicat radicem esse in nullo usu, nos peplij radicem in puluerem redactam prebuimus, & pituitam ac bilem eduxit. Dioscorides uero & Galenus folis usi sunt seminibus. Illiq; recentiores à tota aberrant uia, qui senam peplion esse contendunt ob foliorum rotunditatem, nesciẽtes senam lac non emittere, quod emittit peplion. nunc radix quędam alba è monte Gargano ad nos comportatur, quam turbith esse dicunt, de qua in nostro simplicium examine disseruimus: si quis illam adulterare contendat, ex peplij radice id facile fiet. In locis Illustriss. Ducis nostri maritimis peplum collegimus, & granum eius seminis masticauimus, linguam adeo commorsit, ut per temporis spatium & non breue in lingua ac si esset igne tacta persentiremus ardorem. Coquo cuipiam, radicis nonnihil dedimus, erit forte semidrachma, uorandum loco turbith, pro ca-

pitis

pitis dolore, quo uehementer afficiebatur: hic ob linguę ardorem, postea bibit ius caninum, bilem & pituitam uehementer eduxit, & à capitis dolore coquū liberauit. coquus ille omnes radices quas inueniebat ex peplio colligebat, & magnam copiam Ferrariā detulit, quas suis amicis dabat, cum aliqs de affectu (quicūq; ille fuerit) conquerebat. ego in tali loco deserto, ea radice pro necessitate usus sum, hic uero oībus dabat hominibus & pro capitis dolore, & pro alijs affectibus, & multis proficiebat forte fortuna, ut manifeste deprehēdere potuerim turbith uires habere. sed unum contigit non omittendum. coquus hic totam radicem consumpsit, ut nemini posset amplius de sua radice inseruire. ad me uenit orans ut illi hanc radicem præstarem, quam non habebam: sed ut homini satisfacerem, duxi illum ad pharmacopolam, & illi ostendi radicem turbith albam ex monte Gargano delatam. ille eam uidens gauisus est, cœpitq; ridens exclamare, en mea radix, cum tamen radix illa, quam pro turbith uendunt non sit peplion, uerū cum peplio simul rudinem habet. & ipsamet est alba, & in frusta secta, ut turbith garganeum, id generis turbith esse uidet. Si uero petas quid sit turbith hoc album ex monte Gargano, uel sancti Angeli allatum: de eo locuti sumus in nostro de simplicium medicamentorū facultatibus examine, & Dioscoridis pityusam esse iudicauimus. peplion uero non est pityusa. peplium præterea lac facit quod est feruētissimum. Ad rem igitur. coquus ille turbith emit, & caput dolentibus, atq; alijs doloris affectibus dare cœpit.

Sed de his uehemētibus ambiges medicamentis, ob Arabes, qui talia non præberēt, ut apud ipsos uidere est: imo & recētes omnes in ꝓprijs exercēdi hanc artem usibus solū leniētia prębēt: imo & à rhabarbaro in hoc casu abhorrent, qm̄ inquiunt, comprimit & adstringit. Idq; monet Auicēna in pleuritide nō debere esse rhabarbari uel rosarū usum. Recētesq; Rasim adducūt, qui in .4. cōtinentis cassiam fistulam ponit in decoctione iuiubarū, sebesten cum glycyrriza & tragacātho. Ex cassia fistula etiam soluit Serapio, & breuibus Arabica schola & recentiorum omnium lenientibus solum utuntur. Si uero à me petas, quid agendum sit: Respondemus nos non reprehendere lenientia, sed Hippocratem consideramus non iubere dandum medicamentum, nisi ubi opus fuerit. erit autem opus, cum dolor multum infestabit: infestat uero dolor & ob inflammationem & ob materiam quæ in loco est, & illum extendit. unde dat medicamentum, ut materia illa quæ dolorem facit, euacuetur. utitur uero potius medicamento, quàm uenæ sectione, quia materia ad infernas partes uergere uidetur. propterea tale medicamentum dare oportet quod materiam illam educat. tale uero non potest esse imbecille, quoniam opus est si intestina ingredi debeat, extraneas pertranseat uias. propterea si medicamentum uim magnam educendi non habebit, materiam illam euacuare non poterit, uel pro parte quæ dolorem facit. lenientia uero id facere non poterunt. & ideo in hoc casu cum medicamentis uti uoluero, uehementioribus potius utar, quàm imbecillioribus. tamen uenæ sectione libentius utar, & leniente medicamento, cum multa talia sint frigida, quæ febri obesse non possunt, quàm medicamento cathartico, ut unum est ex his quæ hic ab Hippocrate recensentur. & quia recentes rhabarbarum in pleuritide euitare contendunt, id non probo: nam eo cum lenientibus accepto suam illam uim adstrictoriam amittit. neq; illos etiam ꝓbo, qui agarici usum negligūt, qa uomitum inducere posset: nam illum emendare oportet. imo si mentem adhibeamus, & omnia leniētia ferè medicamēta uomitum mouere possent, & helleborus niger: quem tñ præbet Hippocrates. quāuis à Dioscoride, Galeno, & alijs albo helleboro attribuatur per uomitum potius educere, nigro per aluum, tñ & niger per uomitum nonnunquam educit. si igitur in principio si quid uidebitur mouendum in pleuritide per medicamentum, ex forti potius medicamento quàm ex debili mouetor: si uero id effugere potens, uenæ sectione potius utaris & lenitiuo, quàm uehementi medicamento, de qua re in Galeni commentatione statim agemus.

At dices medicamenta multum agitare, propterea in pleuritide non conuenire, in qua potius esset quietius agendum: Respondemus, si aliter fieri posset, omnino danda nō essent. sed cum illis uti opus sit, & si ratione agitationis obsint, eductionis ratione ꝓsunt. nempe nihil est tam ꝓbum, nihil tam bonum, nihil tam quietum quin aliqua ex parte improbādum sit, malum sit & inquietum. & nullus est etiam cibus qui suas nō habeat malignitates. ꝓpterea & si agitent medicamenta, id in quo iuuāt est tam amplum, ut neq; Hippocrates, neq; medicus alter hoc considerare debeat. Xenophon in calce libri .4. de Cyri minoris expeditione, ubi refert Græcos in loco castrametatos esse omnium rerū abundantissimo, ubi erant multa aluearia fauis refertissima, ex his quicunq; ed issent, statim mente commouebantur, ijdemq; & uomebant, & excernebant, neque stare omnino quisquam poterat: at qui minus ederant: temulentis simillimi reddebantur, qui plus aliquāto, furentibus, multi etiam moribundis. tam multi autem iacebant, ut ab hostibus fusi uiderentur. quæ res effecerat, ut planè omnes animum desponderent. at postero die eadem ferè hora, qua fuerant eo calamitatis genere affecti, resipiscere cœperunt. tertio deinde ac quarto, ut ij solent qui medicamentum potarunt, se traxerunt. ut hic author per hanc historiam notet, eos qui medicamentum potarunt primo esse depressos, postea se erigere. Sed quid est opus hoc aliquorum authoritate suadere, cum experientia constet?

μέλανι μὲν ἐλλεβόρῳ, ἢ σέσελι, ἢ κύμινον, ἢ ἄνισον, ἢ ἄλλο τι τῶν εὐωδέων μίσγοντα. id est, nigro quidem helleboro, uel daucum, uel seseli, uel cyminum, uel anysum, uel aliud quippiam boni odoris miscebis. Nempe helleborus niger solus dandus non est, nam cum ad os uentris peruenit, ipsum perturbaret. at si alicui ex odoriferis calidis & incidentibus ac aperientibus misceatur, non lædit, uel minus lædit. hæc igitur helleborum præparant ad euacuandum, materiamq; præparant, ut facilius educi possit, & os uentriculi disponunt ac roborant. quod alioqui praue afficeretur ab helleboro. De dauco uero in nostro simplicium examine egimus. eius uice pharmacopolæ staphyllinon agrion, id est, pastinacam syluestrem accipiunt, quæ in umbellæ medio nonnihil habet punicei nigricantis. eodem loco de seseli egimus massiliensi, de cymino, atq; anyso.

Scito uero non omnia boni odoris esse miscenda, uel misceri posse, cum illa sola misceri debeant, quæ sunt calida sicca, & aperiendi uim habeant, resoluendi, & os uentriculi roborandi.

πεπλίῳ δὲ ὀπὸν σιλφίου. id est, peplio autem silphij succum, miscendum iubet. & de silphio in simplicium examine uerba fecimus. At inquies, cur & hic non ponit illa cum peplio quæ posita sunt cum helleboro? Respondemus, quia cum helleboro his indigemus, quæ flatus dissoluunt, & uentriculi os roborant, ac suo odore fouent, in peplio uero tot non indigemus: nempe satis est, ut nonnihil habeat odorati, quod simul misceatur. Et adde, peplion uehementem habere ariditatem, quæ silphio contemperatur, tamen neq; multum incommodi existimamus, si peplio illa adderentur, quæ helleboro iuncta sunt. imo nihil etiam impediet helleboro silphium commiscere, tamen non tam flatus dissoluit silphium, ut anisum facit atque cyminum. suo autem odore peplij uim roborat.

Petes uero, an hæc posita sint, ut ipsorum uim reprimant: nam multa in compositionibus ad uim fortium medicamentorum reprimendam ponuntur. Respondemus, ad hoc propositum hæc non poni, cum illa quæ uim habent uires medicamentorum comprimere, uere styptica sint. & ideo gumium genera in uehementibus ad hoc propositum medicamētis misceri solent. unde nos plerūq; in uehementibus medicamētis gūmi arabicū cōmiscemus, masticen, colophoniam, &.

eiusdem generis alia. At cum Hippocrates hic non intendat medicamentorum uim reprimere, sed illam potius augere illa commiscuit quæ eorum uires roborent, & quæ aperiant, & humores attenuent, quæq; cum odorata sint, os uentriculi roborare consueuerunt, neque illud à uehementi medicamento perturbari sinunt.

ἀτὰρ καὶ τὰ μισγόμενα ἀλλήλοισιν, ὁμοιότροπα ταῦτα ἐστίν.i.quanquam, & hæc inter se mista similis sint moris. Hoc ad multa referri põt.nam illa referri possunt quæ cum helleboro miscenda sunt, atq; peplio, cum talia similes habeant uires. omnia enim calida, sunt sicca, boni odoris, attenuãtia, aperientia. Galenus uero intelligit simul miscenda esse & peplion & helleborum, & q; sint ὁμοιότροπα.i.similes habeãt mores, & similes facultates. Sed hic ambiges, Dioscoridem scriptum reliquisse peplium pituitosos humores educere & biliosos: quippe ait easdem habere uires cum peplo, de peplo uero dicebat biliosos humores educere atq; pituitosos. imo & ipsemet Galenus inq; peplium habere easdem uires cum peplo. idemq; dicit Paulus Galeni simia. Si uero petas apud Galenum & Paulum quos humores educat peplus: id non exprimunt, sed inquiũt habere similem succum tithymalis tum in alijs, tum q̃ purgat ceu illi. ppterea quos humores tithymali educant, considerare oportet. Apud Galenum & Paulum hoc non cõstat: q̃m in.8.de simplicium medicamentorum facultatibus, ubi de tithymalis agit, quos humores euacuẽt, non exprimit, neq; Paulus expressit. Nisi q̃s librum de dinamidijs adducat Galeno adscriptum. in quo cum de catharticis sermonem habet, de tithymalo hæc dicit, pituitam & bilem nigram educere. sed cum liber is Galeni pprius non sit, Dioscoridem cõsulamus. qui de prima tithymali specie, quã characiam quasi uallarem uocat, inquit pituitam & bilem attrahere, deq; omnibus alijs speciebus idem iudicium facit, ultima excepta specie, quæ platyphyllos.i.latifolia lactaria uocat: quam dicit per aluũ aquosa attrahere: quamuis nos simus experti idem & in illa specie, quam cathapuciam uocamus, educi. Cum ergo bilem educat & pituitam, helleborus uero niger atram bilem, diuersas ac dissimiles habebunt uires. neq; opus est dicere, Dioscoridem, per bilem atram intelligere: quoniam bilis uocabulum apud antiquos, simpliciter prolatum flauam significat.

Respondere possumus Hippocratem intelligere easdem habere uires si inter se mista sint, quãtum sit de agendi tẽpore. sunt enim aliqua medicamẽta, quæ tardius, alia quæ citius educũt: helleborus uero & peplion eadem educũt hora. hancq; solutionem Galenus innuere uidet, tñ addit ipse posse similiter nigrum educere humorem cum ueratro, qđ prorsus uerum esse arbitrari oportet. nec mirum si Dioscorides id non dicat, qm̃ de multis tithymali speciebus dicit, q; aquam educant: cum tñ in omnibus id constet, si experiaris. Arabes & ipsi unà hanc sententiam sequuntur, ut à peplio bilis atra trahatur.

Sed hic petes, an simul misceri debeant. Respõdemus. si atra bilis tãtum ducenda esset, miscẽda nullo modo essent, si tantum hellebori haberet, quãtum ad educendum satis esset: at si non haberet satis hellebori, misceri tũc possent, & in tãta dari quãtitate ut satis essent. at si bilis simul ducenda esset, & simul cõmisceri oporteret, ut qđ bilem ducit, atram bilem ducenti misceret, quãuis & illud trahat bilem, non tñ ita pprie ut peplion. In fine libelli, quos oporteat purgare, & q̃bus medicamẽtis, de medicamentorum miscella hæc apud Galenum habẽtur. Oportet præterea, ut cõmista sibijnuicem medicamenta cõsentiant, neq; ulla in re discrepẽt: discrepant aũt non cũ hoc bilem illud pituitam trahit, utrũq; enim pari modo euacuationem pcurat: uerum si hoc celeriter, illud tardius ab assumptione, purgare incipit, ita nunquam æqualiter euacuatio celebratur, quamuis simul accepta sint, inæqualem autem euacuationem dico, si cum hæc desiuisse uidet, euacuatio alia rursus incipiat.

ἄγει δὲ μέλαις μὲν καλῶς καὶ κρισιμώτερα, πεπλίου δὲ μᾶλλον φυσῶν καταῤῥηκτικώτερόν ἐστι.i.ducit uero nigrum ueratrum, & melius, & ad iudicationem iuuantius soluit, quàm peplio. peplion uero flatum magis excutit, quàm nigrum ueratrum. Quod uero dicit helleborum melius soluere, q̃ peplion, id in euacuãdi ui intellige, & potẽtia, nam helleborus potentius euacuat q̃ peplion. uel intellige in atræ bilis euacuatione quam euacuet potentius, quàm faciat peplion, uel quòd purius illam euacuet, quàm peplion. Nempe uidimus quendam nomine Malatestam, cui helleborum nigrum potandum dedimus, qui ueluti atramentum eiecit. alios tñ infinitos id agẽtes uidimus, sed neminem, qui tam atrum emiserit humorem ut Malatesta. sanus erat, neq; pudore aliquo tenebatur. cum ad secessum urgebat, surgebat, & anum uersus parietem quendam album uertebat, spatio octo pedum distãtem: & ab ano atram bilem eijciebat, ac si ex aurichalceo cubo esset emissa aqua. itaq; totum parietem album omnibus præsentibus atra bile pingebat. mecum erant nõnulli scholastici, qui risu ferè dissoluti sunt.

Iuuat uero magis ad iudicationem helleborus, quoniam puram atram bilem educens paucam relinq̃t quãtitatem, quam facile natura superat & expellit: id uero non facit peplion.

Tamen peplion flatus magis excutit, cum sit calidioris naturæ, quàm helleborus.

Galenus etenim lactarias herbas in quarto ordine calidas esse iudicat, unde & omnes urunt. sed Paulus libro.7. in tertio solum calidas has lactarias iudicauit. Galeno inhærendum est potius, cum manifestum sit tithymalos urere, & crustam inducere, quam illa sola inducunt, quæ in quarto ordine calida sunt, ut Galenus in quinto de simplicium medicamentorum facultatibus libro, capite ultimo ostendit. helleborus uero in tertio ordine caliditatem habet. propterea ad flatus excitandos & resoluendos minus aptus est, quanquam & ipse illos mouere possit.

ἄμφω δὲ ταῦτα ὀδύνας παύει.i.dolorẽ præterea ambo hæc sedant. nempe materiam euacuant, qua euacuata dolor cessat, quoniam & inflammatio remittitur, & pars quæ extendebatur amplius non extenditur: quæ duo dolorem prius faciebant. Copus hic diminute uertit.

παύει δὲ καὶ ἄλλα πολλὰ τῶν ὑπηλάτων.i.cessare autem faciunt & alia multa ex his quæ expurgant. Aliquis putare potuisset duo hæc sola medicamenta dolorem auferre. quam sententiam remouere uolens Hippocrates, dixit, & multa alia purgantia medicamenta dolorem sedare, cum multa alia sint quæ bilem educunt, pituitam, & atram bilem, & à locis etiam nostri corporis internis, quibus uti possumus.

κράτιστα δὲ ταῦτα ὧν ἐγὼ οἶδα ἐστίν.i.uerum ex his quæ ego noui, hæc optima sunt. unde & si multa sint purgantia medicamenta quæ dolorem sedant, hæc duo omnia præcellunt, ut ego experiri potui.

ἐπεὶ καὶ τὰ ἐν τῷσι ῥοφήμασι διδόμενα ὑπήλατα ἀρήγει, id est, nempe & quæ in sorbitionibus dantur purgantia medicamenta soluere possunt. Medicamenta purgantia sub uaria sumuntur forma: quoniam aliqua sunt solida, alia liquida, alia in puluerem redacta. Solidorum quædam sunt in morem trochiscorum & trochlearum, quædam in modum pilularum. liquidorum quædam bibi possunt: quædam lingi & deglutiri, ut eclegmata, quæ in puluerem redacta sunt: quædam simpliciter sumuntur addito melle uel zuccaro: quædam potui in iure dantur, uel alio simili modo. Forte Hippocrates uoluit danda helleborum uel peplion in forma solida, uel liquida, quæ tamen bibi non possit, sed tantum lingi. ppterea & hic inquit medicamẽta & illa purgantia, quæ in sorbitionibus dantur & in potu, illa inquam dolorem soluere possunt. uel per sorbitiones cibales intelligamus sorbitiones, ut ptisana: & de illis medicamentis loquitur, quæ possunt in sorbitionibus bibi, ut sunt medicamenta quæ amaritudine carent & insuauitate: ut simul uelit cum sorbitione hoc medicamentum accipi, & simul cum uictu proprio. propterea statim addit Hippocrates.

ὅσα μὴ ἄγαν ἐστὶ ἀηδέα λίην.i.quæcũq; nõ sunt ualde insuauia. particula λίην p̃cedẽti parti deseruit. addit quæcũq; nõ

sunt

sunt insuauia, sed possunt sorberi. unde medicamenta illa, quę sorbitionibus misceri possunt, quia non sunt insuauia, dolorem soluere apta sunt. Scitoq; dixisse non esse ualde insuauia, quia omnino suauia non sunt: quippe apud antiquos nulla erãt suauia medicamenta, sed bene aliqua erant non insuauia, uel non multũ insuauia, ac si aliquam insuauitatem prorsus haberẽt, tñ non sit multa. & si quam insuauitatem Hippocrates intelligit, noscere uolueris, ob quam medicamẽtum in sorbitionibus dari non poterit, id statim edocet, cum huic parti subnectit.

ἢ διὰ πικρότητα ἢ δι' ἄλλην τινὰ ἀηδίην. i. uel ob uehemẽtiorem amaritudinem, uel ob aliam quãdam insuauitatem. amaritudo unũ est qđ ꝓhibet ne in sorbitionibus deť medicamentũ. nam si cibales intelligamus sorbitiones, cibũ adeo displicere faciẽt, ut solus postea displicere incipiat & in abominatione sit: si uero medicamẽtosas sorbitiones intelligamus, & hæ sint tã amaræ, ut illæ quæ colocynthida accipiũt ægris tam displicẽt ut uomitũ ꝓuocent, & os per aliqđ tp̃is spatiũ amarũ reddant. fieri etiam põt ut medicamẽtum nõ sit amarũ, sed tã iniucũdum, ut in sorbitionibus præbẽdum non sit, neq; in medicamẽtosis: ut si tale sit medicamẽtum, qđ foetidũ sit, quale id qđ recipit uocatã assam foetidam. unde & si amaritudo in tali nõ adesset medicamẽto, tamen tale est ut ex suo foetore, ex sua insuauitate multum perturbet.

ἢ διὰ πλῆθος. i. uel ꝓpter multitudinem. nã aliqua sunt medicamenta tã leuia, ut si educere debeãt, opus sit ipsorũ magnã accipe copiam, quæ copia fastidio est. & si amarũ non sit, neq; multũ insuaue, sem ꝑ adde particulæ insuaue, particulam multum, qa omnia antiquorũ medicamẽta insuauia sunt, saltem parum, hoc uero parum, est ualde insuaue, quando opus est magnam sumere medicamenti quantitatem.

ἢ χροιήν. i. uel colorem. qñ color qui erit ater, uel uarius ut displiceat, in cã est cur insuaue sit medicamẽtum. nec mirũ, ꝙ & si color non gusteť, tñ faciat medicamẽtum uideri insuaue, qm̃ & in cibis & in potibus ĩsuaues aliq uideñť colores, & hoc passim ab ægris audiť. est adeo atrum id medicamẽtum, ut nũquam deglutire possem, unde & si color ad gustũ nihil faciat, ad imaginationem aliquid facit, quæ sibi animo cõcipit, illam esse rem prauam, quæ est tali colore prædita.

ἢ ὑποψίην τινά. i. uel ob suspicionem quãdam. nam & suspicio sicuti color insuauis rei speciem in imaginatione facit, ẽt si non adsit: intelligere possemus, suspicionem aliquam, ne medicamentum sit uenenosum, uel supra modum educens, uel aliquod simile ex his quæ in ægri mente insuauia esse medicamenta persuadent, etiam si non sint.

Scitoq;, & si dixerim antiquos non habuisse insuauia medicamenta, id dixi, qm̃ ex rosis purgantia medicamenta conficere nesciebãt, neq; mãnam habebãt, neq; cassiam uocatam, neq; tamarindos. tñ quicqd sit, & quædam est in his nostris medicamẽtis insuauitas: nã & mãna saltem insuauis est ob copiam, quam sumere cogimur: cassia insuauitatem habet, si in potu, uel in bolo deť: si in sua cãna, fastidio uenit copia. tamarindi & ipsi suam habẽt insuauitatem. põt ex solo scamonio & zuccaro cõfici trochiscus, qui nullam habet insuauitatem: tñ cum in uentriculo incaluerit, statim ꝑturbatio quædam sentiť. hæc tñ minus insuauia sunt his, qbus antiqui utebanť. nõ ita uero educunt, ut antiquorũ faciũt medicamenta, qbus ad subducẽdum utebanť. nam illa erant satis uehementia & materias eradicare poterãt, qđ hæc nuper inuẽta medicamẽta facere nõ possunt.

GALENVS. Quòd medicamenta purgãtia per experiẽtiam inueniañť, & quosnam expurgẽt humores, & si omnino purgẽt, in libris de simplicium medicamẽtorũ uiribus didicisti. Quòd uero purgationis necessitas sit, si redundãtes humores deorsum repãt, est quoq; rõne scitũ animaduersumq;: sed id testimonium ratamq; fidem ab experimẽtis habet. Edocuit aũt Hippocrates facultatem medicamẽtorũ, quæ in huiusmodi affectibus ꝓpinat ueratrum qdem nigrũ κρισιμώτερα. i. ad iudicationem iuuãtius uacuare, peplium uero flatus magis excutere affirmans. Quæ autem ab Hippocrate κρισιμώτερα. i. ad crisim iuuantiora dicunť, ea morbi iudicium faciunt magis: qđ facultate uerbo huic ὠφελιμώτερα. i. iuuantiora, idem existit. At cum purgantia omnia medicamenta uentrem, præsertimq; os, ipsius, quod maxime tum neruosum, tum sensile existat, affligant lædantq;, ob id eorum quæ boni sunt odoris mixtio excogitata est, ne sola, sinceraq; purgãtium medicamentorũ uirtus os uẽtris tangat. Permixta quoq; inter se tum peplium, tum helleborũ, ὁμοιότροπα. i. modi similis esse ait, qđ est facultatibus cõuenire, & in nullo cõtrouersa esse. Nam & in purgãtium medicamentorũ ꝑmixtione controuersia est, non qñ aliud qdem bilis, aliud uero pituitæ excretorium fuerit, (Nam eodem tp̃e uacuari tum bilis, tum pituita possunt) sed qñ aliud qdem ꝓtinus, aliud uero longo à ꝓpinatione tp̃e purgationem mouere natum sit. Nẽpe hoc pacto inæqualis eorũ quæ simul ingesta sunt, fit uacuatio: inæqualem dico, cum iam altera qdem desinere, altera uero incipere uideať. Nempe qđ citius purgare consueuit medicamentũ, id & ex alio qppiam simul uacuat. Quo fit, ut qđ exiguum ipsius relinqtur, imbecillius reddať, & longe tardius suam inchoet purgationem. Præfinita igiť uacuationis lege, simile est helleboro peplium, põtq; helleboro similiter nigrũ subducere humorem. Cætera tum dictionis huius, tum sequẽtium patent. Cõsiderare igiť hæc atq; in memoria tenere nos oportet, sed non ꝑpetuo in pleuriticis uti debemus, ad memoriam reuocãtes Aphorismum illum, ubi diciť: In acutis morbis raro & in principijs, purgãtibus medicamẽtis est utẽdum. Vbi igiť (inquit) nõ solum acutus morbus fuerit, cuiusmodi est pleuritis, uerũ & cum febre uehementissima multo magis uitãda est purgantis medicamẽti administratio, atq; per sectionem uenæ, uacuãdum magis, etiam si ad hypochondrium dolor finiať. Nempe & si minus qdem auxilium quàm per purgationem sequať, securius tñ multo existit. Imo nullum ex eo qđ per uenæ sectionem fit, periculum impẽdet, eo discrimen maximũ subeunte qđ per purgationem tentaťr & potissimum si laborãtis naturam exꝑtus qs non fuerit. Nẽpe alij difficulter natura purganť: alij modico assumpto medicamẽto, purganť copiose. Quibus igiť dare quadrabit, his medicamenti tãtum ꝓpina, quãtum in plurimis mediocriter uacuari tum nouisti, tum sis exꝑtus. Si enim hominis naturã non noueris, metus est ne plus iusto uacues, uel nullo pacto uacuationem moueas: aut si moueris, non tñ sufficiẽter uacues. Quę omnia magis in morbis acutis pariũt offensas: qđ non facile, ut in his qui nõ febricitant, emendať. Cum igiť febris uehemẽs non fuerit, naturamq; laborãtis exꝑtus fueris, ad medicamẽti purgãtis potum te conferes, his quę ab Hippocrate dicta sunt, uel etiam alijs similis naturæ usus. Quo ẽ numero est qđ ex colocynthide parať medicamẽtum: qđ iam ex usu hieram uocant, id sanè uarijs parant modis. Sed qđ elleborũ accipit, scãmoniamq; nõ habet, id his qui medicamen subductorũ omnino adsumere possunt, optimum est.

BRASAVOLVS Primo, Galenus docet, se in libris de simpliciũ medicamẽtorũ facultatibus demonstrasse medicamenta purgãtia per experiẽtiam inueniri, & quos humores purgẽt, & si omnino purgent. sed & illud ratione scitum est, quæ tñ ab experimentis ortum habuit, si humores sup̃flui deorsum tendãt, illum purgatione indigere. At Hippocrates illorũ medicamentorũ quibus utitur in morbo laterali, facultates edocuit. quæ sunt ueratrum nigrum, qđ est κρισιμώτερον. i. ad iudicationem iuuantius uacuare, & peplion, quod flatus magis excutere potest.

Particula illa & si omnino purget, quæ græce est καὶ εἰ ὅλως καθαίροι, potius interpretãda est & si uniuersum purget: quia sunt aliqua medicamẽta, quæ non euacuant exqsite totam materiam, alia quæ exquisite euacuãt, & à recentibus eradicatiua nuncupantur. Istud à Galeno sic intenditur, inueniri purgantia medicamenta per experientiam, & quos humores purgẽt, & si uniuersum. i. eradicatiue purgẽt, & non humoris partem. Petes uero, in quo loco librorum de simplicium medicamentorũ facultatibus hæc sint, quæ hic à Galeno ꝓponũtur. Respõdemus in libro. 3. cap. 8. docet necessarium esse cognoscere &

indicare per experientiam medicaminum facultates. & in eodem libro, cap. 24. de purgātibus agens medicamentis, ꝓbat, cum attractiones fiāt per qualitatum ꝓprietatem, cur purgātia medicamēta familiares humores ꝑpetuo attrahant, nec tñ unq̃ à familiaribus attrahanẽ. & in. 25. capite de duplici agit familiaritate, actu & potentia, & ex. 5. etiam libro multa ad hanc rem colligi possunt.

Notat preterea Galenus, si humores supabundantes deorsum repant, ab experimento testimonium habeẽ, necessarium esse purgare. At inquies, si in mulieribus humores deorsum ad uterum uergāt, non uideri necessarium esse purgare. & si in uiris descendunt ad hemorrhoidas, uel ad pedes in podagricis, ubi adsit plethora· tūc purgare non est opus. Respondemus, intellige Galenum, humores deorsum moueri uoluisse. i. ad intestina: tunc enim purgatione indigemus.

Secūdo, Galenus exponit hāc particulam κρισιμώτερα, i. ad crisim iuuantiora, uult q; hęc morbi iudicium magis facere. i. magis ꝓcurare: qd' idem est ac si dixisset ὠφελιμώτερα. i. iuuantiora. tamen hoc iuuantius crisim magis accelerat.

Tertio, Galenus docet, cur illis medicamētis addēda sint odorata, inquiens omnia purgātia medicamenta uētrem lędere, & potissimū eius os, qd' & neruosum & sensibile existit. ꝓpterea antiq simplicium mistionem bonū habentium odorem cū his purgantibus medicamētis excogitarunt, ne sola purgātia medicamēta exhibita os uentriculi tāgant, & illud ꝑturbent atq; affligant. qd' facere non possunt cū his odoratis mista· nempe odorata cū calida sint, uentriculi os roborāt. Et si dicas alibi à Galeno dictum esse styptica os uētriculi roborare, ergo stypticis uti oporteret: Respōdemus: & si styptica os uētriculi roborent, tñ non sunt tam cōmoda in ꝓposito, ut calida odorata aperientia, & quæ potius iuuant eductionem q̃ impediāt, hęc uero styptica, uel pars maior eductionem impediūt & refrangunt, quę cum purgantibus misceri non debent, nisi quando eorum uim refringere cupimus.

Dubitabis uero, an omnia purgātia medicamēta os uentriculi lędant. & cū de his medicamentis sermo sit, quę electiue purgant, ꝓpterea dubiū facit aloe, quæ electiue purgat, & (ut inquiunt) à forma specifica, tñ omnes fatenẽ uentriculo cōferre, & eius os roborare. Respōdemus aloem apud antiquos oīno inter purgantia numerari medicamenta, sed non inter ꝑfecte purgātia, & inter uehementia. sola enim uehemētia, quę naturam habēt uenenosam, illa sunt, quę os uentriculi lędūt. Quòd aūt aloe non sit ex uehemētibus medicamētis, posthabita etiā experientia, ex hoc ꝓbaẽ, q̃a Galenus in. 6. de simp. medica. facult. libro inq̃t ab antiqs computari inter ἐκκοπρωτικά, i. inter stercus educētia. uētriculum uero, & eius os roborat, q̃a amara, & adstringit, nam est in tertio sicca, & in primo intēso, uel in scd'o remisso calida. ꝓpterea dicit esse gratū stomacho medicamentum. uñ non est aloe numeranda inter illa medicamēta quę os uentriculi lędūt, & q̃bus necessarium sit cōmiscere odorata, ne pura & sincera os uentriculi tangat, imo si aliqua sint uehemētia medicamēta, q̃bus aloe misceaẽ, lęsio illa, quā ꝑ se sumptum, uētriculo inferre posset, remittiẽ. Et si dicas, rōnem reddit cur aloe uētriculum non ꝑturbet, q̃a est infirmum medicamētum & adstringēs & amarū, ob quę uētriculi os roborat: uerū alia sunt adstringētia medicamēta amara & imbecilla, quę tñ uentriculi os offendunt, ut agaricus. nam Arabes oēs agaricū & os uētriculi & uiscera oīa offendere censuerūt. Nos de hac re miramur, q̃a amarū est, & stypticū. Recētes experiētiam adducūt, q̃a nauseam facit. ꝓpterea Arabes miscent tertiam salis gemmæ partem cum agarico, & trochiscos faciunt cum secaniabin. alij addunt spicam, & dant cū aqua casei. hoc uero à Grecis nō notaẽ, imo Dioscorides (et si nauseā inducit) ꝑ se agaricū dat sine aliquo liquore cōmanducatum his qui cibū in stomacho cōtinere non possunt. & uide an oībus obsit uisceribus. idem Dioscorides in calce primi capitis 3. libri de agarico dicit, oībus in uniuersum interioribus uitijs accōmodatum est, pro uiribus & ętate sumentiū datū, alijs cū aqua, alijs cū uino, alijs cum aceto mulso, alijs cū mulsa aqua, unde cum his ab antiqs datur, nō ut corrigaẽ, sed potius ut uis eius acuaẽ. Galeno placet esse ex substātia aerea & terrea, terrea uero à caliditate extenuata, & minimū habet essētię aqueę. Cum uero pars aerea in supꝼicie sit, ꝓpterea primo gustu dulcedo quędam ꝑsentitur, postea amaritudo ob terreas partes, cum q̃bus nōnihil ignis adest. puto receptum esse qd' uētriculo obsit & nauseam faciat, q̃a cum primū sumiẽ, dulce uideẽ, postea amaritudo sequr intēsissima· quę ob id qd' gustui displicet, nauseam facit, sed non nauseam, quę ex se ꝓueniat à uētriculo· q̃m & aloe, & omnia amara eodem modo nauseam faciūt, tñ eodem modo non roborāt os uentriculi & ipsum uentriculum, q̃a sola amara styptica hoc faciūt. Aliud etiā in causa fuit, cur uiscera lędere dictum sit, q̃a nonnunq̃ nigrū agaricum recepere: hoc aūt uenenum est, ut ex Dioscoride colligi pōt lib. 6. ca. 33. ꝓpterea & agaricū uētriculum non lędere iudicamus, per se etiam sumptū, si ꝓbum sit, constat uero nigrū lædere. Ab antiqs medicina familię uocaẽ, uel q̃a omnibus cōfert mēbris, & ad omnes ferè ualet ęgritudines· uel q̃a unicuiq; ex familia indifferenter daẽ, uel mas, uel fœmina, uel puer, uel iuuenis, uel senex. sed hæc de agarico alijs disputanda sunt loco commodiori.

Petes pręterea, cur os uentriculi magis sentiat q̃ fundum. Respondemus ob neruos illuc concurrētes, unde maxime sentit omnium partium corporis. ꝓpterea meruit, ut ab antiqs cor uocareẽ, & passiones ac affectus eius ob maximā sensibilitatẽ uocatę cardiacę & cardiogmi, q̃m assimilaẽ cordi in patiendo.

Quarto, Galenus illam particulam exponit, & hęc inter se mista non dissimiliter agunt, inq̃tq;, si simul misceanẽ & peplion & helleborus ὁμοιότροπα. i. modi similis esse uoluit. id uero idem est ac si dixerit cōuenire facultatibus, & in nullo esse differentiam, q̃m si purgantia consideremus medicamenta cum ꝑmiscenẽ, differunt. Et si dicas, q̄uo differre intelligis q̃n ꝑmiscenẽ. Respondet Galenus non intelligere differre, q̃a aliud bilem purget, aliud pituitam, cum eodem tpe possint & bilis & pituita expurgari· sed differre intelligit, q̃n unum natū est, mox postq̃ sumptum est, purgationem mouere, aliud uero longo tpe à ꝓpinatione aluum mouere. in hoc enim casu inæqualis fit eorū quę ingesta sunt, euacuatio: inęqualem intelligo cū una iam euacuare desinit, & alia incipiat· nam medicamētum qd' citius euacuat, id & ex alio q̃ppiam simul euacuat· ut alterius medicamēti exiguum qd' relinquiẽ imbecillius reddaẽ, & ꝓpriam actionem adhuc longe tardius exercere incipiat. at in euacuationis lege peplion est helleboro simile, qd' satis esset ad hoc ut simul misceri possint· uerū adhuc magis simile est, cum non solum ęquali tempore euacuet, sed etiam similiter ut helleborus, nigrum humorem subducendo.

Galenus differētiam ponere uideẽ inter medicamenta quæ bilem purgant, & quę pituitam, q̃n eodem tpe purgent. At hoc absurdum uideẽ, cum multū differant, imo à tota distāt specie quę bilem primo purgāt, & quę primo pituitam. primo intelligo, q̃a unūquodq; medicamentum ꝓprium humorem primo purgat, postea alios· ut si in tāta copia datū sit, q̄ totū ꝓprium purgauerit humorem, & medicamēti uis adhuc in corpore uigeat. Respōdemus hic Galenū nō negare hęc differre, sed inq̃t in hoc nō esse cōtrouersiā, neq; esse illū similē modū, & dissimilē, de quo hic potissimū sermo fit, lic̄uis deinceps similia faciat pepliū & helleborū, i. humoris nigri purgatione, tñ illud erat ex supabundātia. satis erat q̄ in euacuādi tpe similia essent, ita ut unū aliud nō ꝑiret in euacuatione, ut multa faciūt medicamēta.

Hic uero petes, q̃n duorū medicamentorū mistio simul fit, an ad unam formam reducanẽ. Respondemus, cum subito fit mistio, & medicamētum exhibeẽ, ad unam formam ꝓuenisse nō possunt· nam omne medicamentum tpe indiget, si fermentari debeat: at si per statutum tps ꝑmāserit, quo tñ statuto tpe fermentari solet, ita tertiam quandam formam acquisiuit, tamen hoc nō aufert, q̃n unumquodq; simplex opus proprium agat, & ad ꝓpria tendat membra, ut Galenus in libro de theriaca

ad Pisonem,

ad Pisonem, & in libro de antidotis ostēdit. nam hoc medicamētum plura recipit simplicia, & unūquodq; suas agit partes, & ad illas ducit partes, ad quas est appropriatum. unde haec reductio ad unam formam non tollit, qn unūquodq; simplex ꝓprium agat opus. ꝓpterea si duo misceantur medicamenta, unū bilem trahens, aliud pituitam, & mistio per tātum temporis sit facta, ut ad fermentationem satis fuerit: compositio ad unam qdem ducit formam ratione partium componentium: tertium uero compositum uires non habet bilem & pituitam per unam formam educendi, sed unaquęq; pars potentia in toto composito contenta proprium agit opus.

Dubitādum praeterea, an possibile sit duo medicamenta, unū bilem euacuans, aliud pituitam, eodem tpe euacuare: qa medicamētum bilem ducens, illam citius euacuare uidet, tum ex ipsamet bile quae calida est, & maxime mobilis, ideo facilius educitur: pituita uero crassa est, glutinosa, & maxime stabilis: ꝓpterea difficilius educit. tum ex parte medicamenti, qa apud Galenū medicamenta ꝑ similitudinem substātialem educunt. haec uero similitudo si sit medicamēti ad bilem, non pōt esse, nisi medicamētum sit calidum: si medicamenti ad pituitam, non pōt esse nisi sit frigidum, calidum uero medicamētum citius ducit quàm frigidum: ergo medicamētum bilem ducens citius ducet, quàm pituitam ducens. ꝓpterea aequaliter ducere non poterūt. Respondemus, necessarium ꝓfecto esse, cum medicamentum quoddam bilem trahat, & aliud pituitam, si aequaliter trahere debeant, hoc est eodem tpe, aut medicamētum pituitam educens sit uehementius eo quod bilem educit, aut sit in maiori copia sumptū, nec dicere oportet medicamentum educens pituitam esse frigidum, cū ut in primo Aphorismorū à Galeno edocemur, omnia medicamenta sint potentia calida. At quāuis calidum sit, tñ similitudinem substantialem cum pituita habere pōt, neque necessarium est ut sit frigidum si hanc substantialem similitudinem habere debeat, de qua similitudine aliàs ubertim agemus.

Dubitabis pręterea, tibi uideri etiam si medicamenta eodem tpe euacuent, quòd euacuatio sit ἀνώμαλος. i. inęqualis & irregularis, tñ Galenus inqt solum irregularem esse, quoties uno euacuare deficiente, aliud incipiat, quòd uero sit inaequalis ex hoc ꝓbari potest, qa posito ut unum sit medicamētum bilem educens & atram bilem, certum est hos humores per eādem uiam educere, nam uel ꝑ aluū infernam, uel per uomitum, sm regionem per quam ducere intēdit medicus. Supponamus uero euacuationem per aluum fieri, in hoc casu atra bilis facile educet per inferna, cū hic sit ꝓprius locus, & ꝓpria uia, & ad illam ob grauitatem descēdit, ꝓpria uero bilis uia est per soperiores partes, ꝓpterea io eductione necessarium est adesse repugnātiam & inęqualitatem. Respondemus: cum duo humores per eandem regionem euacuant, qui sint oppositi, necesse est hoc opus esse naturę ipsi difficilius, & agitationem quādā habere, quā non haberet si unus solus humor per suā ꝓpriam uiam euacuaret, tñ ex hoc inaequalis purgatio dici non debet, cum à Galeno illa tantum inaequalis uocet, cum unus humor post aliū euacuat, & medicamētum primo unū attrahit, postea aliud medicamētū qđ aliū attrahit, suas incipit agere partes.

Petes pręterea, an medicamentum prius purgans, nō nihil simul de alio educat medicamento. id fieri non posse uidet. primo nāq; medicamentum id posterius euacuans, statim actuari incipit, cū in uētriculū recipit, sicut & illud qđ cito euacuat. & in eo tpe quo hic euacuationē incipit qui cito euacuat, tarde euacuās maiorem cōtinuo acqrit actuationem, ut cū cito euacuās, suā euacuationem iā ꝑfecerit, actuatū sit: cū uero actuatū est, qūo aliqd sui educi poterit? Pręterea, absurdū uidet ꝙ alterius medicamēti partem euacuet. si medicamēta à substātiali similitudine euacuāt, nā de iure medicamētū bilē educēs illud erit qđ citius euacuabit, pituitam uero educēs tardius. sed cū pituitā educēs similitudinem habeat substātialem cū pituita, nullā pōt habere cū medicamēto bilem educēte substātialem similitudinem, & è contrario, aliter utrūq; & bilem & pituitam educeret. Respondemus, id posse ꝓculdubio cōtingere, ut unum ex cōmistis medicamentis prius humores ꝓprios euacuet, postea medicamēti illius partem ꝙ posterius purgare deberet, & hanc ob causam eius uis sit imbecillior, & tardius agat. Ad primā uero rōnem, quę oppositū suadet, dicimus nō esse ꝑfecte actuatum, alioq & ipsum iam coepisset ꝓprios humores educere. Ad aliud non euacuat partem medicamēti uel ob similitudinem substātialem, uel ob aliud ꝑ rōnem suā euacuatiuam: sed hoc facit, qa est in uentriculo id medicamentum, & trāsit ad intestina, & trahit à meseraicis, ꝑ quas & per quę intestina, & per quem uētriculum, transeūt humores, qui euacuantur, qui humores alterius medicamēti partem per inhaerentiam, quam ad illos habent, secum ducunt.

Illi uero aberrāt, qui particulam illam { id & ex alio qppiam simul euacuāt } de humore intelligūt, qui ab alio medicamēto attrahi debeat. nam si ita intelligeret, id non esset uerū, qđ à Galeno dicit, imbecillius. s. reddi. nā fortius esset supra residuum ipsum medicamētum, ꝓpterea Galeni sensus in illa sententia est, circa alterius medicamēti portionem, quę simul purget, & nō circa humores qui ab ipso medicamēto trahi debeant.

Item dices, medicamētum ex educēte bilem & pituitam cōpositum, uideri esse magis incolume, si primo unū euacuet humorem, ut bilem, postea aliū. i. pituitam, uel primo bilem, postea atram bilem, utpote ex scamonio & agarico pro bile & pituita cōpositum, uel ex scamonio & nigro helleboro, uel sena, uel epithymo pro bile & atra bile. hęc aūt euacuatio est maxime ordinata, ut bilis primo euacuet, postea atra bilis, uel bilis primo, postea pituita. igit nō est inaequalis, sed talis quę naturę satisfacit, & quę illam nō exagitat. Respōdemus, inęqualem uocat, quae nō aequaliter euacuat, etiam si esset magis secura, fatemurq; si cōpositum inueniret medicamētum, ex parte cito soluente & tarde soluēte, & per ordinem fieret euacuatio, ut medicamētum euacuās citius humorem ꝓprium euacuaret, & alterius uirtutem nō corrumperet, neq; aliqd alterius simul euacuaret, sed integra uirtus medicamēti tarde purgantis ꝑmaneret, quę deinceps ꝓpriū humorem purgare inciperet: & hoc in tanto ꝑficeret tpe, ut uel dormire non cogeret, uel prandere is qui euacuat (nempe hęc duo purgationem impediūt) hęc purgatio cōueniens esset, ꝑfecta, & nō agitaret, ut praecise faceret si simul à medicamēto ęqualem habente uim eos eodem tpe trahēdi & ęqualiter euacuaret, qm hęc purgatio duorꝫ cōtrariorꝫ humorꝫ magis agitat, qꝫ illa per dictū ordinem facta. At inquies cur medici (ut eorꝫ utar uerbis) medicamētis calcaria addunt: cōueniunt' ne: Respōdemus, si eiusdem uirtutis calcaria apponant, & eorūdem humorꝫ attractiua quos attrahere uolunt, conueniūt: sed si diuersos attrahāt humores, nō conueniūt. uñ si medicamētum id qđ ꝓpinamus bilem ducat, & sit ībecille, ut aloe, medicus nōnihil addere pōt uehemētis medicamēti bilem attrahētis, ut uis aloes reddat ꝑfectior. ꝓpterea granū unū uel alterꝫ scamonij pręparati, qđ diagridiū uocāt, addāt: alia uero si addant, quę uim illam nō habēt, obsunt potius, & medicamētum ꝑturbās atq; agitās faciunt, ut si qs unū uel duo hellebori grana adderet. hęc igit sit una generalis regula, quę nunq; fallit, in uocatis à recētibus medicamētorꝫ calcaribus, calcar semꝑ eūdem humorem educere debet, quem per pręedictum medicamentum euacuare intendimus.

Quinto, Galenus monet reliquas huius sentētię particulas & dictiones esse manifestas, tñ hęc sunt considerāda, & in memoriam reuocāda, & sciēdum, non semꝑ dādum esse medicamētum in pleuriode, etiam si dolor ad pręcordia descēdent. Namque. 24. primi libri Aphorismus in memoriam reducēdus est, quo dicebat, In acutis morbis raro & in principijs purgātibus medicamētis utendum. unde ubi nō solum fuerit acutus morbus, qualis est pleuritis, sed & simul sit uehemētissima febris, tunc magis uitandum est, purgantia adhibere medicamenta, imo potius secanda est uena & si dolor ad praecordia descenderit. Et si dicas minus haberi auxilij à uenae sectione, quàm à medicamento, Galenus inquit, id quidem uerꝫ esse, ac tutius

esse uenam secare, imo adde nullum esse periculum in uenæ sectione, quod maximum est in purgatione, & potissimum quando medicus ægri naturam non sit aliàs expertus. Aliqui enim sunt qui suapte natura difficilime purgantur. Alij ex modico & facili medicamento purgantur. Forte petes si medicamētum exhibere prorsus sit opus, hominisq; naturam ignorem, quid tunc agendum est? Galenus in hoc casu respōdet, tantum medicamenti exhibendum. quantum in pluribus hominibus eandem quantitatem mediocriter euacuare expertus es, propterea si hominis naturam ignoraueris, uerendum est, ne plus iusto euacues, uel nihil penitus euacues, uel diminute, nam mediocritas ita in promptu haberi non potest. hæc autem omnia magnas pariunt in morbis acutis offensas, quæ in talibus morbis facile emendari non possunt, sicuti in his qui febre carent facilime emendantur.

Galeno placet in uehementissima febre per uenę sectionem potius esse euacuandum, quàm per medicamentum. at si corpus fuerit cacochymum, & bilem solam habeat peccantem, quomodo uenę sectio fieri poterit, tamen potest esse febris uehementissima? Respondemus, in pleuritide proculdubio, ubi pura bilis peccabit, non est exercenda uenæ sectio, sed rarissimum est, quòd alijs humoribus non abundet, & sanguinis miscella adsit.

Dices uero Galeni ratio hoc in loco cur medicamentum exhiberi non debeat, est quia ignoramus, & qd agere debeat, & quantum. In uigesimo autem quarto primi libri Aphorismo alia utitur ratione cur non sint danda, inquiens omnia purgantia medicamenta esse potentia calida, morbum uero acutum esse calidissimum, ꝓpterea non conuenire medicamenta, quę potius morbum augeant quàm minuant: morbus etenim acutus frigidis potius & humidis remittitur, quàm calidis & siccis, qualia sunt omnia purgātia, pręsertim antiquorum medicamenta. Nos enim in præsentiarum medicamenta habemus purgantia frigida, quamuis extreme non purgent, qualia syrupus rosatus solutiuus, cassia, tamarindi, māna, sena, & similia: licet quidem dicere posses non esse inter purgantia enumeranda. Ad rem igitur, cur non posuit & illam causam hic Galenus? Respondemus & in illo Aphorismo fatetur danda medicamēta & si potentia sint calida. neq; hęc est satis ratio cur pręberi non debeant, imo eo loco à Galeno notatur, & si medicamētum obsit caliditatis ratione & siccitatis, tamen euacuationis ratione prodest. nam humores febrem facientes euacuat. unde dici potest calidum & siccum medicamētum per accidens infrigidare, qa humores illos educit qui febrem faciunt, qbus eductis cessat febris, & corpus consequenter frigescit, uel in ꝓprium natiuum calorem deuenit. unde ratio illa quæ ex caliditate sumitur, ob quam medicamentum dari non debeat, perfecta esse non uidentur, sed illa solum est perfecta quæ ex eductionis ignorantia sumit, quam hic posuit Galenus, propterea & si illam ex caliditate non ponat, nihil refert, quia per accidens prodest.

A' Galeno pręterea dicit nullum esse in uenę sectione periculum. huic sententię aduersari possumus, qm̄ si tanta sanguinis copia educat ut uires deficiant, maius erit in sectione uenę periculum. Respondemus, Galenus intelligit minus esse periculi, qa quantum libet extrahere possumus. & qm̄ uoluerimus sistere, tm̄ non iret inficias, si maxima extraheretur quātitas, quòd uirium imbecillitatem incideret ęger, quę tāta esse posset ut moreret. At supponit medicum esse probum, & tantū educere, quantum satis est, qd' in purgatione seruare non potest, nempe non potest plus educere quàm medicamentum educat, qd' si pręter modum educat, facile sistere non potest. Cum & à Galeno dictum sit maximum esse discrimen, dare medicamētum, nisi hominis naturam noueris petes cum medicus ęgrotantis naturam ignoret, quō incedere debeat? Respondemus medicus nunquam de usu medicamenti esse pfecte certum, nisi posteaq̄ per experientiam id nouerit. Sūt uero aliquę coniecturę, qbus incedendum est, ut cognoscamus an possit dari hoc medicamētum. Ex his uero coniecturis nōnullę ex medicamenti parte sumunt, alię ex parte suscipiētis. ex parte medicamenti hic à Galeno dicit id esse dandum, & in tanta copia, ut tu in pluribus hominibus & in tanta copia expertus es mediocriter euacuare. ex parte modo accipiētis hęc indicia sumunt. Si is qui sumit, calidę sit temperaturę, medicamēta copiosius educunt. idem sequitur si raræ sit substantiæ, & in ętate puerili sit constitutus, uel decrepita. è contrario qui est temperiei frigidę, densę texturę, & uigenti ętate, is difficilius soluit, & anni tempora ad faciliorem & difficiliorem medicamentorum actionem faciunt. Ex his propterea coniectabis an ęger medicamentum ferre possit, uel non possit, exquisita tamen huius rei cognitio ab experientia habetur.

Petes præterea, quę sint hę offensę quę in acuta contingent febre, qm̄ medicamētum uel plus iusto educet, uel nihil educet, uel parum educet. Respondemus, si plus iusto educat, non solū peccantem educet humorem, sed & alium qui non peccabit. itaq; uires imbecillas reddet. & iam erant ob acutam febrem imbecillę, ꝓpterea imbecillitas augebitur, & huius corporis humiditates tum ex ui medicamenti, tum ex febre exiccabuntur, unde nisi ꝓuideatur in hecticā facile incidere poterit. si uero nihil educet, magnam ꝑturbationem in corpore faciet. & eiusdem medicamenti caliditas ac siccitas integre à corpore recipientur. ꝓpterea febris augebitur. eadem est, si parum euacuabit, ratio: nam ꝑturbatio aderit, & caliditatis ac siccitatis impressio, & putrens materia agitata, aliam putrescere faciet. Si uero petas cur hę offensę in his non fiant qui febre carent? Respondemus Galenum id non asseruisse quòd non fiāt, sed in his facilius emendari intelligit, quàm in febrem patiētibus, qm̄ hi caliditatis & siccitatis impressionem non ita recipiunt, ut febrientes faciūt, & si recipiunt, facile remouentur, qa calidam qualitatem excessiuam non habent, & pręter naturam, & cum à febre perturbati non sint, medicamentorum perturbationem facilius ferre possunt, & facilius corrigitur ac emendatur eius impressio.

Deniq; qm̄ sit dandum medicamentum Galenus ostendit inquiens, cum ergo febris non fuerit uehemens, & ęgrotātis naturam quō se habeat ad medicamenta expertus fueris, tūc exhibe purgans medicamētum. & licet Galenus dicat te ad medicamenti potum conuerti debere, tu & medicamētum intellige, in catapotia confectum, uel in rotulas, aut trochiscos, aut eclegmata, neq; gręce legitur potum, sed δόσιν. Et si petas quodnam medicamenti genus sit dandum, Galenus respondet, uel unum ex his quæ ab Hippocrate numerata sunt, ut ueratrum nigrum, aut peplion, uel aliqd' aliud ex similibus natura, quę in usu sunt, ut est medicamētum ex colocynthide paratum, qd' iam ex usu hieram uocant, & qd' medicamentum uarijs modis paratur: sed in ꝓposito id ex colocynthide sumi debet medicamentum, qd' helleborum accipit, & non scamonium, nam id optimum est, his qui medicamentum purgatorium sumere possunt: sumere autem possunt qa febris nō est uehemens, & quia laborantis naturam sumus experti.

Dices hic authorem uoluisse febrem esse remissam si debeat dari medicamētum. Respōdemus & superius illud innuebat. sed ut dictū est, medicamētū per accidēs febris calorem remittit, materiam in qua erat accēsus ignis, quę febrē facit educēs. At petes, ubi medicamēti ex colocynthide apud Galenum sermo fiat. Respondemus, à Galeno hieram uocari diacolocynthidos, & de illa mētionem fieri in primo de cōpositione medicamentorum secundum locos libro capite. 1. circa initium, ubi inquit alopeciam se sanasse ꝓpinās hieram ueratro nigro adiecto, ubi atram bilem expurgare uolebat, aliquādo scamonia si amara bilis expurgāda esset: si uero pituitosiorem exuperare coniecissem humorem, nihil cōmiscui. Addit q;, tales enim pręsertim ex capite, hiera ex colocynthide purgare consueuit, simulq; cū his etiam alios quosdam humores, etiam si scamonia, aut ueratrum nigrum, aut epithymum non addat. In eodemq; folio inquit se sanasse ex alopecia adolescentem ex sola

hiera

hiera ex colocynthide. octauo preterea libro in. 1. cap. initio, huius hierę ex colocynthide mẽtionem facit, ubi inquit simpliciter cum hiera dicit, illam ex colocynthide intelligi, tñ Romę distinctionis gratia illam appellãt ex diacolocynthide, hãc hieram picram. In publicis officinis hiera quędam ex colocynthide fit, quę nullo modo est illa Galeni, tñ quomodo componi debeat apud Galenum non satis constat. nonnunquam uero scriptum reperit apud authores hiera fortissima Galeni, & tunc hiera hęc intelligẽda est ex colocynthide. habetur locus apud Aetiũ libro. 8. capite. 57. ubi de orthopnoicis agit, anhelosis, & ægre spiritum ducentibus ex Galeno. In fine ferè illius partis Galeni uerba referuntur, qbus inquit: atqui quę ex colocyntide constat hiera nostra, hoc est Archigenis assidue prębita, mitiorem spirandi difficultatem correxit sępissime. ut uideas Galenum dicere hieram suam. i. Archigenis, ac si hiera quam ipse Galenus sequtur, sit hiera Archigenis. Et ne putes aliã esse hieram, & nõ illam ex colocynthide, idem Aetius libro. 10. capite. 11. in curatione splenis in scirrhum indurati ex Galeno dat hieram Archigenis ex colocynthide. tñ lib. 3. capite. 117. Aetio cõpositionem hierę ex colocynthide Galeni, describit. & deinceps capite. 118. Archigenis hieram describit ueluti rem diuersam ex epistola ad Marsum. Compositio quam ex Galeno adducit, hęc est.

Pulpę colocynthidis, ʒ. viij.
Scillę assatę,
Agarici,
Amoniaci Thymiamatis,
Scamonię, — singulorum. ʒ. xvi.
Corticis hellebori nigri,
Stoecadis,
Hyperici,

Epithymi,
Polypodij sicci,
Bdelij,
Aloes, — singulorũ. ʒ. viij. in alio (unc. ij.
Chamędryos, in alio codice Euphorbij,
Marubij,
Cassię,

Myrrhę trogloditicę,
Sagapeni,
Croci,
Aristolochię,
Piperis albi,
Nigri, — singulorum. ʒ. iiij.
Longi,
Cinamomi,
Opopanacis,
Castorei,
Petroselini,

Mellis qd' sufficit integra exhibitio drachmę. iiij. media. iij. minima. ij. cum melicrato, & minutissimi salis cochlearij semis. hæc dicit Aetius, tñ ipse Galenus in primo de simplicium medicamentorũ facultatibus secundum locos in primi capitis initio, inquit se exhibuisse illi adulescenti de quo mentionem facit, qui alopeciam patiebatur, ex hiera diacolocyntidis bis in quinq; diebus, in prima sanè purgatione quatuor ex ea drachmis, in secunda quinq; exhibitis, imo antequam ad hanc accederet purgationem, prius dederat ex aloe catapotia undecim ciceribus ferè parem magnitudinem habentia, quę constãt ex colocyntidis parte una, aloes, & scamoniæ utriusq; partibus duabus. quibus ipse Galenus addit unam absinthij partem, tamen ex his quę superius dicta sunt, Galeni hiera ex colocyntide illa esse iudicatur, quę & Archigeni attribuitur. tamen (ut dictum est) Aetius ex Archigene aliam describit hieram. cuius compositionem huc afferre commodum erit, ex. 3. Aetij libro capite. 118. sumptam, Ita uero componit.

Pulpę Colocynthidis, ʒ. viij.
Chamędryos,
Agarici, — singulorum. ʒ. x.
Marubij,
Stoechadis,
Opopanacis, ʒ. viij.
Sagapeni, ʒ. viij.
Petroselini,
Aristolochię rotundę, — singulorum. ʒ. v.
Piperis albi,

Cinamomi,
Spicę nardi,
Myrrhę trogloditicę, — singulorum. ʒ. iiij.
Polij,
Croci,

Assumito in melle despumato, & in uitreo uase recondito. Exhibitio integra. ʒ. iiij. In alio. ʒ. iij. cum melicrato, sale adiecto, quantum est cochleare paruum.

Aperte deprehendis cõpositiones istas differre: nam illa quam Aetius Archigeni attribuit, polium habet quo caret compositio, quam Aetius Galeno attribuit. Supersunt uero in compositione Galeno attributa, hęc simplicia, quę in illa Archigenis desunt. s. scilla assata, ammoniacum thymiama, scamonium, cortex hellebori nigri, hypericum, epithymus, polypodium siccum, bdelium, aloe, cassia, piper nigrũ, piper longum, castoreum. præterea & in pondere differũt. Et Mesue hanc Archigenis compositionem refert, & ipse multum euariat in põdere, de qua re, in hierarũ examine egimus. Paulus libro. 7. capite. 8. sex refert hieras, inter quas Galeni hieram numerat. sed neq; est ex colocynthide hiera, neq; simplex hiera. ꝑpterea cũ apud aliquem nusquam illam inuenerim, neq; apud Galenũ, ꝑpterea dubito an sit Galeni, potissimum qa ipsemet inquit 8. de simplicium medicamentorũ compositione secundum locos capite. 2. quòd Romæ distinctionis gratia illam appellant hieram ex diacolocynthide, hanc hieram picram. Apud Galenum igit duę solum erunt hierę, una ex colocyntide, alia dicta picra. illa uero, quę à Paulo ponitur, neq; prima, neq; secunda est. id facit me in suspicionem uenire non esse Galeni hieram. At hierę Galeni compositio apud Paulum hęc est.

Trixaginis,
Piperis longi,
Piperis albi,
Stoechadis,
Veratri nigri, — uniuscuiusq;. ʒ. xvi.
Scamonię,
Spicę nardi,
Scillę assatę,
Aliq addũt Epithymi,

Myrrhę,
Croci,
Guttę Amoniaci thymiamatis, — cuiuslibet. ʒ. viij.
Euphorbij,

Quæ cuncta melle excipiuntur. Hic palàm est non accipi colocyntida. ꝑpterea non erit hiera diacolocyntidis Galeni. tamen & Paulus Archigenis hieram describit, quam Galenus suam quãdoq; uocat, ut ex Aetio superius probatum est. hoc itaq; modo Archigenis hieram componit Paulus.

Marubij,
Agarici,
Trixaginis, — singulorum. ʒ. x.
Medullę colocyntidis,
Stoecadis,

| | |
|---|---|
| Opopanacis, Sagapeni, Petroselini, Aristolochiæ rotundę, Piperis albi, | singulorum. ʒ.v. |
| Cinamomi, Spicæ nardi, Myrrhę, Polij, Croci, | cuiuslibet. ʒ.iiij. |

Arida simul contunde & attamina: succum uero panacis, atq; sagapenum, myrrhamq; fracta in pila, melicrato p noctem unam infunde: deinde leuigato & extenua, atq; inijce arida: & interposito tempore melle optimo, in uitreum, aut plũbeum uas recondito. hic sanè modus communis est omnibus pieris. Dosis eius ad summum. ʒ. iiij. assumant etiam salis. ʒ. j. mellis heminę duę, aquę quãtum satis est. Additq; Paulus, si purgatorium, scamoniam nõ habẽs, efficacius reddere uoluerimus, admiscendus etiam ipsis est obolus. Hęc ultima uerba adducunt me in cõiecturam, quòd hęc Archigenis hiera illa sit, qua usus est Galenus ex colocynthide. Et in hãc coniecturam ex his deuenio: primo Aetij dictum cõsidero superius adductũ, cum dicebat hiera nostra, hoc est Archigenis hiera: postea addo hanc hieram neque scamonium recipere, neque helleborũ nigrum: Galenum deinceps considero, qui in primo de compositione medicamentorũ secũdum locos libro capite. 1. circa initium ingt, se purgasse per hieram ex colocynthide habẽtes alopeciam. sequiturq; aliqñ ueratro nigro adiecto, ubi atrę bilis purgare uoluit humorem, aliqñ scamonia, si amara bilis purgãda esset: si uero pituitosiorem exuperare cõiecissem humorem, nihil ammiscui. Tales enim pręsertim ex capite hiera ex colocynthide purgare cõsueuit, simulq; cũ his etiam alios quosdam humores, etiam si scamonia, aut ueratrum nigrum, aut epithymum non addat. ut palàm uideri possit, ueratrum nigrũ, scamonium, & epithymũ in hiera ex colocynthide Galeni addi, qñ opus est, & in compositione nõ esse. ꝓpterea hiera illa Galeni ab Aetio posita, non est Galeni hiera, qa scamonium recipit, helleborum nigrũ, & epithymum. & licet omnes ferè hierę colocynthida accipiãt, pręter hieram à Paulo, Galeno attributam, quę Galeni non est: cũ hierarũ maior pars scamonium & nigrũ helleborum recipit. unde hęc Archigenis hiera illa Galeni esse uidebit, Archigenis uero hiera secundum Paulum, eadem prorsus est cum illa Aetij quæ Archigeni inscribit, in simplicibus omnibus quę ingrediuntur, in ponderibus uero differunt, ut unicuique cõsideranti patet, & Aetius inquit Archigenis hieram pleuritidi conferre. Scito aũt apud Scribonium Largum uirũ Latinum, & antiquum hieram hãc reperiri. At illam uocant hieram Bacchij Antiochi ad uniuersa corporis uitia, maxime lateris, & ad podagram. Additq; esse mirificam compositionem, quam difficulter habuit: & nisi fuisset Tyberius Cęsar, cõpositionem non habuisset: dicitq; à nonnullis uocari ἱερὰν πικρὰν, qa amara est, ab alijs uero dicit hiera διακολοκυνθίδος. ut medicamentum sub tanta specie nominis cõmendaret. infinitaq; propemodum de eius laude Scribonius refert, in suarũ annotationum numero. 97. eius uero compositionem ad uerbum hoc modo reddit,

| | |
|---|---|
| Stoechadis, Marrubij, χαμαίδρυος quę herba similia quercus folia habet, Agarici, Cucurbitę syluestris, quam κολοκυνθίδα appellant, | singulorũ pondo ✳.x. |

| | |
|---|---|
| Opopanacis, Sagapeni, Petroselini, Terrę mali, Piperis albi, | singulorũ pondo ✳.v. |
| Cinamimi, Nardi spicę, Myrrhę, Folij, Croci, | singulorũ pondo ✳.iiij. |

In unum omnia contundunt & cribrantur. Multaq; alia addit Scribonius de huius hierę compositione, in qua tu ꝓculdubio uides, eadem hanc compositionem ingredi, quę Archigenis compositionem apud Aetium & Paulum ingrediebantur. in uno tantum differunt, quia ubi Paulus & Aetius dicunt polij, & græce habent πολίου, Scribonius habet folij, forte deprauati sunt Pauli & Aetij codices, & in ipsis legendũ φύλλου. Paulus & Aetius duo sunt, Scribonius unus tñ Latinus & antiquus, quãtum sit de rebus ipsis quę cõpositionem ingrediuntur & polium conuenit. efficacius uero confert folium ad illa ad quæ conferre dicitur medicamentum.

Nota apud Plinium secũdum in libro de re medica secundo, capite. 6. cum dicit post epithema bibat hieram antegen puto legendum esse Archigenis. arbitror q; hieram, quam uocat catarthicam Cęlius Aurelianus Siccensis in. 3. chronion libro in fine. 3. cap. quam orthopnoicis præbet, esse hanc Archigenis hieram. censeo quoq; & hanc esse hieram, quam Trallianus in comitiali prębet libro primo capite. 21. ut autem in hac Archigenis hiera Paulum rectius intelligas, ubi codex eius græcus habet ἀναβάλλοντα μέλιτι. i. retardantia mel, legendum est ἀναλαβόντα μέλιτι. i. melle excepta.

In hoc igitur locus Galenus prædictam hieram diacolocynthidis à Paulo descriptam intelligit, & ante Paulum à Scribonio Largo.

Ad abundantiorem uero & ampliorem doctrinam hieram quandam Galeni subscribere non grauabor, quam Actuarius in libro de medicamentorum compositione hoc modo descripsit.

| | |
|---|---|
| Colocynthidis, | trientem. |
| Scillæ assę, | sextantem. |
| Spicæ, | sextulas quatuor. |
| Iunci odorati, | sextulas quatuor. |
| Polij, | sextulas. iiij. uel. ix. |
| Pulegij, | sextulas. iiij. |
| Augę, | sextulas. iiij. uel. ix. |
| Euphorbij, | sextulas. iij. uel. x. |
| Gentianæ, | sextulas. viij. uel. iij. |
| Agarici, | sextantem aut quadrantem. |
| Ammoniaci, | unciam aut quadrantem. |
| Veratri nigri, | sextantem aut quadrantem. |
| Spicę, | unciam aut quadrantem. |
| Scamonij, | quadrantem. |
| Hyperici, | unciam uel quadrantem. |
| Epithymi, | uncias. ij. semissem aut sextantem. |
| Fidiculę, | uncias. ij. semissem aut sextantem. |
| Bdelij, | sescunciam. |
| Aloes, | sescunciam. |
| Trisaginis, | unciam. j. uel quadrantem. |
| Myrrhę, | sextulas. iij. |
| Cassiæ, | sescunciam. |
| Porri, | sextantem semiunciam. |
| Triũ piperũ, singulorũ | sextulas. ij. aut. iiij. |
| Sagapeni, | sextulas. ij. aut. iiij. |
| Croci, | sextulas. ij. aut. iij. |
| Aristolochiæ longę, rotundę, | singularum sextulas. iij. aut. iiij. |

Cinamomi,

| | |
|---|---|
| Cinamomi, | sextulas.iij.aut.iiij. |
| Lacrymę panacis, | sextulas.iij.aut.iiij. |
| Castorei, | sextulas.iiij.aut.iij. |
| Petroselini, | sextulas.iij.aut.iiij. |
| Zinziberis, | trientem. |

Mellis despumati quantum esse satis uidebitur.
Passi uel uini dulcis, quantum ad macerandas lacrymas & succos sufficiet.

Si uero cōpositionem hanc contemplemur, & in simplicibus & in ponderibus à hiera illa longe differre fatebimur, quam Aetius & Paulus Galeno attribuūt. Neq; aliquo modo induci possumus, ut putemus hāc esse Galeni diacolocynthidis hieram, qm̄ & scamonium recipit & helleborū nigrum & epithymum, quę in hiera Galeni, ut superius ꝓbatum est, esse nō debēt. Cum uero hic à Galeno dicaē, medicamētum ex colocynthide ex usu hieram uocari, igiē medicamenti usus illi tribuit, ut hiera uoceē. Respondemus id medicamentum antiquis uocatum esse diacolocynthis, sed, ut superius ex Galeno dictum est in. 8. de compositione medicamētorū secundum locos, Rorūę acquisiuit ut uocaretur hiera ex colocynthide, ad differētiam hierę picrę: usumq; huius medicamēti ad multa, fecit ut uocareē hiera, quasi sacra: is enim fuit antiquorū mos, ut nōnulla cōficerent egregia medicamēta, quę ex eorū nominibus insigniebantur: postea addentes hoc nomen hiera, ac si dicerent sacrū medicamentū, quo ad multa uel Galenus, uel Archigenes, uel Logadius ad multa utebaē. uerū Scribonius Largus, qui ante Galenum Romane de re medica scripsit, in pręcitato loco inqt Bacchium Antiochum tribuisse huic medicamēto hoc nomen hiera, ob duas causas, una ne eius nomen uerū dicendo ostenderet quę esset (nam docuit hūc authorem nunq̄ uoluisse hoc suum medicamentum cuipiam impertiri,) altera, quo magis sub tanta specie nominis cōmendaret medicamētum. Scio in publicis Italię pharmacopolijs hieram quādam nunc confici, quam cōpositam hieram picram Galeni uocāt, qua in clysterijs utimur, & eius est in eisdē publicus usus. de qua in pilularū examine egimus, ostendētes re uera non esse Galeni, sed à Nicolao in suo libro Antidotarium inscripto referri, quam huc afferre nō lubet, ne re illa, quam negligimus, codex hic impleaē. Hæc summa fit Galenum hieram ex colocynthide exhibere, & illam, quę helleborū recipit, non scamonium: nam uarijs efficiē modis hæc hiera per additionem diuersorū simplicium cōpositioni iam dictæ Archigenis. Forte dices hieram hāc Galeni esse hieram ab eodem uocatam exacutam in. 2. de cōpositione medicamentorū secundum locos libro capite. 2. ubi de cephalea agit capitis dolore antiquo, nam in principio capitis dat τὴν ἱερὰν ὀξύνοντας .i. hieram exacutam. intellige uero redditam esse acutam ex additione alicuius simplicis medicamenti uehementioris. uel dicamus intelligere hieram apud ipsum uocatam picram, cui nōnihil eius uim acuens additum sit. uel hęc intelligēda est diacolocynthis uocata: nam, ut in libri initio apparet, in alopecia dat hierā ex colocynthide, & illi ueratrū nigrū cōmiscet, & scamonium. & licet prima uice dicat hieram simpliciter, tñ in his quę sequunē, ostendit se loqui de hiera ex colocynthide. & forte hęc hiera exacuta illa est, quam Paulus libro. 3. capite. 43. ubi de colicę pręsidijs agit uocat hieram πτερυγώδη, quasi hieram alatam, uel pēnatam, ex acutie quam habet, & penetratione. unde & Galenus hanc uocauit hieram exacutam.

## Hippocrates. Sectio XII.

**Vbi autem quis medicamentum ebibit, ptisanam protinus sorbendam dato, neque insigniter minore q̄ consuetum est quantitate.**

BRASA VOLVS

Ab Hippocrate in hac sententia edocemur, quid post sumptum medicamentum agere oporteat. iubet uero cum ebibitum sit medicamentum, ꝓinus ptisanam dandam esse, uel in consueta quātitate, uel in non multo minore, q̄ cōsuetum sit, τὴν μὲν τοι πτισσάνην δόκτω πίη, τὸ φάρμακον ἐπιρροφεῖν αὐτίκα χρὴ διδόναι. i. cum medicamentum aliqs ebibit, ptisanam sorbendam protinus dare oportet. nam medicamentum os uentriculi offendit, & per illud trāsit. fieri autem pōt ut aliqua medicamēti portio ori uētriculi inhęreat qñ descendit, & maxime ꝑturbet. ut autem ab hac noxa hominem liberet Hippocrates, ptisanam statim post sumptum medicamentum, sumendam iubet, ut siqd ori uentriculi inhæreat, aut alicui parti, ex uiis deorsum trahaē, & ptisana prēterea medicamenti malitiam contemperet. de qua re in cōmentatione ample loquemur. Sed inquies, si ori uentriculi obest medicamētum, ob qd illud præbereē Respondemus, prębeē, ut id cōmodum habeaē, qd' ex medicamento suscipitur, qd' multo maius est, quàm sit incōmodum qd' facit. multa etenim damus, quę obsunt, ut bonum aliqd' corpori acquiramus. en in uehementibus doloribus opium damus, & quę illud recipiūt, quę tñ letifera sunt, ne homo obeat: in febribus acutis calidum damus medicamētum, & qd' ueluti uenenum est, ut materia quę morbum facit, educaē, & homo sanitati restituaē. At inquies quo tpe à medicamento danda est ptisanaē Hippocrates inquit αὐτίκα .i. statim à sumpto medicamento, ꝓpterea illi recētes aberrant, qui Hippocratem hoc loco intelligūt, dandam esse ptisanam postq̄ medicamentum eduxerit, duplicíq; errore ducūtur, primo iam dicto, secūdo, qa ipsi per ptisanam hordei aquā intelligunt, quorū utrunq; absurdum est, si quis uere Hippocratis & Galeni hoc in loco sensum intellexerit. de hac autem re simul & lauatiuo in commentatione differemus.

μηδὲν ἔλασσον ἀξίως λόγου, ἢ ἀνύσεν εἴωθεν. i. neq; insigniter minore, quàm consuetum est, quātitate. Cum aliqs ambigere posset, si ptisana statim à potu medicamenti danda sit, quanta est danda, num tanta quantam accipere consueueratē Hippocrates uideē respondisse, minorem quātitatem, tñ qa aliqs uel unum uel duo tantum cochlearia dare posset, ꝓpterea notat Hippocrates omnino dādam esse minorem quātitatem, sed neque egregie neque insigniter minorem, quàm sit æger assuetus accipere.

Dubitabis an hic sit cibus, qui ꝑpetuo post medicamenta sumi debeat. Respondemus, is est cibus qui sumi debet, anteq̄ medicamentum suas partes egerit, qd' est spatio sex uel octo horarū, & uentriculus quiescere debet, prius quàm aliquid sumat, nisi ius acceperit. Mediolanenses & in Insubria serum propinant, cum medicamentum sua egerit munia, prius quàm cibum exhibeant.

Petes præterea, nunquid hęc ptisana post medicamentum nutriatē Respondemus, aut parum, aut nihil nutrit. nam medicamento miscetur, & humoribus, qui attrahuntur, simulq; exit: tamen coniectandum est portionem aliquam trahi per meseraicas ad iecur, & concoqui.

GALENVS.

Et maxime quidem uentris ori, qd' & stomachum uocant, ut in ipsis purgantiū medicamentorū potibus, illęsum maneat, consulere oportet: pręsertimq; ubi febrientibus tale quippiam ꝓpinaē. Verū pręcipua ne offendatur. cautio est, si medicamentum qd' propinatur, purū non sit: sed cum alijs quæ malinam ipsius hebetare nata sunt, temperatum mixtumq;. Nempe purgātium omnium medicamentorū natura, corporū quæ expurganē naturis cōtraria est, atq; ut quispiam dixerit, letalis, & deleteria, id est pestilens. Vt aūt succi papaueris, mandragorę q;, & hyoscyami, atq; aliorū hmōi multorū, quę nobis & substantia & uiribus aduersa corpus perimere nata sunt, portionem exiguam adsumentes, magnam percipimus cōmoditatem: sic & purgantium medicamentorū quorū natura corporibus nostris aduersa est, exiguam aliquam partem pręcidentes ad suppetias ferendas utimur. Quo item modo in horū medicamentorū potu seminum aliqua quę boni sint odoris miscemus, quę & malitiam obtundere nata sint, & operationem ipsorū non ꝓhibeant, tenuentq; ita incidantq;, ut & crassos incidāt humores, & uias qbus uacuatio fiat, aperiant, patefaciantq;: sic & à sumpto medicamento, ptisanam sorberę confert. Nempe pur

gans medicamentum ipsum tanquam exiguū ad uentris quidem fundum peruenit, uerū dum transit stomachus & quæcunq; uentris sublimior pars non qualitatem medicamēti purgantis modo, uerū & substantiæ, quæ in transitu hæret, aliquid adsumens, uehementer læditur. Ptisanæ igitur cremor superingestus cōmoditatem affert: nempe & deorsum trahere, quod uix adhæret, & qualitatem medicamenti, quod his adhæret partibus, tum temperare, tum permutare potest. Ob eas igitur causas à purgantis medicamēti potu, ptisanam supsorberi precipit: sed ubi purgatio cœpit, ab ea uult abstinendum, purgantis medicamenti operationem exolui ueritus. Atq; ob eam rem ait.

BRASA VOLVS

Primo, Galenus docet cōsulendum esse potissimum à medicis, quoties medicamenta ægris quos curant, exhibent, ut os uentriculi illæsum maneat, & presertim ubi quippiam tale medicamentosum febrientibus propinatur, quoniam & febris ipsa os uentricVli lędit & imbecillius reddit.

Quod legitur & maxime, graece est καὶ ἄλλως.

Secundo, Galenus edocet quænam sit cautio pręcipua, ut medicamētum non offendat, inquiens præcipuam cautionem esse, si non detur purum, sed cum alijs mistum sit: quæ malitiam ipsius hebetare nata sunt. nam id procuLdubio cōstat, omnium medicamentorum purgantium naturam, corporum naturis, quæ expurgantur, contrariam esse, imo hoc addēdum, purgantium medicamētorum naturam esse quodāmodo letalem & deleteriam. Et quia petere posses cur exhibeantur hæc medicamenta, si tam letalia sunt, & deleteria, & corporibus quæ expurgantur cōtraria? Respondet dari, quoniam ex ipsis sumptis maius sequitur iuuamētum quàm nocumētum. In medicamentisq; letiferis exēplum præbet: nam opium, mādragoram, hyoscyamum, & reliqua eiusdem generis exhibemus, quę secūdum suam substātiam & secūdum suas uires homines perimere nata sunt: tamen paucā accipimus portionem, & cōferunt: & ex ipsis magnam percipimus utilitatem, nam dolores interim non sentiuntur. ita in purgantibus medicamentis, quorum natura nostris corporibus est contraria, exiguam aliquam præbentes partem, ea utimur ad afferendam corporibus commoditatem, & maius habetur commodum, quàm incommodum.

Vbi legitur letalis & deleteria, græce est ὀλέθριός τι καὶ δηλητήριος αὐτῶν. i. letalis & deleteria ipsorum. s. corporum.

Vbi legitur atq; aliorum huiusmodi multorum, græce additur φαρμάκων. medicamentorum.

Vbi legitur magnam percipimus commoditatem, græce additur ἐξ αὐτῶν.

Quod legitur exiguam aliquam partem præcidentes ad suppetias ferendas utimur, græce est ὀλίγον τι τῆς οὐσίας μέρος ἀποτεμνόμενοι πρὸς ὠφέλειαν χρώμεθα. i. exiguam aliquam substantiæ partem præcidētes ad utilitatem utimur. Vides illam particulam substātiæ esse addendam, quia accipitur substantia & corpus medicamenti.

Hic uero petere poteris quænam illa sint quæ medicamentorum malitiam hebetare possunt. Respōdemus, antiquum fuisse morem sola medicamenta purgantia nunquam dare, ne os uētriculi læderent, & eius fundum: illa uero quæ miscebantur, secundum medicamentorum diuersitatem uaria erāt. Scito q; nōnulla misceri posse ut uehementium medicamentorum uis reprimatur: nōnulla ut eorum uenenositas opprimatur: nonnulla ut humores incidant, aperiant uias, omniaq; faciliteNt, ut aptius educi possint peccātes humores. uim purgatricem uehemētium medicamentorum reprimentia sunt gummium genera, rosæ, bolus armenus, balaustia, terra sigillata, & eiusdem generis reliqua: uenenosam uero medicamentorum naturam opprimentia sunt odorata, quæ cor, cerebrum, & os uentriculi, ut dictum est, roborāt. propterea membra hæc medicamentorum uenenositati obsistere possunt, cum ab his odoratis sunt roborata: adde terram sigillatam, & eiusdem generis reliqua. incidūt autem humores calida aperienda, ut herbarum calidarum semina, uerum cum sint infinitæ propè aliæ miscellæ diuersorum simul medicamentorum, & infinitas correctiones, propterea ad nostrum compositorum medicamentorum examen te remitto, in quo particulatim de hac re fit mentio, in compositis medicamētis, quæ ab authoribus illa adduntur, quæ simplicia uenenosa corrigunt.

Sed ambiges cum Galeni intentio sit medicamētum à substātiali similitudine educere, quomodo medicamentorum purgantium natura corporibus contraria est quæ expurgantur? Respondemus, medicamētum non solum esse corpori cōtrarium, quod expurgatur, sed & humor ipse qui expurgatur, si putridus sit, est corpori contrarius quod expurgatur. Contrarietas uero quæ est medicamenti ad corpus duplex est, una ex parte qualitatis. nam est calidum potentia medicamētum, & caliditatem preter naturam in corpus inducit, propterea est corpori contrarium, quia caliditatem inducit calori naturali cōtrariam. Et si dicas hic iam est æger, & febrem habet, quæ est calor præter naturam. igitur calorem habebit præter naturam, & ita medicamentum non erit illi contrarium: dicas & febrem ipsam esse corpori quod expurgatur contrariam & suę naturæ. Est alia cōtrarietas ex specifica forma, quia medicamentum purgās uenenosam habet naturam, & deleteriam. Forte dices aloen hanc naturam non habere. Respondemus, neq; illam habet agaricus. sed hic sermo de uehementibus est medicamentis, qualia scamonium, colocynthis, peplum.

In eo etiam dubitabis, quòd dicit medicamētum esse uenenosum & deleterium, nunc q; de uehementibus loquor, & nō de aloe, uel agarico. At uidebuntur non esse uenenosa expurgantia medicamenta, neq; deleteria, quia Galenus tertio de simplicium medicamentorum facultatibus libro capitibus. 17. 18. 19. 20. 21. 22. de medicamentis letalibus ac deleterijs agit, illaq; distinguit à purgātibus medicamentis: nam postea de purgantibus capitibus. 25. 26. 27. pertractat. Pro huius ambiguitatis solutione notādum apud Galenum in duas species medicamentum distingui, in deleterium & catharticum: deleterium. i. letale & mortiferum, in frigidum distinguit, & in calidum, frigidum calorem naturalem extinguendo agit, & mortificādo. propterea quanto magis morantur in corpore, tanto à naturali calore corriguntur. unde ex horum medicamentorum mora homines euadunt, quippe nisi cor refrigerent, interficere nequeūt. at cor refrigerare non possunt nisi ad ipsum accedant & perueniant, quod per arterias fit, atq; uenas. hæc autem omnia mēbra hostem suum sentientia, propria reagūt caliditate. & ideo plerūq; frigidi deleterij uim mitigāt, prius quàm ad cor accedat, & ita non interficit. uel opus est magnam fuisse quantitatem, quæ à membris medijs domari non potuerit. propterea. 18. capite infert medicamenta quæ interimūt sua frigiditate non esse deleteria & letalia suo genere: imo ex sola quantitate hoc habent, quia in pauca quantitate domantur, prius quàm perueniant ad cor: in magna uero quātitate, quanto homo sit calidior, tanto citius moritur, quia sua caliditate medicamētum quod est crassarum partium attenuat & aptum reddit ad penetrationem, ut in omnes tenues meatus, ac si sit manus, ducat medicamentum: & in calidis natura meatus etiam ipsi sunt latiores: frigidi uero natura tardius intereunt, tum quia non attenuant tam cito medicamentum, neq; cōminuunt, tum quia habent uias arctiores, neq; arteriæ ipsæ ita trahūt, ut calidorum faciunt arteriæ. Ex his Galenus causam reddit cur cicuta homines necat, sturni uero ea nutriuntur: homines inquam necat quia meatus habēt amplos & caloris multitudinem, & robur arteriarum ad attrahendum ualidū, etiam nunc ad cor pertingens: sturni uero ob cōtrarias causas à cicuta non necantur, nam illam diu retinent ob arctas uias, & non habent tantum calorem. & ideo propter temporis tractum à cordis calore domatur. quòd uero opus sit frigidum medicamentum deleterium cor refrigerare, & propterea sua quantitate esse letale, & non ex genere: à Platone eleganter ostenditur in Phœdonis calce, ubi à carnifice cicutam bibendam accepit Socrates (est uero frigidum deleterium cicuta) sumpsit poculum in manibus Socrates, & carnificem interrogauit, liceat ne ex hoc poculo nonnihil spargendo sacrificare? Respondit carnifex, tantum o Socrates contriuimus, quantum satis fore putauimus,

ex hoc

ex hoc ostenditur tantam fuisse quantitatem, per quam agere posset. & si minor fuisset quantitas, non egisset, neq; necasset. ppterea totum poculum exhausit Socrates, & ambulare cœpit, ut illi à carnifice iniũctum fuerat, quoad crura grauari sentiret, quæ cum sentiret grauari Socrates, ut iniunxerat carnifex, iacuit resupinus, ut etiam illi iniũctum fuerat. carnifex Socratem tangens, crura & pedes considerauit deinde grauius comprimens pedem eius, quæsiuit an sentiret, negauit Socrates, ille rursus pressit tibias, paulatimq; manu ascendens, ostẽdit nobis frigere eas, atq; rigere, & ipse attigit rursus, atq; cum ad cor peruenerit, tunc esse decessurum. iam igitur friguerant ei præcordia, cum detegens (erat enim ueste coopertus) dixit, quæ uox illi extrema fuit, o Crito Aesculapio gallum debemus, quem reddite, neq; negligatis. Ex his palàm est necessarium esse à frigido deleterio cor infrigidari, primoq; extrema reddi rigida, & calorem cõtrahi uersus cor, & demq; cicutam extinguere calorem, qui est circa cor retractus, ut forte se uelut in arce defenderet. At letale medicamentum, & deleterium calidum necat uel putrefaciẽdo uel erodendo. hoc probat Galenus. 18. capite eiusdem. 3. de simplicium medicamẽtorum facultatibus libri. & probat esse à toto genere deleteria. nam quãto magis moranť in corpore, tanto magis necant, & non necant ut refrigerantia per quantitatem, neq; unquam transeunt in nutrimẽtum, ut refrigerantia faciunt. unde & longo post tempore quàm sumpta sint interimunt. & si nonnunquam quispiam sanetur ex his qui talia acceperint deleteria, à Galeno notať capite. 22. id ob duas contingere posse causas, uel qa unà cum excrementis excernuntur, prius quàm iniuria corpus afficiant. Præterea, sanantur aliq, si bona fauente fortuna uidelicet aut cibis, aut quæ alioqui conferant utenti, aut medicum qui curando præsit nacto. nam ubi grauis ab ijs noxa illata est, malum neq; uictus ratione, neq; generosorum medicaminum, mediciq; auxiliantis ope sisti potest. Tñ multis dictis cogitur Galenus & in his calidis deleterijs quãtitatem ponere, qm̃ si qs acciperet centesimam drachmæ particulam ex cantharidibus omnino non interimeretur, imo in pritantibus urinam medicamentis nonnihil ponitur cantharidum, & in Alexipharmacis in pauca quantitate talia ponuntur, ut ad centesimam drachmæ partem.

Ad cathartica uero. i. purgantia medicamenta redeuntes quæ hic Galenus uocauit letalia & deleteria, scito de omnibus attrahentibus non intellexisse, sed de his quæ cum non attrahũt, in nutrimentum non transeunt. unde. 23. capite eiusdem libri inquit, purgantium medicamentorum, ubi forte purgatione frustranť (quam fieri dicit. s. purgationem ex pprietatibus quæ sunt in substantijs) quædam extra, quàm quod noxam corpori nullam afferunt, etiam alimentum homini præbẽt. Alia uero in corruptionem, ac tãquam in uenenum uertũtur, prorsum enim medicamentum expurgans uel cum uno saltem humorum qui in corpore sunt nostro, similitudinem obtinet, nõ autem ppetuo permista est uis uenenosa. quamobrem nec ppetuo quamuis non purget, iniuria afficiet, uerum concoctionem accipiet, talemq; producet humorem qualem trahere natum erat, unde qualitatis familiaritate in libro de facultatibus naturalibus, attractiones fieri docuerat, & unum medicamentum habere suum pprium humorem sibi familiarem. hæc longius à Galeno prædicto libro differuntur. Ad rem uero nostram redeuntes, purgantia medicamenta uenena esse possunt, qñ non educunt, neq; domari possunt, & concoqui à naturali calore, ppterea neq; in isto loco à Galeno dicitť quòd sint expresse letalia & deleteria, sed inquit ὡς ἄν εἴποι τις ὀλέθριός τε καὶ δηλητήριος αὐτῶν. i. ut qspiam dixerit letalis & deleteria ipsorum. s. corporum, ut uideas manifeste uti hac particula, ut quispiam dixerit, per quam noteť non esse penitus deleterium, sed ita dici posse qñ pprium humorem non expurgauerit, neq; poterit à natura domari & concoq, imo in humorem, quem deberet attrahere, conuertiť. unde si medicamenta attrahere debeant, concoqui non debent, alioqui attrahunť & ipsa, quam sententiam & Aristoteles secutus est primo problematum libro pblemate. 45. ubi petit cur medicamẽta purgare ualeãt, cum alia pleraq; amariora, cæterisq; huiusmodi qualitatibus insigniora id facere nequeant. Respondet, an qa non ob eiusmodi uires purgãdi obtinẽt facultatem, sed qa concoq nequeunt, etenim quę ob excessum caliditatis, aut frigiditatis, quãuis exiguo corpore incocta sint, aptaq; uincere non uinci ab animantium calore, resoluuq; eadem facile à uentre uti olibet possint, hæc medicamenta habenť, ubi enim uentrem ad erũt resolutaq; sunt, statim ad uenas per easdem feruntť semitas, quibus pmeat cibus, mox cum nihilo concoq potuerunt, sed uictrice pstiterunt potentia, relabunť, & quæ sibi obsistunt, secum detrahunt, quæ res purgatio uocať, æs uero, argentum, cæteraq; generis eiusdem, & si concoqui à calore animalium non possunt, sed resolui à uentribus nequeũt, oleum, mel, lac, cæteriq; eiusmodi cibi purgandi qdem uim obtinent, sed quãtitatis non qualitatis ratione, ubi enim ob nimiam sui copiam concoqui minime potuerũt, tum purgant, si qñ id facere possunt, duabus enim illis de causis aliqd concoqui nequeat, aut qa generis pertinacis est, aut qa modum excesserit, quãobrem nihil ex prædictis medicamẽtum est, quippe cum non ob aliquam sui facultatem purgare ualeat, acerbitas aũt, acor, malusq; odor medicamenta concomitanť, eo quòd genus medicamentorum cibo contrarium est. qd' enim concoctum à natura accessit, id corporibus adhæresciť, alimentumq; appellať, qd' autem conuinci domariq; minime possit, sed uenas ingressum per excessum caliditatis, frigiditatis' ue suæ pturbet, hoc naturam sanè obtinet medicamẽti, ut colligere hinc possis, & Aristotelem medicamenta non concoqui censuisse, id uero in præsentiarum disputare prætermittam, an uerum sit qd' ab Aristotele dictum est, regredi medicamentum, & secum illa ducere, quæ sibi obsistunt, quippe & à longinqs attrahit, ut Galenus docet, & res ipsa suadet. tñ & ipsemet Aristoteles in. 48. eiusdem libri pblemate idem sentire uidetur quòd medicamenta non concoquanť, nam petit, cur medicamenta & res amaræ, & fœdi odoris magna ex parte purgare possint. Respõdet, an qm̃ amara quæcũq; maleq; olentia concoqui nequeunt, qua de causa medicamẽta quoq; amara sunt, atq; fœtida, quę enim coctionem nullam sibi admittũt, mouereq; cum amaritudine possunt, hinc medicamenta sortiuntur naturam, & si iusto plus data sint, periment, quæ autem necant etiam si exigua dẽtur, hæc non medicamẽta, sed toxica esse dicimus. ne illa quidem medicamẽta uocamus, quæ non sui generis qualitate purgare queant. Sunt enim pleraq; in genere cibi, quæ si large sumanť, facere idem poterũt, ceu lac, oleum, mustum, sed hæc omnia quòd minus facile concoquanť iccirco purgant, nec omnes, sed aliquos. sunt enim alijs alia concoctu facilia, difficilia' ue, quãobrem non eadem medicamento omnibus sunt, sed ppria plerisq; comperiunť. deniq; medicamẽtum non solum cõcoctione immune, sed etiam motus efficiens esse debet, sicut & exercitandi ratio extrinsecus, aut intrinsecus accedens, non nisi per motum alienam excernit materiam. ut ubi, palàm sit, in nonnullis Aristotelem cum Galeno conuenire, tñ in modo trahendi humores differre uideť, quanquam & in hoc conciliari possent. & licet Aristoteles dicat medicamẽta non coqui, tñ simpliciter non negant, qñq; coqui posse, sed tunc non diceret esse medicamẽta, à quo nec dissentiret Galenus. ex Aristotele uero nihil sumi potest, quòd medicamẽtum sit letale & deleterium, sed id solum quod à naturali calore domari non potest.

Ambiges præterea, cum exigua quædam medicamenti pars secũdum Galenum accipiať, igitur conueniẽs dosis non accipieť. Respondemus Galenum per exiguam partem suam dosin intelligere, quæ tñ est totius compositionis pars exigua, nõ pe nec drachma accipiatur, uel drachmæ duæ, uel tres secundum medicamenti genus, hæ profecto sunt modica portio. Tertio, Galenus notat, cum medicamenta naturam hanc habeant deleteriam & letalem, in ipsis semina quædam miscenda

da sunt, quæ boni sint odoris, & malitiam medicamentorum obtundere nata, neq; talia sint quæ medicamentoꝝ actionem impedire possint, nam gumium genera, & balausba, & bolus armenus, & terra sigillata, ex his sunt quæ malitiam medicamentoꝝ obtundunt, sed & eoꝝ uim compescunt, anisum uero, fœniculus, anethum, daucum, cyminum, malitiam quidem medicamentoꝝ obtundunt: at adstringere non possunt, imo potius aperiunt, & medicamento opem ferunt, ꝓpterea attenuant crassos humores, & incidunt, & uias aperiunt, per quas euacuatio cōmodius labitur, illaq; est causa cur sumpto medicamento statim detur ptisana, qa medicamentum purgans exiguum est, & ad uentriculi fundum puenire debet. at dum ab ore ad uentriculū ptransit, stomachus, & superior uētris pars aliqd accipiunt, non quidem solius qualitatis medicamenti purgantis, sed & substantiæ, quæ in transitu hæret aliquid etiam accipit, & ex hoc uehementer læditur, ꝓpterea ptisanæ cremor ingestus hanc cōmoditatem præbet, q̄ & detergit, & deorsum trahit, quicquid medicamenti fuerit impactum urjs, & etiam medicamenti qualitatem, quæ his adhæret partibus, detrahit, & temperat, & permutat, quæ alioqui posset illas partes offendere.

Quod leguntur patefaciunt, græce est ἀναστομοῦν, qd' proprie est uasoꝝ ora aperire. Sed ambiges, an ptisana detur pro apozemate, uel pro cibo. Scito uarias esse inuentas medicamentoꝝ formas, ut si quis sub una forma sumere non possit, sub alia sumat, & ut à longinquioribus locis, & ꝓpinquioribus, ut opus est maxime ducant. pilulæ à remotioribus trahūt locis, quia corpora sunt crassa densa. eclegmata minus trahūt à remotis, & facilius etiam à uentriculo descendūt: potiones adhuc minus. unde si qs pilulis uti uoluerit, tñ non uult ut diutius in uentriculo morentur, neq; magnifacit an à remotis ducant, statim dat potionem, quam Auicēna libro primo fen 4. capite. 4. censet debere esse homogeneam & eiusdem naturæ cum pilulis, propterea si pilulas ad atram bilem euacuandam præbebis, apozema fit ex fumo terræ, epithymo. si pilulæ euacuare debeant pituitam, ex minore centaureo apozema fit, pari modo si eclegma accipiatur, aut puluis, apozema dandum est ut erit opus. Pro huius rei uero cognitione, scito apud antiquos medicos hæc duo nomina inueniri ἀπόζεμα .i. decoctum, & ἀπόβρεγμα .i. dilutum, ut Plinius interpretatur, dici potest infusum. est uero decoctum quoties aliquæ herbæ in aqua uel alio liquore decoquunt, dilutum uero cum herbæ absq; decoctione in aqua per aliquot horas uel dies pmanent, postea eximuntur, & aqua, uel liquor alter, herbæ odorem, saporem, ac uires acqsiuit. post medicamēta apozemata dabāt, quæ incidendi uim haberent, aperiendi, extenuandi, quale forte fuit decoctum ex seminibus odoratis ab Hippocrate in præcedenti sententia positum, quę habēt has uires, & quale est Plinij secundi apozima in libro de re medica. 1. capite. 60. tum dicit, apizima ad incidenda phlegmata, corruptus est locus, & legi debet apozima. coques (inquit) anethum siccum, & radices apij in aqua, cui aquæ ad modum potionis calidæ addes oxymelitis simplicis cochlear unum, bibesq; ieiunus per triduum, & cum uolueris. Vtitur Trallianus in comitiali morbo libro primo capite. 21. apozemate cum pilulis, & libro. 4. capite. 4. apozemate etiam utitur, ubi de tophis articuloꝝ agens præsidia ponit, quæ antidota uocāt. Paulus libro. 7. capite. 19. in cōpositione sinapismi utit̃ ἀποβρέγματι .i. diluto. Ad rem igitur redeuntes, in hoc loco medicamentum sumptum est, cum quo illa ponebantur, quæ erant odorata, arbitrādum est fuisse decocta, & ita erant pro apozemate, tuncq; ptisana non potuit esse apozema. At cum hoꝝ apozematum .i. decoctoꝝ dandoꝝ intentio sit, ut malitiam medicamentoꝝ prohibeant, & humores crassos incidant atq; attenuēt, hæcq; in ptisana inueniantur, ꝓpterea quantum sit ex intētione dandi apozematis cōuenit, at cum ipsa non sit decoctum, ꝓpterea uere nō poterit secundum nomen dici apozema, hæc uero dantur, uel simul cum medicamento, uel statim post sumptum medicamētum, ptisana & ipsa pro apozemate sumatur, quæ & malitiam corrigit medicamenti, aperit, attenuat, abstergit si qd relictum sit in urjs, & deorsum ducit, & aliquo modo nutrit. aliqui sunt qui in hoc casu aquam hordei præbent, aliqui serum, aliq alia decocta, secundum uarios diuersaꝝ urbium & regionum mores. Petes uero an in omni medicamento ita fieri possit. Respondemus, ita quidem fieri posse, ut post sumptum medicamentum sit cuiuscunq; generis ptisana, uel ius, uel aliqd' aliud statim exhibeatur, modo uim habeat aperiendi, incidendi, & deorsum trahendi, si qd medicamenti ori uentriculi inhæserit. Sed iterum petes, an dari possint post medicamenta ἀποβρέγματα .i. diluta. Respondemus, & hæc eadem ratione dari posse, & conuenire, qua dare conuenit ἀποζέματα .i. decocta. Denique Galenus infert ob dictas causas Hippocratem iubere post purgantis medicamenti potum dandam esse ptisanam, intellige uero statim post, non postea quàm suas egerit partes, ut quidam intelligunt, neq; danda est cum euacuare inceperit: nempe uis purgātis medicamenti exolueretur, & id qd' iam erat in actu purgandi, ex miscella simul ptisanæ deperiret, qd' non fit si in principio sumpta fuerit, hocq; in sequenti sententia statim ab Hippocrate docetur, cum inquit.

## Hippocrates. Sectio XIII.

Et quoniam ab re non est, purgatione in media sorbitionem dare non conducit. At ubi purgatio desierit, tunc sorbitio detur, sed consueta minor: deinde liberalius perpetuo exhibeatur, si & dolor cessauerit, & nihil aliud obicem fecerit.

BRASAVOLVS

Hippocrates superius iussit post medicamēti sumptionem statim sumendam esse ptisanam, neq; retardandum: quoniam si expectare uolueris, ut medicamentum in actum educendi puenerit, & iam euacuet: ptisanam dare non conuenit, neque conducit, neq; aliqd aliud, ne medicamenti actio iam cœpta impediatur. uerꝫ ubi purgatio desierit, tunc danda est ptisanæ sorbitio: & non plene danda, uerꝫ minor consueta prima uice, post euacuationem: postea alijs uicibus liberalius præbeto, præsertim si dolor cessauerit, & nihil aliud obstiterit.

ἐπεὶ καὶ κατὰ λόγον ἐστί .i. qm̄ & secundum rationem est. aliqui hanc partem præcedenti Sectioni cōnectunt, ut dicatur, non esse dandum insigniter minus ptisanæ, quàm consuetum sit, qm̄ & hoc est secundum rationem. Copus interpretari uidetur, nisi consuetudo rationi aduersetur. alij cum sequentibus cōnectunt, ut sensus sit, esse id rationabile ne quid detur in media purgatione. quicquid tamen sit, nihil ad rem facit hæc particula, etiam si ab Hippocratis serie abesset, qm̄ & absens eius sententiam non minuit, neq; amplıat, cum adsit.

μεταξὺ τῆς καθάρσιος μὴ διδόναι ῥοφήν .i. in media purgatione non dare sorbitionem. hæc pars ostendit præcedentem partem huic debere coniungi, ne imperfecta sit, quippe totus sensus est, qm̄ & secundum rationem est, in media purgatione non dare sorbitionem. s. ptisanæ: imo neq; in purgationis principio danda, qa cum medicamentum est actuatum ad agendum impedire non debet, ptisanæ uero sorbitione, & quacunque alia sorbitione impeditur.

Sed inquies, cur medici in purgationibus lauatiua præbent? Respondemus, illi qui præbent, antequam medicamentum suas egerit partes, aberrant, cum medicamentum impediant. hic uero est nostratium mulierꝫ mos ius cum zuccaro præbere, quando medicamentum agere inceperit: sed eius opus impediunt, & uim temperant medicamenti: peius agunt qui eodem tempore cibum præbent.

Nota uero esse aliqua medicamenta quæ tarde actuantur. in his post horam à sumptu medicamenti cibus dari potest: & in lenientibus apud Galenum idem fit mos. tñ melius fuisset cibum statim post medicamentum accepisse. à multis Venetis

medicis maximus error cõmittitur, qñ cassiam prębentinam post tres horas à sumptu cassiæ cibum præbent, quo tpe iam est actuata & cum sit imbecille medicamentũ uires amittit, & non educit. tñ si statim à sumpta cassia quispiam ederit, illam talem reddit ut egregius educat, q̃ si cibum non acceperit, uel post tres horas acceperit, aut saltem sumendus est non multo tpe post cassiæ sumptum, ut in lenientibus præbet Galenus ubi de prunis agit in libro de alimen. facult. simpliciter uero in medicamentis quæ cito educunt, statim dandus est cibus, qñ quis ante purgationem dare uoluerit.

Ad lauatiuum uero redeuntes, petere posses ob qd detur. Respondemus, aliq dant, ut uentriculus & intestina abluant, ut si quæ sint prauorũ humorũ in ipsis relicta, deorsum trahant. alij exhibent ut uentriculus roboret, in hocq; dubium pringit, qm lauatiua quæ dant, ut diuersi sunt mores, erũt uel hordei aqua, uel serũ, uel ius. at omnia hæc uẽtriculum potius deijcere uidẽtur. nam, & Celsus lib. ij. cap. 25. de his quæ aliena sunt stomacho agens inqt, omnia iurulenta esse aliena stomacho, ppterea hæc lauatiua potius danda sunt ut abluant, q̃ ut uentriculum roborent. at si hoc modo dent, esset sm Hippocratis morem, ius detur postq̃ medicamẽtum suum opus pegerit, deinceps ad quatuor horas cibus præbeat. id uero qd' fit cõmuniter, nõ conuenit. nam ius dant, postea ad semihoram uel horam prandent. Melius est ius accipere & simul prandere, tñ leuiter, & minus q̃ sueuerit æger, idq; fit prima uice, postea cibus augeatur, potissimum qñ dolor abfuerit. nam tunc opus est augere, quoad homo ipse ꝯuenientem acceperit quantitatem, in qua postea perseueret, ut ab Hippocrate statim edocebimur.

ὅταν δὲ λήξῃ ἡ κάθαρσις, τότ' ἔλασσον ῥοφείτω, ἢ ὅσον εἴθισται. i. qñ autem purgatio desierit, tunc sorbitio det, minor tñ q̃ pro consuetudine. Sorbitionis dandę tps notat, danda nunquam est, postq̃ medicamẽtum egerit qd' ꝯuenit: quippe tũc non impedit, neq; aliqd in uentriculo adest, qd' cibum corrũpere posset. Nota uero in omni euacuatione intelligẽdum esse post medicamenti operationem suum cibi genus esse dãdum, & nondum est in actu agẽdi. Hippocratesq; cõtrarium addit, q̃ multi antiqui medici fecerint, & q̃ nostro tpe mulieres faciant. nempe ubi corpus euacuatum fuerit, statim implere uolunt, & plus dare q̃ prius. Hippocrati uero id non placet, jubẽti, non esse dãdum tantum sorbitionis, quãtum accipere erant consueti, sit uero minor sorbitio, ut à uentriculo confici posit & coqui, nam & uentriculus à ui medicamenti redditus est imbecillior. hæc uero imbecillitas diu durare non potest, tñ per aliquot saltem horas ꝑdurat. ppterea ne uentriculus absq; cibo, & uacuus maneat, da ptisanam. at ne imbecillior redditus conficere non posit, minorem quantitatem ꝯsueta exhibeto. Petes uero, an in aliquo casu in purgationis medio ptisanam dare conueniat uel alium cibum. Respõdemus conuenire, qñ euacuationem ꝓcedere nolumus, qa uiderimus illam esse nimis amplam, uel aliqd damus, qñ ad os uentriculi materię mouentur quæ syncopim inducerent, nisi re aliqua roborante, & in uentriculi fundum materias illas acres & mordaces demittente, succurreretur, qñq; iubentes ut panis bucella in uinum granatorũ intingeret & ederetur. hac enim nonnũquam syncopen euitauimus. idem effeci nonnunquam ex zuccaro rosaceo, nonnunquam ex uino uocato albana, in quo intinctus sit panis. hæc quæ uim aliquam habẽt adstringẽtem & frigidam, ad hanc syncopem leuãdam satis apta uident, licet & alia multa dari possint, & potuissent, quàm hæc à nobis dicta.

μετὰ δὲ τοῦτο αἰρείτω αἰεὶ ἐπὶ τὸ πλεῖον. i. post hoc autem liberalius semp exhibeat. post primam illam cibationem liberalius exhibenda est ptisana. & quamuis ab Hippocrate non exprimat per ordinem incedendum est, nam secunda uice augenda, tertia dandum secundum consuetudinem, imo procedes augendo etiam supra consuetudinem, si nihil obstet. propterea Hippocrates sequitur.

ἢν ὅτε ὀδύνη πεπαυμένη ᾖ, καὶ μηδὲν ἄλλο ἐναντιῶται. i. si & dolor cessauerit, & nihil aliud obstiterit. nempe dolore perseuerante, nec posset. nec deberet augeri ptisana, uel si aliquod aliud impediuerit, ptisanam augere nõ est opus, ut si febris inualesceret, & alia essent symptomata quæ cibum præberent.

Contra quàm plerique huius temporis medici rem hanc docuit Hippocrates. Nempe hi ubi uacuauerunt, copiose nutriunt. Hippocrates uero à purgatione, ptisanæ minus ministrari iubet. Nam corporum quæ expurgata sunt natura ex purgatione agitata, labefactataq;, tolerare alimoniam non potest: neque probe eam conficere, nisi omnino pauca fuerit. Purgatis igitur tantum cremoris prima die exhibendum, quantum domare possint. Deinde paulatim, sensimq; adaugere oportet, si & dolor, ut inquit, cessauerit, & nihil aliud prohibuerit. Quod de dolore ait, est manifestum: sed nihil aliud prohibere ad præfatas referre oportet, si intelligere uolueris, distinctiones, in quibus demonstrauit quonam pacto morbis acutis laborantes absque sorbitionibus regere oporteat. Summa uero horum est, cum uel morbum ante iudicationem nulla sorbitione indigere speràbimus, uel in quibus summa est, quæ phlegmonem facit, cruditas. GALENVS.

Primo, Galenus docet ab Hippocrate id edoceri, quod est contra maiorem sui temporis medicorũ partem, imo & multorũ nostri temporis, & omnium mulierculaũ: nam hi statim post euacuationem probe nutriunt, & copiose. at è contrario Hippocrates minus exhibet ptisanæ post purgationem. & ob hanc causam, quia corporũ quæ expurgata sunt natura ob expurgationem agitata & labefactata alimentum tolerare non potest, neq; optime cõficere, neq; coquere, nisi paucum sit nutrimentum. propterea inferre oportet, his qui expurgati sunt, tantum ptisanæ dandum esse, quantum conficere possunt. hęc est regula quæ nũquam fallit. postea paulatim adaugere oportet si dolor cessauerit, & nihil aliud impediat. BRASAVOLVS.

Quod legitur natura corporũ quæ expurgata sunt natura, hęc particula natura græce est δύναμις. i. uis, potentia. nam & si natura sit ipse naturalis calor, ut alibi Galenus edocuit, & uis in hoc calore consistat, tñ Galenus cum de natura ipsa loquitur, utitur uocabulo φύσιν & non δύναμιν, ppterea conuenientius uidetur, si uis interpretemur, uel potentia, q̃ natura.

Quod legit prima die græce est, πρώτην. qd' etiam in sola prima cibatione intelligi posset, nam in secunda cibatione parũper augere possumus. tñ si diem intelligere uoluerimus qa πρώτην est generis fœminini, ut ἡμέραν refert, nihil facimus: multi etenim sunt qui cum statim post sumptum medicamentum ptisanam præbuerint, nihil dabunt nisi uesperi in cœna.

Quod legit, deinde paulatim sensimq; adaugere oportet, græce est, ἐπ' εὐθὺς κατὰ βραχὺ παραυξάνειν. i. deinde statim paulatim augere. quæ uerba ostendunt primam solam cibationem debere esse minorem, mox augendum esse, & quomodo paulatim. Notaq; Galenum intelligere prima die dãdum esse cremoris parum, & non ptisanæ, postea augendum paulatim quoad uenerit ad ptisanam & etiam in copia.

Secundo, à Galeno notatur id quod ab Hippocrate dicitur de dolore esse manifestum. illa uero particula { & nihil aliud prohibuerit } ad distinctiones prædictas referri debet in quibus demonstrauit, quomodo acutis morbis laborantes, absq; sorbitionibus regi possint. At si in summa scire cupias quando aliquid impediet, unum erit impedimentum dandi ptisanam, qñ sperabimus morbum ante iudicationem nulla sorbitione indigere, ut si in quarto die sanabitur, uel quãdo est summa cruditas in phlegmone. nunc uero non est penitus abstinendum, sed minus dandum, & non semper augendum: alioqui & cruditas cresceret atq; morbus.

Dices uero, quomodo fieri potest ut ibi sit summa cruditas si inflammatio ab humoribus fiat calidis. Respondemus, circa inflammationem forte esse possunt humores frigidi, tamen & quid prohibet humores calidos esse crudos & incoctos, sicuti & frigidi crudi sunt & incocti, & potissimum quando in inflamatione fuerint simul misti humores crassi, imo & biliosi sunt crudi, ut deinceps edocebit Sectione 44.

## Hippocrates. Sectio XIIII.

**Sermo autem mihi idem est, si & ptisanæ cremore utendum sit.**

BRASAVOLVS

Cum aliqs dicere posset hæc quæ tu dixisti o Hippocrates, sunt ne tm̃ in casu uera, qñ opus est ptisanam exhibere, an ẽt in alijs? Hippocrates fere ad hoc dubiũ respondẽs ait, id itelligo ẽt & si ptisanę cremore utendum sit, imo ad oẽ edulij genus in oĩ morbo ampliare potes, et ad sanos qñ medicamẽta accipiũt ut præseruent. ex qua sentẽtia facile deprehẽdi põt, p̃ sorbitiones in precedẽti sentẽtia ptisanę sorbitionẽ Hippocratẽ intellexisse, & nõ cremoris, ut Galenus in illius sentẽtię cõmentatione exponit. quanq̃ & cremori accõmodari possit expositio.

αὐτὸς δέ μοι λόγος ἐστὶ, καὶ ἢν χυλῷ δέῃ πτισάνης χρῆσθαι. i. eadem uero mihi rõ est, & si succo uel cremore ptisanę uti oporteat. Est eadem de cremore ratio, uel idem sermo, hoc est, regula illa quæ superius in ptisanæ sorbitione dictum est, & ipsius cremori deseruit, imo & omnibus deseruit cibis, qui post medicamenti operationem exhibentur.

GALENVS.

Tempus exhibẽdorũ tum ptisanę, tũ cremoris ipsius, & antea simile esse demonstrauit: re una dũtaxat differentiam horũ definiens; nempe à cremore principium exhibitionis facit.

BRASAVOLVS

Galenus notat supius ẽt ab Hippocrate demõstratum esse, tp̃s exhibẽdi ptisanã, & eius cremorem esse siñe, & q̃ una sola differũt re, qm̃ exhibitionis principiũ à cremore incipit, nã res est tenuior, facilioris coctionis, faciliorisq̃ descẽsus. unñ cũ ęger prius nõ cibatus, cibari debeat, à pauco cremore semp̃ incipiẽdũ est, postea à pluri, deinde parũ ptisanę dãdũ, postea plus, tñ & in alio differũt, qa in his morbis daĩ cremor, qui breui finiri debẽt, sed usq̃ in morbi finẽ solũ aquę potũ ferre nõ possent, ptisana uero non daĩ, in longioribus uero daĩ ptisana. Scitoq̃ Galenum dicere esse similia tẽpora, & non eadem, qa eodem tempore dari non possunt, sed ordine quodam se sequuntur, ut primo cremor, deinde ptisana suscipienda sit.

## Hippocrates. Sectio XV.

**Melius siquidem esse dico, ut ꝓtinus à morbi initio sorbere incipias, q̃ inanitis uacuatis q̃ uenis uel die tertio, uel quarto, uel quinto, uel sexto, uel septimo, si ante hoc tempus morbus haudquaquam iudicatus fuerit; sorbitionem inchoare.**

BRASAVOLVS

Generalis est apud Hippocratem regula, quã oẽs ꝓbi medici & secuti sunt, & sequunĩ in morbi uigore semp̃ tenuissimo uictu utendũ esse. quã regulã & in. j. Aphoris. lib. celebrauit Hippocrates. ꝓꝑea in hac parte suadet, qa uidebimus ęgrũ, inediã usq̃ ad iudicationis calcem ferre nõ posse, ꝓꝑea statum à principio sorbitionẽ prębere opꝫ, ne si hoc nõ feceris, cogaris inanitis uenis & euacuatis tertio uel quarto, uel q̃nto, uel sexto, uel septimo, si añ istud tp̃s morbus non fuerit iudicatus, sorbitionẽ inchoare, nã tũc añ morbi uigorẽ, uictu tenuissimo usus fuisses, & in ipso uigore crassiori: cũ tñ incessus p̃ oppositũ fieri debeat: nã primo ptisanã dare debemus, ꝓpe uigorẽ ptisanę cremorẽ, in uigore nihil penitus dandũ, quoad īclinatio morbi incepit. nã morbi uigor in his potissimũ acutis semp̃ est breuissimũ tp̃s. in diuturnis morbis difficulter cognoscĩ, qñ sunt per mẽses diuturni. tñ in illis tenuissimo uictu non utimur, uerũ tenuius cibamus, q̃ prius fecerimus. in hisq̃ morbis diutinis & ꝯsistẽtia est breuissimum tp̃s respectu aliorũ in eodem morbo diuturno, in quo semp̃ eundem uictus modum seruamus, tenuiorem. s. quàm fuerit præcedens. de hac autem re plene agit deinceps Sectione. 42. & per nonnullas alias sequentes.

φημὶ γὰρ ἄμεινον εἶναι αὐτίκα ἄρξασθαι τὸ ἐπὶ πᾶν ῥοφεῖν. i. dico etenim melius esse, statim incipe oĩno sorbere. hoc intelli ge ut morbus exigit, uel sorbere ptisanam, uel cremorem. idq̃ primis fieri diebus melius est, ne ꝓpe statũ, uel in statu, hęc dare cogamur, qa uires sunt redditæ imbecilliores. Sed si quis ꝓpõne melius est primis diebus abstinere, ut publicus est oĩum recẽtiorũ mos? Rñdeĩ, si medicus morbi statũ futurũ cognoscit, in quem totis uiribus ꝓtẽdere debet, primis diebus uictũ ualde tenuẽ ne iubeat, s3 futuro statui uictũ accõmodet. at si medicus statũ futurũ ignoret, & ęgritudinẽ, statim tenuissimo uictu uti debet, quoad & ęgritudinẽ & statũ nouerit, qđ breui fiet.

μᾶλλον ἢ προκενεαγγήσαντα ἄρξασθαι τοῦ ῥοφήματος ἢ τριταῖον, ἢ τεταρταῖον, ἢ πεμπταῖον, ἢ ἑκταῖον, ἢ ἑβδομαῖον. i. magis q̃ præuacuatis uasis incipe sorbitione, uel tertio die, uel quarto, uel quinto, uel sexto, uel septimo. cogeĩ uero in his diebus præbere medicus, qñ à principio uictu tenuissimo uti noluerit, ex qua tenuitate uasa exinaniunĩ. sunt uero uasa uenę arterię, & illa in q̃bus colligiĩ sanguis, qui corpus nutrit, his exinanitis uires imbecilliores euadũt. et ꝓñr his diebus cibũ dare cogimur, in q̃bus est status. hęc regula ī his morbis uera est, in q̃bus sine uictu non ꝑuenit ad statũ. unñ ab Hippocrate addiĩ.

ἤν γε μὴ προκριθῇ ἡ νοῦσος ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ. i. si nõ prę iudicatus fuerit morbus in hoc tp̃e, qa cũ non sit morbus prę iudicatus ī illis dieb⁹, cogimur dare cibũ, si uenę sint exinanitę, et uires deficiãt, et tũ ī uigore morbi cibabimus, qđ absurdũ ẽ. Sed ambiges imo simpliciter uideri in omniũ morborũ principio semp̃ abstinendũ esse, qa nullus est cui morbus īcipiat, qui in uẽtriculo, iecore, mesaraicis, & eiusdẽ generis partibus præcedẽtis diei & precedẽtium cibos nondũ coctos nõ habeat. statim igiĩ prima die, uictu tenuissimo uti possumus & debemus. Rñdemus, id oĩno uerũ esse pro prima & sc̃da cibatione in talibus, sed nõ pro alijs ꝯsequẽtibus. nam cũ precedẽtes cibi fuerint resoluti, qđ cito fit, deinceps ordinãdus est uictus p̃ respectũ ad futurũ statũ: ut si fuerit distans, sit crassior uictus: si ꝓpe sit, tenuior. tñ sunt & aliq̃ ægri, qui nihil habẽt præcedentium dierũ uictus, sed opus sit prima statim uisitatione uictus rationem instituere. uerũ rarissimi sunt, qui primo ægritudinis die medicum uocẽt, multi putãt se non esse ægrotaturos, alij timẽt medicamenta, alij cauent à sumptu, qui postea magis expendunt quàm illi qui prima die medicum uocarunt.

GALENVS.

Quod in Aphorismis scripsit Hippocrates, id & in præsentiarũ ꝓsequiĩ, in morbi oĩs uigore tenuissimo utendũ uictu pręcipiens. Si igiĩ quinta die morbi uigor futurus sit, & æger solo usus potu sufficere nõ possit, melius esse ait, si ꝓtinus ab initio ptisanam dederis, & neq̃ tertio die, neq̃ quarto sorbitionem inchoaueris. Sic sanè & eos qui uel q̃nto, uel septimo sorbitionem inchoãt, falli, circũueniriq̃, si ante hoc tp̃s morbus nõ fuerit iudicatus. Per iudicationẽ intelligo, ut dixi, non ꝑfectã morbi mutationẽ solũ, uerũ quoq̃ & effatu dignã trãsmutationem.

BRASAVOLVS

Primo, Galenus docet nũc ab Hippocrate idem ꝓsequi qđ ab eodem in. j. Aphorismorũ Aphorismo. 8. dictum erat. s. in uniuscuiusq̃ morbi uigore tenuissimo, uictu utẽdum esse. unde si q̃nta die morbi uigor futurus sit, & æger tãtum sumpserit potũ, neq̃ in statũ usq̃ sufficere possit, melius est ab initio protinus ptisanam dare, neq̃ tertiam, uel quartam diem expectare, postea sorbitionem inchoare.

Secundo, addit Galenus & illos etiam decipi & errare, qui uel quinto, uel sexto, uel septimo sorbitionem inchoauerint, quando morbus ante hoc tempus non fuerit iudicatus.

Tertio, Galenus notat & in hoc loco Hippocratem ut superius fecit per iudicationem intelligere nõ solum ꝑfectam morbi mutationẽ, sed & transmutationem dignã effatu. adde, quæ tñ talis sit, ut supius dicebat, ut æger amplius mori nõ possit.

## Hippocrates. Sectio XVI.

**Præparationes autem & his tales fiant, quales dictæ sunt. De sorbitionis igitur exhibitione ita sentio.**

BRASAVOLVS

Cum à sorbitione prædicto modo inchoabis, qñ æger usq̃ in iudicationem inediam ferre nõ posset, si petas in reliq̃s qd sit agẽdum: Respõdet Hippocrates tales his debere fieri pręparationes

tiones qui ita incipiũt, quales ſupius dictę ſunt, hoc eſt in.j.lib. ut illa quæ Sectione.19.deſcribitur, ꝙ ne uno quidem die uaſa inaniri pmittat, ſed à ſorbitione non deſiſtat, niſi pp medicamētũ, uel pp clyſterem, & qđ.20.Sectione habeť bis cibādus ſit, ſi ſit aſſuetus. & ordo ſeruari debet, qui eſt.21.Sectione, ut inter initia neq; multa neq; craſſa dāda ſit, & alia oĩa ſeruanda quæ deinceps dicunť. Itaq; Hippocrates dicit de ſorbitionis exhibitione ſe id ſentire, ut omnia ad præcedentia referanť. Et qa inquit præparationes, propterea illud intelligamus qđ Galenus in cõmentatione intelligit, anteꝗ̃ ſorbitio detur, præparationes faciēdas eſſe, quæ fiēt, ubi opus fuerit uenam ſecare, dare medicamētum, clyſterem imponere, uel balanum ut opus eſt, fomenta prius adhibere, & hæc omnia in hac ptiſanæ exhibitione in principio data uerificari poſſunt.

αἱ δὲ προπαρασκευαὶ καὶ τοῦτοισι παραπλήσιαι γινέσθωσαν. i. præparationes aũt & his ſimiles fiāt, uel.j.libri præparationes, uel.ij.uel illæ ſolæ quæ à Galeno ĩ cõmētatione referunť.

ὁκοῖαι περ εἴρηται. i. quales dictæ ſunt, uel in primo & ſecũdo libro, uel ſolum in hoc ſecundo.

περὶ μὲν τῶν ῥοφημάτων προσάρσιος οὕτως γινώσκω. i. de ſorbitionis igitur exhibitione ita ſentio, ut dictum eſt.

**GALENVS.** Et qbus ab initio ſorbitionem daturus ſis, præparationem ſimiliter fieri præcipit. Id eſt, ſiue ſectionis uenæ, ſiue clyſmatis, ſiue balani neceſſitas fuerit, illud ante faciendum iubet.

**BRASAVOLVS.** Hic à Galeno notať, Hippocratem præcipere, pręparationes ſimili modo fieri oportere, & his quibus ab initio ſorbitionem daturus es. Intellige uero pręparationem, uel ſectionis uenæ, uel clyſteris, uel balani, uel medicamenti. nam ſi opus ſit unum ex his cibationem præcedere, id fieri debet. quippe hoc eſt qđ iubet faciēdum Hippocrates iuxta Galeni ſententiam. tũ & ad oēs canones.j.libri ſimul cũ illis.ij.referre poſſumus.

## Hippocrates. Sectio XVII.

De potu quoq; qualemcunq; ex declarandis potaturus quiſpiam ſit, eadem omnino mihi eſt ratio.

**BRASAVOLVS.** Nonnũquam in principiis ptiſana uti nõ eſt opus, qñ abſq; illa, morbus ad cõſiſtētiam pueniet tñ utimur oxymelite, uel melicrato, uel aqua nũc hordei aqua utimur, & aqua nũcupata pectorali, ex hordeo glycyriza & paſſulis confecta. qñ hoc genere uictus per potum utimur, idem præciſe ſeruādum eſt. nā ante potum cuiuſcũq; ſit generis, uel ſectione uenæ ſi opus erit, uel medicamento, uel balano, uel clyſtere utāris. Notaq; modum loquendi diuerſum Hippocratis, qñ de ptiſana, uel de eius cremore loqtur. nā cũ res ſunt craſſiuſculæ, quæ nõ pbe ſorbeanť, utiť uocabulo ῥόφημα. i. ſorbitio. uñ & oua ropheta uocanť, qñ & ipſa craſſam hñt conſiſtētiam. in oxymelite uero, melicrato, & aqua utimur uocabulo ποτοῦ. i. potu, quia & liquidiora ſunt, & per modum potus ſumi poſſunt.

αὐτὰρ καὶ περὶ ποτοῦ, αὐτός μοι λόγος, τὸ ἐπίπαν ἐστί. i. ſed & de potu idem mihi ſermo omnino eſt, qualis in exhibitione ptiſanæ fuit, ut eiſdem præparamentis uti debemus, quibus in illa utimur exhibitione.

ὁκοῖον ἄν τις μέλλῃ πίνειν τῶν γραφησομένων. i. qualē ex his quæ ſcribemus qs bibere debebit. qa nondũ de potu morborũ acutorũ Hippocrates locutus eſt, ſed in.2.lib. de illo ample p̃tractabit. ppea qcunq; ſit potus ille qui ſumeť, mõ ex his unus ſit qui à me deſcribēdi ſunt, ſemp eædē ſunt agēdę præparationes ſi his indigeamus. Sed ĩquies, in his qui ſolo utunť potu, debēt'ne præparationes pro maiori parte fieri, an in his qui ptiſana utunť? Rñdemus certā nõ eſſe huius rei normā, in his tñ q ſolo utuntur potu, morbus eſt uel pacutus uel exacte pacutus, propterea præparationes hæ in his forte potius fieri debent, qa uel ſectione uenę uel medicamento, uel alio ſimili cito indigemus. Sed in his qui nihil accipe debēt petes, an idē ſit modus præparationũ ſeruādus, qa de his nullā facit mētionem Hippocrates. Rñdemus, in his oĩno & faciēdæ ſunt eædem pręparationes ſi opus ſit. tñ nulli ſunt qui bibere nõ poſſint ſalteꝫ aquā, uel hordei aquā, uel unũ ex noſtris ↄſuetis ſyrupis pro ſedāda ſiti. & ne īterim dũ morbus reſolueť, ardeat, pręſertim cũ in morbis acutis hoc unũ ſit ex ſymptomatibus ualde moleſtis, ſitis ucꝫ, quā rariſſimi hoĩes facile ferre pñt, tñ in morbis qui tertio uel q̃rto die terminari debēt, ſi fieri poſſet, abſq; potu eſſe deberet. hoc uero intelligo in aliis acutis morbis præter ꝗ̃ in pleuritide. in hac enim non pbo has gutturis partes adeo exiccari ſinere, ut ſputa deinde procedere non poſſint. nam illis exiccatis partibus, & materiæ quæ per illas tranſeunt, exiccantur.

**GALENVS.** Si laborantem potu ſolo, citra ptiſanæ ſorbitionem rexeris, pręfatas quoq; pręparationes te facere iubet. id eſt, aut uenam ſecare, aut clyſmate, uel balano uti.

**BRASAVOLVS.** A Galeno hic notať ſi laborantem ſolo potu citra ptiſanæ ſorbitionem rexeris, te quoq; præparationes præfatas facturum: quæ ſunt aut uenam ſecare, aut clyſtere uti, uel balano, uel alio ex his quibus indiget.

## Hippocrates. Sectio XVIII.

Verum & medicos contra omnino, quàm oportet agere ſcio. Nempe omnes languentes ipſos per initia morborũ, duos, uel tres, uel etiam plures dies inedia ſiccare, atq; ita tum ſorbitiones, tum potus exhibere uolunt, idq; forſan ꝙ magnæ corporis mutationi magnam quampiam obiicere mutationem ipſis decens eſſe uideatur. Verum mutatio ipſa bene quidem habet nõ modica, ſed recte tranſferenda uenit. Iam autem & ciborũ exhibitio mutationis rationem maxime ſubit.

**BRASAVOLVS.** Multi erāt antiquiores medici, qui in regendis ęgris in morbis acutis aliter incedebāt, ꝗ̃ Hippocrates fecerit. ppea eorũ opiniões & rõnes nũc recēſet, quę tñ Hippocrati opponunť. Sic ◦ inqt Hippocrates, medicos uel oēs uel plures, ↄtra ꝗ̃ opꝫ agere in regendis ægris in morbis acutis, nam in acutis morbis ita ægros tractant: in principiis per duos, tres, uel plures dies ęgros ſiccāt inedia & extenuāt: poſt hos dies & ſorbitiones & potus exhibēt, & hi antiq huic rõni innitebanť. Magna corporis mutatio ſi expelli debeat, altera magna corporis mutatiõe expellēda eſt. morbus uero magna eſt corporis mutatio. igiť pro ſui expulſione, magna īdiget in uictu mutatione. ſed magna in uictu mutatio eſt nihil dare. primis igiť diebus nihil penitus dandũ. Hippocrates uero huic demõſtrationi rñdet, ꝙ mutationē penitus laudat, ſi fuerit modica & tēperata, & morbo cõueniēs: nā hæc mutationis trāſlatio nõ ſolum in cibis, ſed & in aliis rebus recta eſſe debet. cęteris tñ paribus mutatio illa quę in ciborũ exhibitione fit, maxime conſideranda eſt, quiā ex ea maxima conſequi poſſunt incommoda.

οἶδα δὲ καὶ τοὺς ἰητροὺς τὰ ἐναντιώτατα ἢ ὡς δεῖ ποιέοντας. i. noui aũt & medicos cõtrariiſſima facere, ꝗ̃ opꝫ. pro medicos, uel oēs, uel maiorē medicorũ partē, ex his qui Hippocratis tpe artē exercebāt. uel forte ītellexit quocũq; tpe: nā & noſtro tpe id uerũ eſt ꝙ circa uictus rõnem in morbis acutis cõtrariiſſima faciunt, ꝗ̃ oporteat: quippe cibum præbent, qñ non opꝫ, & qñ oportet non præbēt. ppterea Hippocrates ſequitur.

βούλονται γὰρ ἅπαντες ὑπὸ τὰς ἀρχὰς τῶν νούσων προταριχεύσαντες τοὺς ἀνθρώπους ἢ δύο, ἢ τρεῖς ἡμέρας ἢ καὶ πλείονας. i. uolũt enĩ oēs in initiis morborũ inedia exhaurire hoĩes uel duos uel tres dies, uel ēt plures. hoc eſt in quo medici cõtrariiſſima agũt, ꝗ̃ cõueniat, primis diebus inedia exhauriũt ægros. Sed inquies, nõne & hoc tpe ferē ab oĩbus ſeruať? Certe multi hoc ſeruāt, nullus tñ eſt qui à cibo penitus abſtineat, uerũ minus dant, ꝗ̃ pro naturali conſuetudine. unde medicus in initio ſi morbum cognoſcit, uictus rationem inſtituere debet per reſpectum ad ſtatum: ſi uero adhuc morbi genus non co-

gnoscat, uictũ attenuare debet, nõ tñ penitus remouere, quoad morbũ nouerit, quẽ scd'a die noscet, nisi fuerit penitus excors. At inquies, quõ cognoscet tertianam scd'a die? Respõdemus, per scd'am diem, scd'am accessionem intelligito, imo & in intermittentibus dies ab accessionibus numerant. Duo aũt sunt pro cibatione spectãda apud Hippocratem in Aphorismis, uigor morbi sũmus, & ægrotantis uires. Scito tñ fuisse antiquos quosdam à Galeno & in .9. Methodi. & alibi Diatritanos nũcupatos, qui in oĩ morbo diatrito utebanẽ. i. trium dierũ inedia, postea quarto die cibabãt, & alternatis diebus: quos præcitato loco Galenus reprehẽdit: nam hi facile suos ęgros in hecticam inducebant, & nõnulli moriebanẽ. de his tñ particulariter non loquitur Hippocrates, qm̃ & de illis qui per duos dies, & per tres in inedia seruabantur, mentionem facit,

. οὕτω προσφέρειν τὰ ῥοφήματα, καὶ τὰ ποτά. i. ita & sorbitiones, & potus exhibent. postea q̃ p aliquot dies ęgros inedia macerauerint, in duobus errãt, primo uires imbecilliores reddi sinũt, postea ꝓpe morbi uigorem cibãt, & in ipso forte uigore.

καὶ ἴσως τι καὶ εἰκὸς δοκεῖ ἡ αἰτίη εἶναι. i. & forte id ipsis decens esse uidebit. & non solum decẽs, sed & rõnem habet: nam hæc quæ sequr, est illorũ ratio, quam tñ Hippocrates nõ dicit esse illorũ rationem assertiue, sed ambigit an sit illa.

. μεγάλης τῆς μεταβολῆς γιγνομένης τῷ σώματι, μέγα τι κάρτα καὶ ἀντιμεταβάλλειν. i. magnæ corporis mutationi factæ magnũ qd ualde contraponẽdum esse. ut hæc sit illorũ ratio, acutus morbus est magna corporis mutatio, quam ex cibis sumptis fieri supponebãt. at magnę corporis mutationi magnum debet præsidium, in eo genere in quo peccatum est. magna igit conueniebat inedia. itaq; hac ducti ratione ægris per aliquot dies inediam iniungebant, ut in hunc ferè modum ratio in syllogisticam formam deducatur.

Cum humanum corpus maxima mutatione mutatur, in illius curatione, maxime contrario illi mutationi indigemus.

Sed i acuta febre humanũ corpus maxima mutatione imutatẽ.

Igitur in huius curatione. s. acutæ febris maxime contrario illi mutationi indigemus.

Hic est syllogismus, cui talis prosyllogismus addendus est.

At maxime cõtrarium huic mutationi est inedia, nam opus est supponere hunc morbum acutum ex humorum redundantia quæ ex cibis resultat, factum esse.

Igit qui acuta febre laborãt, in iedia p aliquot dies seruãdi sũt.

τὸ δὲ μεταβάλλειν μὲν, εὖ ἔχει μὴ ὀλίγον, ὀρθῶς μέντοι μεταβιβαστέη ἡ μεταβολή. i. hoc aũt qd est mutare, bene quidem habet, nõ modicum. recte enim transferenda mutatio, ut Hippocratis sensus sit, In acutis morbis cõuenit nõ parũ. i. multum mutare cibũ: nam & huius mutationis trãslatio recta esse debet. ꝓpterea Hippocrates nõ it inficias esse mutandã uictus rõnem, sed iubet esse recte mutandã. & ideo ad syllogisticam præcedẽtis argumenti formam Hippocrates respõderet ad minorem non indigere maxima mutatione, sed tali quæ sit recta. unde ad illam deueniemus tenuitatem, in qua tamen aliquid dabimus, & non est extrema inedia.

καὶ ἔκ γε τῆς μεταβολῆς ἡ πρόσαρσις τῶν γευμάτων ἔτι μᾶλλον. i. & maxime cibor exhibitio, ex mutatione fit. qppe id potissimũ cõsideraẽ in morbis cibor exhibitio, nẽpe circa hãc partem uersaẽ & uersari debet medicus, quæ diętetica dicitur.

GALENVS. Medicos culpat Hippocrates, qui languẽtes ipsos in absoluta cibor abstinẽtia seruãt: deinde eos ꝓtinus alij qdem ad sorbitionem, alij ad potuũ ingestionem deducunt. Non tñ mẽtionem eor fecit qui cibos ualidiores añ morbi cõcoctionem ministrant. Consueuit siqdem, ut antea dixi, interdum prætermissis quæ maxima sunt erratis, culpare minora, & inde eam quę ex illis oriẽ demonstrare offensam. Qui aũt ita transmutãt, forsan (ingt) rõnabiliter trãsmutare arbitranẽ, in magna corporis trãsmutatione effatu dignam uictus ꝑmutationem facientes. Qd' sanè bene eos exist masse ait, non tñ de trãsmutatione oĩ, sed bene aliqua est putãdum: de qua partim prædixit, & partim quippiam est dicturus, sermoni astruens, declinandas esse repentinas mutationes.

BRASAVOLVS. Primo, Galenus notat, Hippocratem medicos illos culpare, qui languẽtes inexquisita seruant inedia, deinde illos ęgros statim post inediam uel ad sorbitionem ducũt, uel ad potuum sumptionem, imo nõnulli ad unum hor, alij ad aliud deducebãt. sciq; hos seruasse in iedia ægros usq; ad coctionem, uel morbi inclinationem, ut ex sequẽti Galeni parte sumi potest. Vbi in cõmentationis principio legiẽ, qui lãguẽtes ipsos in absoluta cibor abstinẽtia seruant, duo desunt uerba, τὰς πρώτας ἡμέρας. i. primis dieb⁹, ut hoc mõ series cõtinuata legaẽ, qui primis diebus lãguẽtes ipsos i absoluta cibor abstinẽtia suãt. Qd legiẽ inde eos ꝓtinus, alij qdem ad sorbitionem, alij ad potuum ingestionem deducunt: illa particula protinus græce est ἀθρόως, quæ significat uniuersim & subito, uñ & protinus dici posset, sed hoc est magis proprium,

Secũdo, Galenus notat Hippocratem de illis mẽtionem nõ fecisse, qui cibos ualidiores exhibent, ante morbi cõcoctionem. Et si petas, cur de his nihil meminerit & non reprehẽderit: Galenus inquit consueuisse Hippocratem (ut prius dictũ est) errata maxima prætermittere, utpote quæ oĩbus pateãt, minora uero culpare, & nocumentum ostendere qd' ex his sequitur.

Tertio, Galenus ad Hippocratis sententiam regrediẽ, rõnem exponẽs cibum transmutãtium, ut in cõtextu dicit Hippocrates, nã qui eo modo trãsmutant, ut ab Hippocrate diciẽ, forte putant se rationabiliter transmutare, nam in magna corporis trãsmutatione, dignam effatu uictus trãsmutationem faciunt, adde, istos recte existimasse, trãsmutationem in uictu esse faciẽdam & maximam. at nõ est opus penitus trãsmutare, & nihil prorsus dare, nam aliqd dandum est, quãuis id sit pusillum, de qua re partim supius prædixit, partim dicturus est, nõnihil ꝓbans in suo sermone repẽtinas mutationes non esse exercẽdas. Scito duas repẽtinas mutationes ab antiquioribus fieri: una, qa ex cibis in inediam primo transmutabãt, & per tres dies absq; cibo illos seruabãt, postea quarto die ἀθρόως & repentine hoc hoc est statim & multum, uel sorbitionis, uel potus, intelligeq; per sorbitionem tam ptisanæ, q̃ eius cremoris, uel alteram sorbitionem uel potum, omniaq; repente & copiose dabant. Et si petas quodnam horum peius sit, statim in sententia quæ sequitur respondet Hippocrates.

## Hippocrates. Sectio XIX.

Maxime ergo lædentur, qui tota utentur ptisana, nisi recte transferantur: lædentur quoque & qui solo utentur cremore, quanq; minus: lædentur præterea & qui solo utentur potu, sed hi minime.

BRASAVOLVS. Cũ illi lędanẽ qui post inediã repẽte uel sorbitionem uel potũ copiose sumũt, nũc docet Hippocrates quinam magis lędanẽ, illi, ingt, maxime lędenẽ, qui tota utunẽ ptisana, nisi recte trãsferanẽ, lædenẽ præterea & illi qui solo utunẽ cremore, sed minus, imo & qui potu utuntur, lædentur, sed adhuc minus.

μάλιστα μὲν οὖν βλάπτοιντο ἂν οἱ μὴ ὀρθῶς μεταβάλλοντες ὅλῃσι τῇσι πτισσάνῃσι χρεώμενοι. i. maxime uero lędenẽ, nisi recte trãsferanẽ qui tota utunẽ ptisana. qm̃ est plenior cibus, q̃ sit uel cremor uel potus. fit uero recta trãslatio quoties paulatim exhibeẽ, & iceptio est à pauco potu, & ꝓcessus ad ampliorem, deinde in paucũ cremorem fiat trãsitus, deinceps in maiorem copiam, postea in paucam ptisanam, deinde in plenam, hic est rectus incessus per quem non erratur.

βλάπτοιντο δ' ἂν καὶ οἱ μούνῳ τῷ χυλῷ χρεώμενοι ἥκιστα δὲ αὐτοί. i. lędenẽ ẽt, & qui solo utenẽ cremore, minus aũt hi. ita habet contextus Aldinus. at hæc particula ἥκιστα ſm Galenum illos potius determinare debet qui solo utuntur potu, & ideo potius legendum est, ut in Hippocratis operibus seorsum impressis habetur: unde hæc particula ἥκιστα δὲ αὐτοί poni debet post aliam sententiæ partem, quæ talis est.

βλάπτοιντο

βλάπτοιντο δ' ἂν καὶ οἱ μόνῳ τῷ ποτῷ χρώμενοι ἥκιστα αὐτοὶ.i.lædenť etiam & qui solo potu utentur, minime aũt isti. ut maxime lædanť qui integra utuntur ptisana, minus qui eius cremore, minime qui potu. & cum in genere potus aqua minime omnium lædere possit, ꝓpterea illi hæc particula adaptãda est, & in his omnibus intelligendum est, qđ in ptisana integra ponit, nisi recte transferantur, qm̃ si in his translatio recte fiet, non lædenť, & potissimum in potu, si potus detur primo parum, postea augeatur, recta fit translatio.

GALENUS. Dictam paulo ante subitã uictus mutationem, qua primis diebus in absoluta ciboꝝ abstinẽtia seruatos languentes circa diem quartum nutrire incipiũt, maxime quidem nocere ait, si in ptisanam totam transferanť, minus uero si in cremorem: sed ἥκιστα, id est ἐλάχιστα, qđ minimũ indicat, offendi eos, qui ad solos procedunt potus. Nempe ex magnitudine uirtutis eorum quæ offeruntur, magnitudo oritur offensæ.

BRASAVOLUS Galenus notat subitam & uniuersim paulo ante dictam cibi mutationem, qua antiqui medici ægros primis diebus in omnimoda seruabãt inedia, & postea circa diem quartũ nutrire incipiebãt, maxime obesse si totam acceperint ptisanam, minus uero obest si accipiať cremor: at illi minime lædenť qui solis potibus usi sunt. hucq; generalem quandam regulam ponit Galenus in his qui per aliquot dies mediam ꝑpessi sunt, postea cibenť, tanto maior erit lęsio, quanto uis eoꝝ quę offerunť, maior erit. Et si petas quænam sit hæc læsio. sciss esse quia ob inediam uires sunt redditæ imbecilliores, ꝓpterea si plenus sumatur cibus, illum conficere non põt, sed in prauos conuertiť humores. Adde naturam à suo opere impediri, & grauiorem reddi. unde opus est illam paulatim potius assuefacere, postea ad hæc uictus genera transire.

## Hippocrates. Sectio XX.

Oportet autem & ex sanorum hominum uictu disciplinam quæ conferat facere. Nam si sanis quibusdam tales uel tales cibi uariare uideantur, cum in aliis quibusdam, tum in nonnullis mutationibus, quomodo & in morbis quibusdam, & maxime in acutis, non ualde uariabunt?

BRASAVOLUS Superius Hippocrates duas posuit sentẽtias, quaꝝ una erat antiquoꝝ & talia, medicos. s. per aliquot dies in inedia homines seruasse, quia mutatio magna quæ in morbis est acutis magnam in uictu mutationem exegit, & hanc sententiam falsam esse arbitratus est Hippocrates. alia sententia erat Hippocratis ꝓpria, non esse. s. faciẽdam illam subitam mutationem, sed omnino immutãdam esse uictus rationem, tñ non est uniuersim & cito facienda. in hac parte suam illam astruit sentẽtiam Hippocrates, ꝙ hæ mutationes non sint faciendæ quia obsunt, itaq; ex sanis arguit. subita mutatio, & uniuersim facta in cibis exhibẽdis, sanis obest, igiť tãto magis oberit ægris, & præsertim acuto morbo laborãtibus. hæc est huius partis sentẽtia & intẽtio.

χρὴ δὲ καὶ τὰ μαθήματα ποιέεσθαι ἐν τῇ διαίτῃ, τῶν ἀνθρώπων ἔτι ὑγιαινόντων οἷα ξυμφέρει.i. oportet aũt disciplinas facere in uictu hoĩum sanoꝝ, quæ cõferãt. ut Hippocrates notet, opus esse ex hoĩum sanoꝝ uictu, in ægris disciplinam facere, & talem disciplinam quæ conferat, & quæ conueniens sit nam optima est hæc doctrina, quæ in ægris rõnem uictus sumit per comparationem ad sanos, imo in ægris semꝑ in uictu Hippocrates prædicat dãdum esse aliqd consuetudini. certum uero est ꝙ loqtur de consuetudine in sanitate, & etiam si in sanitate aliqua sint lædere consueta, tãto magis in ægritudine lædent. hæc igitur regula & hæc documenta, quæ à sanis sumuntur, disciplinam faciunt, quæ conferet.

εἰ γὰρ δὴ τοῖσί γε ὑγιαίνουσι φαίνονται διαφέροντα μεγάλα τὰ τοιάδε τὰ διαιτήματα καὶ ἐν ἄλλῳ τινὶ καὶ ἐν τῇσι μεταβολῇσι.i. si enim sanis uidenť uariare multũ talia uel talia uictus genera, & in alio quodam & in mutationibus. in sanis etenim hoĩbus duo sunt quæ uariant multum: unũ est aliud quoddam. i. ipsum genus uictus, aliud est mutatio ipsa, quæ sit & uniuersa & repẽtina, uictus genera insueta lædũt etiam sanos. ꝓpterea de sanis in Aphorismis loquens Hippocrates suadebat esse ad insueta trãsmutandum, adde & mutationis modum, qñ absq; ratione sit, & repente obesse.

πῶς οὐχὶ καὶ ἐν τῇσι νούσοισι διαφέρει μεγάλα καὶ τουτέων ἐν τῇσιν ὀξυτάτῃσι μάλιστα.i. quõ & in morbis non ualde euariabit? & potissimum in acutis: ut à maiori ad minus arguat, Si in sanis in quibus obesse non deberet obest, quõ fieri potest qn obsit in ægris? & quia inter ęgros illi qui acuto morbo laborãt, in maiori sunt discrimine, quàm alii, ꝓpterea nulla est ratio, cur in his etiam magis non obsit. de hac autem ratione in Galeni commentatione plura differemus.

GALENUS. Incipit Hippocrates præfatam ab ipso de uictu sententiam demõstrare, arguens unà & eos, qui contrario uictũ instituunt modo. Sed ut dilucidus conspicuusq; reddať sermo, summam ipsius oĩm præfari melius esse mihi uideť. Est aũt eaꝝ quæ in eam rem adsumũtur sumptionum dignitas altera uniuersalis hæc: Si bene ualẽtibus læsionem afferãt repẽtinę uictus ad cõtraria mutationes, multo magis ægrotãtibus ipsis. Qđ uariis ẽt modis possumus interpretari, aliud in aliã trãsumẽtes dictionẽ, ut hoc pacto: In repẽtinis uictus mutationibus qui sani sũt, ægris minus lædunť. uel sic: Aegri sanis magis lædunť. uel ad huc modum: Detrimẽta sanos minus q̃ ægros afficiũt. Generalior hæc interpretatio: Validiores minus afficiũt, imbecilliores magis detrimẽta. Licet & alter uim sermonis interpretari, aut ex eo qđ per se & primum utile sit ad qđ demonstrať: aut ex aliqua continẽtium ipsum uel dignitatũ uel sumptionũ. Talis quidem ubi sit per se credibilis sumptionũ altera (lẽmata Greci dicunt.) Lẽmata. i. sumptiones, uocare cõsueuit Aristoteles dignitates, uel ꝓloquia, uel postulata. Sed alteram cui fides ꝑ experiẽtiæ lucem accessit, deinceps audi: Sanus ẽt repentina uictus mutatio offendit. Ex utraq; hac sumptione concluditur languẽtes à repentina uictus mutatione lædi magis: sed multo magis qui acutis infestanť morbis. Hęc est uis sermonis. Verũ Hippocrates alteram ex sumptionibus per se tum prius, tum credibilius, ꝓnius citra structuram accipit. Alteram uero his quæ singulatim per experientiam noscuntur, fide donat & authoritate. Quod & sequens declarat oratio.

BRASAVOLUS Primo, Galenus notat prefatam de uictu sentẽtiam demonstrare incipere, qua dicebat, non esse dãdum uictum ἀθρόως. i. uniuersim & repẽte, illosq; simul arguit qui cõtrario modo uictũ instituunt, tñ ut sermo dilucidus & cõspicuus reddať, mihi melius esse uideť (inqt Galenus) oẽm ipsius summam præfari. Galeno placet duas esse dignitates, quibus ad suã inferendam sententiam Hippocrates utiť: una est hæc uniuersalis ꝓpositio quæ sequitur: si sanis læsionem afferunt repẽtinæ uictus ad contraria mutationes, multo magis ægrotantibus afferent. põt tñ hæc ꝓpositio & uario modo adduci, & uario interpretari, quia à Galeno hypothetice relata est, ueꝝ & categorice ꝓponi põt, ꝓpterea Galenus dicit posse alio modo adduci & interpretari, aliã in aliã trãsmutãtes dictionẽ, & quõ id fieri possit ostẽdit. at secundum hũc hypotheticũ modũ opus est ita demõstrationẽ effingere: Si bene ualentibus læsionem afferũt repentinæ uictus ad cõtraria mutationes, igiť & ægrotantibus ipsis læsionem afferẽt. Sed bñ ualẽtibus lęsionẽ afferũt repẽtinę uictus ad ꝯtraria mutationes, igiť & ęgrotãtibus hę repẽtinę mutatiões lęsionẽ afferũt. Prima ꝓpositio, quę hypothetica est, nihil ponit i esse, ꝓpterea neq; ꝓbatione idiget. scđa uero ꝓpõ, quę ꝓ minori accipiť in esse ponit, & aliq̃ idiget ꝓbatiõe, saltẽ tali, qlis medico cõuenit. s. ꝑ expiẽtiã, ꝓpterea in sequẽtibus Sectiõibus illã expiẽtia ꝓbat. Sed inquies, quõ põt hęc esse demonstratio, cũ Arist. i. poster. edocuerit demõstrationem categoricũ exigere syllogismũ, & nõ hypotheticũ, imo hypotheticus syllogismus nihil ponit in esse, semꝑ uero demõstratio aliqd in esse ponit. Rñdemus primo apud Galenũ nõ accipi ἀπόδειξιν, & demõstrationẽ tã arcte, ut

Aristoteles fecit. sed cum ea euidentissima sunt, ex quibus syllogismi conficiunt, Galenus demonstrationem appellat, propterea erit demonstratio etiam si ex maiore hypothetica fiat, uel & si fiat ex prima hypothetica, quę nihil ponit in esse, tñ minor est categorica quæ in esse ponit, unde primo prioꝶ hypothetici syllogismi forma ꝓbaŧ, qa assertiue minorem ponit, & assertiue infert, & demonstrare potest, pro qua re (& si ad rei medicæ ꝓpositum facere non uideatur, tñ ad scientiam nõnihil faciunt) id notare oportet, qđ ab Auerroe dicitur primo prioꝶ analyt com̄, ubi de syllogismo agit hypothetico, innuit eo loco duplicem esse hypotheticum syllogismum, per naturam, & per positionem, per naturam uocatur hypotheticus, cum non potest ad categoricum reduci, ut si categoricæ maioris, quæ sunt antecedens & consequens, nullum habeant cõmunem terminum excepta est particula, uel prædicatum sit naturale, & idem habeat subiectum, uel ꝓpositiones syllogisticæ non sint, quales illæ quæ à recentibus de sensu composito uocanŧ. at hypotheticus per positionem his caret conditionibus, hypotheticus per naturam demonstrationem facere nõ potest, qa sua maior, quæ est hypothetica ꝓpositio, ad categoricam deduci non põt. At syllogismus hypotheticus per positionem maiorem semꝑ habet conditionalem, quę ad categoricam reduci põt, & ideo demonstare põt. Nunc nobis mẽti succurrit in quæstione de subiecto dialecticæ, nos recentes multos reprehendisse, qui simpliciter asserebant Auerroim sensisse syllogismum hypotheticum non posse demonstrare. Si uero modum petas, q̃uo hypothetica illa ꝓpositio ad categoricam reduceŧ: ecce exẽplum in alio hypothetico, si homo currit, homo moueŧ, sed homo currit, igitur homo moueŧ, prima illa ꝓpositio ad categoricam reduciŧ hoc modo, omne currẽs moueŧ facientes prædicatum antecedentis subiectum, & prędicatum consequentis prædicatum. ita in Galeni ꝓpositio, hęc conditionalis ꝓpositio, si bene ualentibus læsionem afferunt repentinæ mutationes, igiŧ & male ualentibus, hoc modo in categoricum reducitur, & consequenter totus syllogismus, omne bene ualentes lædens, lędit male ualẽtes, adde minorem, sed repentinæ mutationes & uniuersæ lædunt bene ualentes, igitur lædent & male ualentes.

Sed aliqs ambiget, cum ægri & bene ualentes oppositi sint, q̃uo sequetur, qđ unum lædet, alteꝶ lædatŧ imo qđ unum lædit, alteri ꝓdesse debet, cum sint contrario modo dispositi. Respondemus, in his quæ apta sunt ægritudinem expellere, ꝑfecto quæ ægro prosunt, sano obsunt, sed in his, in qbus uis una tam in sano, quàm in ægro circa aliqd uersari debet, si ex hoc erit læsio in sano, tanto magis erit in ægro, qm̄ in ægro uires omnes sunt longe imbecilliores, quàm in sano. propterea conditionalis uera est, & est syllogismus à positione antecedẽtis ad positionem consequentis, nam minor ꝓpositio ponit antecedẽs conditionalis, & cõclusio est consequens cõditionalis.

Secundo, Galenus ostendit, q̃uo ꝓpositio illa, quam hypothetice ꝓposuit Hippocrates & ipsemet hypothetice attulit, mutatis dictionibus uario modo interpretari possit, ponitq; hunc primum modum, nam ita dici potest, in repentinis uictus mutationibus qui sani sunt, ægris minus lædunŧ. At si probe contemplemur, ex hac categorica ꝓpositione, quam Galenus ponit, demonstrationem fieri posse non uidetur, quippe ita opus esset demonstrare:

Sani in repentinis uictus mutationibus ægris minus lędunŧ,
Sed sani læduntur, igitur ægri magis læduntur.

Certum est minorem huius syllogismi, à maiori non differre. ꝓpterea nos dicendum arbitramur Galenum hic demonstrationem ex ꝓpositionibus ita categorice sumptis effingere uoluisse, cum fieri non possit. at si fieri possit, ex propositionibus magis uniuersalibus fiet, de qbus post hæc uerba faciet. hic uero Galenus solum euariat sensus, qui huic ꝓpositioni assignari possunt, quam posuit in contextu Hippocrates. unum igitur habes sensum propositioni Hippocrati à Galeno attributum. Tertio, Galenus alium huius propositionis sensum describit, qui est, ægri sanis magis læduntur, ut uideas per hanc particulam magis & minus in ꝓpositionibus uariationem fieri. ponit & tertiam intellectionem, quæ est, detrimenta sanos minus quàm ægros afficiunt. posset & hoc modo conuerti, detrimenta magis ægros, quàm sanos afficiunt. scitoq; ex his omnibus modis demonstrationem confici non posse.

Quarto, Galenus Hippocratem sub generaliori forma interpretatur, sub qua demonstratio categorica fieri potest, quia propositio minor subsumi potest, ex qua cum maiori conclusio hoc modo infertur:

Validiores minus afficiunt, imbecilliores magis detrimenta,
Sed sani sunt ualidiores, ægri imbecilliores,
Sanos igitur minus afficiunt, ægros magis detrimenta.

Ex hoc uniuersaliori modo sumendi propositionem, demonstrationem confici posse constat, & tota ratio est, quia minor propositio sub ea sumi potest.

Quinto, ut Galenus omnia quæ dici possunt, scriptis mandaret, notat & aliter sermonis um interpretari licere, ut primo & per se accipiatur, ratione qua hæc ꝓpositio est magis uni s ad id qđ demonstratur, uel ob aliquam dignitatum continentum ipsum, uel ob aliquam sumptionem, & ꝑfecto demonstratio categorice semꝑ inferetur, & ꝑfecte, qñ hæc ꝓpositio dicetur, uel per aliquam dignitatem uel sumptionem ꝓponetur, quæ in se hanc ꝓpositionem complectatur, ut ipsa postea pro minori subsumatur, & demonstratio fiat, quæ alio modo quàm hypothetice fieri non potest. uel dicamus hunc sensum huic parti dari posse, ut ex opposito ꝓcedamus, & oppositum eius qđ demonstratur, accipiamus quòd utile sit: ut si repentina mutatio obest, & ægris magis quàm sanis, ex opposito ordinata mutatio magis ꝓdest ægris quàm sanis: non quia sanis obsit, sed qa maius est iuuamentum qđ ægris affert, quàm sanis: nam sanis ideo ꝓdest, quia illos non lædit, ut subita faceret & inordinata mutatio. unde est quoddam iuuamentum ferè priuatiuum, ægris uero positiue prodest, qm̄ hic uictus ordo sanitatem accelerat. & ita ex aliqua continente dignitate uel sumptione opposita, prædicta ꝓpositio inferri poterit, tñ præcedens sensus Galeni intentio esse uidetur.

Sexto, cum ad demonstrationem conficiendam duo requirantur, maior ꝓpositio, & minor, in hoc casu maior ꝓpositio est per se nota, neq; ulla eget ꝓbatione etiam sensuali, sed minor & si nota uideatur, tñ per experientiam ꝓbari potest, ꝓpterea Hippocrates ad suadendam minorem ꝓpositionem trãsiuit, & maiorem reliquit. unde inquit, quòd altera lẽmatum .i. sumptionum sit tibi credibilis. & illam scias per se esse, si non didiceris. tales uero ꝓpositiones Aristoteles nominare consueuit ἀξιώματα .i. dignitates. nam probatione non egent. & discipuli qui ad scholas accedũt, has dignitates secum afferre debent. altera uero sumptio, quæ per experiẽtiam sciri potest, ꝓbari debet, ut hæc quam dicit Hippocrates sanos ἀθρόως .i. repentina & uniuersim facta uictus mutatio offendit. ex utraq; hac maiore .s. dignitate, & minore efficiŧ demõstratio, ut ex illa (si exẽplo uti liceat) detrimenta minus afficiũt robustiores, & magis imbecilliores, quę nõ indiget ꝓbatione. & ex hac: sani sunt robustiores, imbecilliores ægri, tñ à repentina mutatione læduntur, igiŧ ægri magis lædentur. At qa inter ægros illi qui acuta febre laborant, adhuc magis imbecilles sunt, igiŧ & ab hac repentina mutatione magis lædentur. ut uideas ex una propositione nota, & una quam ꝓbauit, demonstrationem confecisse. ut hinc etiam coniectari possis Galenum ꝓpositiones magis uniuersales accipere, quæ hanc minorem complectanŧ, & id merito, ut fieri possit demonstratio, quæ alioqui fieri nõ posset, nisi ex illa hypothetica in huius partis initio præscripta.

Nota à Galeno dici à Græcis uocari λήμματα .i. lemmata & sumptiones, quæ Aristoteles uocauit ἀξιώματα .i. dignitates. reliqua duo .s. uel ꝓloquia uel postulata, ab interprete addita sunt, ut uocabulum ἀξίωμα interpretaretur, qđ ab Aristotele in ultimis analyticis principium demonstrationis uocatur, qđ necesse est habere docendum quemlibet, neq; potest demon-

strari,

strari, imo cognitis terminis cognoscitur. scito tñ apud Aristotelem hæc axiomata.i. has dignitates, demonstrationem non ingredi, nisi uirtualiter, lẽmata uero demonstrationem ingrediuntur actualiter, ꝓpterea non est tam aptum, an quæ Græci lemmata uocant, sint apud Aristotelem axiomata. imo hæc lemmata, hæ sumptiones, quas hic recipit Galenus, ita recipit, ut in demonstrationum ordinem sumanẽ, imo ex utroq; lemmate concludi inquit languẽtes à repentina uictus ratione magis lædi. unde opus est Galenum intelligere ac si existimauerit axiomatis uocabulum latius accipi, quàm Aristoteles fecerit in primo posteriorꝫ. sunt uero lemmata propositiones quæ in demonstratione sumuntur.

Deniq; Galenus infert Hippocratem unam ex sumptionibus accepisse ueluti per se & notam, & absq; aliqua ꝓbatione, uel etiam experimenti credibilem. aliam uero, quæ est minor ex his ꝓbat quæ per experientiam ita esse cognoscuntur. imo & sequens pars id manifeste ostendit. nã minorem ꝓpositionem ex experiẽtia ꝓbare incipit, illa particula & authoritate uacat.

## Hippocrates. Sectio XXI.

Atqui quod uitiosus tum cibus tum potus semper sibi similis ad sanitatem tutior sit, quàm si quis subito ad alterum uel meliorem se transferat, facile discitur, intelligiturq;.

BRASAVOLVS

Duæ sunt propositiones ab Hippocrate superius sumptæ maior, quæ cum sit notissima, nulla indiget probatione, uel ꝑsuasione· & minor, quæ cum non sit adeo certa, tñ uera sit, experientia ꝓbari debet uel suaderi. Est uero hæc minor, sanos repentina uictus mutatio offendit, quam ita ꝓbat Hippocrates. si sanus in subita consuetudinis mutatione offendi non deberet, id potissimum esset, qñ cibos mutat uitiosos, & potus in probos, sed & in hac mutatione de malo in bonum læditur, igitur in quacũq; uictus mutatione læderetur. nam potissimum lædi non deberet, cum ad bonum transmutat, tamen læditur, ut à maiori Hippocrates arguat.

ἀλλὰ μὴν εὐκαταμάθητόν ἐστιν, ὅτι φαύλη δίαιτα βρώσιος καὶ πόσιος αὐτὴ ἑωυτῇ ὁμοίη αἰεὶ ἀσφαλεστέρη ἐστὶ τὸ ἐπίπαν ἐς ὑγείην.i. sed facile intelligitur, quòd uitiosa uictus ratio cibi & potus semꝑ sibi similis tutior est omnino ad sanitatem. Per uitiosam uictus rationem duo intelligi possunt· unũ est, cibi ipsi, qui praui sint, & qui prauos gignant humores· aliud est, modus sumendi cibos diuersos, qui tñ cibi non sint praui. sed modus sit prauus, ut si quater in die comedat, uel si duriora & difficilioris coctionis prius edat, posterius liquida & facilioris coctionis. Hippocrates ex his quæ sequuntur, de his posterioribus potius loqui uidetur, qm̃ exempla sua sunt in cibationum numero. tamen & ad alios ampliari possent.

ἢ ἐάν τις ἐξαπίνης μέγα μεταβάλλῃ ἐς ἄλλο κρέσσω.i. quàm si qs subito ad aliud melius mutauerit, uel ad meliorem cibum mutauerit. nam hęc subita mutatio, & si ad meliores sit cibos, tñ quia inconsueta, obest potius, quàm ꝓsit. uel de ordine sumendi cibos intellige, qa mutatio in hoc, multo deterior est, quàm si malus modus consuetus seruetur. Sed ambiges, sibi uideri mutationem à re præter naturam ad rem naturalem uideri esse cõuenientiorem, quàm in illa re præter naturam ꝑseuerare. qđ autem conuenientior uideatur, ex hoc apparet qa est deliciosa hæc ad rem naturalem mutatio, ut in .4. de symptomatum causis habetur· & mutationem hãc deliciosam esse experientia ꝓbat, qm̃ multos uidimus syncopim incidentes· qui cum ad naturam ꝓpriam reuertebantur, referebant se esse in summis delicijs, & maiorem nunquam ꝑsensisse quietem. Nonnunquam illustrem Iulium Boiardum Scandiani Comitem in curatione habebam. hic cum frequenter in syncopin incideret, adhuc frequẽtius in id symptoma incidere cupiebat ob miram & indicibilem, inexcogitabilemq; delectationem quam capiebat, cum in naturam ꝓpriam redibat. non potest huius delicij alia assignari causa, quàm subitus ex re præter naturam, ad naturam reditus. igitur ad naturam redire, minus periculosum est, etiam si repentine fiat, quàm in re præter naturam ꝑseuerare. igitur & cibus uel cibi ordo qui sit malus, & consequenter præter naturam ad ordinem secundum naturam melius est, quàm perseuerare in præter naturam, etiam si repentine fiat.

Imo confirmari potest, qm̃ hæc subita ad rem naturalem mutatio. etsi nonnunquam in principio aliqd fecerit incõmodi, tñ ægritudinem, uel mortem, uel aliud simile inducere nõ potest· imo potius praua illa consuetudo ægritudines paulatim inducet, & deniq; mortem· imo nullus ambigere debet, quod hæc mala cõsuetudo, iam aliquid incommodi induxerit. quod maius est, quàm sit illa subita mutatio ad bonum, & ad id quod est secundum naturam.

Pro horꝫ argumentorꝫ solutione id notandum est, consuetudinem in naturam quodãmodo transire. unde illi qui alicui rei quodãmodo sunt assueti, rem illam in naturam deduxere. imo consuetudo hæc tam uehemens esse potest, ut penitus in naturam transiuerit. in naturam penitus transire intelligimus, cum non solum id indiuiduum, rem illam habet, quam ex consuetudine contraxit, sed & cætera indiuidua, quæ ab illo nascunẽ, illud cui ipse assuescit, habent, ut naturale factum uideatur. id uero fieri posse ostẽdit Hippocrates in libro de aere, aquis, & locis, cum de nonnullis agit mulieribus quæ propriorꝫ filiorꝫ capita adeo stringebant ut acuta efficerentur. referetq; illos tãtam contraxisse consuetudinem, & tam firmam, ut illi qui ex his nascerentur, acutis nascerenẽ capitibus. horꝫ generis puto esse Genuenses. consuetudo igitur in ueram qñꝫ transit naturam· qñq; uero adeo homo assuescit, quòd etsi non sit natura, tñ nocumenta non sentit· quæ ab hac quam sumit uel exercet re, fierent nisi esset assuetus. etsi id cui est assuetus, contra id sit qđ est secundum naturam, tñ si ab eo qđ est secundum consuetudinem repente mutetur ad id qđ est secundum naturam, non dico hanc mutationem parꝫ offendere, sed multum offendere. nec opus est dicere id qđ est secundum naturam delectare, qm̃ delectat cum secundum naturam sumitur. sumitur uero secundum naturam, qñ contrario paulatim expulso & secundum ordinem ipsum introducitur. Et si petas, qd ad hominem illum qui syncopen incidet, dices, qui cum releuatur, delectationem ꝑsentit? Respondemus, id quidem uerꝫ esse, sed non ad rem, cum ille non sit syncopi assuetus, imo potius est syncopis opposito assuetus, & est sua natura. fatemur tñ id ad naturam redire delectabile esse, qñ ꝑ ordinem fit. cuius rei exemplum illud assignari potest. quicq; manus habet naturaliter calidas, si qs eas glacie refrigeret, & in niue per aliquod temporis spatium seruet, ut à frigore læsionem amplius non sentiat, si ad propriam naturam manus deducere uoluerit, & in ꝓprium naturalem calorem conuertere, si id repente fiat, uehementes incidet dolores· si paulatim fiat, delicias persentit egregias, ex naturalis caloris restitutione. propterea & mutatio, quæ repente fit, etiam si sit ad naturam lædit, & non mediocriter lædit· si uero paulatim fiat, ꝓdest. Et si dicas, id qđ est præter naturam lædet & iam læsit, nos dicimus id nocumentum ex consuetudine non sentiri: tñ non imus inficias, quòd ex longo tempore etiam oberit. at rei naturalis subito applicatæ nocumentum, maius erit, quàm modicum nocumẽtum qđ iam res assueta induxerit. Ex his igitur illa soluta sint ambigua, quæ Hippocratis sententiam falsam esse suadebãt.

Alteram sumptionum earꝫ quæ ad præsentis sermonis demonstrationem præstant, nunc ex multis particularibus exẽplis adstruere incipit, fidem ipsius in unam colligẽs summam, quæ talis est: magnæ & repentinæ præter consuetudinem mutationes non paruam sanis adferunt læsionem. Quãquam sermo hic conspicuus sit, tñ si quippiam quod explanatione indigeat intercidere uidebitur, his qui exercitati non sunt, in sequẽti serie explanare non cunctabor. Nempe hic commentarius proposito non horꝫ modo qui in sermonibus sunt exercitati, uerꝫ quoq; & eorꝫ qui exercitati non sunt, tum liberalis, tum GALENVS.

benignitatis plenus existit. Quòd si qs præfatas disciplinas neque didicerit, neque expertus fuerit, aliud quippiam agat.

BRASAVOLVS

Primo Galenus notat Hippocratem hoc loco sumptionem alteram astruere cœpisse. i. minorem propositionem, quam in prædicta demōstratione accipiebat, illamq; ex multis particularibus astruit exemplis, ipsiusq; fidem in unam colligit summam, quæ talis est. magnæ & repētinæ præter cōsuetudinem mutationes, nō paruam læsionem afferūt sanis. hæc sola ꝓpositio est ꝓbanda, qa si sanis in qbus minus uideretur inesse, inest, tanto magis ægris. Scito si cōsuetudines sint naturales, uel nec naturales, nec præter naturam, sani magis læduntur, qñ ad opposita repente mutantur. at si cōsuetudines ad res sint præter naturam, minus læduntur, tñ ueræ consuetudines nō sunt ad res ſm naturam, cū tales sint naturæ, non cōsuetudines, sunt uero cōsuetudines uere ad res uel pręter naturam, uel nō naturales. Secundo, Galenus notat, & si hic sermo in hac sententia ab Hippocrate positus ꝑspicuus sit, tñ si hominibus inexercitatis aliqd occurret qd' eos offendet, & non uideat esse adeo planum, id in sequenti sentētia explanare conabitur. Nempe hic noster cōmentarius adeo benignus est, ut nō solum his deseruiat qui in sermonibus sunt exercitati, sed & illis qui non sunt exercitati. unde si qs prædictas disciplinas, neq; didicerit, neq; expertus fuerit, hic aliud agat, quia reuera nisi saltem sit initiatus, hæc intelligere non poterit.

Quod dicit in sermonibus, græce est ἐν λόγοις. nos interpretādum ducimus in rationibus, qa Galenus de rationibus & argumētis uerba facit. nam hæc sua cōmentaria his deseruient, qui in rationibus. s. logicis sunt exercitati, & in organo logico, & his etiam deseruiēt qui non sunt exercitati, tñ didicere, & aliquam habēt artis logicæ experiētiam. at his qui neq; exercitati sunt in arte logica, neq; experti, neq; eam didicere, qa non fuere huius doctrinæ discipuli, his inquam hæc cōmentaria, in hac parte nihil ꝓderunt, sed ipsi aliud qd agant, & tempus in his agnoscēdis quæ de rationibus dicemus, non cōterant. Seneca in prima ad Lucillum epistola, illos iudicat totam uitam amittere, qui aliud agunt.

## Hippocrates. Sectio XXII.

Nempe tum his qui bis die comedunt tum his qui semel, noxam imbecillitatemq; pariunt repentinæ mutationes: quiq; prandere non consueuerunt, & prandent· statim ægre habent· toto item corpore graues redduntur, & parum ualentes & desides. Quod si supercœnauerint, alios alui leuitas exercet. Nempe uentriculus præter consuetudinem grauatur, supersiccescere consuetus, non bis tumescere, neq; bis cibos coquere.

BRASAVOLVS

Prædictam minorem iam experientia ꝓbare incipit Hippocrates. nam experientia ostēdit, repētinas mutationes & his qui bis die comedūt, & his qui semel, magnam noxam inferre & magnam imbecillitatem. en igitur illi qui non sunt assueti prādere, & prādent, qa repentinam faciūt mutationem, & ad prādium prius non assueuere paulatim, hi statim nocumētum ꝑsentiunt, & statim ægre habēt, & in totum corpus grauitas infertur, parumq; sunt ualētes, imo desides fiunt. & si supercœnauerint, uaria incidut symptomata· quippe nōnulli lienteriam incidūt, cum uentriculus præter cōsuetudinem grauetur, qui uentriculus supersiccescere assuetus erat, & nō bis tumescere, nec bis cibos sumere erat assuetus & coquere. efficitur uero ob hanc sumptionem imbecillior.

ἐπεὶ καὶ τοῖσι δὶς σιτευμένοισι τῆς ἡμέρης, καὶ τοῖσι μονοσιτέουσι, αἱ ἐξαπίναιοι μεταβολαὶ βλάβας καὶ ἀῤῥωστίην παρέχουσι. i. nempe & his qui bis die comedūt, et his qui semel, noxas imbecillitatemq; præbēt repentinæ mutationes. hoc experientia ostendit in his qui consueti sunt bis die comedere, & in his qui semel, mutatio à cōsuetudine, nisi per gradus fiat, & ordinate, detrimenta semper infert, & corpori magna nocumenta, de quibus singulatim aget Hippocrates.

καὶ τοὺς γε μὴ μεμαθηκότας ἀριστᾶν ἢν ἀριστήσωσιν εὐθέως ἀῤῥώστους ποιεῖ. i. etenim qui prādere non consueuerūt, & prandēt statim imbecillitates facit. si uero qs huic rei assuescere uoluerit, ut incōmoda non incidat· hic debet hodie hora qua alij comedūt, bolum accipere, cras duos bolos, deinceps tres, & ita per gradus ꝓcedens, quoad fuerit assuetus. Vnum tñ notare oportet, de quo in. 2. Aphorismorum lib. uberius egimus, Si qs sit iuuenis, hic debet prandio assuescere secundum Hippocratis sententiam, qui iubet præcitato loco, corpus ad insueta transmutandum, qm̄ nescimus (ut Galenus in cōmentatione dicit) quæ nobis cōtingere debeant, & nunqd semꝑ erimus nostræ spontis uiri. at si qs sit iam senio cōfectus, & prandio non sit assuetus, etsi Galenus iubeat in libris de sanitate tuēda senes non debere mutari ad incōsueta, qa plerūq; citius moriuntur, quàm ad cōsuetudinis immutationem perueniant, per hoc tñ inferre nolo, prandio assuescere nō debere, qa supponamus hūc esse in primo senio, in quo facile ieiunium ferunt, tñ scd'm expectāt seniū in quo ieiuniū ferre nō possunt, sed coguntur sępe & parū cibari. unde primos senes iudico debere prandio assuescere. assuetudo uero paulatim fiat. ꝓpterea Xenophon in. 6. de Cyri pędia libro, in oratione Cyri ad exercitū, uult & aquę & alijs paulatim assuescendum. lege authorem. nam pulchras ponit ad hoc ꝓpositum sententias. Et si petes, qdnam sit conuenientius semel comedere, uel etiam prādere· nam qui antiquitus semel comedebant, uesperi tātum & in cœna comedebāt: Respondemus, apud Hippocratem uideri conuenientius esse bis comedere. nam in libro de alimētis. 2. ad finem, qui uel sit Hippocratis uel non, Galenus illum sæpe adducit. inquit uero Hippocrates semel die comedere emaciat, siccat, uentrem sistit· nam animi calor humidum uētris & carnis cōsumit, prandere uero cōtraria facit. Certum uero est illa omnia quæ fiūt semel comedētibus esse mala, & posse corpus in detrimēta inducere. quæ uero sunt cōtraria sunt bona & salutifera. ꝓpterea bonum est prandere secūdum Hippocratem, uel secūdum authorem libri de alimentis. Adde, si qs semel tātum comedere uoluerit, opus est tātam cibi copiam sumat, quanta satis est usq; ad aliam cibationem. alioqui cum nihil adest amplius coquendum, uentriculus & flatu & prauita impletur, & uis concoctrix quæ in uentriculo est quodāmodo euanescit, aut opus est huius cōcoctrices uires esse adeo imbecillas ut coquere nō possint. ꝓpterea tantum temporis expectare necessarium est. uerum si hæc adest imbecillitas, melius est parū dare & sępius, ne una abundans cibatio naturalem hūc huius uiri imbecillum calorem suffocet. ꝓpterea melius semper est bis comedere, quàm semel, potissimum ubi aeris temperies id expetit. hoc addidi, qm̄ aliquæ sunt regiones & mūdi plagæ, in qbus homines & frequētius, & cumulatius edere possunt, quàm in alijs. Aliæq; sunt regiones, in quibus semel satis est comedere, ut in Africa, uerū & si hi à cibo abstineant, à potu tñ non abstinent: quanquam & Hippocrates noter in libro de prisca medicina, quosdam semel in die comedere, iuuare, qd' qa confert sibi statuerūt, quosdam prādere ꝓp eandem causam· sic enim his cōfert, & nō illis. ut hinc manifeste appareat ex hoc ēt loco eos qui semel in die comedebāt, nō qdē prādere, sed cœnare cōsueuisse.

καὶ βαρέας ὅλον τὸ σῶμα καὶ ἀσθενέας καὶ ὀκνηρούς. i. & totum corpus graue redditur & imbecillum & deses. nam cibo præter cōsuetudinem sumpto, uentriculus extendi insuetus extenditur, & supra diaphragma cōprimit, ac intestina, iecurq; ac lienem stringit. unde in toto corpore fit grauitas. adde, hos nondum illa cōcoxisse quæ in præcedenti sumpserunt cibatione, quippe credēdum est, cum non essent prandere assueti, & in cibatione uespertina tātum insumpserunt cibi, quātum esset satis ut ad aliam cibationem perueniret. ꝓpterea prandij hora erat semicoctus, & ideo uterq; cibus corrumpi poterat & in

flatus

flatus deduci. itaq; grauitas in toto corpore fieret, atq; tensio, ad quam sequitur totius corporis imbecillitas. imo & ob hanc supabundantem plenitudinem pigrũ reddit corpus ac desses. hoc affectu multi religiosi afficiunt diebus dominicis in quadragesima, cum ieiunant, sed hoc potius patiuntur in coena, qa semp prandent. nam antiquorum usum in his qui semel die comedunt, non seruant, ut uesperi edant, non mane.

ἢν δὲ καὶ ἐπιδειπνήσωσιν ὀξυρεγμιώδεες. i. si autem & supcoenauerint, ructus acidi fiunt. unde melius fuisset hos postea non coenasse, qm̃ si non coenassent, prãdium forte absumpsissent. at cum supcoenãt, uentriculus frigidior efficit, & humores generant frigidi, & flatus, qui acidos reddunt ructus, de qbus ubertim in Aphorismis egimus. tota igitur causa eructationum acidarũ est frigiditas, quæ in uentriculum inducitur, ex cibo prẽter cõsuetudinem ingesto, & prẽcedẽte nondũ cocto.

ἐνίοισι δὲ ἂν καὶ σπατίλη γένοιτο. i. quibusdam uero & alui leuitas fit. nam præsumptus cibus semicoctus est, & qui in prandio sumit est crudus: naturalis calor qui & crudum & semicoctum coquere debet, remittit, & crudus symptomatice ad intestina mouet. itaq; motus qdam fit lienteriæ ex nimio esu, quem modum uocãt indigestionem· qui plerũq; his cõtingit qui nimis comedũt, & qui incoctum supra incoctũ supingerũt. ppea nõ ab re usus est Hippocrates uocabolo σπατίλη. ὁκόταν παρὰ τὸ ἔθος ἀχθοφορέῃ ἡ κοιλίη εἰθισμένη ἐπιξηραίνεσθαι, καὶ μὴ δὶς διαπλάθεσθαι, μὴ δὲ δὶς ἕψειν τὰ σιτία. i. qm̃ uẽtriculus prẽter ɔsuetudinẽ grauis sit, & . suetus est exiccari, & nõ bis tumescere, neq; bis cibos coquere. hinc nõ coctos emittit. intellige assuetũ esse siccescere. i. euacuari, et esse sine cibis. nũc uero non euacuat à cibis, sed anteq̃ sit uacuus, alter incoctus supingerit, nec est assuetus bis coquere in die, ppterea crudi exeũt cibi, & quædam fit intestinorũ leuitas, quæ à uentriculo utrũq; cibum coquere nõ potente ortum habet, & ideo descendit crudus, & meseraicæ tantam copiam exugere nõ possunt, ppterea incoctus ad anum descẽdit. Multi reperiunt qui lætantur, si lienteriam hanc singulis mensibus incidãt, potius nociuam esse non animaduertẽtes, imo simpliciter nociuam, qa uentriculus imbecillior redditur, neq; aliud egerit quàm cibus crudus supra modum sumptus, & non humores qui in corpore sunt, in uenis atq; iecore· nam ciborum multitudo illud efficit. imo & Aristoteles prima pblematurn Sectione, pblemate. 43. ubi quærit, cur medicamẽta purgare ualeant, cum alia pleraq; amariora, cæterisq; eiusmodi qualitatibus insigniora id facere nequeãt. in hoc pblemate cibi & potus ab Aristotele referunt, qui lubricam reddunt aluum, & per suam quãtitatem euacuant, dicitq; esse oleum, mel, lac, & 48. pblemate eiusdem Sectionis lac ponit, oleum, et mustum. tñ nos simpliciter dicimus omnem cibũ supra modum sumptum, huius esse naturæ ut uẽtrem moueat ac turbet, necesse etenim est, ut symptomatice moueat, & incoctus exeat. at illa de quibus Aristoteles loquit uim habẽt aliquam & ex qualitate educendi, qa in tanta mouent quãtitate, in quanta non mouerent alij cibi. adde humores educere, quos cibi non educũt, sed seipsos potius agitatos cõmouent, uel à naturali calore cõficere non potente expelluntur· nam in hoc casu uentriculus præter consuetudinem grauatur.

Si uero petas, an si hoc semel fiat, hẽc incidant discrimina. Respondemus, posse quidem prima uice incidere· tñ facilius corrigunt, si nõ pseuerẽt· si uero pseuerauerit, difficilius corrigunt. Petes præterea, an hæc incidãt, si non coenauerint? Respõdemus, si non coenauerint, sumpti præter cõsuetudinem prandij incõmoda tantum incident, quæ sunt ægre habere toto corpore, graues reddi, & esse parũ ualẽtes ac desides. id per illam diem intelligere debes· nam sequẽti die si non coenabũt, ad propriam redibunt naturam· at si coenauerint, acidi ructus, in nõnullis superaddentur, & alui leuitates.

Hippocrates in. 4. huius uoluminis libro, Sectione. 88. de his qui non sunt assueti prandere & prandent, item agit. ppterea Galenus partem illam nõ interpretat, sed lectorem ad ea quæ hic dicuntur, remittit. Ne autem uideamur nos laborem subterfugere, Hippocratis uerba huc adducemus qbus inqt, quæ ob uictus rationem euenerũt, multa qdem unusquisq; pro non assueta uictus forma maxime declarat. nam qui prãdere non cõsueuerunt, & pransi fuerint, his tumor uentris ingẽs accidit (qđ in hoc loco dicebat uentres reddi graues) dormitatio & plenitudo: quòd si supcoenauerint, uenter turbabit. Postea in Hippocrate sequr quid ab his agẽdum sit, ut ab his symptomatibus leuentur. de qua re nos longius in ea agemus parte. Idem Hippocrates ad medias libri partes de prisca medicina, de uarijs agit hominum cõsuetudinibus, & qui bis in die comedunt, & qui semel, & qui alternis diebus. at de his qui non sunt assueti prandio, & prãdent, & qui etiam alternis edũt diebus, ita dicit. nam si prandent, non confert confestim. hi qdem graues, languidi, torpidi corpore & mẽte efficiunt, oscitantq;, sternutant, sitiuntq;. si uero supcoenent, inflant, torquent, uẽterq; erumpit, qđ plerisq; magni morbi principium extitit. & hoc cibaria quæ semel assumere cõsueuerunt, si bis ingerẽt, nihilq; plus. unde & hoc loco deprehendere potes, Hippocratem de prãdij assumptione nõ assuetis loqui, ut ubiq; sibijpsi sit hic author concors. paulo post, huius rei rationem reddit, inquiens quòd legitimum tempus nõ expectauit, dum uentriculus pridianum cibum penitus dissoluisset, supasset, mitesceret, demisisset, quiesceretq;, sed feruẽti adhuc, gliscentiq; recentia & noua supintulit· nam si uentriculi tardius multo digerunt, maioriq; cessationis & requietarij egent.

Si uero petas qd melius sit, prandere & coenare, an solum coenare: id est, ita nostra corpora assuefacere? Hippocrates in calce libri de alimentis manifeste ostẽdit, melius esse bis die comedere, hoc est coenare & prãdere· nam qui semel comedebãt, solum coenabant. quippe dicit semel die comedere, emaciat, siccat, uẽtrem, sistit, nam animi calor humidum uentris & carnis cõsumit. hæc his contingunt qui semel die comedũt, quæ praua sunt: nempe emaciari, exiccari, uẽtrem sisti praua sunt. postea addit, prãdere uero contraria facit. ac si dicat bis die comedere qđ est etiam prãdere, pinguefacit, mollius reddit corpus, & lubricum facit uẽtrem, quæ omnia pba sunt. & in libro de prisca medicina Hippocrati placet, hominem bis die comedere. tñ quispiam assuescere posset, ut nõnunquam absq; prãdio cõmode uiuere posset, quãuis prandio sit assuetus, ut Persæ faciebant, qui ex duobus diebus unum faciunt, teste Xenophõte in principio. j. libri de Cyri pædia. idq; faciũt se exercẽtes, ut si deinceps in bellis contingat, duos integros dies laborãtes cũ duabus solũ cibationibus trãsigere possint ac si unus sit dies. Sed petes, cum homines & prandere & coenare consueti sint, qd plenius sumẽdum est, prandium an coena: id est, ubi ne uberius edendum in coena, uel in prandio? de hac re in libello de medicamẽtis catharticis ubertim egimus· quem si lubet legere, nihil impediet: adde uero nõnullos esse qui facilius concoquũt in quiete & somno, quàm in motu & uigilia· alios e contrario in motu & uigilia facilius concoquunt, quàm in somno & quiete. primos iudico debere plenius coenare, & minus prãdere, secũdos plenius prandere, & minus coenare· & ideo huius rei certa regula dari non potest, sed pro hominum natura ac consuetudine in hoc casu incedẽdum est. neq; opus est uniuersalem regulam petere, quæ ut in pluribus sit, qm̃ tot forte ab una parte reperientur, quot ab alia, imo experientia in multis ostendit, in prandio ampliori magis lædi, quàm in coena ampliori & opipara.

GALENVS.

Non solum qđ in repẽtina consuetudinis mutatione ualde lædant, uerũ quoq; & quænam læsiones fiãt, & quonam modo singulas emendare oporteat scribẽs Hippocrates, ob id sermonem plixum facit, quo modo si dũtaxat quòd in repentina consuetudinis mutatione lædant ostenderet, ob id sermo illi totus breuis foret. Prima igit consuetudinis mutatio, quam nunc exprompsit, est de his, qui prãdere nõ assueti, pransi aliqñ sunt. Ait enim tales & ægre habere, & toto corpore graues fieri· parũ item ualere, & desides reddi. Cõtingunt autem

hæc ipsis grauata ab alimento, ueluti à pondere facultate. Neque enim ægre ea habet propria ratione, ueluti in cibi penuria fieri consueuit. Ob eam igit causam hoc in loco sermoni adiecit, totum corpus grauari his qui bis cibati sunt, eosq; fieri desidiosiores. Verũ in assuetis prandere, & nõ pransis imbecillitatem qdem uirtutis scripsit, sed grauitatem nõ adscripsit. Nempe & in talibus mutationibus imbecillitat sua ratione uirtus. Præterea cum desides fieri in præsenti uictus mutatione asserat, in contraria timidos esse dixit, quasi opus omne perosos et ueluti opus aggredi ueritos diceret. Nempe res ita hẽ, nam qui affecti sunt, uirtutis imbecillitatem uere sentiũt: atq; ob id eas quas ante promptius obibãt, obire non audẽt actiones. Quin etiam & his qui diminute cibant, uiscera opinione pẽdere ait, eosq; tum calidũ, tum χλωρὸν. i. uiride meiere. Calidũ inquiẽs .i. solito calidius: χλωρὸν uero. i. uiride, iuxta morem quendam Asiaticorũ græcorũ, qui & nunc obseruatur. ὠχροὺς siquidem, .i. pallidos, quosdam uidentes, causam cur ita χλωροί .i. uirides facti sunt, interrogãt: χλωρὸν & ὠχρὸν .i. uiride & pallidum, nihil referre existimantes: uisumq; quendam χλωρότερον .i. uiridiorem dicunt: ὠχρότερον .i. pallidiorem ita significantes. Est aũt ὠχρὸν χρῶμα. i. color pallidus, ueluti ignis, & color ὤχρας uocatæ, cuius prima syllaba acuitur. Fitq; talis color, ꝑmixta aquosa excremento pallida & amara & flaua appellata bile. Nẽpe flauus color quãtum à rubro in albiorem secedit, tãtum à flauo pallidus. Scripsit & alia quædam symptomata quæ ita affectis fiũt. De qbus cum ad eam quæ de ipsis est mentionem ꝑuenerimus, agemus. Præsentem aũt dictionem discutiamus. Quæ in non assuetis prandere contingere ait, his adhuc & hoc adiecit: Si autem supcœnauerint, acidum ructant. Quòd aũt ructus acidi fiãt, & ꝓpter uentriculi frigiditatem, & ꝓpter pituitam sępius in eo aceruatam, & ꝓpter cibor̃ multitudinem, aut si pauci qdem sint, potestate tñ frigidor̃, didicimus. Oĩum autem præfator̃ cõmune est, calorem uentris ingenitum uinci à cibis non eos uincere, neq; his præstare, neq; ꝓbe ipsos cõficere posse: ut si modicæ flãmæ lignor̃ multitudinem superaceruaueris, uel & citra multitudinem, tum uiridia, tum humida supposueris. Cæteris ita cibatis σπατίλη .i. alui leuitatem, siue humidam deiectionem fieri ait. Verũ in exemplaribus nõ paucis non σπατίλη scriptum inuenies, sed ἀσώδεες eo uocabulo ῥιπταζομένοι .i. piectum intelligamus corporis hominis huius, qui ita cibatus est: corporis inquam ob cibi multitudinem ἀσωμένου .i. grauiter molesteq; habẽtis, atq; implacidi, inquietiq;, dum in lecto iacet, & sese ꝑmutantis. Cæterũ qđ circa dictionis finem, cibi cõfectionemq; coctioni similem esse oporteat, manifeste ostendit, tãquam à calido fiat non sicco squalẽtiq;, cuiusmodi est febrilis, sed ab humido uaporosoq;, cuiusmodi est qui in animalibus secundum naturam existit.

BRASAVOLVS Primo, Galenus docet Hippocratem his sermonem prolixum fecisse, qa non tantum docet in repentina consuetudinis mutatione ualde lædi: sed unà docet quænam sint læsiones. & præterea quomodo sint corrigendæ. nam si tantum docuisset homines in repentina consuetudinis mutatione lædi, totus sermo fuisset breuis, simpliciterq; ꝓpositionem illã ꝓtulisset, in consuetudinibus repentinam mutationem lædere. & si uoluisset uno solo potuisset exemplo comprobare & uerbo.

Secundo, Galenus notat primam consuetudinis mutationem, quam nunc expressit & in hac Sectione exposuit, de illis esse qui nõ sunt assueti prandere, tñ nonnũquam pransi sunt. nam tales & ægre se habent, & fiunt toto corpore graues, parumq; ualent & desides reddunt. Cur uero hæc contingãt, rationem reddit Galenus, quoniã his hominibus facultas ab alimento, tanquam à pondere grauatur, non enim assueta est facultas hac hora uim suam exercere. hæc autem facultatis grauitas, & uirium quodãmodo defectus, ꝓpria ratione non inest, ut in cibi penuria fieri consuetum est, qñ homo non comedit, & uis aggrauatur ac resoluitur: sed fit potius per suffocationis modũ & oppressionis. ob hoc Hippocrates suæ sententiæ adiecit, totum corpus aggrauari, & quodãmodo ponderare his qui bis cibati sunt, & magis desidiosi fiunt. sed in sententia. 14. in qua de his agit qui prandere consueuerant & non prandẽt, uirium qdem imbecillitatem ponit, sed nõ grauitatem. nam & in hac prandẽdi assuetudinis mutatione cum non prandẽt, uis sua ratione efficitur imbecilla. additq; Galenus cum in præsenti mutatione de prandẽdi inconsuetudine ad prandium, dicat, homines fieri desides: in contraria mutatione, de prandio assuetis qui nõ prandẽt, dicet esse timidos, ac si dicat non audẽtes opus aliquod aggredi: quippe res ita constat, qui ex prandij dimissione imbecilles sunt redditi, uirium imbecillitatem uere sentiunt. & ob hoc eas quas prius obibant promptius operationes obire amplius non audent. qm̃ sentiunt se ex uirium imbecillitate lassari, quam ex dimisso consuetoq; cibo contraxerũt. Et si dicas, nõne infiniti religiosi in quadragesima & in alijs tẽporibus cœnam dimittunt? Respondetur, dimittunt qdem, sed id agere frequẽtius sunt assueti. imo illis temporibus tam ample in prandio comedũt, ut illis satis sit per unam diem, & forte non ꝑfecte concoxere. Noui ego uere religiosas quæ prope pascha tam imbecilles erant, ut amplius ieiunium ferre nõ possent. id uero contigit quoniam & semel & tenuiter comedebant: cuius oppositum religiosi faciunt, ut multi prope pascha pinguiores euadant.

Quod legitur paꝝ item ualere, græce est καὶ ἀσθενεῖς, licet idem significet qđ paꝝ ualere, tñ commodius est interpretari imbecilles, cũ uerba Galeni circa uiriũ imbecillitatẽ uersent. Quod etiam legitur, neq; enim ægre ea habet ꝓpria ratione, ueluti in cibi penuria fieri consueuit, græce est, οὐ γάρ δὴ κατά γε τὸν ἴδιον λόγον ἀῤῥωστοῦσιν, ὡς ἐπὶ τῆς ἐνδείας εἴωθε γίγνεσθαι. i. neq; enim per ꝓpriam rationem imbecillis (. s. facta est uis) ut in indigẽtia fieri consueuit. nempe cum homo supra modum comedit & supra consuetudinem, tunc uis redditur imbecilla, non qa paulatim resoluatur & euanescat, sed qa cibi grauitas adeo ponderat, ut ferre non possit. at cum multa uiridia ligna supra ignem ponunt extinguitur, non qa uis ignis paulatim ex nutrimẽti defectu extinguatur, sed qa ex copia opprimitur & suffocatur. ita lucerna in qua nimis olei ingeratur, extinguitur, nõ quidem ob lucis defectum, sed ob fomitis extinguẽtis uel suffocãtis abundantiam. eodem modo naturalis calor & uis suffocatur, cum quispiam supra modum ederit, tuncq; uis deficit, non autem sui ratione, qa resoluatur, ut contingit, cum quispiam cibo indiget. tũc enim uis paulatim resoluitur. quippe uis nihil aliud est, quàm naturalis calor, qui per spiritus & sanguinem funditur. cum alimenta desunt, spiritus & sanguis resoluuntur, & consequẽter naturalis calor in hoc casu nõ suffocatur, sed ratione propria, quia resoluitur, deficit, hocq; id est, qđ à Galeno in præsentiaꝝ notatur.

Scito etiam hic à Galeno de his symptomatibus mentionem fieri, quæ in secũda mutatione cõtingunt, ut ipsas inter se comparet, & ostẽdat in quibus cõueniant, & in quibus differant. Notaq; in alia mutatione qñ aliqui non prandẽt, qui prandere deberent, ab Hippocrate dicitur illos esse timidos, Galenus per timidum illum intelligit qui perosus sit omne opus, at qui ita opus omne odio habẽt, omne opus etiam uerentur, & illud aggredi timent. unde non est uerus timor, sed potius quædam ignauia ex uirium imbecillitate per defectum. nam qui uires habent per excessum & suffocationem imbecillas, hi ferè usq; in finem uehementer cõmouẽtur, & per totum uolutantur, nec uno possunt stare loco. è cõtrario qui uires habẽt ex resolutione imbecillas, non possunt ferè moueri, sed ueluti lassi decumbũt. & hi sunt quos Galenus dicit ægre sentire uirtutis imbecillitatem, quia miram sentiũt lassitudinem, & uim deficere motiuam, quæ in his robusta est qui ob nutrimenti copiam uires habent imbecillas.

Tertio, Galenus notat & alias conditiones eorũ qui diminute cibantur, de quibus tñ aget & in. 24. Sectione Hippocrates. hi etenim qui assueti prandere non prandent, ob indigẽtiam uiscera illis pẽdere uidentur, & calidum ac χλωρὸν. i. croceum mingunt. Exponit uero per calidum lotium, calidius solito, & per

χλωρὸν

χλωρὸν ὠχρὸν.i.croceum: et hoc est s'm hor̃ uocabulor̃ usum, apud quosdam Asiaticos Græcos, quem morem obseruabãt, usq; ad Galeni tempora. nam uidẽtes aliquos ὠχροὺς.i.croceos, interrogãt cur isti facti sint χλωροὶ, ac si nihil existimẽt inter χλωρὸν, & ὠχρὸν interesse, & cum uidẽt aliquem χλωρότερον uocãt istum ὠχρότερον.i.cum uidẽt unum uiridiorem uel magis croceum, uocãt illum ὠχρότερον, ut innuat hor̃ duor̃ uocabulor̃ significata confundi, tñ in præsentiar̃ opus est intelligere χλωρὸν pro ὠχρῷ.i.croceo uel luteo, docet.q; Galenus qd sit ὠχρὸν χρῶμα.i.croceus color, inquitq; esse colorem uelut ignis. eodem modo est color uocatę ὠχρὸς, cuius prima syllaba acuit̃, hic enim color est ueluti ignis, & fit qñ bilis amara et flaua & crocea excremẽto miscet̃ aquoso, uñ q̃ntũ flauus color à rubro in albiorem secedit, tãtum à flauo croceus. notatq; Galenus scripsisse Hippocratem, & alia quædam symptomata his contingentia qui minus comedunt quàm sint assueti, de quibus promittit se acturum qñ in illum deueniet locum in Sectionem.s.24. quippe nunc satis est si præsentem sententiam aggrediatur & exponat.

Quod legit̃ opinione pendere, hæc particula opinione in græco codice abest. forte uoluit hic interpres intelligere, non quidem pendere, sed ita uideri, & in opinione haberi, tñ qui indigent uiscera habẽt omnino pendentia, q̃a cum non sint plena, in sese contrahuntur, & amplius non inhærent lateribus, itaq; pendere uidentur, qď sæpius ab his audiui, qui inedia confecti erant, ut illis uiderentur intestina pendere, forte ex uerbo δοκεῖν opinionem intellexit interpres.

Notãdum uero est uocabulum χλωρὸν & ὠχρὸν apud Grecos hæc significare χλωρὸν uiride ut brassica, unde de sputo χλωρῷ.i.uiridi egit Hippocrates in.2.p̃gnosticor̃, significat præterea χλωρὸν idem qď ὠχρὸν, ut Galenus notat in.j.p̃gnosticor̃ Sectione.6. & ibidem interpretati sumus ὠχρὸν pallidũ, tñ nihil impediebat & luteũ interpretari, q̃uis p̃prie nõ sit luteus, sed in eũ uergit colorem, unde & buxi color pallidus dictus est, qui in giallũ uulgo uocatũ quodãmodo tẽdit. Ad rem uero redeuntes nos in hoc loco interpretari uoluimus χλωρὸν .i.croceum, & ὠχρὸν.i.croceum. scimus etenim & Hermolaum & probos uiros interpretatos esse ὠχρὸν q̃nq; pallidum, q̃nq; luteum, tñ nobis hic placuit interpretari croceum, scimus enim croceum non multum differre à luteo, nam luteus color est aliquanto lucidior, uidet̃ luteus color in oui uitello, & in genistę flore, croceus uero in croceo. croceum uero exposuimus, quia multas ieiunantium urinas uidimus illo colore affectas, quas quisq; nostrum uidere potest, ratioq; illius coloris in prõptu est, q̃a renum calor magis agit in minorem urinæ quantitatem, unde magis tingit, & bilis simul miscet̃. in me ipso hoc experior, si per unam cibationem abstinuero, statim croceas emitto urinas, & quæ ardorem quẽdam inferũt. & Actuarius libro.j. de iudicijs urinar̃ capite.10. inq̃t ieiunantium urina flãmea atq; crocea & tenuis apparet, atq; minorem hypostasim continet. idem author in.j. de causis urinar̃ docet aureum & croceum colorem, existimari bileum humorem, aut quantitate aut qualitate incẽsum p̃cessisse eò, ut & coloratior, atq; acutior esset. in.sco'o uero de urinar̃ causis cap̃.13. inquit eor̃ qui inedia laborãt, primum aureæ & croceæ, & tenues, & priuatæ contentis urinæ spectant̃, hæc me mouere, ut potius interpretarer uocabulum ὠχρὸν & χλωρὸν in hoc loco croceum, quàm uel luteum, uel pallidum, tñ si q̃s uoluerit uti uocabulo pallidum, uel luteum, & colorem à nobis dictum intelligere, & qui in ieiunantium urinis apparet, cum eo digladiari noluimus. Scito tñ Actuarium præadductis locis differentiam facere inter ieiunantes & fame pressos, hos enim inquit urinas habere tenues, albas, & hypostasi priuatas, & cum quodam splẽdore occurrit, qď an uer̃ sit, disputare non p̃gam. causam uero reddit præcitato de causis urinar̃ loco, cur ieiunantium urinæ sint croceæ. nam semp̃ naturalis calor aliq̃d consumit ex his quæ comederimus. at deficiente cibo in seipsum conuertit̃, & si aliquam adesse humiditatem cõrigerit, illam deuorat, qua ablata acutior redditur is calor, & crocea bilis p̃ficit̃, a urgens siccando & calfaciendo, proinde urinæ p̃ueniant in illam calidi affectionem, minora uero contenta spectantur, ubi deerunt hominum alimenta, quæ cũ concocta sunt, & nutriunt, demittunt, hæc signa nutritionis. hæc est urinar̃ crocear̃ ex ieiunio causa. urinar̃ uero albar̃ ex inedia causa est, quod cum calor surrexit, quoad fieri potuit, & intrinsecus nutrimẽto indiguerit, statim ipse cõtabescit, ipso uero calore tabescẽte, etiam corporis habitudo statim parata est concedere. ergo frigidum & album & paruum, itaq; urina est alba & pauca, & absq; hypostasi. si ergo tu intelligere uolueris hos qui prandia intermittunt cõsueta, necessarium esse urinas esse croceas. at si illos intelligeres qui fame laborãt, forte nihil impediret, te urinas intelligere pallidas & albicantes, tamen primę sententiæ magis inhæremus, nempe qui à prandio abstinent (& non biberint) necessario tales habẽt urinas croceas, intellige preterea quod in præcedente cœna non tantum ederit & biberit, ut in prandio coctum esse nõ possit. idem est apud Græcos χλωρὸν, q̃d apud uulgus nostrum, uiride, id enim uiride obscur̃ distinguimus, & in uiride clar̃ est ὠχρὸν, qď nostr̃ uulgus & giallo uocat, qď uero χλωρὸν & uiride & croceum significet, colligi potest.2.p̃gnosticor̃ Sectionibus.20. & .21. & .49. & in.5.cõmentario in.6.epidimior̃ de uiridi hoc colore sermo fit, & in 2.cõmentario in.6.epidimior̃ Sectione.17. χλωρὰ pro herbida dicit̃, & pecudes Græci χλωρίζειν dicunt, qď significat herbis uerno tp̃e uesci, imo & p̃sequit̃ Galenus dici holes quosdam uirides, non quòd herbæ similem colorem habeant, sed potius pallidum, & uidetur Galenus in eo uocabulo anceps. Addeq; χλωρὸν significare ęrugineum & pallidum Sectione 7.tertij cõmentarij in primum prorrhetici, habet̃ quoq; apud Homer̃ in.x.Odysseæ uersu.234. mentio facta uocabuli χλωρῷ, cum mel χλωρὸν uocauit, qď necessarium est interpretari croceum, quamuis & al.qď mellis genus sit pallidum. Laurẽtius Valla interpretatus est nouum, alter interpres recẽs. Homeri carmen hoc est, cum apud Circem esset Vlysses,

ἐν δέ σφιν τυρόν τε καὶ ἄλφιτα καὶ μέλι χλωρὸν
οἴνῳ πραμνείῳ ἐκύκα.i.ipsis autem caseumq; et farinã et mel croceum uino pramneo miscuit, postea remiscuit huic parum mala uenena Circes, q̃bus patriæ terræ penitus obliuiscerentur.

Ad rem uero redeuntes, in.6.libro, Methodi medẽdi Galenus sententiam illam adducens.s.huius libri.24.Sectione positam non uocat lotium χλωρὸν, sed ὠχρὸν.

Vbi legitur est autem ὠχρὸν χρῶμα, desunt hæc uerba κατὰ ἀλήθειαν τοιοῦτον.i. s'm ueritatem talem οἷον πῦρ ut ignis.

Pro eo qď à Galeno dictum est & color ὠχρὸς uocatur, scito ὤχραν genus esse luteæ terræ, de qua Dioscorides libro.5. quã dicit esse luteo colore per totũ, saturatamq; eo impense, ipsam μηλίνην uocat, palàm uero est hunc non esse colorem pallidũ, sed luteum (nisi & luteum pallidum uocemus.) Plinius libro 35.cap̃.6. ochran inter uibores iudicat colores, additq; ochrã fieri exusta rubrica in ollis nouis luto circumlitis, de hoc colore nunc loqur Galenus quem ochran uocant, & est terra naturalis lutea, quæ & arte fit ex combusta rubrica, tñ est magis saturata luteo colore natiua ochra, q̃ ex rubrica facta, quamuis & ustionis modus colorem augeat & intendat.

Quod legit̃ pallida & amara & flaua bilis, lege per p̃portionem crocea & amara & flaua bilis, q̃ppe græce est τῆς ὠχρᾶς τε καὶ πικρᾶς καὶ ξανθῆς ὀνομαζομένης χολῆς.

Qď dicitur tantum à flauo pallidus, græce est τοσοῦτον τούτου τὸ ὠχρὸν.i.tantum à flauo croceus, hic unus contingit scrupus, q̃a hic s'm Galenum ὠχρὸν in album magis tendere uidet̃, quàm ξανθὸν.i.flauus. at croceus uidet̃ magis intensus, q̃ flauus, & minus tendere ad album, igit̃ & ὠχρὸν non poterit pro croceo interpretari. Respõdemus ὠχρὸν nonnunquam significare luteum, itaq; minus intensum est, quàm flauum, in hoc autem loco accipit̃ pro croceo, uel si flauũ capiamus pro colore, quem habẽt maturæ fruges, croceus hic omnino in album magis tendet, quàm flauus. at si flauum acceperemus, ut

passim nunc accipitur in puerorum capillis, & aliàs acceptum est, ita flauum magis tendet in album, quàm in croceum. de hac tamen re aliàs locupletius agemus.

Quarto, Galenus ad præsentem sententiam reuertitur, in qua de his agebat Hippocrates, qui non erant assueti prandere & prandebant, si hi supercœnassent, acidum eructabãt inquit Hippocrates. uariæ autem sunt acidorum ructuum causæ, ructus etenim ob flatus fiunt qui à caliditate di minuta generantur, aciditas uero q̃nq; fit ob uẽtriculi frigiditatem, q̃nq; ob pituitam quæ in eo sæpius aggregatur, q̃nq; ob ciborum multitudinem fiunt, q̃nq; & à paucis proueniunt cibis, sed potentia frigidis, tñ quicquid horum fit, unum est omnibus cõmune & peculiare, quod calor uentri ingenitus à cibis uincitur, & illos non uincit, neq; illos superat, sed superatur, neq; illos potest probe conficere, & coquere. simile est, ut si modicæ flãmæ multitudinem lignorum superaceruaueris, uel & si non sint multa ligna, tamen sint uiridia & humida.

Vbi legitur tum uiridia, tum humida, græce est χλωρὰ καὶ ὑγρά. in quo loco utitur uocabulo χλωρῶν pro uiridi, ut sunt ligna, quando inciduntur, ut distinguitur contra aridum.

Hic forte dubitabis acida à frigido fieri nõ posse, nam acetum summe acidum est, à quo qualitas hæc denominationem accepit, uel ipsum à qualitate per excellentiam, tñ ut Galenus docet in primo de simplicium medicamentorum facultatibus acetum à calido fit. propterea Ferrarienses mulieres acetum acidius reddere uolentes æstiuo tempore radijs solaribus exponunt, & uasis detectis, ut facilius exhalare possint, si partes aliquæ dulciores uino insint, uel imperfecto aceto.

Adde in puerorum causone, si nonnunquam in illis contingat lac fieri acetosum, id fit ob caliditatem, cũ ob caliditatem tenuiores exhalent partes, & crassiores relinquantur. Respõdemus, non ire inficias Galenum, & ex caliditate res acidas fieri posse. id uero fit, quia calor uapores dulces exhalare facit & tenues. Sed ad rem, cum quispiam inassuetus est prandere & pransus sit, & etiam supercœnet, cum non possint esse confecti præsumpti cibi, ob id & hi qui assumunt minus conficiuntur, unde in pituitam transeunt acetosam, à qua acetosi flatus deinceps eleuantur. in proposito igitur ructus acidi aliter fieri non possunt, quàm ex frigiditate, licet acetosum saporem ex caliditate nõnunquam fieri constet, quãquam dici posset acetositatem cuidam acuitati iunctæ à calido generari, ut est aceti & lactis acetositas modo prædicto inducta. at si acetositas iuncta sit cuidam ponticitati à frigido generatur, ut est uini omphacij acetositas, uel citri, uel alterius similis rei, quãquam & hæc nõ esse acetosa dici posset. uerum cum de hac re hic non sit nisi obiter disserendi locus, propterea de hac acetositate & acido ructu hæc satis erunt.

Quinto, Galenus aliam sententiæ partem notat, quòd al quibus ita cibatis, uesperi. s. q̃n pransi sint præter consuetudinem, contingit σπατίλη. i. alui leuitas uel humida deiectio. Notat uero Galenus in multis exemplaribus non legi σπατίλην, sed ἄσην, ut per hoc uocabulum ἐμπεπασμένον. i. plectum intelligamus corporis huius hominis, qui ita cibatus est, corporis inquam ἀσωμένου. i. grauiter molesteq; habentis ob cibi multitudinem, suntq; implacidi atque inquieti dum in lecto iacent, & sese permutant.

Vbi legitur. i. alui leuitatem siue humidam deiectionem, Galenus non posuit illam particulam alui leuitatem, sed tantum exposuit particulam σπατίλην per hoc τουτέστιν ὑγρὰν διαχώρησιν. i. humidam deiectionem.

Scito ἄσην esse fastidium uentriculo contingens, quãdo male affectus est. potissimum pregnantes uexat, & picca, uel citta uocat, de quo in Aphoris. cõment. non parum locuti sumus.

Deniq; Galenus notat id quod in calce sententiæ scriptum est, palam ostendere, cibi cõfectionem cocti oni similem esse oportere, quod significat debere fieri à calido, non quidem sicco & squallenti qualis est calor febrilis, sed potius à calido humido uaporoso, qualis is est, qui in animalibus secundum naturam consistit.

In eo forte ambiges, quod hic à Galeno dicitur ὅτι δεῖ τὴν πέψιν εἶναι παραπλησίαν ἑψήσει. i. quòd oportet digestionem (interpres dixit confectionem) similem esse coctioni. nam digestio & coctio idem significare uidentur. Respõdemus hic Galenum ostendere uoluisse, coctionem non fieri à sicco arido & squallenti, ideo dixit digestionem esse coctioni similem, sed quod interpretatur coctio & græce est ἕψησις, coctionem quidem significat, sed talem quæ per elixationem fit, unde à uerbo ἕψω deducitur quod elixo significat. propterea nos hãc partem lucis maioris gratia hoc modo interpretãdam suaderemus, quod oportet coctionem esse similem elixationi. & hoc per uerba quæ sequuntur ostendit, quibus inquit fieri à calido humido uaporoso, & non à sicco squallenti, nam & quæ elixantur ita coquuntur à calido uaporoso humido.

Sed ambiges non uideri magis impediri coctionem à sicco, quàm ab humido, nam & humidam coctionem impedit, imo & qui comestionem multiplicant, naturalem calorem siccum nõ habent, sed humidum, tñ non probe coquunt, imo illa incidunt quæ dicta sunt. Respondemus æque superfluum humidum & crudum coctionem impedire ut ualde siccum impedit. hic uero Galenus per humidum intelligit humidum caliditati proportionatum, nam in coctione opus est quod coquitur reduci ad æqualitatem, quod fit humido proportionato calido, hoc uocauit in presentiarum Galenus humidum ἀτμώδης. i. uaporosum, quippe caliditas sicca squallens æqualitatem inducere non potest. propterea inferamus à sicco superfluo & ab humido superfluo impediri quidem coctionem, sed ab humido procurari proportionato. Si præterea petas quomodo hic calor in animalibus secundum naturam humidus sit, scito naturalem calorem ionii humido innato, hoc uero humidum est sanguis & spiritus, quanquam & influentia sint humida, tñ hæc humiditas est proportionata, & non cruda, sed talis quæ calidum adiuuat ad opera proficienda.

## Hippocrates. Sectio XXIII.

Conuenit autem his permutationem æqua uirtute compensare. Dormire siquidem eos oportet tãquam noctem à cœna, hyeme quidem citra frigus, æstate uero citra calorem agant. Quòd si dormire non queant· plures lente ambulando absoluant circuitus, neque stent· nihil cœnent, aut pauca & innocua; minus præterea bibant, sed meracius & non dilutum. Magis præterea & is afficietur, qui ter die replebitur, ac etiam multo magis qui crebrius: quanquam sint nonnulli qui ter die satiati facile ferãt, utpote qui ita sunt cõsueti.

Si contingit aliquem esse præter consuetudinem pransum, ut prædicta incidunt discrimina· correctione indiget. propterea hic ab Hippocrate edocemur quomodo corrigẽdus sit. iubet igitur medicum his hominibus æqua uirtute permutationem compensare. nam hi cum pransi sint, interdiu dormire debẽt, ac si nox sit, ut faciunt qñ cœnauerint. hocq; ita facere debent hyeme, ut nihil frigoris patiantur, sed bene tecti dormiãt, æstate autem in tali loco se ponant, ut calore non afficiantur. at cum nonnũquam contingat, ut homines interdiu dormire nõ possint, propterea ab Hippocrate additur· si dormire non possint, lente ambulent, & non parum, sed multos peragant circuitus, neq; firmi maneant, uesperi uero, nihil cœnent. uerum si tam intemperãtes sint, ut absq; cibo cubatum ire non possint & nolint, id saltem obseruent, pauca comedant & innocua. adde quod & minus bibere debẽt, quàm uel consueti sint, uel et cõueniat cibo sumpto. quicquid autem biberint, meracius sit & non dilutum. Nota tñ quod hic magis afficietur, & magis à prædictis symptomatibus capietur qui ter die replebitur, & is multo magis afficietur qui crebrius die comedet, si sit inassuetus. & si aliqui sint qui ter die BRASAVOLVS

satiari fac le ferant, hi sunt assueti, ita qui quater, & qui quinquies. de his uero tantum loquitur Hippocrates, qui his cibationibus assueti non sunt.

*ἀρήγει οὖν τουτίοισιν ἀνασώσασθαι τὴν μεταβολήν.* i. cõuenit igit̃ his mutationem compẽsare. Compẽsabitur uero, si uel dormiant, ut post cœnam consueuerunt, uel non cœnent penitus, uel parum quid sumant.

*ἐγκοιμᾶσθαι γὰρ χρὴ ὥσπερ νύκτα ἀγάγοντα μετὰ τὸ δεῖπνον, τοῦ μὲν χειμῶνος ἀῤῥιγέως, τοῦ δὲ θέρεος ἀθαλπέως.* id est dormire enim oportet ueluti noctem ducentem post cœnam, hyeme quidem sine frigore, æstate uero sine calore. Notat hic Galenus (ut in commentatione dicetur) intelligendum esse Hippocratem, ut hi dormiant post prandium ac si esset nox, & post cœnam dormirent. calor etenim naturalis intus in somno cogitur, & aptius concoquit quod ingestum est. hoc uero obseruat Hippocrates, si hyems sit, hunc non debere frigus pati, ne extrinseca frigiditas etiam obsit, & ne naturalem calorem cibum relinquere cogat, & frigiditati occurrere quæ corpori obijcitur. imo si æstas sit, superflua caliditas non est ferenda, tum quia uires imbecilliores redduntur, tum quia calor naturalis ab extrinseco allicitur, & ad ipsum exit, uentriculum q; absq; calore, uel cum pauco relinquit. unde hic post prandium dormire debet ac si nox sit, & post cœnam dormiat. Ex quo loco notari potest, antiquos non fuisse consuetos post prandium dormire, sed solum post cœnam, neq; interdiu, sed tantum noctu.

At inquies, cur in hyeme debet euitare frigus, si uentres hyeme & uere natura calidissimi sint, & non ob aliam rem quàm ob frigiditatem? Respondemus, frigus hyemes facere quidem ut naturalis calor intus contrahatur & simul colligatur, ac fortior euadat, tamen si superflue deinceps infrigidemur, potissimum cũ dormimus, potest ad interiora penetrare, & nos infrigidare. unde in uigilantibus, & qui multum habent sanguinis, calor forte fit intensior ob frigus, non tamen uehementissimum, quia hoc calorem extinguit, sed in dormientibus & pauci sanguinis, si frigus patiantur, naturalis calor potius extinguitur. tamen quicquid sit, bonum non est in hyeme inter dormiendum pati frigus: imo & malum est, & ad multa inducenda symptomata aptum, potissimum circa neruos.

*ἢν δὲ καθεύδειν μὴ δύνωνται, βραδεῖαν συχνὴν περίοδον πλανηθέντα μὴ στασίμως.* id est, si autem dormire non possint, circuitus tardos & multos absoluant, neque stent. Non omnibus datum est posse dormire interdiu, neque omnibus post prandium quando non fuerint prandio assueti, unde aliqui sunt qui dormire non possunt. propterea consulit Hippocrates quid tunc agendum sit, inquiens hos debere ambulare multos circuitus, hoc est multam uiam, & tardos. per tardos uero intellige hos debere incedere lente & non properanter. nam motus properanter factus cibum ingestum commouet, & fit in uentriculo agitatio, & calor qui inducit̃, quodammodo est igneus, non probe aptus ad concoquendum. unde non ab re consulit lente incedendum esse, sed longo in hoc incessu perseuerandum tempore, quoad ex motu calor augeatur, & cibus præter consuetudinem ingestus concoquatur. iubetq; non esse standum. id forte notat, quia & suo tempore consuetudo illa post prandium standi increbuerit, quam recentes laudant. iubet uero non esse standum, quia delassantur homines, & naturalis calor non augetur, ut in motu augeri consueuit.

Et cum utatur uocabulo *περίοδον*, id est, circuitu, forte inquies Hippocratem uoluisse te in circuitum ambulare: Scito autem Hippocratem supponere te esse domi. nullus uero habet tam amplam domum, ut si ambulare uoluerit, frequenter se uertere non cogatur, propterea multos circuitus fieri uult. Addecq; circuitus hos maiorem inducere calorem, quoniam inter uertendum semper fit labor. unde & ab Aristotele in problematibus quæritur, cur qui in breuiori spatiantur loco citius delassentur, & totam rationem ex frequentiori reddit conuersione.

De ui autem concoctrice ambiges, ut quæ non uideatur in motu fortiorem euadere, quia motus reddit uim expultricem fortiorem, & retentricem imbecilliorem, ergo & concoctricem reddit imbecilliorem. Consequentia hæc nulla eget probatione, quia uis retentria ad uim concoctricem exigitur. nam Galenus in sexto de symptomatum causis libro inquit, concoctricem uim in sui operatione ui indigere retentrice fortiore. Et ratio in promptu est, quia si non retineatur quod concoqui debet, non concoquitur. Antecedens uero ex Galeni uerbis colligi potest, qui in sexto de sanitate tuenda, motum uim expultricem robustiorem reddere censet. consequenter uis retentrix, quæ illi est opposita redditur imbecillior. Adde coctionem esse quandam alterationem. sed in motu alterius generis alteratio impeditur: nam non potest æque bene alterans, rei alteratæ in motu applicari, ut facit in quiete. igitur motus hic, qui localis est, coctionem impedit, quæ alteratio est.

Respondemus, esse duplex genus motus & exercitij, ut à Galeno in secundo de sanitate tuenda innuitur libro, & in alijs consequentibus: unum genus est uehemens & magnum: & hoc motu genere uti non debemus, nisi post coctionem: aliud genus motus lentum, paruum, sed longum: & hoc motus genere possumus & debemus uti post cœnam, quando oportet. motus uehemens prorsus uim retentricem imbecilliorem facit, & expultricem fortiorem: sed motus paruus, lentus, id nõn facit, sed paulatim augendo calorem concoctricem auget uim. ex quibus argumentum primum diruisse constat. Secundum uero argumentum ita solui debet: motum uehementem alterationem quidem impedire & coctionem, & cibum in uentriculo exagitare: tamen hoc non facit motus paruus lentus, de quo hic agit Hippocrates, & quem intendit. hic cum paruus motus est tanquam quies, qui etiam motus præter id quod naturalem roborat calorem, facit etiam hunc cibum ad uentriculi fundum paulatim descendere & ad intestina.

At de his duabus petes correctionibus, quænam sit melior, id est, an melius sit per somnum sumptum prandium præter consuetudinem corrigere, an per motum. uideretur somnum esse præferendum, quia Hippocrates iubet dormiendum, si dormire possit. Tamen dici posset, si homo sit, cuius natura melius in uigilia coquat, quàm in somno, & in motu, quàm in quiete: hic melius coquet in motu: si uero sit talis, qui in somno & quiete melius concoquat: hic dormiens melius concoquet. Nonnulli recentes referunt, Federicum Imperatorem periculum facere uoluisse, an coctio fieret melius inter dormiendum, uel in motu: & duobus acceptis sontibus capite plectendis eiusdem ferè temperaturæ & ætatis, eos opipare cibari iussit: postea, uni imposuit ut dormiret: alteri, ut egregie moueretur. deinde post aliquot horas, iussit illos decapitari, & aperiri: in uentre illius, qui dormierat, adhuc erant cibi reliquiæ: in illius autem uentre qui motum exercuerat, nihil inerat. unde iudicauit motum magis conferre coctioni, quàm somnus conferat. at non cõsiderauit motum illum potuisse esse in causa ut cibus descenderet ad intestina incoctus, & ad meseraicas, & ad iecur, itaque adhuc esset crudus: sed illius qui dormierat cibus erat in propinquo extremæ coctionis, & coquebatur. unde ex hoc experimento nihil certi haberi potuit: melius fuisset, si uiuos illos dimisisset, & illis per annum tale genus uictus instituisset, expectassetq;, quodnam morbi genus citius illorum aliquis incidisset, & quod cruditatis genus in unoquoque esset, quamuis & hoc non sit exquisitum experimẽtum. Ad rem igitur. dicamus certam huius rei normam non haberi nisi per conditionem, quia somnus naturalem auget ca

lorem, eo quod intus retrahitur. & motus (ut Galenus inquit in. 2. de sanitate tuēda) in animalibus naturalem calorem etiam auget. unde bonum est diu uiuere uolenti, & uti labore & motu, & somno etiam uti.

δειπνῆσαι μηδὲν, ἢ ὀλίγα, καὶ μὴ βλαβερά. i. nihil coenare, uel pauca & innocua. hic uespi coenare nō debet, nisi forte sit facta pfecta coctio, ne crudum semicocto misceatur. cum uero nōnulli sint adeo intemperātes ut abstinere nolint: propterea his suadet Hippocrates ut pauca accipiāt, & talia etiam quae obesse non possint. Sed inquies, hic hora coenae nō poterit habere cōcoctum prandium potissimum si dies sint breuiores, ergo nullo modo quicquam sumēdum: Respōdemus & in hoc casu opus esse, hanc paruam coenam ab hora consueta pducere, uel nihil penitus accipere. At inquies quae esse poterunt haec pauca innocua: Respondemus, Hippocratis tempore forte erat panis in uinum intinctus, aut simile aliquid. nostro tempore daremus aut diacitonium, aut citrum conditum, aut aliud simile.

ἔτι δὲ ἔλασσον πίνειν, καὶ μὴ ὑδαρέστερον. i. minus praeterea bibant, & non dilutum. qui adeo sunt intemperantes, ut in coena absque cibo esse non possint, erūt & in potu intemperātes. propterea & de potu necesse fuit regulam dare. hi inquam minus bibere debent, quàm sint consueti, & quàm forte exigeret sumptus cibus. tamen simpliciter parum bibere debēt, & hoc quod bibūt non sit aquosum, sed meracius, nempe tale uinum parum & meracius uentriculum roborat, ut deinceps facilius concoquat. si uero in maiori copia sumeret, calorem naturalem potius extingueret, & facile nō coqueret, imo incoctionem cibi adderet: nam & uinum meracius in copia epotum coctione indiget, & difficilius coquitur, quàm dilutius in copia sumptum, ut experientia ostendit, uel saltem difficilius descendit quàm dilutum.

ἔτι δὲ μᾶλλον ἂν πονέοι ὁ τοιοῦτος εἰ τρὶς σιτέοιτο τῆς ἡμέρης ἐμπλέως. i. amplius autē magis afficiet talis, si ter die replebitur. hoc manifestissimum est, quia si tantum semel comedere assuetus est & ter comederit, magis laedetur, quàm si semel comedere assuetus sit, & bis comederit: nempe quanto plures fuerint cibationes in die, tanto magis incidet symptomata iam dicta, & facilius.

ἔτι δὲ μᾶλλον εἰ πλεονάκις, καί τοι γε πολλοὶ εἰσὶν οἳ εὐφόρως φέρουσι τρὶς σιτεόμενοι τῆς ἡμέρης ἐς πλῆθος. i. ac etiam multo magis qui crebrius, quamuis nonnulli sint, qui ter die saturati & pleni facile ferant. Cur uero hi facile ferant, mox rationem reddit Hippocrates.

οἳ ἂν οὕτως ἐθισθῶσιν. i. nam ita consueti sunt. ut cōsuetudo illa sit, quae hoc facile ferri praebeat. pueros nostrates uidemus ob assuetudinem quater in die absque noxa comedere, & Galli quinquies in die comedunt praeter noxam. at si quis inassuetus id facere tentet, magna incidet discrimina.

Hoc in loco referre haec nō erat necesse. Nempe docere proposuerat quonam pacto repentinae consuetudinum mutationes nos laedant, non autē quo tales laesiones modo curare oporteat. Verum quoniam Hippocrati hoc tentare est uisum, propterea quae scripsit prosequemur.

GALENVS.

Maxime quidem is dormire ipsos plurimum iubet. & si dormire nequeant, plures lenta ambulatione absoluant circuitus. idque ut quamplurimi expositorum aiunt, post coenam: sed ut eorum quae dicuntur sensus praecipit, post prandium. Nam oratio haec, tāquam noctem agant, de somno meridiano non de nocturno dici expostulat. Praeterea quod continuata est scriptum serie, ubi inquit: Si uero dormire non queant, plures lente ambulando absoluant circuitus, neque stent: nihil praeterea coenent, uel pauca & innocua: testatur Hippocratem uelle eos à prandio dormire non à coena. Duorum igitur alterum: nam aut emendanda tanquam errati conscia scriptio, atque ita scribendum: Dormire siquidem eos oportet post prandium tanquam noctem agant: hyeme quidem citra frigus, aestate uero citra calorem. uel si seruare uolumus orationem hanc à coena, intelligenda est hoc pacto dicta: Dormire siquidem eos oportet ut à coena ante dormiebant, sic & nunc post prandium tāquam noctem agant. Quòd autem uelit Hippocrates eos uel nihil omnino, uel parce, uel leuiter coenare, sensus est manifestus. Ventrem siquidem uult requiescere, laboremque quo grauatus afficiebatur refoueri, quod praeter cōsuetudinem, pransus homo fuerat. Hinc sequens est & minus bibere, sed non aquosum, non dilutum. Nempe fluctuationem humiditatemque & refrigerationem uitare oportet, ubi à ciborum multitudine uenter grauatus fuerit. Potum autem qui exhibetur, non aquosum esse cōuenit, sed uentris tum calefactionem, tum roboratoriam obtinere facultatem. Caetera quae continuantur, liquida sunt & manifesta.

Primo, Galenus notat nūc haec non esse ab Hippocrate notanda, quippe qui edocturus erat quōmodo repentinae cōsuetudinum mutationes nos laedāt. at docendum non erat quomodo noxae quae ab his fiunt mutationibus corrigantur: uerum quia Hippocrati uisum est & harum noxarum curationes prosequi, propterea inquit Galenus & nos illa quae scripsit, prosequamur. tamen ab re non fuit, ut de harum mutationum noxis obiter loquebatur, & de earum curatione ad ampliorem doctrinam aliquid interponere.

BRASAVOLVS

Secūdo, Galenus Hippocratis sententiam aggreditur, qui hos potissimum dormire iubet, & si dormire non possint, lenta ambulatione plures absoluāt circuitus. Et si petas, quo tempore dormire debeāt. multi expositores post coenam intelligunt, quibus non assentit Galenus. imo notat Hippocratis uerba ostendere intelligēdam esse dormitionem post prādium. hocque his suadet rationibus. primo, quia ab Hippocrate dicitur τὰς νύκτας ἀγαγόντα, tanquam noctem agāt: palam uero est hāc particulam non esse intelligēdam de somno post coenam, quia non dixisset tanquam noctem agant, sed uere agerent noctem. postea idem ex his probat, quae in cōtinuata serie prosequuntur, cum inquit: Si uero dormire non queāt, plures lente ambulādo absoluant circuitus, neque stent, nihil praeterea coenēt, uel pauca & innocua. Ex quo manifestum est, cum coenare non debeāt, si dormire non possint, quòd de somno ante coenam intelligebat. Forte dices, in. 4. huius uoluminis libro Sectione. 88. hoc de somno dici post coenā, hoc pacto: Quòd si super coenauerint, uel ter uel ab his à balneo (cōfert enim) dormiant: Respondemus, illum non esse legitimum Hippocratis librum, & Galenus refert se ad illa quae nunc dicuntur, tamen & cū super coenauerint, dormire nō erat ab re, neque istud hic ab Hippocrate negaretur. Sed petes, an si dormierint, coenare debeant: Respōdemus: si pfecta coctio celebrata esset, coenare deberet: at si non sit pfecta, coenare non est opus: cum uero potius non esse pfectam credēdum sit, propterea coenare nō debet, uel parum & innocuum. Ad rem igitur redeuntes, Galenus duorum alterum iubet, aut contextum emendādum esse, et legēdum: Dormire siquidem eos oportet post prandium tanquam noctem agant, hyeme quidem citra frigus, aestate uero citra calorem. uel si contextum seruare uoluerimus, opus est hanc particulam à coena hoc modo intelligere: Dormire siquidem eos oportet, ut à coena ante dormiebant, sic & nunc post prandium tanquam noctem agant. & profecto de somno post prandium facto intelligere opus est.

Tertio, Galenus notat manifestam esse Hippocratis sententiam, ut uelit hos uel nihil omnino, uel parum uel leuiter coenare, nam iubet uētrem requiescere, qui iam est defatigatus: et iubet refoueri à labore, quo fuerat aggrauatus: nam prandere inconsuetus erat, & pransus est, propterea opus fuit ut praeter consuetudinem coqueret. itaque uis concoctrix praeter consuetudinem conterebatur.

Quarto, Galenus notat ad paucam coenam sequi minus bibere, tamen quod bibitur & si parum sit meracius sumatur, non aquosum. ratio est, quia fluctuationem euitare oportet & humiditatem & refrigerationem, quando uētriculus à ciborum multitudine fuerit grauatus. & potus debet esse meracius, ut uim habeat, qua

& calefacere

& calefacere possit, & uentrem roborare. reliqua uero quæ in Hippocratica sententia ꝓsequunť, tam clara sunt ut expositione non indigeant, ꝓpterea à Galeno sponte prætermittuntur. Forte petes, quænam differētia sit inter illos qui dormiūt post prādium, & illos qui non dormiūt, sed ambulant: Respōdent nōnulli, eos qui dormiūt, ob naturalem ꝓtractum calorem & fortificatum coquere: eos uero qui mouenť, ob motum, deorsum ad uētriculi fundum cibum trāsmittere, ad intestinaq; & uenas. at hoc satisfacere non uideť. nam Hippocrati plꝫ, sumpto præter cōsuetudinem prandio, coctionem ꝓcurandam esse. coctio uero ꝓcurať calore. ꝓpterea calorem robustiorem reddi ꝓcurat in dormiētibus, q̄a sponte retrahiť, neq; circa sensuales opationes, & intellectuales ac motus occupatus est. in motu uero augeť & quodāmodo acuiť. ꝓpterea nos dicimus nullam esse differentiam, q̄a in utrisq; coctio ꝓcuratur. & hoc fit per augmentum caloris. at calor in his uario modo contrahitur, ut luce clarius patet.

## Hippocrates. Sectio XXIIII.

Praeterea qui bis die cibum sumere consueuerunt, ii nisi pransi fuerint, ægre habēt, parū ualent, timidiq; ad quoduis opus fiunt, & cardialgici. Nempe his uiscera pendere uidentur, calidum mingūt & uiride, id est pallidum: stercusq; exuritur: sunt q̄bus os amarescit, oculi cauantur, & tempora saliūt, partesq; frigescunt extremæ.

BRASAVOLVS

In hac sententia casus præcedenti oppositus describiť. nam de his in præcedēti qui erant inassueti prādere locutus est, q̄ñ prādebant: nunc uero de his agit qui assueti sunt prādere & nō prādent. ꝓpterea inq̄t: qui bis in die cibum sumere cōsueuere, hi ægre habēt nisi pransi fuerint, parumq; ualēt, & ad oē opus aggrediēdum sunt timidi, & præterea sunt cardialgici. naꝫ his uiscera pendere uidenť, & calidum mingunt lotium atq; croceum, emittuntq; stercus ueluti exustum: & horꝫ nonnulli habent os amarum, cauos oculos, & ipsorꝫ tempora saliunt, atq; extremæ partes frigescunt.

ἀλλὰ μὴν καὶ οἱ μεμαθηκότες δὶς σιτεῖσθαι τῆς ἡμέρας ἢν μὴ ἀριστήσωσιν. i. sed cōsueti bis die cibum assumere, nisi prāsi fuerint. consequentia incidunt symptomata, quæ partim cum præcedentibus conueniunt, sed diuerso habēt modo, ut etiam superius dictum est. symptomata uero hæc sunt.

ἀσθενέες. i. imbecilles redduntť, q̄m consueto deficiente nutrimēto uires fiunt imbecilliores, & hæc imbecillitas est ratione sui, & non ob suffocationem, ut in cōmento. 22. dicebatur.

καὶ ἄῤῥωστοι εἰσί. i. & ægrotāt. nam ægritudo est operationum læsio, quę impedit, uel minuit, uel demit penitus. in hoc casu sunt diminutæ operationes. nam cū pransi nō sint, lassitudinem sentiūt & impedimentū quoddā circa uirtutem motiuam.

καὶ δειλοὶ ἐς πᾶν ἔργον. i. & timidi ad oē opus. s. fiunt. non q̄dem timidi, q̄a præcedente careāt audacia, sed timidi, q̄a imbecillitatem ꝑsentiunt. ꝓpterea opus oē refugiūt, neq; illud aggredi audent. ut hæc sit quædam ignauia, qualis & his hominibus contingere solet, qui diu sedent apud ignem.

καὶ καρδιαλγέες. i. cardialgici fiunt. de cardialgicis in Aphorismorꝫ cōmentarijs uberius egimus, naꝫ in cardialgia & cor pati pōt, & solum os uētriculi, ab antiq̄s cor appellatū. in præsentiarꝫ os uētriculi patiť tum ob flatus, tum ob bilem quæ ad ipsum ascēdit, in his potissimū qui bile in sup̄ioribus abūdant partibus, tū q̄a oris uētriculi officium est appetere, qd' munus & à bile hꝫ atra, quę à liene ad ipsuꝫ trāsmittiť. at natura semꝑ transmittit. ꝓpterea fames induciť. quam cum homo negligit, & non satiat, uentriculi os languescit, ut omnia hæc ex prandij omissione patiatur.

κρεμᾶσθαι γὰρ δοκεῖ τὰ σπλάγχνα αὐτέοισι. i. uiscera enim his pēdere uidenť. nā cū sint exinanita suspēsa esse uidenť, & flatu etiam plena, q̄ppe flatu impleniť cum cibum non accipimus. quotidiana expientia ostēdit uētriculum flatu impleri, cū cibo uacuus est, Galenus. 4. Aphorꝯ. lib. Aphorꝯ. 73. præcordiorꝫ suspēsionem à flatu fieri inq̄t. q̄q̄ dici posset aliam esse rem suspēsionem, aliam pēdere: naꝫ aliud est, ut in. 4. Aphoris. dicebat ὑποχόνδρια μετέωρα, & aliud qđ hic dicit σπλάγχνα κρεμᾶσθαι. nā hæc suspensio ita fit, cū nihil aut parꝫ insit intestinis, uētri nō inhærēt, sed potius in sese adunat pēdere uidenť.

καὶ οὐρέουσι θερμὸν, καὶ χλωρὸν. i. & mingūt calidū & croceum. de hac re sup̄ius Sectione. 22. uberius locuti sumus. calida est præter naturam suaꝫ urina, & crocea ob caloris actionem qui fit intēsior, & magis agit in paucum q̄ in multum. tū & si q̄s luteum interpretaretur, à nobis dimicandum non est, uerꝫ laudamus id ut croceum potius interpretetur.

καὶ ἡ ἄφοδος συγκαίεται. i. stercusq; exuriť. nam calor magis ignitur, & excrementa illa pauca, quæ in uentre sunt, assantur & exuruntur, unde dura fiunt, & hicmet calor urinas solito calidiores & croceas faciebat.

ἔστι δ' οἷσι καὶ τὸ στόμα πικραίνεται. i. sunt autem q̄bus & os amarescit. hi sunt illi qui amara bile abūdant, quæ ad os uētriculi accedit, & ad os correspōdet, unde amaritudo sentiť.

καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ κοιλαίνονται. i. & oculi cauanť. ob exiccātis caloris intēsionem: nam oculi multam habēt humiditatem, quæ facile exiccať, q̄ñ alia ad ipsos non trāsmittiť: at non transmittiť, cum non prādent hoies. Inquies uero in. j. ꝓgnosticorꝫ id esse signum mortis q̄ñ oculi sunt caui, tū hi non moriunť, de q̄bus hic Hippocrates agit. Respōdemus, cauitatem illaꝫ. j. ꝓgnosticorꝫ lib. esse ꝓfundam, & magnaꝫ, hāc uero, de qua hic agit Hippocrates esse paruam. Adde, & cū illa. j. ꝓgnosticorꝫ adesse alia signa praua, ut tempora plana, nares acutas, & reliqua. tū & hic qui prādium dimittit, sæuā aliq̄ ægritudinē incidere posset, ut deinceps uidebimus ex Hipp. sentētia, & mori.

καὶ οἱ κρόταφοι πάλλονται. i. & tēpora mouenť, uel tēpora saliūt. Cum hi qui biliosi sunt, hoc habeant peculiare, ut naturalis eorꝫ calor, cum cibum non accipiūt, in ignem conuertať, unde & arteriæ illæ quæ in temporibus sunt, pulsant & saliūt ebulliente etiam sanguine qui in ipsis est, & eo mire calefacto.

καὶ τὰ ἄκρα διαψύχεται. i. & extremæ frigescūt partes. hoc in biliosis cōtingit, in q̄bus uenter biliosis humoribus plenus mordeť & contristať, & cardialgiam facit. uñ uirtutem dissoluit, & extremæ frigescūt partes. Addeq; in hac affectione calorem naturalem ad affectā hanc trāsire partem. ꝓpterea absq; calore extrema relinquunť. Notaq; hæc quatuor ultima symptomata in biliosis uiris ītelligēda esse. Forte petes, an ex uno solo dimisso prandio hæc cōtingere possint. Rūdemus, ex uno solo posse cōtingere, sed ex pluribus facilius. tū ut alibi palàm tradit Hippocrates, multa praua ex uno solo prādio cōtingere possunt. Hippocrates circa dimidias libelli de prisca medicina partes, de his qui prādere assueti sunt & nō prandēt, hęc dicit. Similiter ēt si prādere q̄s cōsueuit, sicq; illi cōferat, & nō prandeat, cum primū hora transit, cōfestim uehemēs debilitas, tremor, animi defectus, os amarescit, lutei insuꝑ oculi fiūt, lotium crassum, calidū demittit: intestina suspēdunť, caligāt oculi, ꝑciť ira, difficulter spirat, lāguidus efficiť. oīaq; hæc ꝓpterea patiť, ut hæc alia ēt addanť symptomata ab Hippocrate, ab illis quæ in hoc libro, quē interpretamur, enarrauit, & lōge difficiliora.

GALENUS.

Cætera q̄dem huius dictionis in eorꝫ cōparatione quę pręter cōsuetudinem pransis cōtingere diximus, sunt explanata: sed de reliq̄s nūc dicā. ἄφοδον. i. ἀποπάτημα. i. stercus ipsorꝫ siue alui purgationem incēdi exuriq; inq̄t à calore. s. assatam. Nempe corpus magis tū siccescit tum ignescit ijs qui cōsuetum relinquūt prandiū. Alijs os amaricare ait, utpote ijs qui biliosiorem habēt naturam. hisq; caui fiūt oculi ab eadem qua excremētum aduriť causa siccescentes. Quòd autem in amaræ bilis naturis uernaculus calor in id quod igneum est digrediatur, ꝓpterea & tempora saliunt. i. temporꝫ arteriæ euidēter pulsant. Partes præterea corporꝫ extremæ frigidiores fiunt, q̄ uꝫ

ter biliosis repleantur humoribus, quorum morsu atque contristatione affectus, uirtutes dissoluit, corporisque extrema refrigerat.

BRASAVOLVS

Primo, Galenus notat superius in. 22. cõmentatione, ubi ea comparabat, quæ prãsis præter ꝯsuetudinem cõtingunt non prãsis, se multa quæ in hac sentẽtia posita sunt exposuisse. ꝓpterea illa nũc solũ iterpretabiꝰ, de quibus nulla facta est mẽtio. Secũdo, Galenus particulam illam interpretaꝰ τὴν ἀφοδον αὐτῶν, per hanc aliam τουτέστι τὸ ἀποπάτημα, hoc est stercus ipsorum, aut alui purgationem in… atque exuri. id uero fit à calore, qui deiectionem ipsam assat. hic etenim ieiunãtis calor intẽsior est, quàm naturalis. itaque corpus horum qui prãdium dimittunt, siccescit magis atque ignescit, quia naturalis calor nihil noui habet in quod agat, propterea in subiectum agit, quod præsens est, unde magis ignitur. & ita totum corpus afficitur.

Tertio, Galenus notat illis os amarescere qui sunt natura biliosiores, & hoc potissimum si bilis in parte sit superiori. nam si in inferiori abundaret parte, & non in superiori, os illis amarescere non esset opus. rari tamen sunt, quibus in inferioribus partibus bilis abundet, & non in superioribus.

Quarto, Galenus notat, eisdem naturæ biliosis, uel his qui nõ prãsi sint, simpliciter oculi caui fiunt, cum ab eadem causa & caliditate exiccentur, qua excrementum aduriꝰ & exiccatur.

Quito, notat i amarę bilis naturis, inanũ calorẽ in igneũ ꝯuerti. ob hoc tẽpora saliũt, hoc est ipsę tẽporum arterię euidẽter pulsãt.

Deniqꝫ notat, extremas corporis partes frigescere, quoniam uẽter biliosis repleꝰ humoribus. & l dicat τῆς γαστρὸς, tu potissimũ uẽtriculum intellige, quoniam ad uentriculi os repens bilis extrema reddit frigida. nam bilis hęc uentris os cõmordet, & ipsum cõtristat, unde & uis & naturalis calor dissoluunꝰ. hinc extrema frigida euadunt. uel & in ipso uentre intellige, & ad os uẽtriculi non incedat: nam ex his morsibus fiunt tormina, & uirium defectus, & consequenter extrema frigida redduntur.

## Hippocrates. Sectio XXV.

Plurimi quoqꝫ horum qui pransi non sunt, cœnare nequeunt: qui si cœnauerint, uentris grauitate afficiuntur, ac difficilius cubãt multo, quàm si pransi fuissent.

BRASAVOLVS

Hippocrates de his adhuc ꝓsequiꝰ, qui prandere consueti, non sunt pransi, & de eorum cœna agit, inquiens plurimos horum posse cœnare, nimo si prorsus cœnare uoluerint, ne sint penitus absqꝫ cibo, uentris grauitate afficiuntur, et multo difficilius cubant, quàm si pransi fuissent. hæc est huius sententia partis.

καὶ οἱ μὲν πλεῖστοι τῶν ἀναρίστησάντων, οὐ δύνανται καταφαγεῖν τὸ δεῖπνον. i. & plurimi quidem qui pransi nõ sunt, cœnare nequeũt, tum quia bilis uentrem cõmorsit & male affecit, tum quia os uẽtriculi mordicauit, tum quia inducta est inappetentia à bile male afficiẽte. unde auersantur cibos, & cum statim in uentriculum descendunt, in bilem uertuntur, & augent affectum, ut cœnare non possint.

δειπνήσαντες δὲ βαρύνουσι τὴν κοιλίην. i. qui si cœnauerint uẽtris grauitate afficiunꝰ. quoniam totus cibus in bilem ꝑtransit. de his uero picrocholis in Sectione. 29. agemus. grauaꝰ uero uentriculus & coquere nõ potest, neqꝫ in chylum uertere cibum.

καὶ δυσκοιτέουσι πολὺ μᾶλλον, ἢ εἰ καὶ προηρίστήκεσαν. i. & multo magis difficulter cubant, quàm si prãsi fuissent. hi enim cũ bilis acutior sit reddita, & cibum recipiunt, agitanꝰ, & loco stare nequeunt. At inquies, cũ ab Hippocrate dicaꝰ hos difficilius cubare, quàm si prãsi fuissent, id uideꝰ superflue dictũ, quoniam si prãsi fuissent, cõsuetudinem seruassent, & ita nulla incõmoda incidissent. Respõdemus Hippocratem hanc particulam posuisse, ut ostenderet, quod magis moleste cubarent, quàm si consuetudinem seruassent. uel quia contingit & prãsos biliosos male cubare, ꝓpterea inquit, multo peius hos cubare, quàm si fuissent prãsi. Petes prꝫterea quare hi cœnent. Respõdmus, uel ne sint tam diu uacui, uel coguntꝰ à necessarijs qui id suadent. Hippocrates ad medias ferè partes libelli de prisca medicina, de eorum cœna qui prandere assueti sunt & non prandent, hæc dicit. Cum autem cœna accingiꝰ, quæ prius prãdio assumebat, comedere nõ potest: eaqꝫ cum descẽdunt, torquent, crepitãt, uẽtriculumqꝫ claudunt: hiqꝫ difficilius cubant, somniaqꝫ tumultuosa & ꝑturbata uidẽt, quod plerisqꝫ morbi principium extitit. Vbi uides Hippocratem multo plura hic addere, quàm in hoc libro dicat, quem interpretamur. imo paulo post illius rõnem reddit inquiẽs. Qui prãdere cõsueuit, & nõ est pransus, illa pauꝰ, quod ꝓfecto quàm primum corpus cibi eguit, prioraqꝫ cõsumpserat, non habuit quod cõsumeret, aut foueret, nec statim ad eũ nouus cibus accessit, nam præ fame tabescit. quęcũqꝫ enim hunc hominem pati dico, famis dedo. hæc Hippocrates, in quibus & exquisitius hæc sententia habetur, & sententiæ ratio.

GALENVS.

Picrocholi natura præter cõsuetudinem impransi ꝑmanentes, cibos auersantur fastidiuntque, uentre. s. male tum tractato, tum afflicto. Verum qui coacti cibum sumpserint, grauanꝰ: atque ob id δυσκοιτέουσι, ut ipse inquit. i. male habentes in lecto permanent & traducunt.

BRASAVOLVS

A' Galeno hæc notaꝰ, homines natura biliosos si præter cõsuetudinem impransi fuerint, cibis auersari & fastidire, quoniam uẽter & à bile male affectus fuit & male tractatus. at si qui sint, qui uel à domesticis coacti, uel ab edẽdi necessitate, cibũ sumpserint, grauanꝰ. & ob hanc causam δυσκοιτέουσι. i. male habẽtes per torum uertunꝰ, & loco uno stare nõ possunt. Hippocrates plenius seipsum interpretaꝰ in libro de prisca medicina, ut ex his quæ in sententia dicta sunt, intelligere ac ꝑcipere licet. Quod legitur uentre. s. male tum tractato, tum afflicto, græce est κακωθείσης αὐτοῖς τῆς γαστρός. hæc particula κακωθείσης malũ significat habitũ & malum affectũ in uentrem receptũ.

## Hippocrates. Sectio XXVI.

Cum igitur talia ob dimidiatæ diei uictus à consuetudine digressionem sanis contingãt, neqꝫ adiici quicquam neqꝫ subtrahi commode uidetur.

BRASAVOLVS

In hac sentẽtia ab Hippocrate transitus fit de cõsuetudine mutata in sanis ad cõsuetudinem mutatam in ægris. & ita argumẽtum erigiꝰ. si talia symptomata sanis contingunt ob digressionem uictus à consuetudine ex solo dimidiatæ diei spatio, ægris igiꝰ tanto magis continget. ꝓpterea neqꝫ adijci quicquam neqꝫ subtrahi commode uidetur, sed idem est seruandus modus & eadem consuetudo.

ὁπότ᾽ οὖν ταῦτα τοιαῦτα γίγνεται τοῖς ὑγιαίνουσιν εἵνεκα ἡμίσεος ἡμέρης διαίτης μεταβολῆς παρὰ τὸ ἔθος. i. cum igiꝰ talia contingunt sanis ob mutationem rõnis uictus dimidiatæ diei, præter ꝯsuetudinem, quãto magis ꝯtingũt ęgris? hoc addi debet, quia sani aptiores sunt ad ferenda incommoda quàm ęgri, sed male afficiuntur ipsi, ergo & ægri tanto magis male afficiunꝰ. imo sani in breuissimo tempore male afficiũtur, nempe in spatio dimidiatæ diei si à consuetudine aberrent.

Sed quispiam ambiget, an hęc ꝯña cõueniens sit, sanis obest abstinere à cibo prꝫter cõsuetudinem, igiꝰ tãto magis ægris, nam cõuenire nõ uideꝰ. nã cũ ęgri sint ob ægritudinem extra naturã & extra naturalem cõsuetudinem & in cibãdi horis, & in cibis, extra consuetudinem regi debẽt. Adde si quis ęger mane febre prehendereꝰ, prandium euitare opus esset, & usqꝫ in uesperã retardare, & unicã dare cibationem. imo si ęger medicamẽtũ accipiat, cibi horam euariare cogimur. Respondemus: æger ꝓcul dubio aliter cibãdus est quàm sanus, quantum sit de qualitate cibi, & de quantitate de hora autem cibi, & de uicibus, nõ debet ęger imutari, si nihil impediat, ut in prędicto casu quando febris mane occupat uel cũ aliquis medicamẽtum accepit. si uero nullũ adsit impedimẽtũ, ęger à cõsuetudine aberrãs magis offendiꝰ quàm sanus, quia ęger ob ægritudinem effectus est imbecillior, & quia prius ẽt minus comedit. unde unam dimittẽs cibationem maiorẽ sentit læsionem, quàm sanus, qui robustior est, & magis aptus ad ferenda quæcunqꝫ incommoda, quàm sit æger.

ὅτι

οὔτε προσθεῖναι λυσιτελέον φαίνεται, οὔτε ἀφελεῖν. i. neq; addi quicquam, neq; subtrahi commode uidetur. hæc pars ad ægros solos referri potest, ut intelligamus neq; subito addendum, uel subtrahẽdum quicquam ægris, sed paulatim id faciendum, nisi ex febre ægrorum hora prandij occupãte cogamur. Si uero dicas, imo statim esse ægro subtrahẽdum: Respondemus: si opus, id fieri debet, tñ semp commode faciendum est. potest & hæc pars tam ad sanos, q̃ ad ægros referri, nam & sanis nihil est addẽdum, at subtrahẽdum subito. Intellige uero hãc additionem uel subtractionem notatu digna esse, quia si essent modica nihil incõmodi sequeref. qđ enim parum differt à consueto differre non uidef. Et si dicas in morbo acuto statim prima die omnia remoueri quæ in sanitate dabant: Respondemus id esse uerum. tñ cibationum numeri non mutant, si aliud nõ impediat. At inquies, quid dicendum illo in morbo, in quo nihil penitus usq; in finem dandum est: Respõdemus & hunc transitum ad inconsueta repentine prorsus obesse, tamen minus multo est hoc nocumentum, quàm iuuamentum qđ morbo facit, nam morbus ex inedia corrigitur, licet hic efficiatur imbecillior.

GALENVS. Rursus inter exponẽdum quæ contingũt ualentibus ijs qui subito cõsuetudinem pmutauerunt, sermonis summam obiter atq; uelut appẽdicem adiecit, cuius gratia omnia hęc exponit quæ sanis contingũt. Nempe ut cõstat, si bene ualẽtibus uictus dimidiatę diei pmutatio adeo molesta sit, q̃uo non admodũ lãguẽtibus ipsis molesta erit: Deinde rursus ad explanationẽ eorum quę sanis contingũt reuertif in sequẽti dictiõe quę ita h̃.

BRASAVOLVS Primo, Galenus notat, rursus inter exponẽdum, quæ ualentibus contingũt, his qui subito pmutarunt consuetudinem, adiecit obiter sermonis summam atq; ueluti appẽdicem, cuius gratia omnia hæc exponit, quæ sanis contingunt, nam omnia hæc ob ægros posuit, unde statim sequitur.

Secundo, Galenus hoc argumento uti uidef: si uictus pmutatio per dimidiatam diem extra cõsuetudinem bene ualentibus adeo molesta est, q̃uo non erit & molesta, imo & admodũ molesta lãguentibus: ut hac utaf conditionali, si sanis ex cõsuetudine mutatio est molesta, igif & ęgris magis. sed sanis, ut uisum est, est molesta, igif & ægris erit magis molesta, præsertim cũ ea nõ indigemus. nam in ægris cum indigemus, necesse est extra consuetudinem pgredi, in quo transitu id qđ boni prestatur, multo maius est, quàm id qđ ex hac mutatione habef incõmodi, quæ & repentina sit, & extra consuetudinem.

Tertio, Galenus notat Hippocratem in sequenti sententia, iterum reuerti ad expositionem eorum quæ sanis contingunt.

## Hippocrates. Sectio XXVII.

Qui igitur præter consuetudinem semel pastus toto die exinanitis uasis quantum consueuit, cœnauit, si tunc impransus laborauerit, parumq; ualuerit, atq; adsumpta cœna tũc grauatus fuerit: multò magis eũ grauari par est. quod si adhuc plusculis horis uenæ exinanitæ fuerint, atq; repente cœnauerit: magis adhuc grauabitur.

BRASAVOLVS Hippocrates ad eorum symptomatum expositionem reuertif, quę sanis cõtingunt, qñ cibos dimittũt cõsuetos, postea comederint. hæc uero sententia satis obscura est. tñ pro eius pfectiori intellectione, scire opus eos qui dimittũt prãdium, posse cœnare, & minus q̃ cõsuetum sit, & plus q̃ cõsuetum sit, & æqualiter ut cõsuetus est, potest & hic citius cœnare q̃ sit cõsuetus, & eadẽmet hora, & tardius, quantumcũq; cœnet, & quocũq; tpe, semp aggrauaf, tñ magis aggrauaf, quãto plenius cœnat, & quãto distantius à sua hora cõsueta. Hippocrates sm Galenum hoc modo argumẽtari uidef: si is qui assuetus est prãdere & non prãdet, minus cõsueto cœnauerit, tñ nocte grauaf: igitur tanto magis grauabif, quanto plus cœnauerit. Adde, & si aggrauaf, etiam si cœnet ante consuetum tps: igif tanto magis aggrauabif, quanto ab hora cõsueta magis elongabif. hæc est sm Galenũ Hippocratis sentẽtia, quę tñ Hippocraticis uerbis plene nõ correspõdet, ut inter exponẽdũ contextũ uidere licebit.

εἰ τοίνυν αὐτὸς ὁ παρὰ τὸ ἔθος μονοσιτήσας ὅλην τὴν ἡμέραν κενεαγγήσας δειπνήσειεν, ὁκόσον ἐθίζετο, εἰκὸς αὐτόν. i. si quis igif preter consuetudinem semel pastus, tota die exinanitis uasis, quãtum cõsueuit cœnauerit. ut Hippocrates de cœna sm consuetudinem sumpta loq; uideaf, & non de minori. tñ dicere possemus, hanc ppositionem ab Hippocrate esse positam, ut deinceps ppositionem sumat q̃bus argumentum innitatur, sitq; tantum posita, ut huius casum proponat, qui non sit pransus, tñ prandere sit consuetus. quæ uero sequunf argumẽtum sunt.

εἰ τότε ἀνάριστος ἐὼν, ἐπόνει, καὶ ἠῤῥώστει, δειπνήσας δὲ τότε βαρὺς ἦν, πολὺ μᾶλλον βαρύνοιτο. i. si tunc impransus laborauerit, atq; ægrotauerit, assumpta aũt cœna grauatus fuerit, multo magis eum grauari par est. Pars hæc, sm Galeni sententiam hoc modo intelligaf. si impransus prædicta inciderit symptomata & cœnet minus solito, tñ noctu uexef: igif si plus cœnabit, tanto magis aggrauabitur. tñ nihil impedit, ut intelligamus tam de cœna in quãtitate consueta, q̃ in minori: quia si à minori uel à consueta uexaf, tanto magis à maiori uexabif. Forte dices, in cœna minori non uexari, quia ut in sequẽti dicef sententia, qñ errorem à dimisso prandio factum corrigere uolumus, minus solito cœnare debemus: igif si minus solito cœnabit, uexari non debet: igif Hippocrates de cœna minus solito accepta intelligi non potest. Respõdemus pro Galeni salute: & si cœna minus solito accepta initium sit correctionis, tñ ex hoc nõ auferf, quin & noctu uexetur, ob imbecillitatem in uentriculum iam cõtractam, & ob flatus ac bilem, quę illuc deuenere: tñ & si uexet cœna in parua quãtitate sumpta, parum uexat, & cito corrigif. cum uero parua uexet, multo magis ampla uexabit. Non desunt qui intellexerint, cœnam esse tantam, quanta simul sunt prandium & cœna: ut Hippocratis argumentum hoc modo fiat: si cœna sm consuetudinem sumpta noctu uexat: igif cœna magis uexabit, quæ totam recipit cibationem, quę mane & uesperi sumi debebat. hoc prorsus uerum est, sed inepte dictum, cum nullus in hoc ambigat, tãtam. s. cibi copiam obesse, quanta satis est in cœna & prandio, propterea Galenum potius sequamur, ut dictum est,

εἰ δέ γε ἔτι πλείονα χρόνον κενεαγγήσας, ἐξαπίνης μεταδειπνήσειεν, ἔτι μᾶλλον ἂν βαρύνοιτο. i. amplius si multo tempore uasa exinanita fuerint, & repẽte cœnauerit, magis adhuc grauabif. Tria sunt tempora q̃bus potest cœnare is qui non pransus est: unum est ante horam cœnæ consuetam: aliud hora cœnæ consueta: tertium post horam cœnę cõsuetam: quanto magis hic cœnam tardabit, tanto magis lædef: qm̃ tãto magis pmanebunt uasa exinanita, sm Galenum hoc sit argumentum: qui non prandent, & prandere assueti sunt, si cito cœnẽt, tñ læduntur, quia uasa per aliqđ spatium fuere exinanita. igitur si longius spatium ptendant, adhuc magis grauantur, & tota ratio est, quia uasa remanent per longum spatium exinanita.

At dices, nonne posset esse in tam breui distantia ab hora prãdij, q̃ non noceret: Respondemus, tunc pro prandio computaretur, & si non cœnaret, hominis non cœnantis symptomata assueti tamen cœnare, contingerent.

GALENVS. Qđ aũt huiusmodi est. Si qui preter consuetudinem impransus pmanens minus cõsueto cœnauerit, nocte grauef: multo magis grauabif qui solito plura est cœnatus. Qui aũt plusculo tpe exinanitis uasis repente cœnauerit, magis adhuc grauabif. Nempe qui impransi præter consuetudinem pmanent, horum alij ad minus tpis inediam ptendunt, alij ad lõgius interuallum. hos igitur grauari adhuc magis ait.

BRASAVOLVS Primo, breuibus uerbis narrat Galenus qđ ab Hippocrate dicatur, nempe inquit, si qs præter consuetudinem prandium dimiserit, & minus consueto cœnet, nocte tñ grauatur, quamuis cœna minor sit consueto, tanto igitur magis grauabitur, quanto cœna fuerit arctior solito, & plenior. ut arguat, si à minori læditur, tanto magis à maiore lædetur.

Secundo, Galenus ad tempus transit, si qs plusculo tempore uasis exinanitis repente cœnauerit, magis adhuc grauabit, q̃ .f.is qui non plusculo tempore id egerit, tñ grauatur. nam qui præter consuetudinem impransi pmanent, ita distinguuntur, ut alij inediam ad minus temporis ptendant, alij ad lõgius interuallum. & hi sunt de qbus dicit Hippocrates, q̃ magis grauantur, tñ & primi grauanť quanquam non tantum distet hora prandij à cœna. possent & hæc duo simul iungi, & tunc magis lædũtur. s. si abundantius cœnet consueto, & cœna longius distet à prandio.

## Hippocrates. Sectio XXVIII.

Quibus igitur præter consuetudinem uenæ sunt inanitæ, ii eodem die ueniunt reficiendi. Vitent in primis frigus, calorem, & laborem· nempe hæc omnia moleste ferunturː deinde cœnam solito minorem faciant, eamq; non siccam, sed humentiorem : deinceps bibant, neq; dilutum, neq; minus q̃ ingestorũ ratio postulat: postero autem die pauca prandeant, ut accessione sensim crescente, ad consuetudinem redeant.

BRASAVOLVS Hippocrates in hac sententia correctiones discriminum contingentium ponit, in his qui assueti sunt prandere & non prandent, sicuti superius, & eorum symptomatum curationem posuit quæ in his contingebant qui non erant assueti prandere & prandebant. qui igitur præter consuetudinem uenas habent exinanitas, isti pfecto eodem die reficiendi ueniũt, & per hunc modum sunt regendi. Primo frigus euitare debẽt & calorem, atq; laborem· nam hæc omnia ab his moleste feruntː postea hi cœnent, sed longe minus q̃ consueti sintː præterea, cœna ipsa non sit sicca, qa satis uasa exiccata sunt, sed sit humentiorː præterea, hi bibãt, & uinum neq; sit dilutum, neq; sit in minori copia, q̃ postulet cibus sumptus, qm̃ iuxta cibi quantitatem bibendum est. hæc faciat illo die, quo prandium omisit. sequenti die hora prandij cõsueta pauca quędam prandeat & cœnet, sed parũ plus q̃ præcedente die. tertia die prandium sit amplius, & cœna quoq; amplior sit, ut ita sensim ex accessione ad suam consuetudinem trãseant. itaq; omnia corrigenť symptomata, quæcunq; inducta sunt ex prandij dimissione inconsueti, modo non superuenerit febris, ut qñq; contingere dicit Hippocrates ex prandij dimissione in libro de prisca medicina, tunc autem opus est iuxta febris genus, in uictus ratione ægrũ regere, & nõ modo isto ab Hippocrate enarrato.

τὸν μὲν οὖν παρὰ τὸ ἔθος κενεαγγήσαντα, συμφέρει ταύτην τὴν ἡμέρην ἀντισηκῶσαι ὧδε. i. illos, qbus præter consuetudinem uasa sunt exinanita eadem die sic reficere confert. uenarum & uasorũ exinanitio Hippocrati nunquam placet. ppterea iubet non expectandum, sed eadem die corrigenda. & recte inquit uasa exinanita, nam quis posset prandium dimittere quia nimis ample cœnauerit, tuncq; non esset exinanitus.

ἀῤῥιγεῖν, καὶ ἀθαλπεῖν, καὶ ἀταλαιπωρεῖν. i. uitent frigus, & calorem, & laborem. Hic petes cur frigus euitare debeãt, cum is qui ita est affectus ut uasa sint exinanita, calorem habeat intensiorem q̃ prius & ferè igneum, frigus igiť euitare non debentːRespondemus, intelligit euitandum esse frigus intensum, & tale ut superficiarium calorem extingueret, nam calor hic intensior & ignitus est intus. Adde frigus posse qdem huic caliditati obstare: at siccitati inductæ obstare non posset.

Dubitabis & de calore quomodo huic qui prandium dimiserit obesse possit, si & frigus ipsum eidem obsit, cum duo contraria idem efficere non possint. Respondemusːduo contraria idem quidem efficere posse, sed modo diuerso· nam calor & frigus hominem interficiunt, sed modo diuerso· nam calor id facit totum humidum resoluendo, & exurendo, frigus uero naturalem calorem extinguendo. Ad rem igitur. calor obest, quia calorem inductum auget, & magis exiccat, & exinanit, q̃ prius fuerit exinanitũ, frigus uero calorem extinguit & obest, qa siccitatem non corrigit, sed & ipsum exiccat. Forte & de labore dubitabis, an habenti exinanita uasa obesse possit, quippe qui ita habent uasa exinanita laborant, at labor labore curať, ut ipse Galenus docet in. 3. de sanitate tuenda. igitur & hic laborare potestːRespondemus, cum in hoc sit fames, & iuxta Hippocratis Aphorismum ubi fames, laborandum non est. ppterea in hoc casu non est opus laborare, neq; defatigari, qđ uero à Galeno præcitato dicitˊ loco, in his intelligitur qui plena habent uasa, & qui paucos habẽt in corpore humores, qui moti sunt & non euacuati. hæcq; una est ex lassitudinis speciebus à Galeno in eo libro enarratæ. conueniens igitur est hæc una euitare intensa, frigus, calorem, & defatigationem.

ταῦτα γὰρ ἅπαντα βαρέως ἂν ἐνέγκοι. i. etenim hęc omnia moleste feruntur· hæc inquam omnia quæ dicta sunt, qm̃ uirum impransum lædunt, qui habet uasa exinanita. hæc est ratio quam de his Hippocrates reddit.

καὶ τὸ δεῖπνον συχνῷ ἔλασσον ποιήσασθαι ἢ ὅσον εἰώθει. i. & cœna multo minor instituenda est, q̃ pro cõsuetudine, qm̃ uẽtriculus est male affectus, ut possit cœnam ferre, & non perturbari, cœnam dat minorem solito. At inquies, cœna etiam solito minor lædet, ut superius ex Galeno colligitur hoc modo argumentãre· cum minor cœna obsit, maior multo magis oberitːRespondemus, & si aliquo obsit modo, tñ non sunt dimittenda uasa amplius exinanita, præsertim cum hoc nocumentum facile secunda uel tertia die corrigatur.

καὶ μὴ ξηρὸν, ἀλλὰ τοῦ πλαδαρωτέρου τρόπου. i. quæ non sit sicca, sed humidiori modo facta. non uult cœnam esse siccam. siccam uero intellige cœnam, in qua edulia comeduntur solida, ut panis, caro assa, qa hæc magis exiccabunt uasa iam exinanita & sicca. uerũ cœna sumenda humentior esse debet, hoc est iurulenta, & ex his quæ non solum uirtute, sed & actu humectant, nam assa caro uirtute humectat. Forte dices, cũ hæc humida cœna detur, ut siccitas ex omissione prandij contracta corrigatur, hoc non uideri posse contingere, qa æqualis est ratio humidi in correctione sicci, ut frigidi in correctione calidi. at calidum in his frigidum non corrigebat, imo Hippocrates frigus euitandum iubebat. igiť nec humidum in his debet posse corrigere siccum. Respondemus non esse æqualem similitudinem, nam corpus præcipue in siccitate peccabat, & non in caliditate, quamuis & caliditas fuerit reddita magis intensa. Adde cœnæ humiditatem imbecillius non reddere, sed potius roborare. nam si hoc humidum cõsideremus est cibus & medicina, frigus uero potissimum aeris, de quo intelligebat, non hz has dotes. uel & hic nimis humidum accipi non iubet, sed id qđ actu & uirtute humectet, nõ tñ extreme humectet.

καὶ μετὰ ταῦτα πιεῖν μὴ ὑδαρὲς, μήτε ἔλασσον ἢ κατὰ λόγον, τοῦ βρώματος. i. & post hæc bibant, neq; dilutum, neq; minus q̃ ingestorũ ratio postulat. Iubet uinum non debere esse dilutum, ut uentriculum roboret, neq; minus esse debet, q̃ ingestis conueniat cibis, alioqui non humectaret ut satis est, cum corpus ob inediam perpessam sit exiccatum. At dicere posses Galenum in. 3. Methodi medẽdi libro, de ulceribus loquens, primo docet, illa debere esse sicca quæ ulceribus cõueniunt, postea addit. uinum igitur omnis ulceris, quo ulcus est, optimum est medicamentum. necessarium igiť est uinum siccitatem habere & ulcera exiccare. Respondemus conuenire, qa abluit, abstergit, roborat, & sua caliditate superfluam humiditatem exiccat. tñ non est siccum, sed humidum, potissimum dum nutrit. de hac uero humectatione uini & exiccatione aliàs uberrim egimus. nunc satis sit uinum humectare, cum bibitur, & in nutrimentum conuertitur.

Forte ambiges num potus plus esse oporteat, q̃ postulent ingesti cibi· nam hoc ab Hippocrate innui uideť, dicente, ut non sit minus q̃ ingestorũ ratio postulet. quippe hoc indicat, aut æquale esse debere, aut superare. at si plus sit, uẽtriculo oberit,

quia

quia cibus in illo exundabit. Respondemus, intelligit Hippocrates aequalem esse debere, neq; plus, neq; minus. at usus est hoc loquendi modo, minus q̃ conueniat excludẽs. nam & malum esset, si minus quàm conueniat, insumeret. ferri uero posset, si par plus esset, quàm conueniat, sed non multum excederet. neq; per hoc uentriculus exundaret, qa par excederet miscellam cibi cum potu, tñ si sit sm rationem ingestorũ, & neq; plus, neq; minus egregius est. Addeq; cum potus superat, in causa est ut cibus descendat incoctus. Respõdemus id esse uerum, cum multum superat, cum uero par superat, id nõ facit. Item dices, cum id qd' sumi debet humidum esse oporteat, potus uidebitur superfluus: Respondemus non esse superfluum potum, qa cibi non sunt tam humidi, ut pura sint ius, sed & carnes simul & panis aderunt, & alia quae masticantur. haec uero cum solida sint, potum expetunt.

καὶ τῇ ὑστεραίῃ ὀλίγα ἀριστῶσι, ὡς ἐκ προσαγωγῆς ἀφίκωνται ἐς τὸ ἔθος. i. & postero die pauca prandeant, & ex additione ad consuetudinem redeant. hoc ex additione in .j. libro expositum est Sectione. 20. quippe paulatim fit, & per cremẽta sensim facta, ut secunda die prandeat hora consueta pauca, tertia die augeat; quarta adhuc augeat, quoad in sibi assuetam consuetudinem perueniat. Idemq; agendum est in coena, paulatim crescere debet, & paulatim coenae assuescere, quousq; in quantitatem naturalem peruenerit.

GALENVS. Vt eorũ qui praeter consuetudinem pranderunt detrimenta emendauit, sic & eos qui quòd semel dũtaxat die praeter cõsuetudinem ederunt afflicti sunt, uult in primis uitare tum calorem tum frigus tum labores: haec nempe omnia moleste ferri ait. Adde q & minus solito coenare ipsos iubet: quanquam pleriq; maxime contra agant. Nã prandere ob negotium aliquod prohibitos, uolunt in coena & eam quae in prandio omissa est assumere alimoniam, haud scientes q eget quidem uere alimonia omissa corpus, sed ipsam cõficere non possit uentriculus ob longiorem abstinẽtiam laesus afflictusq;. Quinetiam Hippocrates ut alimoniae minus uult exhiberi, ita & eam humidiorem. Nempe huiusmodi alimonia exiccatis tum uentri tum corpori uniuerso peculiare auxilium praestat. Roborare praeterea & uentrem ipsorũ iubet uini potu, neq; dilutum, neq; minus q̃ cibi proportio exigit potandum praecipiens. Dilutum enim uentris robur exoluit. Minus uero q̃ cibi proportio expostulat, uentri arefacto inhabile existit. Postero tandem die ita affectos uictum prospicere iubet, qui Hippocratis praecepto consuetorũ ciborũ minus ingerere debeant: ut sensim paulatimq; in pristinam redeant consuetudinem.

BRASAVOLVS. Primo, Galenus notat, ut superius Hippocrates eorũ detrimenta emendauit, qui praeter consuetudinem pransi sunt, hic illorũ detrimenta emẽdare intendit qui semel dũtaxat die praeter consuetudinem edere, & ob id praue affecti sunt.

Quod legitur afflicti sunt, graece est κακωθέντες.

Secundo, Galenus Hippocratem interpretaẽ, qui iusserit primo euitanda esse calorem, frigus, & labores. & rationem reddit Hipporates, qa haec omnia moleste feruntur. Adde iubere Hippocratem illos coenare minus solito. tñ pleriq; oppositum faciunt, magis solito coenant cum non sunt pransi. Sunt enim nonnulli qui plerũq; ob negotia coguntẽ dimittere prandium, qui uolunt deinceps in coena tantum alimoniẽ insumere, quantum in prandio & coena simul insumpsissent. hi uero ignorant & sciunt: sciunt corpus omnino omissa indigere alimonia, & ob hoc illam quaerunt: ignorant uero uentriculum non posse illam conficere, qm̃ ob longiorem abstinentiam laesus est & afflictus, neq; assuetus erat tantam coquere copiam, quanta est prandij & coenae simul alimonia.

Tertio, Galenus notat, Hippocrates ut iubet, minus alimenti exhiberi, ita & id humidius uult exhibendum, ut siccitas inducta, à prandij ieiunio corrigaẽ. hoc enim humidum alimẽtum peculiare est & uentri & toti corpori exiccatis auxilium. sunt uero ob ieiunium exiccata, & maxime est ob unius prandij ieiunium, praesertim apud Graecos, qui pergraecari & tuburcinari usi sunt, quanquam & nunc omnes Graeci uideantur.

Quarto, Galenus notat & Hippocratem iubere uentriculum roborandum uini potu, qd' uinum neq; dilutum sit, neq; minus sumatur, q̃ exigat proportio ingesti cibi. dilutum esse non debet, qa uentriculi robur exoluit & relaxat, uẽtriculum, q; imbecillitat, & omnes naturales partes quẽ cibum & potum recipiunt: minus q̃ cibi expetat proportio dari non debet: qm̃ si minus detur, ad aretactum iam uentrem nihil facit, neque ipsi aptum est, neq; humectare potest qd' exiccatum est. propterea aut tantum potus praecise dandum quantum satis cibo sit, aut si peccandum, in maiori potius copia peccandum: tñ non sit multo maior haec copia, ne cibum subducat.

Quod legitur uẽtris robur, graece est τὸν τόνον τῆς γαστρός. est uero res alia tonus, alia robur. uentris enim & uentriculi tonus. i. coquendi moderantia, & sua uis, & sua temperies, & sua concordantia ex diluto exoluitẽ uino, intellige uero egregie dilutum. nam si tres tantum, uel quatuor aquae guttae adderentur, ut Galli faciunt, non esset dilutum uinum, sed potius haec aqua uires quas habet excitat, & quodammodo ex hac modica aqua uires colligit, & in unum coadunat.

Denique id notat Galenus qd' ab Hippocrate in sententiae calce scriptum est, iubet homines ita affectos sequenti die uictui prospicere debere. nam uult Hippocrates & hoc & consueta cibaria esse sumenda, & in minori quantitate quàm sit assuetus, ut ἐκ προσαγωγῆς. i. sensim & paulatim ex additione in pristinam consuetudinem reuertatur.

## Hippocrates. Sectio XXIX.

### Talia uero molestius ferunt, qui parte superiore picrocholi existunt.

BRASAVOLVS. Variae sunt hominum temperies, utq; uariae, ipsi uario modo ab his quae sumunẽ & relinquuntur affici solent. en igitur inter homines aliq sunt bile amara abũdantes, quos picrocholos uocant: hi prae alijs molestissime hanc ferunt inediam & prandij dimissionem, praesertim illi qui in superioribus partibus bile abundant: bilis enim in his abundat in uentriculo & supernatat, uentriculumq; ipsum & eius os uitiat: pituitosi uero natura, & quibus in uentriculo pituita adest, hi facilius ferunt prandij omissionem.

αὐτοὶ μέν τοι σφῶν αὐτῶν ἀχθοφορώτερον δὲ τὰ τοιαῦτα φέρουσιν οἱ πικρόχολοι τὰ ἄνω. i. talia uero molestius ferũt, qui parte superiori picrocholi existunt. Omnia superiora de prandij omissione, molestius ferunt, qbus in partibus superioribus abundat bilis amara, & ob id picrocholi nuncupanẽ. an uero hi prandium molestius ferant qñ prandent & non sunt assueti: dicimus forte non adeo moleste ferre. Scito autem cum bilis in uentriculo abundat, in parte superiori abundare dici potest, & in inferiori si modo ad intestina moueaẽ, & per anum exeat, hi picrocholi ad inferiora dicuntur. at cum in uentriculo supnatat, & per uomitum exit, hi picrocholi ad superiora uocantur. obsunt quidem & prandij dimissiones picrocholis ad inferiora, sed non tam uehementer ut picrocholis ad superiora, qa in illis tendit ad intestina, & exit: in his supnatat, & uentriculum male afficit. simpliciter uero picrocholi sunt qui bile amara abundant. De picrocholis Galenus. 6. Methodi agit, et hanc Hippocratis sentẽtiam adducit inquiens. in libro autem de acutorũ uictu, quem aliq Cnidijs sententijs adscribũt, cum de his disputat qui solitum prandium dimittũt, etiam huius naturae hominum meminit, picrocholos eos graece quasi amarae bilis homines ab redundante. s. succo nominans. habent uero eius uerba se ad hunc modum. sed & qui bis die comedere cõsueuerũt, ij si non prandent, aegrotant, tum imbecilli fiunt, ac timidi ad quoduis opus, praeterea cordis dolorem sentiunt, siquidem suspẽsa illis uiscera uidentur, & calidum croceumq; mingunt, & deiectio uritur: sunt praeterea qbus os uentris amaricat, oculi cauanẽ, tempora saliunt, & extremae partes frigẽt. Haec ubi praedixit, mox alia quaedam, tum de coena, tum de

nocte, ad finem sermonis ait. huiusmodi notæ homines, quos picrocholos uocat, tum unicum in die uictum, tum inediam, q̃ alios homines difficilius ferre, unam nimirum in eo libro exponens partem eorum quæ in .6. epidimion monuit in uniuersum. Hactenus Galenus, ubi excerpit hãc sententiam adduxisse pro picrocholis & calidis naturis exponendis. Scitoq; in .3. commentario in .6. epidimiorum Sectione .18. Galenum de biliosis & sanguinis inopia laborantibus, & de pituitosis & sanguinẽ multum habentibus non pauca disseruisse, & quæ sequantur si cibentur, uel si in inedia seruentur.

GALENVS. Iam & ego paulo ante dixi picrocholos .i. amaræ bilis homines, subitaneam eam quæ à uictu ad abstinẽtiam fit digressionem pituitosis difficilius molestius'ue ferre. Bilescit siquidem ocyus his totus tum corporis tum uentris habitus. Sed quare non simpliciter dixit picrocholi: at parte superiore? Nempe cũ flaua bilis quam & pallidam & amaram nominant, superiori supernatat uentri, iure optimo tales parte superiore picrocholos dicimus. Cũ uero per sedem dimittit, parte inferiore picrocholos asserimus. Paulo siquidem rhetori qui toto corporis habitu pituitosus erat, diebus singulis supernatabat flaua bilis, primamq; ipsam uomebat à lauacro non paucam. Eudemo autem philosopho qui temperamẽto biliosus erat, per sedem deminebatur: rarooq; is, quãquam aliqñ, pallidam uomebat bilem. Vt autem Pauli excrementa bilis exiguum habebãt, ita & Eudemi multum. Qui igit̃ præter consuetudinem nõ prandent, si & toto corporis habitu, & superiore uentre picrocholi fuerint, his necessario contingunt quæ paulo ante dixi omnia. At qui uentre duntaxat superiore picrocholi existunt, his tolerãdi difficultas similiter continget: sed ex reliquis symptomatis alia quidem nullo pacto erunt, alia erunt quidem, sed moderatiora. Prædixit quoq; & eos qui præter consuetudinem non prandẽt, timidos ad quamuis operationem esse, stomachi erosionibus affici, pensilia uideri ipsis uiscera, calidum & uiride meiere, exuriq; excrementa: aliis os amaricare, oculos cauari, tempora palpitare, & extrema perfrigere. Sed horum alia toto habitu picrocholis contingunt magis, alia autem superiore duntaxat uentre talibus. Atq; ob id ad quamuis operationem timiditas, extremorum perfrictio, mictus calidus uiridisq;, deiectionum adustio, cauatio oculorum & temporum saltus, toto habitu picrocholis usu eueniunt. Vtrisq; autem pensilium uiscerum opinio, & oris amaritudo. Nam ob insuetam abstinentiam, tum suspensa, tum pendula percipiunt uiscera. Verum ob bilis exuperantiam picrocholis toto corpore os amaricat: non q; affectio in ore magis fiat, sed q; sentiendi partem eam natura generis humorum discretoriam fecit. Venter autem magis quidem his exuritur, quibus ex hepate in uentrem bilis effusa supernatat, minus autem quibus deorsum mittitur. Nam his quidem intestinum prouocat ad excretionem, illis uero stomachum mordet. Ob eã rem Eudemus diebus singulis bis, & interdum ter deiiciebat. Paulus autem interdum nullo pacto excernebat. Nisi etenim intestina à mordente aliquo irritent̃, uel copioso excremento grauent̃, excretionis promptitudinem non accipiunt. Neutrum horum impransis contingit, neq; enim mordentur intestina bile in os ascendente, atq; illa non mordente contristanteq;. Neq; grauitas his fit, qui nullo pacto comederunt.

BRASAVOLVS. Primo, Galenus id notat qđ superius in Sectione .25. prædixerat, picrocholos .i. amaræ bilis homines subitam illam mutationem difficilius ferre, quæ à uictu ad abstinentiam fit, q̃ pituitosos. nam in his hominibus amara bile abundantibus, totum corpus ocyus bilescit & uẽter, & horum habitus. Sed à Galeno dubitat̃, cur Hippocrates simpliciter non dixit picrocholi, uerum addiderit periculum parte superiore: Respõdet, esse duplex hominum genus. nam alii habent bilem flauam, quæ in superiori uentris parte supernatat, & potius per uomitum exit, q̃ per secessum. hi picrocholi nominant̃ parte superiori. non enim dicendum est esse parte superiori picrocholos, qui bilem in capite habent: quamuis & hi in parte superiori bilem habeãt. alii sunt homines, quibus bilis per sedem dimittit̃, & hi dicũtur picrocholi parte inferiore. & quæ dicta sunt symptomata, prãdere assuetorum & non prandentium, parte superiore picrocholis molestius contingunt. Scito tñ his non contingere omnia symptomata, sed partem solum, ut postea in Galeno annotabimus. Sed inquies, nonne sunt & alii qui toto corporis habitu picrocholi sunt, & non tantum superiori parte uel inferiore? Respondemus esse profecto. nam qui natura simpliciter biliosi sunt, tales sunt, ut Galenus ostendit. nam qui sunt picrocholi parte superiore uel inferiore, possunt esse pituitosi simpliciter natura, uel atrabilarii, ut erat Paulus rhetor, de quo mentionem facit Galenus, qui natura pituitosus erat, & simul picrocholus parte superiore. qui uero sunt natura biliosi, possunt esse picrocholi parte superiore uel inferiore, ut de Eudemo philosopho testat̃ Galenus, qui erat natura biliosus, tñ erat picrocholus parte inferiore: nam hoc esse picrocholum parte inferiori uel superiore, nõ est naturalis temperies, sed est bilis motus ad partem superiorem uel inferiorem.

At ambigere poteris, cur Galenus picrocholos parte superiore pituitosis comparauerit: nam tales comparationes potius fieri debent ad hominem temperatum, qm̃ ut in libro de temperaturis habemus, naturarum comparatio ad illam fieri debet quæ temperata est: Respondemus omnino in suo genere comparationem semp fieri debere ad temperatum, tñ gratia amplioris lucis nihil refert & comparationem fieri ad cõtrarium. Adde conueniens fuisse ad pituitosum comparare, quia illi facilius ferunt ieiunium, q̃ faciant temperati. Et forte differentia nocumẽti uentriculi temperati & biliosi in talibus hominibus non esset tam nota, ut biliosi & pituitosi, tñ uerum est minus offendi uentriculum temperatum, uentriculo bilioso. Notaq; cũ biliosum superiore parte ad pituitosum comparat, non intelligit uentriculum esse natura biliosum, sed bile abundare. nam pituitosus esse põt & bile abundare, ex opposito de pituitoso, & de pituita, quæ & ipsa in bilioso abũdare posset ut in dies uidetur. possemusq; uocare illos pituitosos parte superiore, quibus pituita potius euomitur, q̃ descendat, & pituitosos parte inferiore quibus descendit, ut in sequenti sententia explicabit̃.

Quod legitur, at parte superiori: græce est ἀλλὰ προσέθηκε τὰ ἄνω. i. sed adiunxit, parte superiori.

Qđ legit̃ & pallidam & amaram nominant, illa particula pallidam græce est ὠχρὰν, nos luteam potius interpretãdum ducimus: quãuis & Hermolaus & alii doctissimi uiri ὠχρὰν pallidam interpretent̃, nobis autem ita interpretari magis arridet. Secundo, Galenus duos refert casus duorum uirorum apud omnes notorum qui picrocholi erant: unus parte superiore, alter inferiore. fuit quidam Paulus rhetor qui pituitosus erat toto corporis habitu: huic supernatabat diebus singulis flaua bilis, & à lauacro multam talem flauam bilem euomebat, quamuis esset pituitosus, quia in quocũq; homine bilis generat̃. at Eudemus philosophus qui erat temperamento biliosus, per sedem demittebat bilem, & hic rarissime eandem bilem euomebat, tñ nonnunquam ob redundantiam luteam euomebat. Si utrorũq; inferna excrementa considerauissemus, palàm est, q; Pauli excrementa, aut bilis nihil, aut exiguum habebãt. unde pallida esse debebant: Eudemi uero debebant esse biliosa, & plurimum biliosa. neq; hoc mirum sit, q; bilis in aliquibus descendat, cum tñ sit calida & ascendere apta, qm̃ in multis etiam ad uentriculum non mittit̃, sed tantum ad portonarium uocatum, imo ut alibi Galenus edocuit, is bilem euomebat, cui in fundum uentriculi ferebat̃. Nescio an hic Paulus fuerit Tyrius orator, qui sub Adriano legatione functus est. scripsit artem rhetoricam, præexercitationes, & declinationes, & ut ferunt Tyrum metropolim constituit. non arbitror tñ hunc fuisse. sed potius alter fuit Paulus Galeni tpe. idem de Eudemo sermo: quanquã apud Suidam & alios authores de multis sub hoc nomine Eudemus, mentio facta sit. Hippocrates in .7. de morbis uulgaribus, mentionem facit Eudemi, & de altero uerba habuit Eudemo libro .5. tñ nullus horum fuit Galeni Eudemus. at is de quo hic loquitur, est Eudemus ille de quo mentionem fecit in

2.de

2. de temperaturis ad hoc propositum Galenus.

Inquit Paulum quotidie euomisse nō paucam bilem μετὰ τὸ λουτρὸν. i. à lauacro, q̄a antiqui quotidie balneo se lauabāt. non intelligo antiquos manus et faciem lauasse, quoniam & hoc in præsentiarum fit, sed intelligo uniuersum corpus lauasse.

Quod dicit de Eudemo pallidam bilem, iterum est ὠχρὰν.

Tertio, Galenus notat hos qui pręter consuetudinem nō prandent, si sint toto corporis habitu picrocholi & etiam parte superiore, necessario omnia incidere incōmoda & omnia symptomata supius enumerata. idq̧ contempleris uelle ut sit natura bibosus, & præter id etiam superiori parte picrocholus. nam fieri potest ut unus sit natura bibosus, tn̄ pituita in uentriculo abundet, uel bilis descendat ad intestina, ut in Eudemo dictum est. ꝑpterea Galenus utraq̧ specificauit, & q̄ natura bibosus sit, & q̄ superiori parte abundet bilis. Scitoq̧ his omnia præscripta contingere. tn̄ si q̄s non sit natura bibosus, & parte superiore sit picrocholus, huic omnia prædicta symptomata non contingunt, sed aliqua cōtingunt, alia nequaquam, alia fient moderatiora, tn̄ hoc semꝑ aderit, inediam ferre difficulter, & hæc aderunt, os amarū, oculi cōcaui. reliqua & adesse et abesse poterunt, tamen hi non habebunt stercus adustum si fuerint pituitosi natura.

Sed inquies, si totum corpus sit bibosum, uideri & superiorem partem esse bibosam, ꝑpterea supfluum esse dicere, tota temperie esse bibosum, postea addere, & parte superiori. Respondemus, imo non esse supfluum, q̄a totus potest esse bibosus, tn̄ bilis non moueatur deorsum, sed sursum, & supernatet, quoniam ut dictum est superius esse uel inferius temperiem nō notat, sed talis humoris motum ad has partes notat.

Quarto, Galenus ostendit Hippocratem in sententia. 24. prædixisse illos qui praeter cōsuetudinem non prandent, ad quamuis operationem timidos esse, stomachi erosionibus affici, uiscera his pendere uideri, calidum & croceum mingere, & excrementa exuri, alijs uero os amaricare, oculos cauari, tempora palpitari, & extrema ꝑfrigere. Sunt decem symptomata, si calidum lotium à croceo distinguamus. Notat uero Galenus horū aliqua, his magis contingere qui sunt toto habitu picrocholi. alia uero his cōtingunt qui sunt tantum uentre superiore tales. Et si petas, quæ illa sint quæ toto habitu picrocholis cōtingunt, hæc sunt ad quamlibet operationem timiditas extremorū perfrictio, mictus calidus & croceus, deiectionum adustio, oculorū cauatio, & temporū saltus. picrocholis uero toto habitu, & picrocholis toto corpore, uiscera pendere uideri, & oris amaritudo. nam ob insuetam abstinētiam uiscera suspensa uident & pendula, ob bilis uero experientiam toto corpore picrocholis os amarescit, nō q̄ affectio in ore magis fiat, sꝫ q̄ natura partē illā sentiēdi talis generis humorū discretoriā fecit.

De excrementorū exiccatione forte ambiges, quæ in his ita fieri uidet, qui in uentriculo solo picrocholi sunt, & in his qui sunt toto corpore picrocholi. nam in utroq̧ excrementa adurūtur, qm̄ bilis ad intestina quæ mordicet, & excernere faciat. unde hi solum post longum tempus excernunt cum aggregata fuerint excrementa. itaq̧ in intestinis, tum ob moram, tum ob calorem, qui ob inediam uehementior euadit. Respondemus, nō esse æqualem rationem, qm̄ ex una solum causa excrementa exiccantur, in uentriculum solum picrocholum habētibus, ex bile inquam, quæ ad intestina non transmittit. ꝑpterea diu in intestinis morantur, & ita exiccantur, sed in natura biliosi & toto corpore, præter dictam causam, q̄a bilis ut supponit, ad intestina non transmittitur. adest præterea ob bibosam temperiem totius corporis caliditas atq̧ siccitas, quæ excremēta exiccant, unde & in picrocholis solum uētriculo, & toto corpore, fiunt q̄dem excremēta arida, sed modo diuerso, ut uidere licet.

Petes præterea, cur temporū motus pulsare sentiatur, & non aliarū arteriarū, cum non sit maior ratio, ut hæ temporales arteriæ pulsent, q̄ aliæ? Respondemus, in temporibus pulsationem sentiri, q̄a naturalis calor ob bilem quæ in toto corpore abundat, in igneum quodāmodo transiuit, unde & totius corporis arteriarū pulsatio maior fit atq̧ frequentior. uerūtamen is pulsus & is motus magis ꝑsentitur in temporibus, q̄ in alijs partibus, cum arteriæ in hoc loco sint magis detectæ, q̄ in alio quolibet loco. Et si petas, cur hic motus in picrocholis toto corpore solum sentitur, & non in picrocholis uentriculo tantum? Respondemus, bilem illam quæ in uentriculo tantum abundat, ad tempora non diffundi. at in toto corpore picrocholis per totum corpus diffusa est, & in hoc eminentiori loco manifestam motionem facit.

Item ambiges uideri oris amaritudinem prius fieri in picrocholis in uētriculo, q̄ in toto corpore, ob uentriculi ꝓpinquitatem ad os & ad linguam. Respondemus, fieri q̄dem, sed nihil etiam impedire, fieri à toto corpore picrocholis, q̄a à iecore in quo bilis generatur, ad linguam sui adsunt meatus & suæ particulares uiæ, per quas bilis ad linguam trāsmitti potest.

Nec illud prætermittes, non uideri Galenum symptomata omnia quæ dimittentibus prandium contingūt, sufficienter enumerasse: nempe uirium defectum prætermisit, & de illo Hippocrates mentionem fecerat: Respondemus, id forte prætermisit, qm̄ uirium defectus in unoquoq̧ contingit. Sed petes quinam horū magis deficit? Respondemus, bibosus uentriculo magis deficit, q̄ toto corpore bibosos, q̄a uis magis afficiē, cum bilis in uentriculo mordicat, nempe & cor & cerebrum compatiuntur. nam plerūq̧ in toto corpore abundat bilis, tn̄ nullum principale membrum compatitur ex quo uis deficiat. cum aliq̄ sint picrocholi parte superiore, aliqui parte inferiore. Forte petes, in q̄bus uis magis deficiat? Respondemus, in picrocholis magis deficere parte supiore. Et si dicas, picrocholos alui ꝓfluuium incidere, qd' facit ad uirium imbecillitatem. Respondemus, & si uentris incidat ꝓfluuiū, & hoc faciat ad uirium imbecillitatem, tn̄ oris uentriculi mordicatio, cū qua & cor & cerebrū compatiuntur, maiorem uirtutis defectum parit, imo & in his in quibus bilis in uentriculo abundat, uomitus etiam prouocatur, qui & ipse ad uirium facit exolutionem, ut alui profluuium.

Forte & de bile dices, si ad intestina ꝓgrediatur, potius feces exiccare, q̄ non exiccare, q̄a calida est & sicca, ꝑpterea exiccandi naturam habet. Respondemus quantum sit ex sui natura, bilem omnino exiccare. at mordicationis ratione, illa quæ in intestinis continentur ad exitum ꝓuocant, intestina mordicans, ꝑpterea exiccandi tempus illi non præstatur: si uero per aliqd' temporis spatium in intestinis ꝑmaneret, exiccare posset, uel possent esse tam pauca excremēta, q̄ cito illa exiccaret. cum uero datur tempus excernendi causa est.

Qđ legiť stōachi erosionibus affici, gręce est καὶ καρδιαλγεῖν. Id qd' legitur generis humorū, & græce est χυμῶν ἰδέας. i. speciei humorū, non est intelligēdum de idea & separata quadam re à sensibilibus. nam idea est species illa cuiuscūq̧ rei in ipsis sensibilibus quæ sensu ꝑcipitur. nam putandum non est per solam speciem quæ est tenuis indiuiduorū similitudo, oris amaritudinem sentiri, sed est per ipsam actu bilem, quæ cum supernatet ad os usque afficit.

Quæres uero cur de picrocholis solum parte supiore loquēs, non dixerit amarū habere os, cum tn̄ in genere dixerit, utrisq̧ esse cōmune pendula habere uiscera & os amarū: de pendulis uisceribus causam cōmuniter reddit, & de toto habitu picrocholis, & de picrocholis solum parte supiore, sed de oris amaritudine reddit solum causam de toto habitu picrocholis, et nō de picrocholis solum parte superiori: Respondemus hanc met rationem, quam de picrocholis toto habitu ponit, deseruire & picrocholis solum parte superiore, nam cum supnatet bilis in ore ꝑsentitur. Et cum aliq̄s dicere posset, cur in ore tātum sentitur amaritudo? Respondet Galenus, q̄a natura in ore tātum posuit & in lingua facultatem discretoriam ideārū humorū, nō quidem omnium, sed ad gustum ꝑtinentium, & saporū ipsorū, ac si dicat, amaritudo in ore sentiť, & non in alia parte, q̄a ibi solum adest instrumētum & organū sentiēdi amaritudinem.

Quarto, Galenus notat uentrem his magis exuri, q̄bus bilia &

iecore in uentrem effusa supernatat, per uentrem autem uentriculum ipsum intellige, qui alibi à Galeno κοιλία, & non γαστὴρ uocatur, minus uero exuruntur, qbus à iecore deorsum mittit bilis. nam in primis bilis supnatat in uentriculo, nec pro emittendis fecibus descendit ad irritanda intestina, sed potius uentriculum mordet. in secundis uero bilis ad intestina transmissa, illa ad excernendum proritat, ut in his feces non detineātur, & ideo exuri non possunt. In primis uero in quibus bilis in uētriculo pmanet, & supnatat, excrementa diutius retinent, et exiccant. & hęc cā est cur Eudemus diebus singulis bis, & interdū ter deijciebat· Paulus uero interdū nullo pacto excernebat. Nēpe duo sunt, quę faciūt ut itestina deijciāt. alioq nō deijciunt. unum est, nonnihil mordens illa irritans. semp uero hæc mordens non est bilis, sed qnq; est atra bilis, qnq; salsa pituita. aliud est, excrementor; copia intestina aggrauantium, ob hanc grauitatem feces emittere cogunt. si hęc duo absuerint, intestina ad excretionem sunt minus ppensa, & non nisi multitudine fecum aggrauata excernunt. At neutrum hor; cōtingit impransis, & qui sunt picrocholi parte supiore, nempe intestina morderi non possunt, bile in os ascendēte. cum enim sursum ascēdit non irritat neq; cōtristat intestina. Adde his etiam non fieri grauitatem in intestinis ob excrementa, qa nihil comedere. qui uero non comedere, excrementa non aggregant. unde in his inferendum est magis aduri & exiccari excremēta. Quot autem modis bilis in uentre aggreget, Galenus in. 2. de temperaturis libro, cap. 6. edocuit, uno modo inqt in eo gigni. alio modo à iecore transmitti. hancq; differētiam Galenus statuit inter bilem in uentriculo genitam, & à iecore trāsmissam, qa bilis in uentriculo genita uirorem porri habet, quæ uero à iecore transmittit, est uel planè flaua uel saltem pallida. Nota uero cum bilis nullibi generet q̄ in iecore, & secunda coctione, hæc bilis de qua nunc Galenus, potius est pituita dicenda. unde & si dicat factum esse non ex pane, neq; ex suilla carne, nec ex aliquo simili, sed factam esse ex aliquo calidiore his, neq; eo boni succi tñ post hęc inquit, quæ uero bilis porrum refert, ijs solis gignit in uentre, qui utiq; concoxerunt male. ut passim sit, si male concoxere, esse rem crudam & non ueram bilem, qa bilis uera calida est & sicca. hæc uero habēs porri similitudinem, non est calida & sicca, alioqui esset bilis prasinea, quam qui euomeret, obiret, qm̄ ex superabundanti fit calore. uer; cum hæc in his facta sit qui male concoxerūt, caliditatem non habet & siccitatem, sed potius frigida est & humida, & pituitæ naturam sapit. pituita uero in uentriculo generatur, uel in eo generari potest. q̄ autem hoc dici oporteat, ex eodēmet Galeno colligi potest. 2. pgnosticor; Sectione. 39. ubi de porraceo agens uomitu inqt, generari in uentriculo bilem porraceam præter naturam. Additq;, & constat ut hæc sæpenumero in uentriculo gignat ppter quorūdam cruditatem esculentor; aut oler;, qualia beta, cepa, brassica sunt. Et si dicas esse calidam hanc bilem, contra q̄uo calida si ex cruditate factæ præterea dicit esse talis temperamenti, qualis est prædictor; oler; succus. si autem uolueris esse illius generis bilis quę prasinea nuncupatur, scito Galenum in eodem. 2. de temperamentis loco edocuisse, nōnullos habere meatum illum qui tēdit à iecore ad pyloron geminum, & unum meatum. s. maiorem tendere ad pyloron, minorem uero ad uētriculi fundum, quamuis nonnūquam è contrario minor meatus ad pyloron, maior ad fundum uentriculi tendat. ppterea magna bilis copia in uētriculum mittitur, quam hi cogūtur emittere, & si nō emiserint, ualde læduntur, imo debent illam expellere anteq̄ prandeant. qbus uero unus solus est meatus, his tota bilis confluit in ieiunum. & hoc loco facit mētionem Eudemi, qui biliosa mera per sedem ppetuo excernebat, utpote qui multaʒ collegit bilem, cuius nihil in supiorem uentrem puenit, unde Eudemus unum solum habebat meatuʒ ad pyloron. Forte Paulus duos habebat meatus, & maior ad fundum uentriculi pueniebat, minor ad portonarium. Forte aliqs dicet ex hoc meatu bilem prasineamq; in uentriculum diffundi, qa re uera in illo non nascitur, cum ex superabundanti sit caliditate. sed hæc in præsentiarum discutienda non sunt.

## Hippocrates. Sectio XXX.

Non assuetam autem cibi abstinentiam facilius omnino ferunt qui parte superiore pituitosi sunt· quo fit ut si semel die cibo utantur, facilius etiam ferant.

**BRASAVOLVS**

De picrocholis superius egit, quos dixit difficilius inediam ferre, & symptomata facillime enarrata incidere. nunc de pituitosis agit, illos ad picrocholos comparans. dicitq; omnino facilius ferre non assuetam cibi abstinentiam pituitosos parte superiori, q̄ picrocholi, unde & hi pituitosi si semel die cibo utantur, facilius etiam ferunt q̄ prædicti faciant.

τὴν δέ γε ἀσιτίαν τὴν παρὰ τὸ ἔθος οἱ φλεγματίαι τὰ ἄνω εὐφορώτερον φέρουσι τὸ ἐπίπαν. i. inassuetam uero cibi abstinētiam, qui parte superiore pituitosi sunt, omnino facilius ferunt. Scito ut erant biliosi parte superiore, & inferiore, ita inueniunt pituitosi parte superiore & inferiore. nempe illi dicūtur habere pituitam parte superiore, qui illam habent in uentriculo· illi uero parte inferiore qbus descendit ad intestina. hi facilius ieiunium ferūt, qui pituitam in uētriculo habent, q̄ qui bilem· qm̄ qui bilem habent, bilis in ipsis magis accenditur, & maiora facit symptomata· qui uero habēt pituitam, in his pituita magis coquitur, & ita disponit, ut sanguis efficiatur· nempe qd' crudum est coqui potest, ut pituita, quæ cum cruda sit, coqui potest: at qd' coctum est, crudum effici nō potest, ut bilis, sed magis coquitur & accenditur. Nota uero pituitam in uentriculo & parte supiore esse dupliciter· uno modo ut Galenus docet ppe finem. 2. de temperaturis cum ex capite descendit in uentriculum, & ibi colligitur· alio modo qm̄ in uentriculo ipso generatur, nempe in uentriculo pituita generatur.

ὥστε καὶ μονοσιτίην τὴν παρὰ τὸ ἔθος, εὐφορώτερον οὗτοι ἂν ἐνέγκαιεν. i. unde & si semel die præter consuetudinem cibo utantur, facilius hi ferunt, qa pituita ipsa in sanguinem uertitur & coquitur. id bilis efficere non potest, quæ per aliam coctionem exuritur. & ita atra bilis facit, imo & ipse sanguis.

**GALENVS.**

Prius qdem parte superiore picrocholos usum cibi qui semel die fit, difficilius tolerare dixit. Nunc autem ad pituitosos se transferens, pro cibi usu qui semel die fit, inedię meminit ex habente manifestius detrimētum, ad minus noxium translationem ex pportione faciens. Nam si magis quidem lædi eos qui sine cibo totum pręter cōsuetum pmanserunt diem æquū sit, minus autem qui non prandent: & pituitosi picrocholis cibi usum qui semel die fit, facilius ferant, q̄ sanè & inediam facilius ferant, palàm est omnibus. Causa autem cur pituitosi facilius cibi usum qui semel die fit, ferant, ex his quæ antea de biliosis dicta sunt euadit conspicua. nam bilis humor in ipsis inedijs amarior reddit. Pituita uero temporis pcessu coquitur, sanguisq; efficitur, neutra bile in sanguinis substātiam redire ualente: cum ex sanguine qdem plus calfacto flaua bilis generetur, ex eodem uero assato adustoq; atq; etiam ex crasso atra. Pituitæ autem generatio in pituitosis edulijs sanguinem ppetuo anteced: atq; generatione ipsius media cibi in sanguinem transeunt. Neq; hoc deterioribus tantum cibis contingit, uer; & quibusdam eor; qui salubres admodum esse uidētur, ut pani, chondro, semidali. Ego sanè eam quæ mihi optima esse uidetur narraui conscriptionem. Nempe qd' in ea docetur, per se uer; est: atq; continuatam cum his quæ ante dicta sunt, habet seriem i qui optimæ explanationis sunt scopi. Non tñ in exemplaribus omnibus consimilem inuenies descriptionem, sed in alijs & alijs pugnātem. Cęter; aliter in libris ferè omnibus repentur dictio hæc falso sermone, & nullam quæ antedictis continuetur seriem seruante.

**BRASAVOLVS**

Primo, Galenus notat prius ab Hippocrate dictum esse picrocholos parte superiore talem cibi usum difficilius ferre, ut semel in die solum homo comedat qui bus comedere assueti

fit:

Sinnunc uero ad pituitosos sermonem cõuertit. & pro cibi usu qui semel fit die, de inedia mẽtionem facit ex pportione, translationem faciens, ex habente manifestius detrimẽtum, ad minus noxium detrimẽtum. nam manifeste læduntur biliosi, minus læduntur pituitosi ab inedia. unde hæc pportio fieri potest, cum æquum & conueniens sit, ut is qui toto die absq; cibo fuerit magis lædatur, minus uero qui non prandet. ita & pituitosi picrocholis cibi usum, qui semel die fit, facilius ferunt, ut cuiq; manifestum est.

Nota in hac parte à Galeno argumẽtum fieri à minori. arguit uero à mutatione maioris nocumẽti ad mutationem minoris. Pro pfectiori aũt Galeni intellectione scito, in præcedẽti sentẽtia Hippocratẽ de picrocholis dixisse, picrocholos talia molestius ferre. i. prãdij dimissionẽ, et μονοσιτίαν. i. solius unius cibationis inediam. nũc uero de pituitosis loquẽs Hippocrates pro uocabulo μονοσιτίας. i. unius cibationis inedia, posuit uocabulum simpliciter ἀσιτίαν. i. inedia. dicit q̃ pituitosos parte superiore facilius ferre inediam. igitur & facilius inediam ferrẽt unius solius cibationis. ut hoc modo argumẽtetur Hippocrates sm Galenum, pituitosi facilius inediam simpliciter ferũt q̃ picrocholi, igitur & facilius unius cibationis solius inediam ferent, nempe si facilius totam ferunt inediam quæ est magis periculosa, longe facilius unius solius cibationis inediam ferent.

Secundo, Galenus notat causam, cur pituitosi unius cibationis inediam facilius ferant, q̃ biliosi, manifestam esse ex his quæ superius de biliosis dicta sunt. tñ hoc non contentus Galenus, hanc causam reddit, cum in nostro corpore sint quatuor humores, sanguis, bilis, atra bilis, pituita: sanguis est perfecte coctus: bilis atra est fex quæ per cocturam fit, & ipsa cocta & ferè exusta: bilis quæ est uelut spuma, & ipsa est nimis cocta: sola pituita est cruda. omne uero crudum coqui potest & in sanguinem trãsmutari. bilis cum sit ualde cocta in inedia cum calor magis acuitur, & ipsa fit magis amara, & talis efficitur ut exuratur, neq; membrũ aliquod nutrire possit: pituita uero ex hoc coquitur calore, & tempore indiget ad cocturam, sanguisq; efficitur: neutra autem bilis in sanguinis substantiam redire potest: quia flaua bilis ex sanguine plus calefacto gignatur: atra uero bilis ex sanguine eodem assato, & adusto, & crasso fit. at pituitæ generatio in pituitosis edulijs, sanguinis generationem semp præcedit, atq; generatione ipsius inedia cibi in sanguinem transeunt. & hæc non solum deterioribus contingunt cibis, imo & his qui admodum salubres uidentur, ut pani, chondro, & semidali.

Hic petes, an bilis ex sanguine plus calefacto fiat: Respondemus in illa in iecore ebullitione, qua quatuor fiunt humores, bilis est pars illa quę mediocritatem trãsit ad coctum, sanguis enim est mediocriter coctus, bilis nimis cocta, nam in hoc pcessu ad nimis coctum necesse uidetur per quendam transire gradum qui est mediocriter coctus. hic uero gradus est sanguis, propterea ex sanguine fieri uidetur, sed plus calefacto. i. plus cocto, sed nondum exusto.

De atra uero bile, scito Galenum hic duos atræ bilis modos innuere: unus est ex sanguine assato & adusto: alter ex ipso sanguine crasso. primus modus est atrę bilis naturalis, quę & ipsa fit per nimiam sanguinis adustionem. secũdus modus est uelut sanguinis fex, quam in. 4. Aphor. lib. Galenus uocauit sanguinem crassum, tñ non negat & ex alijs humoribus à sanguine fieri atram bilem, nempe fit & ex bilis adustione, et ex pituitæ adustione, imo adurit & ipsa naturalis atra bilis, & praua deinde inducit symptomata.

Petes uero, cur in pituitosis edulijs pituita ante sanguinem generet. Scito hoc non dici, qa & ex non pituitosis non generet, sed non tam pperuo. Scito autem pituitam in uentriculum tripliciter induci: primo, cum à capite in ipsum distillat, de qua re egit Galenus in. 2. de temperaturis. alio modo generatur in ipso uentriculo, & ex cibis potissimum pituitosis, & qñq; ex non pituitosis. tertio modo in iecore generatur in illa uniuersali coctione qua coquit chylus & in sanguinem transmutat, in hac uero coctione id qd' crudum est, & ad cocturam non peruenit pituita est, quæ plerũq; ad uentriculum transmittitur. in his duobus pituitæ generationibus pituita ante sanguinem generatur. de illa quæ in uentriculo generatur dubium nõ est ante sanguinem pituitam generari, & potissimum in pituitosis edulijs, in qbus cibi, inedia ipsius generatione in sanguinem transeunt. nam cum sunt cibi pituitosi in uentriculo primo coquuntur & in pituitam transeunt, postea facta hac pituitæ generatione ad intestina trãsmittitur, & à meseraicis attrahitur ac coquitur, & in sanguinem trãsit, in quo est trãsitu pituita, est sanguine prior. Nota uero aliud esse pituitæ genus, qd' in stomacho generatur, & qd' in iecore. nam qd' in iecore generatur duplicem habet quodãmodo cocturam, & ex hac pituita membra quæ illa indigẽt, nutriuntur. illa uero quę est in uentriculo qñq; euomitur, qñq; ad intestina descendit, et portio semp à meseraicis accipitur, quæ in sanguinem pro parte conuertitur. Multos noui, qui pituitam quotidie euomunt. his in uentriculo generatur, & illum male afficit. Forte dices, pituitam non uideri posse nutrire aliqua membra, & ideo neq; in sanguinem posse transire. consequens conuenire uidetur, qa id qd' in sanguinem conuerti potest, membra etiam nutrire potest. antecedens pbatur, qm̃ neq; pituita à capite descendens, neq; in uentriculo generata, neq; in iecore sunt naturales, igit̃ nutrire non possunt. Consequentia ex Galeno sumi potest. 6. de symptomatum causis, ubi expresse innuit nullum humorem præter naturam posse nutrire membra. antecedens pbatur: qm̃ pituita quæ à capite descendit, naturalis non uidetur, qa retineretur si naturalis esset: neq; etiam naturalis illa est quæ in uentriculo generatur, qa in suo loco naturali qui est iecur non generatur: quæ uero à iecore transmittitur, tam pauca est, ut mẽbra ulla nutrire non possit, neq; transitu ad uẽtriculum indiget, si ad nutrienda membra aliqua pgredi debeat. Respõdemus, pituitam esse omni modo naturalem. unde & si illa quæ à capite descendit, possit esse innaturalis, tñ potest esse & naturalis, & qualibet pituita modo non sit corrupta, per meliorem decoctionem in sanguinem uerti potest, uel à capite descẽderit, & non sit putrida, uel sit in ipso uentriculo generata. Dubitabis præterea, an pituita sit sanguis diminute decoctus, ut hic uisus est asserere Galenus, & q pituita in pituitosis cibis pperuo sanguinem præcedit, & in aliqbus etiam pituitosis, non tñ in omnibus, præcedit. Respõdemus, cum pituitosi cibi in uentriculo pituita fiant, in his semp pituita sanguinem præcedit. in alijs uero cibis non est necessarium prius fieri pituitam q̃ sanguis. nempe naturalis humorum generatio fit simul. unde omnes fiunt simul, neq; opus est bilem prius fieri sanguinem q̃ fiat bile, neq; atram bilem. idem de sanguine nõ est necesse ut prius fiat pituita q̃ sanguis, q̃uis plerũq; ita ptingat. & ratio hęc est, qa cibi qui in uẽtriculo coquũtur, in chylum conuertũtur. chylus uero est diuersarũ naturarũ & heterogenearũ corpus, ppterea diuersas habet partes, quarũ aliquæ sunt aptæ in sanguinem trãsire, præter id q prius in pituitam transeant: aliquæ sunt aptæ trãsire in bilem: aliquæ in atram bilem, prçter id q opus sit illas in sanguinem prius uerti. Et quamuis à Galeno dictum recipiat̃ bilem ex sanguine esse magis cocto, & bilem atram ex adusto: ex hoc tñ non it inficias, & à chyli parte fieri, quæ tñ in sanguinem non transiuerit, sed forte quo ad calidıtatem & humiditatem, in quendam trãsiuit gradum sanguini ppinquum. Ex his igitur inferamus & bilem & atram bilem ex sanguine fieri posse nimis cocto, sed & posse etiam fieri ex chylo ipso prçter id qd' prius in sanguinem trãseat. idem de sanguine intelligo respectu pituitæ, potest qdem ex pituita fieri sanguis, & hoc in pituitosis fit pperuo cibis, sed & potest sanguis ipse ex chylo fieri qui in pituitam non trãsiuerit. Et si uulgatam illam opinionem huc afferas quæ dicit pituitam esse sanguinem diminute coctum: intellige ppositionem hanc in specie, ut in specie sua à sanguine differat, quia ipsa est diminute cocta, illam ad sanguinem comparantes, quę est perfecte coctus.

Iterum ambiges, cum ex pituita fit sanguis, an tota in sanguinem cõuertatur, uel in quatuor humores? Hic sunt duæ sententiæ: nõnulli uolunt totam pituitam in sanguinem cõuerti, alij in quatuor humores. qui in sanguinem conuerti uolũt, inquiunt, naturalem pituitam, cum in sanguinem cõuertitur, totam fieri sanguinem, qa se tota est sanguis diminute coctus. igitur se tota in sanguinem trãsit, & nõ in alios humores. nam cum sit sanguis diminute coctus, supueniente coctura, fit sanguis pfecte coctus: & nihil aliud in ipsa est qd' non transeat in sanguinem, q̃ partes uaporosæ, quæ exhalant. Addunt, si in quatuor cõuertatur humores, opus est unam esse partem quę in pituitam cõuertatur. petunt an hæc pars intransmutata remaneat, uel trãsmutetur: si transmutatur, non fit pituita: si non trãsmutatur, non fiunt nisi tres humores. Alij inquiunt, sicuti ex chylo, qui res est pituitæ similis, quatuor generãtur humores, ita ex pituita totidem generari debent. Nos uero dicamus ex pituita quæ in uẽtriculo generatur, quatuor gigni humores, cum sapiat quodammodo chyli naturam. At ex pituita quæ in iecore generatur, & quæ nihil aliud est, q̃ quidam transitus in sanguinem, fit sanguis solus: quamuis hæc sint uoluntarie dicta, neq; certe adsint rationes. unum est, pituitam quæ in uentriculo exuberat, etiam si homo biliosus sit, causam esse ut facilius homo inediam ferre possit, cum calor naturalis habeat in quod agat, quando homo fuerit ieiunus.

Neq; illud indubitatum prætermittes, an sanguis qui ex pituita cõficitur, eiusdem sit temperiei cum sanguine ex chylo facto. una est in naturali philosophia uulgata ppositio, materierum diuersitatem speciei diuersitatem ptendere, & ab Auerroe. 8. de physico auditu pbatur Sectione. 46. cum uero chylus, & pituita sint diuersæ materiæ, sanguinis forma quę introducitur erit diuersa in pituita, & in chylo diuersa. itaq; erũt duę sanguinis species. tñ si ex opposito consideremus, publicus hominum consensus, fatetur eiusdem esse speciei sanguinem, & differentiam inter pituitam & sanguinem & chyli facere nesciunt. imo si id consideremus per qd' res potissimum idem sunt & distinguũtur, idem esse deprehendetur: res etenim per substantialem definitionem, potissimum idem sunt, & distinguũtur, uerum eadem est sanguinis definitio ex pituita facti & ex chylo, igitur idem est sanguis specie.

Adde, omnia exteriora per quæ id percipi potest, eiusdem esse speciei ostendere. nam si considerentur, eundem habent colorem, eũdem saporem, eundem odorem, eadem uidetur substãtiæ consistentia, eundem habent finem, quia & nutriunt corpus, & in nutriti substantiam conuertuntur.

Ex his defendi potest, eiusdem esse speciei sanguinem chyli cum pituitæ sanguine, neq; necessarium est in his quæ imperfecta sunt in specie ex diuersa materia fieri diuersa in specie, imo non est incõueniens fieri idem in specie. tñ in his quæ in specie pfecta sunt, ut animalia atq; plantæ, non possunt fieri duo in eadem specie, nisi eandem habeant materiam. unde uidemus hominem nunquam generari nisi ex hominis semine, & equum nisi ex equi semine. sed chylus qui res est impfecta in specie, ex uarijs fieri potest materiebus: nam & ex carne fit, & caseo & pane, quæ sunt diuersæ materiæ. & sanguis fit ex chylo & pituita, quæ sunt diuersæ materiæ. Auerrois igitur ppositio in speciebus pfectis intelligenda est & exquisitis. Si alicui tñ defendere animo esset non esse eundem specie sanguinem eum qui ex chylo fit, & qui ex pituita, hic dicere debet esse ex diuersa materia ppinqua, & q̧ omnia quibus distinguũtur, sint diuersa, & q̧ diuersis debent definitionibus declarari. quæ cum non uideantur conuenire, primæ sententiæ potius inhærendum est.

Petes præterea, in inediæ tempore, an sit pituita, quæ in uentriculo est, quæ uices nutrimenti subeat, an sit illa quæ in toto corpore diffusa est: Respondemus, huius generis pituita in his est, qui superiores partes. i. uentriculum pituitosiorem habent, sed in alijs qui toto corpore pituitosiores sunt, totius corporis pituita conuertebatur. Petes uero, quare pituita quę in toto est corpore, ante inediam non cõuertatur in sanguinem, & non coquatur? Respondemus, naturalis ordo partium animalis est hic ut in uenis sanguis cum pituita & alijs conseruetur. sed qñ in inedia indigemus, tunc natura pruda ipsum concoquit, & in sanguinem cõuertit, & eo nutrit animal quãtum potest. hæc uero non fiũt per unius solius prandij inediam, sed ex pluribus cibationibus omissis.

Et si arguas, idem erat calor in homine pleno, qualis & in inanito & per inediam affecto, igitur pituita in sanguinem potius tunc conuerti debebat: Respondemus, qñ natura non indigebat, humores in suo naturali esse cõseruabat, id nõ facit cum indiget. Scioq; in indigẽtiæ principio calorem naturalem magis acui, postea remitti, & fieri minorem, q̃ sit naturalis calor. uerũ cum hoc calore coquitur, tñ cum maiori (qñ homo non indigebat) non coquebatur, sed in suo esse seruabatur, tanta est naturæ uis in conseruandis rebus quando non indigent in suo esse naturali.

Petes præterea, in his qui sunt toto corpore pituitosi, an cum nutrimento indigent, pituita in omni corporis parte in sanguinem conuertatur, an necesse sit ut ad iecur reducatur, qa sciunt omnes, sanguinis generationis locum esse iecur: Simpliciter dicẽdum est, pituitam extra uenas in sanguinem uerti nõ posse, cum sit extra locum sanguinis generatiuum & conseruatiuum, qui est uena.

Sed de pituita quæ in uenis est & in loco sanguinis cõseruatiuo ambiguitas eadem contingit. Conciliator in. 3. differentia 29. annexo sentire uidetur, sanguinem in quacũq; parte modo sit in uenis generari posse. hac uero ducitur ratione, qa pituita in uenis, ubicũq; sit, non est distincta à regimine naturę, sed habet naturæ regimen & cõseruationem, quam non habet extra uenas. ubicunq; igitur sit pituita, modo sit in uenis, sanguis fieri potest.

At hæc sententia nobis non arridet, cum ibi solum fieri posse sanguinem putemus, ubi est instrumentum sanguini dans formam, colorem, saporem, odorem, & denique esse in specie. hoc autem est iecur. nam iecoris caro illa est quæ reddit sanguinem tali colore infectum, sicuti in alijs cõtingit succis, qui in corpore humano per aliqua instrumenta generãtur, ab illis instrumẽtis & colorem, & saporem, & odorem accipiunt, & esse tale in specie. neq; possunt fieri ab alijs membris, ut lac fit in mãmis, & semen in testibus, & nõ in alijs locis, & ab his membris odorem accipiunt, saporem, colorem, & esse in tali specie: ita sanguis in iecore fit, & ab eo colorem accipit, odorem, saporem, & esse in sua specie. alibi uero nõ fit, colorq; fit per contactum, accipitq; à iecore calorem sibi aptum. ob hoc Galenus in. 4. de usu partium docet uenas in iecore existentes esse lõge minores alijs, ut iecur sua carne materiam melius & ppius attingat, quæ in sanguinem transmutetur. id uero fieri necessarium nõ fuisset, si sanguis in alio loco q̃ in iecore generaretur. Si uero petas, quomodo possit ad iecur redire pituita? Respõdemus, facile, cũ iecur indiget à uenis ad se trahit pituitam, & illam coquit & in sanguinem reducit. unde & Galenus in. 3. de uiribus naturalibus inquit, ab ultima cutis superficie usq; ad iecur posse materias trahi. At dices, si cõtingat iecur indigere, & membra etiam indigere, quid magis attrahet, an iecur ad se, an membra? Respõdemus, si membra potissimum longinqua plus indigeãt iecore, plus etiam attrahent. at si iecur plus indigeat, plus ipsũ attrahit. Hoc colligi potest ex Galeno in calce libri. 3. de uiribus naturalibus. At si dicas, si æqualiter indigeant, qd magis attrahet? Respõdemus, iecur à ppinquioribus partibus magis attrahit, & remotæ partes à sibi propinquioribus. Sed inquies, si partes remotæ & iecur æqualem haberẽt indigentiam, & à loco æque distanti attrahere deberẽt, quidnam horũ magis attraheret? Respõdemus, iecur sine dubio magis attraheret, qa maiorem habet caliditatem, & maiorem attrahẽdi uim, q̃ alia membra, & qa eius officium est, id qd' insumpserit & concoxerit, per totum corpus deinde transmittere. Petes uero, qñ membra attrahũt, di

pituitam

pituitam ipsam attrahunt, an sit in sanguinem ꝯuersa? Respōdemus nō esse in sanguinem ꝯuersam, cum ad iecur non puenerit. At inquies, igiť mēbra illa pituita nutrienť? Respōdemus id uerū esse, & in hac indigentia sanguine nō nutriri, sed pituita magis calefacta, q̃ esset cū erat in tota sanguinea massa qñ hō nō indigebat. Scio enī in indigētia in primo ꝯsumi sanguinem, deinde attrahi pituitā. Addes uero, cū illa mēbra sint nutrita pituita, igiť erūt male nutrita. Rñdemus id nemineḿ sane mētis ire inficias, & in his plerūq; crura intumescūt, ut illi erāt apud Hipp. I Epidemicis qui I aeno in penuria comedere legumina, qbus crura tumida effecta sūt. tñ hęc est alia tumoris cā. At dices, sicuti sanguis bili comparať, ita pituita sanguini. sed I quacūq; corporis parte sanguis pōt fieri bilis, igiť & in quacūq; eiusdē corporis parte pituita poterit fieri sanguis, cū nō sit de uno maior, q̃ de alio ratio. Respōdemus, sanguinis ꝯuersionē in bilem esse præter naturā, qa non fit nisi aut p adustionem, aut p corruptionem. hæc uero trāsmutatio, cū non sit naturæ opus ubiq; fieri pōt. At ꝯuersio pituitæ in sanguinem est ꝯuersio naturalis, quæ à determinato agente fit. s. iecore. ut simpľr ꝓferendum sit in iecore sanguinem generari, & non in alio loco, neq; alio in loco generari possibile est.

Forte argues, duo eiusdem speciei indiuidua quæ sunt entia ꝑfecta in diuersis locis generari posse, q̃to magis pituita quę ens est imꝑfectum, in diuersis locis generari poterit. Añs clarū est in aĩalibus quæ ex putredine generanť, & quę ex coitu. nempe uidemus murem p sobolem generari in muro, & generari in cœno, tñ sunt indiuidua eiusdem speciei, quæ in diuersis generanť locis imo longe diuersis q̃ sit iecur & uenæ, quæ ab ipso iecore ortū habent. Rñdemus, Arist. in. j. de gene. aĩaliū cap. j. negare illos mures eiusdē esse spēi. at sunt, inqt, diuersarū spērū Idiuidua. Forte dices, uenas saltem meseraicas & iecori ꝓpinquas sanguinē posse ꝑficere, & si in ipsis adfuerit pituita, in sanguinē ꝯuerti poterit, imo expientia ostēdit meseraicas esse sanguine plenas. Rñdemus, neq; meseraicas posse pituitam in sanguinē ꝯuertere, neq; sanguinem gignere. sed cū sanguinē hñt, à iecore est. rñ uim quādam hñt præparandi materiā, ut facile in sanguinem uertať, tñ uim nō habēt sanguinis formam præbēdi, lʒ aliqua accñtia ꝯdonare possint. nā solius iecoris officiū est dādi formā sanguinis. sanguis igiť alicubi nō fit, q̃ in iecore. Rō ỽo Cōciliatoris nullius est momēti qm̃ & si pituita regimē in uenis habeat, & cōseruationē, tñ nō seqť, in uenis ipsis sanguinē fieri posse, qm̃ uenæ nō sunt instrumētū, in quo fiat sanguis. Cū uero & hęc pituita ſm Galenū in uentriculo sit, imo & ſm Hipp. q supponit hos esse pituitosos parte supiore. i. uētriculo, petes an uētriculus sit pituitę receptaculū, ut uesica fellis, est bilis receptaculum, & lien atræ bilis. hæcq; ambiguitas ob Arabes ꝯtingit, pręsertim ob Isaac. j. urinarū, & Mesuen in cap. de sputo sanguinis. hi enim tenēt pulmonem esse pituitę receptaculum. Respōdemus, receptacula quę alios recipiūt humores, illos ideo recipiūt, ut in aliquem finem illos dirigāt & tales humores ab his receptaculis ob hūc finem trahunť, & ꝯseruanť, ut lien atram bilem, & illā cōseruat, ut ad os uentriculi trāsmittat ad inducēdam famem & appetentiam excitādam, & bilia à uesica sua trahiť, & ab eadem ꝯseruať, ut ad pyloron trāsmittat, & incitet ad excernēdū. at nullū est in corpore humano receptaculū qď pituitā trahat, & illā in finem aliquem cōseruet, ꝓpterea neq; uentriculus neq; pulmo erūt ꝓpria pituitę receptacula, ut Arabes inquiūt. & Galeni rō cur receptaculum nō hēat, est, qa pituita indigent oĩa mēbra, & nō unū solū determinatū, ꝓpterea simul cū sanguine ferť p uenas. uerūtñ qa pituita in uentriculo generať uel à pituitosis cibis uel ob multas cruditates, quæ ob copiā ingesti cibi fiūt, ob id à nōnullis q̃nq; dictū est uentriculū esse pituitę receptaculū, cū rñ uere nō sit pulmo ỽo receptaculū diciť pituitę, qa ad ipsum deferť, nā illa nutriť, tñ in ipsum nō recipiť, tanq̃ in aliquem finē, pręter eū qui est nutriēdi pulmonem. Sūt tñ & qui bile pulmonē nutriri fateanť. uñ & si Hippocrates hic in stomacho ponat pituitaʒ, & prædicti Arabes in pulmone, palàm est, hæc nō esse uera rece-

ptacula, quæ attrahāt & conseruent ad aliquem finem præter sui ipsius nutrimentum. unde breuibus pituita non habet proprium receptaculum, ut alij habent humores.

Galenus dicebat neutrā bilem in sanguinis naturā reuerti nō posse. De bile flaua forte dices illā in sanguine; redire posse, qa coctū fieri pōt minus coctū, igiť & bilis quę est magis cocta, pōt fieri minus cocta. si ỽo fit minus cocta erit sanguis, in sanguinē igiť transire pōt. añs primū ꝓbať, qm̃ lac fit ex sanguine, tñ lac est sanguine minus coctū. lac etenim ulteriori eget coctione & ꝯuersione in sanguinem, igiť qď coctū est minus coctum fieri pōt, ꝯtra illā uulgatam ꝓpositionem, coctū nunq̃ crudum fieri posse. Adde semen esse frigidius sanguine, tñ ex sanguine fit. Præterea, si quis sanguinem comederet, necessario pro parte in pituitam transiret. coctū igiť minus coctū fit. & si qs bilem comederet, una portio trāsiret in pituitā, & una fieret sanguis. Adde Hippocratem in. 1. huius uoluminis lib. Sectione. 36. dicere ut añt in summa dicať, quæ ab aceto est acredo, picrocholis magis q̃ melācholicis ꝓdest, amara siqdem dissoluunť, desiscūtq; in pituitam, cū ab aceto in sublime attollunť. ut ex his uerbis Hippocrates uelit bilem in pituitā conuerti, tāto magis poterit in sanguinem redire qui est magis coctus q̃ pituita.

Galenus oppositū sentit, & reuera neq; bilis neq; atra bilis in sanguinem redire possunt, qa qď semel coctū, amplius nō fit crudū. de atra bile manifeste apparet, quę cū sit fex, in id trāsire non pōt cuius est fex. bilem ỽo nō posse fieri sanguinem illa est cōis rō, qa naturale agēs suam actionem nō attrahit. nēpe tunc esset agēs p cognitionem. calor ỽo naturalis cū bilem generauit, illam ad terminū multæ caliditatis induxit. ꝓpterea illam nō poterit ad inferioris decoctionis gradum retrahere. & hęc est rō illa quam suadet Auer. 3. collectionum cap. 4. cū inqt. nō est possibile ut choleræ recipiāt digestionem, qa non est possibile rei quæ trāsiuit terminum suæ decoctionis, ut redeat ad terminū indecoctionis, sicuti nō est possibile ut assuʒ reuertať ad elixum. Reliquum est ut argumēta præfata dissoluanť.

Ad primū dicimus esse diuersa agētia quę sanguinē faciūt, lac, & semen. nā sanguis in iecore fit, lac in māmis, & semē in testibus. ꝓpterea nō mirū si hęc diuersa agētia coctionē diminuāt. & adde in lacte esse multā simul cōmistā aquositateʒ, quæ cū sanguine erat in lac cōuersa. sed sanguis & bilis ab eodem fiūt agēte, nēpe iecore ꝓpterea si iecur talē caliditatis gradū bili cōcessit, eā illi auferre nō pōt. alioq eaſdē oō hēret uires, qď absurdū est. Et si dicas, si cōtingeret iecur ob aliq̃ ęgritudinē īfrigidari, nōne bilis coctionē remitteret? Rñdemus, ex hac forte ęgritudine bilis caliditatē remisit, sed ex bile nō fecit sanguineʒ. uñ nō est par ratio sanguinis ad lac, uel semen & bilis ad sanguinem.

Ad aliud, si qs sanguinē comederet, una ꝑfecto eius portio in pituitā trāsiret, sʒ esset coctior pituita, q̃ illa quę ex cibis fit crudis. uel cū in uētriculū qcq̃ recipiť, tūc suę partes simul cōfunduntť, & trāsit I chylū, postea I iecore in sanguinē ꝯuertiť. & ita bilis in chylū cōuerteretť, postea in sanguinē. sed erit prauus sanguis uelut is q ex cibis fit calidissimis. uel dicamus esse materiā quādā sanguini iproportionatā, quę non pōt fieri sanguis, neq; eius formā recipe, cū ignea sit calida & sicca amara, & tenuis.

Ad tertiū, nō intelligit Hippocrates fieri pituitā, sed potius ad pituitę naturā cōuerti ob aceti mistionē, & p acetū infrigidať. uñ ꝓbe dicit ob acetū in pituitā dissolui, hoc est in frigidiorē naturā q̃ esset. imo & in humano corpore fieri pōt, ut natura humorē aliquē calidiorē īfrigidet, quo ad aliqď opus utať. hoc experiētia ostēdit. nā cū natura frigidū mēbrū nutrire itēdit, sanguinē īfrigidat, & tñ sanguinis spēm nō mutat, ut in nutritione ossis sanguis frigidior reddiť. q̃q̃ dici posset id genus sanguinis quo os nutriri eʒ, eē prius à natura paratū, neq; fit ex iā ꝑfecto sanguine, nēpe natura nutrimēta ad mēbra nutriēda parata ascisciť. At de his iā finē faciamus. nā si oĩa q̃rere quę de his hīoribus occurrūt, tētaremus, hāc cōmētationē I īfinitū, progare cogeremur. Galenus inqt panem, chondrū, & semidalin q̃q; in pituitā in uētriculo cōuerti imo plerūq; ꝯuertunť, cū sola eduniť, per panem, siligineum intelligo, qui purissimus est & sincerus

simus, per semidalin uero, panem similaceum, qui secũdus est post siligneum, ut Galenus in. j. de alimẽ. facul. ostendit. Deniq; cũ Galenus multos haberet codices de rõne uictus in acutis, qui in hac sñia erãt uarij, ipse oẽs alias preterit sñias, & illam quã exposuit secutus est: qm̃ qđ in sñia eo modo intellecta ponit, uer̃ est, si seriem hẽ cũ his quę ante dicta sunt cõnuatã. hi enim sunt optimę explanationis scopi, ut sit uer̃ qđ dicit, & cũ his hẽat cõtinuationem quæ precessere. uer̃ si multa legeris exẽplaria, in oĩbus nõ inuenies ꝯsimilem descriptionẽ, qualem interpretati sunt, sed in alijs & alijs pugnãtẽ, imo ut dicam, in oĩbus ferè libris hęc dictio falso sermone reperit, & nullam seruante seriem cum his quæ ante dicta sunt. Scito optimos ἐξηγήσεως. i. explanationis uel cõmẽtationis scopos hic à Galeno duos enumerari, ut ea quæ dicunt sint uera, & cũ precedẽtibus ꝯtinuationem hẽant, qm̃ ut. j. ꝓgnost. ostẽdit, aliqs posset uer̃ dicere & praue interpretari authorem, qa forte author falsa enũciauit. ꝓpterea interpres debet authorẽ exponere, & falsitatem ostẽdere. at si uẽa enũciet & cũ precedẽtibus cõtinuet, est simul uerus & ad ꝓpositũ, hic est precipuus cõmentationis scopus, uer̃ dicere, & cũ precedẽtibus concordari, ad qđ sequitur ut probe etiam cum sequentibus nectat. tñ primum satis est, quia possent esse cõsequentia quæ ab hoc dissiderent, quod tamen cum præcedentibus conuenit.

## Hippocrates. Sectio XXXI.

BRASAVOLVS

**Potissimum sanè & hoc argumẽtum, ꝙ maximæ mutationes eor̃ quæ circa naturam nostram habitumq; contingunt, maxime morbos committunt.**

Hippocrates supius ꝓbabat, subitas de cõsueto in consuetum mutationes sanis ẽt obesse: nũc ad eiusdem sentẽtiæ ꝓbationem ꝓseq uidet. hocq; modo argumẽtũ effingit. Maxime mutatiões, quę circa nostr̃ corpus ꝯtingũt. maxĩe morbos pariũt. hoc igit argm̃ est potissimũ, mutatiões ad icõsueta obeẽ. ἐπιεικὲς μὲν οὖν καὶ τοῦτο σημεῖον. i. & hoc igitur est conueniens signum, ꝙ subitæ. s. mutationes obsint. ὅτι αἱ μέγισται μεταβολαὶ τῶν περὶ τὰς φύσιας ἡμῶν καὶ τὰς ἕξιας συμβαινόντων. i. ꝙ maximæ mutationes eor̃ quę cõtingunt circa nostras naturas & circa nostros habitus.

μάλιστα νοσοποιέουσι. i. maxime morbos cõmittũt. φύσις est nostri corporis tempatura, ut alĩs à Galeno dictũ est, & ἕξις est nostri corporis habitus. tẽperatura in quatuor cõsistit qualitatibus, habitus in crassitie, tenuitate, pinguedine, macilẽtia. Multa cõtingere pñt circa tẽperaturas, & multa circa habitũ, quæ nostr̃ corpus imutare pñt, & imutãt. & si repẽte fiãt hę mutationes, hoẽs morbos incidũt. Siqs enĩ tẽperatura calidus ad frigidũ subito imutet, morbos icidit. & siqs crassus fiat repẽte tenuis, & hic ęgrotat. nã hęc fieri nõ pñt, nisi magna facta in hoc corpore mutatione, uñ si in tali tẽperatura, & in tali habitu est sanus, opus est ut in opposita sit ęger, qñ repẽte fit, nam à cã cõtraria fieri necesse est, quę naturalẽ illã sanitateq; ꝑturbat. & iõ nisi hęc mutatio paulatim fiat, hi ęgrotãt. Si uero petas, ꝑ quę fiat hęc mutatio: Rñdemus fieri ꝑ cibos, ꝑ potus, ꝑ ambulationes, ꝑ solẽ, ꝑ motũ, ꝑ quietẽ, ꝑ somnũ, ꝑ uigiliã, & breui ꝑ illa oĩa quę corpus nostr̃ imutare pñt & alterare, ut ꝑ animi ẽt passiones. uñ & ab Hipp. in. j. 3. libri Aphor. dictũ est, mutationes tꝑum potissimũ morbos parere, & magnas pręsertim quasdã mutationes aut frigoris aut caloris. ob id & autumnus iudicat morbosus qa multæ fiunt in ipso repẽtinæ mutationes. ꝓbeq; hic notauit Hippocrates, se de mutationibus loq circa tẽperaturã, & circa habitũ, cũ morbi oẽs in his duobus ꝯtingãt: nã sunt uel in qualitate, uel in mala cõpositione, uel in solutione ꝯtinui.

GALENVS.

Multa qdem apud Hippocratẽ φύσεως. i. naturę, nomen idicat, sed hoc in loco tẽperaturam significari qspiam existimauerit, ueluti & partiũ ipsar̃ structuram cõpositionemq;, ἕξιν. i. habitũ appellari: quo in structurę genere continet & bilis ad partes supiores fluctuatio, & ad inferna deiectio, & uiscer̃ tum suspẽsio, tũ ꝯstãtia stabilitasq;. Nẽpe cum uẽter magnus existit, uiscera ꝯfirmat et stabilit, tãetsi cibis uacuus, destitutusq; fuerit. Uer̃ cũ paruus est, cibis qdem refertus cõfirmat: uacuatus uẽo subsidẽtia relinquit. Hinc fit ut suspẽsa sentiãt uiscera. Quibus aũt bilis flaua sursum natat fluctuatq;, aũt est dictũ, meatu bilem ipsam ex hepate ad id intestinũ qđ Grẽci ἔκφυσιν uocãt, quasi è uẽtre enatũ dixeris, deferẽte, neq; structurã habẽte eãdem. Nam interdũ quibusdam portio aliqua ab ipso ad uentrem ꝓcedit: his quidem supnatat bilosum excrementum, cęteris uero deorsum omnino uoluitur.

Primo, id Galenus notat qđ nõ raro alĩs annotauit, Hippocratem uario modo uti uocabulo φύσεως. i. natura. tñ hoc in loco naturã accipit pro tẽperatura. de naturę uẽo significatis multa à nobis in Aphorís. cõmen. scripta sunt. Adde uocabulũ ἕξις. i. habitus, ipsar̃ partiũ structurã & cõpositionem significare. sub qua structura crassum itellige habitũ, tenuem, pinguẽ, macilẽtum. tñ & ꝯtineri uult sub habitu bilis fluctuationes ad partes supiores, & eiusdẽ deiectiones ad partes inferiores. hoc eniꝫ sub corporis habitu cõtinet, ꝙ ex canali in fundo uentriculi, bilis in uẽtriculo abũdet, & ꝙ aliqs bilem habeat quę uergat ad inferna, hic habitũ illum habere dicit. & si qs habeat uiscera suspẽsa talem hẽ habitũ. eodem pacto qui uiscera hẽ cõstantia & stabilia tali habitu insignit. Notatq; Galenus, cũ qs hẽ uẽtrem. i. uẽtriculum (hẽ græcus cõtextus legat γαστὴρ, tñ & nõnunq; pro uẽtriculo accipit γαστὴρ) magnã uẽtris cauitatem implet, & uiscera cõfirmat ac stabilit, ẽt si uacuus sit cibis. unde nõ uidenẽ suspẽsa uiscera, qa totus uẽtriculus, semꝑ totũ occupat, & supra itestina ac uiscera cõprimit, ut totus uẽter plenus uideat, & nihil appareat uacui, sed undiq; oẽs partes tangant, uñ nihil suspẽsum uidet. At si uẽtriculus sit paruus, qñ cibis plenus est, cõfirmat qdem uiscera & totũ implet, neq; suspẽsa uidenẽ, sed totũ occupari decernit. Cũ uero est uacuus, uiscera tũc uidenẽ suspẽsa, qa uẽtris cauitati partes oẽs nõ inhærẽt. hæc igit suspẽsa uiscera, & nõ suspẽsa, sub ἕξει. i. habitu sunt, & paruus ac magnus uentriculus, totusq; magnitudo ac paruitas, unde tota hominis structura sub habitu continetur.

Ubi legit, nẽpe cũ uẽter magnus existit, addẽ φύσει. i. natura. Secũdo, Galenus notat cur ad habitũ referat, cũ bilis flaua ad supiores fluctuat partes, ut supius dictũ est. hi enim habẽt uitiũ in cõpositione. nã fellis meatus qui tendit ad intestinũ, ἔκφυσιν uocatũ, quasi enatum diceris, alij portonarium & duodenũ uocãt, in duas scindit partes, & una tendit ad uẽtriculum, alia ad duodenum, hoc est in cõpositione & in habitu uitium. In. 2. de tẽperaturis ꝓpe finẽ de hoc agit Galenus. defert eniꝫ hic meatus bilem ad uẽtriculũ, & alter bilem ad pyloron. ꝓpterea nõ est eadeꝫ structura in oĩbus, ideo neq; idem habitus. & hæc cã est cur aliquibus portio aliqua ad uentriculum tendat, & hi illi sunt, qbus supnatat bilosum excremẽtum, alijs uero qui hoc nõ habent, deorsum penitus uoluitur, & ad intestina ꝑtransit.

## Hippocrates. Sectio XXXII.

BRASAVOLVS

**Non igitur intempestiue neq; fortes uasor̃ inanitiones moliri, neque cum morbi uigent, feruorem habent, cibum dare, neq; repente huc uel illuc in toto negotio qcq; mutare licet.**

Galenus hanc sentẽtiam pręter ordinem esse iudicauit. tñ si cui placuerit cõtinuationem quãdam illi assignare, hoc modo introducat. Cum Hippocrates in ꝓxima sñia scriptũ reliquerit, maximas mutatiões maxĩe morbos cõmittere, ob id nũc ifert. Igitur non est intempestiue euacuãdum, neq; fortes uasor̃ euacuationes moliri debemus, neq; cum morbi uigent, & in summo sunt feruore cibus dandus est, neq; licet in toto negotio, & in tota curatione huc & illuc quicq; mutare qđ repente fiat. ut sit ferè ꝯclusio quæ ex illa ꝓpositione educat. Maximæ mutationes potissimum pariũt morbos. hæ uero sunt maximæ mutationes de quibus in hac agit sententia, & non paruæ.

οὐδὲ ὅσιν παρὰ καιρὸν, οὔτε σφοδροτάτας κενεαγγείας ποιεῖν. i. neq;

ἀ.neq; igiẽ intempestiue,neq; uehemẽtissimas uasorũ inanitiones facere pueniit. hoc intelligi põt in omni euacuationis genere,& est aphoristica sentẽtia in. 2.lib. neq; inaniẽdum,neq; replẽdum,neq; calefaciẽdum,neq; infrigidãdum supra modum. Est uero intempestiue facta,uel q̃a non in tempore,cum materia nõdum cocta est,uel q̃a iam sanus est æger, uel q̃a illa non indigẽt. Cum uero est sup̃flua, tũc alios euacuat humores qui nõ erant euacuãdi,et sanguinem simul educit. Et de uenæ quoq; sectione intelligere possemus quæ intempestiue fit,q̃ñ iam æger sanaẽ,uel nõ est plethora,neq; morbi magnitudo. De euacuatione p̃ medicamẽtũ intelligere possumus si intẽpestiue facta sit,obesse. Est uero supra modũ q̃ñ facta sit usq; ad syncopim,syncope ẽt inclusa. & ita de alijs euacuationibus aut p̃ uomitũ,aut p̃ urinam dicẽdũ est.tñ Galenus uideẽ solũ intelligere de inanitione uasorũ quæ fit p̃ inediam,tñ res ipsa in oĩ euacuatione uera est,siue per medicamẽtum facta sit,siue per uenæ sectionem,siue per inediam. At quæ sequit particula,Galeno fauere uideẽ:primo eñi dicit,nõ esse fortes uasorũ inanitiones moliẽdas,postea addit neq; cibum dare in summo uigore,ut inanitiones sint de cibis,sicuti postea cibum dare,p̃hibet'q̃q; posset & de omni re alia intelligi, & non de solo cibo. sed & prædictus modus culpandus non est.

ὄντε ἀκμαζόντων τῶν νοσημάτων, καὶ ἐν φλεγμασίῃ ἐόντων προσφέρειν.i.neq; cum morbi in suo uigore p̃sistũt & in feruore sunt,quicq; afferre.hoc est q̃d ab Hippocrate in Aphorismis scriptum est: In principijs si q̃d uideẽ mouendum moue,in p̃sistẽtia uero quiescendum·q̃ñ in principio & fine omnia imbecilliora,in p̃sistentia uero fortiora.põt hæc pars de qualibet re intelligi,q̃a in summo uigore nihil dãdum est, & nihil agendũ, sed naturæ sinendum.tunc enim est maxima pugna,ne natura à suo contra morbum opere impediaẽ.tñ & de cibo põt intelligi,ut Galenus sentit,probatq; inq̃t, In uigore summo & feruore uel ardore,quia in summo uigore adest ardor. Si uero dicas Hippocratem in cõsistentia exhibuisse cibum,ut in.j.Aphoris. habetur,id fatemur,sed est in uirium defectu.

ὄντε ἐξαπίνης, ὅιον τε ὅλῳ τῷ πρήγματι μεταβάλλειν, ὄντε ἐπὶ τὰ ἐντ' ἐπὶ τά.i.neq; repẽte huc uel illuc in toto negotio quicq; mutare op3. Multæ possunt fieri in febriẽte & morbum lateralem patiẽte mutationes. uerũ in tota hac ægritudine nihil repente immutandum est.sed si debeat fieri mutatio,paulatim fiat,tamen citius imprimuntur mutationes in ægris,q̃ in sanis. & ideo prima mutatio quæ fit est de cibo non assueto.

GALENVS. Dictio hæc pręter ordinem scripta est,copulari siq̃dem debuit cum ea quę scripta est ante,ut tota oratio talis foret: Talia uero molestius ferũt qui parte sup̃iore picrocholi existunt. At non assuetam cibi absti nẽtiam facilius omnino ferũt qui parte sup̃iore sunt pituitosi,quo fit ut cibi usum qui semel die fit,facilius etiam ferant. Non igiẽ intempestiue, neq; fortes uasorũ inanitiones moliri,neq; cum morbi uigent,feruoremq; habent,cibum dare licet. Nam posteaq̃ sermonem,quo magnas uictus mutationes ostẽdit sanos ipsos,nõ quo modo languentes lędere,compleuit,absolutiq;iure intulit cuius gratia mẽtionem de his omnibus fecit,inquiens:Non igiẽ intempestiue neq; fortes uasorũ inanitiones moliri licet. Quanq; aũt & institutum etiam per relata sufficienter demonstrauerit· uidetur tñ,& ad alterũ trãsire sermonem qui hæc cõmonstret, liberaliter testimonio usus. Principium igiẽ sequẽtis sermonis iure censeẽ dictio hęc: Potissimum sanè & hoc argumẽtum,q̃ maximæ mutationes eorũ quæ circa naturam nostram habitumq; cõtingunt,maxime morbos cõmittunt. Cui q̃dem dictioni cõtinua fuerit,quæ ita sequit:Multa aũt his germana eorũ quæ uentri cõtingunt, atq; alia q̃s dixerit. Dictionem sanè hãc sum explanaturus·sed nunc ad præsentem reuertar,quæ hanc habet mẽtem. Non intempestiue neq; uehemẽter fame necare,neq; in morborũ cõsistẽtijs uictum ex inedia ad cibi oblationem p̃mutare licet, sicuti neq; subito ad cõtrarium. Ex q̃bus sequiẽ, talem instituendam uictus rationem,qualem is præcepit. Sũma aũt horũ est, declinãdas esse subitas repẽtinasq; ad contraria p̃mutationes.

BRASAVOLVS. Primo,Galenus notat hanc sentẽtiam præter ordinem esse scriptam,quippe ait illam seq debere Sectionem. 30.et.31.p̃pterea à.29.incipiens Sectione hanc facit cõtinuationem. Talia uero molestius ferũt qui parte sup̃iore picrocholi existunt. at non assuetam cibi abstinentiam facilius omnino ferunt qui parte sup̃iore sunt pituitosi.quo fit ut cibi usum qui semel die fit,facilius etiam ferant. Non igiẽ intempestiue, neq; fortes uasorũ inanitiones moliri,neq; cum morbi uigẽt feruoremq; habẽt,cibum dare licet.nam postea q̃ sermonem illum compleuit,quo ostẽdit magnas uictus mutationes sanos lędere,& nõ ostẽdit ægros lædere,ob id merito causam intulit cur de his omnibus mẽtionem fecerit inquiens,Non igiẽ intempestiue neq; fortes uasorũ inanitiones moliri licet.uerũ & si per ea quæ dicta sunt,id q̃d instituerat, sufficiẽter demonstrauerit, uideẽ tñ & ad alium trãsire sermonem,qui hæc demõstret testimonio ex supabundanti usus.unde si initium sentẽtiæ,quę præsentem seq deberet,illud esset.s.potissimum, sane & hoc argumẽtum q̃ maximæ mutationes eorũ quæ circa naturam nostram habitumq; cõtingunt,maxime morbos cõmittunt,& ad hanc sententiam seq debeat & continuari trigesimatertia,quæ ita dicit· Multa aũt his germana eorũ quæ uentri cõtingunt,atq; alia q̃s dixerit.tñ si modo quo diximus continueẽ,nihil obstat q̃n p̃ns sentẽtia trigesimæ primæ,ut sup̃ius dictũ est, cõtinuari possit. Vbi legiẽ,quo fit ut cibi usum qui semel die fit, addi debet παρὰ τὸ ἔθος præter cõsuetudinem,& reuera, uel subintelligenda,uel addenda,cum & in Aldino codice scripta sit.

Quod legiẽ,cibum dare,græce est προσφέρειν,q̃d tam de cibo intelligi potest,q̃ de alijs rebus. quamuis Galenus de cibo forte intelligere uideatur,tamen & de alijs intelligere nihil refert, quæ in summo uigore danda non sint.

Quod legiẽ,liberaliter testimonio usus,græce est ἐκπερισσοῦ ἀποχρώμενος ταῖς πίστεσιν.i.ex sup̃abundanti usus testimonijs. est Galeni sensus,ponit rationem ex sup̃abundanti,quę p̃bet subitam mutationem obesse. q̃uis sufficienter sup̃ius de his dictum sit, & tot posita sint testimonia ut sufficiant, tñ & ex sup̃abundanti hoc adiecit. est uero aliq̃d magis dicere ex superabundãti,q̃ liberaliter. Scitoq; Aldinum codicem partem illã, Multa aũt his germana, quæ in medio cõmentationis est, distinguere,ac si sit sententia quædam contra alias distincta.

Secũdo,Galenus notat se esse illam sententiam explanaturũ.s. multa aũt his germana &c.tñ opus est ut ad p̃ñtem redeat sentẽtiam,& eius intellectionem edoceat, quippe nõ licet intempestiue,neq; uehemẽter fame necare, neq; in uigore morbi licet uictum trãsmutare ex inedia ad cibi oblationem,sicuti nec repẽte licet ad cõtrarium trãsmutare,à cibi.s.ablatione ad inediam.p̃pterea sequit talem necessario esse instituẽdam uictus rationem,qualem ipse Hippocrates pręcepit. Sed huius rei sũma & q̃cq̃d intelligit hoc est,subitas & repentinas mutationes ad cõtraria declinãdas eẽ & nõ esse exercẽdas,q̃a p̃iculosę sũt. Considera quomodo Galenus utatur διανοίας.i.mente uel intellectu,pro alicuius orationis sententia.

## Hippocrates. Sectio XXXIII.

Multa autem his germana eorũ quæ uentri contingunt, atq; alia quispiam dixerit. ut exẽpli gratia. Cibos quibus uti consueuerunt, facile ferunt, tametsi natura haud quaq̃ boni fuerint. similiter & potus. cibos uero quibus uti non consueuerunt, etiam si mali non fuerint, moleste ferunt. consimili modo & potus.

BRASAVOLVS. Adhuc in eiusdem p̃positionis probatione insistit Hippocrates.s.mutationem repẽte & uniuersim factam (quam ἀθρόως sua lingua dicit) corpora multum offendere. propterea hæ mutationes fieri non debent,quippe multa sunt indicia & multa argumenta prædictis germana & affinia, ex his rebus quæ uentri contingunt,& etiam ex alijs q̃bus probari potest subi-

ram & uniuersam factam mutationem sanis multum obesse. Et si hac in re exempli gratia loqui uelimus, si qs assuetus sit cibos assumere, quamuis sint cibi suapte natura non probi, tñ hi qui sunt assueti, facile ferunt. Eodem & de potibus dicendum modo. At si quis cibos repente assumit, quos sumere non sit assuetus, etiam si non sint praui cibi, tñ moleste ferunt. Idem de potibus intelligito, si non fuerit assuetus, etiam si nõ sint praui, moleste ferunt, quod indicium est manifestissimum mutationes repentinas nos offendere.

πολλὰ δ᾽ ἄν τις ἀδελφισμένα τούτοισι τῶν ἐς κοιλίην καὶ ἄλλα εἴποι. i. multa autem his germana, eorũ quæ ad uentriculum pertinent, atq; alia qspiam dixerit. ut sensus sit, aliquem acutioris ingenij uiꝝ multa inuenturũ argumẽta, & multa germana signa & prædictis similia in his quæ uentriculum ingrediũtur, qbus probabitur consuetudinem non esse subito mutandam, imo non solum in his quæ uentriculum ingrediuntur, sed & in alijs multis quispiam dicere poterit argumenta posse sumi atque signa.

ὡς εὐφόρως μὲν φέρουσι τὰ βρώματα ἃ εἰθισμένοι εἰσίν, ἢν καὶ μὴ ἀγαθὰ ᾖ φύσει. i. ut facile ferunt cibos qbus consueti sunt, quamuis natura boni non sint. nam assuetudo est altera natura. & ob hoc ut nihil unquaꝫ patiaẽ homo ex edulijs Hippocrates in. 2. Aphor. lib. ingt transeundum esse ad inconsueta, qa nescimus, inquit Galenus, qd nobis cõtingere possit, & an semper in patria manebimus.

Notaq; Hippocratem dicere, quamuis nõ sint boni μὴ ἀγαθὰ, & non dixit, quamuis sint mali, qa positiue dicẽs malos cibos, essent simpliciter mali. at simpliciter mali semꝑ obsunt, etiam si homo longo tempore illis usus sit, ꝓpterea dixit non bonos, ut aliquam noter maliciam, sed non extremam, quanquam & extrema malitia per assuetudinem facilius feraẽ. Nempe legiẽ de mulierculis, quæ ab infantia Napellum comedere assueuere, ob quam assuetudinem nihil illæ dispendij accipiebant, sed illos ipsæ necabant, qui eas deosculari tentabant, & id erat solo anhelitu, (si hæc uera sint quæ referunẽ, nempe mihi suspecta sunt, & si à grauissimis sint scripta uiris). Notatq; Hippocrates non bonos natura cibos, cum aliq sint qui boni sunt natura tñ & arte, & coctura praui fiunt. qd enim peius est nuce cum putamine, qñ adhuc in ætate est adulta, tamen cum conditur, & proba fit, & sanitati commodaẽ.

ὡσαύτως δὲ καὶ τὰ ποτά. i. similiter autem & potus. nempe potus facile feruntur quibus sumus assueti, quamuis natura non sint boni.

δυσφόρως δὲ φέρουσι τὰ βρώματα, ἃ μὴ εἰθισμένοι εἰσίν, ἢν μὴ καὶ κακὰ ᾖ. i. difficulter autem ferunt cibos qbus uti nõ ꝯsueuerunt, etiam si mali nõ fuerint. nam incõsuetudo facit ut cibi non amplectanẽ à uentriculo modo nõ sint suauissimi, & appetanẽ. Et nota Hippocratem dicere, etiam si mali nõ sint, & non si boni sint, usus priuatiuo loquendi modo, & non positiuo, qa ualde boni cibi facile feruntur. dicens uero non malos intelligit esse bonos, sed non extreme bonos.

ὡσαύτως δὲ καὶ τὰ ποτά. i. similiter autem & potus, etiam si mali non fuerint moleste ferunt, qñ eis uti nõ consueuerunt.

GALENUS. Quæ similia congruentiaq; existunt, atq; ut quispiam dixerit, genere iuncta cognataq; ꝯsueuit uocare Hippocrates ἀδελφισμένα. i. germana: ꝙ eorũ quæ genere iunguntẽ & familiarissimi & genere omnium iũctissimi sunt ἀδελφοί. i. germani. Nam ꝓpinquitates cæteræ his posteriores sunt ut patrũ matrumq; fratres sororesq;, & fratrũ sororumq; filij filiæq;, & quæcunq; id genus sunt. Cętera dictionis clara sunt. Nã demonstrat Hippocrates sermonem eundem quem ab initio demonstrauit, cuius summa est: Cõsuetudo maxime potest, repentinaq; ab ea digressio corpora non parum offendit.

BRASAVOLUS. Primo, Galenus notat Hippocratem consuetum esse nominare ἀδελφισμένα illa quę cõueniunt & similia sunt, ac si dicat coniuncta genere & cognata, hoc est germana, qm̃ inter illa quæ genere cõueniunt ἀδελφοί. i. germani sunt familiarissimi & omnium iunctissimi. Nam si omnes alias cognatorũ ꝓprietates consideremus, his sunt posteriores: ut sunt fratres & sorores patrũ ac matrum, & filij ac filiæ fratrũ uel sororũ, & quęcũq; talis sunt generis, ut in summa omnes alię cognationes pręter illam quę est patris aut matris ad filium sint minores, & minus propinquæ, quàm illæ fratrum, utpote qui ex uno semine uel ex uno corpore & ex uno materna aluo ortum habent. Xenophon in. 2. de factis & dictis Socratis lib. circa medias libri partes ita inquit. Atque nimis ad amicitiam conducit, ex eisdem parentibus natos esse, nimis etiam simul nutriri, quapropter & feræ suos socios capiunt, & ad hęc alij quoq; homines magis illos honorant qui germanos habent, minusq; eis molesti efficiuntur.

Secundo, Galenus notat cætera quæ sunt in hac sententia esse manifesta, qm̃ Hippocrates eundem sermonem ostẽdit, quem in parte superiori demonstrauerat, cuius summa est hęc: Consuetudo in humanis corporibus plurimum potest, qa altera est natura: sed digressio ab ea ἀθρόα. i. affatim facta & repentina corpora non paꝝ offendit. Petes uero, quo idem sit hic sermo, & is qui superiore scriptus est parte: Respondemus, Galenus intelligit eandem ꝓpositionem ꝓbari, sed per diuersa media, unde non est idem præcise sermo nisi respectu finis. quod uero sermones in se ipsis sint diuersi ex hoc apparet, qa primo ex cibationum numero argumentabaẽ repentinam mutationem corpora offendere, numero uero cibationum erant, uel qa una cibatio diminuebaẽ, uel qa unà augebatur præter solitum, at in hac parte argumentatur illammet propositionem ex cõmutata qualitate eorum quę in cibo & potu sumuntur.

## Hippocrates. Sectio XXXIIII.

Si ergo multa præter solitum carnis deuoratio, uel allia, uel silphion, uel ipsius succus, uel caulis uel alia consimilia, quæ seorsum insignibus sunt prædita uiribus, uentriculis quibusdam magis ꝙ̃ alia labores inferant, minus quis admirabitur. At iure admiraberis, si didiceris quantam maza turbationem, tumorem, flatum, torminaq; mazam deuorare non assueto pariat, si præter consuetudinem ingesta fuerit: uel qualem panis ipse calidus deuoratus sitim inferat, & repentinam plenitudinem, ꝙ tum exiccet, tum tarde descendat: & ꝙ̃ uaria inter se pariant purissimi confusaneiq; panes si præter consuetudinem deuorentur, & maza similiter uel arida, uel humida, uel tenax: qualiter item & polentæ afficiant, recentes quidem eos qui recentibus uti non cõsueuerunt, & aliæ eos qui recentibus ex consueto utuntur. Ad hæc qd faciant uini, & aquæ potiones pręter cõsuetudinem in aliud subito trãslatæ: qd dilutum item uinum, meracumq; repente pota. Dilutum enim cum infirmitate humẽtem reddit uentrem superiorem, flatuosumq; inferiorem: Meracum uero uenaꝝ pulsationem efficit, capitisq; grauitatem, & sitim infert. Præterea qd uinum album nigrumq; præter solitum mutata, quæ si ambo uinosa fuerint, ualde alterant corpus. Quare dulce uinosumq; minus quis dixerit mirum esse nõ idem posse, ubi repentina fuerit mutatio.

BRASAVOLUS. Hippocrates suam illam ꝓpositionem astruere intendeẽ, quæ

dicitur

dicitur repētinam ad insuetos cibos digressionem corpus læpere, itaq; ferè argumentatur. Manifestum est repētinam in laudabilibus cibis mutationem corpori nocumentum inferre, igitur & repētina mutatio in illaudabilibus noxam faciet, imo & maiorem. Hæc uidetur tota huius longioris partis summa. propterea inquit: Si quis igitur præter solitum, multam carnis quantitatem uorauerit, uel allium uel silphium, uel silphij succum, uel caulem, uel alia similia, quæ habent qualitates aliquas egregias & insignes, & ob hæc uētriculus magis laboret quàm cum alia comeduntur, quæ his qualitatibus egregijs nō sunt prędita, non sit mirum, quoniam his egregijs qualitatibus non sunt assueti, & ipsæ uehementer agunt in uentriculum, & suam imprimūt qualitatem, propterea nullus ex hoc forte admirabitur, sed admiratio iure esse poterit, si didiceris illa quæ non habent egregiam aliquam qualitatem hanc noxam efficere, quando præter consuetudinem sumuntur, ut si discat quantam turbationem faciat maza, quantum tumorem, quantum flatus, quantum torminum si quis eam comederit, qui non sit assuetus, quamuis ipsa maza sit cibus nihil habens qualitatis egregiæ & si etiam didicerit, qualem statum faciat panis calidus deuoratus, & qualem plenitudinem repentinam, quamuis sit cibus omnium cōmunis, nempe et exiccat, & tarde descēdit. Admiraberis præterea si uidebis quàm uaria inter se pariant purissimi & confusissimi panes, quando præter consuetudinem comeduntur & eodem pacto maza, uel arida uel humida uel tenax & qualiter polentæ afficiant si sint recentes, eos qui recentibus uti non cōsueuerunt, & aliæ quę non sunt recentes polentę, quantum afficiant illos, qui recentibus uti consueuerūt. uidebitur & mirum quid faciant uini & aquæ potationes prępter cōsuetudinem, quando subito in aliud transferuntur. Et admirabitur quis quando uidebit, quid faciat dilutum uinum repente & præter cōsuetudinem sumptum, & quid faciat meracum. nempe dilutum uinum uentrem superiorem cum infirmitatem humētem reddit, inferiorem uero flatuosum at meracum uinum insuetum, uenarum pulsationem efficit, capitis grauitatem, & sitim infert. Prępterea experiri poteris, & non sine admiratione, quas noxas inferat uini mutatio albi in nigrum, & nigri in album quando sunt præter consuetudinem & repente, nam corpus ualde alteratur, si ambo fuerint uinosa. unde dulce uinosumque quando repente & prępter cōsuetudinem fuerit sumptum, mirum esse non debet, si idem non possit, & easdem uires habere non uideatur.

Nota & si ab Hippocrate hoc non dicatur, tamen fieri possunt quatuor in cibis mutationes. una cibi laudabilis ad cibum laudabilem, ut carnis phasiani ad carnem perdicis. & in hac mutatione aliqua quidem fit difficultas, sed non multa, cū sint in eodem genere propinquo at maior fit, quando sunt in diuerso genere, ut carnis uitulinæ ad lac, tamen non ampla est mutatio. Secūda mutatio est de cibo illaudabili ad illaudabilem, ut allij ad cepas, & brassicæ ad porrum, & ita maiora contingunt dispendia. tamen si in diuerso essent genere, adhuc essent maiora, ut si quis à carne bubula antiqua ad porrum aut ad similia transiret. Tertia mutatio est de cibo illaudabili ad laudabilem, ut si fiat mutatio ex porro in carnem perdicis. quæ mutatio non admodum lædit, tamen & ipsa ob inconsuetudinem suas habet noxas. Quarto, mutatio est de cibo laudabili ad illaudabilem. & hæc est pessima mutatio, & talis ut non tantum symptomata, sed & ægritudines pariat. ut si quis è carnibus perdicis ad alba transeat, aut ad antiquas carnes ueteres crassas sentiuntur repētinarum mutationum & subitarum noxæ in hac potissimum mutatione.

καὶ ἢν μὲν κρεοφαγίῃ πολλῇ παρὰ τὸ ἔθος βρωθῇσα πεσῃ. i. si ergo multa carnis deuoratio præter consuetudinem facta sit. Sed cū omnes ferè homines sint carnibus assueti, carnem simpliciter nō dixit, sed multam carnem ingestam, nempe multa ingesta caro multum lædit, cū est præter consuetudinem, quoniam non potest coqui, sed cruda, uel semicocta descēdit, & crudos gignit humores. Vidimus Illustriss. Iuliam Taraconēsem Federici Regis Neapolitani filiam natu minorem, & illi medicis præsidijs opem tulimus, quæ carnes edere non poterat, imo neque gustare, nempe si bolum in os ponebat, in uehementissimam incidebat syncopen, & uehementi clamore ululabat, in terram que decidens uolutabatur. idque per semihoræ spatium contingebat, postea in sese redibat. At hic casus nō est ad Hippocratis propositum, qui de eo sermonem habet qui carnes edere non sit assuetus, uel qui assuetus quidem, sed paucas semper receperit, si multas ederit præter solitum, offenditur. neque hoc mirum sit, cum solitam quantitatem transcendat.

ἢ σκόροδα. i. uel allea. illa particula multa ad allea applicari non potest. sed satis est quod allea comedere inassuetus, illa edat, tamen & si multa ederet, non mirum si læderetur ob uehementem alleorum acrimoniam & qualitatem, qua caput tentatur.

ἢ σίλφιον. i. uel silphium. i. laserpitium. de quo in nostro simplicium examine ubertim egimus. nam pro condimento eo antiqui utebantur.

ἢ ὀπὸς. i. uel succus. s. ipsius silphij, quem laser uocant. nam antiqui ὀπὸς simpliciter dicentes silphij succum intelligebant. uocabāt & succū cyrenaicū in loco, in quo ubertim nascebatur.

ἢ καυλὸς. i. uel caulis. s. ipsius silphij. nam in condimentis & succo & caule utebantur. Si quis præter consuetudinem hæc ederit, uel in parua uel in magna copia, non mirum si offendunt.

ἢ ἄλλα ὁκόσα τοιουτότροπα μεγάλας δυνάμιας ἔχοντα ἴδιας. i. uel alia quæcunque consimilia magnas uires habentia, ac proprias. quę enim hñt uires egregias & qualitates uehementes, illa prępter admirationem noxas corpori inferre possunt, cū repēte & uniuersim absque consuetudine sumuntur. noxę uero sunt in ui concoctrice, & in alteratrice, & nutritrice. & hæ uires sunt uel ob magnam quantitatem quæ fit insumpta, ut de carne dicebat, uel ob substantiam duram & glutinosam, uel ob qualitatem egregiam, uel quia commistum est, hoc potissimum, quod insumitur ex ui cibi & medicamenti, tamen hanc noxam in uentriculo potissimum fieri docet Hippocrates.

ἧσσον ἄν τις θαυμάσειε. i. minus quis admirabitur. nam admiratio, quæ initium fuit philosophandi, ut Arist. j. Metaphy. docet, magna est de rebus magnis & abstrusis, parua de rebus non multum occultis. Illa quæ egregias habent qualitates, si uentriculo obsint cum præter consuetudinem eduntur, magnam non faciunt admirationem, sed illa quæ habent qualitates ferè insensibiles si præter consuetudinem recepta obsint, admirationem parere uidentur.

εἰ τὰ τοιαῦτα πόνους ἐμποιέει τισι κοιλίης μᾶλλον τῶν ἄλλων. i. si talia labores uentriculis quibusdam faciant magis quàm alia. non est admirādum de his quę tales habēt qualitates egregias, si quibusdam uentriculis labores inducant, quos non inducunt alia, quæ has non habēt qualitates, sed habēt illas insensibiles uel modicas. Si uero petas, an Hippocrates de alio labore intelligere possit, quàm de uentriculi labore. Respōdemus posse quidem intelligi, sed de uētriculi labore potissimum intelligit Hippocrates, quoniam citius apparet & manifestius, quàm aliarum partium labor.

ἀλλ᾽ εἰ καταμάθοι ὁκόσον μᾶζα τε ὄχλον καὶ ὄγκον, καὶ φῦσαν, καὶ στρόφον κοιλίῃ παρέχει παρὰ τὸ ἔθος βρωθεῖσα τῷ μὴ μαζοφαγέειν εἰθισμένῳ. i. sed si didiceris quantam maza turbationem, & tumorem, & flatū, & tormina uētriculo prębeat præter consuetudinem uorata, nō assueto mazam comedere, iure admirari poteris, quia maza nullam habet egregiam qualitatē, & nihil habet manifestū, de quo suspicādum esset, quod obesse deberet, sicuti illa habēt quæ egregia quadā qualitate sunt insignita.

De maza, & polenta.

Hic uero petes quidnam maza sit, & quō apud antiquos conficeretur, cū sit apud Hippocratem frequentissimus mazę usus. nō enim putādum est (ut aliqui recētes arbitrati sunt) mazā id esse quod in pręciarum pharmacopolarum uulgus mazapanem uocat ex amygdalis & zuccaro confectum forte mazapanem à nobis dictum non quidem ex maza & pane, sed potius ex massa & pane, cum amygdalæ & zuccarum in massam quandam pro hoc conficiendo conglobentur, & uelut panis subigitur, in furnoque coquitur. hęc possunt apud Grecos uocari τὰ ἴτρια, ut de illis aliàs agemus, quanquam Hermolaus in saccaro, &

Marco, marcipanes nuncupatos uelit, sicuti & marciatum unguentum, & Marci pastilli in medicina leguntur. De hac autem re quicquid sit, nos in praesentiarum mazam inquiramus, & quid sit edoceamus. Decepti sunt qui mazam ex alia re confectam putant, quam ex farina. Nempe constat & apud Hippocratem & apud Galenum ex farina confici mazam, & ex hordeacea farina. nam Hippocrates in. 2. de alimentis lib. de maza locuturus, primo, de hordeo egit, postea, de maza. & Galenus. j. de alimentorum facultatibus, polentam facit ex hordeo prius, postea mazam ex polenta aliquo liquore consperſam. & Aetius lib. j. mazam facit ex hordeacea polenta. idem censuit Paulus. Pro ipsa uero conficienda maza primo uidendum est, quonam modo conficeretur polenta, & quid esset. Non loquor autem de polenta, quam passim faciunt rustici, ex fabarum farina, & castanearum, & milij: sed de antiqua loquor polenta, & quomodo conficeretur. Galenus in. j. de alimentorum facultatibus, ex nouello hordeo mediocriter tosto probatissimam fieri polentam dicit. tamen cum hoc non potest haberi nouellum hordeum, fit & ex alio hordeo. Estque omnis polenta boni odoris, sed potissimum quae ex optimo, recentique fit hordeo, cuius non sint praearidae spicae. Duo modi conficiendi polentam à Galeno edocentur: unus est, ex hordeo nouo torrefacto, & deinde in farinam redacto: haec farina ex hordeo tosto polenta est. unde polenta ab hordei farina differt, quod hordei farina non fit ex hordeo torrefacto. Alter modus est, cum nouo caremus hordeo, ex ueteri fit tosto. Plinius id quod dictum est apertissime testatur lib. 22. cap. 25. cum inquit, de polentae generibus in frugum loco satis diximus locorum ratione, quae à farina hordei distat eo quod torretur. Idem Plinius modos conficiendi ferè omnes in unum collegit libro. 18. cap. 7. ubi inquit. Polentam quoque Graeci non aliunde praeferunt. pluribus fit haec modis. Graeci perfusum aqua hordeum siccant nocte una, ac postero die frigunt, deinde molis frangunt. Sunt qui uehementer tostum, rursus exigua aqua aspergant, siccentque prius quam molant: alij uero uirentibus spicis decussum hordeum recens purgant, madidumque in pila tundunt, atque in corbibus eluunt, ac siccatum sole rursus tundunt, & purgatum molunt. quocunque autem genere praeparato uicenis hordei libris, ternas seminis lini, & coriandri selibras, salisque acetabulo, torrentes, ante omnia miscent in mola, qui diutius uolunt seruare, cum polline ac furfuribus suis condunt nouis fictilibus. Italia sine perfusione, tostum in subtilem formam molit, ijsdem additis, atque etiam milio. Haec Plinius. uerum hi sunt alij modi & compositiones, de quibus Galenus mentionem non facit. Intelligit uero Galenus de simplici farina ex tosto hordeo facta, & nulli commista rei. Cum uero multi putarint polentam apud Galenum esse genus edulij, propterea ab re non erit ostendere secundum Galenum polentam quam alphiton uocat, esse farinam, & non massam quandam compositam. nam praecitato loco Galenus inquit, in aestate quoque ex sola aqua bibi duabus tribusue horis ante balneum, & monet, hos ex hac potione sentire sitim arceri, at nisi esset farina bibi non posset. equidem cum austero uino pota uentrem desiccat. imo addit, polentam gentes quaedam pro pane usurpant, ut in Cypro agricolas uidi. sed putamus illos tunc polentam coquere & subigere ut nostrae faciunt mulieres quam ex milij farina polentam uocatam conficiunt. imo multi superioribus annis in maxima annonae caritate Ferrariae ex farina milij & milij nigri & lomento polentam uocatam confecere. & Paulus libro. j. cap. 78. in aestate, ut Galenus fecerat, dat polentam ante balneum cum aqua potam, ut siti subueniat. quod indicium est esse farinam & non aliud. imo & ex Ouidio hoc colligi potest libro. 5. Metamorph. ubi Ceres Proserpinam quaerens, fessa, sitiebat. rogauit anum ut sibi aquam ad os colluendum exhiberet. cum uero illa daret potum quod prius coxerat cum polenta, impudens quidam puer Cererem deridere coepit tanquam gulae deditam, quae irata puerum conspersit polenta illa, quam nondum biberat, unde stellio effectus est. Haec sunt Ouidij carmina.

Lymphamque rogant .s. Ceres à uetula.
Dulce dedit testa quod coxerat ante polentam
Dum bibit illa datum, duri puer oris & audax
Constitit ante Deam, risit, auidamque uocauit.
Offensa est, neque adhuc epota parte loquentem
Cum liquido mista perfudit Diua polenta.

Ex his facile colligi potest polentam coqui cum re liquida, & bibi. propterea farina erat. quod uero coqueretur, ex Aetio manifestum est dicente lib. j. exiguumque nutrimentum corpori praebet, quouis modo decocta, ut decoqui deprehendatur. unde polenta proprie est farina è tosto hordeo, quae uarijs poterat decoqui modis, & in uarijs liquoribus, ut in aqua, in uino ueteri, in defruto, in musto, & in lacte. Ex milij farina & lacte, & ex hordei farina & lacte comedimus nonnunquam non contemnendam, sed potius erat maza quam polenta, ut deinceps ostendemus. Plinius Secundus in libello de re medica eodem ferè modo confici docet polentam, ut unus est apud maiorem Plinium modus, inquiens, hordeum aqua perfusum una nocte siccatur, deinde in uiginti libras hordei adijciuntur tres librae lini seminis, & coriandri seminis libra una, salis acetabulum unum, tunc mane torretur & in mola frangitur. Vt omnes mola terant, qua in farinam redigitur. imo & antiqui polenta ad spissanda carnium iura utebantur, quem morem & nunc plures in Gallia seruant, quanquam Gallorum multi ex auena tosta & in farinam redacta id faciant. & Galenus in. 10. Methodi polenta utitur in medicamento oxalidos succum recipiente ad spissandum, licet & restringeret. Nostro hoc aeuo Graeci sunt qui hordei farinam in sartagine torreant, & illam seruent ad usus, nam in ieiunalibus frequentissime illa utuntur, ἄλφιτον & nunc uocant, ut & antiquitus, latini polentam. Apud antiquos medicos semper ferè uocabulum ἄλφιτον accipitur pro polenta. apud Aristophanem in Pluto pro farina acceptum est, quanquam & farinam crudam plerunque uocent Graeci hordei farinam. Id dictum arbitror ad differentiam polentae quae est farina tosta. imo aliqui farinam torrebant & non hordeum ex antiquis, ut nunc est ferè publicus in Graecia usus, usum est praefectus hordeum torrere & non farinam. itaque antiqui utebantur. farinam uero hordei crudam, quandoque simpliciter Graeci uocarunt ὠμήλυσιν, uel ὠμὴν λύσιν, tamen farris specificationem nonnunquam addunt, nam ὠμήλυσις crudam significat farinam. plerunque addunt uel hordeaceam, uel triticeam, uel orobeam. unde Galenus in. 2. de compositione medicamentorum secundum locos, hordeum addidit, loquitur de cataplasmatis in capitis dolore Archigenis. pars illa ita incipit. καταπλάσματι δὲ χρῶ κριθίνῃ ὠμῇ λύσει. i. cataplasmatis uero utere hordeacea cruda farina. addidit hordeaceam ad triticeae & orobeae differentiam. Absyrtus quoque in ueterinaria, ubi curationem docet rupti in equo pulmonis inquit, ἁρμόζει δὲ τούτῳ, καὶ ὠμὴ λύσις κριθῶν λεπτῶν ἀλφίτων καταρραινομένη νίτρῳ, καὶ διδομένη φαγεῖν. id est, conuenit autem, huic & ὠμὴ λύσις ex hordeacea tenui farina conspersa nitro & exhibita in cibo. in quo loco uidetur accipi ὠμὴ λύσις pro genere medicamenti & non pro farina hordeacea. nam exhibet ὠμὴν λύσιν ex hordeacea farina. palàm uero est, si interpretaremur ὠμὴν λύσιν. i. crudam farinam, iterum addi non posset farina hordeacea. si non adesset particula farina posset accommodari, sed cum addatur particula farina, pro medicamenti genere accipi debet, quamuis & nonnunquam pro cataplasmatis genere accipiatur. si id uerum sit quod in libro Galeno adscripto, qui Isagogicus dicitur, scriptum reperitur, ubi habetur, in genere cataplasmatum, nonnulla melle solo & oleo conficiuntur, & emollientia nuncupantur, nonnulla hydrolaeo conficiuntur. haec intellige aqua & oleo confici, quae ὠμὴν λύσιν uocant, forte intellige simul miscendam esse hordeaceam farinam, tamen quicquid sit in illo loco ὠμὴ λύσις aliud esse non potest, quam cataplasmatis genus. Quòd uero ad differentiam farinarum, farris genera addant, adest apud Galenum locus in. 4. de compositione medicamentorum secundum locos, cap. 8. ubi de chemosi loquitur, statim oculorum ablutionem ponit, & in illius partis initio inquit ἢ τῇ ὠμηλύσει κριθίνῃ, ἢ πτισάνῃ ἐγχυλωμένῃ ἑψημένῃ. i. aut cruda farina

hordeacea,

hordeacea, aut triticea in passo decocta. ubi colligi potest, ὠμὴν λύσιν, tam crudam hordeaceam farinam significare, quam triticeam. propterea distinctionis gratia & triticeam addit & hordeaceam. Idem Galenus lib. 6. de compositione medicamentorum secundum locos, cap. 3. circa dimidium ferè illius partis, in qua refert quæ Archigenes scribit ad curgulionem inflămatos inquit, καὶ ὠμὴν λύσιν ἐπιτιθέναι, τὴν διὰ κριθίνου ἀλεύρου, ἢ διὰ λινοσπέρμου, ἢ τήλεως, ἢ καὶ μίγμα ἐκ τούτων. i. & ὠμὴν λύσιν imponendam ex hordeacea farina, uel ex seminis lini farina, uel ex fœnograeci farina, uel ex omnibus mistura. ut hoc loco opus sit intelligere uel ὠμὴν λύσιν esse cataplasmatis genus, aut omnes farinas complecti. Galenus præterea in. 5. de compositione medicamentorum secundum locos, ubi loquitur de fomentis ad dentium dolores, est cap. 9. ubi inscripto est, post præscripta plorantium dentium cum dolore cōscripsit in hæc uerba, est fere ad dimidias illius partis, ubi inquit. ἢ καὶ ἐπιθέματα διὰ τῶν χυλῶν ὕδατι, ὡς τὰ δι' ὠμῆς λύσεως ἐκ κριθίνων, ἢ τι λινοσπέρμου, i. uel et epithemata producũt, siue aqua apparata, sicuti sunt quæ ex cruda farina, siue hordeacea, siue ex lini semine. ut hinc percipere liceat ὠμὴν λύσιν cōmune esse ad omnem farinam uocabulum. nam & ad seminis lini farinam hic ampliatur. Hippocrates in. 2. de morbis ita inquit. ἔξωθεν τε καταπλάσσειν ἢν ἄν αὐτὸ ἔξῃ, ὠμήλυσιν ἐν οἴνῳ καὶ ἐλαίῳ ἑψῶν χλιαρὸν. i. & extra illinire, uel si defuerit, farinam hordeaceam in uino & oleo elixam tepidam. ut hinc manifeste deprehendi possit Hippocratem in uino uel oleo, recentem uel crudam hordei farinam recipere. ὠμήλυσιν uero esse puram farinam inde coniectari licet, quia in aliquem liquorem semper recipitur. unum cū annotatione dignum est, cum authores simpliciter hæc uocabula ponũt ὠμήλυσιν, uel ὠμὴ λύσις, semper hordei farinam crudam intelligũt, nam uocabulũ ostendit crudam accipiēdam, uel ex semine immaturo. hocque modo oēs antiquiores medici accipiũt, quando simpliciter dicunt ὠμὴν λύσιν, tunc enim interpretandum est, uel farinam hordei crudam, uel simpliciter farinā hordei, ita enim in uarijs locis usurpatum reperitur. Paulus Aegineta in phrenitidis curatione inquit. μετὰ δὲ τὴν ἑβδόμην ἢ φλεγμαίνοι τὰ σπλάγχνα τοῖς διὰ λινοσπέρμου καὶ τῆς ὠμῆς λύσεως ἐν ὑδρελαίῳ καταπλάσμασιν αὐτὰ παρηγορήσομεν. i. post septimam uero si uiscera inflāmabuntur, ea cataplasmatis leniemus, quæ lini semine, & farina hordeacea cruda, cum hydrelæo confecta fuerint. ubi facile deprehendi potest, absque hordei appositione, hordei farinam intellexisse nam hoc in casu farina hordei optima est. idem Paulus ubi de piscis spina, quæ gulæ inhæreat uerba facit, Leonidis emplastrum refert, quod extra apponi debet, & inquit. ὁ δὲ λεωνίδης πλέον καταπλάσμασιν ἔξωθεν χρῆσθαι συμπεπτικοῖς ὁποῖα τὰ δι' ὠμῆς λύσεως. i. Leonides uero iubet extra cataplasmatibus uti maturantibus, qualia sunt illa quæ ex farina hordei cruda. in quo loco simpliciter id uocabulum ὠμὴ λύσις, crudam hordei farinam significat, ad differētiam ἀλφίτου. i. polentæ, quæ fit ex hordeo tosto. cruda uero dicitur, uel quia ex immaturo fiebat hordeo, uel quia illa cruda in medicamentis utebātur. nullis autem alijs, præter polentam, & ptisanam, crudis utebātur. Præterea, si putarem Plinium à Dioscoride accepisse, id tanquam certum affirmarem, ubi Dioscorides habet ὠμὴν λύσιν, Plinium hordeaceam farinam uertisse. nam de abrotono agens Dioscorides inquit διαφορεῖ καὶ φύματα ὠμῆς λύσεως λεῖον ἑψηθέν, Plinius hoc modo uertere uidetur, cōcoquit panos cum farina hordeacea. Adde quod in Telephio Dioscorides ait, θεραπεύει δὲ καταπλασσόμενα τὰ φύλλα ἐπὶ ὥρας ἓξ λεύκας, ὕστερον δὲ μετὰ ταῦτα ὠμῇ λύσει χρῆσθαι, Plinius ita uertit, illinitur & in uitiligine ternis ferè mensibus, senis horis noctis aut diei, postea farina hordeacea illinit. Si Plinius Dioscoridem uertere intēdit, certū est hordeaceā farinā interpretatū esse, quod Dioscorides ὠμὴν λύσιν dicebat, tamen nō putamus Pliniū Dioscoridē īterpretatū esse, quoniam in multis fuisset parum fidus interpres. Ad rē igitur redeũtes, polēta est hordei farina ex friso uel tosto hordeo facta. Sed una ambiguitas nō omittēda hic occurrit, polētam non esse quod tenue ut farina, sed crassius, ut eo uesci possent aues. nā Q. Curtius ad dimidias 4. lib. partes, refert polētam sparsam, fuisse ab auibus esitatam, at si fuisset farina, quomodo potuisset ab auibus edi. (nam is author refert Alexandrum uoluisse Alexandriam Aegypti urbem ampliare. unde dicit fama est, cum Rex urbis futuris muris polētam, ut Macedonum mos est, destinasset, auium greges aduolasse, & polentam esse pastas. cumque id omen à plerisque pro tristi esset acceptum respondisse uates, magnam illam urbem aduenarum frequentiam culturam, multisque illam terris alimenta præbituram. At deprehendere potes, si aues polentam comedere, non fuisse farinam, sed rem quandam crassiusculam. propterea nos dicimus, & polentam esse nuncupatam farinam, & etiam polentam hordeum, quando post tostionem erat pinsum, sed nondum mola erat in farinā redactum. & hoc modo sparsum ubi aues aduolabant, poterat ab auibus comedi. nisi diceremus sparsisse Macedones polētam, hoc est hordei farinam iūctam alicui liquori, ut in corpus redigeretur, quod ab auibus edi posset. Misceri uero multis polentam, uarijs in locis colligi potest. In libello de remedijs paratu facilibus, ubi ponitur cataplasma ad destillationem in oculos, illud facit ex apij folijs cū polenta. & deinceps ubi de præsidijs ad hæmalopas & hyposphagmata agit, apponit flores rosarum, et folia per se, aut cum uino cū tenui polēta, uel fit tenuis ex miscella cum uino, uel ipsa fit in farinam tenuem redacta. & in eodem libro ad dolorem uentriculi dat assum oui luteum cum polenta potum. & in libro de medicinis facile parabilibus Galeno adscripto, ubi in principio ad comitialem morbum præsidia affert, ponit hoc præsidium odorabile: Tithymalum cum aceto & polenta torrens placentulas conficito, olfaciendasque laboranti offerto, & non cadet. Facit & mentionem tenuis polentæ in libro de remedijs paratu facilibus, ubi loquitur secundum Archigenem de compositione pharmacorum ad humorum in oculos defluxum, apponit oculis uitis folia cum tenui polenta, & fronti applicat folia uel sedi, uel sampsuci, uel portulacæ cum tenui polenta instar cataplasmatis, & ad uentris profluuium dat quernas glandes cōtusas, & diutius cribratas, ut polentam in uinum austerum spargito, potionemque conceditο. Intellige hic contusas ut polentam quando polenta non est in farinam redacta, sed est solo pistillo in mortario contusa. & in. 3. de medicamentis facile parandis ad phlegmonem, aut erysipelas sedi folia cum polenta in cataplasmatis modum imposita ualere dicit. Ad albugines oculorum eodem libro alterci folia ponit cum polenta. & ad oculorum fluctionem apponit folia apij cum polenta. & ubi de uiribus rutæ agit, & cum loquitur de his quæ uisum reddũt acutiorem dicit, menta quoque cum polenta in cataplasmatis modum imposita abscessus sanat. in. 2. de alimentorum facultatibus, ubi de piris & punicis loquitur de muliere agit cardialgica, cui dicit esse sedatum affectum, cum polenta succo punici aspersa semel in die uteretur reliquis cibis abstinēs. erat uero mulier de qua Hippocrates sermonem habuerat in. 2. de epidemijs lib. Polentam uero alijs cōmisceri liquoribus manifeste apparet, nam in. 8. de compositione medicamentorum secundum locos, ubi ponit quæ Archigenes in. j. pharmacorum secundum genus prodit. De affectibus circa stomachum dat polentam ex uino, & ponit illam cum caseo recente molli, & cum apij folijs & aceto & miscet ibi quoque polentam cum oui uitello, imo & de flore polentæ mentionem facit. facitque comparationem eodem loco stercoris passeris triti ut polenta, ut in farinam & tenuissimum puluerem redactum esse uoluerit. Ad rem uero redeũtes, puls uocatur ab Aetio lib. j. ubi de polenta agit iusculum ex eadem farina, de quo forte meminit Plinius lib. 14. cap. 13. cum adducit carmen Fabij Dorsenni in Acharistione, quo dicit, panem, & polentam, uinum murinam. Aetius præterea eodem. j. lib. inquit Mazam (de qua in præsentiarum acturi sumus) esse ex polenta hordeacea cum melle, aut sapa, aut consimili liquore confectionem quæ siue cruda comedatur, siue quolibet alio modo condiatur, minus hordeaceo pane concoquitur. & in. 3. cōmentario in. 6. epidimiorum Sectione. 2. à Galeno dicitur placẽ

tam dictam mazam modice alere. unde ex his omnibus haberi potest polentam esse hordei tosti farinam, mazam uero esse eandem farinam in aliquem receptam liquorem, uel in placentas conformatam. Id uero prætereundum non est, & ex aliis farribus confici. unde & ab Hippocrate dicitur ἄλφιτα πύρινα, καὶ φακῶν, καὶ ὀρόβων πεφρυγμένων. Nota uero & polentæ pollinis usum esse nonnunquam Galenum, ut in. 3. de composi. medicamē. sm locos, capite. j. uidere licet, ubi de capitis dolore loquitur, quodam in præsidio inquit. παιπάλην ἀλφίτων polentæ pollinem, quamuis & florem polentæ uerti posset. Cum ergo maza sit polenta. i. farina hordei tosti in aliquem liquorem recepta, ob hoc Galenus lib. j. de alimentorum facultatibus de polenta agens inquit: hæc cum liquore conspergitur atque subigitur, mazæ appellationem, de qua deinceps disseremus, assumit. Cum uero & ex aliis farinis polenta conficeretur, & mazam etiam ex aliis fieri oportebat, tamen cum simpliciter maza dicitur, illa hordei intelligitur. Quòd uero ex alia re, quam farina maza fieri possit, Aristophanis carmine indicari potest, quo inquit. δὸς μάζαν ἑτέραν ἐξ ὀνίδων πεπλασμένην. i. da mazam alteram ex asini stercore conditam. sed ioco loquitur Poeta. Scito autem triplicem fuisse massæ usum, nonnunquam in liquorem recipiebatur, & non coquebatur, nonnunquam coquebatur, & cocta edebatur, nonnunquam liquore aliquo subigebatur, & in panem conficiebatur, uel in placentæ formam, uel aliam similem. unde ab Hippocrate in præsenti sententia dicetur, illam comedi, uel aridam uel humidam, uel tenacem. & ideo Galenus in. j. de alimentorum facultatibus de maza inquit: Tanto mazam in alendo corpore hordeaceis panibus, quanto hi triticeis, inferiorem esse. quippe cum hordeum suapte natura furfuris abundans torreatur, id ipsum furfur obduratus, infractiusque hinc obtinet, atque unà cum eo præstantiorem hordei partem, unde corpus nutritur, aridiorem. hac ergo de causa hordeaceis panibus maza minus nutrit, uentrem inflatione magis implet, ac si in eo diu maneat, concitat perturbationes. Macerata uero & pertrita prolixius, promptiusque descendit. Quòd si mel quoque addatur, citius etiam ob hoc ipsum uentrem ad excretionem incitabit. Notatque deinceps Galenus, si longo tempore subigatur contra Philotimum ab Atheniensibus uocari τριπτήν. i. tritam, & hanc esse glutinosam. Si uero petas, quod nomen habeat apud Latinos, Hermolaus panis offam dici putauit, Theodorus Gaza offam simpliciter. Nempe Festus offam uocat abscissum globi panem, aut glomeratam pultem. Sunt qui pultem apud Latinos mazam esse uoluerint: hicque contendunt Plinium hoc sensisse, cum tamen Plinius lib. 18. cap. 8. dicat, pulte autem nō pane longo tempore uixisse Romanos manifestum, quoniam inde & pulmentaria hodieque dicuntur. & Ennius antiquissimus uates obsidionis famem exprimens offam eripuisse plorantibus liberis patres cōmemorat. & hodie sacra prisca atque natalium pulte fritilla conficiuntur. uideturque tam puls ignota Græciæ fuisse, quam Italiæ polenta, ut pro eodem Plinium accepisse & pultem & offam deprehendi possit. uerum si polenta erat Italiæ ignota, puls tamen & offa erant nota. Puls & offa maza esse nō possunt; quia ex polenta fiebat maza. propterea dicendum potius est non esse apud Latinos nomen, huic nomini maza correspondens, sed cum eo indigemus, maza semper dicere debemus. Multa sunt apud Pollucem mazæ genera à uino œnuta, & à melle mellituta nuncupatæ. De una specie mentionem facit Hesiodus quam uocat amulgeam, quoniam non fuerit multum subacta, physten ab Atticis uocabatur. Varia deinde sunt mazarum nomina, ut triptæ, cardanale, anthema, ephicos, concon, carix uel carycce, quæ non à nuce, sed à nigredine nomen habet, berex, thridacina, uel thridacisca, tolypa, anemolos. Secundum diuersa hordei genera erat & maza diuersa, ut achilleos ex hordeo illo nuncupato achilleis. Facit & mentionem Cypriæ mazæ, & Magilis & Lydiæ, quam summe laudant, & Erethria, quæ non minori laude digna est, sicuti & carycce. Multa sunt de maza apud authores prouerbia, ut illud hemistichion, quod refert Zenodotus ἀγαθὴ καὶ μάζα μετ' ἄρτον. i. bona & maza post panem. ut sensus sit, consumpto pane, probatur & maza. & Athenæus lib. 6. πεινῶντι γὰρ ἀνδρὶ μάζα τιμιωτέρα χρυσοῦ τε κ' ἐλέφαντος. i. esurienti etenim homini maza charior & auro, & ebore. & illud μάζαν γε μεμαχὼς τὴν ὑπ' ἐμοῦ μεμαγμένην. i. mazam pinsiut à me pistam. de his dicitur, qui sibi alienæ industriæ laudem uendicant, & gloriā ex alieno labore partam sibi imponunt. accipitur & ex Aristophanis equitibus, quem (si lubet) legito. ex eo prouerbio accipi potest, quod pinsebatur & subigebatur maza, & illud etiam αἶρ' αἶρε μάζαν ὡς τάχιστα κανθάρῳ. i. pone pone mazam celerrime scarabæo, εἰρήνην exorditur Aristophanes hoc uersiculo, dicitur quando sordidus cibus immundo conuiuæ apponitur. Erasmus mazam putauit ex farina & lacte perpetuo factam, sed longe decipitur. Priusquam uero de maza finiamus, illud prætermiserim genus panis mazam uocari apud antiquos.

Ad propositum uero redeuntes, maza præter consuetudinem insumpta turbationem facit, Galenus in. j. de alimentorum facultatibus, notat turbationem facere, si diu in uentre maneat, quod & Aetius notauit. his uero qui illa non sunt assueti, putandum est diu in uentrem immorari, propterea non mirum si turbationem faciat. per turbationem uero cōmotionem talem intellige quæ fit per flatus, & coctionis impedimentum, & rugitus & inappetentiam, & omnia similia perturbationum genera, quæ mire flatus excitant, unde & addit Hippocrates, quod timorem facit, quia flatuosa est, & flatus uentrem extendunt. Galenus in. j. de alimentis inquit, mazam hordeaceis panibus minus nutrire, uentrem uero inflatione magis implere. & Aetius inquit, Magisque uentrem flatu replet. Paulusque & ipse inquit, & amplius quam hordeaceus panis inflat. flatus uero hi sunt omnium causa & perturbationis & tumoris, & torminum. nam flatus uentris partes extendentes, tormina inducunt, cum per extensionem fiat quodammodo continui solutio.

ὁ αὐτός γε ὁ ἄρτος θερμὸς βρωθεὶς ὅσῳ δίψαν παρέχει, καὶ ἐξαπιναίην πληθώρην, διὰ τὸ ξηραντικόν τε, καὶ βραδύπορον. i. uel qualem panis ipse calidus deuoratus, sitim inferat, & repentinam plenitudinem, ob id quia exiccat, & tarde descendit. Posset hæc pars de pane ipso ex polenta confecto, qui tamen maza dicitur, intelligi: at potius de cōmuni pane intelligenda est, ac si ita arguat. quid opus est de polenta loqui, aut aliis rebus, cum cōstet panem ipsum cōmunem, si præter consuetudinem ingeratur calidus, sitim facit uehementem, & repente nostra implet corpora, & non ob aliam rem, quam ob id quod exiccat, & tarde deiicitur. Simpliciter enim cum dicitur panis, de triticeo intelligitur, sub hoc nomine panis, nisi cum additione proferatur.

Si uero petas, quæ incōmoda corpori nostro, & quæ discrimina faciat calidus panis: Respondemus, hæc facit etiam consuetis, quoniam è furno exempti sunt panes effumant, & ex ipsis crassissimi uapores exeunt, qui caput petentes, capitis dolorem inducunt. cum uero sint ualdè crassi, difficulter resoluūtur, & ideo capitis dolor breui non resoluitur. ita etiam calidus in uentriculum receptus & uaporibus plenus naturalem obtundit calorem, & praue coquitur, unde cum praua coctione transmittitur ad iecur. itaque fit sanguis crassior, & cum quo sunt multi uapores, qui uenas implent, unde hic uidetur plenus. Notaque in hoc loco per plethoram, ueram plethoram non intelligi, sed tantum plenitudinem, quoniam his crassis uaporibus homo impletur, itaque plenus uidetur. Vera autem plethora est æqualis omnium humorum plenitudo & abundantia. Si quis experiatur calidum edens panem, uidebit ei esse plenum per totam diem & multum bibet, nam illi uapores calidi, uentriculi os supercalefaciunt, cum sit calor humidus obtusus, propterea exiccatur, & ita sitis inducitur, quæ tam assuetis, quam non assuetis contingit. tamen multo maior est in non assuetis sitis. Adde, calidum panem appetentiam auferre: & quod graue est, si quis eo frequenter uescatur, illi dentes putrescunt.

Nota uero dixisse repentinam plenitudinem, quia cito fit uaporibus per corpus sparsis. Adde & hoc mihi, uapores illos qui

extra panem exeunt, capitis dolorem inducere, si qs in loco sit clauso e quo egredi non possint, uisum obtundunt, & omnes æque sensus. idq; potissimum fit si edatur. Forte ambiges, qa inquit repentinam fieri plenitudinem, deinceps Hippocrates causam huius repentinę plenitudinis addere uidetur inquiens propter id qd' exiccant, & tarde descendunt. sed hoc exiccare non uidetur esse plenitudinis causa, imo potius oppositi, qa siccitas attenuationem inducit. Respondemus, duo ab Hippocrate dici, quæ à pane fiunt calido, unum est sitis, aliud plenitudo. In hac parte non reddit rationem solius plenitudinis, sed ponit rationem & sitis & plenitudinis. ꝓpterea cum dicit quia exiccant reddit causam sitis: cum uero addit tarde descendere, reddit plenitudinis rationem: nam cum tarde descendit, uapores ibi inculcantur & implentur.

καὶ οἱ ἄγαν καθαροὶ τε καὶ συνάμικτοι παρὰ τὸ ἔθος βρωθέντες διαφέροντα ἀλλήλων ποιέουσι. i. & ualde puri & confusanei præter consuetudinem uorati uaria inter se pariunt. hoc ad panes referri debet, nam panes uel ualde puri, uel commisti, si præter consuetudinem edantur, uaria inducunt nocumenta. hoc in maximis penurijs manifestissimum est, qñ homines nõ comedere panes triticeos, neq; cõmunes, neq; sincerissimos, neq; cõmistos, postea incipiant comedere, uarias incidũt ęgritudines, & tumores, & carbunculos, & multa alia, ad quæ sequuntur mortes.

Sunt panes ἄγαν καθαροὶ. i. ualde puri, illi quos Galenus in. j. de alimẽ. facultatibus, uocat siligineos ex flore farinæ uel polline factos, quos Galenus dicit tardissime deijci, et optime nutrire.

συνάμικτοι uero uel συμμίκτοι. i. confusanei illi sunt, quos Galenus præadducto libro dicit Græcos suo tempore αὐτοπύρους appellasse, quasi dixerint, ὅλος αὐτὸς ὁ πυρός. i. totũ ipsum triticum. nam panem cõficiunt ex toto tritico pinso, nulla parte dempta, neq; furfure, neq; farina, neq; secundaria farina, dicitq; hos ab antiqs medicis nũcupatos esse συγκομίστους, qm̃ συγκομίζεται, qñ simul conuehitur uel cõmiscetur furfur, & secundaria farina. Et inquit ab antiquis ita appellari, qm̃ Hippocrates ita uocat. hi uero panes satis facile à uentriculo descendunt, & non facile nutriũt, ꝓpterea hic panis potest minores, & pauciores noxas inducere, q̃ purissimus.

Si uero petes, de qbus panibus intelligeret prius Hippocrates, qñ dicebat, panem calidum sitim & plenitudinem inducere: Respondemus, de omni calido pane intelligere, uel forte de cõmuni pane, qui ex farinæ flore non fit, neq; ex furfure simul fit & secũdaria farina, sed fit ex farina in cerniculo excussa & à furfure, & utriculo uel secundaria farina, uel furfuracea exempta. hos panes Galenus. j. de alimen. facult. uocat similaceos, quos græce ab antiquo nomine semidalis semidalites dictos refert.

καὶ μᾶζα τε ξηρὴ παρὰ τὸ ἔθος ἢ ὑγρὴ ἢ γλίσχρη. i. & maza similiter, siue arida, siue humida, siue glutinosa præter consuetudinem. s. deuoretur, uaria inter se parit.

De maza superius simpliciter loquebatur, hic de maza sm̃ uarios modos quibus paratur, qñq; enim paratur humida, qñq; sicca, qñq; glutinosa, ut superius dictum est, uerũ quomodocũq; sumatur, modo sit præter consuetudinem, uaria inducit.

καὶ τὰ ἄλφιτα, ὅσοισι ποιέει τὰ πρόσφατα τοῖσι μὴ εἰωθόσι, καὶ τὰ ἑτεροῖα τοῖσι τὰ πρόσφατα εἰωθόσι. i. qualiter & polentæ afficiant, recentes quidem eos qui non sunt assueti. s. recentibus, & aliæ eos qui recentibus ex consueto utuntur. Vt hinc colligatur, non solum polentam præter consuetudinem sumptam male afficere, sed etiam polenta recens male afficit non consuetos accipere illam recentem. & potissimum de illa intellige ex recenti hordeo exusto factam, quæ est satis flatuosa. & idem facit antiqua polenta his qui non sunt assueti antiquam comedere, de polenta superius.

καὶ οἰνοποσίη, καὶ ὑδροποσίη παρὰ τὸ ἔθος ἐς θάτερα μεταβληθέντα ἐξαπίνης. i. preterea & uini potationes, & aquæ potationes præter consuetudinem in aliud subito translatæ. Huius partis uarius potest esse sensus, & q; mutationes uini potus, in aquam, uel aquæ in uinum, qñ subito fiunt, nocumenta inducunt uel aquæ & uini potiones, qñ in aliud subito fiunt pręter consuetudinem, nocumenta inducunt. Omnes hi sensus ueri sunt. tñ de uini in aquam & aquæ in uinum potationem intelligit, quippe qui aquam bibere assuetus est, si repente uinum bibent, ad caput effumat, eius dolorem inducit, mentem pturbat, oculos facit caliginosos, calorem incutit circa cor, denique manus & pedes cito incalescunt, & nonnulli febrem ephemeram incidunt, & ebrietatem facile incidere possunt. Qui uero uino assuetus est, si aquam repente bibat, tormina in uentre fiunt, & per totum intestinorũ genus flatus excitantur, frigescit uentriculus. & multa alia contingere possunt ex repẽtina aquę ex uino & insueta mutatione.

καὶ ὑδαρής γε οἶνος καὶ ἄκρητος ἐξαπίνης ποθείς. i. & dilutum quidem uinum, & meracum repente potum. Intellige repente & præter consuetudinem, nempe opus est semp omnia intelligere quæ dicuntur esse præter consuetudinem. quid uero meracius uinum, & quid dilutius incommodi faciat, statim edocet inquiens.

ὁ μὲν γὰρ πλάδον τε ἐν τῇ ἄνω κοιλίῃ ἐμποιήσει, καὶ φῦσαν ἐν τῇ κάτω. ὁ δὲ παλμόν τε φλεβῶν καὶ καρηβαρίην, καὶ δίψαν. i. hoc quidem (. s. uinum dilutum) uentrem superiorem humentem reddit, & in inferiori flatus inducit, hoc uero (. s. uinum meracum) uenarũ pulsationem efficit, & capitis grauitatem, atq; sitim inducit. per superiorem uentrem intelligere possemus partem uentriculi superiorem. tñ & caput ipsum intelligere possumus & debemus: nam caput uapores recipit, qui à uino diluto eleuantur. uerũ cum sint pro maiori parte aquei, humectant quidem caput, sed calefacere non possunt. humectãt quidem quia & uinum & aqua humida sunt, sed non calefacit, qm̃ pars maior aquea est & frigida. cum uero aqua potius descendit, q̃ ascendat, ꝓpterea flatus inducit. At uinum meracius ad caput effumat, & capitis uenas implet, easq; calefacit, ac uniuersum caput, simulq; multis implet uaporibus. nam meracum uaporosius est, q̃ sit dilutum. Ob hæc duo sequũtur, & uenarũ temporũ pulsatio, & capitis grauitas: primum, ob calorem: secundum, ob multitudinem, ex hoc autem calore caput incalescit. ex caliditate exiccatur. unde sitis inducitur, & etiam ob oris uentriculi siccitatem, quæ ad os usq; pertingit, & quæ siccitas ob ebullitionem inducitur.

καὶ λευκός τε καὶ μέλας οἶνος παρὰ τὸ ἔθος μεταβάλλοντι, εἰ καὶ ἄμφω οἰνώδεες εἶεν, ὅμως πολλὰ ἂν ἑτεροιώσειαν κατὰ τὸ σῶμα. i. adde & album, & nigrum uinum præter consuetudinem mutata, si & ambo uinosa fuerint, ualde alterant corpora. De uinis & albis & nigris & alijs coloribus affectis nihil in pręsentiarũ agemus, qm̃. 3. libro hac de re ample locuturi sumus, & de uinosis, ac non uinosis, & de omnibus singulatim. Nunc id solum annotare oportet, nigrum uinum semp esse albo crassius, & crassiorem generare sanguinem & obstruere, album uero ẽ cõtrario. ut multos uiderim, qui breui in obstructionem incidere, cum prius assueti essent alba uina bibere, deinceps per tres aut quatuor dies nigra bibentes uina, in ictericiam incidere. Et alios nouimus, in quibus urinarij meatus obstruebantur, primi meatus necessario habebant occlusos, & crassioribus humoribus erant pleni, secũdi necessario urinarias uias habebant arctas, & crassioribus abundabant humoribus, qui à uino albo attenuabantur, & uiæ dilatabantur. sed uinum nigrum erat ineptum & ad humores attenuandos, & ad uias aperiendas, imo potius oppositum inducebat.

ὡς δὴ γλυκύν τε καὶ οἰνώδεα, ἧσσον ἄν τις φαίη θαυμαστὸν εἶναι μὴ τωὐτὸ δύνασθαι ἐξαπίνης μεταβληθέντα. i. quare dulce & uinosum uinum, minus mirũ esse quis dixerit, non idem posse repente mutatum. Vinum dulce & uinosum amplum pręstet corpori nutrimentum. at si repente bibatur & pręter consuetudinem, non potest idem. i. non habet suas uires, quas habet, qñ est sm̃ consuetudinem ebibitum. Nonnulli istũ sensum faciunt. Cum dictum sit alba uina & nigra uinosa, corpora ualde alterare, infert aliquem ambigere posse, & mirũ sibi uideri, cur dulce uinum uinosum, ubi repentina fuerit muta-

tio,

tio, in corporum alteratione. Idem non possit cum uinis albis & nigris uinosis. Alij intelligũt ut dicat quare dulce uinum uinosum, minus. s. alterat corpora, ut quispiam dubitet, mirum esse non idem posse, ubi fuerit mutatio repentina. Copus intelligit ut nihil mirum sit, si dulce, & uinosum uinũ, ubi subita fuerit mutatio, non idem efficere uideatur. hic forte est sensus, aliqs dicet, minus mirabile esse uinum dulce uinosum non posse idem repente potum, quoniam repente potum easdem non habet uires, sed & ipsius & aliorum quorumcunq; repente & præter consuetudinem sumptorum diuersæ sunt uires. uel cõtextum hoc modo intelligamus, uerum dulce uinum uinosum, minus alterat corpora, quàm album & nigrum uinosa. Sed quispiam dixerit mirum esse, uinum istud non idem posse, ubi fuerit repẽtina mutatio at tum uehementer alterare non potest, quia non ita penetrat dulce uinum, ut alia faciunt. Sensus omnes defendi nihil impedit.

GALENVS.

Sermonis totius sensum intelligentiamq; ubi prius dixerimus, ad particulares quæ in eo sunt dictiones perueniemus. Orationis igitur totius sensus talis est. Victus mutationem in eos qui insigni præditi sunt uirtute, tum cibos, tum potus nemo qui lædentem corpora uiderit, admirabitur: uerum eam quæ fit neq; sine læsione in cibos potusq; non insigni præditos uirtute, iure quis admirabitur. Talis quidem est sermonis totius intelligẽtia. Sed ut particulatim dicam, orationis totius principium mentionem eorum facit ciborum, qui fortem uehemẽtemq; habent facultatem: ut carnium deuorationis, alliorum, silphij, succi eiusdem & caulis: nempe silphium totum fortem habet facultatem, sigillatimq; succus ipsius & caulis. Verum hæc quidem simpliciter dixit: sed cum carnium deuorationis meminit, adiecit hoc uerbum, multa: nempe multa carnium deuoratio magnã habebit facultatem, mediocris uero non magnam. Quæ huic succedit dictio, ad eos accedit cibos qui non magna constant uirtute: mazam uelut & panem uel calidum, uel frigidum, uel syncomiston. i. confusaneum. Quòd panem non purum syncomiston appellet, constat & ex ea quæ ad purum est oppositione. Panem hunc homines huius temporis autopyron appellant, non discreto. s. furfuraceo, sed unà cum sincera puraq; farina maceraro conspersoq;. Post hæc de polentis mẽtionem fecit, recentesq; uocauit ποταίνιας, Ionum uoce usus & antiquorum. Memorauit postea & uini & aquæ potationes præter solitum mutatas. Meraciorem item & dilutiorem potum. Quibus adiecit dilutum uinum in uentre superiore πλάδον. i. humiditatem infirmitatemq; facere, flatumq; in inferiore: meracũ uero palpitationem temporum, capitis grauitatem & sitim, idq; caliditate: dilutum autem cõtraria, tum humiditate, tum frigore. Mentionem quoq; & de uinorum ipsorum differentia fecit, ex his omnibus colligens, quod in uniuersum ab initio ipsi propositum institutumq;, omnem. s. consuetudinis subitam permutationem non paruum corpori adferre detrimentum.

BRASAVOLVS

Primo, Galenus notat, cum exposuerit totius huius sermonis sensum & intelligẽtiam, ad particulares quæ in eo sunt, peruenit dictiones. Totius igitur orationis διάνοια (ut eius utar uerbo). i. sensus talis est, nullus admirabitur, cibos illos & potus humana lædere corpora, qui insigni aliqua sunt præditi uirtute, quando fit repentina mutatio: at admirabitur læsionem fieri in illis cibis & potibus, in quibus non est aliqua insignis qualitas. hæc est totius sermonis διάνοια. i. intelligentia.

Secundo, Galenus particulatim ad huius sententiæ dictiones descendit, inquiens, Hippocratem mentionem facere eorum ciborum, qui fortem habent atq; uehementem facultatem, ut carnium deuorationis, alleorum, silphij, succi eiusdem, & eiusdem caulis. nam si silphium consideremus totum, & succum, & folia, & caulem, fortem habet facultatem. sigillatimq; succus & caulis. ut hic ordo sit, silphium totũ facultatem habet fortem, succus & caulis consequenter. Succus fortem quidem habet, sed minus quàm totum, & caulis adhuc minus, uel succus excedit. neq; dicit Galenus sigillatim, sed καὶ κατὰ μέρος. i. & particulariter, quia uim illam particulariter habent succus & caulis. At Hippocrates hæc simpliciter dixit, de alleo, silphio, & eius succo, ac caule. intellige uero simpliciter. i. nulla alia conditione addita. Sed cum de carnis agit uoratione, addidit uerbum multa, nam multa carnis deuoratio magnam habebit facultatem, sed mediocris, nõ magnam. Scito aliquos esse cibos qui à tota sua specie uehemẽtem habent facultatem. i. uehemẽtes qualitates uel calefaciendi, uel infrigidandi, uel alio modo corpora immutandi, ut silphium, & alleum. hæc ob suas uehementes qualitates uim habẽt humanum corpus immutandi. caro uero eam nõ habet uim à sua specie, sed habet, si magna eius quantitas insumatur. priora uero habent ἰσχυρὰν δύναμιν. i. fortem facultatem à sua specie.

Tertio, Galenus notat reliquas dictiones quæ in sententia sequuntur, ad eos spectare cibos qui non magna constant uirtute, neq; habent qualitates egregias: quales sunt maza, & panis uel calidus, uel frigidus, ἢ καθαρὸν. i. uel purus (hoc addi debet quod in græco codice scriptum est) uel syncomistos. i. confusaneus & autopyrus. notatq; Galenus certum esse panem non purum syncomistum ex oppositione illa ad purum uocari. & notat hunc panem uocari ab hominibus sui tẽporis αὐτόπυρον, quoniam non habet discretum furfur, sed unà cum pura sinceraq; farina maceratur & conspergitur.

Quarto, Galenus notat fecisse & de polentis mentionem Hippocratem, & uocasse recentes ποταίνιας, usum Ionum uoce & antiquorum. postea mentionem fecit & uini & aquæ potionum præter solitum mutatarum. mentionem præterea fecit meracioris potus & dilutioris, quibus omnibus adiecit dilutum uinum in uẽtre superiore humiditatem facere & languorem, & in inferiore flatum inducere: at uinum meracius, temporum palpitationem facere admonuit, capitis grauitatem, & sitim. idq; ex nullo alio fit, quàm caliditate. At dilutum uinum, id quod facit per contraria facit. s. per humiditatem & frigus. Fecit quoq; mentionem & de uinorum differentia. sed quicquid sit ex his omnibus illud colligit quod in uniuersum ab initio illi propositum est atq; institutũ, oẽm. s. subitam consuetudinis mutationem non paruum detrimẽtum corpori afferre. hæcq; est tota huius negotij summa. Aliqs uero ambigere posset, quia Galenus circa dimidiam ferè cõmentationis partem inquit, Hippocratem post enumerata allia, silphium, & illa quæ sequuntur, esse de cibis, qui non magna cõstant uirtute. at mutatio quæ fit de aqua ad uinum, est mutatio quæ ad uinum fit magnæ uirtutis, nẽpe magna est uini uis. Respõdemus, quia uino assueti sumus, & est cõmunis potus, propterea nõ est magna mutatio: tñ quia supponit nos nõ esse assuetos, propterea dicemus, inter illa posita esse quæ paruam habent uirtutem, quoniam non multum morantur in corpore, sed cito descendunt. uel intelligebat Galenus, cibos qui sumerentur esse paruæ uirtutis, sed de potibus non intelligebat.

## Hippocrates. Sectio XXXV.

Cæterum partem hanc sermone contrario τιμωρητέον, id est iuuare oportet. Nempe his uictus mutatio facta est, corpore neq; ad robur ut cibos adiicere, neq; ad infirmitatem ut cibos diminuere oporteret haudquaquam permutato.

BRASAVOLVS

Nunc Hippocrates sermone contrario, & ratione contraria partem hanc. s. prædictam adiuuare intendit. est uero prædicta sententia & probata, & quam ad hunc usq; locum probauit & secutus est, mutationes. s. repẽtinas sanos offendere. uerum quispiam dicere posset, Tu ea omnia quæ enunciasti, in sanis enũciata esse constat, & in ipsis uera sunt, nam in sanis uictus mutatio fieri non debet: quoniam cum sani sint, robur habẽt. & ideo mutatio fieri non debet ad maiorem cibi quantitatem, quia robore non indigent, neq; debent extenuari, cum robur sit seruandum: propterea cibi non diminuendi. unde in sanis corpore non permutato, uictus ratio permutari non debet. in ægris secus habet, nam ægri sunt sibi ipsis contrarij quàm erant sani. propterea

ab insigni

ab insigni uictus mutatione iuuantur. & hoc est quod sermone contrario hanc iuuat partem.

τιμωρητέον δὲ τάων δὲ τι μέρος τῷ ἐναντίῳ λόγῳ. i. cæterum iuuare oportet in aliquo hanc partem cõtrario sermone. nempe hucusque in sanis non esse uictus rationem mutandam edocuit, & repentinam mutationem offendere, sed eãdem met sententiam per contrarium sermonem. s. in ægris factum quodammodo iuuabimus.

ὅτι ἡ μεταβολὴ τῆς διαίτης τουτέοισι ἐγένετο, οὐ μεταβάλλοντος τοῦ σώματος. i. q̃ uictus mutatio his facta sit, non mutato corpore, ac si dicat, fieri nõ debere rationis uictus mutationem corpore non mutato.

οὔτε ἐπὶ τὴν ῥώμην ὥστε προσθέσθαι δεῖν σιτία, οὔτ' ἐπὶ τὴν ἀῤῥωστίην ὥστ' ἀφαιρεθῆναι. i. neque ad robur ut cibos adijcere, neque ad infirmitatem, ut eos minuere oporteat. s. cibos. nam corpore nõ mutato, neque debet addi cibus ad robur, cum non indigeat, neque debet auferri cibus, cum uires non sint diminuendæ. & hæc in sanis intelligenda sunt qui suum habeant natiuum robur. sed in ægris per contrarium non uidetur mutationem uictus non cõuenire, quia & ipsi mutati sunt. hoc est qđ Hippocratis sententię opponi uidetur. tamen id dicere debemus, qđ in sequenti sententia Hippocrates edocebit ostendens quænam mutatio sit in ægris perficienda.

Vel huic sententiæ sensum hunc faciamus. Iuuemus hanc partem de his quibus obsunt repẽte mutati uictus per sermonem contrarium, ab ægris. s. sumptum, quibus prosunt mutati uictus. Nempe his sanis uictus mutatio facta est nõ mutato corpore, neque in robore, ut coacti simus exhibere & addere cibos neque in imbecillitate, ut coacti simus cibos minuere. Et si petas quomodo hanc partem iuuabimus ex cõtrario & ex ęgris. Respondemus, quia declarantes esse mutandam uictus rationem, quia ægri sunt, habebimus non esse mutãdam rationem uictus cũ sunt sani, & potissimum nõ esse repente mutãdam. Sed inquies, Hippocratis ꝓpositum esse probare mutationes repentinas esse prauas, & hoc in sanis ꝓbabat, ut inferret hoc esse adhuc peius in ægris. Respondemus, uerũ esse de cibationibus hoc est de cibationum numero, & de quãtitate, quę paulatim, quando fieri potest, mutari debet non uero de qualitate, quia qualitas semp debet esse morbo opposita. tamen et quãtitas est minuenda, sed non penitus auferenda, nisi in morbis exacte peracutis, qui ad quartum usque diem tantum ꝑdurant. unde initium sermonis Hippocratis circa cibationum numerum potissimum fuit, unde & de soliti prãdij amissione, & insoliti acceptione loquebatur. sed deinde & ad alia inconsueta sermonem ampliauit.

GALENVS.

Verbum hoc τιμωρητέον, opitulandum siue iuuandum indicat. Neque autem opitulatio alia sermoni huic fuerit præter patrocinium qđ uera loquitur. Nempe cum ex duobus sermonibus unus ipsi placuerit, alter uero aduersetur, & ei quidem qui placuit hucusque est patrocinatus nunc ad alterius patrocinium descendit: cuius sententia quis conuenire dixerit, ut languentes ab insigni uictus mutatione iuuẽtur, quando & corporis affectio in contrarium his quidem qui antea sani uiuebant, nunc uero ægrotant, permutata sit. Sanè & in huius sermonis gratiam uniuersaliter antea est loquutus his uerbis, Transmutatio autem bene habet non modica: sed ὀρθῶς. i. recte transferenda uenit. Deinde qđ aduerbium hoc ὀρθῶς indicet, non paucis ostendit, sed ad summam subducens, colligensque dixit Nõ igitur intempestiue neque fortes uasorum inanitiones moliri, neque cum morbi uigent feruoremque habent cibum dare, neque repente huc uel illuc in toto negotio quicquam mutare licet. Quare & ambiguitatem soluere iam anticipat, quam nuper enunciauit sermoni ꝯsentiens. Adijcitque in præsentiarum aliqd, cũ inquit: Conijcere autem oportet & robur, & morbi cuiusque speciem. & cætera quę his succedũt, quę in sequẽti dictione explanabo.

BRASAVOLVS

Primo, Galenus notat uerbum hoc τιμωρητέον significare iuuandum, addit uero non esse aliud auxilium huic sermoni pręter hoc qđ uera dicit. etenim duo sunt sermones ex quibus unus Hippocrati placuit, alter uero illi aduersat: placuit probare in sanis non esse insignem faciẽdam mutationem, de hoc sermone ad hãc usque partem locutus est: alter sermo est, ęgros à repentina ciborum mutatione iuuari, hic est sermo, cui nunc patrocinari intendit. unde hanc sententiam forte quispiam conuenire dicet, languentes ab insigni uictus mutatione iuuari debere. cum enim sint ægri. sibi ipsis sanis sunt oppositi, & affectionem habent sibi ipsis sanis contrariam, ꝓpterea opus est contrario modo incedere, q̃ sani faciant. Contrario autem incedimus modo, si contrarium ꝓbemus, q̃ fecerimus, qñ sani eramus. Sed neque Hippocrati placet in cibationum numero esse differentiam, nisi aliquid magni obstet. propterea in Sectionibus sequentibus de hac re aget, de qua & superius Sectione 18. nonnulla explicauit.

Secundo, Galenus notat superius ab Hippocrate de hac re disputatum esse. s. de mutatione quæ in ægris fieri debeat, & quomodo fieri contingat. Id uero superius Sectione. 18. uniuersaliter edocuit, cum dicebat, Transmutatio autem bene habet non modica, sed ὀρθῶς. i. recte transferenda uenit. postea ostẽdit quid significet particula illa ὀρθῶς, & hoc multis uerbis. Omnium uero illorum uerborum summam Sectione 32. collegit, cum dixit: Non igitur intempestiue neque fortes uasorum inanitiones moliri, neque cum morbi uigent, feruoremque habent, cibum dare, neque repente huc uel illuc in toto negotio quicquam mutare licet. Si recte igitur contemplemur, iam Hippocrates ambiguitatem soluere anticipat, quam nuper enunciauit, suo consentiens sermoni. Notaque Hippocratem in proxima sequenti sententia aliquid esse huic sententiæ additurum. At Galenus omnia hæc in sequenti parte exponere promittit.

At inquies, non uideri Hippocratem ambiguitatem istam explicuisse. Respõdemus, non explicuit quidem directe, sed debet ex sanis subintelligi.

## Hippocrates. Sectio XXXVI.

Conijcere autem oportet & robur, & morbi cuiusque speciem: hominis item naturam, atque ægrotantis in uictu consuetudinem, non in cibis solum, uerum quoque & in potionibus.

BRASAVOLVS

In præcedenti sententia innuebat Hippocrates uictus rationem non esse sanis immutandam, neque augendo, neque minuendo cibum. Sed quispiam ambigere potuisset, & intulisse ægris uictus rationem esse immutandam, quia & ipsi habent mutatum corpus. de hac autem re superius Sectione. 18. locutus fuerat, cum uolebat transmutationem faciẽdam esse ὀρθῶς, i. recte, cum in ægris prorsus transmutari debeat, sed ut conuenit. quid uero sit hoc ut conuenit & ὀρθῶς. i. recte, pro parte expositum est, & nunc aliquid ad id explanandum addit. propterea inquit. Quatuor hæc pro cibi exhibitione in acutis morbis à probo medico conijcienda esse: primum est uirium robur, hoc enim maxime indigemus pro instituendo & immutando uictu: secundum est, morbi species, quæ ostendit quæ conueniant, & quæ minime: tertium est, hominis natura, quæ nihil aliud est, q̃ ipsius temperatura: quartum est, ægrotantis in uictu consuetudo, quam ita in potibus ut in cibis spectare debemus.

At tibi forte uidebitur esse multo plures conditiones considerandas, q̃ sint prædictæ quatuor: nam ætas, regio, tempus, aeris constitutio, pro cibo exhibendo in ægris & immutando, consideranda ueniunt, quæ omnia Galenus ꝓpe finem Methodi medendi considerauit. Respondemus, Hippocratem in hoc loco solum principales cõditiones enumerasse, inter quas duæ sunt solum principalissimæ, illa. s. quæ à uiribus sumitur, & illa quæ à morbo. nam si uis est imbecilla, indicationem habemus de exhibendo cibo: si robusta, indicationem habemus ꝓhibendi cibum: si morbus est acutus, intentio est remouendi cibum: si ægritudo est longa, intentio habetur dãdi cibum. ꝓpterea hæ duæ conditiones potissimum considerandę. itaque

harum meminit Hippocrates. Petes uero, cur uictus consuetudinem posuit, & naturam potius quàm alias conditiones? Respondemus, id fecit ne quisquam putaret solas principalissimas esse tantum sumendas. ꝓpterea innuere uoluit, & non principales huc esse reducendas. de his uero minus principalibus egit potius, quàm de alijs, q̃m inter minus principales sunt ꝑfectiores. nempe temperatura uictus rationem docet & mutationem. pari modo & consuetudo, quæ (ut superius dicebat Hippocrates) & in ægris & in sanis plurimum facit. At dices multa alia esse à Galeno enarrata lib. j. Sectione. 44. q̃m duos illos recensuit casus, & illius qui omnes habebat conditiones, per quas homo famem ferre posset, & illius, qui omnes habebat per quas famem ferre non posset, ut sunt latitudo uenarum, atq; strictura, habitus corporis siccus et durus, uel mollis, præterita uictus ratio, & reliqua. Respondemus, oẽs sub his duabus minus principalibus subintelligi: q̃m & si multę sint, Hippocrates tñ breuitati studens, nonnullas tantum enumerauit, qđ aliâs etiam obseruauit, ut in. j. Aphor. cum dicebat condonandum esse aliquid ætati & consuetudini, omnes cõditiones non recensuit, quæ enumerari poterant.

προτεκμαρτέα δὲ καὶ τὴν ἰσχύν. i. conijcere autem oportet & robur pro exhibendo cibo & immutando. nempe si uirium robur fuerit robustum, cibum minuere potes: uel si iam sit diminutus, in eodem statu seruare: si robur sit imbecille, cibum augere debes, neq; quicquam minuere, ut à robore intentio habeat & augendi uel minuendi cibum & immutãdi.

καὶ ὁ τρόπος τοῦ νοσήματος ἑκάστου. i. & morbi cuiusq; modum. En quàm docte Hippocrates noluit uocare species morbo᷑ differentias, sed potius modos, cum nõ sint ueræ species, quæ ꝑfectam habent specie᷑ constitutionem. Inquit uero modum cuiuscũq; morbi conijciendum esse pro cibo & accipiendo, & immutando. nam si morbus sit longus, cibus exhiberi debet: si breuis, exhiberi non debet. adde morbi speciem indicare, de tali & tali genere cibi.

καὶ τῆς φύσιος τοῦ τ' ἀνθρώπου. i. & hominis naturam conijcere oportet. hic uero per naturam temperaturam intelligere oportet. nam biliosa temperatura & calida, de cibi additione indicat, frigida pituitosa, & humida de cibi subtractione. & eodem pacto per alias discurrendo temperaturas.

καὶ τοῦ ἔθεος τῆς διαίτης τοῦ κάμνοντος, οὐ μόνον σιτίων, ἀλλὰ καὶ ποτῶν. i. & consuetudinem in uictu ægrotantis, non solum in cibis, uerũ & in potibus. Etenim qui plurimum edere assueti sunt, in multa inedia seruari non possunt, & qui parũ comedere assueti sunt, in inedia seruari possunt. eadem est in potibus ratio, nam potatores absque potu seruari non possunt. Inassueti uero potui, in ægritudine cum modico potu seruari possunt.

**GALENVS.** Conuenienti in acutis morbis uictus institutioni quam docuit, & roboris considerationem, & morbi speciem, præterea & hominis naturam ꝯsuetudinemq; ipsius adijcere iubet Hippocrates. Nempe summa quam adstruit est, non permutandam esse uictus speciem prius, quàm signa coctionis manifesta sint. Id autem fiet, si quot diebus ad uigorem morbus uenturus sit præcognoueris. Verũ cum uictus, quem manifestabo, pro maioris minoris'ue ratione permutari posit, q̃ laborantes inter se differant uirtutis tum robore, tum infirmitate, naturali item temperamento & morbi specie, atq; antecedente consuetudine, si ad ea respexeris, poteris artificiose tum magis, tum minus animaduertere, sì uc3 uel oxymelite, uel melicrato ægrum regere debeas, aut solam aquam bibẽdam adusq; coctionis notas dare. aut ptisanam, aut ptisanæ solum cremorem: deinde si bis & semel die. In uictu uero tum magis, tũ minus per ea quæ dixit conijcere oportet. Nam si ægrum ptisanæ cremore indigere comperias, iam tibi constat quantum de eo sis ꝓpinaturus. Consimili modo de oxymelite, melicrato & aqua. Verum quo modo ad generis uictus inuentionem operæpretium est, ut cognoscas an robusta uel infirma sit laborantis facultas, quot item diebus morbi coctio futura sit, sic & considerandum quantum uel robusta uel infirma fuerit. Nempe in uirtutis tum robore tum infirmitate magis & minus ualde discrepant: sic morbi quoq; discrimina differẽtiasq; conijcere oportet. Neq; enim satis est cognoscere q̃ pleuritis uel ꝑipneumonia sit, sed & qualis'nam ea sit cognoscere oportet in dolore, febre, & sputis. Nempe pleuritidum quæ cũ dolore sunt, aliæ quidem magis, aliæ uero minus tales existunt: febremq; uehementem habent, tum magis tum minus particulares pleuritides. Cetero᷑ non parua est in his quæ expuuntur differentia: ut in prognostico est dictum. Cum igitur particularium in dictis differentijs uariet ęgri, fieri nequit, ut in Empiricorum appellatis syndromis reperiatur disciplina. Neq; enim eorũ qui in uirtute comperiuntur excessuum differentiæ scribi possunt, neq; febris uehementia, neq; sputorum quantitas, neq; in particularibus coloribus, dissimilibusq; eductionibus magis minusq;. Verũ cuiusq; rei uirtute intellecta, omnes inter se comparare, summamq; omnem ex ipsis colligere oportet. Qua quidem in re tum meliores, tum deteriores reperiuntur medici, quanquam eadem didicerint. Nempe qui perspicaci magis pollent sensu, his qui hebetiorem habent, euadunt probatiores. Laboris item amantiores segnioribus, exercitatiores q̃ minus exercitatis, atque qui memoriam tenaciorem habent, his qui minus ea ualẽt. Ex particularium igitur omnium uirtute colligere in summam omnem formam totam singulorumq; ciborum quantitatem commodius est. Nam imbecillitas sæpius quidem sed paulatim cibandum indicat. Fidemq; rei huic facit q̃ æger bis cibari suetus sit. Facultatis autem robur contrarium indicat. Nam si in homine semel cibari suetum uideatur, semel ipsum cibare oportet: qđ indicant ambæ coniecturæ. Sic & corpus bene difflabile ad cibationem stimulat, qđ ægre difflatur ad contraria agit. Quod item tenues habet succos, id cibandum indicat. Quod his non constat, cõtrarium commonstrat. Atq; in singulis quæ dicta sunt, magis minusq; proportionaliter sibi & auxiliorum usum tum auget, tum remittit. Sed de huiusmodi, omnia in methodo medendi deinceps & ordine ita exarata sunt, ut tum citissime condiscere, tum facilime ad memoriam reuocare posis: fieri siquidem nequit ut libro uno presenti bene omnia scribat Hippocrates, atq; ordine doceat, utpote qui primus horum inuentionem sit molitus. Qui tñ hæc ab Hippocrate tum transuersim, tum inordinate scripta didicerit, totamq; suam uitam in eam quæ ex operibus docetur, meditationem exercitationemq; deuouerit, is, & lucem & ordinem doctrinæ adijcere poterit. Quod si & pluribus libris fecerit, quanta futura sit claritatis eorũ quæ docentur exuperantia, liquido patet. Nemo ergo uitio uertent, si hoc in loco confundatur Hippocrates, scoporum multitudine affatim circunseptus. Nam si qđ particularim horum unumquodq; à nobis in methodo medendi demõstratum sit intellexerit, atq; ad illã translatus laboriose singula didicerit, ea sanè quæ nunc incomposite inordinateq; dicuntur, liquido cognoscet: speculationemq; in ipsis artis operibus exercens, ueritatem ipsius laudabit.

**BRASAVOLVS** Primo, Galenus notat Hippocratem, conuenienti in acutis morbis uictus rationi, quam edocuerat, roboris considerationem addere, morbi speciem, hominis temperaturam, & ipsius ad cibos & potus consuetudinem. unde forma, quam adstruit est, uictus speciem ꝑmutari non debere, prius quàm coctionis signa apparuerint. Si uero petas, quo modo id noscetur: Galenus respondet, id fieri si præcognoueris quot diebus morbus ad uigorem uenturus sit. At quia uictus de quo locuturus est, potest s̃m maiorem & minorem ꝑmutari rationem, & id est q̃a ægri inter se differunt, uel in uirium robore uel in imbecillitate, & in naturali temperamento, & in morbi specie, & in consuetudine præcedente. ꝓpterea si tu ad hæc respexeris, artificiose poteris, & magis & minus animaduertere uictus species, dico autem animaduertere, si ægrum, aut oxymelite, aut melicrato regere debeas, uel si aquam solam dare debeas bibendam usq; ad coctionis notas, aut ptisanam, aut ptisanæ

solum cremorem. Adde si bis & semel die, inferetq;, in uictu igitur per ea quæ dixit & magis & minus cōijcere opꝫ. Nempe si ægrū comperies pisanæ cremore indigere, manifestum iam tibi est, quantum illi debeas exhibere. Idem intelligo de oxymelite, de melicrato, & de aqua.

Vbi legitur, poteris artificiose, tum magis tū minus animaduertere, deest particula hęc τοῦ τῆς διαίτης εἴδους. i. speciem rōnis uictus. nam tota sententia ita se hꝫ. τεχνικῶς ὑπάρχει στοχάζεσθαι τοῦ τι μᾶλλον καὶ ἧττον τοῦ τῆς διαίτης εἴδους.

Vbi legitur, ægrū regere debeas, grǽce additur particula, in rōne uictus, τὸν κάμνοντα χρὴ διαιτᾶν. i. ęgrū i uictu regere oporteat. Qđ legitur, deinde si bis & semel die, græce est εἴτ᾽ οὖν δὶς, εἴτε καὶ ἅπαξ τῆς ἡμέρας. i. siue bis, siue semel die. deberetq; potius disiunctiue loqui, q̄ copulatiue.

Vbi legitur, in uictu aūt tum magis tum minus conijcere oportet, addi debet particula nunc.

Ambiges uero, absurdū uideri nō esse uictus speciem mutandam, prius q̄ manifesta sint coctionis signa, nā à principio mutatur uictus forma, igitur ante coctionem mutatur. Respōdemus Galenum intelligere postea q̄ fuerit uictus forma instituta, & cōuenienter, supponit enim conuenienter institutam esse, tūc usq; ad coctionis signa seruari debet.

Statim uero ambiges, qđ intelligat per coctionis signa, an illa quæ apparēt in principio augmēti, qppe augmētum est, cū incipiūt apparere coctionis signa. Peto igitur an intelligas hæc coctionis signa, uel intelligit exq̄sita coctionis signa, quę solū apparēt in uigore, imo in solo uigoris fine, nā in. j. de iudicationibus lib. Galenus docet in fine status factā esse coctionem, docetq; in augmēto coctionis signa apparere. Si de signis coctionis in augmēto intelligeres, absurdum esset, cum plerūq; tarde ueniāt, ut in Anaxione in. 1 2. Apho. j. libri, qui coctionis signa nō habuit, nisi post. xvij. diem, ut in hoc tam lōgo spatio idem modus uictus seruari nō potuisset. Si uero signa coctionis intelligas quo ad pfectam materiæ coctionem, tūc oportebit ægrū absq; cibo usq; in declinationē pmanere. Respōdemus, acutos morbi nō habere tpa quæ sint admodum lōga, ppterea cū aliqua uictus forma instituitur, ægrū in tali forma usq; ad iclinationem seruare debemus. Intellige uero pfectam inclinationem, & formam uictus, talem formam, quæ sm morbi speciem, & sm robur uirium sit ordinata.

In Galeno uidetur ꝯtradictionā in præscripto loco dicebat, nō pmutādam esse uictus speciem, prius q̄ signa coctionis appareāt postea inqt, uictū quem demōstrabit, pro maioris minoris'ue rōne pmutari posse. qūo igitur nō est mutāda uictus species, si pro maioris minoris'ue rōne mutari pōt. Respōdemus, ęgros in se diuersos cōparat, & intelligit nō esse regimē in uno ægro ꝓbe cœptum immutandū, sed uictus rōnem in diuersis ægris p magis & minus inesse, & hoc nō ab re, qm̄ & ipsi ęgri inter se differūt, uirtutis robore & ībecillitate, naturali tempamento, morbi specie, & ꝯsuetudine añte. unde prius in uno loquēs nolebat īmutandam esse uictus rōnem quoad signa coctionis sint manifesta, postea in diuersis loqtur ægris, in qbus p magis & minus uictus ratio sm ꝯditiones pędictas diuersitatem recipit, & tū neq; in his genus uictus diuersitatem recipit, sed solum per magis & minus exhibetur.

Neq; illud indubitatū prætermittes, quo Galenus inqt, poteris artificiose tum magis tū minus animaduertere, si ueꝫ uel oxymelite, uel melicrato ægrum regere debeas &c.

In hac parte rationis uictus formā docet quoad signa coctionis appareāt. At pñtibus coctionis signis, adhuc seruanda est aliq̄ rōnis uictus forma, quoad æger in pfectā deueniat sanitatem, ut Sectione. 44. huius lib. ꝯstabit, & in. j. libro docuit paulatim incedendum semp addendo. Respōdemus Galenum omnino formam rōnis uictus in acutis tradere, illam in pleuritide ostendēs, tanq̄ in morbo sæuissimo, & hęc ratio in his colligitur quæ sequuntur, & quomodo regendus sit post coctionem. Adde, & si hoc in loco pfectam nō posuerit uictus rationem, satis illi fuit nunc partem illam usq; ad coctionem exequi, deinde reliquum prosequetur.

Dubium prǽterea est in illis Galeni uerbis qbus inqt. Nam si ægrum pisanæ cremore indigere comperies, iam tibi constat quātum de eo sis ꝓpinaturus. ut hic dicere uideatur Gal. cum in uno cognosces ægro exhibēdum esse pisanę succū, cognosces et q̄ntū dari debeat. sed hoc absurdū uidetur. nā ex morbi specie cremorem dādum cognoscere possum, sed an parꝝ cremoris dandum, uel multum, ignorabo. Respōdemus, uictus genus à morbi specie sumi. nā sola aqua satis est in exacte pacuto morbo, in pacuto melicratū, aut oxymeli satis erūt. in morbo qui nono die finiri debeat, pisanæ cremor cōueniet. in. xiiij. die finiturus morbus pisanā expetit nō colatam. Sed qcqd hoꝝ cōpetat, q̄ntum dari debeat ex morbi tpibus et cognoscitur: semp enim in principio plus dandū, minus ꝓpe statū, in statu nihil. Adde & uires simul ostēdere, de sumendi cibi q̄ntitate. imo & cū nouimus, tale cibi genus esse dādum, statim scire debemus an copia sit danda, uel non danda, semp tamen & morbo & uiribus consideratis.

Quod uero hic inquit Galenus, qđ tibi cōstat. intellige cōstare de cibi quātitate, si quatuor istas cōditiones enumeratas ꝯsideraueris. nā non uidetur Galeno simpliciter hoc sciri, sed sciri supposito q̄ prædictas conditiones obseruauerit.

Scd'o, Galenus ad particularem descēdit. harꝝ quatuor conditionū speculationem, quas iussit Hippocrates ꝯsiderādas. notatq; sicuti ad generis uictus inuentionem, utile est cognoscas an ægri facultas robusta, uel imbecilla sit, & quot diebus morbi coctio sit futura, ita cōsiderare opꝫ, quātum sit uel robusta, uel infirma. nēpe uel roboris, uel imbecillitatis gradus debet à medico cognosci. nā & ægri ualde discrepāt in uiriū robore & ībecillitate. Adde à medico et considerādas esse morboꝝ species & differētias. nā nō est satis cognoscere, hic æger affectus est pleuritide, ille pipneumonia: sed opus est particulariter cognoscere qualia'nam hæc sint, qđ ex dolore cognoscitur, ex febre, ex sputis. & hęc ipsa, dolor, febris, sputa, qualia sint cognoscēda sunt. ad pleuritidem nāq; descendētes, illæ quæ cū dolore sunt distinguuntur. qa aliquę magis, aliquæ minus dolore ęgꝛ afficiūt. Adde, si febrem ꝯtēpleris, aliquas pleuritides hēre febres uehemētiores, aliquas minus uehemētes. si et in pleuritide quæ expuuntur ꝯsiderent, in ipsis uidebimus nō esse paruā differētiam. ueꝝ ne lōgior sit, q̄ ut cōueniat, de sputis trāsmittit lectorem ad libꝝ ꝓgnosticoꝝ, potissimū ad. 2. lib. in quo de uarioꝝ sputoꝝ differētijs abunde egit. nosq; in nostris illius libri cōmentarijs rem hanc amplexi sumus.

Quod legitur, sic & considerandum, addi debet particula νῦν nunc, quæ in græco adest codice.

In eo forte dubitabis qđ a Galeno dicitur, pleuritidū quę cū dolore sunt, aliæ qdem magis, aliæ minus tales existūt, cum dicat, pleuritidū quę cū dolore sunt, ergo erūt & absq; dolore pleuritides, qđ tū absurdū uidetur, cū in pleuritidis essentia dolor cōtineatur. Respōdemus Galenū dicere καὶ γὰρ τῶν ὀδυνηρῶν πλευριτίδων. i. & pleuritidum dolorosarum (ut ita dicam) ac si dicat pleuritides quæ sunt morbi dolorem habentes differunt per magis & minus, quoniam aliquæ magis dolent, aliquæ minus, neq; dolorem habentes, à non habentibus dolorem distinguere uoluit.

Si ꝓbe cōsideremus fieri possunt diuersitates, & penes uires, & penes morbi symptomata plures. ut si qs uires habeat robustas, & uehemētia symptomata. alter uires habeat ībecillas & symptomata ībecilla. tertius habeat uires robustas, & symptomata imbecilla. quartus habeat uires imbecillas, & symptomata uehementia: hic quartus necessario perit, tertius necessario sanatur, primus & secundus laborabunt. nam necessarium est ut uis & morbus pugnent. pugna uero in æqualiter fortibus, & æqualiter imbecillioribus est ambigua. tamen adhibita medici custodia & curatione, potius sanari debent, q̄ mori. quia medicus ad sanitatem adiuuat, symptomata uero à nullo adiuuantur, neq; morbus ipse.

Tertio, Galenus notat cū ægri in pędictis differētijs multum

uariēt, fieri non pōt ut aliqua sit disciplina in appellatis syndromis. i. ɔcursibus symptomatum Empiricorum. Et q hoc uerum sit uerum, en illorum excessuũ differētię, quæ in uirtute sunt, scribi non pñt, neq; differentię uehemētię febris scribi pñt, neq; qualitates sputorum, imo magis & minus scribi nō pñt in particularibus coloribus, & in eductionibus dissit: bus. at optimus medicus tã cuiusq; rei uirtutē intelligere, & oēs illas inter se cōparare uirtutes predictorum symptomatũ, & predictarum ɔditionum ɔsiderãdarum. debetq; is medicus oīum ipsorum summã colligere. In hac aūt re speculãda & ɔsideranda, q̃uis oēs medici eãdem artem didicerint & easdē regulas, & ab eodē forte pręceptore, tñ inter ipsos alij sunt meliores, alij deteriores. nã inter hos medicos qui sensũ ɔspicaciori pollēt, ɔbatiores euãdunt his qui sensum hñt hebetiorē. Adde esse ēt uiros ɔspicaces, sed literis incũbere nequeũt, neq; uolũt, postea q̃ sunt in arte initiati. ɔpterea Galenus inqt, & medicos laboris amantiores segnioribus esse ɔbiores, & exercitatiores minus exercitatis, & deniq; qui memoriam tenaciorem habent, his qui minus memoria ualent.

Qd' legit, repiat disciplina, græce est ποιεῖσθαι τὴν διδασκαλίαν. i. fieri disciplina. mel. usq; uidet legere fieri, q̃ repiat. nam disciplinam faciebant, sed qd' promittebãt, implere non poterant. tamen & si reperiatur, interpretemur, parum refert.

Qd' legit, nempe qui ɔspicaci magis pollēt sensu, græce est οἱ γὰρ ὀξύτεροι τὸν λογισμὸν i. nempe qui acutiores in ratiocinãdo sunt. hi uero in rōcinando acutiores, illi sunt, quos Arist. in fine j. poster. solertes appellauit, qñ ita solertiã definiuit ἡ δ' ἀγχίνοιά ἐστιν εὐστοχία τις ἐν ἀσκέπτῳ χρόνῳ τοῦ μέσου. i. industria uel sagacitas uel solertia est recta quædã medij ɔiectura tio in tã breui tpe ut ɔsiderari nō possit. Est uero hæc solertia uel industria duplex: una naturalis, quã qsq; ab aluo materna secũ ducit: alia quæ p exercitiũ fit. siqs naturalem hēat, & exercitatiũ addiderit, hic mirus efficitur. Galenus de eo intelligit qui hãc habeat industriam, quã uocat nũc acutiem in rōcinando à natura, & de hebetiori à natura. tñ Arist. non uocauit acutiem, sed industriã potius, q̃uis in re ɔueniãt, neq; usus est grece eodem uocabulo, ut palàm est. Ad rem igit. Ille erit acutior in rōcinando qui statim & facile uictus rōnis formã ex oībus quæ considerãda sunt, inuenire sciet: ille erit hebetior, qui hoc statim & facile inuenire non poterit.

At dices, qũo eãdem hēbũt scīetiam, si usus sciet uictus rōnem inuenire, alter ignoret? Rñdemus, easdem regulas hēbũt, & ab eodē pręceptore didicere, tñ unus est altero aptior ad has regulas assequēdas, & distinguēdas, & simul cōplicandas, ut manifestissime apparet. multi sub eodē pręceptore ediscũt, sed pauci erũt industrij, & pauci naturalem illã hēbunt solertiã discurrēdi p regulas à pręceptore datas, tñ ad unã regulas oēs sciēt. Scito in lib. de optima secta ad Thrasibulum de syndrome. i. Empyricorum ɔcursu abũde locutũ esse Galenũ, & alibi ēt frequēter. Illã. q; sępius reprehēdit. Empyrici etenim hęc hēbãt ɔpria, iuuãtiũ in ɔcursibus obseruationē, historiã, & ad sile trãsitũ. In eodēq; lib. hęc Gal. reprehēdit. illũ si lubet legito, q̃tũ sit ad ɔpositũ. Empyrici uolebãt intētionē curatiuã ex symptomatibus accipiendã esse, quę eadē in diuersis ęgris apparebãt. at Gal. hic dicit, in his symptomatũ syndromis & cōcursibus nō esse disciplinã, qm̃ in diuersis ægris nō cōueniũt, uel rarissime ɔueniũt oīa symptomata. ɔpterea de hoc cōcursu disciplina non habetur. Et Galenus multa notat, in qbus differētiæ in excessu & diminutione scribi non possunt.

Forte dices, tibi uideri exercitatos, & minus exercitatos cũ his ɔuenire qui memoriã tenaciorem hñt, & qui minus ea pollēt. nēpe exercitati memoriã hñt: qm̃, ut Arist. in. 2. poste. inqt, expiētia fit ex multiplicatis memorijs, ideo exptus multiplicatus hʒ memorias, & ex ɔ̃ñti qui est exptus memoriã simul hʒ, & p oppositũ erit nō exptus. Rñdemus, cũ ab Arist. dicit expiētiã fieri ex pluribus memorijs, p memoriã uim illã īellectiuã nō intelligit qua memoramur sed res intelligit quę in hãc uirtutē receptæ sunt, quas dicit expiētiã facere, qñ frequēter in memoriam receptę sint. Et hic Gal. memoriam accipit pro uirtute illa intellectiua, quę memoria nũcupatur. nolo enim in psentiarum disputare, an memoria ad phãtasiam spectet, uel ad intellectũ. uñ hic dicimus distincta esse memoriã & exercitationem. nã exercitati pñt ēt naturali carere memoria, de qua hic intelligit Gal. tñ quãdam faciũt accñtalem memoriã. Ita esse pñt qui bonã habeãt memoriam. tñ nō erũt exercitati, & cũ his hæc omnia simul applicari possunt. Idemq; de inexpertis dicēdum, & his qui memoriæ minus habent.

Quarto, Gal. infert ex oīum particulariũ uirtute, cōmodius esse in summa totã formã, & singulorum q̃titatē ciborum colligere, qd' appet, si p singula discurramus, nã uiriũ ībecillitas īdicat dandũ esse cibũ sępius & paulatim. & huius rei fides augetur, si æger bis die cibari sit assuetus, nã frequētius ob hãc assuetudinē cibãdus est. At uiriũ robur ɔtrariũ indicat. s. raro & multũ esse præbendũ. Nēpe si uis robusta in hoīe semel cibari assueto cōstet, semel ipsum cibare opʒ, & hoc ex utraq; sumitē cōiectura, ex illa inquã q uires sunt robustæ, & ex illa q semel cibari est assuetus. Eodē mō corpus qd' bñ difflabile est, ad cibationē incitat. corpus uero qd' ægre difflatur, ad cōtraria inclinat, nã incitat ad ieiuniũ. Adde, qui tenues hʒ succos, is ad cibãdum incitatur, qui uero hʒ succos oppositos. i. crassos ad ɔtrariũ, is ad inediã incitatur. ɔpterea si singula quæ dicta sunt, contēplari uolueris, in singulis magis & minus ɔportionabiliter accipies, & usum auxiliorum agere ac remittere. At de his oībus (inqt Gal.) in medēdi methodo & exqsite & ordinate à nobis scṫu est, ut citissime & facilime ad memoriã reuocare possis. nã fieri nō potuit ut uno in libro oīa scriberet Hippocrates, & ordine edoceret: causaq; est, qa ipse primus horum fuit inuētor. tñ siqs oīa hęc discat quæ ab Hipp. & trãsuersim & īordinate scripta sunt, & hæc met totã suã deuouerit uitã in meditationem illã & exercitationem, quæ ex his est operibus: hic uir sedulus poterit quæ ab Hippo. inordinate scripta sunt, in doctrinę ordinē redigere: & si pluribus libris hęc scribat, ut ea quæ docet sint clara, nihil refert. ɔpterea Gale. infert neminē dēre uitio uertere, si Hippocrates hoc in loco scoporum multitudine confundatur. nã est adeo his circũseptus Hipp. ut uideat ferè cōfusus. Et si de his scopis particulatim scire uolueris, de ipsis à nobis in Meth. medē. scriptũ est. & eo in loco hæc oīa demōstrauimus. ɔpterea si hæc intelligere cupias, & laboriose ad illa cōuersus singula didiceris, statim oīa ista cognosces, quæ hic ab Hippocrate dicta sũt incomposite & inordinate, & speculationem exercens in ipsis artis operibus, ipsius ueritatem laudabis.

Sed dices, qũo fidem facit huic rei, & συμμαρτυρεῖ τούτῳ. i. cōfirmat hoc, si bis die cibare assuetus sit? Rñdemus, hoc mō naturæ ībecillitas sępe & parum īdicat dãdum cibũ. at si hoc addatur, q bis comedere sit assuetus, hæc assuetudo magis affirmat q sæpius sit cibãdus, non tñ q parum sit cibãdus, nã id parum sumatur à uiribus, qa uires ībecillę à magna copia suffocarentur. uñ opus est paruã dare cibi copiã ut sufficere possint. at qa parua cibi copia citius conficitur, & si uis sit imbecilla, ɔpterea sępius dandum. notaq; hoc parum qd' datur, minus esse debere, q̃ si uis imbecilla, ut probe à ui imbecilla superetur.

Petes uero, quomodo tenues succi de cibatione indicēt. Respōdemus, cum humores sunt tenues, facile resoluuntur, ɔpterea de cibis indicant sumendis.

## Hippocrates. Sectio XXXVII.

**Ciborum autem adiectioni intendendum multo minus, subtrahere uero omnino sæpenumero expedit, cum æger sufficere posit, donec morbus maturescat.**

BRASAVOLVS

Ad uictus rationem recte instituendam, supius docuit Hippocrates ɔ̃spicere oportere, & robur, & morbi speciem, & naturam, & consuetudinem: nunc uero unum cōsulit Hippocrates accepta uictus ratione, quæ s̃m prædictas ɔuenit ɔditiones, iubet ciborum adiectioni minus esse attendēdum, q̃ subtractioni, imo sępenumero subtrahere ɔuenit, modo æger satis esse possit usq;

fit usq; ad morbi maturitatem. uiribus enim ꝯstãtibus semꝑ cibũ potius minuere debemus, q̃ augere. unũ Hipp. senẽtia est, & si ꝑ regulas dictas & ꝯditiones enarratas, tãtam uel tãtam cibi copiã exhibere dẽat, tñ mediũ precise inuenire difficile est, ꝑpterea tu potius minus dato, q̃ oporteat, & q̃ decẽtem excedas q̃titatẽ, ut potius uelit nos ĩ cibi defectu peccare, q̃ in excessu.

πολλῷ δὲ ἧττον ἐπὶ τὴν πρόσθεσιν ἰτέον. i. multo autẽ minus adiectioni intendẽdum. i. medicus ciboꝝ adiectioni minus attẽddere oƺ, q̃a ꝓbus medicus, cũ ęqlibrium hẽre nõ possit, in tenuiori uictu potius peccare oƺ, q̃ in pluri. Semꝑ uero id addere debes qđ deinceps referet, modo æger possit ꝑdurare.

ἐπεὶ τήν γε ἀφαίρεσιν ὅλως ἀφελεῖν πολλαχοῦ λυσιτελέει. i. nã ablationi oĩno incũbere sæpenumero ꝓdest. Intellige ṽo ablationi, ut minus deẽ, q̃ cõueniat. hoc enim plerũq; ꝓdest, & est causa cur frequenter morbi soluantur, idq; citius fiat.

ὅπου διαρκέειν μέλλει ὁ κάμνων, μέχρις ἂν τῆς νούσου ἡ ἀκμὴ πεπανθῇ. i. ubi æger sufficere possit, quousq; uigor morbi maturuerit. nam in hoc casu cum ęger uigorem cũ cibi diminutione transire põt, melius est, & tutius, ac expeditius, q̃ si cibus deẽtur in sũma tutius sit apud Hippocratem, minus cibare, q̃ oporteat, q̃ magis cibare q̃ oporteat.

Sed hic incidit recẽtoꝝ dubitatio in expositione Aphor. 5. 1. libri, qui ĩcipit, In tenui uictu ægri delinquũt. oẽs uno ore fatenẽ maius esse peccatũ, si ęgꝛ tenuius cibemus q̃ ꝯueniat, q̃ si cibemus crassius q̃ ꝯueniat. hocq; suis nõnullis astruũt rõnibus. Primo, ex Hippocratis sentẽtia arguũt, qui expresse dicit, In tenui uictu ægri delinquũt. qcũq; enim error cõmittiẽ magnus, maior in hoc fit, q̃ in paulo pleniori uictu. ut ex Hippo. palàm colligaẽ minus esse peccatũ in pauco pleniori uictu errare, q̃ in tenuiori. Astruũtq; hãc suam sentẽtiam hoc modo. Tenuius cibũ exhibere, q̃ ꝯueniat, corpus ad inanitionem inducit: cibare uero crassius, ad repletionem. at si oĩa sint paria, inanitio est repletione deterior. igiẽ & uictus ad inanitionem deducẽs deterior erit ad repletioneꝫ deducẽte. q̃ aũt inanitio sit repletione deterior, ex hoc ꝓbant, q̃a facilius corriguntẽ lapsus repletionis, q̃ inanitionis, ut hoc modo argumẽtum effingãt. Cuius lapsus facilius corrigiẽ. i. minus malũ: sed ad repletionem lapsus facilius corrigiẽ, q̃ ad inanitionem, igiẽ inanitio repletione longe ꝑeior. Maior ꝓpositio manifesta est: minor ꝓbaẽ, qm̃ ex repletione lapsus, ꝑ euacuationem corrigiẽ, euacuatio aũt facile fitat lapsus ꝑ inanitionem non corrigiẽ nisi ꝑ refectionem. hoc uero difficilius factu est, cũ opus sit ꝑ tot trãsire coctiones, & ꝑ tot immutationes, ante q̃ refectũ sit qđ deꝑditum est, & sanguis ac spiritus sint genita, quæ hominem, & qđ in eo deperditum est, reficiunt ac restaurant. At euacuatio citissime fit per uenæ sectionem, aut per medicamentum.

Addũt, per tenuiorem uictus rationem partes mẽbroꝝ substãtiales ĩmediate amitti, unũ & naturalis calor resoluiẽ. at ꝑ uictus rõnem crassiorem, uis ĩmediate tãtum aggrauatẽ ex nimis abũdãti nutrimẽto. Illud uero deterius uideẽ substãtiales mẽbroꝝ partes deꝑdi, q̃ uires à re accñtali, hoc ẽ cibo ipso suꝑfluo grauari. igiẽ deterior est uictus rõ tenuior q̃ conueniat, q̃ crassior. Præscriptis argumẽtis suã opinionẽ fulciũt recẽtiores, ex hisq; multa sua figmẽta machinantẽ. Primo, si Socrates & Plato ad lapsus ſm æquales gradus ducuntẽ, & oĩa in ipsis sint paria, ut inquã, ætas, Socrates uero labaẽ ad tenuitatẽ, & Plato ad crassitiem, ꝑfectionaliẽ (ut eoꝝ uerbo utar) plus remoueẽ à ꝯueniẽti uictus ratione Socrates q̃ Plato, si reliqua æqualia sint in uirtute, hoc inquiunt patere, quoniam ad æqualiter lædẽdum maior transitus in crassitiem requiritur, quàm in tenuitatem.

Secũdo, inquiunt plus distare à ꝯuenienti uictus rõne crassa uictus ratio perducens ad mortem ſm quantum, quàm tenuis uictus ratio, quæ & ipsa ad mortem perducat.

Tertio, inquiũt æqualitate fortitudinis uiriũ in Socrate & Platone posita, & æqualiẽ continue uictus rõ in Socrate attenueẽ, sicuti uictus ratio continue incrassabitur in Platone. at si continuent usq; ad mortem, citius morieẽ Socrates q̃ Plato, quoniam semper labitur deteriori lapsu ad uitam.

Quarto, inquiũt, si Socrates & Plato sub eodem sint sanitatis gradu, & uterq; quantum ad quantitatem io se æqualiter peccet, si unus ut Socrates uictũ attenuet, & Plato augeat, Socrates citius ęger fiet q̃ Plato, quoniam deterior lapsus sub ęquali gradu, sensibilem operationum læsionem citius facit.

Quinto, si Socrates & Plato æquales hñt uires, & causę præcise æquales inter se occurrãt, una in Socrate, quę inanitionem faciat, alia in Platone, quæ faciat repletionem: Socrates morietur, & Plato nõ morieẽ: qm̃ & si hæ causæ sint ęquales, tñ magis nocua est cã quę occurrit Socrati, q̃ illa quę Platoni occurrit. Hęc sunt quę recentes finxere de cibationis attenuatione, uel cremẽto, & q̃bus tenẽt mordicus maius esse nocumẽtum in attenuatione, q̃ in incrassatione. Hos uero aberrare palàm est, siqs & Hipp. & Gal. & hic & alibi ꝓbe cõtemplẽ. nã hic ꝓculdubio Hippocrates dicit multo minus attendendum esse adiectioni cibi, sed potius subtrahẽdum, quoad ꝑueniat ad maturitatem morbus. Adde Galenũ in cõmentatione idẽ aptissime sensisse, nẽpe, inqt, qđ plus est, exuꝑatq;, noxas interdũ inemẽdabiles facit: uerũ qđ minus est, facile emẽdaẽ. & cũ id qđ seq põt incõmodi ex attenuatione sit uiriũ imbecillitas, ꝑpterea Gal. addit, Nẽpe si uirtus elabi uideaẽ, cibi exiguuꝫ ministrare possumus. ut Gal. apte uelit, faciliorem esse, & citius corrigi errorem qui fit ex minori copia cibi q̃ conueniat, q̃ ex maiori. Sed hi inquiũt (ut hęc effugiãt argumẽta) Gal. intelligẽdum esse, ut uelit minus esse malũ inclinare ad tenuẽ uictũ, aũ q̃ nocumentũ sequaẽ ad hũc tenuem uictũ. Adeo tñ hallucinantẽ, ut nulla indigeãt reprehẽsione, qm̃ manifestissime hic Gal. sentit hos errorem tenuitatis uictus incurrisse, & hũc erroreꝫ facilius corrigi, q̃ errorem crementi uictus.

Sed ne libꝛ libro misceamus, lege quæ in nostris Aphoris. cõmẽ. scripta sunt, ubi oculata fide ex Hipp. & Gal. habeẽ, hãc esse eoꝝ ueram sentẽtiam, minus in tenui uictus ratione errari, q̃ in crassa. ꝓpterea hic tantum eoꝝ rationes dissoluemus.

Ad primũ, ut in illis nostris cõmẽ. uidere licet, neq; Hippocratẽ, neq; Galenũ intelligũt, qui nõ intelligũt esse maius peccatũ in uictu tenui, q̃ in crasso. sed de his q̃bus cõuenit uictus tenuis loquuntẽ, & id diciẽ, si aliqs circa tenuem uictũ error cõtingat, hic est multo maior, quàm is qui cõtingit circa illos qui uictu crassiori utuntur. Intelligunt uero de omni errore, ut palàm eo loco interpretati sumus.

Ad secũdũ, inficias ire dẽmus inanitionem esse repletione deterioreꝫ, nã in acutis morbis est lõge melior inanitio repletione. Cũ ṽo id ꝓbãt, q̃a lapsus ad repletioneꝫ facilius corriguntẽ, & ad inanitionẽ difficilius, mẽtiuntẽ, ut in hac cõmẽ. notat Gal. nã daẽ cibus facilis coctionis, qm̃ eo indigemus, qui cito ꝑmutaẽ. sed in acuto morbo si sit corpus cacochymum, & fuerit ualde plenũ, suffocaẽ, neq; medicamẽtũ dari põt, neq; ita facile (ut dicũt) fit euacuatio, imo cũ est magna repletio, si cõmoueat, & nõ educat, ut cõtingit, suffocat, pręter id qđ acutũ auget morbũ, et ad mortem pręparat. Si uero adesset plethora, põt q̃dem fieri uenæ sectio, tñ repletio quæ ex multis fit & nimijs cibis multam habet pituitæ copiam, quæ uenæ ꝓhibet sectionem.

Ad aliud, & si ꝑ tenuẽ uictũ substãtiales mẽbroꝝ partes amittantẽ, id fit lõgiori tꝑe, et medicus hoc negligit, modo ęgꝛ sanitati restituat: q̃ppe Hipp. mẽs est, medicũ debere ægꝛ sanare, & simul reddere ĩbecilliorẽ, ex ciboꝝ uero sumptione uis cibo aggrauaẽ, & acutus morbus augeẽ, quæ nõ possunt tam facile ꝑ euacuationem corrigi, ut hi imaginantẽ, & uerbis exprimunt.

Adde figmẽta illa oĩa esse absurda. Ad primũ enim dicimus, Socrateꝫ minus lædi à tenui uictu, q̃ Plato à crasso (opus aũt est supponere utrosq; esse affectos acuta febre) & dicimus incrassando uictũ, semꝑ magis recedere à cõueniẽti uictus rõne Platonẽ, q̃ faciat Socrates uictus rõnẽ attenuãdo, neq; uerũ est maiorẽ reqri transitum in crassitiem ꝓcedẽdo, q̃ in tenuitatẽ.

Ad secundum, non plus distat à cõuenienti uictus ratione crassa uictus ratio ꝑducens ad mortem ſm quantum, q̃ tenuis uictus ratio, imo citius ad mortem ducitur, ex crassa uictus ratione, in acutis morbis.

Ad tertium, si ꝯtinue incrassetur uictus ratio in Platone, & ꝯtinue attenuetur in Socrate, Plato citius morietur, q̃ Socrates. nam trium dierum spatio suffocabitur, sed Plato non morietur ad tres menses. Experientia ostendit in sanis in quibus uis est robusta, & maiori indiget cibo, semper attenuando hominem in spatio sex, octo, uel duodecim mẽsium mori. Nostri nel grosi aliquem necare non possunt, sed sontes hoc modo damnant, in carcerem ponunt, & paulatim uictum attenuant, quoad moriatur, per sex, per octo, & per plures perdurant menses. si cibum semper auxissent, arbitror octo dierum spatio crepuisse.

Ad. 4. si eo mõ Plato ex plenitudine citius fiet æger, q̃ Socrates. Ad quintum, totum oppositum est, q̃ ab his dictum sit.

GALENVS.

Qm̃ uictus cuiusq; species ex his quæ antea dixit inueniatur, q̃ inde quæ in ante scripta dictione referuntur, cõijcere operæ pretium sit, ut in singulis uictus formis quãtitas reperiatur, præsenti dictione, Ciborum autem adiectioni intendendum multo minus, prorsus uero subtrahere sæpenumero expedit, cognoscens præsidiorum singulorum quantitatem artificiosa egere coniectura, artificiose autem conijcere uiri esse, qui uires omnium quæ in arte sunt didicerit, memoriæ mandauerit, atq; diligentia omni adhibita sese in operibus artis exercuerit, paucíq; tales existant, iure optimo quæ præsenti inquam dictione referuntur adscripsit, in quantitate ipsa ad id qd' minus sit ꝓcedendum esse magis q̃ ad id qd' exuperat ubi quis à iusto modo abscedit, admonens. Nempe qd' plus est, exuperatq;, noxas interdum inemendabiles facit. Verum qd' minus est, facile emendatur. Nempe si uirtus elabi uideatur, cibi exiguum ministrare possumus. Verum si in uentrem absorptus fuerit cibus, qd' redundat superfluitq;, si aliás, multo magis in acutis morbis tollere est difficile. Nempe prorsus subtrahere sæpenumero expedit, cum æger sufficere possit donec morbi uigor ad maturitatem ꝑducatur. Rursum præfatæ dictionis partem hanc assumpsit, nos familiaris huius scopi admonens, qui tum hic, tum in Aphorismis habetur. Nempe si æger ad morbi usq; uigorem sine cibo sufficere posse uideatur, in omni ciborum abstinentia eum & potu solo moderaberis, cum tibi id debitur necessitas.

BRASAVOLVS

Primo, Galenus notat, cũ uniuscuiusq; uictus species, ex his quæ dicta sunt, inueniatur, & ex illis etiam operæpretium sit corrigere quæ in præcedenti sententia dicta sunt, ut in singulis uictus formulis ꝯueniens quantitas reperiatur, ꝓpterea in præsenti sententia sciẽs Hippocrates singulorum præsidiorum quãtitatem artificiosa egere ꝯiectura. At soli illi uiri cõijcere possunt, qui uires omnium didicerint quæ in arte sunt, atq; easdem memoriæ mandauerint, & exercuerint se omni diligentia in artis operibus. Sciens præterea paucos esse tales, ob hoc non ab re illa quæ in præsenti sententia referuntur, adscripsit. In quantitate inquam cibationum, ad id qd' minus est, ꝓcedẽdum esse, magis q̃ ad id qd' exuperat admonens, qñ quis a iusto modo abscedit, ut ꝓculdubio uelit, nunq̃ magis uel minus esse dãdum q̃ ꝯueniat, tñ qñ homo labitur, in minorem potius quantitatem labatur, q̃ in maiorem, quia facilius corrigitur lapsus ad minorem cibi quantitatem q̃ conueniat, q̃ ad maiorem.

Quod legitur paucíq; tales existunt, græce expressius est, licet idem significet τοιοῦτοι δὲ ὀλίγοι παντάπασιν εἰσίν.

Secũdo, Galenus causam refert, cur minus sit dandum q̃ ꝯueniat, potius q̃ plus q̃ ꝯueniat, qm̃ id qd' plus est atq; exuperat, nõnunq̃ noxas facit inemẽdabiles, qm̃ prauos humores adeo auget, ut febris uehemẽtissima oriatur, & destillationes si adsint crescãt, si absint inducantur. At qd' minus est facile emẽdatur, qm̃ qd' inducit est uirium imbecillitas, quæ facile corrigitur exiguo cibo exhibito. Si u'o multus cibus sit in uẽtrem absorptus, alias forte euacuari põt, sed in morbis acutis difficile est hoc qd' superfluum est, tollere, & euacuare, non enim medicamenta ꝯueniũt, & hi præterea cibi peccanti humori miscentur. Forte tibi uidebitur, uirtute existẽte imbecilla nihil debere dari, quia hęc uis imbecilla morbo attẽdit, & nulli alteri rei est occupata. si cibum dabis, aut morbũ relinquet, & cibo attendet, aut è ꝯtrario. si morbum relinquet, ut cibo inhæreat, æger obibit, si cibũ deserat, ac negligat, non concoquetur, & in cruditates transibit, ac in materiam morbum facientem.

Respõdemus, Galenus non intelligit tãtum exhibẽdum ut naturam à suo ope diuertat, sed parum adijcit ei qd' assuetum erat exhibere. id uero minus erat q̃ ꝯueniebat, neq; uires sunt effectæ tam imbecillæ ut aliquid cibi, parum tñ ferre non possint.

Tertio, ad aliam partem sententiæ sermonem uertit Galenus, notatq; plerũq; in his acutis morbis cibũ subtrahere expedire, qñ æger sufficere possit, quoad morbi uigor maturetur. Inquit uero itẽ hanc partem p̃fatæ dictionis accepisse, admonẽs nos huius scopi familiaris qui & hic & in Aphor. habetur, in. 1. inquã libro. Nam si æger usq; ad morbi uigorem absq; cibo sufficere posse uideatur, illum debes moderari in omni ciborum abstinentia, & solo potu ꝓcedere, si necessitas tibi uideatur, nam & si nulla adsit dandi potum necessitas, neq; potum dare debes.

## Hippocrates. Sectio XXXVIII.

## Quibus autem id faciendum sit, scribetur.

BRASAVOLVS

De omnibus acutis morbis disserit Hippocrates. Tale autem uictus genus omnibus conuenire non uidetur, propterea inquit: Quibus id faciendum postea scribetur.

οἷσιν δὲ τὸ τοιόνδε ποιητέον, γεγράψεται. i. in quibus aũt id faciendum sit, scribetur. i. in quibus subtrahẽdum potius, q̃ addẽdum, & in quibus æger sufficere possit usq; ad uigoris ꝑfectionem. hic est Aldinus ꝯtextus, & quem omnes passim secuti sunt. tñ aliũ legimus ꝯtextum, in quo hoc modo scriptũ erat.

ἐν ὁκοίοισι νούσοις, καὶ ἡλικίαις τὸ τοιόνδε ποιητέον γεγράψεται. i. in quibus aũt morbis & ætatibus id faciendum ꝑscribetur. ut Hippocrates ad morbos & ætates se specificet, in quibus is incessus fieri possit. nam in omni ætate, uictus attenuari minime non põt, neq; in omni morbo, neq; penitus abstinẽdum in omnibus ætatibus & morbis usq; ad uigoris maturitatem. Nec mirum si hic ꝯtextus morbos specificet & ætates, qm̃ & antiqua trãslatio ita hꝫ. Inquit enim. Qd' aũt in quibus morbis & ætatibus opꝫ fieri dico. tñ alia translatio & ipsa antiqua solũ de morbis mẽtionem facit, & nõ de ætatibus. uerum si de ætatibus addiderimus, opus est discurrere per consuetudines, per anni tempora, per exercitia, & per eiusdem generis alia.

GALENVS.

Qd' prędixerit Hippocrates, cõmonstrata uniuersali uictus rõne in hoc libro, se transiturum ad cæteras oẽs acutas ægritudines, liquido ꝯstat. Veruntñ opus huiusmõi non reperitur. Nempe quę in hoc libro à balneorum ꝯsideratione extant, liquet uelut in typo ab Hippocrate ad futurã memoriam scripta, in domo repiens post uiri mortem deprompsit. forsan rõne quidem hoc fecit, ueruntñ ut liber digna Hippocratis mẽte non sunt, sicuti neq; ea quæ de morbis & affectibus inscripta sunt, quanquam multa in his bene scripta sint. Sed super ea re in his quæ in ea scriptæ sunt expositiones disceptabimus.

BRASAVOLVS

Primo, Galenus notat liquido constare, Hippocratem ad omnes acutas ægritudines à plenitudine distinctas transiturum esse, postea q̃ in hoc libro uniuersalem in ipsis uictus rationem demonstrauit, imo Galenus putat Hippocratem id opus cudisse, sed non reperiri.

Secundo, Galenus notat illa quæ in hoc libro scripta sunt, post balneorum ꝯsiderationem postq̃ multi putarunt esse particularem librum de omnibus morbis acutis. hęc uero sunt in. 4. libro. At Galenus iudicat illa fuisse scripta ab Hippocrate tanq̃ in typo ad futuram memoriam, non ut essent in librum digesta. Intellige uero ad futuram memoriam sibi. At aliquis post Hippocratis mortem illa in domo eius inueniens, deprompsit & eliminauit. & forte hic, id rõne fecit. tñ non uidetur hic liber Hippocrate digna cõplecti, & quę eius mẽtem & ingenium sapiant. At ne quis putaret librum illũ de morbis inscriptum illũ esse, in quo de oĩbus alijs agat acutis, ꝓpterea Galenus addit librum illum de morbis nõ esse Hippocratis, q̃uis multa cõplectatur, quæ bene scripta sunt. ꝓmittit u'o Galenus se de hac re in suis cõmẽtarijs supra illam partem disceptaturum. i. supra. 4. huius uolu. lib. nempe in eo ostendet, qñ erunt Hippocraticæ sententiæ, & quando non

do non erunt Hippocraticæ,& qñ ueræ,& quando falsæ. Forte petes, qua ratione ille hæc eliminauerit? Respondemus, ut omnia passim legi possent, uel sint Hippocratis, uel non sint Hippocratis, modo in ipsius domo, & forte eius manu scripta inuenta sint.

Sexto qd' legitur, ueruntamen ut liber, digna Hippocrate mente non sunt, sensum facit hæc ut commemorationes quædam scriptæ ab Hippocrate legi possunt. sed legi non possunt ut σύγγραμμα, i. ut liber, nam nō est liber conueniens ingenio & mente Hippocratica. unde ut liber, i. ut continuata series in libri modum, non est dignus ut Hippocratis liber dicatur, neq; græcus codex dicit mente Hippocratis, sed τῆς ἐντεχνάτου δυνάμιος, i. potentiæ Hippocratis, non est dignus uiribus Hippocratis. nempe ipse uir erat in cōficiendis libris potens, & his per ordinem concinnandis, quæ ad unam spectant materiam.

## Hippocrates. Sectio XXXIX.

Multa autem & alia his quæ dicta sunt, germana quis scribere potest.

BRASAVOLVS Ne quis putaret omnia quæ scribi possunt, esse scripta præsertim circa id de consuetudinis ratione quæ ægris obsit, propterea Hippocrates nunc dicit, aliquem multa alia germana scribere posse, & his consimilia, quæ scripta sunt, de nocumento ex consuetudinis mutatione. quamuis & hoc ad omnia quæ superius dicta sunt de morbis acutis generaliter referri posset, tamen Galenus ad prædicta refert.

πολλὰ δ' ἄν τις καὶ ἄλλα ἀδελφιζόμενα τοῖσιν εἰρημένοισι γράφοι, i. quispiam uero & multa alia, prædictis germana scribere poterit. germana inquam his quæ de consuetudinis mutatione scripta sunt. & hoc totum per multas sententias edocebitur, potissimumq; argumento ad hoc ꝓpositum Sectione. 50. huius libri ut uidetur, tamen & illa quæ sequitur sententia, huius rei testimonium facere incipit.

GALENVS. Rursus ad eum reuertitur sermonem, quem multis certum ratumq; fecit exemplis, mutationem consuetudinis languentibus noxam afferre demonstrans: sed qm̃ à sanis in eos transit, ob id quæ similia sunt & cōgruentia, bene ἀδελφιζόμενα, i. germane dixit. Qd' autem postea dicturus est, sermonis huius testimonium existit, quodq; non simile, non congruens, nec germanum, ut ipse appellauit, sed id qd' quæstigatur. Parebit autem ob mens Hippocratis in sequentis dictionis expositione.

FRASAVOLVS Primo, Galenus notat Hippocratem ad illum redire sermonem, quem superius multis exemplis probauit, & certum fecit, cum demonstrauit consuetudinis mutationem ægris noxam afferre. uerū qa à sanis ad ægros pertransit, propterea illa quæ similia sunt & congruentia, non ab re uocauit ἀδελφιζόμενα, quasi germana.

Secundo, id notat qd' deinceps dicturus est, esse huius sermonis testimonium. non est autem congruens, neq; simile, neq; germanum ut ipse appellauit, sed id est qd' quæstigaẽ. At Hippocratis sententia tibi nota erit in sequētis dictionis expositione.

## Hippocrates. Sectio XL.

Hoc autem uerius efficaciusq; testimoniū. Neq; enim rei de qua plurimus factus est sermo, germanum existit, sed res ipsa cōmodissimum est documentum. Nempe quidam per morbi acuti exordia eodem quo laborare cœperunt die comederunt, alij postero die, alij quiduis, alij cyceonem sorpserunt. Sane hæc omnia deterius quidem habent, quàm si modo alio cibaretur quis: sed quæ hoc tempore peccata fiunt, ea minus multo lædunt, quàm si prius quidem diebus uel duobus uel tribus uasa quis integre exinaniuerit, mox quarto uel quinto talia ministrauerit. Sed sane deterius aget qui omnibus his diebus uasa ante exinaniuerit, & sequentibus quibusdam diebus ita pauerit prius quàm morbus maturus reddatur. Nempe hoc pacto mortem plurimis liquido affert, nisi morbus omnino beneficus fuerit. Quæ uero in principio cōmittuntur delicta, ea non similiter his domantibus renituntur, sed facilius domari possunt.

BRASAVOLVS Superius ab Hippocrate dictum est, aliquem posse multa alia his germana scribere, his inquam quæ de ꝯsuetudinis mutatione dicta sunt, & de mutatione per similitudinem à sanis ad ægros. uerūtamen res de qua plura supius locutus sum, testimonium uerius non expetit, nec efficacius, quàm id qd' habuit, imo res ipsa cōmodissimum est documentum. Ad morbos uero acutos redeuntes, nōnulli sunt, qui in acuti morbi initio eodem die quo laborare cœperunt, comedere, alij die postero: & inter hos alij accepere quicqd nacti fuerint, alij sorpsere cyceonem. Tñ si hæc ꝯsideremus, deterius se habent, quàm si quis modo alio cibaretur: tñ peccata, quæ hoc tempore fiūt multo minus lædunt, quàm si quis uel duobus uel tribus diebus uasa exinaniuerit, postea quarto uel qnto die talia ministrauerit. s. uel quicqd uenit in manum, uel cyceonem: tñ is multo longius errabit, qui his omnibus diebus prius uasa exinaniuerit, & postea sequentibus diebus eo modo cibauerit, ante quàm morbus maturus fiat. Si enim aliqs hoc modo regat ægrū, plurimis mortem liqdo afferet, nisi morbus penitus fuerit beneficus & mitis. Id uero nō te lateat, delicta omnia quæ in principio cōmittuntur, si domare uolueris, non multum renituntur, sed facilius domant & corriguntur, quàm errata illa quæ in alijs fiunt tꝑibus. ut Hippocrates in summa inferre uelit, errores omnes qui circa uigorem fiūt, esse longe grauiores illis, qui fiunt circa principium.

τό γε μὴν κρέσσον μαρτύριον, i. hoc qdem testimonium efficacius est, q. d. multa alia quis scribere posset his germana. Intellige uero testimonium, quod sequetur.

οὐ γὰρ ἀδελφιζόμενόν ἐστι τῷ πρήγματι περὶ οὗ πλεῖστός μοι λόγος εἴρηται, i. neq; enim germanum est rei, de qua multus à nobis factus est sermo, hoc est, testimonium istud nō est germanum, neq; simile rei de qua supius abūde sum locutus, qm̃ nō habet cum eo ꝯuenientiam. De illa uero re intellige, qñ superius de noxa ex consuetudinis mutatione locutus est.

ἀλλ' αὐτὸ τὸ πρῆγμα ἐπικαιρότατόν ἐστι διδακτήριον, i. sed res ipsa cōmodissimum est & opportunissimum documentum. hoc est res ipsa, de qua agitur, est documentum per se opportunissimum, quo quisq; hoc retorquere poterit ad nocumenta quæ in cōsuetudinis mutatione fiunt. hæc potest esse huius partis sententia, tamen posset referri ad superiora.

οἱ μὲν γὰρ ἀρχόμενοι τῶν ὀξέων νούσων, ἔστιν ὅτε οἱ μὲν σιτία ἔφαγον αὐθημερὸν, ἠργμένοι ἤδη, οἱ δὲ καὶ τῇ ὑστεραίῃ, i. nōnulli enim acutis morbis uexari incipiētes, comedūt, qñq; cibos eodem die, alij uero & sequēti die. ut notet Hippocrates nōnullos sumere cibos prima die qua incipit morbus, alios uero & sequenti etiã die. Est uero mos nūc publicus, ut statim primo die abstineant. Et hoc iubēt muliercule ipsæ cū aliqs ægrotare incipit, primum diem absq; cibo trāsigere faciunt, secūdo die contritum panem dare incipiunt: uel si medicum uocauerint, id faciunt quod à medico iubetur.

οἱ δὲ καὶ ἐρρύφεον τὸ προστυχὸν, οἱ δὲ καὶ κυκεῶνα ἐρρόφεον, i. alij uero sorbēt quicqd ꝯtigit, alij autem & cyceonem absorbēt, ex his qui uel primo die uel secūdo comedūt. Alij sunt qui ea comedūt quæ præsentanẽ, & quæ illis in mentem ueniūt comedenda. alij ẽt determinant se ad cyceonem, quem & cinnum appellant nonnulli. Verũ quid sit cyceon, quomodoq; conficeretur, non est res parui momēti inuenire. Suidas inqt. κυκεὼν πόμα ἐκ διαφόρων μιγμάτων κεκραμένον, i. cyceō potio est ex differētibus mistionibus tempata. Alia græca uocabularia inquiunt

esse potionem ex multis herbis, uel ex melle & uino mistura. tñ quomodo fiat, & ex quibus, plerique non exprimunt, sed rem ita confuse edocent, ut ipsi forte didicere. Apud Plinium libro 13. cap. 4. reperitur cycas, non tñ cyceon. est uero genus palmularum. Inuenitur & in sacris literis sicera, quam Ioãnes Baptista non gustauit, ut euangelium refert. Diuus Hieronymus putat esse id omne qđ inebriare potest præter uinum. de hac re nos in Christi uita egimus. nullum horum est. Recẽtes aduerbum referũt Hermolaum, etenim ille uocat cyceon Homericus. Hippocrates in. 6. lib. Epidimiorum cyceonis mentionem facit, & Galenus in. 6. cõmentario. 6. libri Sectione. 5. inquit. At hoc loco Hippocrates utrũq; miscuit, & cibum & potum. tale enim quiddam cyceon est, quẽadmodum & apud Homerum didicistis, Miscentibus quidem alia cum uino, cõmune uero omnium uinum habentibus. fortasse & cum polenta uinum miscebant. necessario autem, & alia misceri ex hoc nomine cyceon, ueteres significare quispiam putauerit. Vt ex his Galeni uerbis & mentio facta sit cyceonis Homerici, & declaratum quod cyceon sit ex uino, & re aliqua quæ masticetur, compositio, quæ tñ bibi possit. Si uero petas, quonam sit loco apud Homerum cyceon dicimus, siquis sit locus, est in. 10. Odysseæ, uersu. 234. est compositio ex farina & caseo, melle, & uino, ut bibi possit. In hunc uero modum cecinit Homerus:

ἐν δέ σφιν τυρόν τε καὶ ἄλφιτα καὶ μέλι χλωρὸν
οἴνῳ πραμνείῳ ἐκύκα. i. ipsis autem caseumque & farinam, & mel luteum uino pramneo immiscuit. Arbitramur hunc esse Homeri cyceonem, quem Circe parauit, cũ Vlyssis socios in sues conuertere uoluit. Necnon putamus Venerem Pandari filias hoc nutriuisse apud Homerum in. 20. Odysseæ libro uersu 69. cum ita canit Homerus:

κόμισσε δὲ δῖ' ἀφροδίτη
τυρῷ, καὶ μέλιτι γλυκερῷ καὶ ἡδέϊ οἴνῳ. i. nutriebat autem diuina Venus (filias. s. Pandari) caseo & melle dulci & suaui uino. Fit & de cyceone mentio apud Aristotelem problemate 2. tertiæ Sectionis, cum quærit cur si quis uinum dulce ac merum, aut cyceonem mere potandum hauserit, sobrius persistere possit: & cur minus ebrians, qui calice amplo fœcundoque hauriunt. postea respondet, an omnium eadem illa ratio est, quod superficialis calor ita supprimatur: uinolentia enim tum oritur, cum calor sedem capitis totam occupauit. An uero recte problematis rationes ualeant, tu ipse iudex esto.

De cyceone facit & mentionem Hippocrates in libello de passionibus, quæ intus, & compositionem ponit, quæ & multas recipit herbas ac radices, & uinum atque caseum caprinum.

Cinnum esse putauit Copus, ideo uertit κυκεῶνα. i. cinnum. tñ & de cinno sunt satis incerti authores. inquiunt uero cinnum esse plurimorum cõmistionem, imo multi putarunt cyceon esse potionis genus ex multis liquoribus confectum. à cinno concinnum dictum esse uolunt. Cicero in libro de oratore inquit cinnus utriusque particeps, uel utriusque, si uerum quærimus, expers. In hoc Hippocratis loco, aliud esse non potest κυκεὼν, quàm potus qui in pleuritide non conueniat, & in alijs acutis morbis. unde is erit potus qui apud Homerum fit ex farina, melle, & caseo, quæ in uinum recipiunt, ut placet Galeno, quibus & in alium possent recipi liquorem, & bibi. Contextus antiquus non ab re dixit esse potus in quo panis fuerit infusus. tñ nõ est Homeri cyceon.

ἅπαντα δὲ ταῦτα κακίω μέν ἐστιν, ἢ εἰ ἑτέρως τις διαιτῷτο. i. omnia autem hæc peius quidem se habent, quàm si quis aliter cibaretur. Notat Hippocrates, si quis prædicto cibetur modo, deterius cibatur, quàm si alio conuenientiori modo cibaretur. non tñ simpliciter peius cibatur, quàm qui secundum alium malum modum cibaretur. tñ notat in hoc tempore. s. in principio si fiant peccata, minus molesta esse, quàm si in alijs fiãt temporibus, unde inquit.

πολλῷ μέντοι ἐλάσσω βλάβην φέρει ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ ἁμαρτηθέντα, ἢ εἴ τις τὰς μὲν πρώτας ἡμέρας δύο, ἢ καὶ τρεῖς κενεαγγήσειε τελείως, τεταρταῖος δὲ ἐὼν τοιάδε διαιτῷτο, ἢ καὶ πεμπταῖος. i. uerum quæ hoc tempore peccata fiunt, multo minorem noxam inferunt, quàm si quis primis quidem diebus uel duobus uel tribus, uasa integre exinaniuerit, quarto autem die talia in uictu ministrauerit, uel & quinto die. nempe hic in principio uictum exhibet tenuissimum, qui est nihil penitus dare, nam ex hoc solum uenæ & uasa inaniuntur. postea quarto, uel quinto die, cum est in consistentia uel prope consistẽtiam, cibum exhibet. hic est maximus error, & maiora hinc contingunt nocumenta, quàm si hæc in principio præbuisset. Forte dices maiores esse errores qui in principio fiũt, quàm qui in alijs temporibus. nam principij errores supra omnia alia transeunt tempora. sed aliorum temporum errores, ad consequentia solum transeunt tempora. Adde Aristotelem in libro de coelo edocuisse errorem in principio paruum, in fine fieri maximum.

Ad primum respondemus, hi errores præbendi cibum, cum natura non sit adeo occupata, ut erit in consistentia, non sunt multum uehementes, ut illi sunt quãdo natura extreme pugnat. & hic principij error corrigi potest, prius quàm alia succedant tempora. Etenim hic de uniuersali ægritudinis principio uerba facit, in quo semper debet esse crassior uictus ratio, & continuo attenuari debet, quousque ad consistentiam peruenerimus, in qua non tantum attenuãdus est uictus, sed & nihil penitus dandũ. Ad aliud, Aristoteles de principijs loquitur, quæ sunt rerum origines, si in materia ex qua homo generari debet, ut in semine sit paruus error, in fine fit maior, & in tota semper crescit generatione. Itaque dicendum de omnibus alijs principijs quæ sunt rerum origines & causæ. at morborum principia talia non sunt, tñ & in morborum principijs errores facti lædunt, sed magis lędũt in consistentia, quia naturam impediunt.

ἔτι τε κάκιον εἰ ταύτας πάσας τὰς ἡμέρας προκενεαγγήσας ἐν τῇσιν ὕστερον ἡμέρῃσιν οὕτω διαιτῴη, πρὶν ἢ πέπειρον γενέσθαι τὴν νοῦσον. est uero quod grauius, si his omnibus diebus uasa prius exinanierit, in sequentibus uero diebus tali uictus ratione utatur, prius quàm morbus maturus fiat. Nempe si æger ita regatur, primis diebus non comedit, & ideo uenæ atque uasa inaniuntur, deinde in sequentibus diebus & in statu comedit, & comedit uel quantum uult, uel etiam cyceonem, & quicquid uenerit in mentem comedendi. Nota, cum dicit, exinaniri uasa, illum non comedere intelligit, propterea & sanguis, & spiritus, qui in uasis atque uenis continentur exhauriunt, & uasa ipsa inaniuntur. Scitoque per illos omnes dies & quartum intelligere & quintum. nam si ad illos usque dies uasa exinaniamus, materiæ coctionem, si perdurare poterit, pertransire debemus. uerũtamen si perdurare non poterit, dandum quidem aliquid est, sed paulatim & parum. hoc igitur existimat, & reuera est periculosum, primo in maxima abstinẽtia ægrum seruare, postea illi cibum dare modo dicto. s. uel quemcunque uoluerit, & continget, uel cyceonem. multi enim ob hoc obiere, propterea addidit.

οὕτω μὲν γὰρ θάνατον φέρει φανερῶς τοῖσι πλείστοισιν. i. hoc enim pacto mortem plurimis manifeste intulit. s. hoc uictus genus, quoniam naturam maxime pugnãtem & à materia impeditam circa sui coctionem occupat, & ab opere necessario contra morbum remouet, ideo nõ mirum si ob hoc plures obiere.

εἰ μὴ πάμπαν τις ἡ νοῦσος εὐήθης εἴη. i. nisi morbus omnino beneficus fuerit, uel nisi salubris admodum fuerit morbus. Hippocrates hic morbos uocat εὐήθεις, quicunque non habent sæua symptomata, nec uehementissimam intensionem, sed in eodem genere sunt benigni. In eorum intelligo genere, quia quilibet morbus est simpliciter prauus, tñ aliqui sunt benigniores, qui facile curationem recipiunt. Distinguuntur uero contra morbos κακοήθεας. i. maleficos, & qui difficulter curationẽ recipiũt.

αἱ δὲ κατὰ ἀρχὰς ἁμαρτάδες οὐχ ὁμοίως ταύτῃσιν ἀνήκεστοι εἰσίν, ἀλλὰ πολλῷ εὐακεστότεραι. i. errores uero qui in principijs cõmittuntur, non similiter sunt inuincibiles, sed multo facilius domantur, ac si dicat Hippocrates, errores qui in initijs morborum fiunt, facilius corriguntur & emendantur, quàm qui in alijs fiunt temporibus. nam in alijs temporibus uis est magis occupata. Intellige uero per errores, errores in uictu, quia alij errores possent esse longe inemẽdatiores in initijs, quàm in alijs temporibus, ut error si uenæ sectio dimittatur in principio, quàm fieri deberet,

deberet, si detur medicamentum dum materia est cruda, si turgente materia prætereatur, in principio dari medicamentum, & alia eiusdem generis multa.

GALENUS. Ante ab his quæ bene ualētibus ex consuetudinis mutatione contingunt, ad languentes ipsos per similitudinem transijt. transiturus autem & nunc, atque ipsum qđ nunc instituitur ferè ita habere est demonstraturus. Sed quidnam id fuit? sanè qđ neque à principio neque primis diebus fame cruciatos ęgros cum ꝓpe uigorem iam peruenerint, replere oportet. Tota autem dictione uult ostendere, grauiorem contingere ægris offensam cum prope uigorem erratum sit, quàm si in morborum principijs quippiam delinquatur. Inquit enim: Quæ hoc tempore peccata fiunt, ea minus lædūt, quàm si primis diebus, duobus uel tribus uasa quis integre exinanierit, mox quarto uel quinto talia ministrauerit, atque etiam ante quàm morbus, ut græco uerbo inquit, πέπειρος reddatur. Quod πέπειρον appellet πεπεμμένον, i. qđ ad maturitatem est perductum, palàm est omnibus. Morbos præterea, εὐήθεις, i. beneficos dixit, non quidem maleficos morososque, quos Græci κακοήθεις uocant, sed εὐτρέπτους, i. qui facile ad bonum uergunt. Scimus etenim ueteres multos ita usi dictione, ita quoque & Hippocratem, ut alibi est dictum.

BRASAVOLUS Primo, Galenus notat Hippocratem prius de consuetudinis beneualentium mutatione egisse, & ad ipsos languētes per similitudinem transiuisse, imo & nunc ad eosdem languentes transiturus est, & id demonstraturus, qđ nunc instituitur ferè ita se habere. Tū dicere poteris, quomodo est id demōstraturus, cum particulariter ea de re agere nō uideatur? unde & Galenus interrogat quidnam id fuit? Respondet id certe esse quòd si quis primis diebus ægros fame cruciet, uel in principio, cum peruenerint ꝓpe uigorem repleri non debent, sed uel uigorem prætransire oportet, si uires ferant: uel si non ferant, opus est modicum quid dare, ne uis à suo opere impediatur.

Secundo, Galenus notat in tota hac sententia Hippocratem ostendere uoluisse, tunc ægris maiores noxas contingere, quādo sunt ꝓpe uigorem, & in hoc tempore error cōmittatur. nam si in morborum initijs error contingat, non ita offendit, ꝓpterea ab Hippocrate dicitur, peccata quæ hoc tempore fiunt, minus lædunt, quàm si primis duobus diebus, uel tribus uasa quis integre exinanierit, mox quarto uel quinto talia ministrauerit, atque etiam ante quàm morbus πέπειρος reddatur, i. ad coctionem perducatur. nam nullus est qui ambigat, Hippocratem hoc loco dicere πέπειρον pro πεπεμμένον, i. ad maturitatem perductum.

Tertio, Galenus notat Hippocratem in hoc loco morbos nuncupare εὐήθεις, i. beneficos illos qui non sunt malefici, neque morosi, quos Græci κακοήθεις uocāt, at intelligit εὐτρέπτους, i. qui facile & recte in bonum uergunt, nempe scimus multos ueteres hoc modo usos esse dictione, & Hippocrates etiam in hoc significato usus est, ut alibi dictum est.

Sed petes in quo loco hoc sit à Galeno explicatum. Respōdemus esse in secunda sententia tertij ꝓgnosticorum libri, ubi Hippocrates uolebat febres εὐηθεστάτας, quas Laurentianus uertit simplicissimas, & Copus saluberrimas, in quatuor diebus iudicari. Galenus in commentatione abunde exponit uocabula εὐήθεις, & κακοήθεις.

## Hippocrates. Sectio XLI.

Hoc sane maximum reor esse argumētum, quòd primis diebus quauis sorbitione nequaquam eos priuemus, quibus futurum est ut paulo post sorbitionibus quibusuis uti debeant.

BRASAVOLUS Palàm est eos qui non possunt in inedia cibari usque ad uigorem, neque cum solo potu, esse cibandos sorbitione primis diebus. nam si non cibent, cogemur postea in uigore cibare: qđ absonum est: nam semper uersus consistētiam uictum tenuiorem reddere est opus.

b. ταῦτ' οὖν ἡγοῦμαι μέγιστον διδακτήριον. i. hoc igitur puto esse maximum documentum.

a. ὅτι οὐ στερητέοι αἱ πρῶται αἱ ἡμέραι, τοῦ ῥοφήματος, ἢ τοίου ἢ τοίου. i. quòd primis diebus uel tali uel tali sorbitione eos non priuemus. i. hoc erit optimū documentū, nos nunquam ægros prorsus priuare debere omni sorbitione, qui non possunt usque ad uigorem nedum usque ad inclinationem perferre inediam.

τοῖσι μέλλουσιν ὀλίγον ὕστερον ῥοφήμασι, τοίοισι, ἢ τοίοισι χρέεσθαι. i. quibus futurum est ut paulo post sorbitionibus uel talibus uel talibus uti debeant. Sunt inquam illi in principio cibandi: qui si non cibentur, postea cogimur in consistentia, uel prope consistentiam cibare. nam uis extra ægritudinem non ferret ægros, nisi in uigore, uel prope cibarent, quando eo tempore cibari non sunt, quo cibare decens erat.

GALENUS. Sermonem hoc in loco cum dixit quem sæpius antea demonstrauit, nutrire. s. sorbitionibus, ab initio præcipiēs eos qui ad uigorem usque sufficere citra ptisanæ ingestionem non possunt. Nam eos prope uigorem nutrire compellemur, cum ad tenuiorem uictus formam, etiam si antea plenius cibati fuerint, transeundum sit.

BRASAVOLUS A' Galeno hic notatur nunc ab Hippocrate id dici, qđ superius edocuerat, imo & in Aphorismis, & in alijs constat locis. s. illos sorbitionibus nutriendos esse qui usque ad uigorem citra ptisanæ sumptionem sufficere non possunt. nam si tales nō nutriemus, ꝓpe uigorem illos nutrire compellemur, tū semper ꝓpe uigorem ad tenuiorem uictus formam transeundum est, ēt si antea plenius cibati fuerint, & in ipso uigore nihil dādum. Nota legēdum esse sermonem hoc in loco cum rursus diceret nam in græco codice adest particula πάλιν.

## Hippocrates. Sectio XLII.

πυθμενόθεν ergo qui hordeacea utuntur ptisana, male passuros ægros ignorant, si duobus, uel tribus diebus anteà exinanitis uasis sorbere incipiant: neque etiam qui solo utuntur cremore, quòd sorbentes lædentur, intelligunt, cum sorbitionem non recte inchoabūt. Sed tunc cauent, magnamque intelligunt læsionem, si æger ante maturationem morbi ptisanam hordeaceam sorbeat, cremore uti suetus. Quæ omnia efficaciter demonstrant medicos non recte ægrotantes ad cibos inducere: quippe qui uasa exinaniant in his morbis, in quibus sorbitionem exhibere oportet: & contra, in quibus ex uasorum inanitione ad sorbitiones transeundum non sit, in illis transeant.

BRASAVOLUS Nonnullos medicorum errores hac in sententia Hippocrates refert. nàm putare oportet, illos qui omnino utuntur ptisana, ignorare ægros male passuros esse, si primo uasa duobus aut tribus diebus exinanierint, postea sorbere incipiant, imo nō solum hoc de ptisana ignorant, sed & de solo ptisanæ cremore, quoniam & qui solo ptisanæ cremore utuntur, ignorant ægros sorbentes offendere quando sorbitionem non recte inchoauerint. Tū medici qui prædicta ignorant, id profectò sciunt, si æger ante morbi maturationem cremori sit assuetus, ptisanam hordeaceam non esse dandam. s. integram. nempe sciunt magnam læsionem esse illaturam, & ab illa etiam abstinent, cauentque ne ab ægro accipiatur. hæc uero omnia manifestissime ostendūt medicos non recte ducere ęgrotātes ad cibos. nam in his morbis, in quibus sorbitionem dare deberent, uasa & uenas exinaniunt. è contrario etiam faciunt & perperam in illis transeunt ad sorbitionem, in quibus ob uasorum inanitionem ad sorbitiones transeundum non est. propterea in hac uictus ratione plurimum errant.

πυθμενόθεν μὲν οὖν οἱ ἴσασιν, ὅτι οἱ τῇσι χρεωμένοισι πτισάνῃ

πάνυ χρώμενοι, ὅτι αὐτίκα κακοῦνται ὁκόταν ῥοφεῖν ἄρξωνται ἢν προκενεαγγήσωσι δύο ἢ τρεῖς ἡμέρας.i.omnino igiẽ qui hordeacea ptisana utuntur, ignorant ꝙ ægros male afficiant, qñ incipiũt sorbitionem dare, si duobus uel tribus diebus uasa antea sint exinanita. Hoc fit passim, in præsentia ꝗ ægri in tenuissimo uictu seruantur usq; ad quartum diem, postea aliqd dari incipit. tñ nondum est perfectus morbi uigor, uel saltem post septimum, neq; ꝯsiderant an uigor sit transactus, cũ potius debuissent primis diebus exhibere cibũ, postea paulatim minuere usq; in ꝯsistentiã, deinde iterũ crescere paulatim post uigorẽ. Scito post illam particulam duobus uel tribus diebus, in græco codice addi ἢ καὶ πλέονας uel & pluribus, imo quanto maior est exinanitio, tanto grauius peccant.

οὔτ' ἂν οἱ τῷ χυλῷ χρώμενοι γινώσκουσιν ὅτι αὐτέοισι βλάπτονται ῥοφέοντες, ὁκόταν μὴ ὀρθῶς ἄρξωνται τοῦ ῥοφήματος. .i.neq; qui cremore utuntur intelligunt ꝙ sorbentes læduntur, qñ non recte sorbitionem inceperint. Fuit unus & primus medicorũ error is qui dictus est prius cum dant ptisanam postꝗ ægros exinaniuerint per duos aut tres, aut plures dies. hic uero & alium ponit errorem, & hos medicos errare non solum qñ dant ptisanam, sed & cum dant ptisanæ succum, modo recte non inchoent. Recte inchoant, qui post ptisanam, ad uigorem accedentes dant succum, uel quibus in principio datur, ꝓpe uigorem, & in uigore nihil datur. iterum post uigorem à succo incipiãt, postea ad ptisanam transeant, deniq; ad panem & carnes. At si opposito fiat modo male inchoant: etenim mala est inceptio si dari incipiant, qñ solus potus est dãdus: mala etiam, si incipiant dari duobus aut tribus diebus exinanitis uasis, & uigori æger appropinquet: pessima, si in uigore ipso dentur, in quo summe abstinendum est.

τόδε μὲν φυλάσσουσι καὶ γινώσκουσιν ὅτι μεγάλην τὴν βλάβην φέρει ἢν πρὶν πέπειρον γενέσθαι τὴν νοῦσον, κριθώδεα πτισσάνην ῥοφέῃ ὁ κάμνων, εἰθισμένος χυλῷ χρέεσθαι.i. tunc igiẽ cauent & cognoscunt magnam læsionem inferre, si æger ante ꝗ morbus sit maturus, hordeaceam ptisanam absorbuerit, qui eius succo prius utebatur. præcedentia duo à medicis ignorabantur. hoc uero qđ hic ponitur ab eisdem scitur. ex quo duo illa scire debuissent quæ ignorabant. hoc uero ipsi cognoscũt, qñ ægrum uident, qui usus fuerit primo, cremore, postea sciũt non esse dandam ptisanam. & hoc ob nullam aliam est, pręter hanc rationem, ꝙ nihil est addendum ante quàm morbus sit finitus, ex quo & scire debuissent, si æger per duos aut tres dies fuerit exinanitus, aliquid non esse dandum nisi post uigorem. At si dicas, sentio uires imbecillas, tunc dicendum tu prius primis illis diebus dare debebas quando exinaniebas, & postea in sequentibus abstinere diebus.

πάντ' οὖν ταῦτα μεγάλα μαρτύρια, ὅτι οὐκ ὀρθῶς ἄγουσιν ἐς τὰ διαιτήματα οἱ ἰητροὶ τοὺς κάμνοντας.i. hæc igiẽ omnia maxima sunt testimonia, ꝙ medici non recte ducunt ægros in uictus rationem. ut ex præcedentibus colligitur, & per illa quæ sequuntur uidere licebit.

ἀλλ' ἐν ᾗσί τε νούσοισιν οὐ χρὴ κενεαγγέειν τοὺς μέλλοντας ῥοφήμασι διαιτᾶσθαι, κενεαγγέουσιν, ἐν ᾗσί τε οὐ χρὴ μεταβάλλειν ἐκ κενεαγγίης ἐς ῥοφήματα, ἐν ταύτῃσι μεταβάλλουσι. .i. sed in his morbis in quibus non est opus exinanire uasa, sed debent dari sorbitiones, exinaniuntur ipsa uasa: in quibus uero non oportet mutare ex uasorũ inanitione, in sorbitiones in his mutant. & præbent sorbitiones, quæ tñ præberi non deberẽt, ut omnia perperam faciant, & nihil sit in ipsis sanum. Hippocrates morem seruat sæpius à me citatum potissimum in nostris supra Aristotelem cõmentarijs. Doctos & probos uiros, ubi adsunt scrupi abstrusi, & nodi digni uindice, breuibus uerbis pertransire, ac si mures sint supra farinam: ubi uero facilia adsunt, & quæ non pauci suo marte intelligunt, uerba ampliant & exaggerantur ab Hippocrate hoc in loco fieri deprehendi potest, in re quam poterat breui pertransire.

GALENVS. Aduerbium hoc παμμυόθεν uel παντελῶς.i. omnino, uel ἐξ ἀρχῆς.i. ab initio Hippocrates indicat. Nam medicos ignorare ait qñ primum uel ptisanam uel cremorem ægrotis dare oporteat: bene tñ scire si ante morbi coctionem ptisanam hordeaceam dederint, se ægrum læsuros. Sequentem autem dictionis huius seriem, quæ eadem ex eisdem sæpius dicta ostendit, de industria ob claritatem transgrediar.

BRASAVOLVS. Primo, Galenus notat hoc aduerbium παμμυόθεν apud Hippocratem significare uel παντελῶς.i. omnino. uel ἐξ ἀρχῆς.i. ab initio. nam dicit medicos ignorare qñ primum uel ptisanam, uel cremorem ægrotis dare oporteat. tñ & si hoc ignorent, id profecto sciunt, si ante morbi coctionem ptisanam hordeaceam dederint, se ægrum læsuros. Intellige uero si dederint ante morbi coctionem qñ non est danda, nam in aliqbus morbis ptisana ab initio dari debet, qñ decimoquarto die uel uigesimo finiri debet, & tamen sunt acuti, & non læduntur.
Si uero petis quid intelligendum sit per παμμυόθεν, an omnino, uel ab initio: dicimus utrunq; intelligi posse: tamen omnino exposuimus, ut superius uisum est.
Secundo, Galenus excusat se, cur sequentem huius sententiæ partem non interpretetur, inquit id se fecisse ex industria, quoniam ex his quæ dicta sunt, est apertissima.

## Hippocrates. Sectio XLIII.

Et ut plurimum ἀπαρτί, id est exquisite: interdum autem hoc tempore, interdum & alio ex uasorum inanitione ad sorbitiones transeunt: ubi sæpius à sorbitionibus ad uasorum inanitionem transire expedit, si ita ex morbi acerbatione contigerit.

BRASAVOLVS. Sententiam quam ꝓbandam uel declarandam proposuerat Hippocrates, ꝓsequitur medicos s. errare, quia uasa exinaniunt, qñ sorbitionem dare deberent & sorbitionem dant, qñ uasa exinanire deberent: quæ sunt grauia in morbis curandis errata. ꝓpterea inquit, ꝙ hæc ut plurimum exquisite faciunt, & interdum hoc tempore id faciunt qđ in præcedentis sententiæ calce dictum est. Intellige uero hoc tempore.i. principio. Interdum uero & alio tempore præter principium ex uasorũ inanitione ad sorbitiones transeunt, qñ. s. à sorbitionibus ad uasorũ inanitionem transire oportebat. Id uero plerunq; contingit ex morbi exacerbatione, nempe in uigore morbi tenuissimo uictu utendum est.

καὶ ἐς ἅπαν τὸ πολὺ ἀπαρτί.i. & ut plurimum exquisite.i. ut plurimum ita agunt exqsite & absolute, ut dictum est. Itaq; simpliciter peccant, non enim intelligo ꝙ plerũq; ꝓfecte agãt & bene, imo male agunt, & ita exquisite agunt, ut dictum est. hanc partem hoc modo intelligendam ducimus.

ἐνίοτε δὲ ἐν τοῖσι τοιούτοισι καιροῖσι.i. qñq; uero his temporibus. Intellige in principio. Si uero dicas, quomodo in principio dare poterunt, si non erit dandum? Respondemus, id continget quando morbus erit talis, ut nihil sit dandum, nisi post uigorem.

ἐνίοτε ἐν τοῖσι καιροῖσι μεταβάλλουσιν ἐς τὰ ῥοφήματα ἐκ τῆς κενεαγγίης, ἐν οἷς πολλάκις ἀρήγει ἐκ τῶν ῥοφημάτων πλησιάζειν τῇ κενεαγγίῃ.i. qñq; in illis temporibus mutant ex uasorũ inanitione ad sorbitiones: in quibus sæpius à sorbitionibus ad uasorũ inanitionem transire expedit. Nam exhibent ꝓpe consistentiam, & in ꝯsistentia, in quo tempore potius transire op ad uasorũ inanitionem, ꝗ aliqd exhibere. ꝓpterea inquit

ἢν οὕτως τύχῃ παροξυνομένη ἡ νοῦσος.i. si ita morbus per accessiones ꝓrigerit. nam contingere potest morbi uigorem, & maiorem exacerbationem id expetere, ut uasa inaniantur, tñ implebuntur: imo hi qui ita regunt ægros, ut primis diebus exinaniant, deinde impleant: in hoc incidunt, ut prope morbi exacerbationem dent cibum, & in ipsa exacerbatione, quod absurdissimum est.

GALENVS. Hoc aduerbiũ ἀπαρτί & apud authores Atticos, & apud Hippocratem est in usu pro ἀπηρτισμένως καὶ ἀκριβῶς.i. exquisite &

fite & absolute. In quo significatu & nunc est usus Hippocrates, demonstrare uolens medicos in illo maxime tempore permutare uictus rationem ex abstinẽtia cibi ad sorbitiones, quo ad abstinentiam accedere oportet. Atque hinc manifestissime ostendens cum morbi uigor adest, tunc tenuissimo de necessitate uictu esse utendum.

BRASAVOLVS Primo, Galenus notat Hippocratem uti hac particula ἀπάρτι, ut in usu est apud Atticos, pro ἀπηρτισμένως καὶ ἀκριβῶς. i. pro exquisite & diligenter. utitur uero in hoc significato in præsentia Hippocrates, ostendere uolens medicos in illo potissimum tempore uictus rationem mutare ex cibi abstinentia ad sorbitiones, quo ex cibo ad abstinentiam accedendum erat.
Secundo, ex his omnibus Galenus infert Hippocratem manifestissime ostendere cum morbi uigor adest, tunc tenuissimo uictu de necessitate utendum est.
Nota in huius cõmentationis initio deficere uerbum συγγραφεῦσιν, ut ita legi debeat, hanc particulam ἀπάρτι & apud authores Atticos, & apud ipsum conscribunt. & præterea illa particula καὶ ἀκριβῶς in latino codice posita, in græco abest. nam ita græca senes scripta est. τὸ ἀπάρτι καὶ παρὰ τοῖς ἀττικοῖς συγγραφεῦσιν ἐπὶ τοῦ ἀπηρτισμένως εἴρηται, καὶ παρ' αὐτῷ τῷ ἱπποκράτει

## Hippocrates. Sectio XLIIII.

Interdum autem & cruda tum à capite, tũ à thorace attrahuntur biliosa· uigiliæq; his accedunt, ob quas non coquitur morbus· tristesq; & amari hi fiunt, desipiunt· incerti & discurrentes lucis splendores oculis obijciuntur· aures implentur sono, frigent extrema, urinæ crudescunt· sputa tenuia fiunt, salsa, colore sincero, & exigua· sudores circa collum, anxietates inquietationesq;, & spiritus offendens in ea quæ sursum fit aeris latione frequens uel magnus· supercilia quadam tenus amplificantur, deliquia animi fiunt, uestium à pectore reiectiones, manuum tremor, atq; interdum labij inferioris concussio.

BRASAVOLVS Cum superius ab Hippocrate illi deriderentur medici, qui primis diebus ægros fame cruciant, postea dant, ante q̃ morbus uigorem pertransierit, & quia dixerat illos male passuros· propterea nunc ostendit quænam illa sint quæ patiunẽ, & quæ incõmoda & symptomata incidant. Interdum, inquit, cum ita uictus ratio male seruetur cum à capite, tum à thorace biliosa attrahuntur· & his accedunt uigiliæ, quæ ad bilem sequũtur in capite collectam, ob has autem uigilias non coquitur morbus, neq; maturatur· & hi tristes fiunt atq; amari· desipiunt· splendoresq; lucis discurrentes eorũ oculis obijciuntur· aures sonitu & sibilo implentur· extrema frigida fiunt, urinæ efficiuntur crudæ· sputa fiunt tenuia, salsa, colore sincero, & exigua· sudores fiunt circa collum· anxietates per totum, atq; inquietationes· & spiritus fit offendens, qui frequens & magnus est in ea aeris latione, quæ sursum fit. i. in expiratione· supercilia quodãmodo amplificantur, animi deliquia incidũt, neq; supra pectus uestes tenere possunt, sed illas reijciunt· tremunt manus, atq; interdum fit labij inferioris concussio. Quæ omnia sunt à nobis singulatim examinanda, & singulorum causæ (ut fieri poterit) reddendæ.
ἐνίοτε δὲ καὶ ὠμὰ ἐπισπῶνται, ἀπό τε κεφαλῆς, καὶ τοῦ περὶ θώρακα τόπου χολώδεα. i. quãq; autem & cruda biliosa attrahuntur à capite, & à thorace. Hoc est unum symptoma his contingens, qui primis diebus uasa exinaniere, postea cibum dãt ante exactum uigorem. q̃ à capite biliosa cruda attrahantur, id in causa est, cum uentriculus non habeat qd concoquat, necesse est ad se aliqua attrahat, quæ sint in corpore, ut uentriculi calor aliqd habeat, in qđ agat. In esurientis uero corpore humidi humores consumpti sunt, soli retenti sunt licciores & calidiores, qui sunt biliosi· propterea opus est biliosos humores ab his trahi locis, in qbus potissimum sunt. unde à capite trahuntur, & à thorace, & in uentriculum deducuntur, & alia faciunt symptomata quæ sequuntur. uocantur uero cruda biliosa, uel cruda bilis, non quidem illa quæ coqui possit, & transire in nutrimentum, sed quæ non est præparata dicitur cruda, de qua re in Galeni cõmentatione agemus. Ita Galenus Hippocratem intelligit. ueruntamen si aliter intelligere uoluerimus, ut crudum pituitosos significet humores, et χολώδεα biliosos, ita Hippocratis contextum interpretari poterimus, quãq; uero & cruda attrahuntur. ut hic non specificet à quo loco cruda trahantur, qm̃ à toto corpore trahuntur, postea dicat & à capite & à thorace biliosa ut specificet à quibus locis biliosa trahantur. tamen Galeni sententiam sequi melius erit.
Sed ambiges, hanc attractionem à iecore potius fieri debere, q̃ à capite & thorace, qm̃ cum uenter uacuus est, natura à iecore trahit, ut in. 3. de uiribus naturalibus habetur, & hoc dictat ratio, qa iecur humoribus magis abundat, quàm caput, uel thorax, propterea facilius est & cõmodius à iecore trahere, quàm à capite uel thorace: Respondemus, uẽtriculum dupliciter attrahere, primo, ob naturalem famem, in quo casu si ab extra nihil præbeatur, à iecore potissimum trahit, & hæc est naturalis attractio. Alio modo, attrahit, nõ ob naturalem famem, sed potius ob aliqđ nocumentum, qđ illi ex aliqua ægritudine acuta contingit. in hoc autem casu à membris potius compatientibus attrahit. nam uentriculus ipse afficitur, uel qa aggrauatur, uel qa pungitur & male afficitur, simul uero & caput & thorax ob colligantiam quam simul habent, compatiũtur, propterea & ab his coaffectis attrahit, nam cum uentriculi os patitur & caput & thorax in acuta potissimum ægritudine compatiuntur.
Forte in præscriptam argues solutionem, in acuta ægritudine maior est in corde inflãmatio, quàm in alio corporis loco, & q̃ in ore uentriculi, & uentriculo, propterea uideretur hanc attractionem potius fieri oportere ad cor, quàm ad uentriculum: Respondemus, qñ ex inedia talem contingit fieri inanitionem, qualem supponit fieri Hippocrates, cor non adeo inanitur, ut os uentriculi facit, neq; cum reficit, adeo aggrauatur ut os uentriculi, propterea attractio fit à uentriculo maior, quàm à corde ob maiorem in ipso læsionem· & quamuis in corde magis reluceat uis caloris febrilis, tñ ob illud solum attractio non sequitur, sed est ob malum affectum, qui ad inediam sequitur, & ad subitam cibi acceptionem.
Nota uero dixisse ἐνίοτε. i. qñq; hæc trahi, qm̃ & qñq; attrahũtur pituitosa, & qñq; nihil attrahitur, nõ enim necessarium est semp attrahi biliosa. per biliosa uero Galenus bilem flauam intelligit, tñ nihil impedit & atram trahi bilem. cũ enim omnia ex inedia exaccenẽ, atra bilis uigebit, & non tantum flaua, imo & atra bilis est ὠμά. i. cruda in illo significato, in quo & bilem flauam crudam esse ostendemus. At dices, cum bilis sit humor tenuis, cur citius non exoluitur, quàm pituita qñ in inedia homo est: Respondemus id esse tum quia non est in uentriculo, in quo tñ est pituita, tum quia & si tenuis sit, calor tñ primo agit in pituitam uelut in pinguiorem humorem.
ἀγρυπνίαι τε συμπίπτουσιν αὐτέοισι. i. uigiliæ. q̃ his accedunt. Galenus ait uigilias consequi inediam, & cibos intempestiue sumptos. Tñ dici potest bilem, quæ in uentriculo abundat, à thorace & capite tractaq;, in caput uapores siccos ab ipsa eleuatos inducere, qui uigilias faciũt. At s̃m Galenum fit postea q̃ inordinate edere cœperunt, nam & inordinati fumi in caput ascendunt, qui ita perturbant, ut uigilias inducant, & somnũ abigant. de qua re in Galeni cõmentatione agemus.
δι' ἃς οὐ πέσσεται ἡ νοῦσος. i. ob quas non coquitur morbus. nam cum uigilamus naturalis calor extra ad circunferentiam uergit. unde non fit coctio, quæ in somno pfecta est ob caloris

intus tractionem, per quam tractionem uehementior efficitur, itaq; probe inquit.

περίλυποί τε καὶ πικροὶ γίγνονται.i.tristesq; & amari hi fiunt. tristes fiunt, qa iam erunt ferè consumpti ex inedia, uel saltem imbecilliores redditi, ualidiori uero aduemente alimento uenter aggrauatur, neq; cibum hunc coquere potest: unde tristes fiunt, graues, & mœstitia quadam affecti, amari uero fiunt, qa bilis in uentriculo colligitur. Et si petas, de qua intelligat amaritudine, intelligit de oris amaritudine, quæ fit à bile in uentriculo existente. neq; putes omnes simul fieri & tristes & amaros. nempe si fuerit bilis nigra in uētriculo aceruata, hi fiunt tristes & graues, uel etiam si nihil sit in uentriculo preter cibum sumptum post inediam. si uero adfuerit bilis, sunt amari, tamen non possunt esse amari, quin & simul sint tristes, possunt uero esse tristes, & non erunt amari.

καὶ παραφρονέουσι.i.& delirant. quæ deliria bilis amarę collectionem in uentriculo sequuntur, quæ ad cerebrū effumat. at neq; hoc signum in omnibus est, lʒ in omnibus esse possit. solum uero aderit, cum bilis flaua quæ in uentriculo collecta sit, ad caput effumauerit.

καὶ μαρμαρυγώδεα σφίσι τὰ ὄμματα.i.& splendentia quędam oculis eorū obijciuntur. hi fiūt splendores ab exhalatione & euaporatione, quæ à stomacho fit, non qdem euaporatione ab atra bile eleuata, qa hæc potius obscuritatem pareret, q̃ splendorem, sed uel à flaua bile, uel à sanguine eleuata. Et si dicas, quomodo hic sanguinem habet, qui per aliquot dies in inedia pseuerauit? Respondemus, non est totus sanguis exhaustus, neq; intelligitur, q̄ ipse prima die qua cibum accipit, hæc incidat, sed postea, hicq; cibus exagitat sanguinem, & caput petit, unde qdam uidentur splendores, & quædam incertæ lucis scintillæ. Sed statim ambiges nō uideri hos splendores ob inediam fieri, ut dicebat Hippocrates, nam potius obscuritates circa oculos uidenť, qm̄ in his bilis in uentriculo aduritur, propterea atri uapores & obscuri ascendunt, qui luces & splendores facere non possunt, nam splendores illi potius ex rubris fiunt uaporibus & sanguineis ascendentibus, qđ ex Hippo. 3. pgno. colligi potest Sectione. 33. & Galenus in cōmentatione id exponit, magisq; confirmat in. 3. de iudicationibus. uerū si in his pbe consideremus qui fuere in inedia, qbus sanguis exiccatus est & consumptus, potius sunt atri & obscuri uapores qui à bile ad uētriculum tracta & exusta eleuantur, qui potius obscuritatem inferunt, q̃ splēdorem. Respondemus, uel bilis nōdum exusta hoc facit, & sanguis nondum consumptus, uel per luces circa oculos Hippocrates intelligit non solas luces quæ sunt splendores, sed & lutea & atra, uel intelligit ista deinceps fieri, uaporibus à cibo eleuatis abundantibus, & sanguine multiplicato, uel dicamus, in his qui inediam passi sunt nigros uapores non ascendere, sed potius luteos, nempe non est adeo bilis exusta ut nigri uapores eleuentur, sed potius quandam habent lucem. Forte dices, à bile atros uapores & tenebricosos apud Hippocratem eleuari, nam in. 3. pgnost. Sectione. 30. ubi de spontina agit uomitione, inquit, si qs per febrem nō exitiosam dixerit caput dolere, aut etiam tenebricosum aliqd ob oculos obuersari, si uentriculi dolor in eo extiterit, biliosa uomitio aderit. En tenebricosum circa oculos obuersari, & in uētriculo bilem haberi. & Gal. in illius partis cōmentatione inquit hoc tenebricosum esse atrum ab exhalatione flauæ bilis sinceræ confectum. Respondemus, Hippocratem in hoc loco intelligere de tenebricosa apparitione, quę fit tempore crisis, qñ per uomitum fieri debet, in uentriculo enim multi sunt tunc biliosi humores & adusti, ppterea Galenus in eodem citato tertij pgnost. loco causam huius obscuritatis amplius exponens inquit, bilem illam sinceram plenius calefactam, & ut ita dicaŕ, uehementer assatam, atram exhalationem ceu fumum quendam ad caput remittere, uerū cum facit lucem, nō est tam exusta, sed adhuc habet bilis flauæ naturam, in processu uero cum perfecte exuritur, tunc tenebricosum quid, & non splendidum circa oculos mittit.

καὶ τὰ ὦτα ἤχου μεστά.i.& aures sibilo plenę fiūt. sibilū psentiunt, & sonitū quēdam à uaporibus factū, qui caput ascēdūt, imo & in ipsomet capite spiritus nascunť flatuosi, qui sibilū & sonitum quēdam in auribus cōcitāt. tñ in eterum uel sonitus, qui in aurium cauitatibus generantur, à flatibus.

καὶ ἀκρωτήρια καταψυχόμενα.i.& extremæ partes frigidę fiūt. necessarium est post hanc inediam, cum cibi preter cōuenientes assumuntur, os uentriculi pati, uel ab humoribus biliosis mordicantibus, uel à nimio cibo, ad prauum autem oris uentriculi affectum facile sequitur extremorū frigus, tum qa calor naturalis ad intrinsecas uertitur partes, ut uentriculi ori succurrat, tū qa & iam erant imbecilles, & naturalis calor imbecillus, extrema uero sunt manus, pedes, nares, aures, sed potissimum manus & pedes dicuntur extrema, tñ & in hoc casu aures & nares frigescunt, imo & pars cutis exterior in alijs partibus, præter quàm circa præcordia.

καὶ οὖρα ἄπεπτα. id est, & urinæ crudæ redduntur. At inquies, quomodo crudæ si inediam passi sunt, potius esse deberent supra modum coctæ. Respondemus, intelligendum esse non statim post inediam, sed postea quàm edere cœperūt quæ non conueniunt, ut supra modum. quanquam possemus & in eodem significato intelligere urinas crudas, sicuti & superius dicta est bilis cruda, ut sint urinæ crudæ, quæ in humoribus concoctionem esse non demonstrant, utroq; modo intelligi potest, tamen primus ille modus potius uidetur Hippocratis mens, quam Galenus sequitur, ut in eius commentatione exponenda uidere licebit.

καὶ πτύσματα λεπτά.i.& sputa tenuia. s. fiunt, nā ex inedia uasa sunt exinanita, cibo aduemente copioso cruditates generātur, quæ partim sunt crassæ, partim tenues, primo autem tenues expuuntur, ppterea sputa in his tenuia sunt, tñ non negaret Hippocrates qn & sputa deinceps crassiora contingerent.

καὶ ἁλμυρά.i.& salsa. cōtingunť sputa, quæ fiunt uel ob calorem inducentem in humorem salsedinem, uel ob bilis mistionem cum pituita, tñ melius est cum Galeno intelligere salsedinem ex se fieri, non ex bilis mistione cum pituita. Cum enim in cibum agit naturalis calor, qui pfecte coquere non potest, si deinde in pituitam talem adeo agat, ut illam exurat, sed non tantum exurat ut bilis fiat, uerū in gradu stet remissiori, tunc amaritudinem non contraxit, sed restat salsa, qa salsus sapor medium est ad amarū. at hic cum calor naturalis ob præcedentem inediam sit effectus imbecillior, exquisitam nō potest parere bilem, sed salsam facit pituitam, unde in his sputa apparent salsa ob dictam causam.

καὶ κεχρωσμένα ἀκρήτῳ χρώματι.i.colore sincero, qa unus solus fit humor, semp uero sinceras deiectiones malas iudicauit Hippocrates & in. 2. pgnost. & in. 7. Aphor. ubi Galenus notat esse sinceras deiectiones, quæcūq; non sunt mistę aquosæ humiditati, & quæcūq; sunt unius solius humoris, uel biliosi, uel atrabilarij. nempe non sunt sinceri, nisi ob coctionem, quæ exquisite suum non pficit opus, & quæ cibi partes in humores sibi pprios non distinguit, & pportione respondentes. Verūtamen Galenus in. 6. Aphor. 7. lib. hos esse sinceros humores intelligit, bilis, atra bilis, bilis prasinea, & bilis ęruginosa, quæ ostendunt exustam esse omnem humiditatem à calore febrili. pituita uero nō est ex his humoribus, qui exustionem indicant. tñ intelligere possemus in his humoribus q̄ sputa essent coloris sinceri, in aliqbus essent pituitosa. nam quæ salsa sunt, & si ab aliqua fiant adustione, tñ necesse nō est ut ostendāt totā humiditatem à calore febrili esse exhaustam, unde in aliqbus pituita est, in alijs alij sinceri humores expuuntur. uel intelligamus colorem hic sincerū. i. pure album, nam & hic color sincerus est, & albus est pituitæ color.

σμικρά.i.exigua. sunt exigua, qđ palàm est, si in sinceris intelligamus bilium coloribus, nam sunt necessario biles exiguę illæ quæ expuuntur. si uero & in pituita intelligamus, est pauca & exigua, uel ob febrem quæ exhaurit, uel ob inediam quæ præcessit, ob quam necesse est nos habere uasa exinanita, quę

implentur,

implent, etiam si praui sint humores illi quibus implentur.

καὶ ἱδρῶτες περὶ τράχηλον.i.& sudores circa collum. hi sudores ob uirium fiunt quę præcessit imbecillitatem, & deinde ob cibum præter modum ingestum, qui quodammodo uires imbecillas suffocat. ex labore isto fiunt & circa collum & circa extrema sudores. Adde intelligi posse hos fieri sudores ob prauam oris uentriculi affectionem, nempe patitur & à bile, quam attraxit, & à cibo illum commouente, & os uentriculi lædente.

καὶ διαπορήματα.i.& anxietates. s. fiunt, & ob longam inediam, & ob cibum in copia intempestiue sumptum. Sunt uero hæ anxietates labores quidam & inquietationes, quæ ancipitem reddunt hominem quomodo se habeat, sed de re cõqueritur, quam exprimere nescit, propterea Græci talem anxietatem ἀπορίαν uocarunt, ac si dubitationem dixerint & ambiguitatem. de hac Hippocrates intelligere uidetur. 7. Apho. lib. Aphor. 57. ubi utitur uocabulo halyce, & Leonicenus interpretatur anxietudo, & Theodorus Gaza pandiculatio, sed falso, nam Galenus dicit halycem esse & in sanis & in ęgris: in sanis est in his qui semp pręsentibus molestantur, & ab uno negotio atq; actione in aliud transeunt. ægri uero dicuntur anxij qui accubitum non perferentes figuras euariant, quia semper præsens aggrauat eos. eodem modo putamus hic διαπορήματα intelligenda. s. anxietates & inquietationes, quibus ęger ob præcedentem inediam, postea ob cibum in maiori copia q̃ oporteret sumptum inductas, sunt enim uelum ambiguitates istæ & ἀπορίαι.

καὶ πνεῦμα προσπταῖον ἐν τῇ ἄνω φορῇ, πυκνὸν ἢ μέγα λίην.i.& spiritus offendens, in delatione quę sursum fit, aut frequẽs aut ualde magnus est, hæc etenim spiritus offensio, quę ad extra fit, thoracem impeditum esse significat, unde hoc sequitur ad cibum potius supra modum sumptum, qui comprimit supra septum transuersum, q̃ ob inediam. de hac autem re, in Galeni agemus cõmentatione, & q̃ hic copiosius. qñ uero in attrahendo offendit aut conuulsionem significat, aut angustiam. in 68. quarti libri Aphor. Hippocrates dicit spiritum προσκόπτοντα, Leonicenus interpretatus est offendentem, quem dicit in febribus significare conuulsionem, nam fit quoties (ut inqt Galenus) in medio sui detinetur ac præciditur spiritus: fit uero ob musculos qui thoracem mouent, & ob neruos iam ad conuulsionem paratos: sed alter est spiritus offendens, de quo in præsentiarũ agit Hippocrates. forte ob hanc causam Copus interpretari noluit πνεῦμα προσπταῖον.i. spiritus offendẽs, sed reddidit, spiritus errat, nam circa expirationem error erat, qui error ob compressionem fit à cibo factam præter solitum in uẽtriculum recepto, qui & in flatus resoluitur, & uẽtriculus magis tenditur, ac uehementius supra septum transuersum comprimit. Nota uero in hac thoracis circa septum angustia minus attrahi, postea extra uehementius expelli, ppterea uel magnus est dum exit, uel frequens, qa non tantum recipitur aeris, quãtum recipi deberet, & ideo ut frequentius recipiatur, frequentius etiam attrahitur.

ὀφρύες ἐπίβαροι μετέχουσι.i. supercilia grauitatem participant. alij interpretantur supcilia quadam tenus amplificãtur. alij supcilia grauantur. ex hoc uero intelligere oportet conuelli & contrahi, qñ nonnunquam in uno fit supercilio, nonnunquam in utroq;, qm̃ conuulsionem quodammodo patiuntur, quæ si inediam sequatur, letalis est, si uero repletionem sequatur, quæ fit post inediam, forte letalis non erit. At Hippocrates j. pgnost. Sectione. 11. περὶ βλεφάρων de palpebra dicebat esse signum letale, qñ peruertitur, aut liuida est, nam conuulsionem significat, idemq; iterum retulit in. 49. quarti libri Aphorismo de palpebra loquens.

λειποψυχώδεα, πονηρά.i. animi defectio, praua. hoc enim fit tum ob oris uentriculi cõpassionem, ex cibo præter ordinem ingesto, tum quia iam erat imbecillis homo, cibo hoc aduenĩte supra septum comprimitur, & os uentriculi male afficitur. unde spiritus offendit, & præterea animi defectus incidunt, qui hominem ualde perturbant, unde eos uocauit prauos. s. animi defectus.

καὶ τῶν ἱματίων ἀπορρίψιες ἀπὸ τοῦ στήθεος.i.& uestium à pectore deiectiones. hoc symptoma febrem sequitur, hoc est uehementissimum calorem. ob duo autem uestes proijciuntur, uel ob nimium calorem, uel ob deliria. Inquit uero à pectore, qa si aliqua pars sit quę calorem habeat, potissimum est pectus, in quo prius cor ardet, q̃ cætera membra ardorem contrahant, qui febris est, tñ & si pectus dixerit, potest & ex alijs quæ deteguntur partibus idem ferri iudicium, imo & Hippocrates. j. pgnost. Sectione. 16. iudicat si æger nudos habeat pedes, malum significare, qm̃ inqt significat inquietationem: iudicauit & Sectione. 22. eiusdem libri exitiale esse, cum æger de ueste euellit pilos, aut colligat supra uestem festucas.

καὶ χεῖρες τρομώδεες.i.& manus tremore afficiuntur, quod non semper est, sed cum uehementior fit morbus, & post imbecillitatem ex inedia contractam, præterea magis imbecilles ob cibum inconuenienter acceptum redduntur.

ἔστι δ' ὅτε χεῖλος τὸ κάτω σείεται.i. qñq; enim imum labiũ deorsum concutitur. tremit enim labrum imum, quoties acres humores fuerint in ore uentriculi, qui ipsum mordicent. est enĩ magna oris uentriculi ad labrum inferius connexio, ut una sit tunica ab ore uentriculi ad ipsum & ad caput cõtinuata, hęcq; causa est, cur cum inferius labrum tremit, indicium sit uomitus, ut in Aph. habet. Adde & q̃ hic à Galeno dicitur non solum esse uomitus indicium, sed & acrium humorum uomitus, q̃q; & de non acribus sit signum indubitatum.

Petes uero, cur alia symptomata simpliciter & absolute posuit, hoc uero dicit quandoq; euenire. Respondemus, & hoc symptoma, & manuum tremor, & uestium deiectiones à pectore, non semper contingunt, sed tunc solum contingũt, cum nocumentum ex prædictis erroribus fuerit magnum. non placuit uero Hippocrati de alijs hoc dicere.

Vniuersa hæc contingere his ait qui perperam cibati sunt à medicis: qui primis diebus exiccatos ægros die tertio uel quarto uel quinto uel sexto repente ad edulia non peracto morbi uigore pmutauerunt. Quasi peracto morbi uigore, conueniẽter eos uictum pmutasse dicat. Quod autem dicebat: Permutare quidem oportet sanorũ uictum in morbis, neq; tñ temere id agendum: iam patere ex prædictis arbitror. Nempe cũ una quidem corporis conditio sana sit, altera quæ à morbi initio ad statum usq; extenditur, mox & tertia quæ ad pfectam usq; morbi solutionem sese pr̃ogat, deinde & quarta quæ totius pualescentiæ tempus adusq; sanitatis habitum occupat: in nulla harũ quatuor conditionum pmutationes uictus insignes facere oportet, nisi prius in alteram conditionis speciem peruentum sit. Qui igitur ægros morborũ exordijs in omni ciborum abstinentia seruant, si ad uigorem usq; talem uictus speciem seruare possint, nemo eos culpauerit. Quod si facere non possunt ob interlabentes ægrorũ uires, quòd pperam inedia utantur προσταριχεύσαντες.i. exiccantes ægros, palàm est omnibus. Hoc autem uerbo abstinentiæ importunitatem plus iusto corpus exiccantem euidenter demonstrat: ubi etenim quo tempore prope uigorem tenuis cibandum fuit, in eo cibum dare coacti sunt, q̃ ægros abstinẽtia immoderate exiccauerint est manifestum, quod uocatur ταριχεύειν. Ob id igitur modo cibãdi huic succedere ait symptomata multa, & prauaq; omnia continuata recenset fere, à biliosis crudis exorsus. Nempe biliosa cruda ita appellauit, qm̃ & excrementorũ coctionem appellat, q̃q; mutata nutrire non possunt, ut bilis utraq; & qui græce ὠχροὶ dicuntur. Verũtamen qm̃ & talia euincit natura, cocta quidem uocare consueuit Hippocrates excrementa huiusmodi, quæ à natura ipsa euicta sunt: cruda uero quę non sunt euicta. Ob id & pus in phlegmonis quæ concoquuntur fieri ait, q̃q; pars nulla ex pure alimoniam accipiat, ueluti accipit ex crudis appellatis humoribus & pituita, quæ reliquum pfectionis assecuta & prorsus cocta, corpus nutrire possunt. Sic igitur biliosorũ humorum cõcoctio existit, ut sanguinis quã

GALENVS.

in phlegmone est in pus migrantis: intelligentibus nobis coctionis nomen in suo uniuersaliore significato. Est aūt uniuersalius, cū natura causis fortior fuerit, ꝑmutaueritq́ eas suo robore. Quæ igitur uelut in anima carente corpore putrescunt, nihil ad ꝑmutationem conferente innato calore à concoctionis ratione degenerant: hoc sanè contingit aquosis his humiditatibus quæ per urinas excernuntur: atq; ob id crudas urinas concoqui dicimus, quanquam corpus ex coctis unius ali non possit. Generali præterea hoc concoctionis significato utimur, cum uel catarrhum, uel coryzam, uel fluentes ex his humiditates, uel eas quæ ex oculis manant, aut crudas, aut coctas esse dicimus. Ad hunc modum & bilem uel crudam uel incoctam, uel coctam esse ꝓnunciamus. Cruda quidem flaua admodum est & acris & male olens: Cocta autem & pallidior, & minimum male olens. Bilem igitur crudam incoctamq́, ait ad uentrem de necessitate confluere, quæ ob prauam uictus rationem tum ex capite, tum ex thorace trahatur, idq́; cum fame ægros necant, nullo uel solatium uentri præstantes, atq; cum ex inedia ad ualidos cibos ꝓpe uigorem intempestiue transeunt. Recenset deinceps & symptomata alia, quæ prauam ob uictus rationem oriuntur. In primis quidem uigilias, quæ longam inediam ciboscq́; intempestiue exhibitos consequuntur, quæ utroq; nomine medicorum culpam uictus rationem. Quòd autem uigilias morbi cruditas consequatur, manifestum sanè existit, si somnos concoctio sequi debeat. Cæterum, pristes, inquit, fiunt tum ob longam inediam, tum ob ualidum repentinum alimentum, quo grauatur uenter, grauatusq́; languidos reddit & mœstos. Adde quòd & amaros fieri ait, quippiam manifeste præfato consimile adstruens: ut etenim sunt qui ex melancholia tum languidi, tum mœsti fiunt, sic alij quidem sæpius acriter excandescunt, tanquam collecta aceruataq́; in stomacho bile. Vel sanè cum amaros fieri ait, eā quæ in ipsorum ore ex tali bile fit amaritudinem indicat. Desipientiæ & acres excandescentias & bilem amaram, uel in stomacho, uel in cerebro collectam, cōsequi natæ sunt. Incertu & discurrentes lucis splendores, qui μαρμάρυγες græce dicuntur, oculis fiunt propter eam quæ à uentre est exhalationem euaporationemq́;, & ꝓpter sanguinis qui ad caput fertur, abundātiam. Atq; ex his prius quidem ex importuna interdum fit ciborum oblatione, alterum autem ꝓpter eam quæ commodo futura sit sanguinis eruptionem, uel delirium imminens. Consimiliter & aures sonis implentur, tum ꝓpter eos qui à uentre sursum feruntur uapores, tum ꝓpter flatuosum spiritum, qui in capite ipso oritur. Corporis extrema, quæ sunt pedes & manus, promptè perfrigere, male habente uentris ore haudquaquam nos præterit, utpote cum uel ꝓpter longam inediam uehementer à mordentibus mordetur humoribus, uel ob importunam cibi multitudinem grauatur. Patitur autem utrunq; ex ea quæ antedicta est uictus ratione, qua medici ægros primis diebus ubi fame exiccauerint, tunc cum tenuiter cibādum sit, ad frumentacea repente transeunt edulia. Ob eandem rationem neq; eorum qui ita cibantur, urinæ concoquuntur. Nam in ea quæ citra uel cremoris ptisanæ, uel melicrati, uel oxymelitis oblationem fit exiccatione, sanguis ꝓpterea quod nō purgetur bilescit, propterq́; subitam ad esculenta ꝑmutationem uenter cōpatiente ipsi facultate uitali grauatē. Quin fit ut stomachicæ appellatæ syncopæ manifesto nobis indicent facultatis uitalis ad os uentris condolentiam. Hoc siquidem tum magis tum primum ex importunis, tum inedijs, tum cibis affligitur. Ob id igitur sputa, & tenuia, & salsa, & parua, & sinceris coloribus fieri ait, & sudorem circa collum duntaxat, & anxietatem inquietationemq́; & spirandi difficultatem. Crudus siquidem manet morbus propter excessum utrunq;, longam, s. inediam, & intempestiuam cibi oblationem. Cruditatem autem ipsam consequuntur sputa commemorata, ueluti & circa collum sudores, uirtute & ob famis anginam languescente, & ob cibum intempestiuum grauata. Consimili modo & anxietas inquietatioq́;, quā græce ἀλύειν dixit, cōmune est utriusq; symptoma, & ob longam inediam, quæ uentrem humoribus replet, & ꝓpter cibum intempestiuum grauantem. Verū spirandi difficultas qua spiritus offendit, ob cibum intempestiuū, magis q̃ ob indigentiam oritur. Nam spiritum inter inspirandum & offendere & quasi sisti, tum angustiæ, tum conuulsionis est nota. Lato etenim, quæ sursum fit expirationem facit. Tali autem spiritui contrarium, tum in secundo tum in tertio de morbis populariter uagantibus libro ꝓcurrit inquiens: Duplex intro reuocato ueluti aspirantibus. Quòd autem ob cibum intempestiuum & non ꝓpter penuriam talis fiat spirandi difficultas, patet ex sermone Hippocratis, spiritum frequentem uel magnum, ualde perperam cibatis fieri asserentis: fit si quidem frequēs magnusq́;, acto in angustiam septo transuerso ab ea quæ in uentre continetur alimonia, cum ue; neq; uicta, neq; probe à uentre confecta inflationem parit. Nempe tunc ob septi transuersi angustiam de necessitate minus aeris inspiratur, quāquam thorax se ea qua prius dilatabat, dilatatione dilatet. Ergo quod nunc aeris deest priori qui inspirabatur, id deficientem diminutumq́; respirationis usum facit, atq; ob eam rem animal maiorem respirationem facere cogitē, uel frequentiorem, uel utranq;. Dictum autem abunde de spirandi difficultatibus omnibus in libris de spirandi difficultate, ubi tum harum, tum aliarum difficultatum spirandi causas unà cum proprijs demonstrationibus scripsimus: ut q; quantum ad præsens attinet, hæc sufficiunt. Ait præterea & ex præpostero cibatu supercilia quadantenus amplificari. Verū id bifariam scriptum inuenitur. Nempe in quibusdam exemplaribus singulari numero, ad hunc modum: Supercilium quadantenus amplificatur. In cæteris uero pluraliter: Supercilia quadātenus amplificantur. Significatur autem ex ea dictione supercilia ipsa quodam modo euelli uel retrahi. Fitq; illud interdum quidem ambobus cōuulsim intentis, aut altero solo: interdum autem & altero resoluto. Deinceps ait deliquia animi fieri, sermonem ad symptomata referēs, per quæ & uestium reectiones fiunt ardentibus ægris. Interdum autem & manus totæ tremulæ fiunt, plus aucto malo. Concussio autem labri inferioris, morsum in ore uentris uehementem significat. Quo fit ut tale symptoma, uomitus acrium humorum etiam signum sit.

BRASAVOLVS

Primo, Galenus illos notat, quibus omnia contingunt symptomata ab Hippocrate enumerata. Nempe his contingunt, qui à medicis perperam cibati sunt, utpote qui primis diebus exinanierint, & ægros exhauserint, postea die tertio, uel quarto, uel quinto, uel sexto ad cibos repente transeant, tamen nōdum est perfectus morbi uigor. ut ex hoc ferè colligi uideatur, peracto morbi uigore, uictus rationem mutare esse conueniens. Sexto uero post uigorem, uictus rationem omnino immutandam, sed paulatim incedendum, & à pauco succo incipiendum, postea ad integrum, deinde ad ptisanæ partem, postea ad ptisanam integram. ita poterant Hippocratis tempore ægri tractari, sed nostro tempore hoc seruari non potest, propterea multi recidiuationem incidunt.

Cum à Galeno dictum sit omnia symptomata quæ enumerantur, ex utrorūq; errorum parte sequi, & ex parte nimiæ abstinentiæ, & ex parte nimiæ & importunæ refectionis. Alicui forte uidebitur hæc ad utraq; sequi non posse, qm̃ refectio est inediæ contraria, ex duobus uero contrarijs non nisi contraria sequuntur, & non eadem, cum contrariæ causæ contrarios inducant effectus. Respondemus, & si refectio & inedia per eorum essentiam contraria sint, nihil tñ refert utraq; simul unum effectum inducere posse ratione qua ꝑperam sunt applicata, & ipsis uitiose utimur, ac inopportune. uel dicamus omnino aliqua symptomata ad utraq; sequi, ratione qua unum corpus ipsum uno modo disposuit, aliud uero sequēs & idem corpus ita dispositum reperiens eodem afficit modo, tñ ex his symptomatibus aliqua sunt quę ad inediam sequuntur, alia ad refumptionem præter commodum, alia ad utrunq;.

Secundo, Galenus id notat qđ superius dicebatur, in morbis sanorum uictum permutare oportere, tñ id non esse temere agen

dum ex

dum ex prædictis iam patere, hanc ob causam quatuor refert cõditiones in quibus, uel non est uictus ratio immutanda, uel si immutetur, parum immutari debet.

Prima conditio est, Sanitas ipsa integra.

Secunda conditio est, Tempus à principio morbi usq; ad consistentiam.

Tertia conditio est, Tempus usq; ad pfectã morbi solutionẽ.

Quarta conditio est, Tempus totius cõualescentiæ usq; ad sanitatis habitum.

Intellige secundam conditionem à summo uigore usq; in finem inclinationis. Et quartam conditionem à fine inclinationis usq; in sequentem sanitatem. In his hominum statibus, nõ debet fieri insignis aliqua uictus mutatio, nisi ex una in aliam conditionem peruẽtum sit. nam si quis sit sanus, rationem uictus sanorum seruare debet, & semper, & nunq̃ immutare dum sanus est. Si uero ægrotat, & in principio cibandus sit, tali genere uictus uti debet usq; ad transactum uigorem, quo trãsacto, uictus ratio mutari debet, & magis amplificari, ac paulatim augeri usq; in inclinationis finem. Inclinatione transacta in conualescentia debet immutari cibus, & ad perfectam usq; sanitatem idem seruandus, in qua cum erimus, omnia quæ sanis prosunt, edenda sunt, qui uero aliter ægros tractauerint, q̃ prædictum sit, aberrant, ut statim ostendet.

Ambiges uero, à Galeno quatuor corporis dispositiones enumerari, cum potius quinq; esse uideantur, nam addi debet, decidentia illa quæ sequitur sanitatem morbum præcedentem. & si petas cur hanc decidentiam ponam, hæc est ratio, sicuti post morbum datur conualescentia, quæ neq; est sanitas, neq; morbus, ita ante morbum dari debet decidentia, quæ neq; est morbus, neq; sanitas. Imo uidetur in hac decidentia uictus rationis formam esse immutandã, sicuti in cõualescentia immutatur. itaq; erunt quinq; conditiones, Sanitas ante morbũ, decidentia ipsa, dispositio à principio morbi usq; ad uigorem, inclinatio, conualescentia. imo & sanitas quæ conualescentiam sequitur, aliud quiddam uidetur ab illa quæ morbum præcedit, nam hæc in perfectius, illa in imperfectius tendit. Respondemus decidentiam non uariare uictus rationem, nam Galenus in quarto de sanitate tuenda sanum corpus, & qđ diuidit eodem genere uictus regi ostendit. Conualescentia uero habet rõnem uictus adhuc per respectum ad morbũ, tñ augetͤ.

Forte in hanc argues solutionem, quia uictus ratio decidentię & conualescentię, potius ad eandem uictus rationem pertinere uidentur, & ad eandem artis partem, quoniam & decidentia & conualescentia sunt neutræ quædam dispositiones, unde uel opus erit, utrasq; ad uictus sanitatis rõnẽ deducere, uel ad uictus rõnẽ ęgritudinis, uel ad unũ genus his ꝯtra distinctũ. Præterea si rem interius speculemur, uictus ratio decidentiæ, uidetur potius ad partem artis curatiuam pertinere, q̃ ratio uictus conualescentię, nam in ratione uictus decidentiæ, eędem sunt intentiones, ijdem scopi, qui sunt in rõne uictus ægritudinis. At in rõne uictus ꝯualescentiæ, & ægritudinis sunt diuersi scopi, qm̃ in cõualescẽtia scopi sunt nutrire corpus & roborare. In ęgritudine uero scopi sunt coquere & euacuare, ut Galenus apertissime testatͤ in arte medicinali. igitͤ ratio uictus decidentiæ, potius ad ęgritudinẽ ptinet, q̃ rõ uictus cõualescẽtię. Ne uero in his nugis diutius immoremur pro his rõnibus dissoluendis notare oportet, decidentiã nõ esse medico notã nisi rarissime, cũ æger aliqđ lassitudinis genus habuerit, de qbus in libro de sanitate tuenda à Galeno ubertim agitͤ. Tunc uero non solũ uictus rõ decidẽtię adhibetͤ, sed & alia plura adhibentͤ, quibus & lassitudo aboleatͤ, & is qui lassus est à futura ęgritudine liberetͤ, tuncq; eãdem habet cum rõne uictus ęgritudinis intẽtionẽ. In alijs uero ubi lassitudo abest, uel non sentitͤ, neq; ab ęgro præuidetͤ, ipse rõnem uictus sani obseruat. Cũ igitͤ à medico hoc ignoretͤ, nulla est uictus ratio istituta. At si nosceretͤ, talis uictus ratio esset instituta, qualis lassitudinẽ hõibus ꝯuenit, genere tñ lassitudinis cõsiderato. Ad primũ argumentũ dicimus, ad diuersas spectare partes, quia in decidẽtia futurã ęgritudinem euitare debemus. In cõualescentia nutriendum est, & roborandum ut Galenus in arte medicinali testatur, cũ de refectrice agit parte. Ad secũdum fatemur si cognosceretͤ, potius spectare ad partem curatiuam, neq; hoc Galenus inficias iret, tamen decidentia raro cognoscitͤ, ꝓpterea non mirum si à Galeno nulla sit facta mentio de uictus ratione decidentiæ, & ideo erunt solum quatuor dispositiones notæ, in quibus datur ratio uictus uaria in corpore humano.

Forte inquies ex hoc saltem uideri esse multo plures, quia in illa parte quæ est a principio morbi usq; in finem uigoris tres sunt tempoꝝ diuersitates, quæ diuersam uictus exigunt rationem, quippe adest principium morbi augmentum, & ipse uigor. In his uero temporibus uaria exhiberur uictus ratio, plures igitur erunt uictus rationes uel dispositiones, à qbus sumuntͤ uictus rõnes, q̃ quatuor. R̃ndemus Galenus in acutis loquitur morbis, & in illis, in q̃bus usq; in uigoris finem abstinentia fieri potest. In his aũt morbis certum est solũ esse quatuor dispositiones, unde uictus rõnes accipiuntͤ. At in illis morbis in qbus necesse est in principio ægrum cibare augmento, & uigorẽ, palam est plura esse, à quibus uictus rationes sumantur q̃ quatuor, ut argumentum probe infert.

Tertio Galenus infert eos qui in morboꝝ principijs ęgros in omni ciboꝝ abstinentia seruãt, si possint absq; incõmodo grauiori ægros usq; in uigoris finẽ seruare, nõ erũt culpandi neq; reprehẽdẽdi, quia morbus ille erit talis ut integrã expetat inediã, & uires ferre poterunt. At si uires non sint fauis, neq; possint usq; in finẽ uigoris ægrum ferre, perperã faciunt illi medici, qui ægros in tali inedia seruãt, & qui sũt προταριχεύσαντες. i. ęgros prius exiccãtes. notatq; Galenus id uerbũ manifestissime ostẽdere abstinentiæ importunitatem, quæ plus iusto corpus exiccat, unde si eo tẽpore, quo maxime abstinendũ erat. s. ꝓpe uigorem, cibum dare coguntͤ, quia ægrũ supra modũ exiccauere, hocq; uocatͤ ταριχεύουσι, ꝓpterea Hippocrates inq̃t, hunc cibandi modo praua succedũt symptomata, & multa, quæ oĩa Hippocrates ipse serie quadam cõtinuata prosequitͤ, à biliosis crudis initium sumẽs, scito tamen hæc omnia symptomata in omnibus nõ fieri, sed in aliquibus aliqua, in alijs alia.

Quarto Galenus symptomata ꝯsiderare incipit, quæ ab Hippocrate enumerantͤ, & illa exponere. Notat uero Hippocratẽ uocare biliosa cruda, nõ quia coqui possint, et nutrire, sed eo modo quo etiã uocamus excremẽta cocta & cruda, quæ tñ cũ cocta sunt, atq; mutata, nutrire nõ possunt. Hæc igitͤ bilis utraq; tum flaua, tũ atra, & ἰχῶρες. i. liquidi & aquosi humores, cruda dicuntͤ & cocta, tñ cum mutantͤ & coquuntͤ, non nutriunt. ratio uero cur cruda dicantͤ & cocta cum non nutriant, est, quia natura hæc euincitͤ. Illa uero quę à natura euincuntͤ ab Hippocrate cocta uocari ꝯsueuerũt, unde excremẽta q̃ à natura euincuntͤ cocta appellantͤ, quæ uero nõ uincuntͤ, cruda, ut in inflãmatione pus qđ ꝑficitͤ coqtur, & pus coctũ uocatͤ, tñ neq; nutrit, neq; nutrire põt, sicuti crudi uocati humores, & piruita nutrire possunt, qñ reliquum ꝑfectionis assequentͤ, & prorsus coquentͤ. ut inferendũ sit uocabulũ coctionis in suo uniuersaliori accipi significato, ut illa omnia complectitur, quę a natura superantͤ, uel postea nutriãt, uel nõ nutriant. Eodem igitͤ modo biliosi humores dicuntͤ coqui, quo coqui dicitͤ sanguis, qui in phlegmone est, & in pus cõuertitͤ: hoc enim est uniuersale coctionis significatũ, illa dicuntͤ coqui cum natura causis ipsis sit fortior, & illas suo robore ꝑmutauerit. Nota igitͤ omnia quę in corpore sunt tanq̃ anima carente & putrescũt, qbus calor innatus nihil facit ad ꝑmutationem, illa à ratione coctionis degenerãt. Istud certe contingit aquosis illis humiditatibus, quæ per urinas excernuntͤ, uocamusq; urinas crudas istas cum nõ sunt à natura domitæ, cum uero domantͤ, coctæ dicuntͤ, q̃uis ali nõ possit ex his corpus. Nota etiam uti generali huius nominis coctio, significato, quãdo uel catarrhum, uel coryzam, uel fluentes ex his humiditates, uel illas quæ manant ex oculis dicuntͤ aut cocta aut cruda. Et in hoc generaliori significato crudã bilem & coctã dicimus, q̃uis corpus alere non possit,

sed ideo dicitur cocta, quia à naturali calore superatur, si non superetur cruda est. propterea si bilis modos consideremus, admodum flaua & acris, & male olens est cruda, cocta uero est pallidior & minimum male olet. Ad Hippocratem uero redeuntes, ipse bilem crudam dicit de necessitate ad uentrem cõfluere, quæ ob prauam uictus rõnem tum ex capite, tum ex thorace trahitur, & hoc fit qñ ægros fame cruciant & necant, nullum utile solatium uentri præstantes, imo post hanc summam mediam, cum sunt ꝓpe uigorem ad cibos ualidos intẽpestiue trãseunt, & ita prædictum incidunt symptoma, tñ non est necesse hoc symptoma omnes incidere, quia illi quibus obest bilis, hoc facere non possunt.

Quod legitur nempe biliosa cruda ita appellauit, græce est ὠνόμασε γὰρ οὕτως αὐτά. i. nominauit enim sic ipsa. addi deinceps potest biliosa cruda.

Vbi legitur q̃q; mutata nutrire nõ pñt, adde τὸ σῶμα corpus.

Vbi legitur ueruntamen qm̃ & talia euincit natura, deest particula ὅμως. ut sensus sit naturam similiter euincere talia.

Qđ legiẽ corpus nutrire possunt, græce est τὸ ζῶον, animal.

Vbi legitur hoc sane contingit, addi debet particula ἐνίοτε, ut legatur hoc sane quandoq; contingit.

Qđ legitur aquosis his humiditatibus, græce est τοῖς ὑδατώδεσιν ἰχῶρσι. sunt uero hæ humiditates, quæ ab omni humore deciduñt, & potissimum à sanguine, unde aliquæ ex his humiditatibus sunt biliosæ aliæ pituitosæ, aliæ atrabilares, aliæ à sanguine, aliæ cõmunes, omnes tamen ab antiquis medicis uocantur ἰχῶρες.

Ex Galeno hæc in parte colligiẽ duplicem esse coctionis speciem generalem unam, aliam particularem, uel hoc nomẽ coctio dupliciter usurpatur, communiter, & proprie, communiter coctio diciẽ cuiuslibet humoris mutatio à natura ipsum uincente, uel corpus nutrire possit, uel non possit, uel à natura expellendum sit, uel non expellendum, unde hic & humorum crudorꝫ coctiones continentur, & humorum qui expelli debent, & omnium humiditatum, & omnium destillationũ, & puris. Coctio uero ꝓprie est talis humiditatum à natura cõuersio, & aliarꝫ rerum quæ in corpore sumuntur, ut ex his corpus nutriri possit, qualis est in uentriculo ciborꝫ coctio, in uenis sanguinis coctio, in membris solidis humiditatum.

Forte dices uideri utrãq; bilem nutrire, nam atra lienẽ nutrit, ut est omniũ sententia. De flaua uero an fellis uesicam nutriat, & si ambiguum sit, cum authores uelint ab unctuoso quodã nutriri, tñ negari nõ potest, quin bilis crassior simul mista sanguini non nutriat membra. sunt qui dixerint sanguini misceri, & illum iuuare ad penetrandũ. uerũ si oĩa mẽbra quatuor humoribus nutriuñt, & ex illis sunt cõstituta, necesse est ex bile etiam oĩa nutriri. Auicenna uero arbitratus est pulmonẽ specialiter bile nutriri. At qui uolunt corpus bile nõ nutriri, uolũt posteaq; bilis sanguinẽ comitata est, simul cũ aquositate ꝑum exire, ꝑum per sudorẽ egredi. Et hęc est causa cur sudor sit salsus, qm̃ est q̃dã sanguinis aquositas, cui multũ bilis admistũ est, q̃q; Aristoteles aliam reddat rõnem ꝓblemate. 3. secũdæ sectionis, ubi quærit cur sudor salsus sit. Rñdet. An quia motu efficitur, & calore secernente quãtum alienum per adhærentiã intimationẽq; inest in alimento ad sanguinẽ carnesq;, id enim ocyssime segregaẽ, qm̃ nec aptum nutritioni est, & foras demum euanescit. Salsius uero ꝓpter id est, quod pars q̃dem dulcissima leuissimaq; tota ad corpus nutriendum assumpta est, pars aũt alienissima crudissimaq; tantum absoluiẽ, quæ partim deorsum collapsa, & subsidẽs urina uocaẽ, partim in corporis summa emergens sudor est, ambo tñ salsa ob eãdẽ causam ꝓdeunt. Ad rem uero redeũtes dicimus humores omnes nutrire, tamen sunt in sanguinea massa coniuncti. At quod hic à Galeno dicitur, crudos humores biliosos, tam flauos, q̃ nigros non nutrire, etiam si coquantur. i. præparentur, intelligit de humoribus prauis biliosis uel atrabilarijs, hi enim non nutriunt, & coctio quam acquirũt, est preparatio ut facile expellantur à natura uincente. Forte hoc argumẽto probabis prauos humores nutrire posse, qm̃ uenenũ nutrire potest: igitur & praui humores nutrire poterunt. Consequentia hæc patere uidetur. quia de uenenis inconuenientius uideretur quod nutrirent, q̃ de prauis humoribus. Antecedens manifestum ex tertio de simplicium medicamẽtorum facultatibus, ubi de puella mentionem facit Galenus ueneno nutrita, quamuis Auerrois in suis collectionibus oppositæ sit sententiæ. Adde leprosos à prauis nutriri humoribus, & elephantum patientes, & alios multos ægros, praui igitur nutriunt humores.

Respondemus humorem prauum esse duplicem, quendã penitus prauum, quendã non penitus, humor penitus prauus est humano corpori oppositus, neq; eo nutriri potest: humor autem non penitus prauus nutrire potest. Tamen est duplex nutritio, perfecta & imperfecta, humor non penitus potest imperfecta nutritione nutrire, & ideo membra paulatim in deterius tendunt, & tales sunt humores elephantum patientium uel lepram, uel ignem sacrum, & ideo membra paulatim amittunt, & male afficiuntur. At de puella, quæ ueneno uescebatur, id erat ex consuetudine, neq; illo penitus nutriebatur, sed alia comedebat, quæ puellam nutriebant, cum quibus erat uis ueneni cõmista, qua postea illos inficiebat, quos deosculabaẽ. Multi putarunt hãc puellã non comedisse napellum, sed hyoscyamum, qui longe decipiuntur, cum apud historicos de napello mentio facta sit, neq; puto hyoscyamum tam prauã posse inducere qualitatem, ut solo necet osculo. Huc uero Auicẽnam adducere poteris. qui ex Ruffi sententia lib. 4. fen. 6. capite sc̃do expresse inquit illam puellã fuisse ueneno nutritam. Idem sensit Rasis. 20. cõtinentis capite. 2. Imo & Galenus. 3. de simplicium medicamentorꝫ facultatibus testatur fuisse nutritam. Vt autem hãc materiam parũper ampliemus, scito Auerroim noluisse quẽq; posse nutriri napello uel ueneno. In hũcq; ferè modum argumentum facit. Quod hominis latitudinem exit non est homo. At nutritus ueneno, ꝙ interficit, hominis latitudinẽ exit: nam uenenum alios homines necat: igitur nõ est homo.

Tamen facile est hoc argumentum euitare, qm̃ si omnes homines paulatim ueneno assuescerent, omnes illo nutriri possent, ꝓpterea non est extra latitudinem hominũ ille qui sit napello nutritus, uel alio ueneno, sed est intra hominum latitudinem, & quisq; nutriri posset, qui esset assuetus. Tamen nos arbitramur, ꝙ alijs nutriantur cibis, & simul etiã herba illa quæ uenenũ est, ut si in acetario ederet napellum, uel hyoscyamũ, uel mandragoram. Nota uero hoc uenenum debere esse frigidum, quia frigidum uenenum in pauca superatur quantitate, & paulatim augeri potest, semꝑ assuescendo, ꝙ in calido ueneno fieri nõ potest. Hæc ita cõfuse dicta sunt. Ad rem igitur; praui humores corpora nutrire non possunt, & si nutriãt, praue nutriunt, & illa ducunt in malum. Adde sincerissimam bilem, ut illa quæ est in uesica fellis, nihil nutrire, & bilem atram simplicissimam, quæ non sit fex sanguinis, nihil nutrire. Si uero ex alimẽti defectu nutrirent, esset prauum nutrimentum, & corpora illa cito perirent. hoc enim uerissimum perpetuo est: Cum in corpore probum non adest alimentum, natura pro alimẽto quicquid occurrit, accipit, siue bonum sit, siue prauũ, quia minus malum est prauo nutriri, q̃ citius mori, unde & bilis flaua & atra coquentur, si prædictum spectemus modum. Sed ne quicquam prętermittamus, Auerrois. 4. collectionum libro capite. 31. censuit non posse fieri in uenis febrem de pura bile. nam esset (inquit) mortifera, quia bilis non est apta aliquam recipere coctionem, nisi in hoc, ꝙ cum sanguine est admista, aut cum materia qua nutriuntur membra radicalia, hoc est sanguis dealbatus. ut proculdubio hæc sit Auerrois sententia nullam febrem de flaua bile, uel de pura atra bile curationem posse recipere, hocq; ubertim declaratur libro tertio, capite quarto. Tamen nos arbitramur puram bilem posse concoqui, non tali coctione, ut nutriat membra, sed tali ut ad longinquum reducatur. Addeq; in hoc loco Galenum uoluisse & bilem & atram bilem cõcoqui, latiuscule coctionem accipientes, prout illa etiam complectitur, quæ corpus

nutrire

nutrire nõ possunt. Si Auerrois id intelligeret bilem non concoqui ut nutrire possit, Galeno cõsentiret. de bile putrida profecto & Galenus idem sentit, de illo autem quod bilis coqui nõ possit, ut inquit Auerrois, quia coctionis terminos trãsiuit & quod est assum nõ potest fieri elixum, hoc nõ est ad ꝓpositum huius coctionis de qua in hoc agitur loco.

ἰχῶρες sunt tenues omnium humorũ aquositates, & ichor sanies est, in initio ex ulceribus exit. de his uero in Aphorismorũ cõmentariis non pauca disseruimus.

Dixit Galenus ex crudis uocatis humoribus & pituita, supius disseruimus an pituita trãsiret in sanguinẽ, & in quatuor humores, & an nutriret, & eiusdẽ generis alia nunc q̃rendũ est, an sint alij humores crudi p̃ter pituitã. R̃ndemus, de ipsis quatuor humoribus ꝓfecto nullus dici potest crudus praeter pituitam de cruditate quae coctioni opponit̃ apta nutritioni. Sed de cruditate quae est ĩperfectio, & indispositio, & ad exitũ ineptitudo, alij etiã humores sunt crudi. In ꝓposito aũt cum de illis crudis humoribus loquat̃ Galenus qui cum coquunt̃, nutrire possunt, ꝓpterea per crudos humores chylũ intellige, & alios similes, qui nõ sunt pituita, sed cum coquunt̃, in alios trãseunt humores & in pituitã & in sanguinem, & corpus nutriunt. Et ita crudi humores sunt à pituita distincti, quãuis aliquis ita exponere posset, crudis appellatis humoribus, & i. pituita, ut particula & nõ copularet, sed exponeret, tñ p̃dicto modo distinguunt̃ crudi humores. i. chylus à pituita. Forte dices, si pituita nutrire potest, qñ fuerit cocta, igit̃ omne pituitae genus aptum erit nutrire, qñ coquetur. Cõsequentia ꝓba est, quia qđ inest alicui per se, inest omni cõtento sub illo. Sed per se inest pituitae, ut nutriat, igit̃ & omni pituitae. Tñ absurdum est omnem pituitã nutrire, quia uocata uitrea nõ nutrit, praeterea crassus ille humor pituitosus, qui cũ urina mingit̃ nutrire non potest. R̃ndemus duplex esse pituitae genus, naturale, & innaturale. Naturalis pituita illa est, quae nutrire põt, & quę coquit̃. Innaturalis est uitrea, & illa crassa, quae cum urina mingit̃, haec pituitae genera non coquunt̃, nisi eo modo quo dictũ est utraq; bilem coqui, quia à natura superant̃, tñ non sunt apta nutrire. Dictum uero est supius de naturali pituita. cum natura nõ habet quid consumat, & in quod agat, pituitã naturalem accipere, & illam coquere, atq; in nutrimentum reducere.

Ambiges praeterea nõ uideri biliosorum humorũ coctionem esse sicuti puris in phlegmone existentis, qa pus in phlegmone fit album, & mediocris substantiae. At bilis saltem nõ fit alba, etiam si mediocris substãtiae fieret. R̃ndemus nõ intelligit Galenus in oĩbus esse idem, sed in hoc solum cõueniunt, quia domant̃, & à natura uincunt̃. In reliquis differunt ſm qualitates & quantitates. ꝓpterea inquit in coctione ꝯuenire nomẽ id coctio in suo uniuersaliori significato accipientes, quando natura est causis fortior, & illas suo robore permutauerit.

Considera illam in Galeno particulã, Quae igit̃ ueluti in anima carente corpore putrescũt, nihil ad ꝑmutationem ꝯferente innato calore, à coctionis rõne degenerãt, haec inquã hoc modo intelligenda est, qñ sunt aliqua quae putrescunt, uel in mortuo corpore, uel in uiuo, sed calor naturalis ad hanc actionem nihil agat. ꝓpterea fuit ueluti in corpore anima carẽte: haec cõcoqui non dicunt̃, unde illa solũ ꝯcoqui censet, in quae naturalis agit calor. In quae uero nõ agit, illa cõcoqui non dicunt̃, nõ ad hanc putrefactionẽ nihil adiuuat naturalis calor. Qđ uero sequit̃, hoc sanè cõtingit aquosis his humiditatibus quae ꝑ urinas excernunt̃, ne intelligito, ꝙ hoc his ꝯtingat humiditatibus, ut his ꝯtingit quae putrescũt, sed potius referendũ ad magis superiora, tũc dici cocta, qñ natura ꝑmutauerit, qñ non ꝑmutauerit, cruda uocari. Vel intellige ꝙ humiditates quae per urinam exeũt, in quas nihil egerit naturalis calor, & ipsę à coctionis rõne degenerant, tñ urinae ob has humiditates crudę dicũtur, & coctae, qñ paulatim à natura trãsmutatę fuerint. Notaq; urinas nõ dici coctas, nisi qa coctionis quae in humoribus est, signum existit. Scito bilem ualde flauã dici crudã, qñ est acris & maleolens: cruda i. nõ euicta à natura, debet esse amara & non male olens, qñ est naturalis, uel nõ multum male olens, est uero male olens, qõ erit putrida, & quãdo nõ fuerit exquisita. Est uero ualde flaua, quia accepit uim caliditatis maiorẽ. Forte ambiges, ubi non uideri hãc innaturalẽ bilem, & quam crudã uocat esse minus flauã q̃ naturalis, qa bilis naturalis est calidior innaturali. igitur & magis flaua. quòd sit magis calida, id testimoniũ est, quia magis cocta. R̃ndemus hoc esse magis flauum posse attendi penes idem bilis genus, & penes diuersa genera. Si circa idem genus ꝯsiderentur, quãto magis est naturalis, tanto magis est colorata, q̃ innaturalis in eo genere. Sed in diuersis bilis generibus hic color cõsideret̃, ut in uitellina uocata & in naturali, semꝑ naturalis est magis flaua, q̃ innaturalis. uel dicamus de tali loqui innaturali bile quae uehementiorem acceperit coctionem, & ex ꝯsequenti quae intẽsiorẽ acquisiuerit calorem, uel uocat innaturalẽ magis flauã, naturalẽ uero ὠχροτέραν. i. magis luteã, quia calor sit magis floridus. Habes in secũdo de crisibus flauae bilis differentiã ruffae, & pallidae. In primo uero de crisibus habet̃ bilem amarã aliqñ esse ruffam, aliqñ flauam, aliqñ pallidã, habeturq; eodem loco pallidi coloris, flaui, ruffi, & rubri cõparatio, & qũo in bile fiant hi colores. In. 10. de simpliciũ medicamentorũ facultatibus notat bilem flauã simpliciter uocari bilem, & pallidam dici bilẽ, notatq; qũo fiant pallida bilis & flaua, est ubi de felle uerba facit. Et in. 5. cõmentario in. 6. epidemiorũ sectione. 14. inquit bilem simpliciter dictã significare pallidã, raro flauã, sed addit̃ flaua bilis, uidet̃ in Galeno contradictio, sed ex interp̃tibus sequitur non ex authore, ut aliàs ostendimus.

At de colore dices atq; foetore nõ facere ut bilis sit ineptior ad expulsionẽ, qm̃ illa q̃ hoc faciũt, sunt potius humorũ crassities glutinositas & similia. In hoc uero loco dicit̃ cruda bilis, qa deiectioni inepta, at hęc ineptitudo ex foetore, uel colore, uel acredine nõ ꝓuenit, sed ex glutinositate & crassitie, q̃ bili nõ insũt. igit̃ & bilis hęc q̃uis magis flaua, foetida & acris nõ est cruda. R̃ndemus bilis quae fuerit ita affecta foetens & ualde flaua, est magis naturę inimica, q̃ si his careat, & ideo est expulsione digna, uerum cum horũ rõne sit ad pertractandũ horribilis, propterea natura illam expellere refugit, & ideo cruda est, qa hãc habet horribilitatem, ob quam natura eam libenter nõ aggreditur, qua sedata, illam aggreditur & euincit.

Petes an idem sit dicere crudum & incoctũ, qđ de bile dicit ὠμὸν καὶ ἄπεπτον. R̃ndemus idem prorsus significare, sed unũ maiorem cruditatem alio importare, & nonnunq̃ unum uni humori, aliud alteri applicari.

Coctam bilem hoc est naturalem & perfectam dicit esse pallidiorem ὠχροτέραν, uel interpreteris magis luteam.

Ex capite & thorace bilem hãc deduci uoluit, petes uero num & possit ex alijs partibus ad uentriculũ trahi. R̃ndemus posse & ex alijs partibus trahi, ꝓpterea ꝑ thoracẽ & caput ptes oẽs intellige, ad quas & uis uitalis & animalis perueniunt.

Quinto Galenus ad alia descẽdit exponẽda symptomata, quae prauã uictus rõnem sequunt̃. Primo uigiliae sequunt̃, quae ex longa cõtingere solent inedia, & postea ex cibis intempestiue exhibitis. Et haec duo uictus rationem medicorũ culpant, primo uigilię ex inedia ꝓuenire potuerũt, quae capitis partes exiccauerit, postea crescere possunt illis partibus exiccatis, & cibis intempestiue sumptis, qui euaporant, & caput ꝑturbant, potiusq; uigilias inducunt, q̃ somnus fiat cum absq; ꝑdine sint. At quia alicui mirum uideretur uigilias sequi cruditates, ob id Galenus admonet ne hoc mirum uideat̃, quia somnus sequi debet coctionem, nam coctis humoribus somnus inducit̃ ex uaporibus benignis & placidis, ex cruditatibus uero crudi eleuantur uapores, & potius perturbantes, q̃ somnũ inducentes. Nota hinc colligi somnum fieri ex perfectis uaporibus, sed dices uideri potius ex crudis uaporibus induci somnum, quoniam post coenam ferè in somnum inducimur, certum uero est somnum fieri ex uaporibus è cibo eleuatis. At hi sunt crudi. Responndemus omnino ex crudis fieri uaporibus somnum, sed fit quando continuate homo comederit, &

extra febrem. hic uero Hippocrates in acuto loquitur morbo, in quo fiunt somni, ex coctis ex crudis aũt perturbationes, & hæ potissimũ perturbationes sunt, quoties inedia præcesserit. Si uero dicas non uideri ad ꝓpositũ Galeni cõsequentiã, quæ est ꝑcoctio sõnos seq debet. Igiẽ morbi cruditas seqẽ uigilias. nã ꝓbare debet Galenus cruditatẽ uigilias facere & nõ seq uigilias. Rñdemus qcqd d cñũ sit, hoc mõ intelligere oportet, uigilias longã sequi inediã, & cibos intẽpestiue exhibitos. Ad uigilias uero consequunẽ cruditates, quia calor in uigilijs extra fertur ad circũferentiã, & intrinsecas partes relinquit calore priuatas, hinc qcquid insumitur, id non ꝓbe coquitur. Coctio uero sequiẽ somnũ, qa in somno calor naturalis intus contractus est & uehemẽtior, ꝓpterea magis coquit, neq; ꝓbare intendit cruditatẽ facere uigilias, sed cruditatẽ ipsam uigilias sequi, ꝓpterea in hoc uigiliæ ob inediã cõsequunẽ, cruditates ob uigiliam, quę uehemẽter augebanẽ ob intẽpestiuã cibi & potus sumptionẽ, ꝓpterea in sua cõsequẽtia Galenus ꝓbare non itẽdit, ꝙ cruditas uigilias faciat, sed solũ cruditatẽ exaugere itẽdit ob uigilias. Sexto Galenus ad aliud trãsit symptoma, quod est hos fieri tristes. Id uero fit tum ob longã inediã, tum ob alimentũ, quod & ualidũ est & repentinũ, quo uenter grauaẽ. Cũ uero grauatus est, hoĩem languidũ reddit & mœstũ, palam est ex plenitudine languorẽ quendã induci & tristitiã, q̃ lassitudinẽ quãdam sequunẽ. Imo si ꝓbe cõsideremus, hic languor est lassitudo tẽsiua, sed nõ uniuersalis, est ꝑticularis lassitudo: nã uniuersalis tẽsiua q̃ tonodes diciẽ, est in omni mẽbro & ꝑ totũ adest materia, sed hæc quæ ex uẽtriculi plenitudine fit, nõ est uniuersalis, sed ꝑticularis, & solũ in uentriculo & ꝑtibus ꝓpinquis, unde ꝓbe Galenus uocauit illã languorẽ, & illos q eã patiunẽ uocat ἀναισθήτους τε καὶ λυπηρούς. i. languidos uel tristes. Est q̃dam lassitudinis tristitia, & graues uel mœstos reddit, nõ qdem mœstos animo, sed corpore, tamen graues potius interpretandum est, q̃ mœstos, quia ad hũc cibum grauitas q̃dam cõsequiẽ, & id potissimũ fit, qa prius ob inediam sũt redditi imbecilliores. Septimo Galenus notat Hippocratẽ dixisse hos fieri amaros, ꝑ qđ nescio qd cõsimile ꝑ̃tato astruebat: nã sicuti repiunẽ qui ex melancholia & languidi & graues fiunt, ita alij sunt qui frequẽter acriter excãdescũt, qm̃ bilis in uẽtriculo collecta est, ut noteẽ bilẽ atrã lãguidos facere & mœstos, ut præcedẽtis partis rõnẽ ad inediã non referamus & cibos sumptos, sed potius ad atrã bilem, quæ sit in uẽtriculo coaceruata: uerũ si bilis flaua in uẽtriculo aceruẽ, acriter excãdescũt, & ita sũt amari. uel intelligamus (inqt Galenus) ꝑ amaros os amarũ hñtes, nã ea bilis quæ in uẽtriculo est, oris amaritudinẽ inducit, uel amaritudinẽ in ore uentriculi, quam suꝑioribus cõmunicat partibus.

Qđ legiẽ ut enim sunt, qui ex melãcholia tũ lãguidi, tũ mœsti fiũt, græce est καθάπερ γὰρ ἔνιοι δυσθυμοῦνται μελαγχολικῶς. i. sicuti enim qdam melãcholice tristanẽ, hoc mõ potius legẽdũ est, q̃ dicere ex melãcholia fieri lãguidos, tũ qa ita habet græcus ꝯtextus, tum qa hoc symptoma ad inediã referri debet, & cibũ intẽpestiue sumptũ. At si esset ex melãcholia, non esset ex ꝑ̃dictis causis. Potius igiẽ huic ꝑti talis sensus assignari debet, cũ dicit amaros fieri, intellige simile ferè symptoma ꝑ̃cedenti, qđ erat fieri tristes. Ita hic itellige fieri amaros quo ad tristitiã quãdam, & fere lassitudinẽ, quæ amaritudo q̃dã uideẽ. Amaritudinẽ uero hoc mõ intelligi posse, ex hoc apparet. Sicuti qdã sunt, qui ob inediã melãcholice tristanẽ, & ob cibũ importune sumptũ. Ita alij qdam sæpius ὀξυθυμοῦνται. i. acute excãdescũt, ac si sit collecta αὐτὴ ἡ χολή. i. ipsa bilis in uẽtriculo, non ꝙ sit collecta, sed cõtingit tale symptoma ac si sit collecta, sicuti cõtingit aliud melancholicũ, ac si esset atra bilis ibi collecta. Tñ potius hæc sequunẽ ex inedia pręcedẽte, & cibo importune dato, unde amarũ intelligit, ut triste intelligebat, ut nostræ mulieres passim de re tristi, amarã esse dicũt, & turpẽ mulierẽ uocãt amaram, & Virgilius in Georgicis tristes uocauit lupinos. i. ſm Seruiũ amaros. ut noteẽ & amarũ ꝓ tristi & graui, & graue ac triste pro amaro accipi: uerũ qa hoc non est ꝓpriũ amari significatũ, ꝓpterea Galenus aliã dat expositionẽ, ſm quam amarũ pro sapore amaro accipieẽ, unde inquit, uel certe cũ dicit Hippocrates hos fieri amaros, illam significat amaritudinẽ, quæ in ipsorũ ore à tali bile fit flaua. s. quæ est amara, hæc autẽ bilis erat in inedia collecta, qñ & à capite, & à thorace, imo & à toto corpore trahebat uentriculus, & in hoc sensu de uero sapore amaro intelligiẽ: prima ergo expositio præcedẽti ꝑticulæ similis est quæ erat fieri tristes ut uulgo dicere solemus homines tristes & amaros, & non pro sapore ipso amaro. Secunda uero expositio in ipso intelligitur amaro sapore.

Octauo Galenus notat desipientias, de qbus mẽtionem facit, & acutas excãdescentias cõsequi solere, & bilem amarã quæ in stomacho sit uel in cerebro collecta, ut manifeste appareat duas huius desipiẽtiæ assignare causas, unã eẽ ὀξυθυμίας. i. acutas excandescentias, quæ ex inedia fiebant, & cibo importune sumpto, alia causa est bilis amara quæ uel in cerebro, uel in stomacho sit: ex quibus distinctis causis manifeste habetur acres excandescentias nõ esse ex bile, sed ex inedia, & cibo inopportune sumpto. Itaq; intelligere potes præcedẽs symptoma intelligendum esse, ut in secunda expositione dictum est.

Nono Galenus notat incenios illos & discurrẽtes lucis splẽdores qui μαρμαρυγὰς à Græcis dicunẽ & à recẽtibus coruscationes, ob exhalationẽ fieri & euaporationẽ, quę à uẽtre est, & ob sanguinis abũdantiã qui ad caput ferẽ, ex his uero duabus causis, prima qdem ex importuna nonnunq̃ fit ciborũ oblatione, est uero prima causa exhalatio, q̃ à uẽtre hoc est uẽtriculo ipso sursum ferẽ. secũda uero quæ est abũdantis sanguinis ad caput delatio, dupliciter fit uel ob futurã sanguinis eruptionẽ, quando potissimum crisis futura est per sanguinis narium profluuium, uel ob delirium quod iminent, & breui futurum sit, nam ob sanguinem ad caput transcurrentem nõnunq̃ contingit.

Vbi legiẽ alterũ aũt, adde particulã ἢ, uel. & quod sequiẽ propter eã quæ cõmodo futura sit sanguinis eruptionẽ, græce est τὸ δὲ δεύτερον ἢ δι' αἱμορραγίαν κρίσιμον. i. alterum uero uel ob iudicatorium sanguinis profluuium. certũ enim est particulã illam cõmodo non significare iudicatorium.

Sed ꝯtra Galenũ in his duabus ambiges causis, q̃uo fit sanguinis abũdãtia si fuit in inedia: Rñdemus post inediã comedit & inopportune, uel in illo hoc intellige, qui adhuc sanguinis copiã habuerit, & qui debet per iudicationẽ, ex sanguinis narium ꝓfluuio sanari. Imo nota ꝙ & hoc delitiũ ex sãguinis erit abũdantia cerebrũ petẽtis, ꝓpterea delitiũ est παραφροσύνη nuncupatũ, de quo. 7. aphorismorũ. 14. aphorismo loquebaẽ Hippocrates, & dicebat esse malũ παραφροσύνην. i. desipiẽtiã in capitis ictu, qm̃ referente Galeno capitis lęsionẽ significat, ob quã ad cerebrũ cõcurrunt sanguis & spiritus. & in. 7. eiusdem libri aphorismo dicebat, ex multa potatiõe rigor, & παραφροσύνη. i. desipiẽtia, malũ. ubi Galenus in cõmentatione inqt hos desipere, capite oppleto plurimo sanguine ac spiritu calido. Hæc scripsisse uoluerim ut ostẽderẽ desipientiã ex sanguinis copia fieri, quæ in caput ascẽderit, & nõ ex atra tantũ bile uel bile adusta.

Decimo Galenus notat simili modo & ipsas nares sonis & tinnitibus impleri, tũ ob uapores qui à uẽtre sursum in caput ascẽdũt, & ad auriũ meatus penetrant, tũ ob spiritũ flatuosum, qui in ipso oriẽ capite, & ad eosdẽ trãsmittiẽ meatus. Scitoq; uapores crassos esse, qui auriũ meatus obstruere apti sint, q uero uel tinnitũ faciũt uel sibilũ, uel aliũ similẽ sonitum, sunt tenuiores.

Vndecimo Galenus hoc symptoma exponere uolens, quod est extrema frigere, primo declarat quid intelligendum sit per extrema, inquiens intelligendum esse manus & pedes, quæ (ut notum est) frigent uentriculo praue se habente. Idq; fit quãdo ob longam inediam uehementer à mordentibus humoribus mordeẽ, quales sunt biles, uel qñ ob cibũ iportunũ grauaẽ. At utrũq; ex ꝑ̃dicta uictus rõne sequiẽ, qua medici ita suos ægros tractarunt. ut primis diebus fame exiccauerint, cum postea cibus exhibendus est & tenuiter, ipsi repente ad edulia transeũt frumentacea. At dices, nonne hoc tempore dantur frumentacea edulia etiam post inediam? nempe dant panem cõtritum, uel uocatam panatellam. hæc uero sunt edulia frumentacea.

Rñdemus

Respondemus, nunc profecto alium esse & diuersum cibandi modum, quàm fuerit tempore Hippocratis, & quàm ipse usus sit, tamen nos pro maiori parte, in acutis morbis, ubi ptisanam non renuerint ægri, ptisana utimur, & Hippocratis & Galeni canones seruamus, quamuis alij recentes potius sequantur, qui dant panem contritum, sed tanta est nostri temporis uoracitas, ut minus sit nunc dare panem, quàm antiquitus fuisset dare ptisanæ cremorem. Adde & raros esse, quibus ptisana placere possit.

Quod legitur uehementer à mordentibus mordetur humoribus, græce est δάκνεται σφοδρῶς ὑπὸ δακνωδῶν ἰχώρων.i. mordetur uehementer à mordentibus aquosis humoribus, nempe ἰχῶρες humores significat aquosos, & biliosi aquosi sunt & liquidi, quamuis & nomen ἰχὼρ pro humore nonnunquam simpliciter accipiatur.

Forte ambiges, id uideri absurdum quod à Gal. dicitur utrinque pati ægrum ob prædictam uictus rationem, quia mordaces humores biliosi sunt. At quando quispiam post inediam ἀσιτίαν.i. affatim & uniuersim nutritur, biles non gignuntur, sed potius pituitæ, nam ob præcedentem inediam uis uentriculi imbecillior reddita est, qua imbecilliori reddita, non gignuntur biles, sed pituitæ. Respondemus, subitam hanc repletionem post inediam procul dubio non gignere bilem, sed potius pituitam, cum iam sit uentriculus redditus imbecillior, tamen illam à capite attrahit et thorace. Contra inquies, quomodo attrahere potest, quando attractio à uacuitate potius fit, quàm à repletione. at supponitur stomachum esse repletum, quomodo igitur attrahet? Respondemus, repletionem omnino ut implet, non attrahere, sed potius satiare & implere, uerum ratione qua repletio aggrauat, & dolorem inducit, ac tristem sensationem, ita attrahit, nam uentriculus aggrauatus dolet, & dolens attrahit, quippe opus est huc currere humores, & sanguinem potissimum biliosum & spiritus ob tristem sensationem. uel dicemus hanc attractionem non esse intelligendam quando accepit cibum, sed prius quando erat in inedia, ut primo in inedia biliosi humores à capite traherentur & thorace, unde frigida fiebant extrema cum os uentriculi attingebant hi calidi humores, & mordaces, ac acres, quia naturalis calor intus retrahitur ut huic obuiet mordacitati, propterea & extrema frigida relinquuntur, postea cum cibus sumitur inopportunus, extrema frigent, non quia mordaces humores os uentriculi petant, sed quia ob cibi copiam grauatur, inde dolet, & male affectum est. ob id ut naturalis calor opem ferat, illuc currit, & extrema permanent frigida.

Petes an alia sint extrema præter pedes & manus. Respondemus adesse prorsus & nasi acumen, & aurium extremitates, Galenus uero de manibus & pedibus tantum mentionem fecit, ueluti de his quæ præcipue extrema uocantur, sub quibus & alia intelligi necesse est.

Duodecimo, ad alia transit Galenus symptomata exponenda, quæ ab Hippocrate in sententia posita sunt. Ob eandem inquit rationem.s. præcedentis inediæ, & inopportunæ uictus rationis, & urinæ ipsæ concoqui non possunt, nam in illa quæ fit exiccatione, uel citra cremoris ptisanæ oblationem, uel melicrati, uel oxymelitis, sanguis ob id bilescit, quia non purgatur, & ob subitam ad cibos permutationem uenter grauatur. Intellige uero uentriculum ipsum, id autem fit, simul ipsi compatiente facultate uitali, uim autem uitalem compati, ex hoc palàm efficitur, quando syncopæ stomachicæ uocatæ sequuntur, quæ non fiunt, nisi ui uitali patiente, ostenditurque ex condolentia, quæ ad os uentriculi habetur, nam hæc condolentia ostendit uim uitalem simul condolescere, & pati, & esse affectam, hocque.s. os uētriculi & magis & primum affligitur ob inedias importunas, & ob cibos importune sumptos.

Nota urinam esse crudam, & in inedia, quia biliosa, & in cibi sumptione, quia perfecte coqui non possunt ob uires, quæ sunt redditæ imbecillæ.

Sed ambiges, quomodo dici possit sanguinem bilescere quia non purgatur, nam nullum adest medicamentum sanguinem purgans nisi uenenum, sanguis ergo purgari non debet. Respondemus, intelligimus sanguinem μὴ καθαίρεσθαι non purgari, non de purgatione quæ fit per medicamentum, sed non purificari & perfici, quod fit quoties boni sumuntur cibi, uel in febre illa quæ infrigidat & humectat. at cum sanguis magis coquitur à febrili calore, & homo nihil comedit, tunc in bilem transit, nempe sanguis perfectam habet cocturam, cui si uel minimum cocturæ addatur, non est amplius sanguis, sed fit bilis. & hoc est quod hic à Galeno dicitur cum sanguis non purgetur in inedijs.i. non purificetur, transire in bilem, & proprie dicit ἐπιχολούμενον.i. fit bilis simpliciter, quia si nimis adureretur, in atram bilem transiret.

Forte petes quæ sint syncopæ stomachicæ. Respondemus illas esse quæ ob stomachi uitium fiunt. hoc autem uitium est ore ipsius potissimum affecto, & à biliosis ac acribus humoribus molestato, nam uitalis facultas, et os uētriculi συμπάσχει.i. compassionem patiuntur.

Si petas cur prius & magis uentriculi os patiatur alijs partibus? Respondemus id esse, quia si cibemur, in os uentriculi primo tendunt cibi, & per illud transeunt, si uero inediam patiamur, biliosi humores ad ipsum trahuntur, & ipse suo munere frustratur, quod est appetere, & nihil ad ipsum transmittitur.

Decimotertio, Galenus notat ob eandem causam sputa & tenuia & salsa apparere, & sinceros habere colores, & sudorem prodire circa collum duntaxat & anxietatem habere, & inquietationem, & spirandi difficultatem, nam morbus manet crudus propter utrunque, & propter longam inediam, & propter intempestiuam cibi oblationem, sputa uero prædicta cruditatem sequuntur, sicuti & sudores circa collum sequuntur, uirtute ob famis inediam grauescente, & ob cibum intempestiuum grauata.

Sed petes quomodo sputa possint fieri tenuia, salsa, parua, & sinceri coloris, ob prædictas.s. inediæ, & inopportunæ cibi sumptionis causas. Respondemus, de inedia palàm est fieri in ipsa sputa pauca, quia exiccantur, & parua & tenuia. Et si dices uideri potius debere esse crassa, quia exiccantur, hoc non sequitur, quia sunt biliosa, & bilis est tenuis, & sunt sinceri coloris, nempe lutei, quia bilis emittitur. at ad prædictos cibos hoc non sequitur, uel saltem eodem modo non sequitur, nisi quis diceret ob aggrauantes cibos bilem ad uentriculum deduci, & sputa esse tenuia, tamen sputa quæ in cibi fiunt acceptione, possunt esse sinceri coloris, quia alba, in inedia uero sunt salsa, quia aliqua est, uel aquositate, uel pituita bili mista fit salsus humor, uel id fit ex humiditate descendente à capite excocta. in his qui postea comedere, possent esse salsa, ob pituitæ et bilis miscellam. sunt uero sinceri coloris illa quæ non sunt mista alicui humiditatem alterius speciei.

Sed inquies, quomodo manet ob utrunque excessum crudus morbus, quia in inedia excessus potius exiccare uidetur, et humores coquere. Respondemus, imo illos reddit magis siccos, & ad exitum magis ineptos, propterea crudi dicuntur, non quidem ob frigoris actionem, sed quia non parati.

Dicit uero sputa prædicta cruditatem sequi, quia sputa illa inediam potissimum sequuntur, sudores uero ob utrunque fiunt, ob uirium imbecillitatem in inedia. fiunt autem circa collum, & circa frontem, ut in prognostico docuit Hipp. & præterea fiunt ob copiam cibi inopportunam, quæ uētriculi os grauat, & uires quodammodo sopit.

Quod legitur uirtute, & ob famis anginam languescente, græce est καὶ διὰ λειμαγχονίαν καταλυομένης τῆς δυνάμεως.i. & ob uehementem famem dissoluta ui. arbitramur ita potius interpretandum esse, quàm dicere ob famis anginam, nam potius dicendum erat, ob famis suffocationem, sed mens Galeni est de uehementi loqui & longa fame, famis uero angina nihil est.

Decimoquarto, Galenus inquit per eandem rationem fieri ἀπορίαν, per quam & anxietatem et inquietationem, ut ambiguitatem quandam exponere possimus. fit inquit ex inedia hæc inquietatio & anxietas, quia mordicantes humores in uētriculo multiplicantur, & quia cibus intempestiue sumptus aggrauat, ex grauitate quadam anxietas nobis innascitur, ut uideamur ferè uno non posse stare loco.

Quod legitur humoribus, græce est ἰχώρων.

Decimoquinto, Galenus notat illam spirandi difficultatem, qua spiritus offenditur, ex cibo intempestiue sumpto potius oriri, quàm ex inedia, nam istud, spiritum inter inspirandum offendere, & quodammodo sisti, signum est & angustiæ,

& conuulsionis, nam latio, quæ sursum fit, expirationem facit.

De contrario autem huius spiritus in. 2. & . 5. de morbis uulgaribus agit, inquiens, Duplex intro reuocatio ueluti aspirantibus. At q; talis spirandi difficultas ob cibum fiat intempestiuum, & non ex inedia, ex Hippocratis sermone patet, qui inquit, spiritum frequentem uel magnum ualde perperam cibatis fieri, nam & frequens fit & magnus septo trāsuerso angustiori reddito ab illo cibo, qui in uentre continetur, q̄ñ neq; à uentris calore superatur, neq; coquitur, sed inflāmationem parit. In hoc enim casu ob septi transuersi angustiam minus aeris de necessitate inspiratur, quamuis thorax dilatatione illa se dilatet, qua prius se dilatabat, ꝓpterea Galenus infert, Id aeris, qđ nunc priori deest, qui inspirabatur, ante. s. plenitudinem, deficiētem & diminutum respirationis usum facit, unde animal maiorem facere expirationem cogitur, uel frequentiorem, uel maiorem simul & frequentiorem. uerū si de spirandi difficultate quicqd dici possit considerare uelis, de ea nobis abunde scriptum est, & de omnibus difficultatibus in libris de spirandi difficultate, ubi & prædictarū difficultatum causas & aliarū omnium unà cum proprijs demonstrationibus scripsimus. At quantum ad præsens attinet negotium, hæc satis sint.

De offendente spiritu. 68. quarti libri Aphor. egimus, nam hic spiritus à recentibus interceptus uocatur, fit, inquit Galenus præcitato loco à mouētibus thoracem musculis, ac uerius iam conuulsioni paratis, sed in Aphorismo de tota loquitur respiratione, hic uero de expiratione solum, tñ & si Hippocrates dicat spiritum in febribus offendentem, conuulsionem indicare, nō est perpetuo uerū, quia plerūq; est ob angustiam ut in proposito est, ob angustiam inquam septi transuersi, unde duorū alterū significabit uel angustiam, uel conuulsionem si cibi præcesserit copia, angustiam significat, quæ à cibo fit comprimente: si cibi copia nō præcesserit, & nulla adsit in pulmone plenitudo ꝯuulsionem significat. hæc particula latio quæ sursum fit, intelligenda nō est, ut duæ sint uię & duæ lationes, una sursum, alia deorsum sed est unatamet uia. at cum spiritus sursum mouetur, latio sursum uocatur, & expiratio: cum uero descēdit, latio deorsum dicitur & inspiratio, uia uero eadem est, quæ ob uarios effectus nomen mutat, sicuti eadem est uia à Thebis ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas, tamen diuersis insigniuntur nominibus, & sicut idem spatium sursum & deorsum, sed uaria habent nomina.

Quod legitur, tum in secundo, tum in tertio, græce est ἐν τῷ δευτέρῳ καὶ ἕκτῳ. in secundo & sexto.

Sed ambiges, à Galeno dici frequentiorem fieri spiritum à cibi sumptione inopportuna, q̄ ob inediam, tñ si recte consideremus, anhelitus frequentia plerūq; à uirium prouenit imbecillitate, & sequitur necessitatem, nam in imbecillitate cum spiritus copia una uice trahi non possit, frequenti indigemus tractione, quæ spiritus necessitati suppleat, imo & in uirium imbecillitate pulsus fit frequentior. cum ergo in inedia uis necessario sit effecta imbecillior, & ob biliosorum humorū inflāmationem spiritus necessitas aucta sit, hinc frequentior fit spiratio, & ita spiritus frequentia inediam sequetur, & nō solum copiam inopportune sumptam. Respondemus, frequentia, de qua hic Hippocrates loquitur, non est simplex frequentia, sed est cum magnitudine frequentia, uel saltem cum mediocritate, quæ fit ex septi transuersi compressione, uerū illa anhelitus frequentia quæ uirium sequitur imbecillitatem est simul cum pulsus paruitate.

Et si petas quænam sit maior frequentia, an illa quæ fit ab imbecillitate, an illa quæ fit ab hac plenitudine: Respōdemus, longe maiorem esse illam frequentiam. quæ à plenitudine fit, potissimum q̄ñ est repentina. Galenus uero tantum intelligere uidetur anhelitum in expiratione impeditum, uerū & à plenitudine impediri uidetur, & in inspiratione, & in inspiratione simul & expiratione. Respondemus, in tota proculdubio spiratione uel respiratione adesse impedimentum, sed clarius uidetur in in expiratione, tamen Galenus in tota respiratione impedimētum non negaret.

Nota igitur tam ab inedia, q̄ à nimio cibo frequentiorem fieri anhelitum, tñ non potest fieri maior ab inedia, q̄a inedia imbecillitatem facit, imbecillitas minorem reddit pulsum.

At petes quomodo cibus inflationem pariat. Respondemus, hoc modo parit, cum non conficitur, in flatus resoluitur, itaq; uentriculum inflat, & supra septum comprimit transuersum, & ꝑfecto græcus contextus legit πνευμάτωσιν, quæ proprie à flatu factum tumorem & inflationem significare debet.

Decimosexto, à Galeno notatur, & ex præpostera uictus institutione supercilia quodammodo amplificari, tñ hæc particula duobus modis scripta inuenitur, q̄m in aliq̄bus exemplaribus, singulari numero, & hoc modo scripta reperitur, Supercilium quadantenus amplificatur. In alijs exemplaribus in plurali legitur, Supercilia quadantenus amplificantur, ut aliqua exemplaria haberent ὀφρὺς ἀνώσιος μετέχουσα, alij uero habeant ὀφρύες ἀνώσιοι μετέχουσαι, ut codex habet Aldinus, tñ parū refert uel in singulari uel in plurali legatur, hocq; potest utriq; supercilio contingere, & uni tantum, & indifferenter, uel huic uel illi, quicquid enim sit, ex hac sententia significatur, supercilia ipsa quodāmodo euelli, uel retrahi, nam hoc fit utrisq; supercilijs, q̄ñq; conuulsis & extentis, q̄ñq; altero solum extento, altero uero resoluto, hocq; sequi potest ex repletione, & ex inordinata cibi sumptione, ut Galenus notat, tñ posset & hoc ex inanitione fieri. at signum est letale, ut in. 2. ꝓgnost. ab Hippocrate edocemur, q̄ñ uel supercilium, uel nares, uel frons obtorquentur. in hoc autem casu essent obtorta, q̄m nihil aliud est hoc amplificari, q̄ obtorqueri, & quàm conuelli. in conuulsione enim magis late uidentur, propterea uidentur amplificari cum extendantur.

Nota, cum una temporū pars conuellitur, & alia dissoluitur, pars quæ conuellitur attrahit, quæ uero dissoluitur attrahitur, tamen nonnunquam contingit utraq; tempora conuelli, & nonnunquam unum solum conuelli, & aliud neque conuelli, neque dissolui.

Quod legitur, ex præpostero, græce est κακῶς.

Decimoseptimo, Galenus notat ab Hippocrate dici, animi fieri deliquia, sermonem ad symptomata referens, hoc intellige, animi deliquia fieri non quidem ob inediam, uel ob cibum inopportune sumptum, sed ad aliquod prædictorū symptomatum consequitur, & tunc id symptoma erit longe peius, ad qđ hoc. i. animi deliquium sequetur, ꝓpterea Galenus inquit dixisse Hippocratem fieri animi deliquia, & cum hoc dicit, sermonem refert ad symptomata, quanq̄ & hoc animi deliquium fieri possit uel ob inediam, uel ob cibum os uentriculi offendentem, per eadem etiam symptomata fiunt uestium reiectiones, nam ægri ex morbi acutie ardent, ꝓpterea uestes ejciunt & pannos, & si morbus plus augeatur manus fiunt tremulæ. cum ergo uidebimus & manus tremere & pedes, iudicare oportet symptomata iam dicta esse multum uehemētia, & uim esse imbecillem, & ex sumpto inopportune cibo occupatam.

At concussio quæ in inferiori est labio, in ore uentriculi morsum uehementem significat, qui est symptoma, ad qđ sequitur hæc concussio non fit uero hæc labrij inferioris concussio ex quolibet morsu, sed tantum ex morsu uehementi, & hoc etiam ut uides, ad symptomata refertur. pellicula nāq; oris uētriculi superior ad inferius labium continuatur, & ad os, propterea cum os uentriculi mordetur, superiores partes compatiuntur, & potissimum inferius labium, qđ est magis propinquum, unde tremit, & quodāmodo palpitat. imo Galenus notat symptoma istud. s. tremor, & labrij inferioris concussio, q̄ñq; acrium humorū uomitum, & mordicantium uomitum significare. Nam cum os uentriculi uexant, plerūq; ejci solent, & nauseā inducunt. Si uero euomuerint qđ mordicabat exit, erant uero humores acres qui mordicabant & biliosi, propterea tales exeunt, tñ mihi idem nonnunquā ex pura pituita contigit, sed in sanitate, non in acuto morbo.

Vbi legit̃, deinceps ait animi deliq̄a fieri, deest particula pitui-

ta, nam

149

ta, nam græce habetur τὰ δ' ἐφεξῆς φασὶ λειποψυχώδεα πονηρά. i. deinceps ait deliquia animi fieri praua.

In calce huius commentationis ubi legitur signum, græce est σύμπτωμα.

## Hippocrates. Sectio XLV.

**Hæc si ab initio apparuerint, delirium graue uehemensq; indicant, atque ut plurimum ægri moriuntur.**

BRASAVOLVS

Symptomata, quæ in præcedenti Sectione scripta sunt, si ab initio apparuerint, delirium significāt graue & uehemens, imo raro hi ægri sanantur, sed pro maiori parte obeunt. hanc sententiam retulit Galenus in. j. de crisibus libro, ubi significata huius uocabuli principium recenset.

ταῦτα δ' ἐν ἀρχῇσιν ἐπιφαινόμενα. i. hęc si in principio apparuerint hæc. s. præscripta symptomata. Intellige uero per principium uniuersale morbi principium, in quo nondum coctionis notæ apparent. & in. j. de crisibus ostendit Galenus, imo coctionis notæ neq; in augmento apparent si mori debent, sed potius notæ incoctionis apparent.

παραφροσύνης εἰσὶ δηλωτικὰ σφοδρῆς. i. delirium uehemens indicat, & ꝓbe dicit uehemens, quia inter symptomata numerauit, παραφρονέουσι desipiunt, sed hic loquitur de uehementi delirio, qđ ad hęc consequatur symptomata, etenim si cum signis coctionis hæc apparuissent symptomata, futuræ iudicationis signa fuissent, ut in lib. de iudicatio. à Galeno dictum est. At si cum nullo coctionis signo apparuerint, qđ est in morbi initio, tunc opus est in capite multas esse materias, & multos uapores, & tales materias quæ uehementia inducant deliria, imo ut inquit, καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἀποθνήσκουσι. i. & ut plurimum ægri moriuntur, quia in pręcipuo membro, cerebro inquam praua adest affectio: adsunt multa symptomata, & nōdum adest aliquod coctionis initium, uel nota quædam.

Petes uero, an illi qui moriuntur, ex praua obeant cibatione, uel ex morbi malitia. uidetur ex morbi malitia potius hos mori, q̄ ex uictus ratione praua, qm̄ uictus ratio est extrinseca, & non necat, potius necantur homines qñ ex morbi malitia symptomata consequuntur. Respondemus, ꝓculdubio si morbi malitiam sequantur, obeunt. & si à uictus ratione ꝑdirent, non obirent, & si adsit morbi malitia, & simul praua uictus ratio, tunc facilius obeunt, & hæc symptomata tantum in illis ꝓtingunt acutis morbis, in quibus læsio est uehemens.

GALENVS.

Dicta, inquit, symptomata si circa morborum initia fiant, delirium uehemens denunciant. Morbi initium nunc intelligere oportet totum illud tempus in quo nondum existunt concoctionis notæ. Nempe & in libris de iudicationibus dictum est nomen principij & plura significare, & significatum qđ nunc dictum est, ſm eam esse diuisionem qua morborum tempora diuidentes morbos ipsos constare ex principio, augmento, uigore & declinatione asserimus. Ergo cum nuper dicta symptomata ubi prope morbi uigorem apparent, iudicationem futuram constantibus in morbis significent, sanè si in principio fiant, iudicationem quidem non denunciant (nihil enim in principio iudicari potest) sed delirij notæ existūt. Scriptum autem & de his abunde in libris de iudicationibus, ex quibus totum qui de his sermonem perdiscens, cum illic plenior sit q̄ ut nūc omnino percurrere oporteat. Sed sanè ut in cæteris, ita in his summatim ꝑstringere satis erit. Ergo quoties natura ad excretionem ꝓperat, effatu digna in corpore fit ꝑmutatio, ob quam symptomata huiusmodi cum manifestissimis coctionis signis apparent. Verum cum perturbatio efficitur similis, nullo à natura ad infestãtium excretionem facto apparatu, tunc periculosissimum est signum. Dictum iam & cæteris in cōmentarijs de κρισίμων. i. iudicatorijs symptomatis qualia sint, & quænam ipsorum natura, & quonam pacto ab his differant quę ἐπιφαινόμενα. i. superapparentia uocantur, quo in genere erunt & ipsa coctionis signa. Nempe & prognosticum & librum de humoribus, & Aphorismos iam ante hunc librum exposuimus. Sane semper de his eadem dicere, ad eum spectat qui ꝓlixioribus uti consueuit sermonibus.

BRASAVOLVS

Primo, Galenus notat ab Hippocrate dici prædicta symptomata si circa morborum initia fiant, delirium uehemens significare, exponitq; qd intelligendum sit per morbi initium. Illud inquit, intelligendum tempus, in quo nondum coctionis notæ existunt, quale est totum uniuersale morbi tempus. nam Galenus ipse in libro de iudicatio. potissimum in. j. edocuit hoc nomen principium plura significare, nam significat & punctum indiuisibile, quod est morbi initium, & spatium unum dierum, & unum ex quatuor temporibus uniuersalibus. In proposito autem Hippocrates principium accipit ſm illam diuisionē qua morborum tempora diuidentes, in principium, augmentum, uigorem, & inclinationem partimur.

Secundo, Galenus notat symptomata prędicta, si prope morbi uigorem apparuerint, in morbis constantibus futuram significare iudicationem. at si in principio fiant, iudicationem significare non possunt, qm̄ reuera in principio nulla ægritudo iudicatur. at potius sunt in principio notæ delirij, uerum de his (inquit Galenus) abunde scriptum est in libris de iudicationibus, in quibus libris totum hunc sermonem perdiscere poteris, & simul eius causam, nam liber ille expetit, ut de hac re plenius fiat sermo, uerum ut in cęteris, ita in his summatim rem pertractare satis erit.

Nota in morbis constantibus intelligere illa esse signa futuræ iudicationis, quia morbi constantes bonum habent iudicium. in inconstantibus uero non essent signa certa futuræ iudicationis, qa morbi incōstantes plura ꝓmittunt, & pauca seruāt. Tertio, Galenus infert, igitur quoties natura ad excretionem ꝓperat, quia prauos humores expellere uoluerit, notabilis fit in corpore ꝑturbatio, ob quam talia symptomata, cum manifestissimis coctionis signis apparent. Tu ergo notare debes, an simul cum his symptomatibus signa adsint coctionis, quę si adsint, futuram breui iudicationem & ad bonum iudicare debes, uerūtamen qñ similis adfuerit ꝑturbatio, & nullus sit factus ad excretionem infestantium humorum apparatus, tunc iudicare debes hoc esse signum periculosissimum, qa coctionis signa non adsunt, & adsunt tam sæua symptomata. Iudicandum est hunc ferre non posse, quoad coctio perfecta sit.

Quod legitur, effatu digna in corpore fit permutatio, græce est ἀξιόλογος ἐν τῷ σώματι γίνεται ταραχή. i. effatu digna in corpore fit perturbatio, fuit error Impressoris, non interpretis, qui pro perturbatione posuit permutatione, nam postea dicit, cum perturbatio efficitur similis.

Denique ad alios se refert libros, nempe in libro de iudica. edocuit qualia essent symptomata iudicatoria, & quænam ipsorum natura, & quomodo ab his differant, quæ ἐπιφαινόμενα. i. superapparentia uel post apparentia uocantur, in quo genere. s. post apparentium & ipsa erunt coctionis signa. non est uero opus me omnia huc in ordinem referre, qa tu libros illos legere debes, in quibus hæc continentur, & illi præterea libri hūc præcedunt, nam libri prognosticorum, liber de humoribus, liber Aphorismorum à Galeno ante hunc librum iam sunt expediti, & merito ipsum pręcedere debent. Quãobrem si hęc omnia scire percupias, ad libros illos te conuertas, quoniam de his eadem nunc dicere quę dicta sunt, ad eum spectant uirum qui prolixioribus uti consueuit sermonibus.

## Hippocrates. Sectio XLVI.

**Qui autem euadunt, hi uel cum abscessu, uel sanguinis è naribus fluxione, uel puris crassi expuitione euadunt, neq; aliter.**

BRASAVOLVS

Hippocrates dixerat ut plurimum ęgros illos, quibus pręscripta contingunt symptomata obire, ꝓpterea pauci sanantur, uerum & cum maxima difficultate, nam qui ex hoc sanātur morbo, ad quem talia sequūtur, ex ui morbi in principio sym

ptomata trium unum incidunt, uel abscessum incidunt, & sanantur, uel sanguinis è naribus fluxionem, & sanantur, uel puris crassi expuitionem, itaq; sanātur, neq; alter est modus, quo sanari possint, præter unum ex tribus iam dictis.

οἱ δὲ διαφεύγοντες. i. fugiētes uero, qui à morte euadūt, symptomata habentes prædicta, & sint à medicis male cibati.

ἢ μετὰ ἀποστήματος. i. hi uel cum abscessu. s. euadunt, quia materia ad aliquam imbecilliorem transmittitur partem, uel ad aliquod emunctorium, & ita euadunt. sunt uero hi abscessus potissimum uel sub alis, uel post aures, quia materia est in capite uel in thorace, uel in utroq; simul loco.

ἢ αἵματος ῥύσιος ἐκ τῶν ῥινῶν. i. uel sanguinis fluxione ex naribus, quæ ob eandem fit materiam per hunc locum transmissam. transmittitur uero uel per abscessum, uel per profluuium sanguinis narium per modum iudicationis.

ἢ πύου παχέος πτύσαντες διαφεύγουσι. i. uel puris crassi expuitione euadunt. expuitione autem & multa & longa, ut tota materiæ copia expuatur, quæ morbum faciebat.

ἄλλως δὲ οὔ. i. neq; aliter. nulla alia est uia, qua hi sanari possint, nam per urinam non sanantur qm̄ potius sunt diutini morbi qui per uiam illam iudicantur, tū & per secessum, & per sudorem iudicari possent. at quia supponit materiam in capite uel thorace esse, propterea raro per has partes, uel rarissime sanari contingit, nam materiæ quæ in thorace sunt, per urinam potius, quàm per secessum exeunt, quamuis & hæc sit uia, sed nō ita prona & peculiaris.

Forte ambiges, tres has euacuationes, quę p iudicationis uiam sequuntur ab Hippocrate poni tanq̄; illas quę sint difficiles, & per quas si euadat æger, difficulter euadit. nempe si in principio prædicta apparuerint symptomata, iudicationem malam esse oportet, uel saltem difficilem. ppterea & si hoꝝ aliqd' apparuerit, non est opus statim inferre, esse euasurꝫ. Respondemus, qm̄ hæc cum uirium robore apparuerint, hos sanari debere, statim iudicare oportet, imo per uiam methodi apparere nō possunt, nisi crisis futura sit.

Itē ambiges, hos non uideri difficiles omnes modos, p quos sanitati restituuntur, qm̄ hic sanguinis narium fluxio ponitur, quæ inter iudicationes promptior esse uidetur, & uelocior, & quæ cæteris citius ægrum expediat. Respondemus, hos prorsus tres iudicationum modos esse difficiles respectu modoꝝ iudicationum laudabilium, quæ in similibus morbis fieri psueuerunt, nam iudicatio per abscessum, iudicatio crassæ materiæ per expuitionem in morbis acutis non conueniunt, nam morbi acuti iudicationem exigunt, quæ fiat per euacuationem citissime factam, ut est sudor, uel aliū pfluuium. Illæ uero per abscessum iudicationes semp aliqd' membrum lædunt, quāuis morbus ipse per easdem iudicationes euanescat, & (ut recentioꝝ uerbis utar) sunt in morbis acutis hæ per abscessum iudicationes, & per expuitionem à toto genere incongruæ, ueꝝ iudicatio per fluxum sanguinis narium, non est à toto genere inconueniens morbis acutis, sed tantum s̄m speciem, qm̄ morbis competat ex calida materia factis citissime finiendis. Nempe hæc est una generalis regula à Galeno in. 12. Aphor. j. libri sumpta. Cū symptomata uidebis iudicatoria, ante coctionē iudicare debes uel ægrum moriturꝫ, uel ægritudinem prorogari debere, unde & sanguinis pfluuium uidetur esse inconueniens in his morbis cum prorogantur. opus autem est ut progentur, quia supponitur per hoc sanguinis narium profluuium debere sanari, aut cum factum sit ante coctionis signa profluuium, opus est uel mori, uel ægritudinem prorogari. non moritur, quia supponimus per hanc uiam debere sanari, igit̄ ægritudo progatur, cum uero prorogetur, opus est huic morbo hūc iudicandi modum non conuenire.

Notaq; opus esse in morbi initio talibus præsentibus symptomatibus, si debeant sanari, uires esse robustissimas, nam si essent imbecillæ, iudicatio imbecillissima sequeretur.

Notaq; cum materiam hanc in capite uel thorace esse supponatur, illa quę est in capite abscessus facit, & potissimum post aures, uel etiam per ipsas exit aures, illa quæ est in thorace per sputionem exit, ppterea nonnulli putarunt hos fieri suppuratos, & totam expuere materiam, uel etiam per nares emitti, tamen non est necesse ut suppurati fiant. satis enim est crassam quandam expui materiam, tamen erunt pro maiori parte suppurati.

GALENVS. Cum mori ipsos dixit, non simpliciter dixit, sed ut plurimū adscripsit: quapropter quonam pacto quidam ex ipsis seruentur dicere sequens erat, quos nunc percurrit, atq; quosdam ex ipsis seruari ait, aut per sanguinis eruptionem, aut per abscessum, aut puris abunde cocti expuitionem, simulque reliquos ægros in huiusmodi symptomata incurrere propter multitudinem significans.

BRASAVOLVS. Galenus notat cum in præcedenti sententia Hippocrates dixerit, illos mori, qui symptomata prænotata incidere, nō dixit simpliciter omnes mori, sed addidit particulam ut plurimum, ppterea quomodo nonnulli seruentur opus erat Hippocratem edocere, idq; nunc facit. nempe docet ex his quosdam seruari, uel per sanguinis eruptionem, uel per abscessum, uel puris abūde cocti expuitionem, & simul annotauit ægros ob multitudinem in hæc symptomata incidere. Id uero notatur ex modo sanationis, nam quomodocunq; ex his tribus sanentur modis, per euacuationem sanantur, quæ notat plenitudinem præfuisse, quam πλῆθος uocat.

Nota tamen quomodocūq; sanentur, opus esse hos morbos paꝝ produci, quia materia in initio egregie cum natura pugnabat, & ideo illa apparebant symptomata, postea paulatim pcedens materiam superat, & ita per unum ex prædictis modis fit iudicatio, & æger sanatur. at diuturnior est, q̄ materia illa quę mouetur exigua.

## Hippocrates. Sectio XLVII.

Neq; sanè horum ita peritos uideo medicos, qui ut oportet, dignoscant eas quæ in morbis contingunt uirium infirmitates, & quę ob uasoꝝ inanitionem quam κενεαγγίην dicunt, & quæ ob aliam quampiam irritationem, & quæ ob πόνον, id est laborem, & quæ ob morbi acumen fiant. Quas item natura habitusq; singulis affectuum species omnigenas fabrefaciat, quamuis cognitę salutem, & mortem ignoratæ ferant.

BRASAVOLVS. Inter præcipuos rationis uictus scopos, uirium robur & imbecillitas primas obtinet partes. Cum de uirium imbecillitate superius nonnihil edocuerit, nunc ad easdem uires iteꝝ redit, ut distinguat quibus modis fiant imbecilles, & simul quomodo succurrendum, edoceat, ut uires uario modo deficiant, & simul modum imbecillitatis uirium edocet ex uenaꝝ inanitione, & imbecillitatis modum ex ui morbi. Hippocrates igit̄ inquit se non uidere sui temporis medicos ita in his esse peritos ut cognoscant quantum opus est, eas quæ in morbis contingunt uirium infirmitates, & eas quæ ob uasoꝝ inanitionem, quam κενεαγγίην dicunt, & eam quæ ob aliam quampiam irritationem fiat, & eam quæ fit ob laborem, & eam quæ fit ob morbi acumen, uideo & eosdem medicos ignorare affectiones & species, quas species omnigenas natura nostra & noster habitus singulis fabricet, quamuis hæc si cognoscantur salutem, si ignorentur mortem afferre possint.

οὐδὲ γὰρ τῶν τοιουτέων ὁρέω ἐμπείρους τοὺς ἰητρούς. i. neq; enim in his uideo peritos medicos. s. sui temporis, nam illi distinguere nesciebant, unde pueniret uirium imbecillitas, consequenter huic deficienti uirtuti opem ferre nesciebant.

ὡς χρὴ διαγινώσκειν τὰς ἀσθενείας ἐν τῇσι νούσοισι. i. qui ut oportet cognoscant imbecillitates in morbis. Intellige uero uirium imbecillitates, & omnium uirium, sed potissimum uitalium,

lium, nam illæ ſunt quæ uitam condonant & auferunt, errant uero, q per ἀσθενείας ſyncopes intellexere, & hic ſimul ab Hippocrate ſyncopis cauſas aſſignari, cum ipſe potius imbecillitatis uirium cauſas aſſignet.

αἵ τε διὰ κενεαγγείην ἀσθενεῖαι. i. hæ ob uaſorum inanitionem fiunt imbecillitates. Cũ enim uenæ & arteriæ ſanguine exhauriuntur, uires deficiunt, qm̃ & ſimul ſpiritus reſoluuntur, unde uires fiunt imbecillæ, uires inq̃ uitales, quoniam hæc exiccatio & inanitio uitalem uim potius cõmouet, q̃ alias uires.

BRASAVOLVS αἵ τε δι' ἄλλον τινὰ ἐρεθισμόν. i. aliæ uero ob aliam quandam irritationem, ſicuti ob ἀσιτίαν. i. ciborum abſtinẽtiam, uel ob aliud qđ hominem delaſſet & illum reddat imbecillum, & uires ipſas proſternat, ut eſt dolor, fœtor, & alia quæ ſolent noſtri corporis uires proſternere.

αἵ τε διὰ πόνον. i. hæcq̃ ob laborem. per laborem defatigationem intellige & delaſſationem quæ uires ꝓſternat, uel ſi dolores intelligas, ut Galenus facit, intellige dolorẽ non ꝑtinere ſub irritatione, ut in præcedenti parte ponebamus, uel exponamus ut Copus fecit, qui ita diſponit, ut labor irritationẽ determinet.

καὶ ὑπὸ ὀξύτητος τῆς νούσου. i. & quæ a morbi acumine fiant. nam morbus poteſt ex ſui acutie uires reſoluere, & imbecilles reddere. Eſt uero morbi acuties in uehementi caliditate præter naturã, quæ ſanguinẽ & ſpũm reſoluit, & in uehemẽti lateris dolore, nã in pleuritide loqẽ, q̃q̃ & hęc in omni morbo uera ſint.

ὅσα τε ἡμέων ἡ φύσις καὶ ἡ ἕξις ἑκάστοισιν ἐκτεκνοῖ πάθεα, καὶ εἴδεα παντοῖα. i. & quaſcunq̃ paſſiones natura noſtra & habitus, ſingulis efficere ſolet, & ſpecies omnigenas ignorant, & medici noſtri temporis inquit Hippocrates, affectus illos qui a noſtra fiunt natura, & qui a noſtro fiũt corporis habitu ignorant, nẽpe multæ ſunt affectiones, quæ homini innaſcuntur, eo ꝙ talem habet naturam. i. temperaturam, ut ſunt egritudines quæ temperaturam nõnunq̃ ſequuntur. Alię ſunt quæ corporis habitũ. i. pinguedinem, maciem, craſſitiem, tenuitatemq̃ ſequuntur, ignorãt præterea ijdem medici, oĩum modorum ſpecies, quibus hæ affectiones fiunt.

καί τοι σωτηρίην ἢ θάνατον φέρει γινωσκόμενα ἢ ἀγνοούμενα τὰ τοιαῦτα. i. licet talia ſalutem, uel mortem afferant cognita, uel incognita. Intelligere poſſemus talia prædicta. i. paſſiones illas ſalutem uel mortem ferre cognita uel incognita, ut cognitum referatur ad ſalutem & mortem, & incognitũ præterea ad ſalutem & mortem referatur, ut utrunq̃ ad utrunq̃ referri poſſit, tñ uerus ſenſus eſt, ut cognita ad ſalutem referatur, qa qui cognoſcit, egro ꝓuidere poteſt, & ad ſalutem conducere, incognita uero referatur ad mortem, cum enim incognita ſint illa, medicus prohibere nõ poteſt, neq̃ illa adminiſtrare quæ conueniunt, propterea in mortem ęger inducitur.

GALENVS. Quoniam de ægri robore imbecillitateq̃ ſermonem fecit, qui uictus ſcopi ſunt non contẽnendi: ob id nunc ſermonem de imbecillitate repetit, qbus hæc fiat modis medicos cognoſcere debere aſſerens. Nempe ꝙ quædam fiat ob uaſorum inanitionem, [illegible] enim uocabulũ κενεαγγείη id proprie & primũ ſignificat, [illegible] ob id ἀσιτία. i. ciborum abſtinentia, κενεαγγεία. i. uaſorum inanitio ſæpius dicitur, tanq̃ nomine generis etiam in ſpecie homines omnes uti conſueuerint. Alia aũt ob πόνον. i. laborem, ſeu proprie dictum ut dolori idem ſit, ſeu ut qſpiam dixerit, malã affectionem, qua in acutis morbis male ægri afficiuntur. Aliam præterea uirium imbecillitatem ob aliã quandam fieri ait irritationem. Nam ſi morſum dixit uel uentris, uel inteſtinorum, ſymptoma hoc ſub dolorum nomine intellexiſſe eſt uiſus. Uerũ, ſi uel uigilias uel oris uentris affectionem dixit, non proprie interpretari uiſus eſt. Cæterũ uirtus exolui uidetur, & ob euacuationem quæ fit uel ſanguinis eruptione, uel uomitu, uel deiectionibus, uel ſudoribus, & ob lõgiorem q̃ par ſit inediam, & propter tum dolorem aliquem, tum uigilias, tum aſſiduas purgandi uentris ſuſcitationes, atq̃ etiam cũ os uentris ita affligatur, ut ſyncope inſultet, idq̃ uel ꝓpter grauantis alimoniæ multitudinem, uel contriſtantem quandam ipſius qualitatem. Nempe hæc uirtutem celerrime tum fatigant, tum diſſoluunt. Omnes igitur hæ uirium offenſæ ex manifeſtis quidem fiunt cauſis, ſed aliæ ex non manifeſtis: ut qñ abſq̃ manifeſta uacuatione uel uigilijs uel inedia, uel oris uentris ſenſu ægri ad talem ſubtrahuntur corporis affectionem, quã in prognoſtico ſcripſit Hippocrates, inquiens: Naris acuta, oculi concaui, collapſa tempora, & quæ deinceps ſunt. Nam hæc corporis conditio fit qdem & ob uigilias & ob excretionem quãdam quæ multa ſit, & ob inediam: fit quoq̃ & abſq̃ his, cum ſcilicet corporis humores tenues fuerint, & febris calor acris. Nam euaporantur qui ita extenuãtur, per inſenſibilem euacuationem. Cęteris aũt & ob intemperaturam principis unius partis affectæ imbecilla redditur facultas. Primum ſiquidem affecta prima laborat, deinde affectuum participatione & reliquæ duæ. Didiciſti enim unam eſſe in neruis facultatem, quæ principiũ habet cerebrum: alteram in arterijs, cuius principium eſt cor: tertiam uero in uenis quæ ex hepate orit. Ergo partis, unius quæuis illa fuerit, intemperatura propriam interdũ facultatem uiolauit: cui affectus participatione conſenſerunt reliquæ duæ facultates. Velociſſimæ igitur fiũt, corde patiente, mortes: deinde affecto cerebro: tardiſſimæ ab hepate prodeunt. Vt enim partes hæ intemperie affectæ maximam facultatis unaquæq̃ ſuę offenſam incurrunt: ſic partes aliæ principio unicuiq̃ proprius appoſitæ, ſi forti intemperatura affligãtur, uirtutum principia ad ſympathiam agũt. Sunt etiam aliæ, quæ q̃uis proprius appoſitę non ſint, ob generalem tñ communitatem uel quandam affectionis proprietatem partes uirtutum principia continentes lædunt. Os igitur uentris cum uitalem facultatem ad ſympathiam agit, ſyncopas infert: cum uero ꝓprie animalem appellatam, deſipientias uel cõuulſiones. Vterus interdum & apnœas, quas non ſpirationes propè dixeris: interdum & neruorum contenſiones. Verũ ſingula hæc completa ſimpliciter cognoſcũtur: cum uero fiũt & ſenſim increſcunt, medicos pleroſq̃ latent. Quæ ſanè non qñ ob magnitudinem auxilio iam carent, tunc cognoſcere oportet, qđ uulgo ꝑagit, ſed & cum incipiunt, & fiunt: hoc ſiquidem optimum eſt. Qđ ſi fieri non poteſt, ſaltem omnino cum increſcunt, dignoſcere eſt neceſſe. Sanè hæc omnia Hippocrates ſignificaſſe mihi uidetur cũ inquit: Quas item natura noſtra habitusq̃ ſingulis affectionum ſpecies omnigenas fabrefaciat. ubi naturã temperaturam dixit, & habitum ſtruem corporis compoſitionemq̃. Nam qui raram ex natura habent texturam, tum euaporantur, tum ſyncopam facilę incurrunt. Qui uero denſiore cõſtant textura, hi in morbis cunctantur, diutiusq̃ trahunt. Sic aũt & partes nonnulli habent, alias quidem frigidiores, alias calidiores, alias ſicciores, & alias humidiores: ſed omnibus peculiare temperamento malum.

BRASAVOLVS Primo Galenus notat cum ab Hippocrate de ægri robore & imbecillitate mentio facta ſit, à qbus uictus ſcopi præcipui & non cõtemnendi ſumuntur. Ob hoc & in præſentiarum, de imbecillitate ſermonem repetit, docens medicos ſcire debere, quot modis fiat ipſa imbecillitas.

At dices nõ uideri Hippocratem hic de uiribus repetere, quoniam illa quæ ſuperius dicta ſunt alia ſunt q̃ hæc. At illa repeti dicunt, quæ eadem ſunt. Rñdemus non eadem de uiribus repetit, ſed de uiribus ſuperius in genere loquit, hic uero ſuã ſpecificat ſententiã, ꝓpterea de uiribus repetit non tñ eadem.

Secundo Galenus modos imbecillitatis refert ab illa incipiens quę fit ob uaſorũ inanitionem, nã id uocabulum κενεαγγεία & ꝓprie & primo id ſignificat. ſ. uaſorum inanitionem, ꝓpterea ſæpius ἀσιτία. i. ciborũ abſtinentia, κενεαγγεία. i. uaſorũ inanitio dicitur. ut facile deprehendaẽ, omnes homines uti nomine generis in ſpecie, qa ciborum abſtinentia eſt ueluti ſpecies ad uaſorum inanitionẽ, nempe uaſorũ inanitio fit & ex medicamentis, & ex uenæ ſectione, & ex ciborum abſtinentia: unde multi iudicant uaſorum inanitionem, imbecillitatem ſignificare: Imo & Galenus ipſe inquit quod id primo ſignificat, ſed ambiges, non uideri uaſorum inanitionem, imbecillitatem ſignificare, ſed potius imbecillitatem facere, quia ex inanitione uis

fit imbecilla. Respondemus & esse causam imbecillitatis, & illam quoq; significare, est causa quia facta uasorum inanitione inducitur imbecillitas, intelligit uero de euacuatione notatu digna, illam uero significat, quia cum uasa .i. uenæ & arteriæ & alia membra sunt inanita, statim iudicare possumus hunc esse redditum imbecillum.

Tertio Galenus secundam imbecillitatis causam ponit, quam dicit esse πόνον .i. laborem, notatq; hoc uocabulum πόνος .i. labor proprie dolorem significare qui est tristis sensatio, improprie uero malã significare affectionem, qua ægri in acutis morbis praue afficiuntur. Certum uero est ex dolore imbecillitatem induci, cum nihil sit q; æque uires imbecillas reddat, ut dolor. Adde & malã illam affectionem, quę est quędã in toto anxietas in morbis acutis, hæc & ipsa uires reddit imbecillas, imo natura ipsa extrĩsecas derelinquit ptes, & aggredit intrinsecas. Quarto ad aliam imbecillitatis causam accedit, quã tertio posuit loco, cum tñ in secũdo loco esse deberet, si Hippocratis ordo in sententia seruetur. Inquit uero hanc ob aliam quandam irritationem fieri imbecillitatem, & quia hoc uocabulum irritatio ualde ambiguum est, propterea illa ponit significata quæ intelligi possunt, & reprobat, deniq; non exponit. Inquit uero q; per hãc irritationem, morsum intelligere posses, uel uentriculi, uel intestinorum, sed hoc fieri non potest, cum uisus sit Hippocrates hoc symptoma intelligere sub nomine πόνων .i. dolorum. At si per irritationem, uel uigilias ipsas intelligere uolueris, uel oris uentriculi affectionem, uocabula nõ proprie interpretatur, quia irritatio uigilias nõ significat, neq; oris uentriculi affectionem, tñ Galenus quid intelligere oporteat non exponit. nos uel ea quę diximus in sententia intelligenda iubemus, uel omnia alia intelligimus, quæ uirium imbecillitatem facere põt, & ab Hippocrate nõ sunt expressa, neq; à Galeno additas neq; me mouet, q; huius nõis significatione improprie utatur.

Quinto Galenus multas alias addit causas, qbus uires reddun tur imbecilliores, quippe ob euacuationem exolui uidẽtur, quę uel per sanguinis fit eruptionem, uel per uomitum, uel per deiectionem, uel per sudores, uel ob inediam, quæ longior sit, q; par sit. fit & imbecillitas, uel ob aliquem dolorem, uel ob uigilias, & fit ob assiduas purgandi uentris suscitationes, tñ omnia quæ prædicta sunt, uel ad uasorum inanitionem, uel ad dolorem reduci possunt. Vigiliæ uero sunt ab his distinctæ. Additurq; fieri imbecillitatem cum uẽtriculi os ita afficitur, ut syncopem incidat, quam uel ob cibi multitudinem quæ aggrauet, uel ob quandam ipsius qualitatem, quæ contristet, incidere potest. Etenim hæc uires & fatigant & dissoluunt. Infertq; Galenus omnes istas uirium defectiones ex causis fieri manifestis, & in unam summam causas omnes enumerare uoluit, quas Hippocrates breui, & sub compendio assignauit, nam si probe cõsideremus, põt omnes ad causas reduci ab Hippocrate relatas. Si uero petas an aliæ sint de extrinsecis præter dictas a Galeno, causę: Rñdemus alias nõ esse quę ad has reduci nõ possint.

Sexto Galenus causas illas defectus uirium enarrat, quę occultę sunt & non manifestæ, ut cum absq; euacuatione manifesta, uel absq; uigiliis, uel absq; inedia, uel absq; oris uentriculi sensu ægri in corporis affectionem deducuntur, quã in primo prognosticorum scripsit Hippocrates, cum dixit nares acutę, oculi concaui, collapsa tempora, & reliqua. Verum & hæc corporis conditio fit sm Galenum, & ob uigilias, & ob excretionem quandam quæ multa sit, & ob inediam. Sed & præter hęc talis conditio fieri contingit, qñ scilicet corporis humores fuerint tenues, & calor febrilis acris, in hoc enim casu si tenues humores excernantur, & per insensibilem euacuationem euaporantur, & hæc aliquibus contingunt hominibus, idest ob has causas, al qui uirium incidunt imbecillitatem.

Vbi legitur quam in prognostico, adde particulam κατὰ τὴν ἀρχὴν, in principio.

Sed petes nunquid hic sint omnes causæ resolutionis uiriũ occultæ numeratæ. Rñdemus hic prorsus duas solum occultas enumerari causas, quãdo humores sunt tenues, & calor febrilis acris. Tñ sunt aliæ causæ, quæ hanc faciunt imbecillitatem, quæ ad has forte reduci poterunt, ut est contentiuæ uirtutis totius corporis imbecillitas, & oris uentriculi uehemens imbecillitas, & spirituum tenuitas, hęc etenim uires occulte reddũt imbecillas, & potissimum cũ æger non comederit, hæcq; abunde in .x. et .xij. methodi medendi libro habenť, & in primo prognosticorum sectione septima, ubi Galenus agit de imbecillitate κατοχῆς .i. detentoriæ facultatis in animalibus, quæ pariter fiat, atq; cum humores sunt tenuiores cũ febre calida, pre debilitate excernitur subinde aliquid inuisibile propter tenuitatem extra cutem, utpote tenuioribus humoribus defluentibus. Et multa alia à Galeno eodem loco ponuntur, quæ occulte uires reddunt imbecillas, & quæ tu ipse uidere poteris, nisi laborem subterfugeris.

Septimo cum tres sint in nostro corpore uires, animalis, uitalis, naturalis, Galenus docet ex unius harum defectu hominem uirium incidere imbecillitatem, propterea inquit q; & aliis hominibus, ob intemperiem unius partis principalis afficitur facultas redditur imbecilla. In his uero talis est ordo, q; una affecta, primo deducit in suę affectionis participationem, & alias duas. Nempe inquit hoc scio te didicisse esse unam facultatem in neruis, cuius principium est cerebrum. Aliam in arteriis, cuius principium est cor. Tertiam in uenis quę à iecore ortũ habet. Infert Galenus unius partis intemperaturam (sit quęcunq; illa pars) propriam uiolare facultatem, & per participationem duæ aliæ facultates consentiunt. Et hic est ordo, patiente corde mortes cito inducuntur. Et aliæ facultates cito compatiuntur. In secundo loco est cerebrum, eo patiente, & aliæ patiuntur facultates, sed tardius, homoq; tardius occumbit, iecore affecto, & aliæ facultates tempore patiuntur, sed tardissime, & tardissime ex hoc obeunt affectu. Vna igitur ex his partibus intemperie affecta, necesse est ppriam illius partis facultatem lęsionem maximam incurrere. Imo & partes illę quę sunt principiis ipsis propinquæ, si intemperatura forti affligantur, principia uirium secum ducunt ad συμπάθειαν .i. compassionem. Imo sunt & alię partes, quæ & si nõ sint principiis propinquę, tñ ob quandam generalem cõmunitatem, uel ob quandã affectionis proprietatem præcipuas illas lædunt partes, quę uirtutum principia continent. At quænam sint hæ partes, ob quas principia compatiuntur, statim edocebit. Hęc uero eadem eodem ferè modo edocenť secundo pgnosticorum sectione sexta. Octauo de his loquitur partibus Galenus, quę & si principalibus non inhęreant partibus, tñ principales secum compatiuntur. Experientia uidemus, qñ os uentriculi ad sympathiam uitalem deduxerit uim, tunc syncopas incidere, qm uitali compatiente facultate, compatitur cor, & ex consequenti fiunt animi defectus ex cordis coaffectione. Cum uero compatitur animalis proprie uocata facultas, quę duo habet capita, uentriculos, & neruos, intellectionem & mentem, tunc necesse est desipientias induci, uel cõuulsionem, uel utrunq;, etenim compatientibus uentriculis desipientias incidunt, compatiẽtibus neruis conuulsiones fiunt.

Si uero petas cur dixerit uim pprie animalem, scito ab aliquibus animalem uim, hoc est ψυχικὴν δύναμιν uocatam fuisse, illam etiam quæ est in corde. At pprie sola est animalis, quæ in cerebro est, & dat sensum animali, intellectum, atq; motum.

Nono Galenus notat, & si uterus nõ sit mẽbrum pręcipuum, tamen nõnunq; facit ἄπνοιας quas ut pprie dicere poteris nõ spirationes, sunt enim mire spirandi difficultates & pręfocationes, ut cor prorsus utero compatiatur, nõnunq; & neruorum fiunt ptentiones cerebro cõpatiente. ut palam sit ex uteri affectu & cor & cerebrum compati. At hęc singula simpliciter cognoscuntur, quando completa & pfecta sunt. Sed cũ fiunt, & sensim increscunt, & (ut inquiunt recentes) sunt in fieri, plerosq; latent medicos, uerũtamen hęc talia non sunt cognoscenda, qñ ob magnitudinem iam carent auxilio, quod uulgo contingit. Cognoscunť enim qñ non possumus manum & opem pręberc. At cognoscenda sunt cum incipiũt, & cum iam coepere

pere

pere & fiunt, & hoc est optimum, & quod quærere debet diligens medicus. Si uero alicui difficilimum uideatur hęc cũ incipiunt cognoscere, Galenus notat, necessarium esse tales cognoscere qñ crescunt, ut prouideatur ne in deterius dilabãtur. Notatq; Galenus hæc omnia ab Hippocrate per hæc uerba significari, quibus inquit. Quas item natura nostra, habitusq; singulis affectionum species omnigenas fabrefaciat. In quibus uerbis Hippocrates naturam temperaturam intelligit, ut alias sæpe fecit, & per habitum corporis statum compositionemq;. Deniq; Galenus docet quomodo corporis habitus imbecillitatem faciat, qm̃ qui raram habent natura corporis texturam, hi & facile euaporantur, & facile in syncopem incidunt. At ex opposito, qui densiori constant textura, hi in morbis cunctantur, & diutius trahunt morbos, qm̃ facile euaporare non possunt, & facilime obstruũtur. Eodem modo aliqui habent partes calidiores, aliqui frigidiores, aliqui humidiores, aliqui ficciores. At his omnibus si quæ contingunt mala, sunt mala ex temperatura. Quę ultima pars ita græce habetur ἅπασι δὲ ἴδιον ἐν τῇ κράσει τὰ νόσημα, idest omnibus autem proprius morbus est in temperatura.

## Hippocrates. Sectio XLVIII.

Ingens siquidem malum est, si ob laborem morbiq; acumen imbecillitato porrexerit quis potum, vel sorbitionem copiosiorem, uel esculentum, imbecillitatem eam ex vasorum inanitione contigisse arbitratus. Neq; sane calumniam effugere potest, qui ęgre valẽtem ex vasorum inanitione non cognoscit, torquetq; victus genere. Periculum siquidem adfert erratum hoc, sed longe minus q̃ alterum, atq; risu dignum magis. Nã si medicus alius, vel plebeius ægrum interuiserit, cognoueritq; ea quæ cuntigerunt, dederitq; tum edendum tum bibendum quod alter vetuerit, is præsidium attulisse existimabitur. Talia autem maxime ab his vituperãtur hominibus, qui res ad nigrum vertunt. Nempe qui ægrum interuisit, vel medicus, vel plebeius, hunc a mortuis suscitasse ipsis videtur.

BRA SA VOLVS

Cum uis ob dolorem reddatur imbecilla, ob morbi acumen, & ob uasorũ inanitionem, cui succurrendum est à medico, & s̃m genus causæ remouenda causa: Nõnulli uni succurrunt causæ, cui non est succurrendum. Propterea hi nunc ab Hippocrate reprehenduntur, qui secus agunt, q̃ agendum sit. Inquit uero esse ingens malũ, illumq; maxime errare, qui cum hominem uidet, uel ex dolore, uel ex morbi acumine imbecilliorem redditum. Illi uel potum uel sorbitionem copiosiorem uel aliquid esculentum dare uoluerit, tñ putauerit imbecillitatem illam ex uasorum inanitione contigisse, cum ex hac imbecillitate nõ contigerit. At is certe medicus calumniam effugere non potest, qui ægrotum ex uasorum inanitione non agnoscit, & illum in genere uictus torquet. Id uictus genus illi præbens qđ non conuenit, nempe non cognoscens ex uasorum inanitione esse imbecillitatum, illi uictũ præbet ualde tenuem, propterea indies magis imbecillitatur. Et hoc est in genere uictus illum torquere. Scitoq; hunc errorem periculum afferre. s. dare minus q̃ conueniat, tñ minor est error, q̃ alter, & magis dignus risu, ac derisione. nam plerũq; contingit alium medicum uel plebeium hunc ægrum inuisere, si hic quæ fiant cognoscat, & q̃ ille ex uasorum inanitione uirium imbecillitatem habet, & assistẽtibus suadeat ut cibum dẽt ægro, & ægro ut accipiat, atq; potum, quę alter medicus uetuerit, si hic accipit (ut fit) ipse existimabitur attulisse remediũ. At talia ab his hominibus potissimum uitio uertuntur, qui res ad nigrum uertunt. Etenim hic secundus, qui uel medicus sit, uel plebeius, qui ægrum interuisit, & cibum, ac potum tribuit, illum à mortuis suscitasse ipsis uidetur.

μεῖζον μὲν γὰρ κακὸν ἐστὶν ἢν διὰ τὸν πόνον καὶ τὴν ὀξύτητα τῆς νόσου ἀσθενέοντι προσφέρῃ τις ποτὸν, ἢ ῥόφημα πλεῖον ἢ σιτίον οἰόμενος διὰ κενεαγγίην ἀσθενέειν. i. etenim magnum malum est, si ob laborem, & morbi acumẽ, quis hominẽ imbecilli redditũ, potum uel sorbitionem copiosam, uel cibũ porrexerit, putans ob uasorum inanitionem id contigisse, hic est maximus error, sed cõmunissimus, & quo multi utuntur, & nulla est mulier, quæ ægros non cibet imbecilles redditos ob morbi acumen, uel ob dolorem, putans esse imbecillitatem per resolutionem, cum qua est uasorum inanitio. Sed inquies quomodo cognoscitur hãc defectionem esse ob dolorem, uel acumen morbi, & non ob uasorum inanitionem? Respondemus quæ fit ob uasorum inanitionem breui non fit tempore, quæ uero fit ob dolorem, breui fit, postea adest dolor, qui spiritum etiam quodãmodo aufert. Eadem est ratio de illa quæ fit ob morbi acumen. Cũ uero hic in hoc casu dabit cibos, magis obest, q̃ prosit, imo in mortem ducit ægrũ qui alioqui sanitati restitueretur. Si uero dicas in uirium defectu etiam per has causas necessario multos resolui spiritus, propterea indiget refectione, nam in doloribus & in acutis morbis spiritus resolui palam est: Respondemus spiritus omnino refici debent, sed id fit re facili, & satis est cibus qui in corpore est, ut in spiritus trãsmutetur. Certum uero est q̃ absq; cibis diu manere non potest, sed cum his morbus sit acutus, cito necessario resoluetur, & abibit, aliter hominem necaret, neq; posset absq; potu, & cibis diu permanere, imo non solum in morbi acumine spiritus resoluuntur, sed & humores & sanguis, tamen per resolutionem, imbecillitatem, tam cito inducere non possunt.

αἰσχρὸν δὲ καὶ διὰ κενεαγγίην ἀσθενέοντα, μὴ γνῶναι καὶ πιέζειν τῇ διαίτῃ. i. indecens uero est hominem imbecillum redditum ob uasorum inanitionem non cognoscere, & uictus ratione torquere, hic enim ignarus existimabitur medicus, & quẽ pudere debet, qui imbecillum ex inanitione uasorum non cognouerit, & propterea ex ui morbi, uel ex dolore existimabit esse imbecillum, & ægrum fame cruciabit, atq; premet.

φέρει μὲν γάρ τινα κίνδυνον καὶ αὕτη ἡ ἁμαρτὰς, πολλῷ δὲ ἥσσω τῆς ἑτέρης. i. periculum siquidem affert hic error, sed longe minor q̃ alter. periculum est cibum dare copiosum ob defectum ex morbi acumine, & ob defectum ex labore. periculum est præterea dare cibum minorem, q̃ conueniat in imbecillibus ob uenarũ inanitionem uiribus, tñ primum magis periculosum est, q̃ secũdum ex quo elici potest errores qui fiunt in dando plus cibi q̃ cõueniat, esse longe grauiores, q̃ errores qui fiunt in dando minus q̃ conueniat. Id uero recentioribus oppugnat de hoc differentibus, & oppositum sentientibus.

καταγελαστοτέρη δὲ πολλῷ αὕτη μᾶλλον ἡ ἁμαρτὰς τῆς ἑτέρης. i. Hi uero errores sunt multo magis ridiculi aliis. Quis minus sit periculi in præbendo minus cibi q̃ conueniat, quãdo uires ob inanitionẽ sunt imbecilles, q̃ in dando plusq̃ cõueniat, quando ob dolorem uel morbi acumen sunt imbecilles, tamen hi sunt magis deridendi qui fame cruciant ægros, quàm illi qui dant ubi non conuenit, & hoc est ob id quod sequitur, quia plebei, & quæcunq; mulierculæ ipsorum errorem corrigere possunt.

εἰ γὰρ ἄλλος ἰητρὸς, ἢ καὶ ἰδιώτης ἐσελθὼν καὶ γνοὺς τὰ ξυμβεβηκότα δοίη καὶ φαγεῖν καὶ πιεῖν ἃ ὁ ἕτερος ἐκώλυσε, ἐπιδήλως ἂν δοκέοι ὠφεληκέναι. i. nam si alter medicus, uel idiota ingressus sit, & nouerit ea quæ contigere, dederitq; & edere, & bibere ea quę alter prohibuerit, proculdubio is pręsidium attulisse existimabitur. Et putabunt omnes medicũ primum morti daturum esse ęgrum, nisi ille, uel medicus, uel idiota superuenisset. Et hęc quotidie contingunt, tamen plerũq; mulieres ęgros necant plus dantes q̃ conueniat.

τὰ δὲ τοιάδε μάλιστα καταμέμφονται τῶν χειρωνακτέων ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. i. talia uero maxime uituperātur ab hominibus, qui manibus operantur. Per hos uero non quidem chirurgos intelligere oportet, sed oparios & sellularios. Sellularij etenim cum aliquem uident medicum in uictu ualde tenui ægrum seruare, & alio superueniente qui maiorem cibi copiam dari iubeat, si æger sanetur, non solum ibi sellularij, sed per totam urbem hunc medicum uituperant, ut illi nã sit qui in talium hominū ora uersatur. Docti uero & nobiles ac ingenui, hunc medicū potius excusant, qui ita processerit, dicentes & ipsæ hoc tempore cibum addidisset. Ad hoc uero tempus talis uictus ratio conueniebat, qualem seruauit primus medicus. hoc uero tempore est uictui addendum.

δοκέει γὰρ αὐτέοισιν ὁ ἐσελθὼν ἰητρὸς ἢ ἰδιώτης, ὡς περὶ καὶ τεθνεῶτα ἀναστήσας. i. ipsis etenim uidetur ꝙ medicus, uel plebeius, uel idiota qui interfuit, ueluti mortuum suscitauerit, ut totus inductæ sanitatis honor in illum referatˀ, qui cibum dederit, & illæ qui cibum non dedit, ueluti ignarus uidetur, & ab operarijs ac sellularijs deridetur.

GALENUS. Ob dolores sæpius ægri sine pulsu redduntur, animiq; deliquia incurrunt, & nullo pacto queunt moueri, similiter & ob morbi acumen. Sunt autem quibus non ob hæc uirtus offenditur, sed ob uasorum quomodolibet factam euacuationem. Siue igitur ob euacuationem sensui manifestam, siue ob eam quæ per habitum fit discussionem, siue ob inediā uirtus labefactata fuerit: qui ita affecti sunt, cibari q̃ celerrime expostulāt. Contra autem qui ob dolorem uel morbi acumen parum ualentem habent facultatem, uacuatione interdum magis q̃ repletione indigentibus: ij qui cibum his exhibet, maximū adfert detrimentum. Verum qui ex uasorum inanitione parum ualent, hos si quis dieta tenui presserit, lædet: q̃q; non æque euidenter, uel celeriter. Ignorare autem si æger parum ualeat ob uacuationem, magis q̃ ob dolorem, probro uertitur. Cætera dictionis manifesta sunt.

BRASAVOLUS. Primo Galenus docet ob dolores ægros sępius absq; pulsu reddi, & animi deliquia incidere, neq; moueri possunt. Idem efficit morbi acumen. At nonnulli sunt quibus ob hæc uires non offenduntur, sed ob uasorum q̃uocũq; factā euacuationē. Secūdo Galenus prosequitur, siue ob euacuationem sensui manifestam, siue ob illām difflationem quæ fit per habitum, siue ob inediam uis defecerit, omnes qui ita affecti sunt, cibari q̃ celerrime expostulant. At ex opposito qui ob dolorem uel morbi acumen facultates habent imbecillas, hi interdum uacuatione potius, q̃ repletione indigent. Imo si quis uoluerit hos cibare, maximum ipsis adfert detrimentum.

Dices uero, si interdum uacuatione potius, q̃ repletione indigent, igitur quandoq; repletione indigent. Scito posse repletione indigere, quando indigemus ut cibo aliquo materiæ reprimantur, quæ circa os uentriculi effrenitant.

Tertio Galenus notat eos qui ex uasorũ inanitione ægri sunt, si quis uoluerit in tenui uictu seruare, lædet, q̃uis non ita euidenter, neq; ita cito lædet. Verũtamen ignorare si æger uires habeat ob euacuationem imbecillas, magis q̃ ob dolorem, ignominia plenum est. Et his qui hoc ignorat ignarus existimandus est, & illi hoc probro uertendum. Reliqua quę in hac sententia sunt, manifesta esse dicit Galenus. propterea nullo modo referenda, cum in sententia ipsa nota sint, & lectione solum indigeant & non expositione.

## Hippocrates. Sectio XLIX.

Scribemus autem & horum notas, quibus singula dignosci possint.

BRASAVOLUS. Aliquis Hippocratem reprehendere posset, ingens, cur non ponis notas, quibus hos uiros deprehendere possimus, quādo ob dolorem, & morbi uigorē uires habent imbecillas, & quando ob euacuationem, uel sensibilem, uel insensibilem: Hippocrates huic obuiat dubitationi, inquiens certum est nos debere scribere has notas, quibus singula dignosci possint, & id in alio ampliori faciemus libro de notis morborum acutorum, & de ipsis acutis morbis.

γεγράψεται οὖν καὶ περὶ τούτων σημεῖα οἷσι δεῖ ἕκαστα τουτέων διαγινώσκειν. Scribemus igitur de his & signa, quibus horum singula cognoscere oportet. fiet uero hoc in alio libro, & non in isto, quem præ manibus habemus exponendum, tamen erit & ille de acutis morbis liber.

GALENUS. Rursum & hic pollicetur Hippocrates, sicuti paulo ante, se librum alium quendam de morbis acutis scripturum.

BRASAVOLUS. Galenus notat & in hoc loco Hippocratem polliceri, sicut & superius fecit, se alium scripturum librum quendam, qui de morbis acutis inscribetur.

## Hippocrates. Sectio L.

Similia porro his quæ ventriculo contingũt, hæc existunt. Nam si corpus totum pręter consuetudinem valde quieuerit, non confestim robustum magis euadit: quod si diutius otiatum ad labores sese repente verterit, vile profecto quippiam euidenter operabitur. Ita de cæteris corporis partibus est existimandum. Nempe & pes, & cæterę quę articulis predite sunt partes laborare non consuetæ, tale quippiam patiuntur, si post longum tempus ad laborem subito se vertant. Hæc tolerabunt oculi & dentes, & quicquid huiusmodi est: pręterea & cubile pręter consuetudinem & molle & durum, laborem facit. Quod item sub diuo est, præter solitum corpus indurat.

BRASAVOLUS. Superius Hippocrates de repentina à cōsuetudine mutatione uerba fecit, sermonem deinceps ad imbecillitatem conuertit, & ad imbecillitatis modos. Nunc iterum ad consuetudinis mutationem reuertitur. Ita uero rem proponit, ꝙ & hæc quæ dicentur, his similia sunt, quæ uentriculo contingunt, de subita à consuetudine ad inconsueta mutatione. Et Hippocrates primo de mutatione à motu ad quietem agit in toto corpore, postea de mutatione à motu ad quietem in partibus corporis. Vnde si totum corpus præter consuetudinem ualde quieuerit, statim magis robustum effici non potest. At si idem corpus diutius in otio constitutum sit, & repente ad labores sese conuerterit, si quid agere uoluerit, id inepte aget, & erit ad motum ineptum. Qd' uero de toto corpore intelligit Hippocrates, idem in qualibet corporis parte intelligit. Etenim & pes & manus, & reliquæ partes, quæ articulis præditæ sunt, quæ non sunt consuetæ laborare, tale quid patiuntur, si post longum tempus quo quieuerint, subito ad laborem se conuertant, hæc eadem patientur, & partes illæ quæ sunt sine articulis, ut oculi, dentes, & cæteræ eiusdem generis partes. Imò & nõnulla extrinseca nostro corpori applicata, q̃ñ sunt inconsueta laborem faciunt, ut cubile qd' præter consuetudinem fuerit uel molle uel durum. Sunt qui molle cubile pati non possunt, & qui durum cubile non ferant. Imo et qd' sub diuo est cubile, si pręter consuetudinem sit, corpus indurat.

παραπλήσια μέν τοι ταῦτα κατὰ κοιλίην ἐστὶ καὶ ταῦτα. i. similia ferè sunt, & hęc his quæ uentriculo contingunt. Nõnulli hāc particulam cum præcedente complicant sentētia, in qua de imbecillitate, quæ fit ob laborem, & morbi acumen loquebatur, & de illa quæ fit ob uasorum inanitionem, & promiserat se scripturum de signis quibus singula cognosci poterant. Nunc inquit, & hæc quæ de imbecillitate dicta sunt, his esse similia, quę uentriculo contingunt. Tamen melius est cum sequētibus iungere, ut sensus sit, hæc quæ sequuntur similia esse his quæ uentriculo contingunt, nam sicuti in uentriculo cum trāsit de consueto

sueto in incõsuetum, fit perturbatio & noxa, ita in toto corpore idem continget, propterea hæc quæ dicentur, similia sunt his quæ uentriculo contingunt, nam uentriculus si à coctione fuerit otiatus, & illum implere uolueris, plenitudinem ferre non poterit, neq; coquere, quæ sunt munia uentriculi, & operationes. Idem in aliorum membrorum operationibus, & totius corporis continget.

καὶ γὰρ εἰ ὅλον τὸ σῶμα ἀναπαύσεται πολὺ παρὰ τὸ ἔθος. id est nam si totum corpus præter consuetudinem ualde quieuerit, sit uero primo moueri assuetum, postea repẽte quiescat, hoc autem ualde quiescere, & de longiori quiete intelligi potest, & de omnimoda quiete, ut nihil ferè moueatur, neq; spatietur, neq; leuiter ambulet, prius uero sit assuetus corpus mire exercere.

οὐκ αὐτίκα ἐρρωμένον ἔσται μᾶλλον. idest nõ statim robustum magis fit. imo potius imbecille redditur. Et si in hoc otio perduret, ægritudines potius incidet.

ἢν δὲ δὴ καὶ πλείονα χρόνον διελινύσας ἐξαπίνης εἰς τοὺς πόνους ἔλθῃ. idest si uero contingat, & eum qui longo tempore quieuerit repente ad labores conuerti, hoc est præcedenti parti oppositum, in qua homo prius erat motui consuetus, postea repente quiescit. hic uero est quieti cõsuetus, & repente laborare incipit, ac aliquid exercere.

φλαῦρόν τι πρήξει ἐπιδήλως. id est uile quodpiam manifeste operabitur. nam ad has actiones erit ineptus, à q̃bus diu abstinuit. Et si quid aggrediatur, quicquid faciet, uile erit, ad opus non se determinat Hippocrates, quia de omni opere cuiuscunq; sit generis intelligit.

De his forte oppositis, quæ sunt inconsueta, ab Hippocrate posita ambiges, primo inquit Hippocrates totum corpus præter consuetudinem ualde quiescere. At quomodo fieri potest, ut ualde quiescat, & sit præter consuetudinem, quoniam in hac quiete ualde & longa opus est in consuetudinem trãsire, nam consuetudo aliud nihil est, q̃ longus alicuius rei habitus. Respondemus, uel intellige per quietem πολὺ.i. ualde uel multam quietem per totum, uel intellige longam, ita ut per naturam trãseat quietum quibus prius utebatur, nam semper moueri non poterat, sed quãdoq; quiescebat, hæcq; quies in principio est inconsueta, & postea efficitur consueta in medio, tamen læditur.

οὕτω δὲ καὶ ἓν ἕκαστον τοῦ σώματος.i. ita uero & unaquæq; corporis pars, quæ uni operationi non fuerit assueta, si subito ad illam exercendam moueatur, læditur. At inquies nõne opus est partes ad quodlibet opus assuefacere? Respondemus, id prorsus fieri debere, sed paulatim, & tunc nihil sequitur incommodi, hic uero de mutatione loquitur Hippocrates quæ repentina fit, & ad totum opus.

καὶ γὰρ οἱ πόδες τοιόνδε τι πρήξειαν, καὶ τὰ ἄλλα ἄρθρα μὴ εἰθισμένα πονεῖν, ἢν διὰ χρόνου ἐξαπίνης εἰς τὸ πονεῖν ἔλθῃ, id est etenim pedes & alij articuli laborare non cõsueti, si post longum tempus repente in laborem descenderit, tale quid patiuntur, quòd scilicet totum patitur corpus, quando de assueto motu in nõ assuetum, uel de assueta quiete in motum non assuetum repente mutatur. De pedibus exemplum subscribit, quoniam inter alia membra ipsi tales sunt q̃ & ipsi mouẽtur, & sunt totius corporis sustentaculum. de articulisq; mentionem fecit, quoniam ipsi in motu maxime agitantur & in quiete languescunt.

ταὐτὰ δὲ ἂν καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ καὶ οἱ ὀδόντες πάθοιεν καὶ πᾶν ὁτιοῦν. id est hæc etiam patiantur & oculi, & dentes, & quicquid tale est. ne quis putaret partes tantum articulos habentes tales esse, ut ex his mutationibus patiantur, ob hoc Hippocrates hæc adiunxit, ut ostenderet in omni parte, quamuis non sit articulus neq; habeat articulum, intelligi debere, dentes manifestissime à repentinis mutationibus læduntur, nam si quis calida comederit, & statim frigida masticare incipiat, manifestũ persenót nocumentum, & econtrario si frigida edat, postea repente ad calida trãsiuerit, & si quis in tenebris moretur, postea repente ad lucem conuertatur, læditur. Imo Galeno teste in libris de usu partium. Rex quidam sontes exoculabat, uel cęcos reddebat primo in tenebris seruans, postea repente in splendidissimum locum ire cogens, hi uim uisoriam amittebant, & omnes aliæ tales partes æque patiuntur. Et hæc addidit ac si diceret idem in omni parte intelligo, q̃uis non sit articulus.

ἐπεὶ καὶ κοίτη παρὰ τὸ ἔθος, μαλακὴ πόνον ἐμποιέει καὶ σκληρὴ παρὰ τὸ ἔθος. id est præterea & cubile præter consuetudinẽ molle, & præter consuetudinem durum, laborem facit. Et si κοίτη, id est cubile sit ferarum, tamen de hominum toro intelligitur. hoc experientia uidemus, homines duris lectis assuetos in tenellis & mollibus dormire non posse, & econtrario. Imo homines reperiuntur, qui cum proprium exeũt lectum, etiam si esset æque durum uel molle, dormire non possunt, quando hæc repente fiunt, & non paulatim. Hoc uero de cubili posuit Hippocrates, ut suam ampliaret sententiam, non solũ ad operationes, sed etiam ab illa quę humano corpori extrinsece amplіantur, ut ostendat in omnibus rebus in quibus potest sequi affectio in hominem repentinas mutationes semper lædere, & non mediocriter.

At petere potens quinam πόνος, id est labor hic sit qui inducitur, quãdo homo dormit supra cubile durum uel molle. Respondemus, intellige per laborem dolorem, qui est quædam displicentia iacendi in illo toro, nam qui in molli lecto dormire assueti sunt, si durum lectum ingrediãtur, omnium partium quæ tangunt lectum compressionem ad rem duram incidũt, quæ erant prius assuetæ rei molli, propterea dolent. Et qui rei duræ erant assueti, cum mollem lectum ingrediuntur, nõ ferunt in plumã infigi, & nimis calescunt, meatus inuisibiles aperiuntur, & dolent quodammodo, nisi paulatim assuescant.

καὶ ὕπαιθρος παρὰ τὸ ἔθος κοίτη σκληρύνει τὸ σῶμα. id est & sub diuo præter consuetudinem cubile corpus indurat: causa est, quia insensibiles corporis meatus obstruuntur, qui erant prius aperti, quoniam hic erat assuetus cubare in loco clauso, & calido, quo meatus erant aperti, & corpus cõsequenter erat molle, uerum cũ sub diuo manet, & forte detectus, obstruunt & corpus indurat. Et de illo forte intelligit qui fuerit sub tecto p̃be tectus, & postea sub diuo detectus, ut casus sit exq̃sitior.

GALENVS.

Rursus ad institutum redijt Hippocrates absoluto de uirtutis imbecillitate sermone, quem per digressionẽ à pristino mutauerat instituto: atq; quæ nunc dicuntur simila quodam modo esse his quæ uentri contingere dicta sunt. Nempe scopũ dirigit ad summam eam io qua mutationes subitas magnã languentibus adferre læsionem astruit. Quod autem hoc in loco scribit, huiusmodi est. Vt uenter diutius omnino otiatus functionem perficere probe non potest, nisi prius sensim rursum assuescat, & suas exerceat operationes: sic corpus uniuersum, singulæq; aliæ partes. Deinde & partes aliquas serie continuata nominatim commemorat, atq; tãdem in fine sermonis, eius quæ in cubili fit mutationis mentionem fecit, astruens sanè, & nũc qđ ab initio de cõsuetudinis mutatione est ab eo p̃positũ.

BRASAVOLVS

Primo, Galenus notat cum Hippocrates de uirtutis imbecillitate sermonem absoluisset, quem per digressionẽ à pristino mutauerat instituto, iterum ad institutum redijt, inquitq; illa quæ nunc dicentur, his esse quodãmodo similia, quæ uentriculo cõtingere dicta sunt. Etenim in præsentiarum ad summam illam scopum dirigit, in qua asserit subitas mutationes magnã læsionem languentibus afferre. Id uero quod nunc ab Hippocrate scribitur, ut breuibus exponatur, tale est.

Secundo, Galenus notat ut uentriculus qui diu fuerit uitiatus, non potest probe suam perficere actionem, nisi prius sensim rursum assuescat, & operationes suas exerceat, ut experiẽtia uidemus, cum quis ieiunauerit, si multum edere uoluerit offenditur. Eadem ratione & corpus uniuersum si à sua operatione abstinuerit, postea illam statim aggredi uoluerit, offenditur. Idemq; in omnibus alijs contingit partibus.

Tertio, Galenus notat Hippocratem partes aliquas serie continuata nominatim commemorare, & denique in sermonis

fine, eius mutationis quæ fit in cubili mentionem facit. Id ex hoc probans & confirmans quod ab initio de consuetudinis mutatione ab eo propositum est.

Hippocrates. Sectio LI.

Sed horum omnium exempla quædã perstringere satis fuerit. Nam si quis vlcus, neq; admodum insigne, neq; ualde uile in tibia acceperit, fueritq; homo cui neq; admodum difficulter, neq; ualde prompte ulcera sanentur, & prima protinus die ita iacens curetur, vt nequaq; crus tollat, hoc sane pacto sine inflãmatione manebit, citiusq; sanitati restituetur, q̃ si delinquens curetur. Quod si uel quinto, vel sexto, vel superiore adhuc die surrexerit, atq; ambulare uoluerit, magis laborabit q̃ si statim ab initio errans curatus fuisset. Porro si & multum & repente se fatigauerit, multo magis laborabit q̃ si ita curatus in diebus huiusmodi sese lassum & defatigatum reddiderit.

BRASAVOLVS Idem propositum de consuetudinis mutatione prosequitur Hippocrates, que ἀθρόως fit, id est uniuersim & subito, & exemplum in ulcere ponit, ut uero hac de re tandem finiat, inquit, satis ipsi esse, si horum omniũ exempla quædam perstringat, & in ulcere exemplum proponit, si quis ulcus in tibia habuerit, quod neq; admodum insigne sit, neq; ualde uile, & talis sit uir naturæ ut neq; ulcera quæ habet admodum difficulter sanentur, neq; admodum prompte. curatioq; hoc modo procedat, ut prima protinus die, ita iacens curetur, ut crus non eleuet, hoc modo sine inflãmatione mouebit, & citius sanitati restituetur, q̃ si dum curatur, errorem cõmittat, uerũtamen si hic uel quinto, uel sexto, uel superiore adhuc die surrexerit, & ambulare uoluerit, hic magis laborabit, q̃ si statim ab initio errores incurrat. Adde si & multum & repente crus fatigauerit, multo magis laboraturum, q̃ si inter curandum in his diebus sese lassum & defatigatum reddiderit. ut ex his inferatur mutationem subitam si modum excesserit, noxã inferre.

αὐτὰρ καὶ τῶν τοιῶνδε πάντων ἀρκέσει παραδείγματα γράψαι, id est sed & horum omnium exempla quædam perscribere satis fuerit. non enim opus est exempla omnia quæ ad rem faciunt, coaceruare de repentinæ mutationis læsione, sed quibusdã positis ꝯueniet, & huic sermoni & toti libro finẽ imponere.

εἰ γάρ τις ἕλκος λαβὼν ἐν κνήμῃ μήτε λίην ἐπίκαιρον μήτε λίην εὐηθές. id est si quis enim ulcus accipiens in tibia, neq; admodum insigne, neq; ualde uile ut talis sit naturæ ulcus quod non sit uehemens & periculosum, neq; sit nimis paruum, & adeo abiectum, ut non sit dignũ consideratione. possunt enim in hoc loco esse ulcera periculosa cum sunt prope genu, & os fuerit abscissum, & ulcera fuerint ampla, & posset esse in medio tibiæ nõ profundum ulcus, sed superficiarium & paruum, tunc esset nullius momenti, neq; medici curatione indigeret. At hic Hippocrates ut argumentum suum melius effingat, ulcus accipit inter illa medium, quæ facile sanantur, & quæ difficulter sanantur.

Et si petas cur in cruris uulnere exemplum tradiderit: Scito esse triplex membrorum genus, aliqua sunt, in quibus uulnera nullo modo sunt periculosa, & si magna sint, alia in q̃bus uulnera sunt periculosa etiam si parua sint, alia sunt mediocria, in quibus ulcera possunt esse periculosa, & nõ periculosa ꝺm ulceris conditionem, cerebrum, cor, thorax, uentriculus, intestina, uesica, iecur, pulmo, talia sunt membra ut in ipsis uulnera sint periculosa, uel magna, uel parua sint. Facies uero & aurium capsula, & nasus, talia sunt membra, in quibus uulnera non sunt periculosa, etiam si magna sint. Et si dicas in naribus fieri sæua ulcera & gangrenas, & ozenas: Respondemus hic intelligi de uulnere externus illato, nam Hippocrates inquit ἕλκος λαβὼν, id est ulcus accipiens, accipiuntur uero uulnera, at ulcera prædicta innascuntur, fieri tamen posset ex praua curatione, ut uulnus trãsiret in gangrenam. Crura uero, brachia, & reliqua similia sunt membra mediocria, in quibus ulcera, & uulnera possunt esse praua & bona ꝺm locum in quo sunt, & ꝺm ulceris dispositionem, dicitur uero neq; insigne, neq; uile ulcus, quod sit in membro mediocri, & quod sit in parte membri mediocri, & quod neq; magnum sit, neq; paruum. Notaq; & crus rõne motus, habere mediocritatẽ, q̃a nõ potest ita ferre motũ ut manus, neq; ita in motu, est, ut pulmo & oculus. Si præterea Hippocratem recte consideremus, transire uidetur de exemplis subitæ mutationis in sanis ad exempla subitæ mutationis in ægris, ægrotat enim qui in tibia uulnus acceperit, uel ulcus habeat.

μήτε ἄγαν δυσιλλαθὲς ὤν, μήτε ἄγαν εὐαλθής. id est sitq; talis ut neq; ualde prompte, neq; ualde difficulter ulcera sanentur. Aliqui reperiuntur, quibus difficilime ulcera sanantur, alii qui quibus facilime, Alij inter hos medij, humidorum natura difficulter sanantur ulcera, siccorum facilime sanantur, eorum qui mediam seruant temperiem, neq; difficilime, neq; facilime sanantur, hos in suo exemplo accipit Hippocrates, ueluti illos qui apte possint probare repentinas mutationes esse periculosas, & aliquid semper incommodi inferre.

αὐτίκα ἀρξάμενος ἐκ πρώτης κατακείμενος ἰητρεύοιτο, καὶ μηδαμῇ μετεωρίζοι τὸ σκέλος, idest & prima ꝓtinus die ita iacens curetur, ut nequaq; crus eleuet. Supponit Hippocrates hunc a prima die quiescere cœpisse, neq; crus hoc eleuare, neq; ambulare, sed statim in quiete crus seruare, hic, non eleuare est non ambulare, neq; crus mouere, sed ipsum in quiete seruare, ita ut non pendeat etiam crus, ne materiæ in illud decidere possint & ulcus augere.

ἀφλέγμαντος ἂν οὗτος εἴη, καὶ ὑγιὴς πολλῷ θᾶσσον οὗτος γένοιτο, ἢ εἰ περιπλανώμενος ἰητρεύοιτο. hoc sanè pacto sine inflãmatione manebit, & sanitas multo citius inducetur, q̃ si errauerit dum sanitati restituitur. Nam cum nõ mouet crus, materiæ ad ulcus non descendunt, propterea inflãmatio non fit, nec multi illuc currunt humores, qui ulceris prorogent morbum, & non sinant cito sanari.

εἰ μέντοι ε. ἢ ς. ἢ ἔτι ἀνωτέρω ἀναστὰς ἐθέλοι προβαίνειν, μᾶλλον ἂν πονέοι τότε, ἢ εἰ αὐτίκα ἐξ ἀρχῆς πλανώμενος ἰητρεύοιτο, id est quod si quinto, uel sexto, uel superiore adhuc die surgẽs ambulare uoluerit, magis laborabit, q̃ si statim ab initio errans curatus fuisset. hic autem error, de quo nunc Hippocrates loquitur, est ambulationis error, & non alter, ut si ulceris curationem inceperit, tamen non quiescat, sed ambulat, & hoc errore ducatur, ut inferat, esse multo peius per aliquot dies quiescere, postea moueri, anteq̃ sit plene curatus, q̃ si primis diebus non quieuisset, nam acquisiuit iam quiescendi consuetudinem, postea mouetur, & nota per motum intelligere non paruum motum, sed uehemẽtem, & si petas quid per superiorem diem intelligendum sit, nõnulli septimum intelligebãt & octauum, quos reprehendit Galenus, uultq; potius intelligendos esse tertium & quartum, quia utitur hoc uocabulo ἀνωτέρω, & non dicit ἐξωτέρω. At dubitare poteris nunquid si tertio die moueatur, & primo ac secũdo quieuerit, iam quiescendi consuetudinem acquisiuerit, nam Hippocrates sentire uidetur consuetudinem iam acquisiuisse, quia (ut inquit) si moueatur læditur magis q̃ si in motu semper ꝑseuerasset. Igit̃ quietis cõsuetudinem acquisiuisse intelligit. tamen mirum uidetur, quòd in tam breui spatio cõsuetudo acquisita fuerit. Imo si recte cõsideremus, consuetudo fieri non põt, nisi in tribus actibus, nam primus actus necessario est inconsuetus, quia tunc fieri incipit, secundus actus, non est consuetus neq; inconsuetus, nam cum transitur de consueto ad inconsuetum, uel de inconsueto ad consuetum, de extremo ad extremum transitur, quod fieri non potest nisi per medium, secũdus uero actus est

hoc medium

hoc medium per quod transitur ad cõsuetum. At tertius actus forte est consuetus, quia est aliud extremum. Et quia quispiam dicere posset, id quod ab Hippocrate dicitur non esse in actu, sed in continua actus perseuerantia: Dicimus nos id nihil referre, quoniam & si in solis intermittentibus rebus dicatur unus actus, & plures, in continuis breuis obseruatio est inconsueta, longa est consueta, mediocris est media inter cõsuetum, & inconsuetum, unde in proposito tertius dies erit consuetus, & non secundus: unde si tertio die moueri incipiat, nondum est consuetus, quia forte tertio die esset consuetus, uerum secundo die non potest esse consuetus. Respondemus, in rebus quæ diu perdurant, & in ipsarum duratione multi incidunt actus, multi actus ad assuetudinem requiruntur, sed in rebus quæ parum durant, neque actuum numerus multiplicatur, breui in assuetudinem deuenitur. Neque argumentum conuenit, quia breuissime membrum læsum quieti assuescit, nam à quiete iuuatur, & à motu offendit, unde in uulnerata tibia statim quieti assuescit, nec multo indiget tempore, neque opus est tertium expectare diem, si assuetudo fieri debeat, quia fit prima die, & intenditur secunda, & magis intenditur tertia. facilime etenim assuescimus potissimum in uulnere his quæ iuuant, & his quæ lædunt, tam facile non assuescimus.

Forte ambiges de quiete, quæ cruris uulneri non conueniat, imo motus illi conferat, nam ulcera exiccantibus & calefacientibus sanantur, ab infrigidantibus uero & humectantibus læduntur, motus uero calefacit & exiccat, quies infrigidat & humectat, igitur à motu ulcera iuuantur, & à quiete offenduntur. Respondemus, motum penitus exiccare & calefacere, sed etiam esse causam cur multi humores in locum læsum desluant, & ideo locum humectat motus per accidens, & per accidens infrigidat, quia illi humores in copia exaceruati naturalem suffocant calorem, unde locus fit frigidior, propterea plus obest motus, hos humores in locum inducendo per quos infrigidatur & humectatur, quàm prosit, resoluendo, exiccando, & calefaciendo. similiter quies & si humectet & infrigidet, tamen prohibet quodammodo ne humores transeant in locum læsum, & ideo conseruatur naturalis calor loci læsi, unde plus exiccat quies prohibendo hos humores ad locum, quàm sua propria natura humectet.

εἰ δὲ καὶ πολλὰ ταλαιπωρήσειεν ἐξαπίνης, πολλῷ ἂν μᾶλλον πονέσειεν, ἢ ἐκεῖνος ἰητρευόμενος ταῦτα, ταλαιπωρήσειεν ἐν ταύτῃσι τῇσιν ἡμέρῃσιν. i. si uero & multum & repente se fatigauerit, multo magis laborabit, quàm si ille ita curatus in his diebus defatigatus sit. hoc est multo magis dolebit crure uulneratus qui primis diebus quieuerit, postea repente & multum se defatigauerit, quàm ille qui primis diebus se defatigauerit, & prosecutus sit curationem simul cum defatigatione, nam eius quieti assuescit, & cum repente mouetur, multi humores in crus currunt, & multo plures quàm cucurrissent si motu semper usus esset ob assuetudinem quæ ad quietem habetur. igitur & in ægritudinibus subitæ mutationes sunt prauæ, & noxam inferunt, hoc est quod Hippocrates inferre intendebat.

Scito in hoc casu plures esse mutationes, nam si uulnus hic acceperit, & quiescat, de motu consueto ad quietem mutatur, nempe consuetus erat prius ambulare & non iacere, nũc quiescit & iacet, postea cum quieuit si moueatur, hęc est altera extra consuetudinem mutatio, quia de quiete cui iam erat assuetus transit in motum, tamen melior est permutatio hæc existente uulnere de motu ad quietem, quàm illa de quiete ad motum ante sanitatem. ueruntamen melius est eum qui debet post quietem moueri, potius semper moueri, & in motu perseuerare, quàm quiescere, & postquam quies in consuetudinem transiuerit, uelle moueri ante sanitatem.

Forte ambiges quia hic Hippocrates edocere intendit, mutationem ad inconsueta obesse, sed dicit: Cum quis uulnus acceperit, & à motu ad quietem mutatus sit, prodesse, nam inflãmationem non incidit, quam incideret si moueretur. igitur mutatio ad inconsueta prodest. Respondemus, cum quis acceperit uulnus, quiescere conuenit, ne humores in uulneris locum decurrant, & magis affliciatur, & quamuis sit transitus de re consueta ad inconsuetam, hoc est de motu ad quietem, tamen indicatio quæ de quiete sumitur, à re naturali non sumitur, hoc est à motu quem exercebat prius, ante quàm ægrotaret, sed à re sumitur præter naturam, hoc est à uulnere & à uulneris loco, nam uulnus uel ulcus de quiete indicant, si sanitati restitui debeant, quamuis sanitatis tempore moueretur, & esset motui assuetus.

Scito uideri Hippocratem ita rem ordinare, ut primum regimen sit bonum quando transitur de motu ad quietem. secundum regimen sit quando quiescit, postea mouetur, & est prauum. tertium regimen est mediocre, in quo semper, mouetur & non quiescit. Sed inquies uideri & primum regimen prauum, quia fit subita de consueto ad inconsuetum mutatio, sed in secundo regimine seruatur motus & quies, postea iterum motus. in tertio regimine non fit aliqua mutatio ad inconsueta, igitur primum regimen est cæteris peius. Respondemus, & si fiat subita mutatio, fit ad id quod conuenit indicatione ab ægritudine accepta: conuenit enim quies quamuis sit inconsueta, tamen neque ille semper mouebatur, sed quandoque quiescebat.

GALENVS.

De repentina adhuc mutatione, ut antea in exemplis alijs, ita & nũc in ulcere sermonem facit Hippocrates. Nam si quispiam, inquit, ulcus in tibia habens, qui & quiescere & iacere indigeat quiete, ambulet (hoc enim significat πλανώμενος ἰητρεύοιτο, id est peccans curetur) lędetur quidem prorsus, sed minus quàm qui primis diebus quieuerit, deinde subito circa quintum, uel sextum, uel diem etiam ἀνωτέρω, id est superiorem, tertium uidelicet uel quartum ambulare cœperit. Sunt qui uocabulum hoc ἀνωτέρω, de sequentibus dici diebus existiment, septimo scilicet, octauo, & nono: quod si ipsis placebat, eos principium dictionis per ε, & ξ, ἐξωτέρω & non ἀνωτέρω per α, & ν. Quale autem inquiunt, tale fieri non ualet ulcus, ut scilicet non parum lædatur qui septima uel octaua ambulare cœperit, & antea quieuerit: & grauiter dixerim si ulcus magnum fuerit, uel laborans fuerit unus ex his, quibus ulcus difficulter curatur, & magis si ambo cucurrerint. Quòd si neque ulcus magnum fuerit, neque laborans fuerit cui difficulter ulcera curentur, curetur autem conuenienter, (nam & hoc subaudire in sermone oportet) iam circa septimam aut octauam bene habebit, & ambulare citra læsionem poterit. Quam ob causam sermoni adiecit: Vlcus neque admodum ἐπίκαιρον, id est notabile insigneque, neque ualde εὐῆθες, id est uile: simplex scilicet εὐῆθες uocans. Fueritque item homo cui non admodum difficulter ulcera sanentur. Is siquidem si nihil aliud circa curationem erratum sit, solum quia mediocriter ambulet, & incedere indigeat, lædetur quidem, sed non ita grauiter, ut si primis diebus quieuerit, mox tertia, uel quarta, uel quinta, uel sexta obambulare cœperit. Qui uero magnum ulcus habuerit, & is sit cui difficulter ulcera sanentur, non mediocriter, sed grauiter lædetur ab initio obambulans: uelut & qui paruum ulcus habuerit, atque is sit cui faciliter admodum ulcera sanẽtur, si primis diebus quieuerit, & quinta, uel sexta ambulare cœperit, non grauiter, sed mediocriter offendetur. Ob eam igitur causam Hippocrates de eo, qui in utraque oppositione medium obtinet, sermonem fecit. Oppositionem autem dixit, tum eam quæ in magno & paruo ulcere comperitur, tum eam qua homo dicitur δυσαλθής, & εὐαλθής, id est cui tum difficile, tum facile ulcera sanantur. Quòd nihil referat dicere insigne ulcus, uel magnum, palàm est. Nempe ἐπίκαιρον, id est insigne, propter loci naturam tale fit. Magnum uero uirtute perficitur, etiam si sectione corporis paruum sit, uel ipsa sectionis magnitudine insigne fiat. εὐῆθες uero, id est uile, quod simplex est & paruum, uel propter loci naturam, quę uilis & abiecta est, uel propter sectionem ipsam paruam factam, dicitur.

Primo, Galenus notat Hippocratem & nunc de repentina in ulcere mutatione sermonem habere, sicuti & superius in exemplis de eadem subita mutatione egerat. Inquit uero, Si quis in tibia ulcus habuerit, qui ob inducendam sanitatem quiescere indigeat, & iacere in thoro, at neq; iaceat, neq; quiescat, sed quiete ambulet, & nunquam uel quieuerit, uel iacuerit, certum est ab hoc quidem lædi motu, sed minus lędetur, quàm is qui primis diebus quieuerit, postea statim circa quintum uel sextum diem, uel superiorem, id est tertium uel quartum ambulare cœperit.

Notaq; Galenum annotare, βαδίζων ἠρέμα, id est quiete & sensim ambulet, significari per id quod ab Hippocrate dicitur πλανώμενος ὑγιαίνοιτο, id est errans curetur.

Forte Galenus intelligit hunc esse errorem moueri dum curatur, etiam si motus sit sensim, uel potius hoc errans curetur, ad superiora referri debet, & nō solum ad illam particulam quiete ambulet.

Secundo, Galenus notat nonnullos fuisse qui putarunt hoc uocabulum ἀνώτερον, id est superius de sequentibus dici diebus, de septimo scilicet octauo & nono, quibus non consentit Galenus, quia opus fuisset, principium lectionis legere per ε, & ξ, ἐξώτερον & non ἀνώτερον per α & ν, sed quale dicunt tale fieri non potest ulcus, ut scilicet non parum lædatur, qui septima uel octaua ambulare cœperit & prius quieuerit. Et si ulcus magnum fuerit grauiter dixerim, uel laborans unus ex illis sit hominibus quibus difficulter ulcus curatur, & adhuc magis si ambo concurrerint scilicet ulcus magnum, & homo difficulter curetur. At si ulcus non fuerit magnum, neque laborans talis fuerit ut in illo difficulter ulcera curentur, & etiam conuenienter curetur (hoc autem subintelligendum esse) iam hic homo circa septimam, aut octauam bene se habebit, et absque læsione ambulare poterit. Ob hæc igitur suæ sententiæ addidit Hippocrates, ulcus neq; admodum ἐπίσημον, id est notabile & insigne, neq; ualde εὐηθὲς, id est uile, nam quod simplex est, uocat εὐηθὲς, & adde hunc hominem talem esse ut in eo ulcera non admodum difficulter sanentur, nam hic homo si alter circa curationem non errauerit, at mediocriter ambulet, & incedere indigeat, hic quidem omnino lædetur, quia quiescere deberet, uerum non adeo lædetur, ut is qui primis diebus quieuerit, postea uel tertia, uel quarta, uel quinta, uel sexta ambulare cœperit. Idem tamen faciet de septima & de octaua, quoniam ulcera in septima & in octaua perpetuo non sunt sana, sed profecto his diebus sanationis initium habent modo non sint maligna. At fieri etiam potest ut non habeant hoc sanationis principium, & consequenter si ambulauerint, obsit.

Tertio, Galenus notat, si is homo qui est affectus, magnum ulcus habuerit, & talis sit, cui difficulter ulcera sanentur, hic si ab initio ambulauerit, grauiter lædetur, & non mediocri lęsione, sicuti è contrario qui ulcus paruum habuerit, & talis sit cui facilliter ulcera sanentur, si hic primis diebus quieuerit, & quinta uel sexta die ambulare cœperit, hic nō grauiter, sed mediocriter offendetur. & ob hanc causam de illo sermonem fecit Hippocrates, qui in utraq; oppositione medium obtinet.

Et si petas quænam sit ista oppositio. Respondet illam esse, quæ in magno consistit ulcere & paruo, & illam in qua homo dicitur δυσαλθὴς & εὐαλθὴς, id est in qua uel facile ulcera sanantur, uel difficulter.

Quarto, Galenus notat manifestum esse nihil referre, uel dicatur ulcus insigne uel magnum, quoniam ἐπίσημον, id est insigne tale fit ob loci naturam, ut sit membrum nobile, & natura sua quæ faciat ut ulcus denominetur insigne & tempestiuū. At magnum ulcus uirtute perficitur, etiam si ex corporis sectione sit paruum, uel sit ob sectionis magnitudinem insigne. Est ulcus magnum uirtute, quando est periculosum, & est magnum, quando habet os amplum. Ex opposito εὐηθὲς, id est uile id ulcus est quod simplex est & paruum, uel ob loci naturam quæ sit uilis & abiecta, uel ob ipsam sectionem quæ sit parua.

Vbi legitur quòd nihil referat dicere insigne ulcus uel magnū palàm est, deesse uerba quæ sequuntur οὐδ᾽ μικρὸν ἢ εὐηθὲς, id est neq; paruum & uile. quæ uerba necessario poni debent, quoniam Galenus hunc facit sensum, nihil referre dicere, insigne ulcus & magnum, & uile ulcus & paruum. id quod sequitur manifeste ostendit hoc addi debere, quoniam cum de insigni & magno edocuerit, de uili statim & paruo differuit.

## Hippocrates. Sectio XLII.

Omnia igitur hęc inter se subitam omnem supra modum huc & illuc mutationem nocumentum inferre perpetuo testantur.

BRASAVOLVS

Hippocrates ex his quæ dicta sunt infert, posse argumentum sumi, quòd omnis subita mutatio si excedit modum noxam inducit.

διὰ τέλεος οὖν μαρτυρέει ταῦτα πάντα ἀλλήλοισιν. Id est hæc igitur omnia perpetuo testimonium adinuicem faciunt.

ὅτι πάντα ἐξαπίνης μέζω πολλῷ τοῦ μετρίου μεταβαλλόμενα, ἐπὶ τὰ καὶ ἐπὶ τὰ βλάπτει. Id est quòd omnia repente supra mediocritatem mutata huc & illuc obsunt. De omnibus uero uniuersaliter intelligit in quocunq; sunt mutationum genere, modo sint magnæ, & repente factæ.

GALENVS.

In exemplis singulis præsentis sermonis mentionem facit Hippocrates, quapropter & nunc in exemplo quod de ulcere facit, idem est executus. Nempe διὰ τέλεος, id est perpetuo, idem significat quod διὰ παντὸς & ἀεὶ, id est ubique & semper.

BRASAVOLVS

Galenus breuissime hanc partem transigit, inquiens Hippocratem in singulis exemplis sermonis præsentis mentionem facere, unde & in exemplo quod de ulcere adduxit, idem est executus. Notatq; particulam hanc διὰ τέλεος, id est perpetuo, idem significare, quod διὰ παντὸς, & ἀεὶ, id est ubiq; & semper.

## Hippocrates. Sectio XLIII.

Multiplex itaque in uentre est læsio. nam si ex multa uasorum inanitione repente quid plus iusto ingeratur, similiter si reliquum corpus diutius otiatum subito ad laborem uehementem sese uerterit, multo magis lædetur, quàm si ex multo cibo ad uasorum inanitionem transferatur. Corpus reuera his cessare oportet, & si ex multa fatigatione subito ad otium ignauiamq; desciuerit. Oportet autem & illis uentrem à ciborum cessare multitudine, alioqui læsio in corpore fiet, corpusq; totum grauabitur.

BRASAVOLVS

Duo in hac sententia ab Hippocrate aguntur. Primo etenim nocumenta fieri ostendit, quę sunt ex uentriculi multa inanitione repente facta. Secundo, de nocumentis quæ ad unum sequuntur qui diu otiatus est, & subito ad labores se transferat, unde inquit uentriculum uehementer offendi, quoties post multam uasorum inanitionem, absq; medio repente quis plus iusto impleat. similiter si totum corpus diutius otiatum fuerit, & subito ad uehementes labores se conuerterit, imo si illos cōparemus qui multo cibo implentur, & transeunt subito ad uasorum inanitionem, & illos qui ex multo labore statim ad otium se conuertunt, hi omnino minus lædentur quàm primi, unde minus dispendij est ex repletione ad inanitionem subito trāsire, quàm ex inanitione ad repletionem, & maius dispendium est transire de motu ad quietem, quàm de quiete ad motum, tamen opus est ab his cessare, neque post fatigationem ad ignauiam se conuertere, & uentrem à ciborum cessare multitudine, alioqui

ne, alioqui

ne, alioqui & in corpore fiet læsio, & totum grauabitur.

πολλαπλασίη μὲν οὖν κατὰ κοιλίην ἡ βλάβη ἐστίν. id est, multiplex igitur in uentriculo læsio est. Scito Hippocratem dicere in uentriculo esse multam læsionem, quia multa symptomata cõtingere possunt ex subitis in ipso mutationibus ad extrema, tamen quia ipsius officium est impleri, coquere, & euacuari, propterea de noxa quæ fit ob repentinam euacuationem post repletionem, uel ob repentinam repletionem post euacuationem agit, & illas inuicem comparat.

ἢν ἐκ πολλῆς κενεαγγείης ἐξαπίνης πλέον τοῦ μετρίου προσάρηται. id est, si ex multa uasorum inanitione repente quid plus iusto ingeratur, quando uentriculus fuerit inanitioni assuetus, ut per multum temporis homo parum insumpserit, postea repente multum comedat, hic uentriculus lædetur, quanquam possemus non solum ad uentriculum, & ipsius cauitatem hæc referre, sed possemus etiam ad omnem uasorum inanitionem ampliare, quæ uasa cum repente implentur, postea quàm inanitionem perpessa sint uel integram uel remissam, læduntur.

ἀτὰρ καὶ κατὰ τὸ ἄλλο σῶμα, ἢν ἐκ πολλῆς ἡσυχίης ἐξαίφνης ἐς πλέω πόνον ἔλθῃ. id est, similiter & reliquum corpus si ex multo otio repente ad uehementem laborem sese uerterit. hoc possumus in unaquaque corporis parte experiri, & etiam in toto corpore quando membrum aliquod, uel totum corpus per aliquod tempus quieuerit, postea uehementi motu agiteur, noxa persentitur si repente fiat.

πολὺ πλείω βλάψει, ἢ εἰ ἐκ πολλῆς ἐδωδῆς ἐς κενεαγγείην μεταβάλλοι. id est, multo magis lædetur, quàm si ex multo cibo ad uasorum inanitionem transferatur. Hippocrates hanc comparationem facit, uentriculus læditur, si ex inanitione cõsueta in repentinam transeat plenitudinem, læditur etiam si ex repletione consueta in repentinam transeat inanitionem, uerum magis & uehementer læditur, si ex uasorum inanitione transeat in repletionem, quàm si ex repletione transeat in uasorum inanitionem, quoniam in transitu ad repletionem facile fieri potest naturalis caloris suffocatio, potest fieri cruditas, possunt fieri omnia symptomata repletionis. At in transitu à repletione ad inanitionem non sequuntur tam fæta symptomata, licet extrema inanitio uirium imbecillitatem pariat, tamen huic occurrere facilius est, quàm uirium imbecillitati ex repletione nimia.

δεῖ μέντοι καὶ τὸ σῶμα τουτέοισιν ἐλινύειν, ἢν ἐκ πολλῆς ταλαιπωρίης ἐξαπίνης ἐς σχολήν τε καὶ ῥᾳθυμίην ἐμπέσῃ. id est, oportet uero & his corpora torpere, si ex multa fatigatione repente ad otium ignauiamq; desciuerint, qui sunt assueti multo labori, nec loco stare sciunt, si repente per temporis spatium quiescant, & otio dedantur, eorum corpus fit torpens & ignauum, & peius se habet, qu m illorum corpora qui in continuo fuere otio. unde si à negotio ad otium transitus fieri debeat, opus est paulatim ab opere cessare, quoad otio assuescat, & id repente non facere, & è contrario si esset transitus ab otio ad laborem.

Tamen secundum Galenum huius particulæ sententia est, Qui ex motu quidem atque actione in otium transeunt & segnitiem, hi cessare debent, & toto quiescere corpore, ut hæc sententia eadem cum illa sit ubi fames, laborandum non est, ut quid agendum sit in his casibus ubi quis post laborem quieuerit, Hippocrates præcipiat. Et deinde edocebit quid illis agẽdum qui uentrem ex ciborum multitudine aggrauant, cum inquit.

δεῖ δὲ καὶ τουτέοισι τὴν κοιλίην ἐλινύειν πλήθεος βρώμης, εἰ δὲ μή, πόνον ἐν τῷ σώματι ἐμποιήσει, καὶ βάρος ὅλου τοῦ σώματος. id est, oportet autem & his uentrem cessare à ciborum multitudine: si uero non cesset, læsio in corpore fiet, & totius corporis grauitas, quoniam id quod insumitur, nimis implet & extendit.

Alicui forte uidebitur mutationem illam subitam, quæ de motu fit ad quietem, uel de quiete ad motum, nihil posse obesse, nam quod oblectat, obesse non potest, uel transitus qui est de re quæ iam in fastidium uenit ad rem quæ oblectat, prodesse uidetur. At transitus de motu scilicet laborioso ad quietem, uel de quiete quæ iam in fastidium uenerit, oblectat. igitur prodest, & nullo modo obesse potest. Maior propositio manifesta uidetur, quia transitus ille uidetur de re preter naturam ad rem naturalem, nam laborare præter naturam est, diu manere in otio est, preter naturam. Minor propositio ex Galeno colligi posse uidetur in .4. de symptomatum causis, capite sexto, quia illa oblectant, in quibus fit transitus de re præter naturam ad rem naturalem.

Preterea, Hippocrates Aphorismo .48. secundi libri inquit, In omni corporis motu ubi laborare cœperit, quies statim lassitudinem aufert. ergo quies repente facta post longum motum non obest, sed potius prodest, nam (ut ab Hippocrate dicitur) lassitudinem aufert.

Adde motum nimium cum effectu qui sequitur, & quietem nimiam cum effectu qui sequitur, esse res præter naturam. At res præter naturam de sui indicant remotione, & hoc per contrarium quod fit in æquali gradu. propterea si quies nimia, nimio motui applicetur, proderit potius, quàm oberit, quia ad naturam inducet. igitur hæ subitæ de motu ad quietem mutationes, uel è contrario, etiam si repente factæ sint, non obsunt, quia id expelliunt quod iam est præter naturam contractum, nempe nimium motum cum suo effectu, uel nimiam quietem cum suo effectu.

At quicquid prædictæ inferant rationes, hæc est rei summa, & Hippocratica atque Galenica propositio, naturam renuere repentinas mutationes, & nihil repente esse immutandum. hoc in arte constat medicinali, & in secundo Aphorismorum, ubi iubet neque plene & repente euacuandum, neque replendum, neque aliud quicquam agendum, quod multum & repente fit.

Ad primum profecto unum contrarium ratione qua assuetum, iam ob longam moram corpori obesse incipit alterius contrarij appositio prodesse uidetur, & illi delectationem inferre. at si subito fiat, hoc non facit, uerum opus est ut paulatim incedat, si oblectari debeat. unde & si contrarium alteri applicato illud ad medium reducat, id conuenienti modo applicari debet, nam subita mutatio lædere semper incipit, uñ si paulatim fiat, parua est læsio, quę postea in naturam transit.

Ad aliud, Hippocrates in illo Aphorismo de motibus qui quotidie fiunt, uerba facit, in quibus quietes cadunt, ut in corporis exercitatione, cum quis ambulans laborare cœperit, quies statim lassitudinem aufert. at motus ille non erat nimius, sed satis, neque erat consuetus, quia ad lassitudinis principium tantum peruenit. Tamen & dici posset, si se præter modum mouisset, & in summa esse incalescentia, non esse subito quiescendum, sed paulatim esse motum remittendum, quoad membra frigescant, & meatus subito humiditate extrinseca & flatu non impleantur, ut in equis fit, qui cum multum cucurrerint, statim non deponuntur in stabulum ut quiescãt, sed paulatim & leniter deambulare faciunt, ne in ipsis obstructio fiat, quæ est multarum ægritudinum causa, sicuti & in hominibus.

Ad tertium, dicimus esse res præter naturam, & de sui indicare remotione, suamq; remotionem fieri per contrarium ęquale in gradu, tamen ex hoc non sequitur, repente applicari debere, sed paulatim, quoniam qd' repente fit, semper obest, non uero obest, quia sit contrarium, sed ob subitam obest applicationem, cum necessarium sit esse contrarium, si ad naturam, uel ad mediũ reducere debeat. hoc dicimus reducere ad medium, potius quàm ad naturam, quia quando quies est assueta, & ad motum reduci debeat, paulatim fieri oportet, & non est à motu uiolento incipiendum.

Notaq; propositionem illam, Contrarium contrario applicandum esse, si ad medium reductio fieri debeat, in qualitatibus intelligendam esse, non in motu & quiete, quia hæc subito se expellunt, quod uero intendit Hippocrates, est non fieri affa-

tim; subito, uehementer, & uniuersim.

Aliquis praeterea ambigere poterit, cũ ab Hippocrate dictum sit subitam de motu ad quietem mutationem minus obesse, q̃ de quiete ad motum. At alicui forte hoc uidebit absurdum, & plus obesse mutationem de motu ad quietem, q̃ econtrario, q̃a mutatio quae est ad unum, qđ ea generat, quae magis obsunt, magis obest. sed mutatio ad quietem est ad id qđ ea generat quae magis obsunt, q̃ illa quae à motu generant. nam si rem ipsam perpendamus, morbi calidi à motu generantur, à quiete frigidi morbi. At morbi frigidi sunt deteriores calidis, quia morbi calidi certas habent iudicationes. incertę uero sunt morborũ frigidorũ, & morbi calidi cito, tardi' frigidi iudicant. Praeterea, quae hõ naturalr appetit, & in quae inclinat, nobis uident magis ꝓdesse, q̃ ea in quae non inclinamur naturalr, & quae naturalr nõ amamus, haec ꝓpõ manifesta est, sed motũ naturalr diligimus, & in eũ naturalr inclinamur, ut ex. j. de sani. tuẽ. elici põt. In quietem uero naturalr non inclinamur, nam semp aliqd agere appetimus. igit & illa quę est ad motũ transmutatio est magis nobis naturalis, q̃ illa ad quietem, & ex ꝯñi magis obest trãsmutatio à motu ad q̃etem, q̃ à q̃ete ad motũ. Adde arg. cõe. Oĩs ꝑmutatio ad rẽ quae magis obest cũ obest, & minus ꝓdest cũ ꝓdest, est minus nocua, q̃ eius opposita. at subita ꝑmutatio quae est de motu ad q̃etem, est ad rẽ magis nocuã cũ obest, & minus iuuantẽ cũ ꝓdest. igit ꝑmutatio de motu ad quietẽ, est magis nocua, q̃ de q̃ete ad motũ. Prima ꝓpõ manifesta est, scđa v̓o ita ꝓbat, q̃a si obsint, q̃es naturalẽ calorẽ mortificat, motus v̓o inflãmat, uerũ si hęc duo simul cõparẽtur, mortificatio, & iflãmatio, nulli dubiũ erit mortificationẽ eẽ lõge deteriorẽ inflãmatione, ꝓpterea & trãsmutatio ad mortificationẽ est lõge deterior trãsmutatione ad inflãmationẽ, ꝓpterea & trãsmutatio ad q̃etẽ est lõge deterior trãsmutatione ad motũ. Quarto, motus sup̄flua quę in humano sunt corꝑe euacuat & resoluit, q̃es v̓o sup̄flua gignit & aceruat. At sup̄flua multiplicare deterius est q̃ ea resoluere. igit & trãsmutatio ad q̃etẽ deterior est trãsm̃one ad motũ. Maior ꝓpõ q ex lib. de sani. tuẽ. sumi põt, nã motus sup̄flua resoluit, q̃es v̓o nimia nõ solũ non resoluit, sed ẽt aceruat. Minor manifestissima est, nec ulla indiget ꝓbõne. Deniq̃ ut ex. ij. de sa. tuẽ. colligi põt, q̃es cũ ꝓdest minus ꝓdest q̃ motus. igit & ad quietẽ trãsmutatio minus ꝓdest, q̃ trãsmutatio ad motũ. Idq̃ ex hoc ꝯfirmari p̃t, q̃a q̃es à natura ob motũ iuẽta est, q̃m si hõ in agẽdo nõ fatigaret, & nõ lãguesceret, q̃ete nõ indigeret. nullus enĩ est qui ignoret, opationẽ esse non tm̃ hoĩum finẽ, sed oĩum rerũ quae in mũdo sunt. oĩa enĩ ob aliquẽ finẽ facta sunt, q est aliqua naturalis opatio. nihil v̓o est qđ p̃cipue ob q̃etẽ factũ sit. Nũc disputationẽ illa de polis & cẽtro mũdi & de terra, an finẽ ob q̃etẽ facta, cũ à multis q̃escere puteñ, p̃his disputãdã relinq̃mus, unũ v̓o est, horũ fines nõ esse quietẽ ẽt si q̃escant. Tñ q̃cq̃d ex praedictis inferat rõnibus, hęc est Hipp. snia ab oĩbus fide dignis authoribus cõprobata detrimentũ q̃etis ad motũ in subita mutatione, esse maius detrimento motus ad quietem, tamen multi putant, facta comparatione respectu aliarum conditionum, maius esse detrimẽtũ ex quiete, q̃ ea motu, per alias uero conditiones quantitatem intellige qualitatem, & reliqua eiusdem generis. Si uero rationem petas cur detrimentum sit maius ad motũ q̃ ad quietem, En ex motu fiunt acutiores morbi & detrimẽta ꝑingunt maiora & quae turgẽt. Adde motũ humores exagitare qui obstruebant, & magna inde inducere detrimẽta. Adde motũ uehementer resoluere, et inanitionis morbos parere, qui sunt ꝑiculosiores morbis ex inanitione, q̃n & actio motus est lõge uelocior et uehemẽtior, q̃ actio quietis, & ideo detrimenta infert maiora. Recentiores hoc argumento utuntur. Error qui fit in re quae magis prodest maior est errore, qui fit i re quę minus prodest. at subito mutatio ad motũ est error in re quae magis prodest, quoniam simpliciter loquẽtes motus magis prodest q̃ quies, igitur subita mutatio à quiete ad motum magis obest, q̃ subita mutatio de motu ad quietem. Reliquum est argumenta quę oppositum probant dissoluere. Inflammatur nanq̃ uehementer homo & accenditur, quãdo subito à quiete in motũ conuertitur. in quiete uero hoc non fit, sed potius omnia sedantur.

Ad primum minor ꝓpositio absurda est. s. mutationẽ ad quietem magis obesse, q̃ ad motum. ad probationẽ dicimus à motu generari quidem morbos calidos, & à quiete frigidos, tamẽ calidi sunt frigidis periculosiores, nec id obstat quod de iudicationibus est, quoniam & si magis certae sint acutorũ iudicationes, per hoc tñ non sunt magis securae. non enim dixit Hippoc. esse certas salutis iudicationes, sed inquit & salutis & mortis. Ad scđm, & si naturalr in motum inclinemur, tñ non seq̃tur nocumẽta ad motũ debere esse minora, q̃ ad quietẽ. Adde & nos ẽt in quietem post motum naturaliter inclinari, unde ultima illa ꝯsequentia non conuenit, transmutatio ad motum est magis naturalis q̃ ad quietem. igitur magis obest transmutatio à motu ad quietẽ, q̃ à quiete ad motum, quia motus ut superius uisum est maiora inducit, & uehementiora discrimina. Ad tertiũ, scito et si subita mutatio terminus sit cõis tã ad motũ q̃ ad q̃etẽ, in his duabus ꝑmutationibus, tñ actio & effectus q sequit, cõiter et eodẽ mõ nã accipit, nã subita mutatio motui ꝯtinẽ cia, & q̃ in motũ terminat, detrimẽta magis auget, q̃ faciat subita mutatio ad q̃etẽ, un̄ minor negãda ẽ. Ad ꝓbõnẽ dicimus, nõ tã facile q̃etẽ q̃ ẽ priuatio naturalẽ calorẽ mortificare. ad motus facile eũdẽ calorẽ uehemẽtissime auget et iflãmat atq̃ accẽdit. Ad quartũ, & si motus aliquid boni faciat ut hoc sup̄flua resoluere, tñ lõge maiora sunt detrimẽta q̃ facit, ut supius uisum est. unde ad minorẽ dicimus. & si sit deterius sup̄flua aceruare, q̃ resoluere, & in hoc casu q̃es sit motu deterior, tamen in multis alijs prius dictis motus deteriora parit q̃ quies.

Ad ultimũ dicimus motũ magis obesse q̃ q̃etẽ, i casu trãsmutationis de motu ad q̃etẽ cũ subito fiũt. ad id v̓o q̃ q̃es sit iuẽta ꝑp motũ, fatemur. sed de hoc i p̃ntiarũ nõ disputat, sed solũ de trãsmutatione q̃ fit, q̃nã sit tutior, illa v̓o tutior quae minora fiert nocumẽta, ut trãsmutatio de motu ad q̃etẽ, q̃ de q̃ete ad motũ. De hac aũt consideratione circa quietẽ & motum forte ambiges an fieri debuit, nã fieri nondebuisse uidetur, quia tũc opus fuisset unũ eligere, & aliud euitare. at electio & euitatio in necessarijs fieri nõ possunt & in impossibilibus, nã frustra esset electio, & euitatio frustra, quia necessaria non possunt aliter se habere, impossibilia fieri nõ possunt. unde ab Aristotele i ethicis dictum est, nullũ eligere illũ esse captũ, quia est necessariũ, & nullum euitare illũ esse captũ, quia hoc est impossibile. Ad ꝓpositũ uero in hac ꝑmutatione quę fit de motu ad quietẽ subito factũ est necessariũ, & paulatim factũ est impossibile. igit in electionẽ nõ cadũt, neq̃ i euitationẽ. ꝓbamus uero subito factũ & paulatim factũ talia esse, nã motus et q̃es sunt ꝯtraria ex his q̃ imediata uocant. ꝓpterea si à motu ad quietẽ, uel è ꝯtrario fiat transmutatio, necessariũ est esse subitã, cũ inter motũ & quietẽ nõ detur mediũ. & iposibile est paulatim fieri, nã ab uno discedẽtes i aliud imediate igredimur, at qđ imediate fit, paulatim nõ fit. In his igit nõ potest eẽ electio, ut hoc paulatim fieri dẽat, & euitatio, ut debeat fieri subito, quoniã potius eligendũ esset (nisi esset necessariũ) subito fieri debere, q̃ paulatim fieri debere. id. n. ẽ impossibile. Dicamus nos hãc cõsiderationẽ esse penitus medicã, & ab omni approbatã authore. Ad argumentũ uero cõcedimus hoĩem semꝑ uel moueri uel quiescere; itaq̃ nõ adesse simpliciter mediũ iter motũ & quietẽ, tñ si uehemẽtẽ motũ & oĩmodã q̃etẽ ꝯsideremus, inter motũ et q̃etẽ mediũ assignare poterimus, quoniã uehemẽs motus remissũ habet motũ remississimũ tãq̃ mediũ ad motũ uehemẽtissimũ, nã cũ de subita mutatione de q̃ete ad motũ, & è ꝯtrario disputatio fit, de q̃ete ꝑ cõparationẽ ad motũ uehemẽtissimũ itelligit, & nõ ad motũ paruũ, q̃a si esset ad motũ paruũ, nihil dispẽdij itercideret, sed oẽ eẽ ἀθρόως. i. subito & uniuersim factus. mediũ uero iterci dit inter q̃etẽ & motũ hoc mõ itelligẽtes si q̃s ꝓbe ꝯsideret, & ideo i electionẽ cadũt, et i euitationẽ, quoniã mediũ hñt ita itelligẽtes. et qđ dico de q̃ete ad motũ, idẽ itelligo de motu ad q̃etẽ.

GALENVS.

Qđ primũ oĩum demõstrare decreuerat, id de subitis in uẽtre mutationibus fuit. deinde ab hoc ad generalius, qđ & uni-

uersalius dicũt, transiens, de repẽtina oĩ ꝯsuetudinis mutatione hucusq; ꝑcurrit. Nã cũ spãlior a in gñalioribus, & particularia in ulibus ꝯtineanẽ, uẽtrisq; ꝑmutatio cũ subita oĩuз mutatione demõstrata sit, nũc rursum ad uẽtrẽ reuersus, mutationũ quæ in eo fiũt differẽtias edocet. Atq; lõge grauiorẽ in uictus mutatione esse læsionẽ, cũ ex multa iedia repẽte plus modico ingerũẽ, q̃ si ex multo cibo ad iediã trãsmutatio fuerit. Sĩle huic fieri in toto corpore deprehẽdiẽ. Nã minus lædunẽ q ex motione ad quietẽ subito transeũt, q̃ q ex quiete ad motionẽ demigrãt. Rursum & hoc in loco ꝑmutationis intẽpestiuę emẽdationes correctionesq;, uelut & in ꝑmissis adscripsit, q̃q; id ad p̃ntẽ nõ uideaẽ ꝑtinere speculationẽ. Quæ aũt adscripsit, hæc sunt: Qui ex motu qdẽ, actioneq; in otiũ, segnitieq; trãseũt, eos ἐλλινύειν. i. cessare, & toto quiescere corpe p̃cipit: qđ idẽ huic sñiæ existit: ubi fames, laborãdũ nõ est. Verũ q ex multa fatigatiõe ad qetẽ trãseũt, eos pauciora igerere iubet, qđ est et uẽtriculũ qescere. Qm̃ q toto corpe nõ laborãs, ꝯsueta igeret, is multitudinẽ subalet. qua efficiẽ rõne, ut totũ corpus grauẽ, laborẽq;. πόνος. i. labor, nunc Hippocrati lęsionem indicat, multis particularibus læsionibus genus existens.

BRASA VOLVS

Primo, Gal. notat primũ qđ sibi ꝓposuerat Hipp. ꝑtractãdũ, fuisse de subitis in uẽtrẽ mutationibus, tñ ob hanc deinceps occasionẽ ad gñalius et ulius trãsiẽs, de oĩ repẽtina ꝯsuetudinis mutatione hucusq; ꝑtractasse, nẽpe cũ magis spãlia in gñalioribus, & particularia in uniuersalioribus ꝯtineanẽ, & uẽtris ꝑturbatio, quę est particularis cum subita oĩum mutatione quę generalis est, demonstrata sit, nunc itẽ ad uẽtrem rediens Hippocrates, mutationum differentias edocet quæ in illo fiunt. Secundo, Galenus ad Hippocratis sentẽtiam enucleãdam descendit, inqẽq; in uictus mutatione esse longe grauiorem lęsionem, cũ ex multa inedia, repente plus modico insumiẽ, q̃ si ex multo cibo ad inediam transmutatio fiat, similẽq; huic deprehendiẽ in toto fieri corpore, qm̃ qui ex motione ad quietem subito transeũt, minus lędunẽ, q̃ qui à qete ad motũ trãsmutanẽ. Tertio, Galenus notat Hippocratem & hoc in loco, ꝑmutationis intẽpestiuæ emendationes & correptiones adscripsisse, sicuti & prius fecit, q̃uis id ad p̃ntem non uideaẽ spectare ꝯtemplationẽ. At quę ab Hippocrate dicunẽ, hęc sunt quę sequunẽ. Quarto, Gal. correctiones illas refert, inquẽs illos q ex motu & actione ꝯsueta in otiũ trãseũt, atq; segnitiẽ, ἐλλινύειν. i. cessare & toto corpore qescere oportere. hoc aũt idẽ est cũ illius Aph. sñia, ubi fames, laborãdũ nõ est, uerũ et q ex multa fatigatione ad qetẽ trãseũt, pauciora igerere debẽt, qđ est & uẽtriculũ ip̃ qescere. nẽpe siqs toto corpore nõ laboret, & ꝯsueta igerat, hic multitudinẽ aceruabit, uñ opus est totũ corpus grauari & laborare. utiẽ hic Hipp. uocabulo πόνος. i. labor pro lęsione, accipiẽs ipsum tanquam genus ad multas particulares læsiones.

Sed petes, q̃uo hoc sit idem cũ illius Apho. sentẽtia, ubi fames laborãdum nõ est, nã dicere ex motu in otiuз trãsire, oportere cessare, & toto corpore quiescere, nihil uideẽ hẽre affinitatis cũ illo ubi fames, laborãdum nõ est. R̃ndemus, uel hoc referendũ est ad uẽtriculũ, qui oз et ipse à sua actione quiescere ubi adest fames. uel intelligamus ubi qs laborauerit famẽ incidere, cũ uero famẽ incidit, debet à labore cessare, ꝓpter incõmoda corrigere uolẽs quæ fiebãt, qñ ex longa defatigatione ad otiũ defecerit, ingt, ubi motus factus sit uehemens, qa famem inducit, si corrigi debeat, nõ debet laborare, qa ubi fames, laborandũ nõ est. uel intellige aliqd in cõmẽtatione deficere, ut primo sit sensus qui ex motu trã seunt in segnitiem, ut corrigaẽ, debẽt toto corpe cessare, postea desit sermo de uẽtriculo, q sit qñ uẽtriculus fuerit defatigatus, qescẽdũ, qa ubi fames, laborandũ nõ est.

## Hippocrates. Sectio LIIII.

De mutatione quæ in hæc uel illa fit, plurima sum locutus, q̃ re uera hæc nouisse cõmodissimum sit, cum ad omnia, tum ad id de quo nunc agiẽ. Nam & in morbis acutis ex uaſorũ inanitione ad sorbitiones transiẽ. Trãseundum quidem præcipio ego, sed sorbitionibus haudquaq; utẽdum prius q̃ morbus ad maturitatem ꝑductus fuerit, aut signũ aliqđ aliud apparuerit, ut in intestinis uacuatorium, uel ꝑritatorium uel hypochondrijs qualia scribenẽ signa.

BRASA VOLVS

Iterum Hippocrates uidetur in unam ueluti summam totam disputationem complecti, qua hãc subitam & uniuersim factam mutationem reprehendit, & in mutationibus quæ in ipsis fiunt morbis loquitur. Est uero huius partis breuis sentẽtia hæc. De mutatione quæ in hæc uel illa fit Hippocrates inquit, quantum sit in ratione uictus, plurima sum locutus, & ꝑfecto hæc nouisse commodissimum & conuenientissimum est, si recte regere ægros cupiamus. Est uero conuenientissimum ad omnia, & ad id potissimum, de quo nunc ageẽ. Equidem non solum in sanitate fiunt transitus, sed etiam in morbis acutis fit transitus ex inanitione ad sorbitiones, & hic transitus potest fieri ἀθρόως & paulatim. & hos transitus exercebant antiqui, sed & ipse Hippocrates iubet transeundum quidem, sed non temere & quocunq; tempore, ut faciebant antiqui. Iubet enim neminem debere uti sorbitionibus prius q̃ morbus perductus fuerit ad maturitatem, uel si non sit morbus ad coctionem deductus, saltem aliqđ signum apparuerit, quod non cogat exhibere uictum, ut est uirium imbecillitas, quæ facta sit uel ob euacuationem quę ab intestinis procedat ob aliqđ euacuans, uel ob aliquid qđ proritet, uel sint signa aliqua in hypochondrijs, de quibus aget. hæc uero signa in particulari huius sententię expositione referemus, quam nunc aggrediemur.

ἤδη οὖν πλεῖστος μοι λόγος γέγονε περὶ μεταβολῆς τῆς ἐπὶ τά, καὶ ἐπὶ τά. i. iam igẽ plurimus à nobis factus est sermo de mutatione ad hæc & ad illa. hoc ad præcedẽtem referaẽ sñiam, in qua loquebaẽ de mutatione ad motũ & quietẽ, ad inanitionẽ & repletionem, uel simplr ad oĩa supradicta referaẽ, de oĩ mutatione quæ fit ἀθρόως. i. repente, & uniuersim.

ἐς πάντα μὲν οὖν εὔχρηστα ταῦτ᾽ εἰδέναι, ἀτὰρ καὶ περὶ οὗ ὁ λόγος ἦν. id est, ad omnia etenim utile est hæc scire, præsertim ad id de quo nunc sermo erat. Aliqui intelligunt ea quæ dicta sunt ualere ad omnes ægritudines recte regendas, & ualere ad id quod nunc aget, uel ad id qđ agebat, ad morbũ. s. lateralem, de quo agebat, tanq̃ oĩum acutorũ morborũ exẽplo. uel sensus est: Scire ista ualere ad oĩa quæ ita mutanẽ, sed potissimũ ualere ad illa, de qbus sermo est. ut huius sentẽtiæ notitia subitas mutationes obesse, ualeat ad oẽ negotiũ, & potissimũ ualet ad hoc nostrum propositum, quod nunc intendimus.

ὅτι ἐν τῇσιν ὀξείῃσι νούσοισι ἐς τὰ ῥοφήματα μεταβάλλουσιν ἐκ τῆς κενεαγγίης. i. q̃ in acutis morbis ex uasorũ inanitione ad sorbitiones mutãt. hic erat Hipp. tpe mos publicus, quẽ & nũc seruãt. primo, exinaniebãt ægros inedia, postea repẽte qñ ꝯueniebat abstinẽtia, sorbitiones dabant. hoc uero Hippocrati nõ placet, qui potius iubet primo aliqd dandum, postea nihil penitus cum morbus in summo uigore consistet.

μεταβλητέον γὰρ δὲ ἐγὼ κελεύω. i. mutãdũ enĩ & ego illud iubeo, nõ negat Hipp. faciẽdas esse mutationes ĩ morbis acutis, imo fieri iubet, sed cõmode, & in tpe, nõ absq; ordine & rõne.

ἔπειτα οὐ χρηστέον ῥοφήμασι πρὶν ἢ ἡ νοῦσος πεπανθῇ. i. nẽpe sorbitionibus uti nõ dẽmus prius q̃ morbus ad maturitatẽ ꝑuenerit. Si ṽo dicas, Cũ de morbis acutis loquaẽ Hipp. & morbi acuti i. xiiij. diebus terminenẽ, supponimus unũ esse ex his q dẽnt in xiiij. diebus terminari, & morbus nõ erit añ hoc tp̃s maturus. in hoc casu ꝑfecto sorbitio ad tantũ tp̃s nõ erit tardãda, nisi uelimus fame hũc necare. R̃ndemus, semp intelligẽdũ esse si uires sint satis, ut supius dicebaẽ, uerũ in tanto tpe nõ essent satis. Et cũ exemplũ in acutis morbis ab Hippocrate deẽ in pleuritide, quæ in septimo uel in nono sæpe terminatur, propterea ad hunc morbum respectum habens, dixit non esse dandam sorbitionem nisi post maturationem quæ cita sit, tamen & in hoc casu semper uires considerandæ sunt, an sufficiant, quia il-

hæ sunt metrum & uera ipsius cibationis mẽsura, unde in summa hæc est una exhibendi sorbitionem conditio quando morbus maturus fuerit. Sunt aliæ conditiones quæ dare cogunt, quales illæ quæ sequuntur.

ἢ ἄλλο τι σημεῖον φανῇ. id est, uel aliud quoddam signum apparuerit, quod sorbitionem exhibere nos cogat, quam nondum exhiberemus, nisi hoc signum appareret, quia coctio nõdum facta est. hoc uero signum potest esse unum defectus, qui ad affectus sequitur consequentes.

ἢ κατὰ ἔντερον κενεαγγικὸν ἢ ἐρεθιστικόν. id est, uel circa intestina uacuatorium, uel proritatorium. nam ex euacuatione uires redduntur imbecillæ, quando est superflua euacuatio, & si aliquid sit quod proritet, uires imbecillæ redduntur, si adeo proritet ut multa educantur. Quæ uero sint ista, in Galeni cõmentatione dicemus.

ἢ κατὰ τὰ ὑποχόνδρια ὁκοῖα γεγράψεται σημεῖα. id est, uel circa præcordia qualia scribuntur signa scilicet apparuerint, quando circa pręcordia apparent signa quæ ostendunt usque in morbi inclinationem non esse abstinendum, tunc dãda sorbitio. Si uero petas quænam sint signa, Galenus notat esse, quando præcordia nimis exaruerint, & squallida admodum sint, nam hæc siccitas & squalliditas in facie apparent etiam mortifera. hoc uero signum notat abstinendum non esse à sorbitione.

Forte petes, in quo apud Hippocratem loco hęc signa in pręcordijs dicantur. Respondere possemus, hoc esse in quarto libro, si illum perfectum haberemus, nam plerunq; & in nonnullis sententijs Galenus iudicat non esse Hippocratis. uerum quia erat scripturus Hippocrates, uel forte scripserat librum, in quo omnes acutos morbos speciatim tractabat, propterea in illo hæc erant scribenda, & forte illa scripsit Hippocrates, uel forte hæc sunt dicta in tertio libro, ubi de aqua mulsa loquebatur, & dicebat, Neq; enim præcordiorum ardorem extinguit, & quod uiscera in præcordijs lædit, forte hic est locus in quo de his mentionem facit. uel intelligamus hæc in libris prognosticorum dicta esse. Et si dicas librum prognosticorũ hunc de ratione uictus in acutis præcedere, quomodo igitur dicet in futuro hæc signa in præcordijs, quia iam sunt dicta? Respondemus, Hippocratem in Aldino contextu in pręterito legere, nam dicit γεγράφαται, & non γράψεται in futuro, propterea referri potest ad ea quæ superius dicta sunt, tamen putamus Aldinum codicem mendosum esse, & non debere legi γεγράφαται, sed γράψεται in futuro, ut postea in commentatione habetur. & si esset in Aoristo potius esset ἐγράφητο.

GALENVS.

Rursum sermonem totũ in summam unam coegit Hippocrates. In habentibus quidem similiter uictum, haud quaq; permutare præcipiens, uerum in his qui ex sanitate ad morbum transeunt pmutare quidem, non tamen ut cæteri permutant. Deinde compendio quodam uictus scopum in acutis morbis declarauit. Nam si morbus maturuerit, transeundum ad cremoris ptisanæ exhibitionem præcepit: & si adhuc crudus fuerit, non trãseundum, nisi forsan symptoma aliquod, quod uires prosternat, apparuerit, ut uel uacuatio uentris immodica, uel aliud quippiam quod proritet. Communi autem proritationis nomine comprehendit omnia, quæ quouis modo uirtutem ad infirmitatem agunt: quo in numero censentur & morsus quem acris humor, siue in intestinis, siue in uentriculo, & præsertim ipsius ore parit, & uigiliæ, & ira, & mœror, & lumbrici elmyntes, qui ab intestinis ad uentrem usq; ascendunt, et cutis totius, aut membri alicuius qui nocte aggrediatur pruritus: ita ut uirtus non solum ob irritationem, uerum quoque & propter uigilias exoluatur. Præterea inquit: Vel in hypochondrijs qualia scribentur signa. Nam & ipsa dandã uel non dandam commonstrabunt alimoniam. Fieri siquidem potest ut intelligatur utrunq; sed alterum magis pro sermonum intelligentia. Nempe præcipiens à ptisana abstinendũ ante morbi maturationem, cum scilicet ęger sufficere possit, adiecit: Nisi signum aliquod apparuerit, uel in intestinis uacuatorium, aut proritatorium, uel hypochondria qualia scribentur. tanquam hæc cremoris exhibitionem ante morbi maturitatem admoneant. Forte hypochondria dicit, quæ uehementer exaruerunt, & squallida admodum existunt. Talia nempe contingunt & mortiferę faciei, de qua in prognostico dixit: Nares acuta, oculi concaui, & collapsa tempora. Nempe is signorum cõcursus hypochondrium habet ita compressum, ut quempiam ex inexercitatis fallat, tanquam reuulsum uideatur. Verum distendi uehementer ob siccitatem, & ꝓpter phlegmonem reuelli idem non sunt, quanquam exuperans corporis siccitas tensionem septo transuerso & hypochondrio pariat maiorem. Sed maxime animaduertas, distinguasq; à siccitate phlegmonem, quando sanatio non una sit, oportet. Nempe qui hoc ipsum ob phlegmonem habent, tenui egẽt uictu: qui uero ob siccitatem, ptisano, ubi sæpiuscule paucũ exhibemus ptisanæ cremorem.

BRASAVOLVS

Primo, Galenus notat Hippocratem sermonem totum in unam coegisse summam, non permittit uero in his permutare qui habent similiter uictum, hoc est in sanis, sed in his permutare uult qui à sanitate ad morbum transeunt, tamen non iubet permutationem faciendam ut alij iubent, sed ut ipse & superius præcepit, & etiam præcipiet. Antiqui enim primis diebus ægros macerabant inedia, postea sorbitionem exhibebant quando non erat danda scilicet prope uigorem.

At hunc morem non uult seruandum Galenus, imo innuere uidetur hominem quando est sanus non mutare suum regimen. At id uidetur contra Hippocratem in secundo Aphorismorum, ubi iubet transmutandos esse & ad insueta homines sanos, imo & in sanis secundum ætatum mutationes & temporum anni, uictus ratio debet mutari. in æstate frigidioribus & humidioribus uti debemus, in hyeme calidioribus & siccioribus. & uberius de ætatibus à Galeno in libro de sanitate tuenda, quòd diuerso uti debeant regimine probatur. Respondemus, in sanis uniuersale regimen non mutari. Est uero uniuersale regimen sani temperiem per similia conseruare, propterea in quacunq; ętate & tempore debemus per cibos & potus proprios conseruare sanum in sua sanitate & temperie. tamen particulare regimen in sanis mutatur, ut ætates sunt uariæ & anni tempora. itaque particulares cibi uariabuntur, sed uniuersalis intentio ad temperiem seruandam non uariabitur, sed eadem semper permanebit. Vel Galenum intelligamus in habentibus similiter uictum haudquaquam permutare, ut nõ solum sanos intelligat, sed oẽs qui se habent in una dispositione similiter, ut sint sani, uel ęgri, modo de uno in aliud non trãsmutentur. uel si id in sanis intelligamus, dicamus non intelligere ut semper eadem comedant, & in uictu regulam seruẽt, sed quòd tantum sanorum uictum seruent.

Secundo, Galenus notat Hippocratem compendio quodam, uictus scopum in morbis acutis declarasse, et pręcepisse si morbus maturuerit, tunc transeũdum esse ad cremoris ptisanę exhibitionem. at si morbus adhuc crudus fuerit, ad hunc cremorem transeundum non est, nisi forte symptoma aliquod appareat ex his quæ uires prosternunt, qualia sunt uel uetris immodica euacuatio, uel aliud quippiam quod proritet.

Tertio, Galenus exponit quid hoc intellexerit loco per proritationem, inquiens, quòd per hoc commune nomen ꝓritatio, omnia intelligit quę quouis modo uires ad imbecillitatem trahunt, in numero quorum esse iudicãtur & morsus, quem acris humor siue in intestinis, siue in uẽtriculo, & potissimum in ore uentriculi gignit, & uigilia, & ira, & mœror, & lumbrici nuncupati elmyntes, qui ab intestinis ad uentrem usq; ascendunt, & totius cutis pruritus, uel alicuius membri quod nocte aggrediatur, ita ut uires non solum ob irritationem, sed & ob uigilias exoluantur.

Ira & mœror uires ꝓsternunt, q̃a multi resoluũtur spiritus, & lumbrici idem efficiũt, tũ ob stimulationem, q̃a pungunt intestina, & os uentriculi, & multi spiritus resoluunt, tũ q̃a sunt ex quadam uenenosa materia. elmyntes ũo sunt uermes teretes cões, quos quotidie pueros uexare uidemus, & ob ipsos uires

mire

mire prosternuntur, imo & plures etiam mori. De his abunde Aphorismo quadragesimo sexto tertij libri locuti sumus. Nec tibi mirum sit, quòd pruritus faciat imbecillitatem, quando uigilias inducit, uigiliæ uero exiccant corpora, & uirium inducunt imbecillitatem.

Forte ambiges, hæc quæ in præsentiarum ab Hippocrate & Galeno dicuntur, talia esse, quæ sint causa ut debeat dari ptisana, quæ alioqui non daretur. uerum superius Sectione. 46. docuit medicum debere cognoscere, quando deficiunt uires ob morbi acumen, ob dolorem, uel uasorum inanitionem, quando est ob uasorum inanitionem tūc dandus cibus, sed cum est ob morbi acumen, uel dolorem, tunc non est dandus cibus, tamen ipse hic iubet dandum cibum, quia omnia hæc quæ dicit esse proritationes, multa capiunt quæ sunt morborum symptomata, uel acuties morborum, quibus non conuenit cibus. Respondemus, symptomata hæc dupliciter uirium casum inducere possunt. primo, naturam ipsam occupando, ne aliud agere possit, sed tota circa talia symptomata insistere cogatur, & tunc cibum dare non est opus, quoniam à natura morbus relinqueretur, & symptomata ipsa relinquerētur, ut suam actionem ad cibos conuerteret, & tunc symptomata augerentur. possunt & illa symptomata considerari, & morbi acuties, ut simul spirituum resolutio dissoluitur, & in hoc casu cibum dare possumus, neq; inconueniens est.

Quarto, Galenus particulam illam in sententia ab Hippocrate positā exponit, quę dicebat, uel in hypochōdrijs qualia scribentur signa, quoniam hæc signa dandum & non dandum cibum ostendunt. Intelligi potest, & dandum, & non dandum. Sed si sermonem consideremus, alter sensus est accipiendus, & non uterq; nam præcipiens ante morbi coctionem à ptisana abstinendum, cum scilicet æger ferre possit, addidit, nisi signum aliquod apparuerit, uel in intestinis uacuationum, uel proritationum, uel hypochondria, qualia scribentur, ac si ista admoneant ante morbi maturitatem, medicum debere præbere cremorem. At forte per hypochondria illa intelligit uehementer arida & squallida, hanc uero ariditatem & hunc squallorem contingere deprehēdimus & faciei mortiferæ, & à multis nominatæ Hippocraticæ, de qua ita dixit in prognostico, Naris acuta, oculi concaui, & collapsa tempora, quando omnia hæc signa concurrere uidebimus, quę futuram indicant mortem, uidebimus simul compressa esse hypochondria, quę compressio est ex uehementi ariditate. Hinc multi ignari decipiuntur putantes hanc partem esse reuulsam. sed hoc fieri non potest, quoniam idem comprimi uehementer ob siccitatem et ob phlegmonem reuelli non sinit, quamuis siccitas corporis exuperans, maiorem pariat tensionem septo transuerso & hypochondrio. uerum tu maxime distinguere debes phlegmonem à siccitate, quoniam sanatio non est una, & uictus ratio est diuersa, quia qui hoc habent ob phlegmonem uictu tenui egent, qui uero habent ob siccitatem contrario egent. imo sæpiuscule exhibemus paucum ptisanæ cremorem. unde Galenus per signa in hypochondrijs siccitatem hypochondriorum intelligit, quæ hominibus contingit quando habent & alias aridas partes, ut sint propinqui morti, & habent nares acutas, & oculos concauos, & reliqua. propterea cum hæc signa in facie uidebis, si hypochondria considerabis, tensa esse & arida deprehendes.

A' Galeno dicitur, hæc hypochondriorum signa utrunque significare posse scilicet & dandum esse cibum, & non esse dandum. sed hoc uidetur absurdum, quoniam duo opposita ab eodem signo significari non possunt. Respondemus, hanc hypochondriorum dispositionem à duplici causa fieri posse, & ab exiccatione, & ab abscessu, unde ratione diuersarum causarum possunt diuersa significari, ut hæc sit una dispositio, quantum sit de sui essentia, sed si ad suam causam comparetur, non est una, sed diuersa, uel erant hæc in diuersis ægris uera.

Quod legitur, sed alterum magis pro sermonum intelligentia, græce est μᾶλλον μέν τοι τὸ ἕτερον, ὅσον κατὰ τὴν τῶν λόγων ἀκολουθίαν.

## Hippocrates. Sectio XLV.

**Fortis uigilia, potus ciboscʒ tum crudos, tum incoctos reddit, uerum ea quę in alia fit transmutatio, corpus dissoluit, excoctionemq; & capitis grauitatem parit.**

Vocat Galenus hanc sententiam incompositam, & præter suum ordinem enarratam, & reuera incompositam, quoniam partes non rectè applicātur, extra ordinem, quia superius erat ponenda. tamen quicquid sit, ea mutatione de somno in uigiliam, & de uigilia in somnum multa fieri probat incommoda, quæ etiam enumerat, inquiens, mutationem subitam ex somno in fortem uigiliam reddere cibos quos insumimus & crudos & incoctos naturali calore ad circumferentiam uergente, & partes in quibus fit coctio, relinquente. at transmutatio quę fit in oppositum scilicet ex uigilia in somnum, corpus dissoluit, & excoctionem parit, capitisq; grauitatem. hæc uero non tantū fiunt in subitis mutationibus, sed simpliciter in somno pręter modum, & in uigilia præter modum. BRASAVOLVS

ἀγρυπνίη ἰσχυρὴ πόμα καὶ σιτία ὠμὰ καὶ ἀπεπτότερα ποιέει. id est, uehemens uigilia potus & cibos crudos & incoctos facit, unum significat maiorem, aliud minorem cruditatem.

καὶ ἡ ἐπὶ τὰ ἕτερα αὖ μεταβολὴ διαλύει τὸ σῶμα καὶ ἑφθότητα καὶ καρηβαρίην ἐμποιέει. id est, & rursus illa quæ in alia fit transmutatio dissoluit corpus, excoctionemq;, & capitis grauitatem parit, est uero in alia transmutatione, transmutatio illa quæ fit à uigilia in somnum.

Si uero primo dubites, quia ab Auicenna libro primo, fen secunda, doctrina secunda, summa prima, capite tertio, somnus quieti comparatur, & uigilia motui, uultq; somnum omnes naturales operationes fortiores reddere, quia calorem continet innatum. Si uero uigilia motui comparetur, motus uero coquit cibos potusq;. Id igitur absurdum erit, uigilias reddere cibos & potus crudos. Et de somno erit absurdum quòd corpus dissoluat, imo actiones fortiores reddit.

Respondemus, Auicennam loqui in sanis & non in ęgris, comparatq; uigilias motui, tum ob caloris contractionem, tum quia motus est actio quædam, qui uigilant sunt in motu continuo. De somno uero id proculdubio sensit quòd actiones naturales fortes efficiat, quia calorem innatum intus continet. At uires animales laxat, quia cordis uias humectat, & spiritus substantiam turbidam efficit, & id resolui prohibet quod resolueretur. unde & Hippocrates inquit dissoluere corpus, quia uim animalem dissoluit. Quòd uero corpus turbidam spiritus substantiam reddat, causa esse potest humorum mistio atque ebullitio, & ideo Aristoteles in libro de somno & uigilia inquit, expergefactionem fieri, quando fit sanguinis tenuioris à crasso distinctio & segregatio, nempe tenuis sursum mittitur, crassius deorsum.

Et si petas, quomodo uias cordis laxet, ut Auicenna dicebat, scito id fieri, quia ex nutrimenti euaporatione ad cerebrum ascendente, circa principium neruorum fit obstructio, unde caloris defluxio à primo principio, id est corde ad cerebrum prohibetur, & eam laxat, quia neruorum principia laxat, uel uiæ à corde ad cerebrum, quæ sunt arteriæ & uenæ impediuntur ob uapores qui ascendunt eleuatos à cibis sumptis, & has obstruunt partes, corpus igitur dissoluit.

Sed nunc potissimum de repentino somno post uigiliam facto sermonem habet, imo & in ægro, quamuis & in sano intelligi posset, & ita simpliciter scriptum esset, quisquis in seipso expediri potest ex somno potissimum meridiano, lassitudinem quandam circa corpus induci, quam puto hic uocasse Hippocratem διαλύειν, id est dissolutionem. Excoctionem uero facit, quia naturalis calor contractus intensior effectus

est,& humentior.

**GALENVS.** Sæpius existimaui librum hunc in typis repertum, post mortem Hippocratis esse publicatum. Non secus etenim quàm hoc pacto facta esse uidetur inordinata sermonum compositio. Nam quæ ab Hippocrate inueniebantur exempla, hæc in libro ad fidem uniuersalem scripta sunt, alia quidem in facie, alia in tergo. Neque enim unicuique, tum adscripto, tum addito suum assignare ordinem potuit. Ergo quod ab Hippocrate in præsentiarum dicit, id manifeste tum incompositum, tum inordinatum existit. Neque enim hoc in loco ascribendæ rei huius occasio fuit: quanquam bene paulo ante, cum de ea quæ præter consuetudinem ad contrarium fit mutatione exempla scripsit. Nempe illis adscribi debuit. Quæ etenim ad uigiliam insueta fit mutatio, crudiores tum cibos, tum potus efficit. Ad somnum uero multum, eumq; studio quodam accersitum, segnitiem corporis,& capitis grauitatem. Si enim dixit ἐφθίτητα, id est excoctionem,& dissolutionem,& capitis grauitatem, uerbo uno coniunctam, comprehensamq; manifestat roboris exolutionem. Commonstrat autem & nomen ἐφθίτητος, id est excoctionis, quæ ob calidam humiditatem fit, non ob siccitatem. Nempe uigilia per habitum digerere & siccare, non quæ in imo sunt coquere nata est: somnus uero humectare, spiritumq; & effluuia cohibere. Non igitur absque ratione in eorum qui plurimum præter consuetudinem dormiunt corpore halituosa redundant excrementa: atq; ob eam rem tota ipsorum constitutio excoctis similiter exoluta redditur.

**BRASAVOLVS.** Primo, Galenus notat se plerunq; existimasse hunc librum fuisse in typis repertum, & post Hippocratis mortem publicatum, quem tamen ipse non publicauerat, nam nondum erat optime digestus, & ab Hippocrate ordinatus. uidemus autem in pluribus esse inordinatum, propterea existimat Hippocratem multa scripsisse in fronte, in tergo,& in medio, quæ postea ordinasset, nisi fuisset morte præuentus. uerum omnia illa à scriptore ut inuenta sunt, fuere scripta,& non fuere in suum ordinem posita. hinc præsens sententia quæ hic ab Hippocrate dicitur,& incomposita est & inordinata, cum non esset hic locus de hac scribendi re, neq; ulla habebatur hæc pertractandi occasio. At fuisset hæc sententia conuenienter locata, si illam superius posuisset, cum exempla scripsit illius mutationis quæ fit præter consuetudinem ad contraria. erat igitur eo loco scribenda sententia,& nõ isto, tamen cum illam hic posuerit, eam hic exponamus.

Secundo, Galenus ad sententiæ expositionem transit, inquiẽs, Mutatio quæ fit ad insuetam uigiliam crudiores & cibos efficit & potus, mutatio uero quæ fit ad multum somnum, & potissimum si studio quodam hunc somnum quæramus, segnitiem in toto corpore gignit & capitis grauitatem. nempe si dixit ἐφθίτητα, id est excoctionem,& dissolutionem,& capitis grauitatem uno uerbo coniunctam & simul comprehensam demonstrat roboris dissolutionem. Id uero etiam ostendit nomen ἐφθίτητος, id est excoctionis, fit uero excoctio ob calidam humiditatem, ut superius disputatum est, & non ob siccitatem.

Quod legitur roboris, græce est τοῦ τόνου, id est toni & tensionis, quæ & si in robore consistat, tamen aliud quid importare uidetur à robore distinctum.

Tertio, Galenus notat uigiliam per halitum digerere & siccare, propterea ea digerit & siccat quæ sunt in superficie. at non est apta illa coquere quæ sunt in imo & corporis profundo, quia calor naturalis in uigilia ad circumferentiam ducitur. At somnus humectat, spiritumq; & effluuia cohibet. non est igitur præter rationem, si in eorum corporibus qui plurimum præter consuetudinem dormiunt halituosa excrementa redundent,& ob id tota ipsorum constitutio excoctis similiter exoluta reddatur.

[illegible]

# ANTONII MUSAE BRASAVOLI

## MEDICI FERRARIENSIS IN TERTIUM DE RATIONE VICTUS IN MORBIS ACUTIS, Hippocratis & Galeni, commentaria & annotationes.

### HIPPOCRATES. SECTIO I.

QVibus autem uinum dulce uinosumq́ & album & nigrum, melicratumq́, & aqua & oxymeli insigniantur · in morbis acutis, distinguere oportet.

### BRASAVOLVS.

QVatuor ab Hippocrate in huius libri initio proponuntur, de quibus hoc in libro acturus est. hęc uero sunt, Vinum, Melicratum, Oxymeli, & Aqua: nec de his simpliciter agit, sed ut ad morbos acutos tantum spectant, quoniam haec in his acutis haud parum distincta sunt, & uario modo exhibentur. Quispiam uero dicere posset, omnia hic ab Hippocrate non referri quę in pręsenti libro tractantur, nam de balneis agit, de quibus nullam hic mentionem facit. nam predicta quatuor solum enumerauit, cum quinque sint de quibus est acturus. Dicendum est, uel sermonem illum de balneis ad aquę tractationem referri, cum balnea ut plurimum ex aqua fiãt, uel illam partem non esse Hippocratis ut quidam censuere. Cuius oppositum Galenus testari uidetur. 42. Sectione huius libri, ubi de his quę post illa de balneis scripsit Hippocrates Galenus dicit, multa esse quę oleant Hippocratis mentem. Et in secundo libro sectione 32. inquit à balneorum consideratione multa quę extant, Hippocratis mentem nõ sapere, & in hoc tertio libro sectione. 15. post balnea inquit esse ambiguum an reliqua sint Hippocratis, Ob hęc cõmodius est tractationem istam de balneis ad aquam referre, nam & statim post aquam balnea sequuntur. Quicquid uero de hoc sit: Hippocrates de uino, melicrato, Oxymelite, Aqua, & balneis agit, à uinóque exorditur. tamen sententiam hanc ueluti procemium quoddam proponit: quo quid acturus sit, referat. Est uero ipsius sententię sensus hic: In morbis acutis distinguere oportet, quibus uiribus insigniãtur, dulce uinum & uinosum, & album & nigrum, et melicratum, & aqua, & oxymeli. Imo considerandum quibus morbis acutis conueniant, & quibus non: ut in morborum acutorum potu, rationis uictus perfecta ratio habeatur: nã potus est magna forte maxima rationis uictus pars. haec igitur omnia conięctanda sunt, & consideranda quando dari debeant, & quando nõ, & qbus dari debeãt, & qbus nõ. nã aliqui acuti morbi unũ ex his exigunt, alij aliud: exacte peracuti puram exigunt & simplicẽ aquã, aut nihil. Alij secũdum gradus alios exigunt potus.

γλυκὺν δὲ οἶνον idest dulce autem uinum. quod erat apud antiquos in maximo precio, si quis Homerum contempletur, qui frequentissime de uino dulci tanquam de optimo inter uina mentionem facit. In Odyssea per uiginti & unam uices uini dulcis mentionem facit, & ter uini suauis, nunquam uero alterius saporis. quod & in Iliade obseruare poteris.

καὶ οἰνώδεα idest & uinosum. Id dicitur uinosum quod minus habet aquę, & plus aquę recipere potest. quod potentissimum est. de quo in Galeni cõmentatione agemus.

καὶ λευκὸν καὶ μέλανα idest & album & nigrum, hi sunt extremi uinorum colores, ex quibus medios subintelligere oportebit: At cum de his in Galeni commentatione acturi simus, nunc supersedere decreuimus.

καὶ μελίκρατον. i. & melicratũ, uel aquã mulsam. pro qua enucleãda, partẽ illã expectabimus, in qua de aqua mulsa sermo fiet.

καὶ ὕδωρ idest & Aquam. quam suo loco perpendere non grauabimur, & eius dotes aperire.

καὶ ὀξύμελι. i. & oxymeli, qđ & ample suo loco ptractabit.

τοῖσι δὲ σημαινομένοισι χρὴ διαγινώσκειν ἐν τῇσιν ὀξείῃσι νούσοισιν. idest quibus conueniant per coniecturam distinguere oportet in acutis morbis. Aliqui sensum fecere. Cum ab antiquis haec uario modo significata sint, nunc à me distingui oportet, quomodo in acutis morbis conueniant, uel distinguenda sint significata ut illa recipiant quę in acutis conueniũt morbis. Quicquid tamen sit, hęc ab Hippocrate distinguenda sunt, ut morbis acutis cõueniũt, uel his signis, quæ. s. sequunt distinguẽda sunt in morbis acutis. Cõtextus quidẽ Grecus legit τοῖσι δὲ συμφερομένοισι. qđ p̃cedenti quadrat interpretationi. Galenus post medium noni libri de decretis Hippocratis & Platonis, ut doceat quomodo sint diuidendę differentię, totum hoc caput de uino ab Hippocrate positum adducit.

### GALENVS.

NOn incomposite solum, inordinatéque, uerũ quoque & diminute uinorum catalogum fecit. Est siquidem una ipsorum differentia in colore: alteram qualitas in gustatu facit: tertia cõsistentiam respicit: quartam odor progignit: & quinta in uirtute reperitur. Quę ergo in colore est, ea album, nigrum, fuluum, flauum, & rubrum dicitur. Verum cum & alię quę medium obtineant, sint differentię, sanè ut in colore, sic in uirtute permistione reperiuntur. Quę autem ex uinorum gustatu est differentia, ea in dulce & austerum diuiditur · & ex his medium, tum quod nullam quę manifesta sit habet qualitatem, tũ quod ex utraque constat qualitate: preterea & in id quod acre appellatur. Verum quę in consistentia reperitur differẽtia, in aquosum secatur, & tenue, & in ualde crassum, & in horũ medium, atque in ea quę medium hoc & extrema interiacent. At secundum eam quę in odore est, alia quidem boni odoris sunt, alia uero non boni odoris existunt, sed ferientem quandam, & insuauem nacta sunt qualitatem: alia nullo pacto odorẽ habent, sed sunt aquę instar inodora. Differentia uero in facultate est, ob quam aliud quidem potens, aliud uero imbecillum, aliud medium, atque aliud quod medium hoc & extrema interiacet. Vinũ potẽs, uehemẽter celeritérque corpus calfacit, caputque ferit: imbecillum contrario agit modo. Quę uero mediũ obtinent, nota euadunt, si ab extremis distinguantur. Potens, uinosum appellatur: imbecillum, aquosum. Nẽpe in quo uinum aquam euincit, id cum in aliquo uehementissimum esse uidebimus, iure uinosum appellabimus. Sicuti & contrariũ aquosum, quod aquę maxime in omnibus simile existit, tenuitate scilicet, & colore: & odoris carentia, & nõ manifesta calfactione. Hę igitur in uinis propriam secundum naturam reperiuntur differentię. Sunt qui his adijciant eam, quę ex tempore desumitur differentiam, qua uetusta quędam sint admodum, alia recentia, & alia quę in medio horum cõsistant. Sed quòd differentię huiusmodi eorũ sint, quę extrinsecus accidant, palàm est. Nempe quatenus tempore acriora & calidiora fiunt uina, atque unà cum his tum colorem, tum substantiam, tum odo-

rem mutant, eatenus differentiam aliquam in uinis tempus facere uidetur. Quòd si nihil horum immutetur, neque ab aliquo uinum uetus dicetur, neque recens. Imo neque; nunc ita dicunt tanquam uini ipsius annis opus prima ratione habẽtes, sed tanquam simul cum annis facultatem cõmõstrantes. Non enim ob tempus uina uel iuuant, uel lędunt, sed ex propriarum differentiarum mutatione id habent. Ergo cum de uinorũ agimus differentijs, temporis mẽtionem facimus per accidens, & non proprie, neque primum. Cęterum inter proprias uinorum differentias quędam iuuant, lędũnque prima ratione, alię non per se, propriéque, sed per accidens. Dulcedo quidem & austeritas propria ratione: sic tum potẽtia, tum imbecillitas, tum tenuitas, tum crassities. Sed differentię quæ tum colore, tum odore desumuntur, non primum, sed per accidens: quoniam uinorum hęc quidem & aquosa, & alba, & fulua, & nigra alia aquosa & inodora ut aqua, uel instar aromatis, unguentíque bene olentia. Si igitur uinorum hę sint differentię, quę & secundum propriã uirtutẽ & per accidens numerenť iam tibi cõstat de eo tũ ordinis, tũ numeri, q in pręsenti dictione sit defectu. At si insequẽtibus oium quę cõmodę sunt, differẽtiarum meminiť se Hippocrates uideť ueniã interexponẽdũ defectis dabimus.

BRASAVOLVS.

PRimo Galenus notat nõ solum Hippocratẽ esse incõposite locutũ, sed & diminute, cũ hic uinorũ enumerat catalogũ. quod nõ solum in hac prima sentẽtia intelligẽdum est, imo & in tota hac quę de uinis agit parte: & si quispiã dicere posset neque esse inordinatũ neque diminutũ, cũ id sibi tãtum instituerit de uinis cõtracte agere: ut ex his diligẽs lector per cõiecturã oĩa q̃ de uinis dicenda essent, eliciat. Secũdo Galenus differẽtias oẽs enumerat, quibus uina distinguũtur. quę quinque genere sunt, nẽpe aliquæ à colore sumunť, aliquę à qualitate quę in gustu sentiť, aliquæ, à cõsistentia, alię ab odore, & aliquę à uirtute. hęc sunt quinque à quibus sumunť uinorũ differẽtię, de quibus & in libro de renũ affectibus dignotione atque medicatione hęc dicit. Sunt tñ uini differẽtiæ, qbus discernať: inter quas prima est quã color exhibet: secũdam prębet degustata qualitas: tertia cõsistentię debeť: quarta in odore ẽ: quintam in uiribus metimur: & si hic liber Galeno adscriptus sit. Tertio Galenus quinque has differẽtias explicata colore incipiẽs. sunt uero hę à colore differẽtię, λευκόν, μέλανα, κιῤῥόν, ξανθόν, καὶ ἐρυθρόν, albũ, nigrum, fuluum, flauum, & rubrum. tamen inter has quinque differẽtias multę in medio collocantur: quæ ut in colore permistę sunt, ita in uiribus permistę reperiunť. Albũ. n. uim habet uinũ ad album tendens q̃ ad nigrũ, & q̃ ex his mistũ, hi. n. colores à Galeno relati magnã habẽt utrinque latitudinẽ. duo sunt extrema albũ & nigrũ: reliqua sunt media: inter quę sunt alia media, sed innõiata: quæ tñ possunt per magis & minus adduci: ut magis fuluũ, minus fuluũ: magis flauum, minus flauũ: magis nigrũ, minus nigrum.

De uinorum coloribus.

Cõstat apud antiquos quatuor tãtum reperiri, colorũ in uinis differẽtias, ut Plinius etiã libro. 14. cap. 9. testať, inquiẽns colores uinis quatuor, albus, fuluus, sanguineus, niger. At alicui forte uidebiť esse multo plures q̃ quatuor colores, tũ quia adsunt medij colores, tũ quia addiť ὠχρὸν uinum ab aliquibus pallidum interpretatum, & adest uocatum giluũ, & uermiculũ, & rutilum, & russum, imo adsunt & illa uina q̃ in. 5. de sanitate tuẽda à Galeno ὠχρόλευκα. i. ex pallido albicãtia, & ὠχρόξανθα. i. ex pallido flauescẽtia uocanť. uideť ergo plures eẽ colorũ in uinis differẽtiæ, q̃ uel hic Galenus, uel Plin. adduxerit. Dicimus nos tãtum esse quatuor colorũ genera in uinis, quę pręcipua sunt: reliqui colores ab his parũ euariãt. hi ergo erũt uinorũ colores pręcipui, quos refert Plinius, Albus, niger, ruber, flauus, λευκὸς, μέλας, ἐρυθρὸς, καὶ ξανθὸς. ꝓpterea si alibi q̃ in hac parte Galenũ legeris de uinis pertractãtẽ, semper pauciores colores enumerare deprehẽdes q̃ quinque. nã in. 12. Methodi tãtum mentionẽ facit de fuluo, flauo, & albo: & hoc ideo quia de uinis, syncope uexatis cõuenientibus agebat, in calce tertij de alimẽtorum facultatibus libri mẽtionẽ solũ facit nigrorũ, rubrorũ, & alborũ, forte quia de his agebat ut nutriũt. At maxime oium nutriunt rubrã & nigra crassa, minime oium alba. In calce libri de attenuãte uictus ratione mẽtionem facit albi, nigri, pallidi, & flaui: quoniã, ut arbitror, sub flauo & rubrũ & fuluum subintelligebat. Addit tñ unũ, quod & si nõ sit color, spectat tñ ad colores, s. pellucidũ, in libro de cibis boni & mali succi, mẽtionẽ facit, nigri, albi, flaui, rubri, rutili, giluí, imo & coruscãtis. quæ qualitas & si nõ sit color, tñ pertinet ad colores. de tot coloribus mẽtionem facit, ut exquisitius edoceat boni & mali succi uina.

Vt uero mẽtem nostrã in his uinorũ coloribus aperiamus, pręcipuos colores quatuor esse tñ arbitramur, quos Plinius enumerauit, & apud Galenũ quatuor tãtum sunt, quoniã & fuluũ & flauũ ꝓ eodẽ accipi autumat. q̃uis nõnunq̃ dicat fuluum in flauũ trãsire, & in nono de Simpliciũ medicamentorũ facultatibus, ubi de differẽtijs nolatæ passim terrę agit, docet Polyidæ & Prasionis & Andronis pastillos, & bennos ualere ad ubera cõtumacia, & ualẽter exiccare, usũque esse soluẽdos aliquo alborũ uinorũ, aut fuluorũ, aut flauorũ, ut ex his cõstet fuluũ colorẽ à flauo distingui. alioqui nõ ꝓbe dixisset dissolui pastillos illos in flauũ uel in fuluũ uinũ, tñ sunt adeo ꝓpinqui, ut ꝓ uno accipianť: imo testimoniũ haberi potest apud Gale. κιῤῥὸν pro ξανθὸν. i. fuluũ ꝓ flauo accipiũ: nã in quinto de sanitate tuenda ad dimidias libri partes, ubi pro senibus uinũ eligere docet, & inquit debere esse substãtia tenuissimũ, colore, quod Hippocrates κιῤῥὸν appellare solet, poterat aũt & ξανθὸν uocare: ut ꝓcul dubio appareat, idẽ uinũ posse dici & κιῤῥὸν, & ξανθὸν. i. & fuluũ, & flauũ. Reliq duo colores κιῤῥὸν & ὠχρὸν, ad ξανθὸν. i. flauũ reducunť. Itaque Galenus Plinio cõcors erit, quatuor eẽ pręcipuos colores. Athenæus uero in primo Dipnosophistarũ libro tres solum uinorũ colores refert, inquiẽs, τῶν οἴνων ὁ μὲν λευκός, ὁ δὲ κιῤῥὸς, ὁ δὲ μέλας. Nũc aũt unũquẽque singularem colorem contemplemur, ut in exquisitã colorũ in uinis cognitionẽ deueniamus, ab albo incipiẽtes. Albũ uinũ aliud erat apud antiquos, aliud apud nos in pręsentiarum albũ uocať. Nos simpliciter oĩa uocamus alba, uel flaua sint, uel ὠχρά nũc pallida interpretamur, uel κιῤῥά. i. fulua, & simul splẽdorẽ habẽtia uel non hñtia. Galenus uero, & antiqui alba uocabãt quę aquę colorẽ referebãt. unde cũ ab hoc colore digrediť parũper intẽdẽdo, fit ὠχρὸς. i. pallidus: postea cũ intẽdiť, fit flauus. unde Galenus in 5. de sanitate tuẽda inquit & eẽ cõmodũ senibus uinũ ὠχρὸν. i. pallidũ, quod mediũ est inter flauũ & albũ, dãtque rationẽ cognoscẽdi pallidũ colorẽ. si inqt flauũ albo miscere libeat, quod ex ambobus cõsit, pallidũ euadet, & tã aquę admistũ flauũ pallidũ reddit. ut ex hoc palam colligať, uina alba aquæ colorẽ habere, & ob id alba uocari, nõ quia albedinẽ habeant uelut nix aut lac, in quibus duobus maxime albi coloris uires reducenť, sed in niue potissimũ. forte dices uinũ creticũ ex monobasia adductũ, ac ꝓpterea maluasia nũcupatũ, talẽ plerũque habere albedinẽ, ut lacti cõferri possit, imo lactea maluasia uulgo diciť. igiť alia erit uini albedo q̃ aquæ. Dicimus tale uini genus esse adulteratũ, nẽpe Venetijs eiusdẽ generis uina maxime adulterãt, melle, lacte, & alijs uinorũ generibus, pręsertim albis quibusdã Veronẽsibus dulcioribus. At alter hic adest in Galenũ scrupus de albo uino, per colorẽ albũ illũ intelligẽtes qui aquę assimilať. neque aliter intelligi posse uideť, quia in pcitato quinti de sanitate tuẽda loco, docet ut plus minúsue aquę misceť flauo uino fieri, & magis pallidũ, & minus pallidũ unde uina aliqua uocanť ὠχρόλευκα. i. ex pallido albicãtia, aliqua ὠχρόξανθα. i. ex pallido flaua, ut magis his duobus ꝓ extremis acceptis albo & flauo appropinquẽt. Dubiũ uero quod in Galeno cõtingebat, erat alba reperiri uina, quę aquę colorẽ hñt, tñ sunt potẽtissima ut inebrient. Verũ ipse album uinũ frigidum ponit, uel saltem non calidũ. nã in. 5. de sanitate tuẽda inquit: si colorẽ spectes, calidissimum est flauũ, minime uero calidũ albũ. adeo ut ꝓpe finẽ libelli de rõne uictus attenuãte, nõ dicit uina alba nutrire, sed cũ dixerit uina crassa, & nigra & dulcia crasso sanguine uenas reficere, addit de albis uinis, q crassos incidũt humores, & sanguinẽ per renes purgãt. in libro pterea de cibis boni & mali succi inquit, q urinã mouẽt, & sunt paucissimi nutrimẽti. & ꝓpe finẽ. 3. libri de alimẽtorũ facultatibus idẽ asseruit. sed quod ex

terne

teris magis mouet, id est quod in. 12. Methodi uniuersaliter & tãq̃ axioma ꝓpositum est, cũ docuit, uina crassa, & tenuia, nõ cõuenire syncope ex crudis humoribus, inquit, neq; enim inuenies ex albo uinorũ genere calidũ ullũ, tñ experiẽtia oppositum ostẽdit: uidimus Neapoli uinũ aquę simile, imo erat in mẽsa positũ loco aquæ ut uinũ dilueret: sed quanto magis, cuidã uini nigri generi quod ibi aderat, miscebaĩ tãto id fiebat uehementius: ut nõnulli p̃sentes aquã esse putãtes admirarenĩ, uinum illud nigrũ tñ aquæ ferre, & nõnulli ebrij effecti sunt. fiũt talia uina in œnotria, quę & calabria dicitur, hoc modo. Vuas colligunt & nigerrimas, quas supra cratẽ mouẽt, quod per cratem descẽdit, succus est tenuissimus, ab uua leuiter, expressus, ueluti aqua albus, qui est uehemẽtissimus, & calidissimus & qui mẽtem tentat, ac ferit, quod uero descẽdit, modicũ est, postea iterũ mouent uuã, & exprimũt, alter descẽdit succus ὠχρὸς .i. (ut nũc ita dicã) pallidus. postea expressa iterũ uua. uinũ exit flauũ, deniq; totã exprimũt uuã cũ corticibus, & nigerrimũ exit uinũ. hoc album uinũ Calabrũ nõ est frigidũ, nec parũ calidũ, ut inquit Galenus, tñ habet aquę colorẽ. ex duobus alterum dicere oportet: aut Galenũ oĩa non uidisse: aut si uidit cũ inquit nullũ uinũ album calidũ de albis intelligit uinis tenuibus aquosis. Id ex hoc probari potest, quia in. 12. Methodi, cũ dixit nullũ uinũ albũ calidũ, de syncope loquebaĩ, quę ex crudis fit humoribus & docebat quę uina cõueniãt, & quę nõ: dicebatq; & crassa uina ceu noxia his esse fugiẽda, & aquosa ceu parũ efficacia esse etiã fugiẽda. Ad media esse eligẽda, quæ sint flaua & calida. postea alba excludere uolẽs inquit, neq; n. inuenies ex albo uinorũ genere calidũ albũ. & cũ non sit calidũ, syncopi cõueniẽs non est ex crudis humoribus & cũ hæc alba nõ conueniãt, inter illa sunt, quę erũt aquosa, quoniã & de mediocriter albis crassis de inceps loquiĩ, & illa etiã excludit. & in fine tertij lib. de Alimentorũ facultatibus inq̃t, minime alere uina alba. cõsistẽtia aũt tenuia & aquæ hydromeliti faciẽdo appositis quodãmodo similia. unde Galenus de albis tenuibus aquosis uerba facit, cũ uult esse frigida, & nõ de crassis albis. Vina uero p̃dicta alba cenotria, sunt quodãmodo crassa & nõ tenuia, crassa uero alba põt esse calida, & nutriũt, q̃uis id fit minus q̃ faciãt nigra, & rubra crassa, ut ꝓpe finẽ tertij lib. de Alimẽtorũ facultatibus testatur Galenus. Dices debere eẽ tenuia, q̃a ex tenuitate succi uuę emanãt. R̃ndemus habere aliq̃ crassitiẽ. undẽnque notare oportet, quod ipsemet Galenus in libello de cibis boni & mali succi testaĩ, alba uina nequaq̃ dulcia esse. & in fine libelli de attenuante uictus ratione inquit, nulla alba uina dulcia cõperies. quę uero sint alba aquosa, sunt apud nos uocata albana: nõ tñ omnia albana, sunt alba ex albo aut quorũ colore, sed aliq̃, quę aquei sunt coloris, & ueluti aqua relucẽt, oĩa autem talia sunt sapore acerba, imo & sunt adeo tẽpestiue expressa, ut uuæ fuerint fere Imaturæ. At quæ nũc uocamus albana, illa nõ sunt, quæ antiquitus albana nũcupabanĩ, de quibus mẽtionẽ facit Plinius, libro. 23. cap. 1. & Galenus in. 5. de sanitate tuẽda, ubi uina minus calida enumerat, in Italia inter q̃ sunt albana. Imo & nunc Romę uina albana passim uẽdũtur, quę & alba & rubra sunt, ita à loco nominata non à uini colore. Hæcque de albo uino dicta sint ad nigra descendamus.

Nigra uina à nobis uocantur oĩa illa quę nõ sunt alba. q̃uis & apud nos in usu sit, nomen rubrũ in uinis, & ceriolũ quasi ceresuolũ à rubro ceresorũ colore sumptũ tñ in cõi sermone sub nigris cõtinẽtur. Antiqui uero obscura solũ dicebãt esse nigra, & quæ nigro sanguini assimilantur. quę ut plurimũ sunt crassa, & Galeno teste, nigra sunt oĩum dulcissima: imo in libello de cibis boni & mali succi, inquit, nullũ uinũ esse dulce & crassum quod nigrũ nõ sit. scio tñ nullũ uinũ esse atrũ ueluti atramentũ imo & quod ex labrusca fit, & nigris moris, ita atrũ nõ est. ꝓpterea nigra potius illa uina dicũtur, q̃ atra, quia atramenti nigredine carẽt, qualia sunt apud nos ex uua uocata aurea, ex uocata bazegana, & ex dicta gropello. Apud antiquos nigra erant sybates in Asia ggaulion, & perperinũ, & scybelites, & Thyraeum & apud Romanos falernũ. q̃q̃ hic sit uous scrupus nõ dissimulãdus de falerno uino apud Galenũ. Nam author hic in. 12. Methodi inquit, flaua esse oĩum uinorũ calidissima. & in. 5. de sanitate tuẽda inquit, calidissimũ est si colorem spectes flauũ. & in hoc met libro, oĩa enumerãs calidissima uina, in Italia inquit esse falernum, & surrẽtinum: quod indicium est, falernum esse flauum, & nõ nigrũ apud ipsum alioqui non esset calidissimum. & ꝓpe calcẽ libelli de attenuãte uictus rõne scriptũ reliquit, flaua uina mediocrẽ gignere sanguinem. postea ꝓbatiora enumerãs uina, falernũ refert & dicit ꝓbum gignere sanguinẽ, & qui cõsistentiã habet mediocrẽ. At nigra uina sanguinẽ crassum gignũt, propterea falerna nigra non erũt. Id uero expressius est, quod in libello de cibis boni & mali succi falernũ expresse facit flauũ, aut saltẽ fuluũ. nam inquit ex flauis autẽ fuluisq; nõnulla mediocriter dulcia sunt, sicuti hippodamãtium, faustianũ, falernũ. Ex his ergo manifeste apparet fecisse falernũ uinum aut fuluũ aut flauum. In. 12. uero Methodi falerni speciẽ facit Faustianũ, & dicit esse admodũ dulce hocq; aliã facit in Galeno cõtradictionẽ qui iam Faustianũ in libello de cibis boni & mali succi inter mediocriter dulcia recẽsuerat, in. 12. autẽ Methodi facit admodũ dulce Faustianũ. Dicendum est: cũ duplex sit falernũ una species est Faustianũ, quę alię falerni speciei cõparata, est admodũ dulcis & alia species uidetẽ austera, sed alia falerni species si Marso & Signino cõparetur, dulcis est, ut in. 12. Methodi notauit. ꝓpterea per cõparationẽ est admodũ dulcis, tñ simpliciter ẽ mediocriter dulcis. Plinius & ipse libro. 14. capite. 6. de uinis agẽs generosis inquit: secũda nobilitas falerno agro erat, & ex eo maxime Faustiano, cura culturáque id collegerat, exolescit hoc quoque copię potius, q̃ bonitati studentiũ. Vt hinc elici possit & inter falerna Plinium palmã dare Faustiano. in. 6. &. 7. Methodi ponit falernũ dulce fuluũ & acre. & Galenus preterea in primo de Antidotis, ubi de uinis agit quę theriacam & antidota ingredi debẽt, inquit esse duplex falernum, & unum aliud uirtute non superare. Sed Faustianum dulcius est, & in antidota cõmisceĩ, quoniã antidota grauiora reddit. Cum quo dicit cõtendere surrẽtinum. Imo & in secũdo de Antidotis falernũ pĩgue uocat, & uetus laudat. in sexto etiã Methodi medẽdi, ubi uina percẽset, quibus uulnera ablui debẽt, inquit: quęcũque uero & dulcia pariter & fulua sunt, uelut falernũ, inutilia sunt: quippe acria sunt oĩa talia ac supra modũ calida. In libello prętерea de Theriaca ad Pisonẽ falernũ eligit pro Theriaca & Antidotis miscẽdis, & de duplici genere disserit. Inueniũturq; uarię apud Galenũ cõpositiones, quę falerno excipiunĩ. Adest ꝓpe finẽ secũdi libri de cõpositione medicamentorũ secũdum locos, ubi Pharmaca ex libris Heræ ad capitis dolorẽ adducit, in primo pastillo ad capitis dolorẽ utiĩ falerno austero. & deinde eodẽ utiĩ in alio pharmaco in omni inueterata capitis affectione, & in fine tertij lib. ubi ponit Lãponis ad ozenas, cõpositionẽ facit, quã falernũ ingrediĩ, & in libro. 4. ubi ponit pharmacũ aridũ ad tuẽdam oculorũ ualetudinem secũdum Galenũ utiĩ falerno. quo in loco manifeste deprehẽdiĩ esse fuluum. & eodẽ libro in pharmaco ex uolis albis ad epiphoras utiĩ falerno, & Heraclidę Aromaticũ croceũ ex hematite ex falerno cõficit. & libro. 7. eiusdẽ uoluminis in decima sexta arteriaca ponit falernũ. & in arteriacis à Critone cõscriptis, ponit eclegma Faustianum, quod recepit uini falerni partẽ hedychroi cõpositionẽ in libello de Theriaca ad Pisonẽ ex falerno cõficit. & in. 10. uersu ante finẽ suę Theriacæ de illo mẽtionem facit Andromachus. est & in eodẽ. 7. de cõpositione medicamẽtorũ secundum locos ubi ponit confectiones dolorẽ sedãtes tabescẽtibus & sanguinẽ reiectãtibus & refert quæ ab Asclepiade scripta sunt. Adest Nicerati cõpositio, quæ recipit falernum, & in octauo eiusdẽ uoluminis libro, ubi refert quæ pharmaca Asclepiades in libro externorum quarto ad stomachi affectiones. In pharmaco Polyarchi utitur uino falerno. & in eodem libro in Malagmate Democratis carmine scripto falerno utitur &. 9. eiusdem uoluminis libro ubi refert pharmaca potabilia ab Asclepiade ad splenem conscripta. In pastillo Eugerasię apponit falernum. & cum refert pharmaca

ab Asclepiade relata in .4. externorum, miscet pharmacũ bidnum appellatum, uino falerno. & ubi refert quę Asclepiades ad colli affectus prodidit, in Eclegmate colicis nectareo, utitur falerno. & deinceps in Paecij Antiochi compositione utitur uino falerno per saccum non excolato. Referens prętereа quę ab Andromacho ad dysenteriã scripta sunt, Eclegma facit, quod ultimum est in ordine uinũ recipiẽs falernũ. Ponit deinceps infusum ad Dysentericus. Thamyrę, quod recipit suberem ex dolio uini falerni ustum. Intelligo per suberem uel operculum, & obturaculũ aliquod, nisi de tartaro intellexerit. & cũ refert medicamẽta sedis, seu ani ab Andromacho cõscripta, medicamẽtum faciẽs ad pruritus excipit falerno. In primo quoque de cõpositione medicamẽtorum secũdũ genera de emplastro agẽs, quod ex argẽti spuma & oenelaeo pręparatur, argẽti spumã singulis diebus quindecim cõtinuis falerno cõterebat. Imo notat si falernũ ad manũ non habeas, eius loco accipi debere aliud colore fuluum, sed tenue substãtia, ut pelluceat, cuiusmodi est ariusiũ, quod in Chio nascitur. & denique infert Tmolite esse falerno simile. & ubi in secũdo lib. de cõpositione medicamẽtorum secũdum locos, ponit Melina Andromachi, quintũ Melinum falerno excipit. & prętereа emplastrũ ad strumas recipit falernũ. Imo paulo post cõpositionẽ examine quodã perpẽdẽs monet in defectu falerni sumẽdum esse Giluũ uetus tenue substantia. Iterumque de Tmolite dicit esse falerno simile: licet in libello de substitutis medicinis pro falerno uinũ mẽdesium ponat, cũ quo in primo de Antidotis dicit cõtendere Surrẽtinum. Referens quoque Epulotica Andromachi, in .2. ex ladano miscet falernũ. & in pfatione .4. lib. de cõpositione medicamẽtorum secũdum genera, ubi generalia quędã percurrit, quę ad cõpositionem plurimũ faciũt: oĩa percurrit uina, quę sunt ad cõpositiones apta: quibus miscet falernũ: & expresse dicit esse falernũ, in India colore Giluũ. & in .5. eiusdẽ uoluminis libro de pastillis agẽs Asclepiadis, in primo pastillo uino utitur falerno. Imo in Musę remedio est usus Mulsi ex falerno facti. & in .7. eiusdẽ uoluminis libro Myracopon describit falernũ recipiens. & in Gleucini cõfectione ut Heras falerno utitur: & in Democratis acoporum cõfectione falernũ miscet, quę carmine scripta est. Ad rẽ igitur redeũtes Galenus falernũ uinũ fuluũ facit, uel flauũ: licet unus sit locus i secũdo de arte curatiua ad Glauconẽ, in quo uocat falernũ album: ubi loquitur de exulcerato loco ex herpete: iubetque accipiẽda medicamẽta ex pharmaceuticis libris: & in trociscorum formã confingi dicit, postea dissolui uino dulci. postea sequitur: q si dulce nõ affuerit: tenui & albo & subaustero, quale est falernũ & Massiboticũ, & sabinũ, & Adrianũ & Arsyinũ, utẽdũ ẽ. Vt uideas falernũ dixisse hic albũ & hoc nõ tm̃ ẽ in Latino codice: sed et in Graeco dicit μὴ παρόντος δὲ γλυκέος, οἴνῳ λεπτῷ τε καὶ ὑποστύφοντι οἷός ἐστι φαλερῖνος. Cõsiderans hoc in loco Galeni cõtextũ, ne sibi oppositus sit, necessariũ est fateri, Galenũ hoc in loco album accipere colorẽ in uinis, ut passim uulgus nostrũ accipit. quo cõplectitur & fuluũ & flauum & pallidũ. uel dicẽdum (quod potius pbo) mẽdosum esse codicẽ, & pro λευκῷ legẽdum esse ξανθῷ. nã & uina alia quae adducit, colorẽ habẽt flauũ, & non albũ. est ergo apud Gale. falernũ colore, flauũ uel fuluũ, tamen antiqui falernũ fecere nigrũ, & spumãtia nigra falerna pdictũ ẽ. & Martialis in .8. Epigrãmatũ li. ad Flaccũ de Virgiliano Alexide ita canit,

Astabat domini mensis pulcherrimus ille
Marmorea fundens nigra falerna manu.

Idemque author primo Epigrãmatum ad Sextilianũ inquit,

Egerit & nigros Massica cella cados.

Interpretes oẽs exponunt, Massica idest falerna, quod an sit uerum, ambigimus: tamen propinqua sunt.

Idem author octauo Epigrammatum libro ad Liberum amicum scribens, planius ostẽdit falernũ fuisse nigrũ, cũ ita canit:

Candida nigrescant uetulo crystalla falerno.
Et caleat blando mollis amore torus.

Imo uisus est Galenus ipse mentionem facere falerni nigri. est in tertia acopi cõpositiõe in Damocratis acoporum cõpositionibus, ubi inquit in .7. de compositione medicamentorum secundum genera libro, uini falerni nigri denis uncijs.

Et ne fugias Graecũ codicẽ nõ habere nigrum, en ita se habet Gręcus codex οἴνου φαλερίνου μέλανος γο. en quomodo Damocrates nouit falernũ uinũ esse nigrum, quod Galenus non perpẽdit. Imo semper illud facit flauum, uel fuluũ, & nunquã nigrum. Cui ergo credendum est? prædicti authores fuere Itali, Galenus Gręcus, tamẽ uir diligẽtissimus. pfecto Latinis potius hac de re credẽdum suaderẽ, q̃ Gręcis. Hermolaus dicit Austerum falernum habere ruffum colorẽ, & dulce. quod tunc demũ accidit, cũ sub ipsam uindemiã austri flauerint, quo & nigrius efficitur. Additque Athenęum & Galenũ huius rei fuisse authores. Nos apud Galenũ id inuenire nescimus, minus apud Athenęũ, qui in primo Dipnosophistorum libro haec de falerno dicit. τὸν δὲ οἶνον χαριέστατος ὁ κατὰ τὴν Ἰταλίαν, Ἀλβανός, καὶ ὁ Φαλερῖνος. ὁ δὲ τούτων πεπαλαιωμένος, καὶ κεχρονικώς, φαρμακώδης ὢν καροῖ διὰ ταχέων .i. ex uinis uero gratissimũ est albanũ, quod in Italia nascitur, & falernũ: horum autẽ quod tẽporis lõgitudine inueteratũ est, cũ medicamẽtosum sit, celeriter admodum caput aggrauat. Arbitramur hic Athenaei codicẽ esse mẽdosum, & ubi legit κεχρονικώς, legẽdũ esse κιρρωνικώς. ex his Athenaei uerbis neque ruffum neque atrũ esse falernum colligi potest. Cupiẽtes igitur huius negotij ueritatẽ explicare, cũ Romę essemus cum Illustrissimo & Excellentiss. Duce nostro Hercule secũdo, inquirere coepimus, quae nã eẽnt meliora, pretiosiora, & suauiora uina flaua uel fulua Romae, cum Galenus alijs omnibus praeferat falernũ, & in primo de Antidotis, & in libello de Theriaca ad Pisonem, ad Antidota pręmittit oĩbus falernum dulcius, & in libello de cibis boni & mali succi, ex uinis inquit pbatissimi succi falernũ habetur potissimũque id quod dulcius, & in .12. Methodi inquit: quibus tamẽ ex crudis humoribus syncopes periculũ iminet, sanè falernum tanto iã memoratis pręstat (de surrẽtino mẽtionẽ fecerat, Signino, Sabino, Tyburtino, Marso) quãto tũ melioris est succi, tum calidius: utpote quod & uelocius illis per corpus digeretur, & crudis succis coquẽdis auxilio erit, quae cũ dictorum singula aliud magis, aliud minus faciat, omnia tamen falerna stomachũ magis roborãt. Romae igitur quęrere coepimus quę nã essent flaua uina uel fulua praestãtiora, & quae in eodẽ eẽnt genere dulcia, & nõ dulcia, pfecto nulla horum colorum uina pstantiora Romã afferuntur, q̃ illa quae publice Graeca uina nũcupantur, & in monte Vesuuio ortum habẽt, quem nũc uocant montem de Soma, à Neapoli distat uigintiqnque milibus passuũ plus minus. hęcque dicuntur uina Graeca de Soma. quae flaua sunt, & fulua, & aliqua dulcia, aliqua minime, apud Romanos & exteros omnes in maximo sunt honore, & pretio, & saluberrima sunt. Nam quę Corsica dicuntur uina, quae è Corsica insula Romã afferuntur, maiori hominũ parti displicẽt: licet potẽtissima sint, & ad flauum uel fuluũ uel pallidũ inclinẽt. hęc considerantes aliud dicere nõ possumus, nec excogitare, q̃ cum Galenus de falerno uino sermonẽ habet, de Graeco ex mõte Vesuuio loqui uoluisse, quoniã omnes habet dotes, quas ipse falerno tribuit, pręsertim cum falernũ à Latinis authoribus nigrũ describatur. Itaque in nomine deceptus sit Galenus, quod facile fieri potest in homine externo, & nõ Romano. Nascũtur uero falerna uina, ut Plinius testatur lib. 14. capite. 6. in agro falerno. falernus ager à põte cãpano lęua petentibus urbanã Coloniã Syllanam nuper Capuae contributã incipit: Faustianus autem circiter quatuor milaria à uico prope Cedias, qui uicus à Sinuessa sex milibus abest. Nec ulli in uino maior authoritas. Solum uinorum hoc flãma accẽditur. Tria eius genera: Austerum, dulce, Tenue, quidam ita distinguũt summis collibus Gauranum gigni, Medijs Faustianũ, imis falernũ. Cum Neapoli Ferrariam reuerteremur .1535. Illustriss. Ducẽ nostrũ cõcomitãtes Suessae fuimus, ubi Massica bibimus uina, q̃ in mõte Massico oriũtur. Nũc Marsico uocatur uersus Liri, uersus occidẽtẽ est situs, & à Suessa octo millibus distat passuũ. In eodẽ mõte uersus orientẽ & meridiẽ, uina calena nascũtur à Caleno urbe dicta,

quę

quę nunc Carinula uocatur. In eodem propterea monte, Meridiem uersus, falerna uina ortum habent. & illa pars nunc passim dicitur alli falurni. al. às urbs fuerat, nunc neque urbis uestigia apparent. Aliqui tamen sunt, qui non putant hęc esse calena uina, sed urbem esse, quę quatuor milibus passuum à Capua abest, quę nūc uulgo Cali nuncupatur. quicquid tamē sit, hoc pro comperto habeas in pede montis falerna oriri uina, & partem illam usque ad hoc tempus uocari falernum. In hac tamen parte, & nigra uina, & flaua uel fulua optima nascuntur. Verum iudicio nostro & omnium aliorum non sunt Gręcis comparanda. Et pro maiori parte uina quę sunt alli falurni, nigra esse constat. Ab hocque temperare non possum, Inter Auersam (quam quidam acerram uocant) & Suessam, adesse terram leporis, locum deliciosissimum, nunc terra de lauoro nuncupatur, quamuis & nunc ampliatū sit nomen, & tractum circa Neapolim, & Nolam uocent terra de lauoro. Hic nascūtur uina optima nuncupata leporina. Et nunc oriuntur uuæ, quę leporinę dicuntur, &, quę potissimum Suessę habent, & uina reddunt flaua. Nos uero hęc uina frequenter gustauimus non sunt Græcis de soma comparanda. propterea nos aliud coniectura assequi non possumus, q̄ quę falerna uocauit Galenus, esse Gręca nunc dicta: q̄q̄ aliquibus uisum sit, quę nūc Gręca dicuntur, antiquitus fuisse pompeiana. de cuius uua Plinius libro. 14. capite. 2. hęc disserit, Surrentinis tamen efficacissima testis Vesuuio tenus. Ibi enim Murgentina è Sicilia potissima quam pompeianam aliqui uocant. & capite. 3. inquit, municipij uuam Pompeij nomine appellant. & capite. 6. ait, Nam pompeianis summum decē annorū incremētum est. Nota propterea quę à Plinio uina Gręca uocātur, illa nō esse quæ nūc Romę eodem nomine insigniūtur, sed erāt ex Gręcia allata, ut chium. tamē & ubi ex Vesuuio mōte Gręcū nūc dictum orit, erat locus in magna Gręcia uel propinquus. Ad rem uero redeūtes erāt apud Galenum falerna, quę nūc Gręca de soma uocātur. tamē & falerna ipsa erāt in magno honore apud antiquos, sed erāt nigra, & ab authoribus nigra semp describunt. Verū, ut de hac re curiosius loquamur, ambigi potest, quę nam sint nunc uina Romę, quę antiquitus falerna nigra spumantia uocabātur. Nūc Romę & Neapoli uinū adest nigrū dulce spumās: quippe cum in cyathum funditur, spumā excitat nō mediocrē, à nōnullisque probatur: nunc hoc, uini genus uocant magna guerram. Ambigere coepimus nū hoc uini genus esset falernū, cū has habeat proprietates, quas illi tribuūt, & à Suessa ac agro Neapolitano cōuehi dicāt. quidā putarunt Magna guerrā esse uinum Amineum decepti pfecto, quoniā Magna guerra, nigerrimū est, dulce & spumās. Galenus uero in libello de cibis boni & mali succi, illud album facit: cum inquit: Album quoque quale est bithynū Amineum, quod ubi inueterauit, Romani cecubū uocant. Tū Plinius libro. 14. capite. 3. inquit adesse & nigrā Amineā de uua loquēs, quāuis & alba sit, etiā Aminea. sed Galenus in. 4. de Simpliciū medica. facultatibus capite. 7. facit uinū Amineū Austerū. falernū uero dulce est. Hęc uero dicta sint, ut alios ad deducēdā antiquitatē in notitiā excitemus. quisque ergo boni cōsulat hęc legēs, neque statim uellicare audeat re ipsa nō perpēsa. nā hęc potius, ambigentes pponimus, q̄ asserentes, aliisque hęc pponimus, ut melius inueniāt, & rei cognitionē attingāt. Ad rē igitur redeuntes, hucusque quę sint uina nigra, & quę alba, edocuimus. Possemus tamē de his coloribus Galenū adducere de uinis differentem, nisi his liber spurius esset & Galeno attributus: tamē necquicq̄ pretermittamus, facit albū uinū aquę simile secūdū colorē & consistētiam. est diaphanū, lucidū, purum, & cōsistētia tenue. De nigro propterea uino eodē loco, non pauca differūtur. quę si lubeat legere nihil impediet ne & apocrypha in mediū adducere cogamur. Vnū est, apud antiquos Gręcos nigra uina in magno fuisse honore. Constat apud Homerū nunq̄ esse factā mētionē, uel albi uini uel flaui, uel pallidi, uel fului, sed p maiori parte nigri, & nōnūquā rubri. en in tota Odyssea uini mētionem facit in. 71. locis. de nigro autē in nouē locis, & de rubro in septē, de aliis nullā penitus mētionē facit, imo in Deorū hymnis in Venerē uersu. 207. fecit Nectar uinū deorū rubrum, cū inquit, χρυσέω ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων νέκταρ ἐρυθρόν. idest Aurea ex cratera hauriēs nectar rubrū. De Ganymede loquēs. forte dices prāmnium uinū ab Homero celebrari, quod tamē nigrū non est, id uero est in. 10. Odysseæ libro uersu. 235. ubi ciceonis cōpositionē describit & illā prāmnio uino miscet. Tū apud recentes oēs pramniū uinum flauū esse uidetur. quippe uolunt, quod nos maluasiam uocamus esse pramnium. At maluasia est flaua uel fulua. Dioscorides libro quarto, huic rei testimoniū afferre uidet, prāmnium. s. esse uocatā Maluasiā: quia inquit: uinū quod ex uuis à decerptis sole adustis atque diutius in uite præcoctis exprimit dulce, creticū, siue protropū, siue prāmnium appellāt. Cōstat uero creticū uinū esse uocatā maluasiam, presertim cū ex Monōbasia afferē. scire uero oportet, aliud esse loqui i Creta de maluasia, aliud i Italia. uina in creta ex Monōbasia sunt flaua & austera, & illa uocāt Maluasiā. At quæ afferūtur ad nos & Maluasia dicunt, à Cretēsibus uocant Muscatella. sunt ferè minus potētia uina quæ nascātur in Creta. Cū uero simpliciter uinū creticū dicit, statim uocata Maluasia intelligitur. propterea & Homerus mētionē facit flaui uini uel fului. Respondemus forte & prāmniū uinū nigrū erat. Id' que testatur Hermolaus ex Galeni sentētia. At Galenū id exprimere nunq̄ inuenimus, nec Hippocratē. extat unus locus apud Galenū, in quo mētionem facit uini prāmnij libro. 6. de cōpositione medicamentorū secūdum locos, ubi oculus est, Aliæ illitiones stomaticæ quas Asclepiades scripsit. In prima illitione ad putredinem oris Asclepiadę, dissoluit simplicia uino prāmnio: sed quale sit, & cuius coloris nō exprimit. est alter locus in. 7. libro eiusdē uoluminis, ubi ponit arteriacas ab Asclepiade in secūdo internorū cōscriptas, in alia panacea Mithridatis ad phonascos. unde & post certamē ad huius pharmaci cōpositionē utit uino; prāmnio: neq̄ quale sit exprimit, nec cuius sit coloris. Tū cū hanc cōpositionē excipiat aut scybelite, aut Theræo aut prāmnio, arbitrādum est prānium similes habere uires & similē colorē cum scybelite & Theræo. in libello de cibis boni & mali succi, inquit crassa uina esse & Theræū & Scybelites, uā non leuiter nutriūt. deinceps addit scybelites & Theræū absolute dulcedinis esse. Deinceps ostēdit Theræū uinum esse nigrū, quia de sapa loquit, & docet etiā si fiat ex albissimo uino fieri nigram, ut Theræi nigredinē refert. ppterea & nigrum est Theræum, & cōsequenter prāmniū nigrū esse debebat, quia illā compositionem ex nigro uino fieri cēsuit Galenus. nō enim unū ex tribus uini generibus sumi posse & hoc indifferēter proposuisset, nisi omnia illa genera essent nigra. Imo si Galeni cōpositiones consideremus, nigrū uinū experiunt, & eiusdē generis uina esse perperina cū scybelite & Theræo, præadducto loco monet Galenus. sunt uero perperina (ut inde colligit) nigra. Imo cū oia uina uetustate efficiātur flaua, q̄uis nigra sint, excipit scybelite & Theræum. & prope finē libelli de attenuātē uictus ratione, colligitur & Theræū esse nigrū. & quinto de sanitate tuenda libro, luce clarius ostēdit scybelites & Theræū esse nigra cum inquit: quæ uero citra adstrictionē nigra crassáque sunt, quod genus sunt scybelites & Theræū. ut necessariū sit & ex his inferre prāmnium fuisse nigrum & dulce & crassum, q̄uis Athenæus in primo dipnosophistarū hoc uini genus neque dulce eē neq̄ crassum, sed austerū fateat, cū inqt. γίνεται δ' ἐν Ἰκάρῳ φησὶν Ἐπαρχίδης ὁ πράμνιος. ἔστι δὲ οὗτος, γένος τι οἴνου, καὶ ἔστιν οὔτε γλυκὺς, οὔτε παχὺς, ἀλλ' αὐστηρὸς, καὶ σκληρὸς, καὶ δύναμιν ἔχων διαφέρουσαν. ᾧ ὁμοιῶν Ἀριστοφάνης οὐχ ἥδεσθαι ἀθηναίους φησὶ λέγων. τὸν ἀθηναίων δῆμον οὔτε ποιηταῖς ἥδεσθαι σκληροῖς καὶ ἀστεμφέσιν, οὔτε πραμνίοις σκληροῖσιν οἴνοις, συνάγουσι τὰς ὀφρῦς τε καὶ τὴν κοιλίαν. i. fit autē in Icaro ait Eparchides prāmniū est uero hoc, genus quoddā uini, quod neq̄ dulce est, neq̄ pingue, sed austerum, & asperum, uiribusque differentibus. Cuiusmodi uino Athenienses non delectari Aristophanes testatur, cū inquit Atheniensem populū neque poetis duris asp̄is neq̄ delectari, neq̄ prāmnijs austeris uinis, cōtrahūt supcilia uētresq̄.

Tamen Galenus potius sensit fuisse dulce pramnium: nisi dicamus fuisse duplex pramnium dulce & austerum, de dulci locutum esse Galenum, de Austero Athenęum & aspero, & multa alia quę de pramnio uino in Athenęo sequuntur. Si uero Dioscorides forte de cretico uino loquatur, & pramniũ uocet uel pramnium, tamen Athenęus ponit illud in Icaria, nõ in Creta. Imo & Plinius libro. 14. capite. 4. inquit, & pramnio quod Homerus celebrauit, etiam nunc honos durat. Nascit Smyrnę regione iuxta delubrum matris deum. In Smyrna nasci & Alciphron Meandrius testatur. Nec obstat quòd Dioscorides illud creticum uocet. quoniam aliud est genus q̃ hoc, uel forte per se pramnium est, & non est creticum, sed tantum quando ex uuis exiccatis in sole uel in crate fit, his uocari nominibus hoc tamen non prohibet posse & nigrum & flauum esse, tamen superius cõiectura probauimus esse nigrum, id'que Athenęus testatur primo dipnosophistarũ libro cũ inquit. οἱ δ᾽ ὅμως δὲ πράμνιον φησὶ οἶνον, ἀπὸ πραμνίας ἀμπέλου οὕτω καλούμενον δ᾽ ἰδίως τὸν μέλανα. idest, Didymus uero pramniũ dicit uinum à pramnia uua sic uocata hęc autem proprie nigra. Cui adde Homerum uina nigra celebrasse, cum que pramnium celebrauerit, nigrum esse suspicandum est, q̃q̃ nullus sit author qui hoc expresse aperiat, pręter Hermolaum ex Galeni sententia, id uero apud Galenum, nisi per prędictas coniecturas inuenire potuimus. Nunc ad tertium colorem accedamus.

Color fuluus in uino sequitur. pro quo enucleãdo scire oportet, quod à Gręcis κιῤῥὸν dicitur, esse uarię modo ab authoribus interpretatum. Nicolaus Leonicenus uir nostra ętate celeberrimus, (ut in arte medicinali apparet cum de capillorum colore agit) uocabulum κιῤῥὸν, ruffum uertit. In capillis profecto id dici posse nõ negamus, sed in uinis nusquam (quod sciamus) uinum ruffum uocari uidimus. Virgilius in Priapea, stolam ruffam dicit. Tolle inquam procul, ac iube latere scissa sub tunica, stola'que ruffa, ut semper solet, & timere lucem, est uersu. 84. Et Martialis ita cecinit:

Roma magis fuscis uestitur, Gallia ruffis.

est color nõ plene ruber. Nõnulli uero decepti sunt uolẽtes ruffum esse rubrum, quod falsum esse id ostendit, quoniam sanguis dicitur ruber non ruffus. est magis intẽsus, q̃ flauus. Vnde hi qui barbam habent rubram & capillos, rubri proprie dici nõ possunt, sed ruffi sunt, & capillos ac barbam habent ruffam. Imo eorum caro ruffa est. nam Ruffus est mistus multo nigrore, si Aristoteli credimus in libro de coloribus. Vt hinc colligi possit nigram esse uuam è qua pramnium sit uinum: flauus uero non, neque fuluus. Verũtamen cum latum sit huius uocabuli Ruffum, significatum, potest quidem de uino, sed nobis plene nõ satisfacit. Alij interpretati sunt κιῤῥὸν idest rutilum, ut is qui librum de cibis boni & mali succi interpretatus est. Neque hoc ad unguem satisfacit. nam & rutilus est adeo intensus, ut uino conuenire non uideatur. Imo uidetur rutilum eandem habere cum ruffo significationem. nẽpe apud antiquos reperitur, ad placãdum caniculę sidus frugibus inimicum, Romanos canes immolasse: quas nõnulli dicũt ruffas, nõnulli rutilas. ut ex hoc appareat, idem esse Ruffum & Rutilum. Tamen nos differre putamus, ut Rutilus minus habeat nigri infuscantis, & magis splẽdeat. unde Virgilius, ignem lunę rutilum uocat primo Georgicorum, cum de signis tempestatis à luna sumptis loquitur uersu. 456. & inquit,

Sin maculę incipient rutilo immiscerier igni.

Lunam uocat ignem, cum multum spelndet, uel fulgetra. & in quarto Georgicorum uersu. 93. Apium ductorem laudat, qui squãmas habeat rutilas, cũ inqt,

Et rutilis clarus squãmis.

Et rutilum coelum dicitur cum fulgetra apparent, ac rutilare. 8. Aeneidos uersu. 524. Cũ Aeneas de Euandri pmissis anceps esset, & mater Venus illi signum dedit: Poeta inquit,

Per sudum rutilare uident, & pulsa tonare.

Ortum que solis rutilum uocat, cum in rosa uersu. 45. ait,

Quam modo nascentem rutilus conspexit ortus.

Et Rosam rutilam dicit inquiens uersu. 57.

Ecce & defluxit rutili coma punica floris.

Nullus uero est, qui Rosarum colorem, & orientis colorem, & aeris fulgurantis colorẽ ignoret. At nulla uidentur esse huius coloris uina. Imo & in libello de ortu solis uersu. 47. Ortum uocat rutilum, cum in ultimis duobus carminibus inquit:

Tum Phębus radijs rutilum fulgentibus orbem
Depellit tenebras, nox'que peracta fuit.

Nobis igitur nõ placet κιῤῥὸν in uino interpretari rutilũ: q̃q̃ digladiari noluerim, si quis uinum rutilum uocauerit. Putamus etenim rutilum circa colorẽ aliquid addere lucis & splẽdoris. Aliqui interpretati sunt κιῤῥὸν Giluum, ut Ruellius in quinto Dioscoridis ubi de uino agit, & ponit κιῤῥὸν inter album & nigrum. Ille uertit Giluum interpres libelli de cibis boni & mali succi, uno in loco uertit Giluum, cum prius rutilum uertisset. At uidetur Giluus color ad equos spectare: nam Virgilius tertio Georgicorũ uersu. 83. in equis Giluum damnat colorem. Seruius melinum esse putauit: nos in equis illum colorem esse arbitramur, qui dicitur Tosellino uinum'que κιῤῥὸν ignis ruborem habere debet. Color uero Giluus ignis rubore caret, q̃ uero κιῤῥὸν ignis roborẽ habere debeat, deinceps palam ostẽdemus. propterea in uinis κιῤῥὸν interpretari Giluum nobis satisfacere non potest.

Hermolaus Barbarus in eodem Dioscoridis citato loco, uertit κιῤῥὸν rubrum: quod neque probamus, cum Gręci rubrum uinum habeant ἐρυθρὸν nuncupatum, & hoc est propriũ rubrorum uinorum uocabulum. Imo de Hermolai miramur diligẽtia, qui id nõ pręuiderit: Marcellus interpretatur κιῤῥὸν i. uermiculum, probat'que uermiculum esse colorem apud antiquos usitatum, quem nos putamus uulgo dici uermiglio. Tamẽ nos uermiculum apud authores pro colore, nõ inuenimus, sed tantum est uermis diminutiuũ. Neque illa quę ad hoc suadendum adducit, quicquam ualẽt. Primo enim Columellam adducit libro secundo capite. 6. qui de seminum generibus agens, inquit: Far, quod appellatur clusinum candoris nitidi, far quod uocatur uermiculum rutilum. Tamen ex his uerbis non accipitur, q̃ uermiculus sit colór, sed notat tale genus farris appellari uermiculum, nõ quidem à colore, quia uermiculus nõ erat apud antiquos color, quod sciuerim, putamus appellari uermiculum, quia in ipso uermes facile nascantur. Vnde Plinius libro. 22. capite. 25. inquit, est in farre uermiculus teredini similis, quo cauis dentium terra incluso, cadere intact dicuntur, etiam si fricentur. propterea nũquam interpretarer κιῤῥὸν i. uermiculum, cum nõ sit coloris nomẽ uermiculus. Imo in multis Columellę codicibus nõ legitur uermiculum, sed in aliquibus uenuculum, in alijs uernaculum. Hermolaus Barbarus in corollario secundi libri in Dioscoridẽ, ubi loquitur de hordeo, inquit: far uernaculum & far uermiculum apud antiquos legi: ab edendo, uel quoniam adurebatur ut tostum fieret. Tamen idem sunt far uermiculum & far uernaculũ. Ruellius uero mire deceptus est in secundo de stirpiũ natura capite. 17. qui cum inuenisset far uermiculum, & far uernaculũ, putauit diuersa esse farris genera, cum tamen idem sint, & aliqui Columellę codices legant uermiculum, aliqui uernaculũ. Et quid opus erat Columellę addere, q̃ erat tale genus farris rutilum, si uermiculum sit coloris nomen? sed alter est in Marcello maior error, qui alia authoritate, uermiculum colorem esse probare uolens, Diui Hieronymi in Leuiticum interpretationem adducit, & inquit, Diuum Hieronymum inuenisse in contextu gręco τὸ κλωσμένον κόκκινον. & à cocci colore coccinum uermiculum transtulit, quod cocci colore ruberet. Sed ignorauit hic uir coccum esse granum, in quo adest uermiculus, cuius sanguine tingit. & ob id Diuus Hieronymus trãstulit coccinum uermiculum, non quia sit uermiculi coloris, sed quia est uere in cocco uermiculus, qui uermiculus statim aduolat, ut de uocato Chermes plene diximus in nostro syruporum examine. nunquam igitur interpretaremur κιῤῥὸν i. uermiculum,

miculum. Neque obstat uulgo uocari uino uermiglio, quoniam rubrum est, & à Grecis dicitur ἐρυθρόν. Aliqui interpretati sunt sanguineum. à quibus etiã dissentire lubet, cũ hic color potius sit ruber. & distinguit hic Galenus ἐρυθρὸν à τοῦ πυῤῥοῦ. Nos igitur hoc uocabulum πυῤῥὸν interpretari uolentes primo considerauimus antiquos hunc colorem igni attribuisse, & dixisse πῦρ πυῤῥὸν idest ignem cirrum. Considerauimus deinde Galenum, qui in. 12. Methodi docet, uina austera, & mediocriter alba cum inueterauerint, fieri πυῤῥότερα. uerum ut melius hoc uocabulum πυῤῥὸν exponeret addit οὐδ᾽ ἄλλως ἐστὶ δὴ ὀνομάζειν τὸ πυῤῥὸν χρῶμα δύναιτ᾽ ἄν λέγων πυῤῥὸν ὠχρόν. idest si quis uero aliter nominare uelit colorem cirrum dicere potest igneum pallens. unde nos illis maxime cõsentimus, qui interpretãtur πυῤῥὸν idest fuluum. Est uero fuluus color, uelut ignis color: & est magis intensus quàm flauus: quamuis nonnunquam arbitrati simus fuluum non esse colorem, sed affectum quendam circa colorem. Reperitur uero apud Hippocratẽ & Galenum in primo cõmentario in sextum epidemiorũ sectione sexta color πυῤῥός: interpres uertit Rufus. Hippocrates dixerat ψάμμιά τε πυῤῥά, idest (inquit interpres) arenulę'que ruffę. Galenus uero hunc colorem in re naturali inuenire tẽtans, sandaracam colorem habbere πυῤῥὸν dicit, quisque uero sandaracę colorem nouit, qui ferè igneus uidetur, nos uero & in hoc loco fuluum potius interpretaremur. Tamen non est magna inter flauum & fuluum differentia, ut ex Galeni sententia superius anuotauimus, & ideo pro uno colore nonnunquam accipiuntur. & in enumerandis uinorum coloribus Galenus plerunque dimittit fuluum, nonnunquam flauũ. Imo adde à Galeno calidissima uina dici flaua in. 12. Methodi, & utitur uocabulo ξανθά. & in quinto de sanitate tuenda uina enumerans in Grecia calidiora, Ariusium refert, Lesbium, Mysium. & calidiora numerans in Italia, falernum refert, surrentinum, Tyburtinum, signinum. quę omnia sunt ξανθά idest flaua, & flaua putat esse uina optima, quę & edocuit in libro de cibis boni & mali succi. At Paulus Aegineta de uini agens uiribus inquit ἄριστος δὲ τῶν οἴνων ὁ πυῤῥὸς τὴν χρόαν idest uinorũ autem optimum, quod colore πυῤῥὸν idest fuluum, ut hinc facile colligi possit, quę à Galeno dicuntur de ξανθῷ idest flauo, à Paulo de πυῤῥῷ idest fuluo referri, ut nullam uideatur Paulus inter πυῤῥὸν & ξανθὸν fecisse differentiam. fuluum inquiunt uideri ruffo atque uiridi mistum, & in alijs plus uiridis, in alijs plus ruffi habere. Reperiuntur uero apud authores dicta fuluum aurũ, fuluam aquilam, fuluum leonem, fuluam arenam, hęc ferè à Galeno sumuntur libro secundo capite. 12. Virgilius setas fuluas uocat tertio Georgicorum uersu. 381. cum inquit:

Talis hyperboreo septem subiecta trioni
Gens effrena uirum riphęo tunditur euro,
Et pecudum fuluis uelantur corpora setis.

Aliqui putarũt hos uiros esse indutos ceruina pelle, alij leonis. quãuis & lupam fuluam uocet idem Virgilius primo Aeneidos uersu. 278. cum Iupiter Venerem alloquitur de futuris circa Aeneam, & ait,

Inde lupę fuluo nutricis tegmine lętus
Romulus excipiet gentem.

Et arenam fuluam uocauit idem author quinto Aeneidos uersu. 374. cum refert Daretẽ interfecisse Buten inquiens,

Perculit & fulua moribundum extendit arena.

Aurum uocauit fuluum. 7. Aeneidos uersu. 279. cum Latinus donat Troianos equis & inquit,

Tecti auro fuluum mandunt sub dentibus aurum.

Et fuluum Carmetem uocauit, quem ceculus. 10. Aeneidos interfecit, uersu. 562.

Et cęsariem fuluam dixit. 11. Aeneidos, uersu. 642. quando Casillus interfecit Herminium,

Nudo cui uertice fulua Cęsaries,

Et. 11. Aeneidos libro Aquilam dicit fuluam, in cõparatione duelli Tarchonis & Venuli, inquiens:

Vt'que uolans alte raptum cum fulua draconem
Fert Aquila, implicuit'que pedes, atque unguibus hęsit.

Vocauit'que fuluam nubem. 12. libro uersu. 792. in pugna Aeneę & Turni, cum Iupiter Iunonem alloqui uult, & poeta canit.

Iunonem interea Rex omnipotentis olympi
Alloquitur, fulua pugnas de nube tuentem.

Habet quoque multa dici fulua. propterea existimandum est latitudinem habere fuluum colorem. Imo & Tibullus sidera fulua nuncupauit. Neque credendum est omne aquilę genus esse fuluum, sed unum tantum ab Aristotele celebratum. Lupam quoque fuluam uocauit Horatius, ut Virgilius tecit. In uino fuluum colorem, auro similem esse putamus, aut aurichalco, qui est color intensior, quàm flauus. tamen & nonnunquam pro flauo accipitur. Adsunt uero uina & magis & minus fulua. Nos uulgo hęc uina aurea nuncupamus. Aliqui putarunt Chrysocollam esse fului coloris: qui longe decipiuntur: quoniam si de artificiali loquantur, est albicans & flaua: si de naturali, est uiridis, & habet colorem (ut inquit Plinius) segetis lęte uirentis. Arena circi Chrysocolla strerni iussa est à Nerone, cũ ipse concolori panno aurigaturus esset, Plinio teste libro. 33. capite. 5. Antiqui morem illum seruabant, quem & nunc seruant: ut colores & uestimenta essent in mulos similia, qui erãt in spectaculum & in certamen descensuri, quod similitudinis genus appellant leurea, forte à leporibus, quę eodem indutę colore. & eadem ferè indutę pelle in copia appàreat, & in cãpos prodeunt. Vina igitur illa quę auri colorem habere uidentur, fulua uocantur, cum igneo quodam splendore: qualium multa sunt, in Mutinensi agro, & Bononiensi, & nonnulla in Ferrariensi, & quale secundum Galenum falernum quod nos putamus esse uocatum gręcum ex monte uesuuio. & in libro de cibis boni & mali succi inter hęc numerat hippodamantium, & faustianum: quæ quidem & hęc etiam flaua uocet: quoniam quę colorem habent minus intensum, flaua sunt: quę magis intensum, sunt fulua: nempe fulua ruborem quendam habent. unde πυῤῥὰ ab igne dicũtur Galeno ipso teste, & ignis ipse dicitur πυῤῥός idest fuluus. Plinius uero libro. 14. capite. 9. huius coloris in uino mentionem non facit, sed tantum coloris fului meminit: quoniam (ut arbitror) paucam faciebat inter flauũ & fuluum differentiam. Nunc tamen ad flaua uina descendamus. de quo colore si apposite loqui uoluerimus, necessarium erit contemplari quę à summis authoribus flaua dicantur, quę Greci ξανθά appellant. potissimum uero in capillis est flauities, unde Homerus frequentissime Grecas mulieres ξανθάς, & Menelaum ξανθὸν idest flauum uocat. Apud summum uero poetã Virgilium quę flaua sint edoceamus, primo Georgicorum libro uersu. 73. Flaua uocat farra, & per farra frumenta intelligit, cũ inquit,

Aut ibi flaua seres mutato sidere farra,

In eodem quoque libro uersu. 96. flauam uocat Cererem. i. frumenta, inquiens, neque illum

Flaua ceres alto nequicquam spectat olympo.

Et uersu. 316. campum uocat flauum, quoniam flauas habet segetes, cum ait,

Sępe ego cum flauis messorem induceret aruis
Agricola.

Vocat & flauas Istri arenas. 3. Georgicorũ uersu. 350. dicẽs,

Turbidus & torquens flauentes Ister arenas.

Et libro Georgicorum. 4. uersu. 126. canit.

Qua niger humectat flauentia culta Galesus.

Et in eodem quarto, uersu. 339. flauam nominat Lycoriam, ubi marinas numerat deas, Et in. 5. Aeneidos in Didonis morte inquit, crinẽ habuisse flauũ, quem Proserpina nõdũ abstulerat uersu. 697. inquiẽs,

Nondum illi flauum proserpina uertice crinem
Abstulerat.

De Tybere preterea in. 7. Aeneidos uersu. 31. dicit Arenas habere flauas, cum cecinit,

Vorticibus rapidis & multa flauus arena.

In mare prorumpit.

Hinc'que facile haberi poterit, flauum & fuluum parum differre, quoniam Ouidius.14. Transmutationum libro easdem Tyberis arenas fuluas uocat, uersu.448. quas flauas dixerat Virgilius. Inquit uero Ouidius,

In mare cum fulua prorumpit Tybris arena.

Et in calce.9. Aeneidos libri flauum, uocat fluuiū in quem se deiecit Turnus & ad suos rediit, cum cecinit, uersu.826.

Tum demum, præceps saltu sese omnibus armis
In fluuium dedit, ille suo cum gurgite flauo
Accepit uenientem.

Et in libello inscripto Ciris, uersu.501. Verticē flauū, ita dicit,

Purpureas flauo retinentem uertice uittas.

In Priapea oculos etiam uocat flauos, cum uersu.225. ait,

Mineruа flauo lumine est, Venus pęto,

Et eodem loco cretam uocat flauam uersu.223. cum inquit,

Vuę'que quales flaua non legit crete.

Et flauum Nauticum appellat, uersu.713. eiusdē libri, dicens,

Flauum prope Tyberim, & olentis nauticum. quęq; posset & ad Tyberim referri.

At quicquid sit. flauum colorem in puerorum & uirginum crinibus splendescere nouimus, & segetes ac fruges dicuntur flauę, cum fuerint maturæ. Est uero flauus, uiridi, ruffo, & albo confectus.

Ruellius, olearum frondes flauas à Virgilio dici refert in primo de stirpium natura.

Id nunquam uidimus apud Virgilium: sed pallētem legimus oliuam. est ęgloga quinta uersu.16. cum Menalcas ita cecinit:

Lenta salix quantum pallenti cedit oliuę,
Puniceis humilis quantum saliunca Rosetis:
Iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.

Et profecto è prona foliorum parte oleę pallent. nullo uero modo flauescere uidētur nisi sint procidua folia. Sunt ergo uina ξανθὰ non, quidem alba, nec fulua, sed media, quales sunt flaui puerorum crines, qui albi non sunt, neque fului. Vnde nostrę uocatę albanę flauę nūcupari poterunt, non tamē omnes, sed illę quę uehementiores sunt, nam Galenus.12. Methodi, & alibi uina flaua facit calidissima. quęq; cū hoc dicit, putamus & fulua subintelligere: nam & hęc calidissima sunt. Nunc ad Rubra pedem conferamus.

Rubra uina, quę à Gręcis ἐρυθρὰ dicuntur, illa sunt, quę Plinius libro.14. capite.9. uocat sanguinea. nam uinorū colores enumerans sanguineum cōmiscet, & rubrum pręteremittit, utpote qui sub sanguineo intelligatur. Nos uina nigra uocamus, & rubra ipsa, & oīa quę nō sunt alba, neque flaua neq; fulua. Tū proprie illa sunt rubra, quę colorem habent rubrum, ueluti sanguis ruber est. quę uina & ab aliquibus Italię populis Ceresuola uocantur, quoniam cerasi duracini colorem referunt. Intellige uero genus illud cerasi quod rubrum est. fit ab Homero uini rubri mentio in Odyssea septies. ut plurimum uero nigra uina aliis pręfert, cum de illis frequentius mentionem faciat, & uinum nigrū in Vlyssis cellario seruatum retulit. Idem contingit & nostro hoc tempore in Piceno, quę Marchia Anconitana uocatur. uina nigra magni faciunt: cum omnia ferè habeant alba, flaua, uel fulua. Imo maxime honoratur aduena, cum uino nigro excipitur. & illud pro ęgris seruant, ac sibi obesse non posse, si nigrum uinum biberint. & in doloribus salutare putant, nigrum uinum potasse. fuere igitur nigra uina apud Homerum, & eius æuo in honore, ut nunc & apud nonnullas gentes in pretio sunt. Vina rubra in secundo erant in honore, loco, utpote nigris affinia, cum nigra non sint. Sunt ergo uina rubra, quę & nonnulli Rubella appellarunt. Vnde & Martialis in primo Epigrāmatum libro ad Scęuolam inquit,

Et Veientani bibitur fex crassa rubelli.

Plinius hęc uocat sanguinea. In fine tertij libri de alimētorum facultatibus Galenus inquit, Rubra uina & crassa sanguini generando esse accōmodatissima, ut quę minima egeant mutatione ut sanguis fiat. Aliqua sunt nigra uina, quę uetustate fiūt rubra, postea fiunt fulua, deinde flaua, qualia sunt perperina uocata à Galeno in libro de cibis boni & mali succi. At alba uina nunquam possunt in flaua transire, ut Galenus in quinto de sanitate tuenda testatur, inquiens. Itaque etiam quę ualde ab initio alba sunt, si inueterauerint, flauorem quandam contrahunt. unde primū pallidula, mox uero plane pallida fiunt. quod si longissimo tempore seruentur ex pallido flauentia cernuntur. nam ut omnino flaua fiant, quę alba uina sunt, fieri certe nequit. Minus possunt fieri rubra, quia ruber color flauo intentior est. Imo nec fulua fieri possunt, cum sit color parum intensior flauo.

Reperitur & uinum ὠχρὸν, quod pallidum interpretantur. Galenus de illo mentionem facit in.5. de sanitate tuenda, ubi dicit esse medio colore inter flauum, & album. Imo si aqua flauo misceatur, fit pallidum. Galenus nonnunquam accipit ὠχρὸν pro uiridi, nonnunquam pro luteo. Et Hermolaus interpretatur ὠχρὸν modo luteum, modo pallidum. hic color facile sensu percipi potest, qui ὠχρὸς in uino dicitur, si flauo uino aquam misceamus, ut Galenus in.5. de sanitate tuenda ostendit. tunc enim occurret nobis hic color, qui nō est albus ut aqua, neque flauus, ut ipsum flauum uinum, sed naturā quandam mediam seruat in colores ut hic sit in uinis ordo: Album, pallidū, flauū, fuluum, rubrum, nigrum. Inter album uero & ξανθὸν, idest flauum, in medio pręcise adest pallidum. sed deinceps Galenus à lateribus posuit ὠχρόλευκον. idest ex pallido albicans, & ὠχρόξανθον, idest ex pallido flauum ut magis & minus ad album & flauum inclinat. eodem modo possemus multa media inter alios inuenire colores. hoc unum apud omnes constat, uinum pallidum rei pallidę simile esse debere. Antiqui uero nuncupant buxum pallidū, & mortuos pallidos. Ast aliud est genus pallidįtatis hoc quo mortui sunt pallidi, nisi dicamus, & multos mortuos buxi colorem inducere. alios uero esse exangues. Tamen ut pallidum colorem inueniamus, consideranda sunt, quę à poetarum principe, quem putant rerum proprietates, & nomina obseruasse, pallentia & pallida nuncupentur: in sexta ęgloga quę silenus dicitur, uersu.55. herbam uocat pallidam, inquiens,

Ille sub nigra pallentes ruminat herbas.

Imo prius ęgloga secunda, cui alexis nomen est uersu.47. uiolas dicit pallidas, cum inquit:

Pallentes uiolas, & summa papauera carpens.

In primo Georgicorum pallidam nuncupat Auroram, cum uersu.448. futurę tempestatis indicium signis à luna sumptis ponere uolens, inquit: aut ubi pallida surgit

Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Et in coniuratione contra Cęsarē, quę in primi Georgicorum calce describitur uersu.479. pallida uocat simulacra, cum inquit, & simulacra modis pallentia miris

Visa sub obscurum noctis.

Et in tertio Georgicorum, ubi de his qui iuxta paludem Mgotidem habitant, agit, inquit uersu.357.

Tum sol pallentes haud unquam discutit umbras. ut uideas umbras etiam nuncupare pallentes,

Et in primo Aeneidos Sichei imago pallida apparuit in somnis Didoni, cum ait uersu.357.

Ipsa sed in somnis inhumati uenit imago
Coniugis, ora modis attollens pallida miris.

Et in.4. Aeneidos animas uocat pallentes, cum Mercurius animas aliquas liberabat ab orco, alias ad orcum mittebat suo caduceo, uersu.248. Ita uero canit

Tum uirgam capit: hac animas ille euocat orco
Pallentes: alias sub tristia tartara mittit,

Et pallor Didonem inuasit, quando Annam sororem de pyrę extructione allocuta est in.4. Aeneidos uersu.498.

Hęc effata silet: pallor simul occupat ora.

Vocat etiam infernalia regna pallida, quando speluncā Caci, infernali barathro cōparat inquiens uersu. 240. libro octauo

& regna recludat

Pallida, dijs inuisa, superque immane barathrũ.

& futuram mortẽ nominat pallidam. 8. Aeneidos, uersu. 704. cũ de Cleopatra in scuto caelata haec dicit,

Illam inter caedes pallentem morte futura.

Et quãdo Aeneas in. 10. libro Lausum occidit, uersu. 822. ingt

At uero ut uultum uidit morientis, & ora,
Ora modis Anchisiades pallentia miris·
Ingemuit miserans grauiter, dextram'que tetendit.

Et in. 12. Aeneidos uersu. 221. pallorem in iuuenili corpore esse dicit his uerbis·

Demissio lumine Turnus
Pubentes'que genae: & iuuenili in corpore pallor.

Vocat praeterea & prata pallida in Diris in Battarũ, cum inquit uersu. 16.

Pallida flauescunt aestu sitientia prata.

Sidera nominat pallida in eodem libro uersu. 142. cũ inquit,

Sidera per uiridem redeunt cum pallida mundum.

In Aetna uero Ditis regna nuncupat pallida uersu. 77. dicens,

Atque inter cineres Ditis pallentia regna.

Et pallidum ignem in eodem libro appellat, cum de luna & sole uersu. 236. inquit·

Quo rubeat Phaebe, quo frater palleat igne,

Ob timorem pallent homines, unde uersu. 274. ait,

Non subito pallere sono.

Imo si consideremus, in libello Ciris inscripto pallorem uocat uiridem, cum inquit uersu. 225.

Non tibi ne quidquam uiridis per uiscera pallor.

Inuidos homines pallidos nuncupat in libello de inuidia, ut qui inscriptus est liuor, cum uersu. 10. de inuidis inquit,

Pallor terribilis genas colorat.

Et in libello de Rosa, illam nuncupat pallidam, cum inquit uersu. 34.

Haec modo quae toto rutilauerat igne comarum,
Pallida collapsis deseritur folijs.

Nec istud praetermittendum est, q̃ in Priapea homines salaces & multi coitus pallidos nuncupet. uersu. 163. ubi Priapus de suis conqueritur uicinis, quae nimis illum delassant, ut sit

Confectúsque, macérque, pallidúsque.

Verum cum tot pallida, atque pallentia dicantur, arbitramur uocabulum pallidum duo significare, & colorem illum buxo similem, & colorem ferè cinericium, 'qualem contrahunt qui timent. At quia palliditas, quae buxo assimilatur, ab aliquibus dicitur uiriditas· propterea non est mirũ si Virgilius in libello inscripto Ciris dixit uiridẽ pallorẽ, & nos uulgo similẽ colorẽ uiridem clarũ noiamus. uocabulũ ὠχρὸν pallidũ ꝓprie significat, pallore illo qui buxo assimilat, & nõ pallore ob timorẽ cõtracto, qui fit cũ sanguis extrinsecas relinqt partes, & ad intrinsecas reflectĩt, ut arcẽ tueatur. Vinũ igitur hoc ὠχρὸν pallidũ interpretetur, & per pallidum colorem illũ intelligamus qui inter album ut aqua est, & flauum. ut hic ordo sit, ex colore remisso in intensum, albũ, pallidũ, flauũ, fuluũ, rubrũ, nigrum. Et si dicas ex hoc sex colores esse uidebuntur. Respondemus & multo etiam plures si distinguantur, sed praecipui quatuor tantum sunt, & exquisite distincti. Nos multas in uinis & uidimus & audiuimus differentias, & multa dissidia: quidã idem uini genus fuluũ esse dicebant· alij flauũ ut flauũ & fuluũ pro eodem accipiantur colore. Et de albo ac pallido quidam idem esse dicebant, alij negabant. Vnde si non tam ample multiplicauerimus colores, in una latitudine erit una sola penes colores species. Vinorum autem ordinem praedicto ferè modo disposuit is qui de uinis librum fecit Galeno adscriptum, primo album ponit, postea flauum, deinde κιῤῥὸν, deinceps rubrum. At hoc ad rem nihil facit. Non erunt igitur plures quatuor, nec pauciores uinorum colores, si in genere considerentur, & ut pluribus unum esse uideantur. Verum si dicas adesse & uinũ Russum· Respondemus, ad rubrum deduci, uel ad fuluum & flauum. Ad hos igitur quinque colores. uel ad quatuor, omnia uinorum genera, secundum colores deducuntur. Itaque Galenus & Plinius concordes erunt, neque erunt superflui, uel diminuti, flauum, & fuluum pro eodem accipi colore, ut Galenus ipse testatur, & apud poetas ita esse constat. nam unus rem quandam fuluam uocat, quam alter flauam nuncupauit, ut superius dictum est de Tyberis arena· quam Virgilius flauam, Ouidius fuluam appellauit. At inquies nónne reperitur & pellucidum uinum & splendens· ut de ipsis mentionem facit Galenus in libello de cibis boni & mali succi? Respõdemus, hos non esse colores, sed affectus quosdam circa colores. nam esse pellucidum uel splendidum cũ omni colore esse possunt. Imo & cum nigro, cum quo non deberent posse iungi, si quis sit, cui non iungerentur.

Quarto Galenus ad secundam uinorum differentiam gressum uertit, quae in gustu cõsistit, & à uinorum saporibus sumitur. Saporem uero in dulcem & austerum & in mediũ inter dulcẽ & austerũ diuidit. hoc uero mediũ, aut est dulci & austero priuatũ, ut nullã habeat uel dulcis uel austeri qualitatẽ, quae sensu percipi possit, uel ex utraque constat. Addit praeterea & uinũ quod acre uocatur. hae sunt à saporibus sumptę differentiae.

De uinorum saporibus,

Vt uero haec de uinorum saporibus exquisitius cognoscerentur· primo de saporibus agere oporteret, & quot sint saporum genera edocere, propterea cum hoc, negotium aliud exigat maius, rem hanc breuissime tantum trademus, quantum saporibus erit satis, de quibus hic mentionem Galenus facit in uinis. Plinius lib. 15. capite. 27. saporum genera tredecim esse prodidit· Dulcis, suauis, pinguis, amarus, austerus, acer, acutus, acerbus, acidus, salsus. Theophrastus sexto de plantarum causis libro sapores septem, uel septem saporum genera enumerare uidetur, ut septem sunt odorum genera, & colorum. Sunt uero haec· Dulcis, Pinguis, Amarus, Austerus, Acris, Acutus, Acerbus. Paulus libro. 7. capite primo Gelidũ addit, uel aquosum. nam ipse sua lingua inquit ὑδατώδης. Et quamuis Plinius tredècim genera ponat, tamen à Theophrasto non differt. nam Theophrastus inter sapores salsum non numerat, non quia sapor non sit, sed quia de fructuum saporibus loquitur, nullusq; inuenitur fructus qui salsus sit. hinc inter sapores salsum non numerauit, uel ut ipse inquit, salsus sub amaro continetur, & si secernere tentes, tunc dicere oportebit octo esse saporum genera. Imo quia nonnulli uinosum saporem inter sapores numerant, hoc Theophrasto non placet· etsi Plinius uinosum saporem libro. 15. capite. 28. prunis attribuat. Dubitat praeterea & de lactis sapore, qui ab alijs distinctus uidetur. At inquit ad dulce reduci. Additque nulla esse posse, in quibus uini sapor reperiatur, cum possit esse dulcis, acerbus, & austerus. haec uero de lacte & uino elegantissime Plinius à Theophrasto accepit, cum capite. 27. 15. libri, tredecim saporum generibus enumeratis inquit. Praeter haec, tria genera sunt mirabili maxime natura. unum in quo plures pariter sentiuntur sapores, ut uinis. Nãque in his, & austerus, & acutus, & dulcis, & suauis oẽs alieni. Alterum est genus, in quo sit & alienus quidem, sed & suus quidam & peculiaris, ut in lacte· siquidem inest ei (quod tamen iure dici non potest) dulce, & pingue, & suaue, obtinente lenitate, quae ipsa succedit in saporis uicem. Nullus hic aquis ne succus quidem, ut tamen eo ipso fiat aliquis, ac suum genus faciat, sentiri quidem aquae saporem ullum succúmue, uitium est. Adde Theophrastum sub dulci, lene, uel suaue intelligere, & sub acuto acidum: ut Plinius à Theophrasto modice dissentiat. Galenus uero in libello de oculis (si Galeni sit hic liber) capite. 2. sapores hoc enumerat modo· Dulcis, unctuosus, amarus, salsus, acutus, ponticus, stypticus, acetosus: & in primo de natura humana libro, qui uere est Galeni commentarius, ita enumerat· Acidus, dulcis, amarus, salsus, acerbus, austerus, acris, & pinguis. ut octo referat genera, in primo loco ponit stypticum, in hoc secundo austerum. sed inquies ab his authoribus insipidum non enumerari saporem, neque ponticũ à Plinio, & Theophrasto. Rñdemus de insipido, cum nullũ habeat saporem, potius est saporis priuatio, q̃ sapor. tamen quia, Ga-

lenus insipidam plerunque uocat pituitam, idque facit, pituitę sapores enumerans, & est sapor qui displicet: propterea dicendum est ab his non numerari, quoniam linguam non moueat, ut alij faciunt sapores. Ponticus uero ad alios deducetur sapores, & re uera nondum exquisite notus uidetur hic sapor ponticus. Tamen in libello, quem aliàs de saporibus cœpimus, hæc omnia ad unguem differentur, si Deus præstet, nos illi libello ultimam manum imponere, his uero nunc prętermissis, ad sapores, quos Galenus de uinis hac in parte enumerat, accedamus: eosque singularim reperiamus, ne minorum differentiæ in saporibus nos lateãt. priusquam uero ad saporum examen, qui in uino sunt, descendamus, dubium occurrit, uinorum diuisiones penes sapores referens, inquit aliud esse dulce, aliud uero austerum. At hæ duæ partes, uel (ut inquiunt) duo membra haud recte contraponuntur, quoniam austerum non est dulci oppositum, sed dulci amarum opponitur. ut potius dicendum esset uinorum alia dulcia, alia amara, forte dices nulla reperiri amara uina. propterea in uinis dulci non opposuisse amarum. At hoc absurdum est, quoniam & uina reperiunt amara, Ferrariæque per hominum ora adagium uagatur, uino amaro à testa caro, uina amara tibi sint cara. quoniam non putrescunt, sed diu seruantur, & uentriculum roborant. nam quodammodo adstringunt. Respondemus, nulla uina posse dici uere amara, nisi inueterauerint. unde Galenus in libro de cibis boni & mali succi inquit. Album quoque quale est Bithynum Amineum: quod ubi inueterauerit, Romani cecubum uocant: cuiusmodi fuerit generis haud planè agnoscas. habet enim amaritiem quandam, qua potui minus idoneum redditur. Id tamen caupones cum recentioribus uinis admiscent, eáque pro uetustis uendunt, atque ita nonnullos fallunt, qui in degustandis uinis non omnem notitiam habent. Sunt ergo aliqua uina antiqua amara, quę gustum offendunt. Nos uero dicimus nõ esse tam amara ut bibi non possint. Imo nisi experirentur, caupones uinis nouis non immiscuissent, ut deciperent emptores, qui noua pro ueteribus emerent. Amara ergo sunt, sed non multũ, & talia sunt austera & stypica: quippe parum differunt stypticus & austerus sapor. propterea apud Theophrastum sub austero, stypticum intelligitur. Hæc igitur uina, quę amara uocamus, & styptica simul sunt, atque austera. unde quodammodo linguam adstringere uidentur, & ideo sub austero amarum intellexit. uel dici posset, & si dulce, & austerum quo ad saporis qualitatem opposita non sint, saltem quo ad proprias operationes opposita sunt, & quas in humanũ corpus producũt. En si rem ipsam contemplari uoluerimus, dulce, & austerum, sunt penes primas qualitates opposita: quoniam dulce uinum moderate calefacit, austerum uero moderate refrigerat. In secundis præterea operationibus opposita sunt: quoniam sputa à dulci uino excitantur & proritantur. ab austero prohibẽtur & clauduntur: & dulce uinum aluum proritat, & educit, austerum uero potius adstringit & comprimit. Et ob id ratione primarum & secundarum operationum in actione ipsa opposita sunt uinum dulce & austerum. Quapropter Galenus illa ueluti opposita retulit. Imo si Galenum recte consideremus in secundo de arte curatiua ad Glauconẽ, in illa parte in qua de sinu agit, & docet Melicratũ esse melius ad abstergendũ & expurgandum circũstantes humores uitiatos, ad cõglutinãdũ uero uinum est melius: & si uini genus petas, inquit, sit autem inter dulce & adstringens medium. ut uideatur dulce & adstringens ueluti extrema ponere. Quare ratione adstrictionis & oppositi, erunt uinorum differentię. In secundo preterea cõmentario in tertium epidemiorum sectione quinta in fine expositionis notarum illius sententiæ in uinis distinguit austerũ contra dulce. Nunc uero de his uinorum saporibus agendũ, à dulci incipientes.

Dulcem saporem dulcéque uinum, nemo est sanus gustãs qui non nouerit. nam suauissimus est omnium saporum, & naturæ amicissimus: calorem humanum paulo superat. unde concoquit ac maturat, rarefacit ac laxat. Plinius succos hos dulces facit, uuarum, ficuum, palmarum, ueruntamen saporis dulcis experimentum in ipso melle est, & in uino quod dulce sit. nam sese patefacit id uini genus. Opus igitur non est pro sapore dulci cognoscendo & percipiendo ad alia transire, quàm ad dulcia uina. Erant apud antiquos in summo honore: ut Homerus in suis uoluminibus nunquam de alio sapore in uino, quàm de dulci mentionem faciat. Idque frequentissime est. nam in Odyssea uigenes dulcis uini fit mentio, & ter suauis. hi enim sapores ad alendum sunt alijs promptiores, & ad naturam propius. Et hi dulces sapores omnibus grati sunt, his dempt[i]s, qui sensus habent præter naturam affectos: ut Theophrastus. 6. de plantarum causis capite sexto testatur. ex calido constat & humido hic sapor: &, Theophrasto præadducto loco teste, per coctionem fit. unde in fructibus palam uidere est ex coctione & maturitate dulcia fieri. uuę etenim primo sunt acerbę, postea acidę, denique dulces. Mora eosdem patiuntur mores. Galenus in libello de oculis sibi adscripto, cap. 1. docet, illa quę linguam delectant, esse humanæ temperiei similia: humana uero temperies temperate calida est & humida. hinc ergo & omnia linguam delectantia, & humana corpora, sicut aqua tepida, delectant: delectationem ergo facientibus si aqua dominetur, dulcia sunt. ut palàm ostendat dulcia omnia esse humida. De dulci uero sapore in primo de simplicium medicamẽtorum facultatibus secundum Platonem Galenus agit. inquitque lenire quæ fuerit exasperata: & quæ præter naturam coierint, constiterintque, aut fusa laxáque fuerint: partim contrahit, partim laxat. omniaque quàm maxime ad naturæ statum reducit, quicquid eiusmodi est, iucundum, suauéque & cognatum est omnibus, uiolentarúmque passionum remediũ & medela, nominaturque dulce. hæc sunt Platonis uerba à Galeno adducta de dulci sapore: ipse uero Galenus capite. 10. quarti libri de Simplicium medicamẽtorum facultatibus à calido fieri dulce ostendit. De dulcibus autem uinis, Galenus in calce libelli de uictu attenuante, minus dulcia esse putat quæ clara sunt ac pellucida, coloréque pallida ac flaua. Infertque nullum album uinum eẽ dulce, & in libello de cibis boni & mali succi idem testatur: ex flauis uero & fuluis alia non sunt dulcia, alia mediocriter dulcia. Nigra uero dulcissima sunt, non tamen omnia. habebimus & in sequenti commentatione de uino dulci, quod calefaciat, & item humectet, hæcque de dulci uino satis sint. Id uero an nullum album uinum dulce sit, suspectum uidetur ob illa uina quæ ex prima uuarum motione in Calabria fiunt, quorũ aliqua sunt dulcia. At Galenus de albis aquosis intelligendus est, ut superius dictum est, quando edocuimus Galenũ de albis aquosis loqui, & aquę simil bus. Ambiguitas præterea est de flauis uinis & fuluis Mutinensibus, atque Bononiensibus, quæ dulcissima sunt, & de Muscatellis sancti Ioannis uocatis, ac alijs similibus in Italia. Dicimus si dulcedo extrema spectetur in his uinis & in nigris, semper nigra longe excedunt. tamẽ & illa sunt apud nos dulcissima, quę forte in Galeni patria talia non erant: At dulci uino posthabito ad austerum accedamus, austerum saporem Paulus iudicat in malo granato deprehẽdi posse. Tria enim sunt Granatorum genera: dulcia, acida, austera. Austera adstrictione iudicant. Galenus in primo de Simplicium medicamẽtorũ facultatibus, ubi de proprijs sensus cuiusque sensorijs uerba facit, notat Platonem illa uocare αὐστηρὰ, quę Græci solent nuncupare στύφα .i. adstringentia. nã & antiqui Græci ita nuncupare solebant. & profecto Theophrastus de adstringenti sapore nihil dixit, quoniam illum sub austero esse intelligebat. nam modice differunt. Paulus libro. 7. capite primo inquit στύφον .i. adstringens, colligere, constringere, densare, eijcere, repercutere, incrassare, & refrigerare, ac exiccare, sua naturæ aptitudine solet. Galenus. 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite. 6. ex Platonis sententia saporem austerum docet, inquiens. quęcunque partes in eiusmodi succis deferuntur terrestres, eę liquefactę contrahunt atque exiccant linguę sensibiles partes: ac si exasperant, acerbę: sin minus id faciant, austeræ apparent. ut austerum sapo-

rem esse faciat, cum quis uinum biberit, quod contrahat, & exsiccet linguę partes, tamen non exasperet. propterea possunt esse uina dulcia simul & austera, sed non dulcia & acerba. propterea in .7. capite eiusdem libri, inquit, fructum palmę esse austerū & dulcem. Gustans igitur palmæ fructum, austerum saporem iudicare poteris. Austera uina dicit esse Surrentinū, Sabinum, Albates. sunt huius generis uina apud nos quę cum bibuntur, linguam colligare & constringere uidentur, & non exasperant. hęc uina dicuntur austera. & multa huius generis uina ex uua fiunt uulgo aurea uocata. uina quędam Longobarda .i. ex Insubria sunt austera, & quędam ex monte Brienzę allata, nō tamen omnia. Siccum os reddunt huius generis uina, & linguā penetrare uidentur. Galenus primo de Simpliciū medicamentorum facultatibus, ubi ostendit, quo differat adstringēs sapor ab austero & acido, inquit, esse impossibile hoc exactè exponere. notatque στρυφὸν .i. adstringens à Theophrasto dici austerum. additque adstringentia, introrsum pellere contactā nostri partem: idque ęquabiliter. Sed austera in profundum etiam subire uidentur, atque asperum quendam, atque inęqualem mouere sensum tanquam resecantia, & humorem omnem corporum sensibilium depascentia. At si corpus admotum linguę ualide desiccet, contrahat, & in multam profunditatem illam exasperet, ut faciunt pira syluestria immatura, & corna, hæc dicunt acerba. quę, ut inquit Galenus, ab austeris intentione duntaxat sunt diuersa, ut hinc adstringentium, austerorum & acerborum differentia colligi possit. Multi uero & austerū uocant pōticum. Vnde Galenus in libro de oculis secundo capite, quē Gręcum non habemus, inquit, ponticum saporem coadunare linguam, & præmere non solum superficie tenus, uerum etiam intrinsece. Vnde obstruit & asperat. hęc aūt fiunt ab austero. ꝓpterea idem erit ponticum cum austero. Est uero is sapor, quē uulgo appellamus Racēte, qui quādoque est adeo intensus, ut si quis plenum haustum bibere tentet, oculi illacryment: adeo uinum hoc penetrans est. Galenus in libello de cibis boni & mali succi inquit, cilicium uinum esse dulce & austerum simul. postea docet omnia uina quæ egregie austera sunt, uentrem laxum ac stomachum firmare, ac tum pręcipue cum calida intemperie affecti sunt: hac enim de causa, atque etiam ad alui fluxiones sistendas austeris utimur uinis. propterea ad nullos alios usus ea accōmodare solemus. Nam nec alimenti ipsius digestioni, nec sanguinis confectioni, nec bonis gignendis humoribus, nec facile reddendę urinę, nec eliciendis sudoribus, nec aluo deijciēdę quicquam cōmode adiumētique afferunt. In calce libri de uictus ratione attenuante, inquit, uinum illud cilicium, quod simul austerum est & dulce, esse nigrum, & uocari ęgeates, atque esse noxium omnibus thoracis affectibus, quamuis acerba sint pectori magis noxia quàm austera. Nos austera simul & dulcia habemus ex uua uocata aurea, & nonnunquam ex uocata bazegana. quę cilicię erunt similia. In somma igitur dicamus, austera uina uel pontica, quę & αὐστηρὰ dicunt & στρυφνὰ à Theophrasto & à ueteribus. Illa sunt quę nunc uulgo uini raceni nuncupantur, quę & dulcia sunt, & non dulcia: & quorum sapor adeo penetrat, ut lacrymas proritet & nō tantum in linguam, sed & in palatum penetrat, ósque siccū relinquit, Et ex his nonnulla amaritudinem quandam habere uidentur, quę uina apud nos in pretio sunt. Et hic sapor in uinis à nostris summe laudatur. Imo uinum aliquod cęteris preferre uolentes dicunt esse racente. Galenus uero libro .4. de cōpositione medicamentorum secundum genera, in illa parte ubi loquitur de scriptis ab Andromacho emplastris ad ulcera maligna, & est post medicamentum obducendis cicatricibus ex collectaneis Primionis, ad desperata, illa in parte declarat quid tria hęc nomina significent, austerum, acerbum, adstringens. Inquit uero: Austerum enim Grecis idē sibi uult, quod mediocriter adstringens. Acerbum quod ualide ac uehementer id facit. genus utrique cōmune adstrictionis uocabulo signatur, non etiam utrum ualide an obscure ea fiat, declarante. Omnia igitur adstringentia contrahunt, ac densant meatus. ad hęc uinciunt, ac continent partium sibi inuicem cohærentium substantiam, atque minus magisque hoc pro astrictionis quantitate efficiunt. Cęterum stringendo. atque densando summa corporis, quod adstringitur uirtus illorum excluditur, & in altum ire prohibetꝰ. ob quam rationem pulchre nōnulli medicorū eiusmodi pharmacis alia subtilium partium & acri potestate pręedita inde rę cogitarunt. à quibus ueluti ductę adstringentium uires in profundum corpus perueniant, ut hinc facile colligi possit, quid austerum sit, acerbum, & adstringens. In calce uero libelli de uictus ratione attenuante mentio fit uini pontici, & edocetur fuisse in honore apud antiquos. nūc uero ad alia saporum genera, descēdamus & ad illum quem Galenus inter dulce & austerum medium uocauit.

Vinum hoc medium inter dulce & austerum, tale est ut non emolliat, neque uentrem deijciat, ut dulce facit, sed neque adstringat ut austerum. sed mediam quādam obtinet naturam, neque quo ad saporem dulce dici potest, neque austerum, ut neque hoc sit neque illud. Si uero petas quodnā uini genus hoc sit: illa notanda sunt, quę à Galeno in libro de cibis boni & mali succi dicūtur. primo etenim ponit uinum Scybelites & Theræum esse absolutę dulcedinis: postea cilicium esse austerū & dulce simul. Tertio uinum quod ęgis & perperinę nascitꝰ, dicit esse inter hęc media: quoniam neque habent exquisitā dulcedinem, neque notabiles adstringendi uires. unde perperinū & ęgis uina media erūt inter austera & dulcia, qualia apud nos sunt multa. Imo & hoc medium amplam habet latitudinem, Galenus tamen notat esse duplex medium: unum quod utrāque participat qualitatem, quale erit perperinum & ęgis, quę subdulcia sunt, & subaustera: Aliud quod neutram habet qualitatem, ut sunt uina apud nos uocata mortua, ac si dicatur qualitatum expertia & ἄποια. neque enim dulcia sunt neque austera, neque alia insigni qualitate prędita. Ad aliud uini genus descēdamus, quod δριμὺ .i. acre uocat Galenus. sapor δριμὺ, quem acrem interpretatur, ita à Galeno in calce ferè primi libri de Simplicium medicamentorum facultatibus edocetꝰ. Que mordicant, inquit, roduntque, idque cum ualida quadam caliditate, acria uocantur. Quæ uero sint hęc uina, sunt omnium calidissima: nam sicuti Galenus docet, sapores acres sunt admodum calidissimi. Vina igitur calidissima erūt acria, qualia sunt flaua, nam in. 5. de sanitate tuenda, flaua uina ponit omnium calidissima. & in. 12. Methodi. hęc igitur erunt acria. Calidissima uero in Gręcia uina sunt Ariusium, Lesbium, Mysium: calidissima in Italia falernum, Surrētinum: Ideo hęc omnia uina sunt acria. Quod igitur Romæ, & Ferrarię quando habetur, & nūc in cella uinaria Illustrissimi Principis nostri, Greco de Soma: uocatur & uinum creticum, & quod uulgo dicitur Romania: sunt uina acria. Ferrarię nō nascuntꝰ acria uina: quippe nulla sunt tā potētia, ut calidissima sint. Hęc de saporibus quæ à Galeno hic numerantur. Aliquis uero in Galenum dubitare poterit, qui Hippocratem reprehenderit, qui non solum inordinate, sed & diminute de uinis tractauerit. Verum & ipse reprehēsione dignus est, qui & inordinate, & diminute de uinis pertractauerit: nam inordinate id fecit, cum dulci austerum opposuerit: diminute, cū de acerbo uino nihil dixerit. de quo tamen mentionem facit in calce libelli de ratione uictus attenuante. Neque mentionem facit στυφόντων .i. adstringētium, de quibus & eodem loco agit. De eisdem pręterea mētionē facit in libro de cibis boni & mali succi. Adde insuper & acida uina & salsa, de quibus nullam mentionem fecit. Respondemus nō fuisse institutum Galeno de omnibus uinorum generibus penes gustum agere, sed quędam tantum numerare: uel sub austero acerbum & adstringens intellexit: cum & prope finem primi libri de Simplicium medicamētorum facultatibus dicat, quod nos adstringens uocamus, nō dici à Theophrasto. uidetꝰ autem idem significare quod austerum, aut certe cōmune esse genus, tum huius, tum etiam acerbi. ut hinc elici possit hęc tria simul confudisse Galenum. Vnde in proposito sub austero & acerbum & στρυφὸν .i. adstringēs intellexit. στρυφὸν enim adstrin

gens in balaustio percipitur, in cotonio immatura, acerbus sapor in uua omphacia, quam nos acrestam quasi acerbā uocamus, sentitur. De acido inter uina non numeratur, quod uere acidum est. nam ex uino iam transiuit in acetum, uel & ad eadem deducere uoluit. De amaro superius dictum est, quomodo esset Galenus excusandus, & quomodo secundum operationes erat austerum dulci oppositum: quāuis simul se comparantur austerum & dulce, ut in uino cilicio docet Galenus. De uino salso, arte fieri dicimus non natura.

Forte ambiges contra sapores qui à Galeno ponūtur, ut uinorum differentias faciant. Ac hoc per se facere nō uidentur quoniā quod per se neque corpus iuuat, neque corpori obest non potest esse differentia per se uini. At si uini saporem contēplemur, non uidetur per se uel prodesse uel obesse: nam & prodest & obest uinum ratione suę temperaturę, & ratione suæ consistentiæ. Vnde sapores in uino differentiam per se facere non possunt. Respōdemus & saporem aliquid per se agere: quippe nōnullam habet actionem, quam non habet à consistentia uel à substantia à uini temperatura. Et si hanc actionem petas, en sapor difficultatem & facilitatem conuersionis uini ad membrum, uel ad spiritum facit: quoniam uina quæ delectant, in membra & in spiritus facile conuertuntur: uina quæ non delectant, sed potius fastidio sunt ob prauum saporem, difficulter in membra transmutantur, & in spiritus, & etiam in humores. Quis enim ambigit quod dulce est, facile in bilem conuerti posse? Vel & si sapores nō sint differētiæ per se, neque odores per se sunt, neque colores. nam in his non possunt haberi exquisitæ differentiæ quæ essentiam dicant, & quæ genus diuidant, & aliud faciant. propterea opus est illas circūscribere per odores, sapores, colores, & alijs proprietatibus, quę tamen sequuntur ad essentiam.

Quinto Galenus ad differentiam illam uinorum transit, quæ est in uini consistētia quam inquit in hoc considerandam esse. quia aliqua sunt aquosa uina & tenuia, aliqua ualde crassa, alia inter tenuia & ualde crassa media. Et hoc quod ē uere mediū, alia adhuc habet media, quæ inter ipsum intersunt & extrema. & hoc medium tunc alterius extremi officio fungitur, quando ad ista comparat. Hęc de consistentia, quam σύστασιν uocat, à Galeno enarrantur. hęcque omnibus nota sensibus esse uidentur, uina crassa, uina tenuia, uina media. Omnia aquosa uina sunt tenuia. non enim simul aquosa sunt & crassa. Talia uero à Galeno in. 5. de Simplicium medicamentorum facultatibus dicuntur pro alendo corpore esse minus prestantia, crassioribus tamen ad urinam ciendam præstantiora sunt. hęc sunt tenuia alba, flaua apud nos, & rubra à nostris cerasuola uocantur, & respectu temperiei humanę frigida sunt & aquosa. nam simul poni debent aquosa & tenuia, quę contra ualde crassa distinguuntur, eáque illis sunt pręcise opposita. In libello de cibis boni & mali succi inquit, tenue ciendæ urinæ magis idoneum capiti nullam infert noxam. Et in calce libri de attenuāte uictus ratione inquit: Alba simul & tenuia uina (quo ostenditur & esse tenuia non alba) humores crassos incidunt, & sanguinem per renes purgant. Tamen & uinum potest esse potens & tenue. propterea Galenus probe simul & aquosum miscuit & tenue. q̄ uero & aliqua potētia uina tenuia sint, ex Galeno probari potest: qui in quinto de sanitate tuenda uina quęrens quæ senibus conueniunt, ait flauum esse calidissimum: postea cōmoda ostendit, quæ habent seniores ex uino, inquiens. unum igitur maximum senibus commodum ex uino accedit, quòd omnia eorum membra calfacit. Alterum quòd per urinas serum sanguinis expurgat. Itaque etiam optimum id senibus est, quod hæc maxime præstat. porro id est quod substantia quidem tenue est (quippe minus mouet) colore autem flauum: proprius enim is est præcalidorum uinorum color. ut hinc elici possit esse uinum tenue & potens, quia flauum est potens & calidissimum: tamen non est tenue aquosum, ut illud distingueret contra ualde crassum.

De ualde crassis uinis scito, omnium esse crassissima nigra: flaua uero & fulua & rubra possunt quidem esse crassa, sed non crassissima: ut Galenus in libello de cibis boni & mali succi dixerit, nulla esse uina crassa & dulcia quæ nigra non sint. Et de rubris inquit crassiora esse flauis & fuluis. & inter rubra illa ait esse crassiora quæ ad nigrum uergunt, ut maior in nigris noteturr crassities q̃ in albis. nam rubra sunt flauis & fuluis crassiora, & nigra rubris. Igitur & nigra flauis & fuluis crassiora. In quinto de sanitate tuenda crassa hæc uina senibus prohibet. In libro de cibis boni & mali succi inquit, uina crassa dulcia aluum deijcere. Tamen de ualde crassis uinis in calce tertij de alimentorum facultatibus libri nullam mentionem facient q̄ sint dulcia, inquit, tardius perfici ac distribui. Si tamen in uentriculum adeo robustum incidāt, ut cōfici recte ab eo possint: alimentū copiosius corpori exhibebunt. additque naturam uinorum crassorum declarare q̄ magis nutriunt, q̃ tenuia, præterea experientia id ipsum cōprobat. Crassa uina usu cognoscuntur. Quæ nunc Ferrariæ à Gallis Gallico conficiuntur modo crassissima sunt & flaua & nigra & rubra. hoc ex conditura modo prouenit. Videntur ferè perpetuo turbulēta. & re uera difficilime conficiuntur ac distribuuntur. Plerunque talia bibere uina fui coactus, nisi aqua me adiuuisset, nūquam illa conficere potuissem, uel difficulter confecissem, cum uentriculum habeam alioqui natura robustissimum.

Vina inter hæc media in tot sunt differentijs, penes magis & minus distributa, ut ipsa media percurrere non sit opus. sed quisque per se tenuissimum eligat aquosum & crassissimum: postea quæ sunt in medio, ad extrema conferat: & uidebit, quę magis crassa sint, & quæ minus: Galenúmque de uinis quæ refert, consideret. quamuis id sit in præsentiarum nullius momenti res. In potius nostratia consideret uina, & accipiat aquosa tenuia, qualia sunt uocatæ albanę: accipiátque nigra crassissima, in medióque rubra ponat: itaque secundum maiorem & minorem comparet crassitiem: uel consideret uina à Gallis facta hic Ferrariæ: nempe his nulla crassiora esse existimamus. Tenuium aquosorúmque uinorum maxima habetur Ferrariæ copia, & de medijs ad tenues dependentibus. De medijs uero ad crassum dependentibus aderunt quidem nōnulla, sed non tot. Hoc igitur modo hanc uinorum consistentiam considerare oportet.

Forte dices uideri Galenum in hac consistentia diminutum: quoniam hæc consistentia, est uini substantia. In quinto uero de sanitate tuenda ponit substantiam & consistentiam pinguem, ubi inquit: Quæ uero ex pallidis aut flauis uinis, substantia pinguia sunt, hæc & sanguinem augent, & corpus nutriunt. quo fit ut senibus nonnunquam utilia sint. Respondemus pinguedinem potius spectare ad sapores. nam ab omnibus qui de saporibus loquuntur, pinguis sapor enumeratur & unctuosus: quem sensu demonstrare uolentes, dicunt esse olei saporem. At quamuis dicat substantię pinguis, ob hoc consistentiā non notat: licet & si consistentiam indicaret, necessarium non esset omnia à Galeno poni, qui solum ut interpreti conuenit, res in pręsentiarum tractat.

Sexto differentiam refert Galenus, quæ ab odore fit. nam aliqua sunt boni odoris uina, alia non boni odoris, sed qualitatem quandam habent ferientem & insuauem. Alia sunt uina, quæ nullo pacto odorem habent, sed inodora sunt, ueluti aquę. At inquies distinctionem hāc absurdam uideri: quoniam membrum unum ex ipsa, in rerum natura non inuenitur, uinum. s. inodorum. i. quod odore penitus careat. quoniam uinū omne calidum est, & resolui aptum. Quæ uero facile resoluuntur, & calida sunt: necessario odorem habent. Idque ob hanc fit causam, quoniam odor fit per resolutionem alicuius calidę partis. & ideo necessarium est, uinum omne odorem aliquem habere. Respōdemus, nullum penitus esse uinum, quod suum non habeat odorem. tamen aliqua sunt quæ adeo exiguum habēt, ut ab homine persentiri non possit: eáque id uini genus inodorum dicitur. Et si petas cur modicus ille & exiguus odor non sentiatur. Respondemus, quia homo, ut Aristoteles in. 2. de

de aia

de anima ostendit, odoratus sensum habet cæteris animantibus ineptiorem. Adde tenuem illam partem calidam, quæ à uino resoluitur, esse tã exiguã, & paucarũ uiriũ, ut nec ipsa odoratus sensum moueat. Sunt potissimũ hæc inodora uina alba & tenuia, aquea: qualia nonnulla apud nos uocatę Albanę.

Vina bonum habentia odorem, sunt apud Galenum in libro de cibis boni & mali succi euitanda: quando sint crassa, gustu non grata, & austera. In calce libri de uictu attenuante Galenus ostendit uina odorata esse alijs calidiora: ob id caput tentare: & in his affectibus euitanda, in cephalea, hemicrania, cephalalgia, epilepsia, mania, & in summa capitis affectibus omnibus. Nos uero ita simpliciter non enunciaremus, ut Galenus enunciat: sed in hunc modum ferè dicendum iuberemus: uitanda uina odorata & calidissima in omnibus affectibus capitis, qui à calida causa ortum habent. Sed, ut eo loco inquit, Thoracis affectus longos, & pulmonis absque febre iuuant: quippe cum febris adest, fugienda sunt, vtpote calidissima. Odoratissimum uinum est uocatum creticum vel passum, quod & Maluasia apud nos uulgo dicitur: odoratissimum & quod è monte Vesuuio adducitur, & Græcum de somma nominatur, à Galeno phalernum existimatum: odoratissimum & uocatum muscatellum. hæc omnia sunt calidissima uina, & quæ sputa in affectibus thoracis extrahi procurant, ut in calce libri de uictus ratione attenuante, à Galeno edocemur.

In alijs uinis non adest tam suauis odor ut in prædictis. Vina praui odoris praua sunt. prauus uero odor multiplex est: nam aliquis odor ex uini ebullitione contrahitur, aliquis à dolijs, aliquis à re propinqua fetente. uina etenim recentia odores facilime trahunt, & gratos, & ingratos. De his uero non intelligit Galenus. Nempe de illis tantum agit odoribus, quos habent à sua substantia uina. Nonnulla sunt uina, quæ si odorauens, insuauitatem quandam habent: & πλησσετικήν τινα, id est percutientem, ac ferientem quandam habent qualitatem, quæ sensui odoratus est ingrata. Eiusmodi generis uina illa sunt, quæ nimis morbida sunt, & uulgo morbinum habere dicuntur, id est quorum uites in solo sunt nimis morbido, & perstercorato, odorẽ quendã habent, nares percutientẽ, & qui displicet. At hoc nares ferire potius uidetur acutiei qualitas, q̃ odoris, ut acetum facit. tamen & hoc ad odoratum referri potest.

Reprehẽdit Galenus in uinis maleolentiam in libro de cibis boni & mali succi. Et iubet vitanda, potissimum quando sunt crassa, gustu ingrata, & austera: quale est ab ipso uocatum bytium. Plinius libro. 14. capite. 9. dulcius uinum minus odoratum, quo tenuius eo odoratius ait. Septimo differentiam Galenus refert penes uinorum facultatem, et penes suas uires, quas à primis habent qualitatibus. Hęc uero est differentia: quoniam aliqua uina sunt potentia, aliqua sunt imbecilla, alia media, & alia quæ inter media ponuntur. Verum quia hoc esse potens, non est proprie uini facultas: propterea ostendit uinum potens id esse. quod uehementer & celeriter corpus calefacit, & caput ferit: At uinum imbecillum contrario agit modo, neque corpus calefacit, neque caput ferit. Vina quæ in medio sunt inter potentia & imbecilla, si ab extremis distinguantur, imo & ipsa extrema sint cognita: talia etiam erunt cognita. poténsque uinum uocatur οἰνῶδες, id est uinosum: imbecillum uero uocatur ὑδατῶδες, id est aquosum. Et sicuti uinum calidum est, & aqua frigida: ita ualde calidum est uinosum, ferè frigidum aquosum. Cum enim in uno uino, uinum aquam euincit: quando in aliquo uehementissime euincet, iure uinosum uinum nuncupandum erit, in quo multo plus uini, quàm aquæ inerit. Econtrario autem uinum quod aquæ maxime simile existit in omnibus ferè suis qualitatibus, in tenuitate, colore, & coloris carentia, & non manifesta calefactione: hoc aquosum merito dicit. hę (inquit Gale.) sunt differẽtiæ, quæ in uinis reperiuntur secundũ propriã naturã: &, ut superius ostendimus, in quibus semper hæ qualitates quicquã per se agunt.

Quod legitur, & caput ferit: græce est καὶ τὴν κεφαλὴν πληρῶν, id est & caput implet, nempe aliud est implere, aliud ferire: quãuis utrunq; efficere possit: implere quidẽ, cũ multi uapores ab eo eleuantur: ferire uero, cũ hi uapores aliquid habeãt calidi & acris. At melius est Galeni uerba sequi in sua lingua.

Quod legitur: Quę uero medium obtinent, nota euadunt, si ab extremis distinguantur: Græce est οἱ δὲ ἐν τῷ μεταξὺ δῆλοι, τῶν ἄκρων ἀφωρισμένοι. (ut nos interpretandũ ducimus) quæ uero in medio sunt ab extremis manifeste distincta sunt. Et non dicit nota esse, si ab extremis distinguuntur: sed cum ab extremis sint distincta & segregata, sunt nota. Et forte gręcus codex legendus est ἀφωρισμένων.

Forte aliquis ambiget, Cur à Galeno dictum sit: In quo uinũ aquam uehementer euincit, id iure uinosum nuncupari debet, & aquosum in quo aqua euincit. nam uinum in sua specie uinum est, & est una species ab aqua distincta, in qua specie nõ est aqua: cur igitur dicere aquam euincere? Respondemus huic sententiæ duplex sensus assignari potest: unus est, uinum dici aquam euincere, non quia aquam habẽt mistam, sed quia uini qualitates habet uehementissimas, & nullam habet cum aqua similitudinem. non enim tenue est ut aqua, sed crassius. colore etiam maxime ab aqua distinguitur & odore: quoniã aqua odore caret. uinum tale est odoratum, & manifeste calefacit, imo uehementer: aqua uero infrigidat. hoc dici potest in quo uinum aquam euincit, & uinosum erit, sicut aquosum dicetur. non q aquam habeat, & q non sit species ab aqua distincta, sed ob similitudinem quam habet cum aqua in tenuitate, odore, colore, & calefactione: quoniã hoc uinũ, & si aliquid habeat caloris nõ est tamẽ manifestus, neq; superficialiter calefacit. hic est unus sensus cur uinũ nuncupetur uinosum & aquosum. Alter potest esse sensus, cũ uinũ ex vuis fiat, vuę uero floreant, crescant, maturescant, quæ facere nõ possent, nisi uites à terra humiditatem traherent. illa uero humiditas est aquea. vnde uina mistã semper habẽt aquã, quæ in uinũ transiuit cõmutatã ex trãsitu p uitis corpus usq; ad uuã. propterea uina dicunt plus aquę habere. Et si sint spẽs distincta ab aqua, ob maiorẽ aquæ copiã, quæ in uite imbibita fit: Et uinũ superat aquã, qñ minor est aquæ copia. Itaq; erunt uinosa uina, quæ minus habebunt aquæ: aquosa uero quæ magis habebunt aquę. hoc palàm in siccis annis deprehenditur, & in pluuijs. nã earundẽ uitiũ uina in annis siccis sunt potẽtia & uinosa, in humidis aũt & pluuiosis sunt minus potẽtia: & quandoq; nimia pluuiarũ abundantia illa facit aquosa. põt & Galenus secũdũ hunc sensum intelligi, uel utrũq; simul colligamus ut id sit uinosum qđ in eo qđ uincit aquã est uehementissimũ & cuius uitis parum habuit humidi, quod à terra exugeret. Et contrario, aquosum affinitatem cum aqua habet in tenuitate, colore, odore, & eo q manifestam caliditatem non habeat, & ex multi humidi à sua uite attracti miscella.

Pars illa, qua inquit uina aquosa calefactionẽ manifestam nõ hẽre: cõsideratione digna est: qm̃ reperit illa sñia eiusdẽ Galeni, oĩa uina esse calida. uerumtamẽ aliqua sunt tenuia aquosa, quæ nõ deprehẽdunt esse calida. Imo si naturę humanę cõparent, frigida potius esse quisq; iudicabit, qm̃ eorũ calor est longe minor naturali calore. Et ideo aliqua sunt uina, quæ magis infrigidant, q̃ aqua: ut nostræ sunt uocatę Albanę, quę ob acutiẽ, quã habẽt ad intrinsecas partes magis penetrant, q̃ aqua: & in hoc sunt illa frigidiores, quoniã ad intimas penetrant partes, & illas infrigidant, quas aqua non infrigidat, cum ad illas non penetret, nã ad urinę uias statim discurrit, & si petas, cur passim inuulgatum sit aquam uino mistam, illi dare ut magis penetret: Respondemus, id ob hoc esse uerum quia uinum est crassius aqua. Si igitur aquam misceamus, tenuius efficitur. Itaque magis penetrare potest & aquam secum ducere, quæ suapte naturę ad urinę uias descendisset. Vnde aliqua sunt uina humano corpore frigidiora: ut alba, limpida, aquosa. de quibus ait Gale. aphorismo. xi. secundi lib. esse aquę in sua natura uicina. Addeq; & si hæc uina sint aqua calidiora, tñ ob pene-

trationem mag's infrigidare, q̄ aqua.

Forte probare conaberis. Eiusmodi uina alba tenuia esse caeteris calidiora, quia urinā prouocant. quae uero id efficiunt, calida esse oportet, attenuantia, aperientia. quae autē haec efficiunt, calida necessario esse oportet. Sed hęc uina tenuia aquea à Galeno dicuntur urinam proritare, uarijs in locis, ut in libro de cibis boni & mali succi, & in calce tertij de alimentorum facultatibus, & in quinto de sanitate tuenda, & in calce libri de attenuante uictus ratione, & in. 12. Methodi. Igitur calida sunt, cum esse debeant aperientia & attenuantia. Respondemus, Nullum esse inconueniens, & aliqua frigida urinam prouocare. Et si petas, quomodo id efficere possint. Dicimus id efficere ex suae substantiae modo, cum fuerit res ualde tenuis & lubrica, quae facile per renum meatus transeat, & per uenas ad uesicam. hoc ita tenue crassis materijs seipsum miscēs illas attenuat ac lubricas facit, & aptas, vt facilius exire possint. qualis est aqua ipsa, quae hoc efficit. Idq; dici potest eiusmodi uina urinam prouocare ob quasdam partes tenues calidiores, quae sunt frigidis commistę. hę etenim partes attenuāt, & crassiores materias, quę in uenis sunt & in renum meatibus liquescere faciunt, & illas ad exitum aptiores reddunt. De his aquosis uinis, quę corpus nostrum infrigidant, mirum habetur experimentum in uino à nobis vocato albana, quod hominum ventriculos consumit, & ex frigiditate alui profluuia excitat. Quódque in his uinis peius est, Ferrarienses nō sinunt vuas maturescere, è quibus premuntur.

Non defuere & audaculi quidam qui de omni vini genere, id probare tentarunt, frigidum esse, & simpliciter frigidum. hisq; innixi sunt argumentis, primo tactu sentitur frigidum. Adde ebrios infrigidari & tremere, & denique mori. Preterea à vino, & prępotenti frigidę inducuntur ęgritudines, ut apoplexia, epilepsia, tremor. Et si petas quinam sint huius sententię authores, Dicimus opinionem hanc Macrobio attributam esse. Sed cuiusuis sit, absurda est, & nullius momenti ac falsissima. quoniam sensu deprehenditur multa vinorum genera, esse calida. Nempe ex vino cretico epoto, calor quidam per uniuersum corpus dispergi persentitur, & spiritus augētur, sentiturq; nonnulla caloris delectatio & facile capita implet. Imo & poetarū figmēta quę non sine magno mysterio facta sunt, uinū calidū esse testantꝰ quippe & uino igneā uirtutē attribuūt & Bacchum ex Semele usta ortum habere dicunt. Addúntq; Athamantem Baccho calefactum, & furijs agitatum filios necasse. Vocant preterea datorem lętitię, & omnes in se habere gratias. Et addunt dum Semele exureretur, Bacchumq; à Nymphis seruatum. Tale est huius fabellę mysterium: Semele Bacchi, id est uini mater, hoc est eius materia à sole per coctionē exusta est. Nymphę uero, idest terrę humiditates Bacchum, id est vinum & vites irrigantes, illum seruarunt ne simul exureretur. Argumenta illa quę uinum frigidū esse suadebant, nullius sunt momenti: quippe id absurdum est inferre vinum esse frigidum natura, quia tactu frigidum esse sentitur. nam & si piper tangatur, frigidum est, & Euphorbium. nā ex tactu non iudicantur res uel frigidę vel calidę virtute, sed iudiciū ex effectibus fit, vt in libro de simplicium medicamentorum facultatibus Galenus plerunque testatus est. Cum vero additur ebrios infrigidari, quod indicium esse potest vinum esse frigidum, & q; tremorem incurrant ebrij. Aristoteles uinum calidum putans horum frigidorum symptomata rationem reddit tertia problematum sectione, problemate. 25. cum petit. Cur ebriosi tremunt, & eo magis quo largius merum hauserint, cum vinum calefaciendi vim habeat, tremor autem ex frigore maxime proficiscatur, itaque qui rigent pręcipue tremunt. Attamen plerosque cum mero tantummodo cibi gratia uterentur, tremores acres adeo inuaserunt, ut homines cōprimentes de se omnes eijcerent. & cum aqua calida perfunderentur, nullatenus sentire possent. Alij vero cum eo ipso agerent modo, perfrictionéque & carnibus in cibo uterentur. In stuporem attonitum inciderunt, quos tremor quidem mitius. s. ob immobilitatem torquebat, dolor tamen acerrimus, & inquietudo iam inde exercebat assidue. Tremoris itaq; causa frigiditas est, nam & qui rigent ea re pati ipsa uidentur, ut dictum est, & qui admodum senuere, quorum utrorunque alteri ab effectu frigido, alteri à frigida ętate urgentur. Vinū autem calefaciendi uim pręcipue obtinet. quocirca contrarius quidam ut proueniat effectus, ratio exigit. hęc quę ab Aristotele dicuntur, sunt integra causa & caliditatis uini, & frigiditatis tremoris, ut uim calidam habere probetur, vinum tamen rem frigidam parere. post hęc problema, hoc modo soluit. Nihil prohibet rem eandem à contrarijs effici dummodo non agant modo eodem sed diuerso. Et exemplum dat de ustione quę fit & à gelu, & à calore. quando gelu coegit calorem uniuersum, in tremore idem contingere dicit quod à contrarijs fiat, cum ait. Tremor autem ob inopiam excitatur caloris nō cuiusque, sed proprij. Corrumpitur autem calor, aut marcore aut ex extinctu à cōtrarijs, hoc est frigido atque humido. Marcore autem uel indigentia nutrimenti. ut lucerna, cum fomite, aut oleo caret: uel ab alieno calore, ut ignis in sole, & lucerna apud ignem. Igitur qui ex frigore rigent, caloris extinctu obtremunt, ex quo etiam fit, ut aqua offusa calida, horror exoriatur. calor enim cum intus includitur, atque circum obsistit, pilos erigit. Et in febrium quoque accessione rigor ille eueniens simili de causa uenit. In senectute uero calor alimento deficiente emarcescit: humor enim alimentum caloris est, senectus autem sicca est. Ebriosi uero & si qui ita affecti sunt, alij suo prorsus emarcescente calore obtremiscunt, sed non modo eodem quo senes, sed tertio corrumpendi modo ut proposuimus. q; enim uino utuntur nimio, calor aduentitius superans, aut extinguit, aut debilitat proprium calorem, quo ualemus. fit enim cum tremor, commouens quicquam, rem nequit superare, quam mouet: ut cum lignum quis longū, crassumq; obtinere, firmareque non pollet, tremit extremum. quod ideo fit: quoniam aut suscepta res maior est, aut minor quę mouet: ergo tremor cum calor extinguitur, accidit. hic enim dum integer inuictúsque manet, causae animantibus esse uidetur cur mouere se ualeant. Indicium autem ebriosos, senésque ob frigiditatem affectos sic esse, q; tremor his fieri sine ullo rigore solitus est. Habes igitur quomodo Aristoteles ostendat rigorem & frigus à uino fieri, quamuis sit calidum, quoniam sua copia proprium extinguit calorem. Adest pręterea. 29. eiusdem tertię sectionis problema, in quo petit, cur ebriosi solis calore gaudere maxime soleant? Respondet, An quoniam concoctionem desiderant, atque etiam q; refrigerati admodum sunt: ex quo attoniti, stupidíque mox fieri solent à potu: ut hinc solutio haberi possit, cur Apoplexia & Epilepsia, cū sint frigidi morbi, à uini potu fiant, quod est calidum. Et in problemate. 31. Idem de ebrijs dubitat, & de his qui mari operam dant, cur solis calore gaudeant, eandémque reddit rationem. Verūtamen sexto eiusdem sectionis problemate breuibus totum egregie complectitur, cum quęrit, cur vinolenti, cum uinum calidum sit, rigere tamen solent, crisiméque laterum dolore, cęterisque huiusmodi uitijs excipiuntur. Respondet, An quod multum humidum, cum refrigeratum est, in multum frigidum se conuertit, ita ut calorem superet naturalem? quę autem sunt humidiora, eadem omnia naturę calidiora occurrunt. argumentum q; rebus externis calescimus, non humescimus, uerum si minus calida q̄ humida sit accedet profecto, ut suam caliditatem potiusquam humiditatem amittant. humore igitur frigido remanente, non sine causa uinolenti amplius rigent, & uitijs rigoris proprijs patiuntur. Id igitur absurdissimum est dicere uinum frigidum ob has causas, quas recte soluit Aristoteles, & rei naturae optime accommodat. Copia etenim uini calorem naturalem extinguit, & uapores caput implent, eleuati à uino, qui à calore imbecillitato non possunt resolui. propterea magis infrigidantur,

infrigidantur, & tremores incidunt, & ob copiam humiditatis simul cum frigore fiunt, & attonitó morbi, & comitiales, & stupidi, & reliqui, qui sunt à frigore, sed multo magis fiunt, cum adsit mista humiditas.

Septimo Galenus differentiam quandam uinorum addit, quã nonnulli antiqui posuere. Ipse vero per se illã esse nõ iudicat, sed tãtũ per accidẽs. differẽtia vero est à vinorũ ętate sumpta. Nempe aliqua sunt uina recentia, aliqua uetusta, alia media: & eorum quę in hoc sunt medio, alia sunt propinquiora extremis alia remotiora. tamen quod hę differentię ex his sint, quę per accidens uocantur, & extrinsecus accidunt ex hoc palam est quoniam si contemplemur quid tempus efficere possit, uidebitur nihil posse uino dare, neque aliam facere differẽtiam, nisi ratione qua uina tempore fiunt acriora, & calidiora. Et pręterea cũ prędictis qualitatibus simul mutant colorem, substantiam, & odorem. Siquam igitur tempus faciat differentiam, illa est, quã prędiximus. unde si per prędictas qualitates nõ immutetur, nullus vocabit vinum uetus, uel nouum. semper enim eandẽ substantiam, & easdem qualitates habebit, etiam si centum esset annorum uel duorum. Imo cum Galenus sui temporis loquẽdi modos considerat, quando hi loquuntur qui in uinis ex annis differentiam ponunt, non ita loquuntur, ác si prima ratione annis indiguerint. sed ita de annis loquuntur, tanquam de illis qui facultatem comitantur. nam uina neque iuuant, neque lędunt ob tempus, sed iuuamentum & lęsionem habent ex propriarũ differentiarum mutatione, quę sunt illę quinque superius adductę. Igitur cum de uinorum agimus differẽtijs, Galenus inquit, si temporis mentio incidat, illa quidem incidit per accidens, & non proprie neque primum.

Quod legitur, tum colorem, tum substantiam. hęc particula substantiam, Grece est σύστασιν. nobis potius interpretãdum uidetur consistentiam, quę res alia uidetur à substãtia. licet nõnunquam pro eodem accipi possint, tamen hoc est magis proprium.

A' Galeno dictum est, uina ob temporis decursum fieri acriora & calidiora. Et sapor ipse acris caliditatem inesse ostendit. Nam ut in. 4. de simplicium medicamentorum facultatibus capite. 13. Galenus ostendit, sapores acres sunt omnium calidissimi. Platóque, Aristoteles, & Theophrastus id sentiunt, & omnes simul Recentes, quoniã calefactio prouenit ex essentię eius ratione. At ambiges, quomodo uetustate fiant uina calidiora & acria: cum potius uiderentur fieri debere frigidiora, quoniã uinum tempore senescit, & antiquatur omne uero quod antiquatur, frigescit. propterea uina antiquitate frigida potius fient. Adde temporis processu igneas partes quę in eo sunt & tenues exudare, & resolui. unde frigidiores partes relinquuntur, & ita uinum frigidius fit ex tempore. Respondemus igneas uini partes non resolui, neque exhalare, sed potius frigidiores & aqueas in ignis naturam conuerti, & aereas uini partes igniri. Itaque uinum tempore & calidius & acrius efficitur. hoc uarijs in locis à Galeno ostenditur, uina uetustate fieri calidiora. nam in libro de cibis boni & mali succi, cum docet quę uina sint bibenda & quę non, inquit uina uitanda nimis uetusta, & nimis recẽtia. Et rationem reddens ait uetusta preter modum calefacere, ideo uitanda: recentia nulla tenus calefacere unde & ipsamet sunt difficilia concoctu. In quinto pręterea de sanitate tuenda cum de uinis agit Italię calidioribus, & in primo loco numerauerit Falernum, & Surrentinum, proxima his esse dicit Tiburtinum, & Signinum: additque ambo uetera, ut ostendat uetustatem illa reddere calidiora, & in. 12. Methodi, cum de austeris loquitur uinis, quę mediocriter alba sunt crassáque, inquit nullum tale ad digestionem per corpus esse idoneũ, si tamẽ alunde inueterauerint, nec aliorum copia sit, uti illis licebit. Sunt uero eiusmodi omnia cum inueterauerint, stomacho utilia. At nõ fuissent stomacho utilia, nisi calidiora effecta essent. Et io. 4. de simplicium medicamentorum facultatibus cap. x. uetustate fieri calida uina. Imo cap. 6. praedixerat, Omnia amara calida, & uina uetustate fieri amara. hócque in. 11. capi. confirmat. Imo hoc io loco probare intendens dulce austero esse calidius, supponit omnia uina uetustate fieri calidiora. Et in primo de Antidotis ait, senescunt cætera temporis diuturnitate prater uinũ, unde uetustas apud Galenum uino dat caliditatem, & acredinem.

Tamen quicquid hac in re dicat Galenus, experientia ostendit antiqua uina esse frigidiora, & ratio id suadet. nam ut uina ipsa diuersa sunt, ita diuersas habent ætates, Plinius libro. 14. de uarijs longæuis uinorum ætatibus loquitur, sunt enim quæ. x. anno habent incrementum, & quæ quadragesimo. De uinis autem hæc dicenda arbitramur, quæ his qui intelligunt, constare non dubitamus. Vinum quatuor habet ætates, in prima ætate mustum uocatur, quod calidum non est, uel respectu suæ naturę non multum calidum. & ętas hęc uini, qua mustum est, uini pueritia nuncupari potest: humidum ualde est. Adolescentia sequitur, in qua humiditas corrigitur, & caliditas augetur. postea uini iuuentus consequitur, in qua est summe calidum, cum declinare incipit, frigidius efficitur. Nos in Ferrariensibus uinis hoc experti sumus: sępius trium annorum uina habuisse in nostra cella uinaria, quę primo anno fuerant potentia & calida, tertio fuere minus potentia & minus calida, erántque uina ex uua uocata aurea. At ex uua rubella & ex bazegana dicta secundo anno fuere minus potentia & minus calida. nam Ferrariẽsia uina ętatem habent breuem. unde iudicamus uina quę sunt in uera uetustate, fieri minus calida, quàm prius. tamen sunt multa uina potissimum in Gręcia quę ętatem longam habent. In his forte Galenus, cum anni procedunt, senium uocare incipit. Et ideo cum senescunt, id est in ętate procedunt, calidiora semper fiunt. tamen cum ad ętatis finem perueniunt, in qua declinare incipiunt, non dubitamus (ratione ipsa dictante) caliditatem remitti. at ętas quę tam longa est in illis uinis, quæ breui ad senium non perueniunt, sed multo procedit tempore in causa est cur dicantur antiqua, cum non dum sint antiqua. propterea ille uini processus in ętatem, à Galeno uocatur ire in senium. quãuis adhuc non sit in uero senio, hoc est in parte ętatis declinante, & in qua etiam uinum suas amittit uires. Adde uetustatem, & uini senium tres habere partes, in prima adhuc parte, consistentię naturam sapit. Tres uero habere partes manifeste Plinius ostendit in calce octaui capitis. 14. libri, cum ait, omnia transmarina septem aut sex annis ad uetustatem mediam peruenire existimantur. Longus ergo uini in ętate processus in causa est, ut uetustiora, quo ad hunc processum, non quo ad ueram uetustatem & senium, fiant calidiora. nam in uero senio semper minus calida euadunt. debent autem in iuuentute bibi uina, & non in senio, neque in pueritia. Adde uinorum sapores, colores, & odores tempore imutari. hocque rationabiliter fit, quoniam ex processu magis ac magis coquuntur. Itaque sapor qui erat dulcis primo, remittitur, & humidum superfluũ exhalat, ac saporem mutat. unde & Galenus in libro de cibis boni & mali succi inquit: album uinum, quale bithynum, Aminęum, quod ubi inueterauerit, Romani cecubum uocant. amaritudinem prę uetustate quandam habet, qua potui minus idoneum redditur. Caupones (inquit Galenus) hoc admiscent nouis, ut uideantur uetera. quo non habentes gustus uinorum decipiunt. his enim pro ueteri uendunt. Quòd uero ex tempore colores mutent, in quinto de sanitate tuenda ostenditur, ubi de albis loquens uinis ait. Quę ualde ab initio alba sunt, si inueterauerint, flauitiem quandam contrahunt. Et quo ordine id fiat, ita docet, primum pallidula, mox uero planè pallida fiunt. quòd si longissimo tempore seruentur, ex pallido flauentia cernuntur. nam ut omnino flaua fiant quę alba uina sunt, fieri certe nequit. In uinis igitur tempus aliquid facit, quia hæc immutat quæ in uinis diuersitates faciunt. uel forte dicendum hæc non fieri tempore, sed potius ex intrinseca uini natura id agente, uerum actiones fieri non possunt nisi in tempore, tanquam actionem mensurante. ad has autem quantitates tempus nihil facit, ut pueri in tempore crescunt, tempus autem tantum mensurat crementum, uerum intrinseca pueri natura,

& proprius naturalis calor id crementum, quoad uigeat, facit, & possit sua pellicula dilatari. Et ita de alijs quae per aetatis fiunt decursum, illa omnia tempore mensurantur, sed tempus nihil facit. Imo si Aristoteli credendum sit, esset potius destructor.

Cum uero dictum sit uina fieri calidiora & acriora, aliquis in vino petere posset, quinam sit hic sapor acris: Respondemus cum Galenus. 17. 4. de simplicium medicamentorum facultatibus libri capite, saporem acrem calidissimum esse antiquorum authoritate edocuisset: idem ex uulgi sententia suadere nititur, simulque ostendit, qui sit acris saporis gustus, inquiens. Si quempiam ex plebe interrogemus, quid uocet edulium acre, certe dicet, quod fortiter dum gustatur, excalfacit. propterea id uinum acre nuncupandum erit, quod cum bibitur, multũ excalefacit: ut uinum creticum, uinum ex Neapoli Romaniae alla tum. Sunt uero qui dicant acetum acrem habere saporẽ. quod negandum non est, neque Galenus id negat: nam sub acri cõplectitur & amarum saporẽ & acidum. At in corpore, in quo uehementem inuenimus acrimoniam, id est caliditatem, & caliditatis gustum, ut in pipere est, in alleo, & porro, ac similibus, & hoc corpus non sit amarum neque acidum: proprie dicetur acre. non mirum igitur, si & uinum uetus, id est in procedente aetate calidum fieri dixit, & acre: quia caliditatis gustum acquirit, & magnam in os & linguam caliditatem imprimit. idq; est quod à Galeno dicitur fieri calidiora & acriora, & colorem mutare ac consistentiam. Nam ut Galenus in libro de cibis boni & mali succi ostendit, uina uetustate crassescunt, & in. 12. Methodi, cecubum inquit, quod est uini genus, eo peruenit ob uetustatem, ut igneum colorem contrahat. unde ipsum nomen est fortitum, sed omnia uina huc non perueniunt, cum prius crassentur, q̃ in perlucido flauorem accipiant. Vides igitur & tempus haec facere, sed re uera ut mensura est, non ut actiue agat.

Quod à Galeno dicitur, nisi fieret mutatio, in his non diceretur uinum uetus uel nouum: profecto non diceretur nouum, quia non adesset uetus: tamen semper esset nouum, quia easdem semper haberet qualitates, & nunquam perfectius coqueretur, & in uinum perfectum euaderet. Et quod à Galeno additur, id non dici, quia annis indigeant prima ratione, sed solũ q̃ uina cum annis facultatem suam commonstrant: ostendit annos & tempora ad uinorum mutationem primo nihil facere, sed tantum secundo, & tanquam mensura. primo uero est processus ipsius coctionis in uino. unde uina ob tempus neque laedunt, neque prosunt, sed hoc habent ex propriarum differentiarum mutatione, & ideo recte infert de tempore secundario mentionem fieri, cum de uinis sermo sit.

Ambiges praeterea, alias uideri esse per se uinorum differentias, q̃ sint praedictae, & alias per accidens: per se inquam sumuntur differentiae à locis, ut aliqua cretica, alia chia, alia falerna, alia surrentina. Et Galenus in libro de cibis boni & mali succi, ex locis distinguit. Et in. 5. de sanitate tuenda, & in calce libri de uictus ratione attenuante, & in. 12. Methodi. Imo & uina unius regionis uinis alterius regionis comparat, ut in quinto de sanitate tuenda, ubi simile ostendit esse Mysium uinum surrentino, & falerno optimum Tmolites, & sabino ac Adriano Titacazenum & Aruisium. unde uidebitur esse per se uinorũ differentia illa quae ex loco sumitur. Adde uideri per accidens uinorum differentiam, q̃ aliqua sint in maiore uase alia in minore. unde Galenus in libro de cibis boni & mali succi inquit. Vitanda etiam uina crassa, mali odoris, gustúque non grata & austera, quale est bytium grandioribus. ſ. testis non paruus condirum. quod enim sumitur ex his quae paruae sunt, nec grauiter olet, nec insuaue, nec crassum admodum est, neque item cum acerbo sapore adstringendi uim habet. Igitur & aliae erunt uinorum differentiae per accidens praeter tempus. Imo & in. 3. de differentijs pulsuum reperitur uinum plenum, consequenter adent & uacuum, quae erunt per accidens uinorum differẽtiae. Respondemus differentia quae ex locis sumitur, ideo species uinorum facit: quia in his locis aliqua fiunt nigra, in illis alba: in his dulcia, in illis amara: in his odorata, in illis inodora: in his tenuia, in illis crassa. vnde locus & ipse per accidens ad distinguendas uinorum species exigitur. Ad id quod additũ est de differentia per accidens quę à uasculis sumitur, in quibus uina seruantur: fatemur esse differentiam per accidens, & multas alias inueniri per accidens uinorum differentias, ut q̃ uinum aliquod sit recens, aliud euanidum. In tertio autem de differentijs pulsuum uinum dictum est plenum per metaphoram. Neque Galenus dicebat illam differentiam per accidens à tempore sumptam esse solam per accidens, & nullam aliam inueniri, sed de his quae sunt per se, tantum quinque inueniuntur. Neque opus est existimare esse exquisitas differentias & exquisitas species, ut de speciebus ac differentijs Porphyrius & Aristoteles locuti sunt.

Si uero petas, quaenam uina sint antiqua, quae recentia, & quae mediocria: Respondemus de hac re certum iudicium afferri non posse & determinatum, quia unumquodque uini genus suam habet aetatem. de diuersorum uinorum aetatibus Plinius agit lib. 14. sed Ferrariensia uina, quę ex uua uocata aurea non conficiuntur, eodem anno in infantia sunt, in iuuentute, in consistentia, & in senio. Vina nostratia ex vua dicta aurea, incipiunt aestate iuuenescere, senescunt anno secũdo. Ob hoc multi qui ante aestatem eiusmodi bibunt uina laeduntur, quia in pueritia adhuc sunt, in qua aetate magna abundat humiditas, quae paulatim coquitur & remittitur. his uero potissimum obsunt qui flatibus abundant. Octauo Galenus notat inter proprias uinorum differentias, quas quinque esse dixerat: alias inueniri, quae per se laedunt, & prima ratione ut tales sunt differentiae: alias, quae prima ratione non laedunt. prima quidem ratione laedunt dulcedo & austeritas, & potentia & imbecillitas, & tenuitas ac crassities. At differentiae illę quę & à colore & ab odore accipiuntur, per se neque lędunt, neque prosunt sed tantum per accidens. nam uinorum haec quidem & aquosa & alba & fulua & nigra: alia aquosa, & inodora uelut aqua uel instar aromatis unguentique beneolentia.

Quod legitur, prima ratione: Graece est, κατὰ τὸν ἴδιον λόγον, id est propria ratione. nam aliud est propria ratio, aliud prima ratio. tamen in eundem sensum duci possunt: quoniam & cum deinceps ponit differentiam per accidens inquit illas quae sunt à colore, & odore οὐ πρῶτον, id est non primum, quod intelligit distinctum contra ἴδιον.

Modum uero petes, quo dulcedo & austeritas propria ratione prosint, uel obsint. Respondemus de dulcedine ob hoc prodest ratione qua dulcedo, quia aluum emollit & pectus, & pleraq; alia agit ut dulcedo est: è cõtrario austeritas adstringit, & alios facit effectus qui ab ipsa dependent, & ad hos sapores sequuntur vini dispositiones. Eadem est de uini potentia & imbecillitate ratio: quae ut talia in nostra agunt corpora, & affectus inducunt qui ab ipsis dependent. Et tenuitas ac crassities, in corpus nostrum & boni quidpiam faciunt, ut talia: & mali, ut talia. nam crassum obstruit, & tenue penetrat ac aperit ratione qua talia sunt. Tamen si rem contempleris, hae sunt qualitates secundae quae à primis necessario dependent. Et ideo si quid habent quo agant, id faciunt & ipsae ob primas, tamen aliquid plus adest quo hęc agunt secundum qualitatem secundã, quae tamẽ à primis dependet. At differentię quę à colore sumunt & odore non agunt, quia color nõ agit in corpus nisi ratione qua est in subiecto qd' agit, pari modo flauũ & alij colores. Quod enim à Galeno frequentissime dicitur flauũ vinũ esse omniũ calidissimum, profecto non est ob colorẽ calidissimũ. Sed hic color signum est, calidissimum esse huius generis uinum.

Forte petes, an vina aliqua aromata redoleãt uel unguẽta. Scito ἄρωμα, & ἀρώματα dici q̃ odorata sunt & suauia. vnde Gale. in. 8. de cõpositione medicamẽtorum secundum locos inquit: Aromata uoco, ut nardus, iuncus odoratus, calamus odoratus & myrrha. Et in. 28. quinti libri aphorismo inqt: calida aũt sufficiẽter est oium aromatũ natura, qualia casia, costus, cinamomum.

mum, Amomum: quæ omnia capitis faciunt grauitatem. Et in. 7. Methodi medendi, ubi docet, quomodo uentriculus imbecillus ab antiquis uacuetur, de his quæ extrinsecus apponuntur, loquens, apponit & Aromata, quorum multitudo non parua est: enumeratque spicam nardi, Amomum, calamum odoratum, iridem, Ladanum, Malabatri folium, Styracem, Bdelium, Opobalsamum, Balsamum, & xylobalsamum, Reliquumque aromatum catalogum. Nota, ubi Galenus de Aromatibus agit, non ostendit quid sint, sed potius eorum catalogum refert. Verum in. 6. de simplicium medicamentorum facultatibus, ubi de sabina agit, uidetur ostendere quæ uocentur aromatica, ubi confert sabinam cupresso: & addit nisi quod ea & acrior est, &, ut sic dixerim, magis aromatica, sed odoratior. Et in calce illius partis dicit ex illis esse sabinam, quæ uel maxime tenuium sunt partium, & hoc utque nomine unguentis inditur. Vt simpliciter igitur quodpiam, Aroma nuncupari possit, acrimoniam habere oportet, partium tenuitatem, & posse ingredi odoramenta, illisque suauiolentiam præstare. Vina sunt quæ aromatica appellantur, qualia Cretensia, & nostra Muscatulà dicta, & quædam ex his quæ Romania uocantur. Illustrissimus Alphonsus ferrariæ Dux tertius, ex Neapoli Romaniæ dicto uinum habuit, cui ex odoris excellentia nomen imposuit Aroma. Id uini genus adeo Casiam redolebat, ut ego putarem adulteratum esse: sed Dux Illustrissimus iure iurando affirmauit esse uinum simplex & purum. Hæc uina sunt uere & perfecte Aromata. Et ex his Aromatũ speciebus unguenta fiebant antiquitus. nã quæ unguenta nunc uocantur, ab antiquis non dicebantur unguenta: cum sola odorata sint unguenta. quæ Myra antiqui uocarunt, uel à Myrrha cuius succus qui stacte dicitur, omnia ferè ingrediebatur unguenta: uel ut Chrysippus inquit, dicuntur quasi Mora, quoniam uino & crapula saturi, unguentis uti solerent, & in secundis mensis cum bellariis & corollis unguenta inserebantur. Vina sunt quæ odorem habent unguẽtorum qualia prædicta. Denique cum Galenus in huius commentationis principio dixisset Hippocratem esse inordinatum & deficientem, & deinde omnes uinorum tam per se, quàm per accidens differentias enumerauerit: nunc infert: si tibi iã constant & per se & per accidens uinorum differentiæ, constabit etiam & ordinis, & numeri harum differentiarum defectus quem fecit Hippocrates. Verum si in sequentibus Hippocrates omnium differentiarũ quæ sunt commodæ meminisse uidebitur, ueniam dabimus inter exponendum, his quæ defecere in hac prima enumeratione. ut Galenus hoc dicere intendat: si Hippocrates in processu de uinorum differẽtiis aget: ut ad propositum erit: illum excusabimus, quod hic illas dimiserit in libri fronte enumerare. Quod legitur, si igitur uinorum differentiæ: In Aldino codice illa particula uinorum, græce est, τῶν κοινῶν. i. si igitur communium differentiæ. Arbitramur Aldinum codicem esse corruptum, & legi oportere τῶν οἴνων uinorum.

Vocat per se differentias κατὰ τὴν οἰκείαν δύναμιν. i. per propriam uirtutem. quia ut tales sequuntur uini potentiam, & illã ostendunt, & etiam aliquæ ipsarum per se agunt.

## Hippocrates. Sectio. II.

Vinum dulce uinoso minus caput grauat, minusque mentem ferit, atque quouis alio facilius per intestina descendit, lienem tamen iecurque tumefacit, picrocholisque nullo pacto est idoneum. Nempe his sitim facit, superiusque intestinum inflat: non tamen inferiori pro flatus ratióne est inimicũ: & si non admodum penetret, qui a dulci uino est, flatus: sed diutius circa hypochondria moretur.

BRASAVOLVS. Cum Hippocrates in prima sententia quatuor edocenda proposuerit, uinum, melicratum, aquam, oxymeli: illa quatuor exponere incipit à uino exordiens. In hoc autem loco dulce uinum uinoso comparat, inquiens dulce uinum minus caput grauare, quàm uinosum, & minus mentem ferire, atque occupare. Adde dulce uinum facilius per intestina descendere, quouis alio uino, tam uinoso, quàm etiam non uinoso. tamen hoc habet incommodi dulce uinum, quod lienem & iecur tumefacit. Et picrocholis idoneum nullo modo est: nã his picrocholis sitim inducit, & superius intestinum inflat. uerum inferiori intestino pro flatus ratione non est inimicum, quãuis flatus ille qui à dulci uino prouenit, non admodum penetret, sed diutius circa præcordia immoratur. hæc est breuis huius sententiæ repetitio, & summa, nunc singulatim uerba examinemus.

ὁ μὲν γλυκὺς ἧσσον ἐστὶ καρηβαρικώτερος τοῦ οἰνώδεος. i. Dulce quidem uinum minus caput grauat uinoso. fiunt capitis grauitates ob uapores qui à uino eleuantur, & caput petunt, simulque aliorum humorum uapores in caput conducunt, & ibi condensantur. fitque grauitas quædam in capite ob condensatorum humorum abundantiam. Vina uero quæ calidiora sunt, magis effumant, & euaporant, quàm minus calida: & ita magis implent ac grauant, quàm eadem minus calida. At uinosa uina sunt dulcibus magis calida, quia dulcia caliditatem habent tẽperatam. uinosa uero caliditatem habent excedẽtem, unde magis euaporant. Dulcia uero caliditatem habent temperatam, in 4. de simplicium medicamentorum facultatibus testatur Galenus, & in. 5. de sanitate tuenda, atque in libello de cibis boni & mali succi, in quo dicit fulua uina cum calida potestate sint, capita protinus replent.

καὶ ἧσσον φρενῶν ἁπτόμενος. i. & minus mentem ferit. Dulce uinum minus delira inducit, & minus inebriat, & minus uitiat mentis officia. quoniam uina illa uinosa, calidissima sunt: hinc caput & calidtate & uaporibus replent, cum calidi proprium sit ascendere, & uapores alios secum ducere, qui cerebri uentriculos lædunt. unde mens quæ in ipsis moratur, & per ipsos suas agit operationes læditur. hoc uina dulcia non efficiunt, quæ non sunt adeo calida, ut caput uehementer calefaciant, & ut tam uehementer euaporent, & ut aliorum humorum uapores secum ducant, sed potius (ut dicet) ad infernas tendit partes. Aristoteles de uino dulci problema fecit sectione tertia, est uero: 15. in ordine, quo docet uinum dulce obstruere potius quàm aperire, & ex consequenti in caput minime ascendere. Quærit uero: cur cum uinum dulce aptum sit flutare, si quis temulentus dulce super admisit, haustum uinum concoquitur. minúsque infestat? Respondet. An quia uinum dulce lene ac lentum est, itaque foramina obfarcit, atque intersepit, austerum contra exasperans, rigidum est, facilem etiam ascensum calori hoc præstat. Dulce autem obstrusu foraminum calorem arcet ac inhibet, uinolentiam uero parte concalefacta superna, oriri dictum iam est. Addo (inquit Aristoteles) quòd uinum dulce, inodorum: austerum autem, odorum est. Odor autem omnis caput tentat, & ingrauat. Ex his omnibus colligere poteris uinum dulce esse minus calidum, & minus caput petere, quàm uinosum. Tota igitur ratio cur dulce caput non petat, est quia obstruit, & adde quia supernatat. Vnde obiter dixerim problema ultimum tertiæ sectionis, non uideri eius quod quæritur, rationem probe referre, quippe id quærit: Cur oleum ad arcendam uinolentiam ualet, sorbitúmque facultatem præstat potandi? Respondet. An quod urinam ciere potest, uinóque hausto iter regit. Quæ solutio satisfacere non uidetur, quoniam oleum per intestina potius quam per urinæ uias meat. Vnde nos dicimus id efficere, ut à uino efficitur dulci, quia supernatat. nempe oleum supernatat, & prohibet ne uapores in caput ascendant, illúdque impleant, sed in Hippocratem forte ambigere poteris, & probare uinum dulce caput magis tentare reliquis uinis: nam ex humoribus qui caput petunt, bilis omnes excedit. propterea quicquid facile in bilem conuerti potest, id magis tentabit mentem & caput. At uina dulcia in bilẽ facilius cõuerti possunt, quàm uinosa, ut ipse met

testatur Galenus, in libro de cibis boni & mali succi, & in. 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus ostendit dulcia oia in bilem facile conuerti. Idemque in præsenti commentatione edocebit. Igitur dulce uinum caput magis tentare uidetur. Respondemus, aliud esse dulce uinum in bilē facile cōuerti, aliud quod ut dulce, & in bilem nondum conuersum, caput petat. Vnde nos dicimus uinum dulce minus ferire caput, & mētem tentare, uino uinoso, 'modo non conuertatur in bilem: quippe cum in bilem uersum est, bilis habet qualitates, & in caput facile ascendit, ut bilis facit. cuius natura est ascendere. neque amplius est dulce uinum. sed amarissimum effectum est.

Ne uero quicquam intactum dimittamus, & si Isaac author sit cum Græcis non conferendus, tamen talis est, ut ad hoc usque tempus in magno fuerit pretio, & profecto author est non spernendus. Ipse uero in. 3. diætarum particularium libro, ubi de uino agit, inquit, dulce uinum magis inebriat, quàm aliud uinum. At uinum quod magis inebriat, magis caput ferit, & mētem magis lædit. uinum igitur dulce magis caput ferit & mentem lædit q̄ aliud uinum. Respondemus ut Isaac à contumelijs liberemus, & illum Galeno conciliemus: scito hic à Galeno non dici, dulce uinum nō petere caput, & mētem non lædere, & non inebriare. nā si hoc diceret, sibi met esset oppositus. Imo & Aristoteles uinū dulce caput petere, & inebriare ostendit. tertia problematum Sectione, problemate. 27. ubi quærit: Cur uini dulcis quod suauius est, ebriosum neminem esse arbitramur? Respondet. An quod uinum dulce nullum saporem obtinet proprium uini, sed alienum penitus reddit. Igitur dulcis rei, non uini auidus appellandus est, qui uini dulcis tenetur desiderio. Vnde ebrij non uocantur, qui ex uino dulci ebrij sunt: quia uinum non appetunt ut uinum, sed appetunt id dulce. An uero problema uerum sit, aliàs differemus, nam falsum esse simpliciter intellectum arbitramur. Ad rem uero redeuntes dicimus, ebrietatem duobus modis uehementiorē dici posse: uno modo, quo ad ebrietatis perdurationē: alio mō quo ad uehementiam & intensionem. Cum uinum dulce inebriat, ebrietas illa diutius seruatur q̄ si sit uinosum uinū ebrietatem faciens, quoniam uapores dulcioris uini crassiores sunt, & glutinosiores. & ita quæ fiunt capiti nocumenta ex uino dulci diutius durant, q̄ quæ fiunt ex uinoso. Isaac hoc considerans ait uinum nigrum dulce fortius inebriare q̄ alia, quoniam diutius durat huius uini ebrietas. Galenus & alij inquiunt minus inebriare quo ad uehementiam, & quo ad intensionem, & ebrietatis furorem. & minus etiam. i. rarius. Et ebrij ex uino dulci sunt magis sopiti, ex uinoso autem magis cōmoti. Itaque Hippocrates intelligit uinum dulce minus ferire mentem, & caput aggrauare, hoc est pro minori parte. nam quantum sit de grauitate, q̄ καρηβαρεῖν dicunt, si uinum dulce caput feriat & aggrauet, cum crassiores habeat uapores & glutinosiores, magis aggrauabit. de eo autem quod mētem feriat nulli dubium est, uinosum magis ferire, & uehementius, & ut plurimum sua feri caliditate, quod raro facit dulce. Iterum ambigere poteris Hippocratem uideri distinguere dulce uinum cōtra uinosum, cum tamen & uinosa uina sint dulcia. Ipse etenim in libello de cibis boni & mali succi, & in calce libri de attenuante uictus ratione, & in quinto de sanitate tuenda inquit, falerna esse dulcia. Imo de duplici agit falerno de dulciori & minus dulci, tamen est uinum uinosum. Imo in. 5. de sanitate tuenda, uina numerans in Italia calidissima falernum refert. & in. 12. Methodi ponit falernum inter calidissima uina, quia flauum. Igitur distinctio conueniens non uidetur, dulce uinum contra uinosum distinguere. Respondemus Hippocratem intelligendum esse per dulce uinum, non autem simpliciter dulce, sed id solum quod ueram & exquisitam habet dulcedinem, & quod intense dulce sit. tale uero est nigrum & crassum: quippe in his solis est intensa dulcedo: ut ex omnibus citatis locis colligi potest. In quibus etiam uina alba nulla esse dulcia fatetur, & nulla flaua uel fulua esse multum dulcia. Calidissima uero sunt fulua & flaua, quæ proprie sunt uinosa, quāuis habeāt aliquam dulcedinem. Ob id hic distinguit Hippocrates uina exquisite dulcia, quæ nigra sunt crassa, & obstruētia & ferè pinguia. Contra uinosa. i. illa quæ maxime ab aqua in uini proprietatibus distant, quāuis aliqua in specie paruam quandam habeant dulcedinem. Itaq; recte distingui possunt, & illa mētē minus feriunt, q̄ hæc uinosa.

καὶ διαχωρητικώτερος δέ τι τοῦ ἑτέρου κατ' ἔντερον. i. & quouis alio facilius per intestina descendit. hæc est una ex optimis uini dulcis dotibus, facilime per intestina descendere. tum quia emollit sua dulcedine, abstergit, & crassum est. Vnde facilius descendit. adde facile in bilem uerti. quæ deinde stimulat intestina, & facile descendere facit. Vbiq; Galenus uinum dulce ad deiectiones magis commodum iudicauit.

μεγαλόσπλαγχνος δὲ σπληνὸς καὶ ἥπατος. i. Lienem uero & iecur, & uiscera tumefacit. Quod ob suæ substantiæ crassitudinem contingit, & ob flatus, in quos facile uertitur, & quoniā trahitur à uisceribus, cum ab eis diligatur, & illis oblectet, unde ipsum uelocissime attrahunt. hoc est unum ex dulcioris uini incommodis.

οὐκ ἐπιτήδειος οὖν οὐδὲ τοῖσι πικροχόλοισι. i. Picrocholis nullo pacto est idoneum. De picrocholis ubertim libro secundo dictum est. Sunt hi qui bilem amaram aceruant, tamen & illi hoc nomine uocantur qui biliosam habent temperiem. & aliqui sunt uentriculo tantum picrocholi: de quibus in secundo egit libro. Cum facile uinum dulce in bilem uertatur, & picrocholi bile abundent: ne nimis exaggeretur bilis, ipsis non sunt exhibenda dulcia uina. Additq; symptoma unum quod inducit picrocholis dulce uinum, inquiens.

καὶ γὰρ οὖν διψώδης τοῖσί γε τοιούτοισίν ἐστι. i. Nempe his sitim inducit, & ob id quia in bilem uertitur, quæ calida simul & sicca est. Adde cum crassius sit & glutinosius, ad sitis causas non ita penetrat, neq; ita linguam permeat ac palatum & alias partes quousq; ad os uentriculi pertingat.

ἀτὰρ καὶ φυσώδης ἐντέρου τοῦ ἄνω. i. & superius intestinū inflat. Intellige partem intestinorum superiorem. Id facit, quia flatuosum est: flatus uero cum gignuntur, sunt crassi. At uel in uentriculo, uel in superioribus gignuntur intestinis & paulatim attenuantur, quoad à superioribus intestinis ad inferiora trāsmittantur.

οὐ μὴν πολέμιός γε ἐν τῷ κάτω ἐντέρῳ κατὰ λόγον τῆς φύσιος. i. Non tamen inferiori intestino, pro flatus ratione cōtra pugnat. Et hæc causa esse potest, quoniam genitus flatus est fere coctus & in superioribus intestinis attenuatus. propterea tenuior est, & facilius mouetur, faciliusq; exit. nam ut à superioribus partibus ad inferiores transmittitur, ita ab inferioribus extra profligatur. Causa uero cur inferioribus non obsit intestinis, est tenuitas sua, & exeundi facilitas. nā si crassus esset: attenuari posset, & ita maiorem locum occupare, intestinaq; extendere. & noxam inferre.

Forte inquies, tibi uideri in superioribus intestinis à flatibus dolorem gigni, quoniam crudi sunt, & nondum coctionem accepere, ut facile permeent. Adde superiora intestina esse alijs tenuiora. Respondemus, & si in superioribus intestinis flatus sit crassus & crudus, tamen quia iecori & cordi propinquus, ob id cito coquitur & resoluitur, neque extendit ut faceret, si nihil esset quod resolueret & calefaceret. Cor uero & iecur sunt nostri corporis calidissima uiscera, unde iuuat uim expultricem, & hoc faciens magis prodest, q̄ obsit ex extensione quam facit sub præcordijs, quāuis & superiora intestina graciliora sint. Imo unum addo hanc esse unam ex causis, cur inferioribus intestinis minus obsit, quia sunt latiora & crassiora superioribus: quāuis & ex crassis quædam superius sint quo ad situm & circūuolutiones ut de colo intestino uidere est, quod supra uentriculum circūuoluitur.

καίτοι γε οὐ πάνυ πορίμη ἐστὶν ἡ ἀπὸ τοῦ γλυκέος οἴνου φῦσα. i. Et q̄uis non ualde penetret qui à dulci uino fit, flatus. Ob id quia crassior est, & uaporosus, & ferè nebulosus: tamen inferioribus intestinis pro flatus ratione non inimicatur.

ἀλλ' ἐγχρονίζει περὶ ὑποχόνδρια. i. Sed diutius circa præcordia

167

dia ob suam crassitiẽ immoratur, & ideo ibi coquitur, & adeo attenuatur, ut alia non indigeat attenuatione, ex qua in maiorẽ molem amplietur, & intestina extendat.

GALENVS. Vinum dulce secundum gustandi qualitatem nominatur, qua & austerum & acre, ut aquosum prætermittamus, quod non omnino ab astringente degenerat, tametsi languidã, exolutámque habeat astringendi qualitatem. Nam si aquæ comparaueris, percipies manifeste ex ea comparatione gustum huiusmodi uinorum, eorum esse, quæ modicam nacta sunt astringentiam. Aquosum autem uinum appellant homines, quod aquæ tum colore, tum substantia simile est. Perspicuum siquidem ut aqua, splendidum & purum, & substantia tenue uidetur. Protinus autem & facultate aquæ simile ex sit, neq; imbecillum caput feriens, neque infirmos neruos, quando ne quidẽ manifeste calfacit. Sed de uino hoc rursum tractabitur. Dulce igitur uinum hoc quidem modo ab ea quæ in gustu reperitur qualitate est nominatum, sed multis numeris ab aqua & colore & substantia recessit. Neque.n. tenue exquisite, neq; album uidisti aliquando uinum dulce: sed plus minus dictis recedit, & neutrum horum habet. Dulcia autem uina maxime sunt theræum & scybelites, crassa utraque & nigra. Dulcia quoque & ea quæ in Mæonia sunt, therinum, & caryinum, tanto dictis & crassitie & nigritie superiora, quanto dulcedine inferiora. Præterea quod hepsema & sireon à Græcis & à Latinis sapa appellatum, ex cocto musto conficitur: quo dulcius uino perficitur, eo & colore nigrius, & substantia crassius apparet. Quarto autem de simplicium medicamentorum uiribus, dulcem omnem saporem à caliditate, quæ non immoderata & uehemens sit, fieri demonstrauimus, sicuti & acrem in uehementer calfacientibus. Acrimonia siquidem horum est inseparabilis. In usu uero uinum dulce mediocriter calfacere uidetur, sitímque facit propter tum caliditatem, tum crassitiem. Ita sanè & mustum quo diutius in igne uersatur, eo tum crassius, tum nigrius, tum dulcius euadit: quanquam supra modum coctum amaritudinem contrahat, quo modo & mel ipsum, quod quãquam omnium dulcissimum sit, longa tamen coctione amarum reddit. Sed ut iã retuli, de qualitatibus omnibus gustabilibus in quarto de simplicium medicamentorum uiribus est tractatum, atque hoc in loco, ut in aliis super Hippocratis libros expositionibus non demonstrationes, sed conclusa tantummodo recenseo. Cum igitur uinum dulce uiscus calfaciat, sitíq; ut dictũ est substantia crassum, particulares ipsius facultates quas epotum commonstrat, secundas qualitates consequuntur. Coloe siquidem sua ratione nullo pacto uel iuuare, uel lædere potest. Ergo uinum huiusmodi pro substantiæ crassitie tarde meat: quapropter tantum abest, ut ex obstructis partibus aliquid adimat ut etiam obstructiones adaugeat. Atque ob id hepati adfecto maximum adfert detrimentum, præsertímque ubi uel phlegmone, uel scirrhus occupauerit. Sed moderatius lædit, ubi uel ab humorum crassitie uiscus oppilatur, uel propter imbecillitatem afficitur, uti in affectionibus, quæ proprie hepaticæ nuncupantur. Post hepar, lien à uinis crassis læditur: non tamen pulmo, cum bronchia crassum habent humorem. Nempe in hepate ex amplis portæ uasis ad angusta strictáque uasorum, tum gibbæ, tum simæ proceditur extrema: per quæ eorum omniũ quæ in corpus totum digeruntur transmeatio fit. At in pulmone contrario euenit modo. Nam per uenas multas digesta, confectáque in amplam bronchiorum & primo minorum irruunt capacitatẽ, atque ab his ad maiora excipiuntur, secum & crassos tollentia humores, quibus non calidiora solum, uerum quoque & tenuiora existunt. Scis autem pulmonem ipsum ab humoribus crassis, uiscosisq; per tusses expurgari. Nã qui aquosi sunt, & exquisite tenues, aerem qui tussiendo extra mittitur, circunfluunt. Aer etenim tanquam manus quædam existit, quæ sursum crassos humores secum ferat. Sed crassitiem humorũ talem esse oportet, ut ab aere sursum ferri possit, & non ut lutum bronchiis illitam esse & infarctam. Ob id sanè uiscosos humores tusses non expurgant: nempe manent, & interna uisci instar occupant bronchia. Ergo quæ ad eductionem eorũ qui in pulmone continentur crassiorum humorum futura sunt idonea medicamenta, moderatam humiditatem habere debẽt. Quòd si uiscosi humores fuerint, non humiditate solum est opus, uerum quoque & ea quæ ab acidis fiat succis detersione. Ob eam rem melicratum quidem ad crassiorum humorum expuitionem est conuenientissimum, oxymeli uero ad uiscosorum. Post melicratum ptisana est, atque ab ea uinum dulce, si coctis iam tum peripneumonia, tũ pleuritide propinetur, idq; non uexatis inflammatione corporibus. Quòd si uinum huiusmodi epotum sitim faciat, ad expuitionem minus idoneum redditur. Verum ut uno absoluam uerbo, uinum dulce in acutis morbis ad expuitionem tum propter dictas operationes, tum propter communem uinorum omnium rationem quia uires roborant, idoneum existit, & maxime his qui quæcunque humida, quæ tum in thorace, tum in pulmone continentur, expuunt. Didicisti autem humida illa uaria tum substantia, tum qualitatibus, tum uirtute esse in Prognostico, ubi sputorum exposui differentias. Nullum sanè bonum aliud uinum huiusmodi habet febrientibus propinatum. Minus tamen uinoso quod uehementer calfacit, lædere poterit. Commodum præterea aliud nihil habet præter ante dicta, nisi quòd uentris permeationem modice iuuet. Ob id igitur Hippocrates, ubi à minus lædentibus quæ multa sunt, doctrinæ exordium fecit, ad iuuamenta ipsorum quæ pauca sunt circa finem sermonis transiit. Percurramus igitur quæ recenset, dictionem ipsius persequentes. Vinum dulce minus quàm fortia potentiáque mentem ferire ait.i. minus deliria progignere: fortia siquidem uina uehementer calfacientia caput humoribus, uaporibúsque, & caliditate replent. Vina igitur dulcia, quo magis à uehementi caliditate absunt, eo minus tum caput grauant, tum mentem lædunt. Sed facilius per intestina descendere ait, & uiscera tumefacere.i. uiscerum tumores augere. Sed de his dixi paulo ante. Præterea dulce uinum non idoneum esse ait picrocholis.i. qui amaram bilem sibi aceruant. Nempe medici χολὴν.i. bilem, simpliciter & pallidam & flauã dicere consueuerunt μέλαιναν uero χολὴν.i. nigram bilem hoc toto appellare, & nõ χολὴν.i. bilem simpliciter: sed hæc quidem acida est, amara autem quæ flaua. Ob eas res picrocholos appellat Hippocrates, qui redundantem habent huiusmodi bilem. Permixta autem aquosis humoribus & liquidissima & pallida uidetur. Sola uero cum existit, & crassa, & flaua est. Quæ autem huiusmodi bilem procreant, sunt calida & sicca temperamenta, ad cuius generationem idonei sunt & dulces omnes humores. Quo fit ut omnium horum maxime mel bilescat, quòd dulcissimũ sit, deinde & dulcia uina. Non solum autem quòd caliditas multa tales humores amaros reddit, propterea dulce uinum febrientibus & præsertim ubi calidi & sicci temperatura fuerint, idoneũ non est: uerum quoque & quod crassa sint huiusmodi uina, neque per urinas uelociter descendant, neq; cito difflentur, transpirentq;. Quo fit, ut biliosos humores neque secum agant, neque excernant. Solis ergo his unum inest bonum, quòd uentrẽ emolliant: quod si non fecerint, omni pacto nocent. Præterea & siticulosa sunt, hac re quòd facile bilescant commonstrauit. Flatuosum quoq; uinum huiusmodi esse asserit. Nempe incalescentes crassi humores, flatum sibi similem generant, tum uaporosum, tum crassum. Quod autem tale est, inflationes parit. Quapropter ex tenuibus uinis non prodit flatus, quanquã interdum quippiam generetur, quod & tenuium sit paruũ, & aerosum, non nebulosum vaporosũmq;. Cæterum dulce uinum inferioribus intestinis non esse inimicum ait, quanquam tarde meet qui ab ipso est flatus, moretúrque circa hypochondrium. Ea autem occasio est ob quam non admodum turbet inferiora intestina, quia circa hypochondrium moretur, donec perfecte coctus & tenuatus fuerit: quòd si semel coctus fuerit, commeabiliorem tenuiorumq; partium habebit naturã. Qua igitur ratione à supernis ad infernas expellitur partes, eadẽ ab infernis extra mittitur.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus notat, unde dulce uinum dicatur, inquiens ob gustandi qualitatem quæ dulcis est & suauis, dulce denominari. Eodem modo secundum gustandi qualitatem, austerum uinum dicitur, & uinum acre. de quibus saporibus prius egimus. saporum enim proprius sensus est gustus, hicque intendit Galenus aquosum uinum prætermittere, quod ab adstringente penitus non degenerat, sed cum eo affinitatem habet. tamen non est egregia adstringendi qualitas, sed languida & exoluta. Et si aquosi uini ueluti conculā habere tentes, aquā accipe, & illi hoc genus uini compara. nam ex hac cōparatione, manifeste horum uinorum gustum & saporem percipies. & ex his manifeste deprehendes, hæc uina ex his esse, quæ modicam nacta sunt adstrictionem. Si uero petas, quodnam sit aquosum uinum, scito ab hominibus aquosum appellari, quod colore & substantia aquæ simile sit, de colore est ueluti aqua perspicuum splendidum, & purum. Et si de eius substātia quæras, est tenue. Quæ cum in hoc uino reperiantur, protinus dicendū est, esse in facultatibus & uiribus aquæ simile. Et si quis caput habeat imbecillum, ab hoc uino non læditur, neque infirmos neruos offendit, quoniam neque manifeste calefacit. At de hoc uino alias. nunc ad dulce regredi oportet.

Scito uina multas habere denominationes, & à colore, & à substantia, & à loco, in quo nascuntur, & ab aliis multis. Verum à sapore secundum quod gustu percipitur, aliud est dulce uinū, aliud austerum, aliud acre, quia gustus ita esse iudicat. de his saporibus Galenus in. 4. de simplicium medicamentorum facultatibus agit, & de eorum ortu ac proprietate.

Forte probabis aquosum uinum non adstringere, quia nōnunquam ex uini aquosi potu uenter soluitur, & huic uino inassuetus multis uicibus excernit, imo aliqui ob hoc aquosum uinum alui profluuia incidere. Dicimus aquosum uinum ratione frigiditatis primo adstringere, cum frigidi sit adstringere postea infrigidare, uel infrigidando adstringere, tamen potest nonnunquam adeo & os uentriculi & fundum infrigidare, ut uis concoctrix imbecillitetur, & ex consequenti per uiam symptomatis semicrudum exeat, quod pro cibo acceptū est. Vnde aquosum uinum ob frigiditatem per se adstringens est. sed & ob eādem frigiditatem uentrem exoluit, cū nimis intenditur, & uentriculum infrigidat. propterea utrunque, sed diuerso modo uerum est. At stypticitas quam habet exoluta est & languida, tū quia frigiditas non est intensa, tum ob eam quam habet iunctam humiditatem, quæ potius lubricitatem procurat, q̄ adstrictionem. Petes, quonam modo aquosum uinum, aquæ in gustu comparatum adstrictionem quandam se habere ostendet. Respondemus hoc modo, quia aquam gustu sentientes, rē quandam laxam sentimus, quę per os dispergitur, ac labitur, nec quicquam aliud in linguam imprimit, q̄ frigiditatem & humiditatem. At uino aquoso prægustato, adstrictio quædā circa linguam sentitur, quæ non erat in aqua. Sique experimentū hoc facere tentabis, id post degustatam aquā experiri suadeo.

Inquit. Aquosum uinum aquæ colorem habere & substantiā, cur non dixit & saporem? Respondemus quia diuersum prorsus habet saporem, quāuis & huius uini sapor, aquæ sapori etiā appropinquet. de colore in aquosis uinis albis est uerum. sed de uocatis à Plinio & ab antiquis protropis, & de œnoteris spōte exeuntibus, uerum non est, quia colorē aquæ hn̄t, & sunt potentia, tamen tenuia non sunt, sed crassa. Dices, non posse habere facultates aquæ similes, cum uinū sit. Respondemus est quidem uinum, sed aquosum, propterea uires habet non quidem aquæ, sed aquæ proximas, & forte magis infrigidat, q̄ aqua, cū ad internas partes melius penetret q̄ aqua. aqua uero ad urinæ uias breui discurrit.

Galenus dicere uidetur, infirmos neruos non lædere, quia manifeste non calefacit, ac si uelit imbecillos neruos à calore lędi. At hoc uidetur absurdum, cum potius à calore iuuentur. quippe de neruis loquitur imbecillioribus, qui vt plurimum ob frigiditatem ita disponuntur. propterea calor illis prodest, & non obest. Respondemus, uinum ob humiditatem neruis obesse, quæ humiditas ex potentiori uino facilius in caput ascendit, & in eo condensatur. Vina autem tenuia & si humidiora, tamen in caput non ascendunt, quia frigida sunt, uel saltem nō manifeste calefaciunt. Vnde calor resoluit quidem materiam frigidam in neruis existentem, & neruos adiuuat. tamen quia & cōducit magnam humidi materiam in caput, & illud calefacit, propterea neruis obest. tamen & si dictum sit à frigidis lædi neruos, non negamus quin etiam à calidis lædantur, & quandoque lędi possint.

Secūdo Galenus ad dulcis uini propositū reuertit, primo id quō dictum est repetens, uinum dulce nominatum esse, ab ea quæ in gustu est qualitate. tamen ab aqua multis numeris & multo interstitio colore & substantia recessit. Notátque uinum dulce, nunquam uisum esse tenue exquisite, neque album. Vt ex his uelit dulce uinum non posse esse tenue, sed esse crassum. neque posse esse album, uerum à tenui & ab albo, per magis & minus recedit, & nullum horum duorum habet, quod. s. tenue sit uel album. Quæ uero sint dulcia uina, ab regionibus docet, inquiens hæc esse maxime dulcia uina Theræum & Scybelites. nam hæc uina utraque sunt crassa & nigra. Adde & illa esse dulcia quę in Męonia sunt Therinū. s. & caryinum. quę prędictis sunt tanto nigritie & crassitie superiora, quāto sunt dulcedine inferiora. & q̄ dulce uinum sit nigrum & crassum & non album & tenue, testimonio sunt hepsema, & sireum ita à Gręcis dicta, & à Latinis sapa uocata, q̄ ex cocto fit musto, p̄ quā cocturam dulcior vino perficitur hęc sapa. & quo dulcior uino fit, eo & colore nigrior, & substantia crassior apparet. At in 4. de simplicium medicamentorū facultatibus dulcem omnē saporē à caliditate fieri, quę non immoderata & uehemens sit ostendit. sicuti etiam demonstrauit acrem saporem in uehementer calefacientibus inesse. in his enim acrimonia est inseparabilis.

Nota uinū dulce multis numeris, quod Grece est πεπολλῶν, multis modis ab aqua differre colore & substantia. hoc intelligi potest ab aqua multis differre modis in colore, & in substantia, quis colores sunt per magis & minus, substantia est magis & minus tenuis. vel intelligatur multis modis ab aqua differre. Et si petas quibus modis, colorem enumerat & substantiā. At dices quid ad rem hoc facit, cum locus non sit ponendi differentiam inter dulce vinum & aquam? Respondemus, non comperat dulce uinum aquę vt statuere velit inter dulce vinū, & aquam differentiam ponere, sed tantū vt differentia habeatur, inter dulce uinū quod crassum est, & nigrum, & aquosum vinum quod est tenue & purum ac lympidum.

Quod legitur, dulcia autē vina maxime sunt Theręū & Scybelites. Grece est, γλυκεῖς γοῦν οἶνοι διαφερόντως εἰσὶν ὁ θηραῖος καὶ σκυβελίτης. i. dulcia igitur vina differenter sunt Therpum & Scybelites. vt notet diuersam esse in his vinis dulcedinem, vt cum eo sit concors quod statim dicebat, plus minus dictis recedere. nam cū diuersam habent dulcedinem, plus minúsque dissentiunt. quāuis intelligere possemus tandē ferè dulcedinem habere & substantiam. nā in quinto de sanitate tuenda inquit, Therpum & Scybelites esse citra adstrictionem nigra & crassa, & minus in uentre morari, tamen nō mouere vrinas, sed deorsum properare. In fine libelli de attenuāte victus ratione, vbi docet vina crassa & dulcia in thoracis & pulmonis affectibus multū valere. addit hoc esse, quia nec acerbam, nec austeram, nec adstringentem vim habeant, sed potius ad melleam spectet naturam. Ibique laudat huius generis uina ex Pamphylia, & laudat Tmolitem. cuius si copia nō sit, vult Therpum esse sumendum. & Therinum & caryinum, de quibus mentionem facit. hęc omnia nigra sunt dulcia, non adstringentia, neque qualitatem aliquam acerbam uel austeram habētia. Et in libro de cibis boni & mali succi comparat sapam in nigredine ad Therpum. & Therinum, ac caryinum eadem esse testatur. tamen Therinum dicit esse minus dulce, q̄ caryinum, & minus nigrum. facit uero scybelites & Therpum absolutę dulcedinis.

Quod

Quod legitur, tanto dictis & crassitie & nigritie superiora, quanto dulcedine inferiora: sensus est, Therinum uinū & caryinum, tanto superare Theraeum & Scybelites quanto superantur dulcedine. ut intelligere uelit Therpum & Scybelites a Therino & caryino crassitie & nigredine superari, illa uero superare in dulcedine. At hoc non uidetur conuenire, quia quanto crassius est vinum tanto dulcius est. Et in libro de cibis boni & mali succi inquit Therinum non esse adeo nigro colore ut caryinum, neque est adeo dulce. & in illo loco illam ponit uniuersalem regulam, quę dicit nulla uina esse crassa & dulcia, quę nigra non sint. Et in calce libri de uictus ratione attenuante in tertio loco uinorum nigrorum, crassorum, melleorum, Therpum ponit, postea protropum, deinde Therinum & caryinum, contextus grecus ita dicit. τοσοῦτο πάχυ τι καὶ μέλαντι διαφέροντες τῶν εἰρημένων, ὅσον καὶ γλυκύτητι λείπονται. hec verba hoc modo interpretanda iudicamus. Quātum crassitie & nigredine à predictis differunt, tanto & dulcedine relinquuntur. ut sensus sit: Therpum & scybelites vt crassitie & nigredine superant Therinum & caryinum, ita & illa superant dulcedine. vt ferè hę propositiones in dulcioribus uinis conuertantur, hoc uinū crassius est illo & nigrius, ergo & dulcius: & hoc vinum est illo dulcius, ergo & crassius & nigrius. Quod experientia uerum esse ostenditur & in uinis nigris dulcioribus & in sapa.

At contra hanc sententiam insurges, probabiliq́ rationē hanc nullius esse momenti, neque sequi simpliciter, quoniam in melle non est uerum, quanto dulcius, tāto sit crassius & nigrius. Et quod de melle dico, idē in aliis intelligo ut in zuccaro, Imo apparet quanto mel est tenuius & flauius quanto zuccarū est tenuius & magis album, tanto sunt magis dulcia, ut apparet in zuccaro fino à sui perfectione uocato.

Respondemus: Galenus in vinis putat sola nigra esse exquisite dulcia, & alba non esse dulcia, flaua & fulua aliquam habere dulcedinem, sed non exquisitam (forte Galenus. muscatula nō bibit, neque Mutinensia Trebiana, neque sancti Ioannis Florentina, neque syrola uocata) vnde de dulcibus loquens vinis, vini saporem ad substantiam & proprium colorem comparat. proprius vini dulcis color est nigredo. vnde in vino valet, est dulce, ergo habet substantiam crassam & nigram, quia nigredo est proprius dulcis vini color: sed in melle & zuccaro non est proprius color nigredo. Imo deinceps Sectione. 23. Nigrum mel damnabit, cum zuccari proprius color sit albedo, mellis proprius color sit albedo uel flauities. propterea si argumentum id fiat ad suam substantiam & proprium colorē convenit. & ita de melle ac zuccaro dicendum est. vnde si de zuccaro dixerim, quanto zuccarum est albius & crassius. i. intensius, tanto est dulcius, hoc erit verum, & quanto erit dulcius, tanto erit crassius & magis album, inter zuccari genera vocatum finum, quod aliis est magis expurgatum, crassius. i. densius est & magis album, & ex consequenti cęteris dulcius. At quia ex vino fit sanguis, forte in sanguine ambiges, non videri in sanguine Galeni sententiam conuenire, & ex consequenti in vino non valet primo non sequitur, quanto sanguis est crassior & nigrior, tanto est dulcior: nam crassior & nigrior sanguis est atrabilaris: atrabilaris vero non est dulcis, imo est acidus & acris quandoque, si exusta bilis mista sit, quę in melancholicum humorem transierit. Neque etiā valet, sanguis hic est dulcior, ergo est crassior, & nigrior. nā cum magis est dulcis, tanto magis ab atrabile recedit, quę acida est. At quāto magis ab atrabile recedit, tanto est tenuior. Itaque nō valebit, est dulcior sanguis, ergo est crassior & nigrior. nam quanto recedit ab atrabile, tanto & à nigredine recedit. Respondemus simpliciter dici posse aliis in rebus, has consecutiones non conuenire preterquam in vino, vel cum rubedo sit proprius sanguinis color, ita dicatur vt de melle & zuccaro dictum est, sanguinem. s. esse tanto dulciorem, quanto est crassior, & rubicundior, non tamen nigrior, sed in massa sanguinea in qua adest omnium humorum miscella verum non est. Et si dicas videri potius amarum, quia rubedo illa intensa est sanguinis biliosi color. Respondemus nos loqui de rubedine sanguinis propria quę est purpurea.

In eo preterea ambigi posset quo dictum est à Galeno, neque tenue neque album uinum esse dulcia, quoniam illa quę grȩca dicuntur, & à Galeno sunt existimata falerna, tenuia videntur. Adde vina illa protropa nuncupata, quę sua sponte vuam exeunt, quę in oenotria colliguntur, dulcia sunt & alba. Respondemus hanc esse vbique Galeni sententiam cum de vinis agit, tenuia & alba dulcia non esse, vt in libro de cibis boni & mali succi ostendit, & in calce libri de attenuante victus ratione, & in. 5. de sanitate tuenda. Imo in libello de cibis boni & mali succi addit neque flaua neque fulua esse multum dulcia, sed mediocriter dulcia. Et in calce libri tertij de alimentorum facultatibus inquit, tenuia uina & alba esse paucissimi nutrimenti, & vrinam mouere, quod & in omnibus adductis locis cōfirmat. At Grȩcum de forma vocatum vinum, tenue nō est, licet splendidum videatur, & vina protropa sunt crassa & alba. Cum uero de albis loquitur, de albis intelligit aquosis, cum semper dicat talia vrinam mouere.

De Sireo, hepsemate, & sapa.

Forte ambiges quid sirȩum sit, & hepsema, & an differāt, pro his ambiguitatibus dissoluendis scito sirei mentionem fieri & hepsematis frequentissime apud Galenum. In libro de cibis boni & mali succi, sirȩum quod hepsema appellari dicit, in nigredine vino Therpo comparat. In calce vero de victus ratione attenuante, cum dixit vina dulcia crassa nigra sanguinem crassum gignere, addit & adhuc magis sireon. Verum quia in multis locis vinum coquitur cum statim expressum est, & mustum, propterea vt ostenderet, non omne coctum vinum esse sirȩum, quoniam hoc modo omnia picena vina essent sirea & sapę, ob id addit sirȩum esse mustum plurimum coctum. Sunt & qui ficuum siccarum decoctum ita nominent, quod prauo melli adsimile est. hȩc Galenus dicit. In. 6. commentario in sextū Epidemiorum sectione. 5. inquit, sireum, quod hepsema, hoc est decoctum in nostra Asia Grȩci nominant. Et in. 6. Methodi medendi, vbi docet vlcera sapa detergenda, inquit, Sirȩum. i. sapa suffecerit, quam & hepsema vulgo apud nos in Asia uocant. Et. 12. Methodi, vbi docet sapa infundendum medicamē tum ex castoreo, & papaueris succo, inquiens, liquoe quo hęc liquantur sapa esto, quod apud nos vocant ἕψημα, plerięq́ medicorum σίραιον Grȩci appellant. Et in. 14. Methodi, vbi docet liquari pastillos Andronis Pasionis vel Polyidę vult esse eliquandos vino Therpo vel scybelite. In quorum inopia sapa vtendum, quę apud nos ἕψημα dicitur. In sexto de compositione medicamētorum secundum locos libro, vbi agit de medicorum pharmacorum compositione, dicit: Vbi non fuerit prȩsto tibi nitrum, aut sulphur, aut Asię petrę flos, origanum in sapa, quam alij sirȩon, nostri omnes hepsema vocant, seruefacito. Et in. 7. eiusdem voluminis libro in principio, pro voce restaurante dat vina mollia, & multa numerat genera. Postea addit, & ad hęc haud scio quomodo neglectum id quod à Grȩcis in nostra Asia hepsema appellatur, Latini sapam dicūt. Verum Atticissantes ipsum sirȩum vocant, quemadmodum alij caricarum decoctum sirȩum appellandum censent. facitq́ sapę mentionem in Artериaca laudata Mithridatis. Et in illa parte, in qua titulus est de vsu confectionis ex capitibus papaueris inquit: Dictum autem à me ante est sapam. i. hepsema à nobis appellari mustum coctum, quod etiam sirȩum quidam medici vocant. Et in tertio de compositione medicamentorum secūdum genera vbi excogitat, quis communis vulneratorum nec uorum curationis modus, & quę medicamenta specialia, vbi docet dissolui Polyidę pastillum, dicit solui ex hepsemate vel sirȩo. i. sapa. Et in illa parte eiusdem libri vbi est inscriptio, Cōfectiones medicamentorum ex metallicis Andronis pastillos Pasionis & Polyidę dissoluit sirȩo. i. sapa. Tamen etsi hepsema dicatur. i. decoctum, & sirȩon, & à nostris sapa, non est res à vino diuersa, sed tantum est vinum egregie decoctum: quā-

tis Plinius capite. 2. lib. 23. non dicat esse vinum, sed rem uino cognatam vino decocto donec tertia pars supersit. propterea lib. 14. cap. 9. inquit siræum, quod alij hepsema, nostri sapam appellant, ingenij non naturæ opus est, musto usque ad tertiã partem mensuræ decocto. Quod vbi factum ad dimidiam est defrutum vocamus. Omnia in adulterium mellis excogitata. Iubetq; hæc fieri lib. 14. cap. 21. cum sit coelum sine luna, hoc est in sideris eius coitu, nec alio die coqui iubet. Multi recentes decepti sunt putantes sapam ad secundam partem coqui, Defrutum ad tertiam: cum expresse oppositum edocuerit Plini. Et apud ipsum idem sunt siræum, hepsema, & sapa. & Galenus ferè semper dicit hepsema vocari siræum, nonnunquam tamen dicit & siræum hepsema vocari. In primo de alimẽtorum facultatibus inquit ἕψημα καὶ σίραιον ptisanam ingredi, & tunc esse pessimam. Et in eodem loco vbi de Typha loquitur, olyra & ζεία inquit alios vocare siræum, quod ipse vocat ἕψημα. Idem dicit in libello de cibis boni & mali succi, sed in libro de victus ratione attenuante, solum vtitur vocabulo σίραιον. Circũfertur liber Galeno adscriptus, cuius titulus est de Dinamidijs alter, in quo sapam in hunc fere modum cõfici docet. Musti de poculo. 3. xv. Tolle cydonia integra. viij. caricas. xv. dactylos. iij. Ramorum anethi M. j. fenicula similiter. Apij similiter. Coque ad tertiam. & quando refrigeratum fuerit, cola, & repone in vase fictili & picato. Nostræ mulieres in sapæ confectione cotonia apponunt, sed adeo coqui faciunt, ut una sola pars ex quatuor vel quinque supersit, pro ratione dulcedinis & potentię vini. Tantam uero coctionem expectant, quoniam Ferrariensia uina, sunt minus potentia Gręcis. Iulius pollux videtur οἰνόμελι cum hepsemate confundere, atque esse vinum ad dulcedinem coctum. Scitóque sapam esse nigrã, quãuis ex albo, aut flauo, aut rubro facta sit vino: vt Galenus in libro de cibis boni & mali succi ostendit. vbi inquit, ex albissimis uinis si mustum coxeris, & quod sirępum uocant, confeceris: id apud nos hepsema appellatur, nigrum æque ac Therętĩ colorem refert. Constantinus Cæsar lib. 8. cap. 31. sapę optimæ concinnationem ita parat. Musti optimi sextarios. viij. vini optimi sextarios centum, si ad tertias decoxeris & dispumaueris, sapam egregiam parabis. Plinius defrutum vocat, cum ad dimidiam resolutum est. Columella uero. 11. de re rustica lib. cap. 21. inquit, Mustum q; dulcissimi saporis decoquitur ad tertias. & decoctum sicuti supra dixi defrutũ vocatur. quod cum defrixit, transfertur in uasa, & reponitur. ut post annum sit in usu. Palladius autem in mense octobris cap. 18. de defruto agit, Carœno, & sapa atque. Nunc defrutum, Carœnum, sapam conficies. Cum omnia uno genere conficiantur ex musto, modus hic & uirtutem mutabit & nomina. Nam defrutũ à deferuendo ductum, ubi ad spissitudinem fortiter dispumauerit effectum est: Carœnum cum tertia perdita duæ partes remanserint: sapa ubi ad tertias redacta descenderit. quam tamẽ meliorem facient cydonia cocta, & igni supposita ligna ficulnea. Cum Plinio in sapa conuenit. neque differt in defruto. At columella à Plinio distare uidetur: quoniam Plinius siræum, hepsema, uel sapam fieri censuit, cum ex tribus partibus una consumitur: cum uero solum dimidium consumitur, fieri defrutum. Columella uero lib. 12. cap. 19. & 20. censet defrutum fieri, positis in defrutarium (ita uas appellat in quo decoquitur defrutum) musti nonaginta amphoris, cum deferbuerit, & expurgatum erit, adde iridis, foenugręci, schœni, libra adijcienda. Et si mustum fuerit tenue decoquendum ad tertiam partem, deinde ignis subtrahendus, & fornax aqua refrigeranda. capite uero. 19. inquit sapam ad dimidiam esse meliorem. tamen aliqui quartam partem, aliqui tertiam solum resoluunt: ut ampla sit inter ipsum & Plinium differentia. Arbitrandũq; est Plinij sapam exquisitiorem esse & præstantiorem. Imo (vt inquit) excogitata est in adulteriũ mellis. At Columellę sapam in mellis adulterium non fuisse excogitatam haud dubitamus. Vnde de perfectissima sapa Plini. loquitur, de alijs Columella. Nostratium uinorum ex quinque partibus quatuor, uel ex quatuor tres resoluuntur. Aliqui ἕψημα & σίραιον interpretantur carœnum, cum tamen quid carœnum sit, ex Palladio superius adduxerimus, & rem aliã ab hepsemate esse ostẽderimus, nullisque ex illis antiquioribus agricolis, præter Palladium de carœno mentionem facit: tamen apud authores reperitur Calenum quod ad partes duas è tribus redactum est. forte quia uina calena uehementiora erant, & in summo honore apud antiquos, & ad sapas etiam conficiendas apta. Hæc de sapa dicta sint, quæ idem est cum hepsemate Gręcorum & sirępo. Sirępũq; & hepsema idem eẽ in uarijs locis testatur Galenus, imo uidebatur nomen hepsema solum esse usitatum, uel in Galeni patria, uel in illa Asiæ parte, in qua erat Galeni patria: quippe in principio lib. 6. de compositione medicamentorum secundum locos dicit suos uocare hepsema, quod alij sirępum. Et in. 6. cõmentariorum in sextum Epidemiorum sectione. 3. inquit καὶ τὸ σίραιον ὅπερ ἕψημα καλοῦσιν οἱ κατὰ τὴν ἡμετέραν ἀσίαν ἕλληνες. i. Et sirępum, quod hepsema uocant Gręci qui nostram habitant Asiam. Verũtamen apud Latinos reperitur confundi sapam & defrutum. Ita & apud Grecos confunduntur ἕψημα & ἑψητόν. Imo cum apud Asiaticos hepsema sirępum significet, & hepsema sit commune uocabulum ad omne decoctũ, quia idem est dicere hepsema quod decoctum. propterea ostendere oportet apud aliquos authores probos hepsema pro decocto accipi, & non pro sapa. En Dioscorides lib. 5. ubi de Nitro uerba facit. inquit, ἢ μεθ᾽ ἑψήματός τινος τῶν διαφορεῖν δυναμένων πνεύματα. i. uel cum decocto aliquo eorum quę uim habent discutiendi flatus. Hęc de his satis, supérq; sint.

A Galeno dictum est dulcem fieri saporem à caliditate non immoderata, sed quæ mediocritatem attingat. forte dices à recentibus medicis poni zuccarum inter quatuor qualitates medium occupare. At cum medium occupet, calidum dici nõ poterit. Respondemus si recẽtes ita simpliciter intellexerint, aberrant. Imo & eorum pater Auicenna in. 2. canone zuccarum in fine primi gradus calidum censet. Ob id non est in medio quatuor qualitatum, sed ad calidum inclinat. tamen si ad sapores comparetur, temperatum dici potest, & quo etiam ad operationes quas in nostrum agit corpus: temperiem non multum excedit. At hic Galenus id iudicat, quod & in. 4. de simplicium medicamentorum facultatibus dulcedinem ad calidum dependere, sed primum ordinem non excedentem. Quæ uero acria sunt, calida sunt, & abundantiorem habent caliditatem, imo caliditas ab his inseparabilis est. At dices Acetum esse acre, tamẽ esse frigidum. Respondemus Galenum in. 4. de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 17. acidum saporem uocasse acrem communi (ut inquit) nomine. tamen ubi est acrimonia absque amaritudine, & aciditate, id proprie est acre. propterea acetum acre quidem uocatur, sed ęquiuoce, sola uoce nõ essentia, qua omnia acria eo loco à Galeno probantur esse calidissima. Imo & in. 4. aphorismorum uocat Galenus atram bilem acrem cum frigida sit, in illo aphorismo, deiectiones nigrę ueluti sanguis. niger etc. Vnde alia est aceti acredo, alia de qua hic loquitur Galenus, quę caliditatem habet inseparabilem.

Tertio cum à Galeno dictum sit dulcem omnem saporem à caliditate fieri quę nõ immoderata & uehemẽs sit, & hoc quãtum ad generationem, tamen in usu & in experientia calefacere uidetur: propterea dicit in usu uinum dulce mediocriter calefacit, & ob suam caliditatem ac crassitiem sitim facit. Eodẽ modo & mustum quanto diutius coquitur, tanto & crassius, & nigrius & dulcius fit. tamen supra modum coqui nõ debet: alioqui amaritudinem contraheret. Et eodem modo mel ipsum: quod & si omnium sit dulcissimum, tamen si diutius coquatur amarum redditur. Verum & superius retulimus (inquit) de omnibus qualitatibus in. 4. de simplicium medicamentorum facultatibus traditum est. vnde Galenus ad locum illum lectorẽ remittit. nunc uero idem seruabit, quod in alijs commentarijs supra Hippocratis libros scribit: nam demonstrationes non recenset, & rationes quibus demonstrationis conclusiones inferantur, Sed cõclusiones tantum adducit, illásque ueluti probatas,

tas, & in alijs proculdubio libris probatas accipit.

Petes, quonam modo dulce uinum mediocriter calefacere uideatur. Respondemus quia in potu sumptum, cum in uentriculo in actum deduci cœperit, corpus calefacere incipit. at eius caliditas non est intensa. qualis illa potentium uinorum, quæ per corpus calores acres immittunt.

Galenus rationem reddere tentans, cur uinum dulce sitim faciat duas affert causas, una est caliditas, alia crassities. Sed ambiges uideri à Galeno veram causam derelictam, quæ est, quoniam. cito & facile in bilem conuertitur quæ postea magis calefaciens & exiccans, & ad superiora effumans exiccat, & sitim inducit, hocque deinceps edocebit sectione. x. Respondemus & hanc profecto esse sitis causam, quam inducit, Galenoque satis fuit pro suo proposito ostendendo caliditatem adducere & crassitiem. Ita uero dulce uinum sitim inducit, quãdo in humanum corpus recipitur, caliditatem in se habet, à naturali calore calefit, & eius caliditas augetur uel in actum reducitur. Cúmque dulce sit à iecore appetitur, & in ipsum trahitur, in quo cum est, cum crassum sit, facile permeare non potest. Vnde ibi immoratur, & uehementiorem contrahit calorem, quàm sit naturalis calor. propterea in bilem conuertitur, quæ sitim inducit. Adde ad sitis causas facile non penetrare, ut uina non dulcia faciunt, quæ sunt tenuiora. Sed inquies uideri acria uina in bilem potius conuerti, quia uini acris caliditas actu est, & uehemens, uinum vero dulce caliditatem habet potentia. Respondemus, & si acre uinum calidius sit, & bili magis propinquum tamen quia in iecore non immoratur ut dulce facit, sed citissime permeat, propterea in bilem tam facile ut dulce non conuertitur, quàmquàm & nonnunquam in bilem conuertatur, sed rarius est, quàm sit dulcis uini in bilem conuersio.

Galenus inquit mustum ex decoctione fieri dulcius, nigrius, & crassius, de crassitie nulli dubium est, quia crassiores partes in ebullitione remanent, & tenuiores euaporant. De dulcedine præterea uerum est quousque ad quendam terminum deuenerit coctio. nam cum illum transijt terminum, in amarum conuertitur, sicuti & sanguis cum nimis coquitur, in bilem conuertitur, quæ amara est. De nigredine non solum id dictat ratio, quia continuo intenditur ex ebullitione color, quousque in nigrum deuenerit, sed & experientia ostendit, & Galenus in libello de cibis boni & mali succi docet mustum ex albissimis uinis si coxeris, nigrum fieri dum fit sapa. Et recte notat Galenus, cum fit sapa, quia ex pauca decoctione non fit nigrum, licet calor intendatur.

De melle petes, cur à ualidiori caliditate fiat amarum, & item mustum. Respondet de melle Galenus. 4. de simp. medicamentorum facultat. cap. 15. quærens cur mel à uehementi caliditate fiat amarum, & lac magis dulce, Respondet de melle cum sit summe dulce à caliditate uehementi mutatur in contrariam qualitatem, quia ad eius dulcedinem nihil addi potest. propterea quicquid addit caliditas in ipsum, addit in oppositam qualitatem. Lac uero cum minus dulce sit, quod reliquũ est dulcedinis à calore recipit. Et hoc est cur mel in biliosis natura, in florentibus ætate, in febrientibus efficiatur bilis amara. Simile de musto cum sit minus dulce quàm mel, ex coctura fit dulcissimũ. deinceps cum nihil possit amplius accipere dulcedinis, ad oppositam conuertitur qualitatem, & fit amarum, ita forte & lac efficeretur, nisi haberet mistum serum.

Ambiges præterea, An mel sit omnium dulcissimum, cũ zuccarum hanc præstantiam habere videatur, quod & nonnulli censuere Arabes, omnium. s. dulcissimum esse zuccarum. Alij quicquid lubet dicant, quãtum nostro sensu assequi potuimus, mel est zuccaro dulcius, & mel in se liquiditatem habet qua penetrare potest, quam non habet zuccarum nisi saliua liquescat aut aqua, licet ex eadem sint materia mel & zuccarum. At ars plura addit melli, quàm sint in zuccaro, per artem intelligo apum artem, uel cum antiqui ut Galenus, zuccarum non cognouerint. i. id quod ex cannis exprimitur, sed tantum cognouere saccarum quod concretum inuenitur supra cannas. propterea nõ mirum si mel dulcissimum posuere. uel zuccarum quoque mel est, & ab aliquibus mel cannæ dicitur. tamen quicquid sit, gustu apparet in melle uehemẽtior dulcedo quàm in zuccaro, & magis penetrans, tum qualitate sua calida, tum fluiditate.

Quarto Galenus ad propositum redit, id ferè ex prædictis inferens, cum igitur dulce uinum uiscera calefaciat, & sit consistentia crassum, ob hoc opus est facultates ipsius particulares, quas ostendit cum id bibimus secundas qualitates consequi, nam color sua ratione neque iuuare potest, neque lædere. Si ergo hoc uinum consideremus ratione suæ cõsistentiæ crassæ tarde per corpus meat. ob hoc non solum nihil adimit ex partibus obstructis, uerum & obstructiones ipsas auget. Et hæc est causa cur dulce uinum affecto iecori maximum adferat detrimentum, potissimũ ubi uel phlegmone, uel scirrhus hepar ipsum occupauerit. Tamen id dulce uinum minus lædit hepar quando affectionem habebit & obstructionem ob humorum crassitiem, uel ob imbecillitatem, ut in affectionibus quæ proprie hepaticæ nuncupantur, fit.

Petes hic, quid intelligat Galenus per τὸ σπλάγχνον. i. uiscus. Respondemus: Et si in singulari dicat, in plurali intelligendus est, omnia uiscera calefacere & totum corpus, & caput imo & cerebrum sub nomine uisceris plerunque à Galeno intelligĩt.

Quod legitur substãntia, Græce est κατὰ τὴν σύστασιν, consistentiam. tamen pro eodem sumuntur.

Galenus notat particulares uini facultates, quas ostendit epotum uinum sequi qualitates secundas, sed non omnes. propterea statim ait de colore quod nihil agat. Adde calefacere esse facultatem quæ ostenditur ex epoto uino, tamen non sequitur qualitates secundas. propterea de alijs intellige præter quàm de primis. Et in solo dulci uino sequitur quod crassum est. nam operationes quas facit, secũdas consequuntur qualitates, ut est obstruere, crassitiem suam consequitur.

Petes an reperiatur dulce uinum tenue & non crassum, cũ hic simpliciter sentire uideatur dulcia uina esse crassa: Respondemus secundum Galenum sunt quidem tenuia quæ aliquã habent dulcedinem, sed non absolutam, sola nigra absolutam habent dulcedinem, ut in libello de cibis boni & mali succi ostendit, & in calce libri de uictus ratione attenuante. quæ uero Romæ græca uocantur flaua, & si aliquam habeant dulcedinem, tamen non est absoluta dulcedo.

Quod legitur, Ergo uinum huiusmodi pro substantiæ crassitie tarde meat. Græce est, ὡς ὅσον οὖν παχύς τ' ἐστὶ κατὰ σύστασιν ὁ τοιοῦτος οἶνος, τοσοῦτον καὶ βραδύπορος. i. Quantũ igitur crassum est cõsistencia tale uinum, tãtum & tarde meatus penetrat. licet & interpretis sententia conueniat, tamen hoc modo referentes, oculatius exprimitur quod à Galeno dictũ est: unũmque innuitur scitu necessarium: uina. s. quanto sunt crassiora, tanto tardius meare: quanto minus crassa, tanto minus tarde.

Inquit uinum pro suæ consistentiæ crassitie magis & minus penetrare: si magis crassum sit, minus penetrat: si minus crassum, magis penetrat. At hoc modo ambigere poteris, cum in uino duæ adsunt qualitates, quæ oppositos habent effectus, dici non potest ut id ratione unius qualitatis simpliciter illum habeat effectum. neque è contrario, nisi ad aliam qualitatem cõparatio fiat: quoniam alia qualitas cum sit opposita, alterius actionem impedit. hæc in uino reperiuntur. quomodo igitur dici potest, quanto crassius, tanto minus penetrat si alia qualitas oppugnat: has uero qualitates in uino reperiri, ecce ẽ crassum & dulce, ut crassum tarde meat, ut dulce uero cito, & hoc ex duplici parte primo ex parte ipsius dulcedinis, quæ partes quodammodo emollit, secundo ex parte partiũ ad quas meat, quæ hoc uinum ad se attrahunt, cum dulce sit. Iecur uero & uenæ ad se dulcia cito trahunt. Respondemus: si dulce uinum, dulci uino comparemus, quod est magis crassum, minus penetrat: quoniam & si dulcedo penetrationi non oppugnet, sed sit illi secunda: tamen crassities impedit, & quod magis crassum est minus penetrat, etiam si dulce sit, quàm fuerit minus crassum uinũ

& simul dulce. uerum si dulce uinum ad ponticum uel ad austerum compararemus, quæ essent in ęquali crassitie, certum est uinum dulce magis penetrare, etiam si ęqualem habeant crassitiem, quia dulcedo ad penetrationem adiuuat.

Pro exquisitiori tamen huius rei intellectione ab re nō erit inquirere quę citam faciant penetrationem, quę tardam, & quę mediocrem. Scito igitur citam, tardam, & mediocrem penetrationem ex quatuor contingere posse: primo ex rei natura quę penetrat ac permeat, secundo ex uiæ natura per quā fieri debet hęc permeatio, tertio ex uirium membrorum natura, a quibus incipit penetratio, & membrorū ad quę tendit: quarto ex affinitate rei quę penetrat ad illa membra quę sunt penetrationis extrema. ut autem hęc perfectius intelligantur, à primo exordiri oportet. penetrat res difficulter, & facile, & mediocriter ex natura rei penetrantis duobus modis, uel ex consistentia suę substantię, uel ex qualitate, ex substantię consistentia. En res crassa suapte natura difficulter penetrat, res tenuis suapte natura facile penetrat, res quę mediocrem habet consistentiam, mediocriter penetrat. Ex qualitatis natura res calida cito & uelociter penetrat ac facile, res frigida è contrario, res mediocris mediocriter. Adde rem glutinosam difficilius penetrare, non glutinosam facilius, mediocriter se habentē mediocriter. Nunc uidendum est quo modo ex natura uię penetratio impediatur, & facilius fiat. hoc uero tribus modis contingere potest, uel ob quātitatem, uel ob numerum, uel ob formationem. En si uia sit ampla, & quantitatem habeat excedentem, rem penetrare & facile & cito certum est: si uero sit arcta uia, difficulter penetrat: si mediocris sit uia, mediocriter penetrat. De numero autem res ita constat, si plures sint uię, penetratio cita fit atque facile: per paucas uias, tarda fit & difficulter: per mediocres in numero, mediocriter. Semper tamen intelligo vt non sit una uia tam lata, uel forte latior, q̃ sint omnes illę simul uię. Ex natura uero formationis uel compositionis, uel (ut inquiunt) plasmationis, si uia sit recta & lenis & breuis, facile penetrat & cito: si aspera fuerit & obliqua atque longa, tarde permeat: si mediocris, mediocriter etiam permeat. At quonam modo ex natura uirium membri, a quo incipit penetratio, & membri in quod fluit? En exempla. omne membrum quatuor habet uires, attractricem, retentricem, expultricem, & concoctricem: si retentrix sit fortis, & expultrix imbecilla: tunc difficulter penetrat, quantum sit ex parte membri mandantis. Sed de membro recipiente, quanto uis attractrix est fortior, tanto citius penetrat & facilius: & è contrario, quando imbecilla: & medio modo, quando mediocris. At si contingat expultricem membri mandantis uirtutem esse fortem, attractricem recipientis esse robustam: tanto citius penetrabit, & facilius: è contrario tardius & difficilius & difficilius, & mediocriter, si mediocri modo se habeant. Verum omnibus simul concurrentibus, ut. s. res sit tenuis, calida, uia sit lata, & sint plures, membrúmque mandans expultricem habeat robustam, recipiens uero attractricem: tunc uelocissime penetrat, & citissime, ac facilime. possuntq; aliqua horum simul cōiungi, aliqua separari, & uarias fieri cōbinationes & cōnexus difficultatis, & facilitatis penetrationis. Quartū nūc expedire oportet, q̃d uelocem facit, & tardam penetrationem, & facilem ac difficilem. Id uero est rei affinitas, quę ad membrum penetrat extremū, ad quod debet penetrare. hęc autem affinitas & proportio facit ut res cito attrahatur, & cito penetret. quid uero sit hęc affinitas, explanare non est opus, uel modo fit per specificam formam, uel per qualitatem nihil refert. Nam Galeni regula est membra attrahere, quę similitudinem quandam habent cum se attracta, & illa respuere quę nullam habent similitudinem substantialem cum re quę attrahi debet, nisi illa attrahere coacta sit.

Galenus edocet, magis affici iecur cum phlegmonem patitur, uel scirrum à uino dulci, q̃ patiatur si ab humorum crassitie fuerit obstructum, uel ob imbecillitatem fuerit affectum. de imbecillitate nulli dubium est, uinum dulce minus iecori obesse, q̃ si phlegmone uel scirro sit affectum. Sed de obstructione ob crassos humores uerum non uidetur, quoniam hęc obstructio potest totum iecur complecti, phlegmone & scirrus non possunt, cum homo prius occumbat, q̃ ad hęc perueniat. uerū nocumentum est multo minus parte una affecta, q̃ toto affecto. Igitur minus erit dispendij, quādo aderunt phlegmone uel scirrus, q̃ cum aderunt obstructiones. Respondemus, si tanta obstructionis quantitas, quanta est scirri, uel phlegmonis quantitas accipiatur, profecto magis oberit phlegmone & scirro, q̃ simplici obstructioni. At si phlegmone parua accipiatur, & totius iecoris obstructio, tunc erit maius dispendium, id quod à dulci uino fiet iecori obstructo, q̃ quod fiet phlegmone, uel cū phlegmone fiat à sanguine calidiori, & uinum dulce sit calidū, facileq; in bilem uertatur, ob hoc quocunque casu posito, semper dulce uinum phlegmonem magis lædet, q̃ ex crassis humoribus obstructionem. De scirro autem secus est, quia ex materia constat atrabilari, quę frigida est. per scirrum uero intellige & œdema. At hęc à simplici obstructione distinguuntur; quoniam simplex obstructio tumorem non facit, ut prędicta faciunt: quāuis non defuerint qui faterentur particulam obstructum esse œdema, qui nullo modo despiciendi sunt.

Ast petes, quę sint hepaticę affectiones, & qui uocentur hepatici. Respondemus, Galenus. 9. de compositione medicamentorum secundum locos cap. 7. de hepaticis, hepaticáque affectione non paucis expeditis, & hoc nomine ad multa alia ampliato, & eo ostenso dici hepaticam affectionem ut superius libro secundo dixerat stomachicam. Demque in illa parte priusquā referat quę pharmaca ab Andronicho ad hepaticos sunt conscripta, ita infert. Affectio igitur hepatica peculiariter appellata ueluti etiam cœliaca, & stomachica, citra tumores pręter naturam circa ipsas partes contingit. Inflammatum enim esse hepar, aut abscessu laborare, aut induratum esse medici dicunt, aut aliud quippiam tale non tamen hepaticum uocant hominem ipsum cui tale quippiam accidit: uerum quādo citra manifestum aliquod in uiscere malum, in proprijs actionibus debilitatur, tunc ęgrum hepaticum appellant. propterea secundū Galenum proprie erunt hepatici & iocinorosi qui imbecille iecur habent in proprijs actionibus sine dolore tumoréq;.

Marcellus in Dioscoridis commentarijs lib. 2. cap. 152. de lanaria agēs herba, iocinorosos dici putauit & hepaticos qui unū habent ex prauis iecoris affectibus, aut phlegmonem, aut scirrum. aut tumorem, aut ἀτονίαν, id est imbecillitatem, aut aliquod aliud: & librum adducit Galeno adscriptum, cui de medicis definitionibus titulum indidere: in quo dicit, hepaticos esse quos dolor iecoris diutius comitatur, cum tumore, soliditatéque, & corporis malo colore: additque ęstuosam accendi in ijs febrem cum linguę ariditate. ut palàm sit definitiones illas medicas non esse acceptandas. quāuis & Galenus ipse primo affectionem hepaticam ad multa, alia ampliauerit, q̃ in capitis principio dictum sit. Sed deinceps in capitis fine, de uere iocinorosis & hepaticis uerba fecerit ut superius relatum est. Plinius Secūdus in. 5. de re medica capitibus. 24. &. 25. de hepaticis loquens, de distantia tantum in qualitatibus pertractauit. Tamen Cęlius Aurelianus Siccēsis in. 3. chronion libro de hepaticis, id est iocinorosis agens ampliuscule accepit uocabulū & non proprie, cum inquit cap. 4. sequentur enim quędam cōmunia iecorosis & lienosis, quędam specialiter propria. & cōmunia referens inquit, Grauedo, spirationis difficultas, & magis in itinere ambulationibus cliuosis, cum piger motus atque anhelatio, & sitis & oris siccitas, coloris mutatio, pedum inflatio, aliquando etiam febrecula latens, & hydropismi suffusio, cum continua cibi corruptione. hęc sunt communia iecorosis & lienosis. Et primo de iecorosis extans durities, siue scirrhosis in dextera pręcordiorum parte schemate rotundo, Costis ex aliqua parte subiecta, & propterea uelut decisa ex alia uero parte circūscripta, atque rotunditate terminata, color sępissime ęruginosus siue arquati similis, quem Gręci icteron appellant, urina turbata, uelut sandaracę colore, & accessionis tempore

dolor tendens usq; ad dextrū iugulū, atq; palā & difficilis supra latus sinistrū iacēdi copia. Siquidē adducant dexteræ partes suo pondere pendētes, & ppea grauedine, atq; doloris punctione ęgrotantes afficiant, tū sellosa stercorū egressio. hęc propria sunt iecorosis, quibus tu facile percipere poteris uocabulū iecorosi amplusculē accepisse Aurelianum. Ob hęc notare oportet uocabulū hepaticū, uel iecorosum, uel iecorarium, uel iocinorosum, dupliciter accipi posse, proprie, & latiuscule. latiuscule oēs cōplectitur iecoris affectus, proprie tātū imbecillitatē cōplectitur. Quod nō solū ex Galeno prædictis colligitur locis, sed & ex Aetio, & Paulo referē. Nā Aetius lib. x. cap. 1. de iecoris agens imbecillitate, inquit, intemperies quidē causæ sunt, ex quibus iocinoris debilitas producitur, dispositiones aūt diuersas in ipso faciunt, cum. n. citra inflammationē aut scirrhū circa hepar pp̄ solā imbecillitatē, sanguinis effluxio contingit, tunc sanē proprie hepaticos ipsos ægros appellant, quēadmodū coeliacos & stomachicos uocare cōsueuerunt, eos qui neq; inflāmationē, neq; aliquē aliā pręter naturā tumorē in uisceribus habēt. Scito tū necessariū nō esse hepaticos sanguinis habere effluxionē, sed profecto habere possunt. propterea & defluxio iecoraria nuncupatur. Paulus Aegineta rem hanc egregie expediuit, cū ait lib. 3. cap. 46. iecur uarijs admodū tentaē morbis, nempe imbecillitate inflammationibus, & erysipelatibus, & scirris, & corporis abscessibus, & hulceribus, & opp·lationibus corripitur: super debilitate igiē ipsius, uerba ante oīa sunt facienda, qua laborātes hepaticos hoc est iocinorosos proprie nuncupare assolent. Ad rē igitur, cū petis quæ proprie sint hepaticæ affectiones? Respondemus illas esse, quæ ab imbecillitate fiunt, caliditatē, frigiditatē, humiditatē, siccitatemue cōsequēte. Et si petas, cur dixerit proprie hepaticæ affectiones? Respondemus, id dictū esse ob cōmunes affectiones. sunt uero cōmunes, reliqui affectus. Intellige hoc nomē hepaticū in cōmuni & amplioris acceptione de illis dici, & nō proprie. Trallianus pręterea lib. 9. cap. 19. de iocinoris imbecillitate loquens de hepatica dysenteria uerba fecit, quod indiciū est hoc sanguinis profluuium ex imbecillitate cōsequens, sub hoc uocabulo hepaticum proprie comprehendi.

Quinto Galenus notat crassum uinū, post hepar, lienē offendere. At pulmo ab hoc uino nō læditur, quādo bronchia crassum habent humorē, ut facit hepar, quoniā in hepate ex amplis portę uasis ad extrema procedunt angusta & stricta uasorū tū gibbæ tū simæ partis, per quos meatus oīa quæ in corpus digeruntur transeunt. At in pulmone cōtrario modo cōtingit, ea. n. quæ sunt digesta, & per multas uenas cōfecta, in amplā bronchiorū capacitatē irruunt, & primo minorū, & postea ad maiora tendunt, & crassos secū ducunt humores, quibus sunt & calidiora & tenuiora. hęc. n. q̄ cocta sunt & tenuiora penitus sunt & calidiora crassis humoribus in pulmonis bronchijs existētibus. Illudq; nō te latet, pulmonē ab humoribus crassis & glutinosis per tusses expurgari aquosi etenim et exquisite tenues, circūfluunt aerē qui tussiendo extra mittitur, nā aer est tanquam manus quędā, quæ sursum crassos humores ferat. At hæc humorū crassities talis esse debet ut ab aere sursum ferri possit, & nō debet esse ut lutum illita & infarcta. In hoc. n. casu tusses humores crassos nō expurgant, nā permanent, & tanquam uiscus occupant bronchiā interna. propterea medicamenta quæ idonea esse debent ad crassorū humorū eductionē qui in pulmone sunt, moderatā quandā humiditatē habere debent. At si humores præter crassitiē sint glutinosi, nō sola humiditate est opus, sed & illa indigemus detersione quæ ab acidis fit succis. Ob hanc causam melicratū ad crassorū humorū expuitionem est cōuenientissimū, oxymeli uero ad glutinosorū. Post melicratū secundū locū obtinet ptisana, post ptisanā tertiū locū obtinet uinū dulce, si in peripneumonia & pleuritide propinetur, quando sunt cocta, & id fiat quando corpora nō fuerit inflammatione uexata. Verum si hoc uinū epotum sitim faciat, tunc ad expuitionem minus idoneum redditur.

Forte ambiges in eo quod dictū est; minus lædi lienē ex dulci uino & crasso, q̄ iecur, ratióq; ambiguitatis est cuiusdā Arabis sententia, quæ prætermittenda non est. Is est Isaac in suis uniuersalibus dictis, cū docet quo modo cibi per cognitionem cognoscantur. Inquit dulcia magis obēsse spleni, q̄ iecori, cuius sententiæ tres reddit causas. una, quia uiæ lienis sunt arctiores, iecoris uero latiores. propterea dulcia quæ crassa sunt, possunt magis obesse lieni q̄ iecori· nā habet uias per quas quod crassum est transire potest. secundo, quia lienis uires sunt imbecilliores q̄ iecoris uires propterea ab eo quod utrunq; lædere aptum est, uires habens imbecilliores, magis læditur, hoc ex se patere nemo dubitat. Tertio splen ad se sanguinis fecem hoc est atrabilarium humorem trahit. At cū dulce uinum crassum sit, & quod est ex eo magis crassum cū in iecore est separatū, à liene trahitur propterea lien quod crassissimū est in uino dulci accipiet, & ita id accipiet quod ualde oberit· unde ab hoc uino lien magis læditur q̄ iecur. His ferè rationibus secundū Isaac dulce uinū lienem magis lædet q̄ iecur. Quid ergo dicit Galenus post iecur lienem lædi? Imo uidetur magis lædi q̄ iecur.

Respondemus in ordine læsionū contingere posse, ut primum quod lædatur sit lien, & magis lædatur, q̄ iecur à uino dulci, nā cū lien debeat à sanguinis fece iecur expurgare, cōtingit plerūq; ut lien crassa fece recepta, obstruatur, & meatus obstruātur, qui à iecore ad lienē tendunt. unde amplius nō attrahat, itaque in iecore crassus ille sanguis, & fex illa atra colligitur. unde incipit & ipsum lædi, & obstruitur, & multi ex hoc perniciosas incidunt dysenterias, & hydropes. In hoc casu primū nocumētū à liene incepit, tamē & si iecoris nocumentū fuerit in ordine secundū, fuit uniuersaliter maius, quia fuit nocumentū, quo totū corpus participabat, potest & nocumentū à iecore primo incipere, quando ob uini crassitiē primo obstruitur. unde imbecille fit, & quæ recipit, praue coquit, & ita cruda à liene trahuntur, unde & ipsum obstruitur, in hócq; casu iecoris nocumentū maius est, tū quia uires læduntur cōcoctrices, quæ sunt totius corporis ministrę, tū quia ex hoc sæuiores incidimus ęgritudines. Galenus igitur uel in ordine intelligatur, quando hæc duo membra læduntur, lien & iecur ex obstructione à uino facta, primo iecur, postea lien patitur uel intelligamus nocumentum maius, nam quod iecori infertur nocumentum longe maius est, q̄ quod lieni, facta ad totum corpus comparatione. nam ad iecoris læsionem totius corporis læsio consequitur. At ad lienis læsionem totius corporis læsio non sequitur, nisi in temporis processu, quando ex illa lienis læsione, postea iecur lædetur, & denique totum corpus. forte aliud dubium occurret, non minoris momenti quàm prædictum, uidelicet dulce uinum splenem lædere nullo pacto. nam dulce uinum priusquam ad lienem perueniat, in iecore coquitur. in qua coctione uim quandā aperitiuā acquirit, ut hac in cōmētatione Galenus docet. nā calidū est, & aliū acquirit caliditatē, & sua crassities attenuatur. uerum si nō læsit iecur, tanto minus lienem lædet. Præterea Galenus in sexto de usu partium inquit lienem esse rarius membrum, quàm sit hepar. Si ergo dulce uinum per hepar transit, & illud non obstruit, tanto facilius per lienem trāsibit, utpote per membrum rarius, & illud non obstruet. At per hepar dulce uinum transit, & hepar non obstruit. Igitur tanto minus lienem obstruet. Respondemus fieri posse ut dulce uinum lienem obstruat & non iecur, & obstruat iecur & non lienem ratione qua hæc membra sunt affecta. Et quamuis decoctio primo in iecore fiat, tamen per hoc non impeditur quin lien obstruatur, quoniam lien id trahit, quod in hac coctione crassius est, & tenacius, propterea obstrui potest, & tamen iecur non erit obstructum. Et si petas, cur iecur prius non obstruebat, in quo erat? Respondemus quia uenas habet latiores, & quia simul adest aquositas, quæ per iecoris uenas crassum illum humorem ducit. Et quamuis à Galeno dicatur, lienem esse rarius membrum quàm sit iecur, hoc intelligit secundum propriam substantiā. Id tamē uerū est, lienis substantiam rariorem esse, q̄ iecoris substantia: uenis autem consideratis iecoris uenę ampliores sunt, q̄ uenę lienis per haec

autem venas humores transeant à vino dulci confectos. Nota duas à Galeno reddi causas, ob quas uinum dulce pulmonem aperit, & iecur obstruit: prima est uinum dulce, ex vijs arctis ad amplas in pulmonem transire, in iecore vero transit à vijs amplis ad arctas: preterea uinum dulce ad pulmonem transit magis coctum, quàm ad hepar, quoniam prima tantum coctione immutatum recipitur in iecur. At secundam habuit coctionẽ, quando ad pulmonem transit, & iam est à substantia crassa depuratum. At tu contra has causas ambigere poteris, & primo contra id quo dicitur uinum in pulmone à strictis uijs transire ad amplas. hoc uidetur absurdum si consideremus per quam uiam uinum transeat ad pulmones: primo enim transit per uenam magnam, quæ est uena omnium totius corporis capacissima: postea tendit ad pulmonem per uenam & arteriam, quæ à corde exeunt, quę sunt minora, quàm uena magna: deinceps vena hęc paulatim in ramos diducitur, & in partes diuiditur minores, quousque ad exiguas, & capillares uenas perueniatur. hic processus (ut palam est) ab ampliori semper ad minus amplum procedit. propterea prima Galeni ratio mulum constare non uidetur. Respondemus dulce uinum pulmones aperire, quia per ipsum cito & uelociter transit. Considerandum uero est, in pulmone adesse uenas, arterias, & cannulas, quas bronchia Galenus & antiqui uocauerunt: si transitũ consideremus, quem dulce uinum facit per arterias & uenas ad pulmonem, & per totam pulmonis substantiam, absurdum est, quod de stricto ad amplum transeatur. Imo ut argumentum probat, de amplo ad strictum proceditur. Si uero cãnulas consideremus, palam est, cãnulas & bronchia ad quę primo uinum peruenit esse arctiora postea paulatim dilatari, quousque ad asperam arteriam quę est omnium bronchiorum maxima perueniatur. Itaque colligi potest, Argumentum in uenis concludere & arterijs, Galenus uero in Bronchijs intelligit, ab arcto semper ad amplius & latius progredi.

Forte dices uideri ubi in uini transitu ad hepar, fieri transitum à uijs arctis ad amplas, quoniam transit per uenarum capillarium extremitates ad uenam magnam, quę est omnium amplissima. Imo & in ingressu à meseraicis transijt, quę arctiores sunt, ad uenam portę, quę multis meseraicis longe amplior est. Respondemus in iecore à uena portę incipientes, & ab illis quę à portę uena in ramos diducuntur per iecoris cauitatem procedentes, quousque ad gibbum perueniatur. Et denique ad illã gibbę iecoris partem perueniunt, in qua uenę incipiunt ampliari, & in magnam perueniunt uenam, semperque proceditur minuẽdo uenas. Sed in parte gibba iecoris, in qua incipiunt dilatari ab arctioribus semper ad latiora proceditur. prius uero ab latioribus procedebatur ad arctiora, & in illa media parte, in qua postea uenę amplari incipiunt, ubi sunt uenę arctiores quàm in toto iecore ut plurimum fit obstructio. Et potissimũ fit hęc obstructio in uenis quę sunt in iecoris conuexo. & ideo Galenus deinceps non it inficias ab arcto ad latum transiri, sed negat ab arcto ad latius in initio transiri, quoniam per oppositũ à latiori ad arctius fit transitus.

Nec dubiũ in aliã rationẽ prętermittes, qua Galenus dicebat, uinũ dulce pulmonẽ nõ obstruere, quia ad ipsum transit cõcoctum. At dices dulce uinũ ad iecur transit coctum. Igitur iecur obstruere nõ debet, si ratio Galeni in pulmone ualet, in iecore quoque ualebit. Quod aũt uinũ ad iecur coctum transeat, & duplici coctione: en primã coctionẽ habuit in uentriculo, secundã uero habet in caua iecoris parte, antequam perueniat ad cõuexam partẽ. Respondemus proculdubio, dulce uinum per iecur trãsire aliquo modo coctũ, tamẽ nõ est tale cocturę genus, nec talis purificatio, qualis est illa quando in pulmonẽ transmittitur, nã cũ sanguis à iecore per uenã magnã ad pulmonẽ trãsiturus, & ad partes superiores, tunc crassioris separatio fit à tenuiori, & purioris ab impuro: sanguisque tenuis & purus ad partes mittitur superiores, crassus uero, & impurus ad inferiores, ut quę adeo nobiles non sunt ut superiores, & aliam quandam in uena coctionem acquirit, quam à iecore non accepit.

Preterea & in illud Argumẽtũ fieri poterit, quo à Galeno dicitur uinũ transire coctum ad pulmonẽ, propterea non obstruere. Si uerũ à Galeno dicitur secundo prognosticorũ, ubi loquitur de urinis, coctio per inspissationẽ procedit. idémque Aristoteles sentit. 4. meteororũ, Si igitur coctũ ad pulmonẽ transit, igitur trãsibit magis spissum & crassum, igitur magis obstruet. Respondemus duplicẽ esse coctionẽ, alterã quę est crassioris separatio à tenuiori, & puri ab impuro. Alteram, quę est decoctio, ut res igne coquuntur. hęc semper per inspissationem procedit, & de hac à Galeno in prognosticis scriptum est, & ab Aristotele. 4. meteororum, prima uero coctio per incrassationem procedit, & alterationem: nempe dum tenues humores à crassis separat tenues magis attenuat, & crassos incrassat.

Scito humores aquosos fluere circum aerem qui inspiratur & expiratur, & cannæ inhærere, neque exire posse, sed crassi à flatu qui expiratur foris ducuntur, nam aer est tanquam manus quę humores crassos sursum ducit.

Tussis glutinosos humores nõ expurgat, quoniam multũ inhærent, quia sunt tanquam uisci bronchijs inhærẽtes. Inquit crassos humores à medicamẽtis moderate humidis educi debere. At uidetur nõ esse humiditatẽ cõsiderãdã, sed potius caliditatẽ: quia calidi est aperire, attrahere, ac educere, nõ aũt humidi. Respondemus supponi habere caliditatẽ, sed pro crasso humore attenuando & calefaciendo, re aliqua indigemus humida, & tali humiditate, quæ madefaciat & eliquet. hacque indigemus, quoniam materia sit tantum crassa, quia hac re liquida emollescit & attenuatur, facilisque educitur, quàm si esset res sicca quæ crasso misceretur. tunc .n. ineptior redderetur ad exitũ. Dicit & à Gal. melicratũ ad crassorũ humorum expuitionẽ eẽ cõuenietissimũ, oxymeli uero ad uiscosorũ. In quibus uerbis ambiguitates nõ mediocres fieri possunt, primo de melicrato, quod ad crassorũ humorũ expuitionẽ nõ conueniat, nã humores crassi per attenuationẽ expuunt. At melicratũ nõ uĩ attenuare posse humores crassos, cũ ex aqua & melle fiat: si ergo quod crassum est, attenuat, aut id facit ratione aquæ, aut rõne mellis, non quidẽ aquæ rõne, quia frigida est, frigidi uero est incrassare, & nõ attenuare, neque dici põt fieri rõne mellis, cũ mel substãtiã habeat crassam, & ueluti glutinosam, & quæ digitis inhæret, résque simul cõiungit, propterea incrassat potius quàm attenuet. Adde, mel esse dulce, saporẽ uero dulcẽ in crassiori substãtia ortũ habere, ut Galenus docet in. 4. de simpliciũ medicamẽtorũ facultatibus. unde cũ mel crassũ sit, nullã ex suis partibus attenuare posit, nullo modo attenuabit, sed crassum potius reddet: nã quod à partibus nõ fit, neque à toto fieri poterit ex his partibus confecto. Respondemus aliqua esse quæ secundũ se accepta unũ agere nõ possunt, quæ simul mista illud agunt, ut oxymeli ratione partiũ nõ attenuat, tamẽ ratione totius cõpositionis attenuat: quãuis mihi præsentiarũ disputare nolim, an mel secundũ se, & per se attenuet. In melicrati aũt cõpositione aqua mel adiuuat, & mel uice uersa aquam: nam aqua cum tenuis sit, mellis crassitiem remouet, & corpus quoddã tertiũ facit tẽperate calidum. Adde in melicrato humiditatem inesse, quam superius dicebat, ad crassiorum humorũ qui in pulmone sunt, eductionem ualere, & ad omniũ præterea aliorũ. notéque abluere, detergere, & incidere ratione mellis.

De oxymelite uero ambiguitas oriri põt, qua probabitur magis attenuare quod crassum est, quàm melicratũ: quippe oxymeli id recipit, quod faciebat melicratũ: aqua. s. & mel, & præterea acetũ recipit quod tenuioris substantiæ est, & penetratiuũ: cũ uero has habeat proprietates, magis attenuat id quod est crassum. Respondemus omnino inficias iri nõ posse, & oxymeli uim habere attenuandi quod crassum est, tamẽ incisiuũ potius dicitur quàm attenuatiuũ, ob causas quas refert in. 2. lib. Auicenna. Nempe si ea quæ incidunt, & ea quæ attenuãt cõtemplemur uidebimus profecto hæc inter se distare, & cõuenire: in fine cõueniũt quoniam incisiuæ rei finis, est materiã ad exitũ aptã reddere. Rei attenuantis finis idem est naturam iri eandem reddere dispositionẽ, ut facile exeat. cõueniunt & multa cõpositionẽ ingredientia in materia, uel in materię parte, ut melicratũ & oxymeli utrũque

ex aqua

ex aqua fit & melle, tamen oxymeliti additur acetum, quod melicratum non ingreditur. In tribus uero differunt, in obiecto in quod agunt, in actu ipso agendi, & in organo, uel in agendi modo, quæ si minutius intelligere uolueris, en in obiecto differunt: quia id quod attenuat, circa humorum essentiam agit, illã tenuiorem faciens, hoc autem facit caliditate quam habet temperata, & humiditate. At id quod incidit, circa humoris adhærentiam agit qui glutinosus est, & hanc adhærentiam remouet & separat, si humor sit qui membri superficiei adhæreat, illam remouet, & ab hac incidit superficie. At si talis sit adhærentia, ut partes humoris inter se inhæreant, illas etiam ab inuicem incidit & separat non tamen attenuat. uel non est necessarium attenuare, quia forte incidendi uim habet & penetrandi partes, & illas ab inuicem diuidendi. tamen non habet uim attenuandi, quia caliditate caret moderata, & humiditate moderata, quam Galenus ad hoc requiri dicebat, ut crassi humores è pulmone educerentur & attenuarentur. Secundo in actu ipso agẽdi differunt, quia quod attenuat per alterationem agit, partes calefaciens & attenuans: at quod incidit non alterat, sed per partes penetrat. potest tamen simul fieri & alterans & incidens, nonnullis additis calidis quæ temperiem non multũ excedant. Tertio differunt (ut Arabes uocãt) organo & agendi medio, quod alterans per caliditatem agit moderatam. Incidens uero agit cum tenuitate substantiæ per quam penetrat per partes, & illas incidit ac diuidit. Ad argumentum dicimus, etsi oxymeli mel recipiat & aquam, tamen non agit ratione mellis uel aquæ, sed solum agit per tenuitatem quam habet penetrantem. Et adde non dici oxymeli attenuatiuum, quia agit circa adhærentiã humorum, & non circa eius substantiam, ob id conueniens est illud uocare incisiuum & non attenuatiuum, potiusquam econtrario. Nota tamen quod dicit detergere, à Galeno improprie dicitur, cum detersio à salsis fiat & ab amaris ut in. 5. de compositione medicamentorum secundum locos habetur, hic de melicrato & oxymelite, exempli gratia locutus est Galenus.

Nota post melicratum ptisanam posuisse, intellige in attenuandi ordine, & post ptisanam uinum dulce, tamen hic esset disputatio conficienda, an ptisana posterior sit melicrato in attenuãdo, & uinum dulce ptisana. De ptisana profecto ambiguum uidetur, ob ea quæ in eius encomio dicta sunt, tamen minus attenuat, q̃ melicratum faciat, ratione mellis: & uinũ dulce adhuc minus q̃ ptisana, quia ipsa est magis attenuatiua, & incisiua, q̃ uinum dulce, quod partes habet crassas. Notat & Galenus uinum dulce in peripneumonia & pleuritide conuenire, cum fuerint cocta. Id ideo est, quia dulce uinum inflammationem auget, nisi iam sit cocta. At inquies tibi uideri quocunque tempore dandum dulce uinum, etiam si nulla sit in ægritudine coctio, quoniam id semper dare cõuenit & in omni ægritudine, qꝫ cõcoquere facit, & uires reddit robustiores, ut in primo de iudicationibus, & in. 12. primi libri aphorismo scriptum est. Verum dulce uinũ, ut hic ab Hippocrate & à Galeno edocetur, materias cõcoquit in pulmone existẽtes, & illas expulsioni aptas reddit, atq; horũ membrorũ uires roborat. Igitur dulce uinũ quocunq; tẽpore dari poterit, & nõ tantũ cũ materia fuerit cocta. Respondemus, aliqua esse quæ in principio, augmento, & consistentia uinum dulce præberi suadent, alia quæ prohibent, dare suadent, quia materias cõcoquere facit, & quia membrorũ uires roborat. prohibent autem potissimum ante morbi inclinationẽ, tũ inflammatio si adsit, tũ quia in materiã cõuertitur peccantẽ, tũ quia simul euacuat quod crudum est, ut in. xj. Methodi habet̃. Cocta uero materia cõperit, cũ partes thoracis emolliat, roboret, & euacuet. Cocta autem materia cum nihil adsit incoctum quod impediat, id tantum accipit quod coctum est. Petes deniq;, cur si uinũ sitim faciat, ad expuitionẽ minus idoneũ sit. Respondemus cũ sitim facit, sputi uiæ exiccantur, & sputa ipsa quæ emolliri deberẽt, exiccantur, magisq; cõpacta redduntur. hinc expui nõ potest. & ita cũ sitim facit, ad expuitionẽ minus idoneũ est. Sitim uero facit, uel quia calidius sit, uel quia transeat in bilem, cuius uapores deinceps ascẽdunt, & sitim inducunt: & cum crassum sit, & difficulter penetrans, sitim facit.

Sexto ut Galenus ab his se absoluat quæ iam dicere cœperat, inquit, ut uno me absoluam uerbo, nec in nugis immorer: dulce uinum in acutis morbis idoneum existit ad expuitiones, tum ob dictas operationes, tum ob cõmunẽ omniũ uinorũ rationẽ, qua uires roborat. Omne enim uinum, ut uinum, uires roborat. Et his potissimũ cõuenit qui quæuis humida, quæ & in thorace, & in pulmone sunt, expuunt. Nempe in prognosticorum libro discere potuisti, ubi de differentiis sputorũ egit secundo libro, humida illa esse uaria & distincta partim substantiis, partim qualitatibus, partim uirtute. unde nullum sane aliud bonũ habet propinatũ huiusmodi uinũ febricitantibus, q̃ qꝫ minus lædere potest uinoso uino, cuius uis est uehementer calefacere, & dulce uinũ nihil habet cõmodi humanæ uitæ, q̃ quod dictũ est, & uentris permeationem modice iuuat. Ob hæc igitur cum Hippocrates à minus lædentibus doctrinæ initium fecerit, circa sermonis calcem ad iuuamenta transit, quæ pauca sunt. Ob id Galenus illa percurrere cupit, quæ Hippocrates recenset, ipsius sententiam prosequens.

In eo forte ambiges quod à Galeno dicitur, communem esse uinorum omnium rationem uires roborare. hoc autem absurdum esse uidetur in his qui in pleuritide acuta febre deprehensi sunt, & in peripneumonia. Imo si quis recte perpendat, uires imbecilliores potius reddere uidetur. nam qui acuta febre deprehensi sunt, tunc calidam habent intemperiem: uinum uero calidum est: calidum uero calidæ intemperiei applicatum, illã reddit imbecilliorem: & econtrario frigus eam iuuat, potissimum in intemperiebus præter naturam. Cum uinum igitur calidum sit, potius uirium imbecillitatem inducet, q̃ uires augeat. Præterea uinum accenditur in febre: igitur roborare non potest, sed potius imbecillitat, & febrem crescere facit.

Respondemus uinum & ad substantiam & ad qualitatem cõparari posse, si ad substantiam comparetur ita uires semper roborat: nam ex uino spiritus semper generantur atque sanguis, ex quibus uires augentur & crescunt. At facta ad qualitatem comparatione, uinum roborat & imbecillitat. roborat quidem si sit qualitas calida, frigidum uinum: si qualitas frigida, calidũ uinum: & econtrario uinum calidum calidam qualitatem imbecillitat, frigidũmque frigidam qualitatem imbecilliorẽ reddit. uina autem reperiri, quæ respectu humanæ naturæ frigida sint, superius dictum est.

Galenus in hac parte ait, Hippocratẽ hunc ordinẽ seruasse, ut à minus lædẽtibus inceperit, quæ multa sunt. multa uero sunt, cũ quinq; sint. s. caput grauare, mẽtẽ ferire, lienẽ & iecur tumefacere, sitim inducere superius, intestinum inflare. Iuuamẽta deinceps pauca dicunt̃, cũ tantũ duo sint, facile per intestina descendere, & sputũ proritare. Vbi legit̃, ad iuuamẽta ipsorũ quæ pauca sunt, circa sermonis finẽ, transit: deest particula τὰ ἴδια. i. propria. ut legi debeat, ad iuuamẽta propria. At petes, cur propria dicantur iuuamenta? Respondemus propria dicuntur ad cõmuniũ differentiã. Sed inquies, quæ sunt cõmunia iuuamenta? Respondemus illa quæ in omni ægritudine acuta obsunt, uel cũ abscessu sint, uel absq; abscessu. Illãq; dicuntur propria iuuamẽta quæ in omni acuta ægritudine nõ cõtingunt, ut est uentris solutio. hæc. n. nõ contingit nisi ubi solutione uentris indigemus. unde ab Hippocrate de ptisana in primo libro dictũ est, facile abluere si opus fuerit. Est etiã iuuamentũ propriũ facile expuere, quia in acutis morbis tantum competit, ubi materia est in thorace & pulmone contenta. hæc à dulci uino fiunt.

Septimo Galenus ad Hippocratis uerba exponenda descẽdit, inquiens ab Hippocrate dici uinũ dulce minus ferire mentem fortioribus & potentibus, quod intelligere oportet, minus deliria progignere, nã fortia uina cũ uehementer calefacientia sint, caput humoribus, uaporibus & caliditate implent. Infert igit̃, dulcia uina quo magis à uehemẽti caliditate absunt, eo minus & caput grauant, & mentẽ lædunt. Verũtamẽ ait Hippocrates facilius per intestina descendunt, & uiscera tumefaciunt. i. uiscerum tumores augent. At de his Galenus superius uerba fecit.

Forte dices dulcia uina magis deliria gignere, quia uapores qui ab ipsis eleuantur crassiores sunt, & ideo cerebrum magis occupantes. Respondemus intellexisse minus, id est rarius. tamen cum deliria facit, magis perdurant, uel ut Galenus inquit παραφρονέας. i. desipientias.

Inquit dulce uinum uiscera tumefacere. & se ipsum exponit, inquiens, id est uiscerum tumores augere. Sed ambiges, quid per uiscerum tumores intelligere oporteat. Intelligere possemus, cum uiscera uel flatu, uel materia aliqua tumescere incipiunt, dulce uinum tumores illos auget, qui iam corpere, uel dicamus uiscera ferè omnia partem habere gibbam & partem concauam, ut iecur & lien partem habent gibbam, & partem concauam. propterea ex uino dulci uiscerum tumores augētur, idest partes gibbae, & in intestinis pars exterior poterit dici gibba intestinorum potissimum in crassioribus. Tamen Galenus hanc paroculam posuit, id est uiscerum tumores augere, ut Græcū Hippocratis uocabulum exponeret, quod forte apud Græcos non erat usitatum. nam Hippocrates dicebat μεγαλοσπλάγχνους δ' σπληνὸς καὶ ἥπατος, ad splenem se determinat & iecur, quæ magna uocat uiscera. At quia hoc magnum ita in bonum dici potest, sicuti in malum· propterea exponere uoluit qd intelligere oporteret, inquiens ταυτέστιν αὐξάνοντας τῶν σπλάγχνων, hoc est eleuationes & tumores uiscerum ut doceat intelligendum esse per magna uiscera splenis & hepatis, horum uiscerum tumores qui à dulci uino fiunt. tamen prius in flatus & materias alias conuerso.

Octauo Galenus illam partem exponit, qua Hippocrates dicebat dulce uinum non esse idoneum picrocholis, id est his qui amaram bilem aceruarunt: & hoc uocabulum χολὴ exponit, inquiens medicos cum dicunt simpliciter χολὴ, id est bilis, & pallidam & flauam intelligere consueuisse· at cum de atrabile loquuntur, semper dicunt χολὴ μέλαινα, id est nigra bilis, addētes particulam nigra, & nunquam simpliciter χολὴ, id est bilis dicunt, quando de atra intelligere uolunt. hęcq; nigra bilis acida est. Illa uero quæ simpliciter χολὴ, id est bilis dicitur & quę flaua est uel pallida, est amara. Ob hoc Hippocrates illos uocat picrocholos qui bilem hanc habent redundantem. At differunt hę amarę biles inter se, flaua scilicet & pallida: quoniam & si idem sit, tamen cum aquosis permiscetur humoribus, liquidissima uidetur, & pallida· cum uero nō est permista aquositati, tunc crassior est & flaua colore. Adde, omnes qui bilem hanc procreant, esse calidos & siccos tempere. Et ad huius bilis generationē omnes dulces cibi apti sunt; & omnes humores ac succi dulces. ob hoc cum mel sit dulcissimum, prę his omnibus maxime bilescit· postea & dulcia uina bilescunt. Adde, dulce uinum non esse febricitantibus idoneum, non solum quia multa caliditas tales humores reddit amaros, sed quia & hęc uina sunt crassa, & per urinas uelociter non descendunt, neque cito difflantur & transpirant. Ex hoc neque secum ducunt biliosos humores, neque illos excernunt. propterea his solis uinis hoc boni inest, ut uentrem emolliant· si uero hoc non fecerint, nihil boni habebunt, sed omni ex parte oberunt.

Galenus exponit qui sint picrocholi, inquiens ταυτέστι τοῖς τὴν πικρὰν χολὴν ἀθροίζουσιν. i. hoc est his qui amaram bilem cōgregant. At amaram bilem congregare, dupliciter intelligi potest. uno modo in uentriculo· & de his libro secundo locutus est: hiq; pituitosi esse poterant, & superiore parte picrocholi. Alio modo in toto corpore congregare possunt, & esse temperatura biliosi, nullis picrocholis idoneum est dulce uinum, tamē minus idoneum est bilem toto corpore aceruantibus· neque illis conuenit qui & si in uentriculo pituitosi sint, bile abundant.

Duas amarę bilis species facit Galenus, una est ὠχρὰ, alia ξανθὴ, tamen non sunt dicendę species: neque uere sunt species, quia ὠχρὰ, id est pallida, prius erat ξανθὴ, id est flaua· sed multis aquosis humoribus permista flauitiem remisit, & color effectus est minus flauus, quem appellat ὠχρὸν. i. pallidum.

Notáque hos aquosos humores nuncupasse Galenum, ὑδατώδεις ἰχῶρας, per nomen ἰχὼρ humores intelligēs. nam ἰχὼρ simpliciter aquosos significat humores. tamen quia nonnunquam ἰχὼρ pro humore accipitur, propterea Galenus addere uoluit ὑδατώδεσιν, id est aquosis ad ampliorem rei explanationem.

Nota tamen non solum simpliciter acceptum nomen χολὴ bilem flauam significare & pallidam, sed Hippocratis tempore, & apud antiquos per χολὴν omnes intelligebant humores; ut Galenus ipse testatur septimo aphorismorum libro. Et aphorismo. 50. 6. libri inquit· Raro admodū accidit ut bilis exquisita euomatur, cui serosam humiditatem non uideamus admistam. hęc eadem quę hic dicuntur à Galeno. 32. septimi libri aphorismo repetuntur. propterea pro maiori parte erit pallida: tamen per secessum uidemus & ualde flauam emitti. Et re uera per uomitum semper est mista uel aquositati, uel pituitę· cū uero est sola bilis flaua, est crassa nō quidem ut pituita, sed corpus habet consistens, quale ferè est mellis corpus.

At ambiges non uideri bilem nigram aliquam acidam esse, preter atram bilem innaturalem, quę ex naturalis bilis adustione gignitur. Quod & in carne testatur Galenus. 9. de decretis Hippocratis & Platonis. quę cum aduritur, fit amara· cum uero magis aduritur, fit acidissima. itaque sola atra bilis erit acida quę erit innaturalis ex flauę bilis naturalis adustione, quantum fit de eius tenuibus partibus.

Adde Galenum in. 4. de simplicium medicamentorum facultatibus dicere acidum saporem in tenui fundari substantia: atrę uero bilis substantia crassa est: igitur aciditatis subiectum esse non potest.

Respondemus, si illa in mentem ueniant quę ab his referuntur qui bilem atram euomunt, aliquid forte de hac re uero dici poterit. nam aliqui inquiunt, se aciditatem quandam persentire; alij ponticitatem, alij alios referunt gustus, ut non sit unus determinatus. tamen quisque horum sapor est, qui frigidam qualitatem atque siccam consequitur, & is à Galeno acidus dicitur· cum tamen nonnunquam ueram non habeat aciditatem, nonnunquam tantam habeat, ut acidissimum sit, & in terram si ceciderit secundum Galenum efferuescit. Intellige igitur acidum saporem habere, & si talis semper non uideatur, intelligētes saporem acidum uocari, illum qui ex tēpērie frigida ac sicca resultat, qualem habet atrabilis: uel dicamus, si atrę bilis species inter se comparemus, in ipsis sapor uariatur, neque semper est acida. At si ad alios comparetur humores, acida dici potest: ut si ad sanguinis dulcedinem comparetur, ad pituitę simplicis insipiditatem, ad salsę pituitę salsedinem, ad amaritudinem flauę bilis. Si fiat ad hos humores comparatio atrę bilis sapor erit acidus. Et quod dicitur aciditatem tenuioribus inniti partibus, uerū est, & tenuioribus innititur partibus quę in atra sunt bile. Et si ex bile atrabilis conficiatur, quę primo amarescit, postea fit acida. Et tenuioribus huius bilis partibus etiam innititur, ut à Galeno docetur. 8. de decretis Hippocratis & Platonis libro.

In illo preterea dubitabis quod à Galeno dicitur amaram bilem solam, & alijs non commistam crassam esse & flauam. At inquies cum sola est & nulli mista, bilis naturalis est, quæ quolibet humore tenuior est, cum sit igneę naturę. Respondemus id profecto uerum esse, amaram bilem naturalem solam, esse quocunque humore naturali tenuiorem. At ad alias bilis species comparata, non est tenuior, nam bili comparata cui multa sit commista aquositas, non est illa tenuior, sed crassior, & magis etiam compacta. Dubitabis & in illa sententia, qua inquit dulces omnes humores bilem generare, quoniam propositio est apud Galenum in tertio de temperaturis· illa quæ maxime distant, non posse inuicem commutari; quam propositionem Aristoteles ante Galenum, in secundo de generatione & corruptione libro refert. Minorem adde. Sed amara & dulcia maxime distant, quia contraria sunt, & cōtraria maxime distant, ut in. 4. etiam meteororum habetur: igitur in se inuicem permutari impossibile est. Impossibile igitur est ex dulci fieri amarum, & è cōtrario. Respondemus si dulce & amarum consideremus, ut tales sunt secundae qualitates,

quę

quæ sensibus placeant ac displiceant, & naturæ, in hac consideratione dulce profecto & amarum contraria sunt, & inter se maxime distant. Sensus etenim ad dulce mouentur, & amarũ refugiunt. At si dulce & amarum consideremus, non quidem per comparationem ad sensus, sed ratione suæ materiæ & agẽtis, hoc pacto nõ maxime distant, sed propinqua sunt, quia materia est propinqua. & agens dulce in amarum commutans calor est intensior, qui tamen calor non multum distat. Vnum uero notare oportet: sicuti ex priuatione in habitum regressio fieri non potest, sed ex habitu in priuationem transimus: ita ex dulci fit quidem amarum, sed ex amaro non fit dulce. propterea dulce materiam quidem habet amaro propinquam, sed amarum dulci propinquam non habebit. Tamen quia aliqua amara in dulce transeunt: de illis solum amaris propositio uniuersaliter intelligenda est, quæ ex dulcibus facta sunt. In his. n. regressio in dulce fieri nõ potest. At quod ex amaro dulce fiat, in multis fructibus palam est, qui amari sunt & per coctionem & maturationem dulces euadunt, sola igitur amara illa, dulcia fieri posse uidentur, quæ cruda sunt, & per coctionem, amaritudinem paulatim amittunt, & dulcia fiunt.

Superius ex Galeno causam reddidimus, cur mel & alia dulcia facile euadunt amara: nunc breuibus repetenda est: illa quę per os recipiuntur, & per cibi modum ideo recipiuntur ut in cibis conuertantur. At aliqua sunt, quæ cum recipiuntur, mutatione solum indigent quo ad substantiam, alia indigent mutatione & quo ad sapores, dulcia si in sanguinem conuerti debeant. id facile fit, quia mutatione non indigent, nisi quo ad substantiam, quo uero ad saporem non indigent. At si dulcia in amara immutari debeant, duplici indigent mutatione, & quo ad substantiam, & quo ad saporem, unde ad dulcium mutationem in sanguinem, agens imbecille requiritur. Ad cõuersionem uero dulcis in amarum, agens forte requiritur, & uehemẽs, quod id efficiat. Cum igitur res dulces agens habeant uehemens, non solũ mutantur secundum substantiam, sed & secundum saporem: & ita à calidiori agente, mel facile amarum redditur. Idq; adde non habere aliam qualitatem in quam mutentur. propterea q habent (ut Galenus inquit) temperaturam calidam, facile & mel & alia dulcia in amaram, & in bilem conuertuntur, tamen mel quod dulcissimum est, id plus facit alijs, quando caliditas exuperat. Vnde Galenus & in secũdo de temperaturis, & alijs multis in locis, inquit mel in senibus in optimum sanguinẽ conuerti: in iunioribus uero ob caloris acutiem, in bilem. Inter dulcia autem primum, & facilimum quod in bilem conuertitur est mel, postea dulce uinum, deinceps alia dulcia.

Quidam de Aristolochia, & absinthio dubitarunt, quæ amara sunt, & quæ rationabiliter in bilem facilius conuerti uiderentur, q̃ mel, nam calida sunt & sicca, ut cum bile in temperatura cõueniant, & præterea conueniant in sapore: An in bilem uertantur. Respondemus hæc in bilem non conuerti: nam quæ in bilem conuerti debent, talia esse oportet, ut cibi sint qui in humores conuertantur. uerum neque absinthium, neque Aristolochia sunt commodi cibi. Addéque absinthium & Aristolochiã efficienter profecto apta esse ad bilem generandam, & magis etiam q̃ mel, sed mel erit materia magis apta ut in bilem conuertatur. Absinthio enim membro applicato, sua natura facit ut humores qui in illo sunt membro incalescant & exiccentur. Cum igitur in absinthio & Aristolochia nõ sit cibi natura, propterea efficienter solum bilis erunt generatiua. At in melle est cibi natura: propterea materia fit bilis cum calor uehementior erit. Vnde etsi absinthium atque Aristolochia cum bile magis conueniant q̃ mel, tamen non conuertuntur magis in bilem; q̃ mel: nam in habentibus symbolum facilior est trãsitus, quãdo illa sunt apta secundum materiam in id transire.

Galenus dicere uidetur dulcia uina id solum habere quòd uentrem emolliant, tamen & illud habent quòd expuere faciunt. Respondemus: Galenus hic eiusmodi uina ad simpliciter febricitantes ex biliosa materia comparat, neque mentionem facit q tussim habeant, & materiam expellẽdam. In hoc casu aliud boni non habent q̃ uentrem emollire. qua dote si caruerint, undequaque nocent, cum nihil habeant quo prosint. Id uero optimũ est in biliosis febribus, & in omni alia febre aluum habere lubricam, quod à dulci uino fit.

Nono Galenus particulam illam exponit. qua Hippocrates dicebat, dulcia uina esse siticulosa. Id, inquit, fit, quoniam facile in bilem transeunt. Aliam præterea exponit particulam, quæ est, dulce uinum esse flatuosum, quoniam crassos gignit humores: crassi uero humores si à calore in flatum resoluantur, in sibi similem flatum resoluuntur, qui est & crassus & uaporosus. hi autem crassi flatus partes in quibus sunt tumidiores reddunt: nam tenues flatus in tam amplam molem non inflant. Verũtamen ex tenuibus uinis flatus non fiunt, & licet nonnunquam flatus quidam generentur, sunt de illius uini natura scilicet tenues. hinc, Galenus dicit esse tenuium partium & aereum non nebulosum, neque uaporosum, sicuti erat is flatus qui à uinis crassis eleuabatur & dulcioribus. nam omnia quæ uehementer dulcia sunt, crassa esse constat.

Dubitatur, quoniam etsi dulce uinum facile bilescat, siticulosum esse non uidetur: quia si bilescat, intestina irritantur, & per inferiora expellitur, quare superiores partes exiccare nõ potest. Respondemus portionem aliquam in uentriculum tendere, & simul uapores eleuari qui sursum tendunt, superiorem partem calefacientes. Adde & sitim inducere per accidens, quia sitim non extinguit. nam cum sit crassæ substantiæ, per linguæ porositates non penetrat, neque ad sitis causas peruenire potest. hinc illam non sedat, qua non sedata augetur.

Dicit id uinum esse flatuosum, quia facile à naturali calore in flatus uertitur, neque tantum habet caloris ut possit naturali calori aliquid præstare, quo humores ab eo genitos penitus resoluat: imo naturalis calor quodammodo obtunditur.

Dices vero & humores crassos tenues flatus gignere posse. Respondemus id primo verum non esse, quoniam primo fiunt crassi ut ipsi, deinde paulatim attenuantur. Est autem crassorum humorum flatus vaporosus & quodammodo nebulosus.

Sed dices uideri & tenuem flatum inflationem facere posse, quoniam & ipse cum in copia est, partes extendit. Respondemus, & tenuem profecto flatum partes extendere, & inflationẽ facere, sed crassus flatus id magis efficit, partésque magis extendit, quoniam facilius est vt id quod crassum est inflet, q̃ quod tenuius. Adde flatum tenuem facilius per partes & intestina dimoueri.

Neque illud absque dubitatione relinques quo dicitur, ex tenuioribus uinis non fieri flatus, imo & ab aquosis fiunt uinis, quæ tenuia sunt. Respondemus ua fieri proculdubio, & nõ quippiam, sed in copia: tamen is flatus est partium tenuiorum, q̃ sit flatus qui à uinis crassis fit & dulcioribus: quia hic flatus, qui fit à uino tenui & aquoso aeris naturam sapit: sed flatus qui à crasso uino conficitur, uaporosus est & nebulosus.

Denique Galenus particulam illam exponit qua dicitur, dulce uinum non esse inferioribus intestinis inimicum: quãuis hic met flatus qui ab hoc uino prodit, tarde meet. Et ratio est, quoniam circa hypochondria moratur, quoad perfecte sit coctus & attenuatus. uerum si semel fuerit coctus, tunc naturam mutat, & commeabilior ac tenuiorum fit partium. unde eadem ratione qua à supernis ad infernas expellitur partes, eadem ratione ab infernis per anum extra mittitur.

Scito duas esse causas ob quas non est inferioribus intestinis inimicum: una est quia per moram quam in hypochondrijs habet attenuatur, & hæc causa à Galeno hic affertur. Alia causa quæ à Galeno non refertur, est ex intestinorum parte, quia superiora intestina arctiora sunt, inferiora latiora. Si igitur per strictiora perfertur intestina, nihil penitus latiora intestina offendere poterit, quæ præter latiorem capacitatem sunt etiam crassiora.

Nota, Galenum dicere non admodum turbare, quia in aliquo prorsus turbat, sed turbatio illa non est multum uerenda, neque aliquid affert incommodi.

Petes, quid sit coquere flatum. Respondemus est ipsum attenuare, & aptum reddere ad exitum. nam dicens perfecte coctus & attenuatus intellige pro. i. attenuatus.

Scito particulam illam si semel coctus fuerit, quæ Græce est, ἢν δὲ ἅπαξ πεφθῇ, non esse ita intelligendam ut bis coquatur uel ter: sed idem est dicere semel ac si dixisset perfectam habere coctionem.

Et quod inquit habebit naturam tenuiorum partium, illa particula natura, cum illa iungi debet commeabiliorem, quæ Græce est περιμοτέον, ut sensus sit, naturam habebit quæ per poros facile transibit, & erit tenuium partium: ut hęc sit causa cur facile permeet, quia tenuiorum sit partium.

Petes quænam sit ratio illa, per quam à supernis ad infernas mittitur partes: Respondemus esse illam, qua primo hic crassus uapor attenuatur. Est uero naturalis calor, qui circa hypochondria ob iecur, & multas alias partes ibi congregatas uehementior est. vnde attenuatur & à ui expultrice à supernis intestinis ad inferna transmittitur & ab arctiori uia ad latiorem tendit. Itaque flatus per partem post partem ueluti superfluum quid exit, à ui intestinorum expultrice excretum. Cum uero anum exiuit hic flatus, nihil potest uel pauxillum offendere, nisi nares feriat. Ratio igitur est uis expultrix, quæ id quod nocuum est expellit, cum prius attenuatum fuerit, & à naturali calore præparatum.

## Hippocrates. Sectio III.

**Vrinas siquidem hoc minus, quàm uinosum album omnino mouet.**

BRASAVOLVS. In ægritudinibus acutis duo sunt potissimum circa quotidianas corporis euacuationes, quę medicus considerare debet, & totis uiribus ut efficiantur curare: unum est uentrem emollire: aliud urinam prouocare. Dulce uinũ aluum lubricam reddit. Album uero potens, urinam magis prouocat, quàm uinũ dulce faciat, quòd ad uesicam difficilius penetrat, quàm album potẽs. Dulce igitur uinum albo uinoso comparat, edocens, dulce uinum cum crassum sit, urinam minus prouocare, quàm album vinosum.

καὶ γὰρ οὖν ἧσσον οὗτος διουρητικὸν γίγνεται ἐπὶ πᾶν τοῦ οἰνώδεος λευκοῦ. i. Et hoc quidem urinas omnino minus mouere potest, quàm album uinosum. Cum dulce sit crassioris substantiæ quàm album uinosum: ex quo minus urinam prouocat: scito Galenum in libello de Cibis boni & mali succi, in. 5. de sanitate tuẽda, in calce libri de uictus ratione attenuante, & in calce. 3. de alimentorum facultatibus, & in. 12. Methodi, semper fecisse illa uina magis urinam prouocare: quæ aquosa & tenuia sunt. Adde in eisdem ferè locis scriptum inueniri, nullum album uinum esse calidum, & nullum album esse uinosum. Sed omnia inquit alba esse aquosa & tenuia, & urinã prouocare, caputque minime tentare. propterea nullum poterit inueniri album uinũ uinosum, cum uinosum sit calidum. Et ideo Galenus in commentatione ambigat, quid per hoc album uinosum intellexerit Hippocrates. vnde Galenus per uinosum, austerum intelligit, ut uinum album austerum urinam magis prouocet, quàm dulce uinum. At si dicas austerum uinum nõ prouocare urinam, sed habere nescio quid adstringentis: propterea Respondet facta huius albi uini austeri, ad dulce nigrum comparatione, minus urinam prouocat. Tamen cum album uinum sit duplex, aquosum, & protropum dictum, quod non calcatis uuis descendit, quo multi decepti sunt putantes se uinum lymphare, & hoc uinosiori uino lymphabant. Forte Hippocrates de hoc albo intelligit, quod sua caliditate deorsum ad urinæ partes penetrat, & per totum diffunditur corpus. quãuis per uapores in caput ascendat, Illúdque calefaciat, uel per album uinum id intelligit, quod flauum uel fuluum estimam & nos uulgo flaua & fulua uina alba uocamus, ut ipse etiam abutatur uocabulo albũ ad flaua, quæ sunt omnium calidissima & uinosa. Imo Hippocrates post hæc sectione. 22. uti uidetur uocabulo albo pro flauo, cum mulsam albam uocat, quæ tamẽ est uel flaua uel subflaua. Et profecto per album, & flauum & fuluum intelligerẽ, nisi Hippocrates sectione septima mẽtionem fecisset περὶ ἐρυ. i. fului: quãquàm dici posset eo loco non esse locutum de fuluo uinoso, sed de fuluo austero. Tamen si, quid senserim, petas: Respõdebo cum Galeno sentiendum esse, ut intelligat uinum album austerum, quoniam & in secundo libro περὶ διαίτης. i. de alimentis, comparat uinum nigrum & dulce & non dulce, albo austero, uel eorum naturas refert: & inquit nigrum dulce non prouocare, album uero austerum prouocare. Hippocratis uerba, ne illa desideres, hęc sunt. τῶν δὲ οἴνων οἱ μέλανες καὶ αὐστηροὶ, ξηρότεροι, καὶ οὐ διαχωρέονται, οὔτε οὐρέονται, οὔτε πτύονται, ξηραίνουσι δὲ καὶ τῇ θερμασίῃ, τὸ ὑγρὸν ἐκ τοῦ σώματος καταναλίσκοντες. οἱ δὲ μαλακοὶ μέλανες, ὑγρότεροι, καὶ φυσῶσι, καὶ διαχωρέουσι μᾶλλον, οἱ δὲ γλυκέες μέλανες, ὑγρότεροι, θερμαίνουσι δὲ καὶ φυσῶσι, ὑγρασίην ἐμποιοῦντες. οἱ δὲ λευκοὶ καὶ αὐστηροὶ, θερμαίνουσι, οὐρέονται δὲ μᾶλλον, ἢ διαχωρέουσι. i. Ex uinis autem nigra & austera magis exiccant: neque uentrẽ, neque urinã, neque sputũ excitãt, exiccant uero & caliditate corporis humiditatem consumentia. Nigra uero mollia, humidiorà sunt & flatuosa, & magis aluũ mouent: at nigra dulcia humidiora sunt, calefaciunt autem, & flatus excitant, humiditatem ingerentia. uerum alba & austera calefaciunt, magis uero urinam prouocant, quàm aluum excitent. Ex his Hippocratis uerbis facile conijcere poteris (cum dulce uinũ & nigrum ad album austerũ cõparet) quòd hoc magis urinã prouocet. propterea de hoc Hippocratem in hac sententia intelligere, ut Galenus facit, ab re non erit.

GALENVS. Quodnam uocauit uinosum album, considerabimus. Nam antea uinosum uinum tum esse, tum appellari diximus, quod iure optimo aquoso opponitur. Valenter igitur ipsum & calfacere, & caput replere, & desipientias procreare, & calorem febrilem augere est operæpretium. Sed uinum huiusmodi album non est, neque cum nouum existit, neque cum uetus, quãdo nequidem aliud quippiam antiquorum uinorum manet album, etsi quammaxime circa initia tale fuerit: immo semper fuluius redditur, & tandem flauum. Visus est ergo Hippocrates dixisse uinosum album austerum, quod neque urinas mouet: sed si tale crassum fuerit, circa hypochondrium moratur: si uero nõ crassum, neque multum moratur, ut nigrum: neque albis simul & mediocriter austeris similiter ad urinas descendit. Nempe uina hæc urinas cient, quòd utranque tarde per urinas descendẽdi effugerunt proprietatem, tum eam quæ aquæ est, quam ob frigiditatem nacta est, tum eam quam uinum nigrum propter crassitiem habet. Vinum siquidem album & austerum minime calidum inter uina existit: atque ob id ijs quæ ad uentrem fiunt destillationibus idoneum. Non tamen abunde ciet urinas hoc uinum. At forsan Hippocrates uino huic nigrum comparans, minus ciere urinas ipsum ait.

BRASAVOLVS. Primo Galenus ambigit, quid hic Intelligere oporteat per uinum album uinosum: quoniam superius dixerat, uocari uinosum uinum, & esse, quod aquoso opponitur, & hoc iure fit. vnde hoc uinosum uinum ualenter calefacit, caput replet, desipiẽtias procreat, & calorem febrilem auget. At si uinosum uinum consideremus, quod aquoso opponitur, & quod illa facere debet quæ prædicta sunt, album esse non potest ullo in tempore, neque quando nouum est, neque quando uetus: nõ quidem quando nouum, quia colorem habet sibi conuenientem secundum suam naturam: neque quando uetus, quia nullum uinũ, & si in principio fuerit ualde album, in uetustate albedinem retinet. Imo tale uinum album continuo ex temporis processu fuluius efficitur, & demque flauum.

Sed hic contra Galenum ambigere poteris, qui palàm asserit alba uina uetustate fieri flaua. At in quinto de sanitate tuenda, inquit, Non posse fieri flaua alba uina. Respondemus alba uina posse

na posse quidem fieri flaua, sed non exquisite flaua: tamen uetustate flauescunt nec in quinto de sanitate tuenda it inficias aliquo modo fieri flaua, non tamen perfecte. vnde inquit: nã vt omnino flaua fiant quæ alba uina sunt, fieri certe nequit. vt videas fieri quidẽ aliquo modo flaua, sed non penitus. Imo prius dixerat: itaque omnia quæ alba ab initio alba sunt, si inueterauerint, flauorem quandam contrahunt, ut primum pallidula, mox uero planè pallida fiant: ꝙ si longissimo tempore seruentur, ex pallido flauentia cernuntur ut nõ eat inficias aliquo modo fieri flaua. hic propterea intelligit fieri quodammodo flaua & non perfecte, ut nulla sit in hoc authore contradictio.

Ambiges præterea quia inquit ex albo fieri κιῤῥότερον.i. fuluiorem, & tandem ξανθὸν.i. flauum, tamen hi colores ita se habere uidentur, ut primo sit flauus, deinde fuluus: ipse uero flauum facit magis intensum. Respondemus, Nos aliàs hunc locum considerantes, loco illius particulæ κιῤῥότερον legendum esse ὠχρότερον.i. pallidiorẽ censuimus: quia vt in quinto de sanitate tuenda edocet, pallidus color flauum præcedit. Tamen considerantes tam paucam esse inter flauum & fuluum differentiam, ut Galenus in quinto de sanitate tuenda dicat unum pro alio accipi: propterea uel unum vel aliud sit, quod primo accipiatur, parum refert. uel fatearis flauum nonnunquam sequi fuluum. tamen ipsemet Galenus facit pallidum præcedere flauum & nõ fuluum in quinto de sanitate tuenda, de his albis uinis ad rẽ verba faciens, quando vetustate transeunt in flaua. Id igitur non mihi displicet quod aliàs legebamus ὠχρότερον.i. pallidiorẽ. At disputatio est de lana caprina, cum vnum pro alio dici possit, & accipi.

Secundo Galenus notat, Hippocratem hic forte, vinosum album, uocasse austerum. hoc uero non mouet urinas. uerum si uinum hoc fuerit crassum, circa hypochondria commoratur. At si non fuerit crassum, circa illa non immoratur, vt nigrum facit quod circa hypochondria immoratur. Et idem uinum nigrum ad urinas similiter non descendit, ut album facit, & mediocriter austerum. Vina etenim ista urinas proritant, quoniã vtranque effugere proprietatem, qua illa quę bibuntur per urinam tarde descendunt. vna proprietas est quam habet aqua, quę ob frigiditatem non penetrat, sed tantum ob tenuitatem. Alia proprietas quæ in vino nigro inuenitur, est difficulter descẽdere cum crassum sit. At album vinum austerum est aqua calidius, & dulci vino tenuius: & quãuis sit aqua calidius, tamẽ inter uina est minime calidum: ob hoc destillationibus quæ ad uentrem fiunt, idoneum est. tamen hoc uinum vrinas abunde non cit.

Nota Galenum in libello de cibis boni & mali succi fateri, alba vina haudquaquam dulcia esse, sed alia austera & crassa, alia aquosa & tenuia esse, quæ crassa sunt non ita descendunt, sed illa sunt quæ dixit circa hypochondria immorari. Alba vero austera tenuia sunt, illa. s. quæ vrinam mouent, & facile descendunt.

Vbi legitur quod neque vrinas mouet, deest particula αὐτός. vt legatur quod neque ipsum vrinas mouet. quę particula si apponatur, perfectiorem facit continuationem.

Velle uidetur aquam ad vrinę vias ob frigiditatem non descẽdere, tamen alibi fatetur, per vrinę vias facile descendere & penetrare: Respondemus aquam ob lubricitatem, quam habet, facile descendere, sed frigiditatis ratione difficulter descendit.

Petes quid per destillationes intelligat, quę ad ventrem fiunt. Respondemus inquit ταῖς κατὰ γαστέρα ῥεύμασι.i. destillationibus ad ventrem. Intellige profluuia, ob materiam à iecore, uel à capite, vel ab alia parte ad ventrem transmissam, hoc est ad ventriculum, quę postea ad intestina descendit, & facit alui profluuium. At hoc vinum album austerum quandam habet adstrictionem, qua valet ad roborandum ventriculum, ad aluum sistendam, & sistendum profluuium: imo cum non effumet, neq; capitis partes calefaciat, ad capitis destillationes per accidens valebit, quia illis non auget, vt alia faciunt vina, hoc enim est minime calidum.

Denique Galenus id dubium soluit, quo quis ambigere potuisset, quomodo cit vrinam si austerum sit? Respondet, Hippocratem id forte dixisse comparans hoc vinum nigro vino, quod minus cit vrinas isto. & in hac solutione sibi consentit in secundo de alimentis libro.

Tamen nihil prohibet per album vinum, non quidem proprie album intelligere, sed & flauum & fuluum, & per vinum album vinosum flauum intelligat. de quo in quinto de sanitate tuenda agens, vrinam prouocare dicit. quippe vina inquirens quæ seni conueniunt, inquit debere esse tale vt eorum membra calefaciat, & per vrinas serum sanguinis expurget. Et hoc vinum definiens, ait illud esse quod est substantia tenue (nam vrinas mouet) colore autem flauũ. proprius enim is est pręcalidorum vinorum color. Ratióque id dictat, quia calidi est aperire & per arctos meatus tranare. vnde per vinum album vinosum hoc intelligi potest quod seni competit flauum & tenue.

## Hippocrates. Sectio IIII.

### Sputum autem alio efficacius educit quod dulce est.

Hic Hippocrates dulce vinum, ad omne aliud quod dulce non sit in prouocandis sputis comparat. Nam vina dulcia pectoris partes leniunt, & per pulmonis cannulas transeunt, materias per pulmonis cannulas secum ducentia, si quę sint quæ illas obstruant, & quę sint tussis causę. BRASAVOLVS.

πτύελον δὲ μᾶλλον ἀναγωγόν ἐστι τοῦ ἑτέρου ὁ γλυκύς, id est sputum vero efficacius educit alio. dulce: hoc est, vinum dulce, sputa efficacius educit quocunq; alio vini genere, quod dulce non sit.

Sed ambiges: si dulce vinum magis sputa prouocat alijs, hoc proculdubio habet ex eo quod dulce est: igitur quanto magis dulce, tanto efficacius sputa educet, si illa vera sunt, ꝙ cęteris magis sputa educit, & ꝙ id faciat ratione dulcedinis. Sed vina magis dulcia, minus prouocant vrinam minus dulcibus: igitur sputorum prouocatio non est ratione dulcedinis. Minor propositio hoc modo probatur. Vina vehementer dulcia sunt nigra & crassa, vt Galenus testatur in libello de cibis boni & mali succi, & in quinto de sanitate tuenda: sed vina nigra & crassa minus sputa prouocant, q̃ minus crassa & flaua, vt manifeste apparet, & Galenus in hac commentatione testatur: dulcedo igitur non est causa cur sputa magis educantur. sed hoc & ab alio vino quod dulce non sit fieri potest, alioqui vina quanto magis dulcia, tanto magis sputa prouocarent, quod absurdum esse certum est. Respondemus id profecto verum esse, cũ dulce vinum fuerit valde crassum non posse sputa prouocare, vel minus posse q̃ dulce minus, & hoc in pręsenti commentatione testatur Galenus. Ex his vero quę maxime sputa prouocant sunt flaua dulcia, quę extrema dulcedine carent, cum dulcedo extrema in nigro fiat vino.

Quodnam aliud dicit? vtrũmne presens, ad quod dulce comparans dixit: Vrinas siquidem hoc minus quàm vinosum album omnino mouet. An nõ hoc solum, sed simpliciter omne id quod dulce non est? Cum ergo Hippocrates, quantũ ad dictionem hanc attinet, obscurus sit, credibiliúsque sit ipsum nunc de vinoso albo sermonem intelligere: rursum & alia oritur ambiguitas, quidnam sit vinosum album, quòd non valde manifestum sit: vtrũ ne id quod vehementer calfacit, an quod valde astringit? quod acerbum Gręci appellitant, veluti quod moderatus, austerum. Quonam igitur pacto habeat quod in dictione est, ego in pręsentiarum exponam. Sputum maxime omnium vinorum dulce educit, vbi non supra modum crassum fuerit, veluti & quoties non vsqueadeo ad fuluum recesserit, vt exoluta in eo sint tum crassities, tum dulcedo. Prauum autem febri auxilium est vinum fuluum, quod vehementer calidum sit: verum post vinum dulce nõ admodum crassum ad eorum quę in pulmone sunt eductionem cõueniens est aquo- GALENVS.

sum vinum, virtutem .s. roborans, & humores tum humectās, tum madefaciens mediocriter. Quod cęteris vinis omnibus innocentius febrientibus exhibetur.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus dubitat quodnam vini genus intelligit, per illam particulā, aliud, id quod superius dicebatur intelligi posset, vrinas siquidē hoc minus ꝙ vinosum album omnino mouet. At vinum hoc solum intelligendum non est, sed simpliciter per aliud omne vinum intelligere debemus quod dulce nō sit. Verum cum Hippocrates quantū sit de hac dictione aliud, sit obscurus, & credibilius sit Hippocratem de albo vinoso intellexisse propterea alia oritur dubitatio, quid nam, sit id vinū quod vinosum album appellatur, cum nullum sit vinum albū vinosum, quippe sese oppugnant album, & vinosum, cū apud Galenum omnia alba vina sint aquosa, non tamen omnia sunt tenuia, quia aliqua sunt alba crassa, alia tenuia, propterea nulla possunt esse alba vinosa, vinosum etenim aquoso opponitur. Si sit album vinum, aquosum est: si vinosum sit, non est aquosum. propterea vinum album vinosum esse non debet, quāuis sint protropa vina, quę ab vuis pressis non decidere, sed solū ita sponte exeunt. Petit ergo quid nam sit vinosum albū, quod notum non est. Est' ne id vinum quod vehementer calefacit? An id quod valde adstringit: hoc autem valde adstringens à Gręcis dicitur acerbum, sicuti austerum dicitur moderatum. Hic scito austera moderate adstringere, acerba multū adstringere. Si vero noscere placeat qui nam sapor ille sit qui acerbus vocatur, Galenum lege in .4. de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 7. vbi de sapore acerbo ait. At quæ sit eius generatio nunc dicam, quandoquidem corpus acerbum terreū est ac frigidum tripliciter necessario exoluitur, aut incalescens, aut humescens, aut vtrunque simul perpetiens, itaque si calescat duntaxat, nec sit aut humidius aut mollius, sed durum, solā acquirit dulcedinem, veluti castaneę, si tantum humescat, si quidem ea crassarum sit partium, & aquea humiditas austerū euadet. cuiusque enim saporis uires aquea retundit & hebetat humiditas: si uero aerea, acescet. Ostensum nāque est frigidū subtile acidam efficere qualitatem, Et alia multa ibidem à Galeno dicuntur. Tamen si ad sensum acerbum saporem percipere cupias, fructus comede immaturos, ut poma immatura, & uuā omphaciam. Sunt apud Galenum pręcitato loco fructus qui semper sunt acerbi, ut ilicis fructus, arbuti, fagi corni. tamē de Arbuto sum satis ambiguus an semper sit acerbus eius fructus fructum etiam Myrti dicit simul esse acerbum & dulcem. Idē Galenus in secundo de alimentorum facultatibus ubi de malis uerba facit, ait austerum, adstringens, acerbum unam significare qualitatem, & acerbum ab austero duntaxat differre, quia fortius adstringit. Ibi igitur edocet nos uti debere malis austeris, quando uentriculus aut ob calidam intemperiem, aut ob copiosam humiditatem fuerit imbecillis, Additque nos debere uti malis acerbis, quando haec multum increuerint. Acidis uero cum de crasso humore in eo collecto non ita frigido inciderit suspicio: nam gelidus non acida, sed acria expostulat. uides igitur acerbum saporem in acerbis fructibus facile cognosci posse.

Secundo Galenus ad id exponendum redit, quod sub dictione, Alio, intelligi oportebat, inquiens: Ex uinis dulce sputa maxime educit, non tamen omne dulce, cum supra modum crassum id non faciat, ueluti cum non multum secedit ad fuluum, ut in eo & crassities & dulcedo exoluta sint. At uinum fuluum febri est prauum auxilium, quoniam uehementer calidum est. Ad sputa igitur educenda primum auxilium optimum est dulce uinum non admodum crassum, post ipsum in secundo loco conueniens est aquosum uinum, uirtutem roborans & humores humectans, & mediocriter calefaciens, & eiusmodi uinum ceteris omnibus uinis innocentius febrientibus exhibetur.

Illa particula non usque adeo ad fuluum secesserit ut exoluta in eo sint tum crassities tum dulce, hoc modo intelligenda est, uinum dulce cum accedit ad fuluum, dulcedinem remittit & crassitiem. nempe uina fulua non possunt esse adeo crassa, ut sunt multum dulcia, nec etiam adeo dulcia ut nigra crassa. Illa enim quæ fulua sunt, semper minus dulcia, esse oportet ꝙ nigra crassa, & quanto uinum ad fuluum magis accedit, tāto minus dulce est, & minus crassum.

Contingit & hic ambiguitas, quomodo aquosum uinum uires roboret. Respondemus id efficere calorem febrilem extinguendo. Et loquitur de ui pulmonis, quam roborat, cum simul cum sputis misceatur. Et ideo exponere uidetur quo modo uim roboret, addens & humores tum humectans tum madefaciens mediocriter.

## Hippocrates. Sectio V.

**Et sane quibus propinatum sitim facit, his minus ꝙ uinum aliud educit: Quibus uero sitim non facit, uino alio magis educit.**

BRASAVOLVS.

Dulce uinū in multis sitim inducere uidetur. At qui in thorace materiam habent si expui debeat, & à uino auxilium petamus, semper id uinum quod sitim facit, hanc materiam minus educet, ꝙ uinum aliud cuiuscunque sit generis, modo sitim nō faciat. nonnullisque sunt quibus sitim non faciat dulce uinum his uero quibus sitim non facit, uino quocunque magis educit, etiam si id ex uinis sit quæ sitim non faciunt, & dulce non sit. καὶ οἷσι μὲν διψώδης ἐστὶ πινόμενος, ἧττον ἂν τουτέοισιν ἀνάγοι, ἢ ὁ ἕτερος οἶνος. i. Et quibus sanè propinatum sitim facit, his minus educit, ꝙ aliud uinum. Dulce uinum in febrientibus in bilem conuertitur, quæ deinde sitim facit, presertim cum superatauerit. In his in quibus sitim facit, cum exiccet & incrasset, materias exiccando, & glutinosiores reddat, ob hoc minus sputa educit, imo illa ad exitum ineptiora reddit. Vnde etsi dulce sit, tamen sputa minus educit, ꝙ aliud quodcunque uinum, non simpliciter, sed quodcunque sitim non facit.

Si uero petas, quibus sitim faciat, & quibus non faciat: scito his facere qui biliosi sunt, uel biliosi parte superiore, & in quibus in bilem facile uertitur.

Ex his collige in excreando materias quæ in thorace sunt, sitim impedire ne exeant. In qua re forte ambiges, quoniam id quod materias consumit ac minuit, in thoracis affectibus confert, in quibus per sputa materiæ exire debent. At sitis hoc facit materiam exiccans, consumit: sitis igitur in his thoracis affectibus conuenit, in quibus est expuendum: nam materia expuitur, quia adest: si vero consumatur, non est opus vt expuatur, sed iam ab ea liber est sine excreatu. Sitim vero exiccare, eius descriptio ostendit, quæ ab Aristotele .2. de anima scripta est dicente, sitim esse appetitum frigidi & humidi. Id vero non esset, nisi exiccaret sitis. Et hoc experientia & usu omnium authorum colligitur, qui in ascite iubent nō esse bibendum ut aqua exiccetur & resoluatur, sitis ergo materias exiccat. Respondemus si sitis tanta esset & tam efficax ut totam materiam in thorace collectam exiccaret, profecto cōueniret, neque alia expuitione indigeremus: At quia totam materiam non exiccat, at tātum tenuiorem partem crassiorē uero magis incrassat & glutinosiorem reddit propterea earum materierum exitū impedit, illas ad exitum ineptas faciendo. Imo & os & fauces, & guttur exiccantur, per quas uias facilius exirent si molles essent & udæ, ꝙ si exiccatæ. Et quāuis sitis sit frigidi & humidi appetitus, tamen non sequitur ꝙ materias quæ in thorace sint, uehementer exiccet, penitúsque resoluat. Et quod de ascite adductum est, ad rem nihil facit nam in ascite potus prohibetur, nē crescat: in eo enim affectu quicquid bibitur, totum in aquam transit, sitis uero ipsa non esset satis ad resoluendam uel minimam aquositatis partem in ascite.

Iterum forte ambiges, uideri in pleuritide sitim aliquid commodi præstare, de qua potissimum sermo fit, & conuenire preterea in aliis thoracis affectibus, quoniam fames competit, igitur & sitis competere intelligóque cum materiæ expui debent, famem competere omnes fatentur nam & Hippocrates & Galenus in his Thoracis affectibus rationem uictus tenuissimam instituunt.

instituunt. Consequētia probatur, quoniam fames & sitis eundem effectum faciunt: nam & fames per accidens euacuat, & sitis per accidens euacuat. Id Galenus testatur Aphorismo 60. libri 7. vbi iubet famem his adhibendam corporibus, quae humida habent corpora. Respondemus in his thoracis affectibus & in pleuritide. Idem de fame & de siti intelligendum non est, sed in his affectibus diuerso modo adhibentur. nam fames iubetur, quoniam si cibus praeberetur copiosus, natura à coctione morbi impediretur circa hunc cibum intenta.

Adde cibum morbi materiam augere: potus vero haec inducere non potest, nam facile coquitur & magnum affert alimentum.

Addéque potum sitim auferre, & materiam ad exitum praeparare.

ὅσοισι δὲ μὴ διψώδης, μᾶλλον ἀνάγοι ἂν τοῦ ἑτέρου. i. quibus uero sitim non inducit, magis ducit quàm aliud. De dulci loquitur vino, quod sputa magis proritat, & habilia reddit ad exitum in his qui siti non premuntur. Ex ipsius enim potu, per pulmonis cannulas sputa secum ducuntur, & facilius exeunt: idque dulce vinum, partes per quas sputa transire debent, emollit, quando sitim non inducit.

GALENVS. Vinum aliud nunc dixit, quod omnino siticulosum non est, Quare autem vinum siticulosum minus sputa educat, facile intelliges, si quae ante dicta sunt ad memoriam reuocaueris. Nempe sitis his perseuerat qui dulce vinum bibunt, quòd febrilis calor in ipsis tum morosior, tum maleficentior existat. Qui si talis fuerit, sputum siccat, crassiúsque & viscosius reddit. Quòd autem sputum huiusmodi difficulter educatur, verbis non est opus.

BRASAVOLVS. Primo Galenus hoc in loco docet, per hanc particulam, vinum aliud, intellexisse Hippocratem, id quod siticulosum non est, neque sitim inferre potest: qualia erunt illa, quae dulcia non erunt.

Secundo Galenus docet, te facile intelligere posse, quare siticulosum vinum minus sputa educat, si ea in memoriam reduxeris quae dicta sunt: nam his qui dulce vinum bibunt sitis perseuerat, quoniam in bilem conuertitur, & tunc calor febrilis augetur, & morosior efficitur ac maleficentior, vnde cum talis sit calor, sputum exiccat, & crassius ac viscosius reddit. nō est autem opus, verbis declarare sputū crassum & glutinosum difficulter expui: nam hoc est omnibus notissimum, neque probatione indiget.

Galenus sitis causam reddere videtur, quia calor augetur & morosior fit, ad quod sequitur siccitas.

Vbi legitur quod febrilis calor, Graece est διὰ τὸ, propter quod febrilis calor. hic est facilior intellectus. tamen & ille conuenit.

## Hippocrates. Sectio VI.

Vinum autem album vinosum, iam plurima maximaque parte laudatum quidem & culpatum in vini dulcis enarratione: ad vesicam vero vino alio magis penetrat, vrinasque prouocat, & perpetuo purgat, atque multa ad opem his morbis ferendam facit. Nempe etsi vino alio ad caetera inhabilius existat, verumtamen quae in vesica ab eo fit purgatio liberat, si propinetur quale oportet. Bonae hae coniecturae sunt de vino tum profectus, tum detrimenti: quas qui me seniores sunt, non didicerunt.

BRASAVOLVS. Hippocrates de dulci vino superius agere visus est, illud ad vina alia comparans. Nunc de vino albo vinoso pertractat, ad alia vina id comparans. De vino, inquit, albo vinoso, déque eius laudibus, iam plurima & maxima dicta sunt, & de eius culpa in superiore vini dulcis enarratione. hoc autem vinum album vinosum, alio quocunque vino ad vesicam magis penetrat, & vrinas prouocat, & perpetuo per illam purgat viam, multúmque his morbis prodest, qui ad vesicam pertinent, & in quibus mictus est impeditus, & harum partium obstructionibus. Nā ad caetera etsi alio quocunque vino inhabilius existat, tamen cum vesica vino purgatur, eam ab his liberat quae in illa continētur, praesertim si quale vinum oportet propinetur. hae sunt probae coniecturae de his quae à vino fiunt bona & mala: quas coniecturas qui ante Hippocratem scripsere vel edocuere, nō viderunt. vnde ipse primus fuit, qui per has coniecturas iudicare inuenit.

ὁ δὲ λευκὸς οἰνώδης οἶνος ἐπῄνηται μὲν καὶ ἔψεκται τὰ πλεῖστα καὶ τὰ μέγιστα, ἤδη ἐν τῇ τοῦ γλυκέος οἴνου διηγήσει. i. vinum autem album vinosum iam plurima ex parte laudatū quidem, & culpatum in vini dulcis enarratione. Idque fuit sectione secunda, vbi dulce vinum, vinoso comparauit. postea in sectione tertia vrinas mouere asserebat. Sed inquies nullo in loco Hippocratem vini albi vinosi culpas prodidisse. Respondemus dictas esse ab Hippocrate sectione quarta, vel saltem illas innuit, cum dixit, dulce vinū sputa efficacius educere quocunque alio, vbi per illam particulam alio, Galenus quodcunque aliud vini genus intelligebat, quod dulce non sit, sub quo & album vinosum intellexit.

Intellige vero, vel vt Galenus fecit vinum album austerum, vel per vinosum album illud intellige veluti aqua, quod Plinius protropum nuncupauit, vel per album, & fuluum simul & flauum intellige. Sed inquies si & flauum intelligam & fuluum, hęc non videntur magis vrinam prouocare quàm aquosum vinum. Idque testatur Galenus &. 12. Methodi, & in libro de cibis boni & mali succi, & in 5. de sanitate tuenda. Respondemus, aquosum vinum vrinam magis prouocare: quia illā multiplicat, & ad vias discurrens, illa quae in vijs sunt, secum ducit. At flauum vinum per essentiam, & per propriam caliditatem vrinam prouocat, quia omnes patefacit vrinarias vias, & quicquid in illis continetur, extra vasa expellit.

ἐς δὲ κύστιν μᾶλλον πέραιος ἐὼν τοῦ ἑτέρου. i. Ad vesicā vero vino alio magis penetrat. quoniam cum vinosum sit, calidū est. Itaque magis penetrans, quàm quodlibet aliud quod calidum non sit.

καὶ διουρητικὸς δὴ ὢν καὶ καταρρηκτικὸς αἰεί, πολλὰ πρὸς ὠφελίην ἐν τῇσι τοιαύτῃσι νούσοισι. i. Et vrinas prouocat, & perpetuo purgat; multáque ad vtilitatem his morbis ferendam facit.

Scito particulam illam καταρρηκτικὸς, etsi id significet quod destillationem facit, tamen & eo modo intelligi potest, quod semper purget & educat, neque sinat quicquam in vrinae vijs firmari.

Scito praeterea hanc particulam his morbis, ab aliquibus intelligi de thoracis morbis. At nos potius illam de vesicę morbis & partium vrinae intelligimus, quoniam nulla sunt vina quae in thoracis morbis dulcia excedant, praesertim cum aliquid exire debet.

καὶ γὰρ εἰ πρὸς ἄλλα ἀνεπιτηδειότερος τοῦ ἑτέρου πέφυκεν, ἀλλ᾽ ὅμως ἡ κατὰ τὴν κύστιν κάθαρσις ὑπ᾽ αὐτοῦ γινομένη, ῥύεται ἢν προσφέρηται οἷον δεῖ. i. Nempe etsi vino alio ad caetera inhabilius existat, verumtamen quae in vesica ab ipso fit purgatio, liberat, si propinetur vt oportet.

Intellige hoc vinum album vinosum, ad caeteras operationes esse alio inhabilius non quidem omni, quia aliqua sunt vina, ad aliquas operationes isto inhabiliora. Et hoc alias habet etiam operationes, quàm vrinam prouocare. tamē posito quod ad alias omnes operationes ineptius esset & inhabilius, hoc nihilominus habet, quod ab his omnibus vesicam purgat, quae in illa sunt. Id vero ab alijs non fit vinis. vnum praeterea notat Hippocrates id fieri, si quale oportet propinetur. non enim intelligere opus est esse quodcunque tale, sed album uinosum esse debet, quod est calidae temperaturae, & urinae uias aperit, ac illas, si quae sint in ipsis materiae, expurgat.

καλὰ δὲ ταῦτα τεκμήρια ἐστι τῆς περὶ οἴνου ὠφελείης καὶ

σιν ἔχει.i.Bona autem sunt hæc indicia de uini utilitate ac læsioné. Petes uero quę nam sint hęc indicia. Respondemus illa esse quę dicta sunt ad quid hęc ualeant uina, & quibus obsint. hęc in presentiarum indicia uocat & tecmena.

ἅ οὐδὲ ἀναγραψάμενα ἂν ταῦτα ἐμοῦ γηραιτέρους.i. Quę nõ didicerunt me seniores. Qui ante Hippocratem & scripsere, & sine scriptis edocuere, has uinorum facultates non cognouere, neque explicare sciuere.

GALENVS. De uino hoc in dulcis uini mentione diximus, posteaquam uires ipsorum comparauit, perquisiuitq́. Dixi autem non paruam esse quęstionem, si album simul & austerum uinum, album uinosum dicit, uel quod uehementer inter uina alba calfacit. Nempe ex uinis albis nullum ualenter calfacere põt. Quod enim summe calidum est, id continuo & flauum existit: ueluti & quod ab ipso est fuluum. Mox ab his rubrum, & deinde dulce. Album autem minus quidem his omnibus calfacit: sed differentias particulares, aliásque omnia pro pluris minorisque ratione habet interualla. Quòd autem uinum huiusmodi dulci facilius ad uesicam penetret, dictum antea. Sed ad alia dulci inhabilius esse ait, quę sunt uentris subductio, & eductio sputorum. Bonas autem has ait coniecturas esse, id est notas facultatis uinorum.

BRASAVOLVS. Primo Galenus exponit primam sententię Hippocratis partem, quod de hoc uino, in dulcis uini mentione dictum est. deinceps & ipsorum uires comparauit & perquisiuit.

Secundo Galenus notat & id, de quo superius etiam egit, An hic Hippocrates vocet album uinum austerum, vinum vinosum. vel id vinum intelligit, quod inter alba vina vehementer calefacit. Et probe dicit, inter alba vina, quia nullum album vinum vehementer calefacit. Nam vinum quod est summe calidum, id statim est flauum vel fuluum, quod à flauo decedit. Et fuluum videtur minus calidum flauo. tamen & fuluum & flauum confunduntur. post hæc rubrum est minus calidum. denique dulce est minus adhuc rubro calidum.

Scito inter alba vina illa vehementer calefacere, quæ protropa dicuntur, & absque vuæ expressione sponte descendunt. Et hoc forte vocat vinosa alba Galenus, quia vere sunt alba: nisi intellexerit per hoc nomen album, commune etiam ad flauum & fuluum vocabulum. Et si album protropum intelligamus, & hoc profecto vehementer calefacit.

Hunc vinorum ordinem facit Galenus, flauum vehementer calefacit, minus vehementer fuluum, Rubrum adhuc minus, dulce & illo minus. Igitur quanto vinum erit magis flauum, tanto erit calidius. tamen experientia videmus esse quædã cretica vina, quæ alijs magis flauescunt, tamen non sunt alijs calidiora. Respondemus nulla esse huius generis, cum semper flaua sint alijs calidiora, & quæ pallida videntur & minus q̃ flaua, his sunt prorsus minus calida. Galenus. 12. Methodi testatur vina flaua esse omnium calidissima, & alba minus alijs calida, & in libro de cibis boni & mali succi, & in libello de victus ratione attenuante, & in quinto de sanitate tuenda. Tu vero considerare potes vina dicta Romania rubra esse, & omnia quæ viderim aut gustauerim, potentia & calore superare. Sed ambiges quoniam dulce vinum in ordine colorum vini ponit, potius dicendum videbatur, & deinde nigrum & non & deinde dulce, cum post rubrum nigrum sequatur. Respondemus cum Galenus putet omne dulce vinum esse nigrum, vt in sequentis commentationis initio videre est: propterea dulce uinum dicens nigrum intelligit. An uero alia uina præter nigrũ dulcia sint, posterius dicetur.

Vbi legitur uel quod uehementer inter uina alba calefacit, græce est ἤ τι τὸν θερμαίνοντα σφοδρῶς, id est, siue quod uehementer calefacit. Vbi uides comparationem non fieri inter alba uina, sed simpliciter dici ambiguum esse an intelligat per uina alba uinosa, uel alba austera, uel uina quæ uehementer calefaciunt, neque ad alba se determinat.

Tertio Galenus notat, uinum album minus calefacere flauo, fuluo, rubro, nigro, sed particulares differentias & alia omnia interualla habet pro pluris minorisque ratione. nam in omni uinorum specie, magis & minus reperitur. Quod autem uinũ hoc album facilius ad uesicam penetret, q̃ dulce faciat dictum antea est. tamẽ ad alia est inhabilius q̃ dulce sit. Et si petas quę nam sint hæc alia, Respondet esse uẽtris subductionem, & sputorum eductionem. quod uero addit Hippocrates bonas esse has coniecturas, Galenus exponit, id est notas facultatis vinorum.

Et si dicat in albo uino adesse interualla per magis & minus, & differentias particulares: idem in omni alia uinorum specie intelligendum est.

## Hippocrates. Sectio VII.

Fuluo autem vino & nigro austero in morbis huiusmodi ad hæc vteris, si neque grauitas capitis fuerit, neque mentis concussio, neque sputo via concludatur, neque teneatur vrina, excrementa autem & humentiora & ramentosa magis fuerint. In his autem ex albo migrandum, & his quæ his similia existunt.

BRASAVOLVS. Hippocrates in hac sententia quando fuluo uino & nigro austeris uti debeamus, & quando non debeamus ostendit: & hoc in morbis acutis. propterea in acutis inquit uino austero fuluo uel nigro uti debemus, quando hæ conditiones aderunt: primo, ut æger acuto morbo captus capitis grauitatem non habeat, nec habiturus sit: secundo, ut idem mentis concussionem non habeat: tertio, ut uia non sit sputo conclusa: quarto, ut urina non sit impedita: quinto ut excrementa sint potius humida & ramentosa, q̃ naturalia uel alterius generis. In his enim migrandum ex albo, & ex his quæ istis similia sunt. hæc est sententiæ Hippocratis summa. nunc ad uerba singulatim exponenda descendamus.

κιῤῥῷ δὲ οἴνῳ καὶ μέλανι αὐστηρῷ ἐν ταύτῃσι τῇσι νούσοισιν ἐς τάδε ἂν χρέοιο, id est, fuluo autem uino & nigro austero in his morbis ad hæc uteris. De acutis loquitur morbis: Et hæc est uniuersalis sententia & ad solam pleuritim non determinata: quam tamen pro subiecto & exemplo in præcedentibus libris acceperat, & nunc de eadem intelligit, sed & ad omnes alios ampliat.

Scito dulce uinum duplex esse dulce & austerum. Eodem pacto nigrum duplex est, duplex dulce & austerum. De hoc & Galenus in quinto de sanitate tuenda, in libello de cibis boni & mali succi, & in libello de uictus ratione attenuante agit.

Ad hæc intelligo ad has utilitates ob quas illud bibimus. tamen opus est nonnullas seruare conditiones, quarum aliquæ sunt affirmatiuæ, aliæ negatiuæ, ut inter legendum nobis occurret.

εἰ καρηβαρίη μὲν, μὴ ἐνείη, id est, si neque grauitas capitis adfuerit. nam cum hæc adsit, ab his uinis offenditur. tamẽ quia fuluum magis calidum est, q̃ nigrum, propterea à fuluo magis offenditur, q̃ à nigro, & grauitas augetur ob uapores qui à uino eleuati caput replent.

μὴ δὲ φρενῶν ἅψις, id est, neque mentis concussio. hoc dupliciter intelligi potest, uel per φρένας septum transuersum exponentes quod ita ab antiquis uocabatur, ut septi transuersi cõcussio ne uinum propinetur suadeat. & hoc uerum est. uel mentem ipsam intelligamus quæ concussa sit, cui hæc uina cũ turbata est, obsunt. Cui sententiæ magis inhæremus.

μὴ δὲ τὸ πτύελον κωλύηται τῆς ἀνόδου, id est, neque sputo uia concludatur. nam si sputa non exeant, sed impedita sint, si quis hæc uina propinauerit quæ adstringentia sunt, sputa magis coercebit. Itaque retinebuntur materiæ quæ per sputum exire deberent. Opus igitur est si hæc uina præberi debeãt quę adstringentia sunt, ut sputa facile procedant.

μὴ δὲ τὸ οὖρον ἴσχηται, id est, neque urina cõtineatur. nam si esset

si esset impedita urina adhuc magis impediretur ab his uinis quę stypticitatem habent. propterea hæc sunt euitanda.

καὶ διαχωρήματα δὲ πλαδαρώτερα, καὶ ξυσματωδέστερα ἔῃ, id est, excrementa vero humentiora, & ramentosa magis fuerint. hæc est affirmatiua conditio, quæ uinum austerum dari suadet, quando. s. fuerint excrementa humidiora & ramentosiora. nec hæc austera vina, illa in mediocritatem reducit.

Sed petes quę sint ramentosa excrementa, & quæ sint in excrementis ramenta, quæ à Græcis ξύσματα vocantur. Respondemus, ramentum à latinis à radendo dicitur, quicquid aut ex ligno aut ex auro aut argento ex sectione decidit. Plinius lib. 33. de auro agens ramenta vocat tenues fluuiorum arenulas, cum inquit: apud nos tribus modis (s. aurum inuenitur) fluminum ramentis, nec vllum absolutius aurum est, cursu ipso, tritúque perpolitum. ξύσματα à Græcis dicta Celsus vocat strigmenta, quæ nihil aliud sunt ꝙ intestinorum rasuræ, uel pinguedines, quæ ab intestinis decidunt. An vero simul esse possunt strigmenta uel ramenta, & humentia excrementa? Dicimus, si humentia sint & salsa, simul esse posse: At si humentia sint non salsa, simul esse non possunt, nisi raro quando diuersæ materiæ simul descenderint. tamen hæ humiditates non sunt causæ ramentorum, nisi sint salsę, quāꝗ & ambigendum esset an pituita salsa humida sit, verum vina hæc austera singulis horum per se ualent, & quando fuerint humentia, etiam si ramenta nō adsint & ramentis valent etiam si non adsit humiditas. Tamen dicere possemus hic Hippocratem non dixisse excrementa humida sed πλαδαρώτερα, quod significare potest mollia, & quæ nō cōtineantur, sed liquida sint. in quo significato in commentario 3. libri de fracturis sectione. 19. πλάδον accipit pro madore. hoc autem modo possunt & biliosa & atrabilaria, mollia esse & liquida. Tamen vina hæc humidis potius cōueniunt ꝙ alijs excrementis.

ἐν δὲ τοῖσι τοιούτοισι πάντων ἂν μάλιστα μεταβάλλειν ἐκ τοῦ λευκοῦ, id est, in his autem postponendum est album, hoc ad humida excrementa & ramentosa referri debet. quę cū adfuerint, statim album vinum euitare debemus, quia intestinis obest, hæc vero fulua & nigra austera, intestinis conueniunt.

καὶ ὁκόσα τοιουτοτρόπα, id est, & quęcunque his similia sunt. non solum alba vina effugienda & euitanda sunt, vbi excrementa sint humida & ramentosa, sed & vina albis similia euitanda erunt, quoniam cum his id commune habent, ut potius obsint intestinis, ꝙ prosint.

Forte dices Hippocratem hoc in loco uina ex colore exhibere, tamen indicatio qua hæc uina sumuntur, fulua. s. & nigra est à sapore. s. austero, qui est stypticus sapor; ob quid igitur cum talia vina exhibere debeat ex indicatione sumpta à sapore, ex indicatione exhibeat à colore sumpta? Respondemus verum esse indicationem sumendi hæc vina à sapore accipi, tamen quia ea vina colore discernuntur, propterea vt melius nasceretur & saporem posuit, & vt cognosceremus, tales etiam sapores sub illis comprehendi coloribus. Itaque suum scopum non aberrat Hippocrates.

Dubitabis præterea de his austeris vinis, quæ à Galeno in. 12. Methodi reprobantur. nempe ait ad digestionem per corpus non esse idonea: nec inquit esse bona cum inueterauerint: tunc enim cum extreme inueterata sunt, stomacho vtilia existunt, Vinum vero addit Galenus, non illis vti debere, quando alia habere non possumus. hic autem vina hæc austera laudat, modo quinque prædictæ absint conditiones. Respondemus, profecto ratione febris quæ acutum morbum concomitatur obsunt hæc vina, sed non obsunt ratione symptomatum, cū absunt illa quatuor, & quintum adsit. Addéque Galenum de vino albo crasso & austero loqui videri, & non de omni austero, hic vero Galenus de fuluo austero loquitur, & de nigro austero. Copus hanc sententiam alio modo referre videtur ꝙ dictum sit, vt tota ad præcedentem referatur, hoc modo fuluum vinum, & nigrum austerum eundem vsum habere censerem in acutis morbis, nisi capitis grauitatem inducerent, & mētem attingerent, atque sputi, vrinęꝗ exitum impedirent. Cæterū à uino albo, alijsque id genus, tum maxime abstinendum est, cū alui excrementa & mollia & ramentosa fuerint.

Verumtamen etsi sententiam probe continuet Copus, tamē arbitramur Hippocratis sententiam illam esse, quam prędiximus. nam eundem vsum non habent vti superiora, nec Hippocrates dicit talia vina, illa inducere incommoda, sed non esse danda, quando talia adfuerint symptomata simul cum morbo acuto.

GALENVS.

Dulce quidem vinum continuo & nigrum existit, non tamen nigrum omne continuo & dulce. Nam ex his quędā austera sunt, qualia apud nos in Asia prope Pergamum in Perperine & Aegis. Quod autem in Cilicia est albates, austerum simul & dulce existit, qualitatibus constans contrarijs: quo fit ut prauum sit, quia neque distribuatur, neque descendat, sed plus iusto in ventre permaneat superiore, atque ipsum inflet. At quod citra dulcedinem nigrum austerum est, id ventri vtile existit, quando vel plura iusto descendunt uel ramentosa: tunc. n. est idoneum, sicuti & vinum album austerum, & quæcunque alia astringentia. In eum vsum & fuluum vinum prodesse ait, non omnino simpliciter fuluum affirmans, sed fuluum austerum. Nam de vtrisque te intelligere oportet, quod in principio dictionis extitit, qua dicitur: Fuluo autem vino & nigro austeris, in morbis huiusmodi ad hęc vteris. Duplex siquidem fuluū vt nigrum: aliud siquidem dulce, aliud austerum. Atque cum tertium præter vtrunque exstat, ex vtriusque qualitatis permixtione constans: attamen quod vna est prędictum qualitate, id colore utroque duplex existit. Caput autem & mentem fuluū magis ferit, quod & calidius nigro existat: febres quoque ratione eadem auget: quibus idonea sola ea quę aquosa sunt. Non immerito igitur vinis austeris vtendum prohibuit, siue ea colore fulua, siue nigra fuerint, in capitis grauitatibus, & mentis lęsione, vbi febris ipsa percusserit: atque amplius in thoracis, pulmonisque ęgritudinibus, in quibus sputum detinetur, vina huiusmodi inhabilia esse ait: atque cum vrinę supprimuntur, propter crassitiem videlicet, & astringendi facultatem.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus monet cum vinum dulce dicimus, statim & nigrum dicimus. At non conuertitur, vt omne nigrum sit dulce. nam ex nigris aliqua sunt austera, & non dulcia, qualia illa quę in Asia nascebātur prope Pergamum in Perperine & Aegis. Tamen hi sapores, dulcis & austerus, nō sunt adeo oppositi vt simul esse non possint. Imo genus quoddam vini in Cilicia nascitur Albates dictū, quod simul & austerum est, & dulce qualitatibúsqꝫ constat contrarijs. vnde est prauum vinum, quoniam nec distribuitur, nec descendit, sed in superiore ventre plus iusto permanet, & ipsum inflat. Tamen nigrum illud quod citra dulcedinem austerum est, ventri vtile existit: est vero vtile tunc, cum plura iusto excernuntur, vel illa fuerint quę ramentosa descendunt. In hoc enim casu idoneum est hoc vinum, sicuti & idoneum est vinum album austerum, & quęcunque alia vina quę adstringentia sunt.

Id Galenum vero dubitare contingit, qui dicere aut innuere uidetur vinū dulce omne esse nigrum: sed in ipso expressa videtur contradictio, quoniam in libello de cibis boni & mali succi ponit nulla alba vina esse dulcia: tamen aliqua flaua & fulua dulcia esse fatetur, ut hippodamantium, faustianum, & falernū, & in hac met commentatione ponit fuluum dulce vti nigrum. Respondemus cum hic de dulci vino sermonem habet Galenus, de eo intelligit qui exquisitam habeat dulcedinem. nam reliqua quę exquisita non habent dulcedinem, à Galeno dulcia non vocantur. propterea cum hic inquit dulcia omnia esse nigra, de perfecta dulcedine intelligit quę est cum vini crassitie. vnde in loco pręcitato libelli de cibis boni & mali succi inquit, nulla vina inuenies crassa pariter ac dulcia quę nigra non sint: de fuluis vero & flauis vinis exquisitam dulcedinem habere non dicit. Sed inquit ex flauis autem fuluisque nonnulla, nonnulla mediocriter dulcia sunt, sicuti hippodamantium, faustia-

austero

num, & falernum. ut palam sit Galenum uoluisse perfectam dulcedinem non habere, qualem habent nigra uina, quę sunt etiam tanto dulciora, quanto sunt magis crassa.

Scito Galenum in libello de cibis boni & mali succi, uini meminisse quod Aege ac Perperina apud Pergamū ferunt. uel Perperina & apud Pergamū, Aege Myrrhine finitimę sunt. In quinto uero de sanitate tuenda ęgausien & perperinum uocat hæc uina quę nascuntur in Asia. putamus contextum esse mendosum, & legi debere perperinum. Inquit in Cilicia esse uinū Albates simul dulce, & austerum. quidam uolunt legendum sybates. quod in Cilicia nascitur. In quinto de sanitate tuenda & utitur uocabulo, & ait in Cilicia nasci sybatem, quod nigrum est & crassum. At in libello de cibis boni & mali succi dicit Cilicium austerum, dulceq́ simul, quod etiam à locis in quibus nascitur Albates appellatur. In calce uero libelli de attenuante uictus ratione inquit, Nigri autem dulcis simul & austeri exemplum petes ab eo uino quod fert Cilicia, quippe quod ęgeatem nominant. tamen in libello de cibis boni & mali succi, non uult ęgeatem esse in Cilicia, sed ęgę inquit sunt finitimę Myrrhinę. & in. 5. de sanitate tuēda à sybate ęgausien distinguit. nos ęgeatem legendum putamus. uel erant duo nomina quibus id uinū uocabatur, uel regio illa duobus his erat insignita nominibus. Aldinus codex dicit ἀναβατης.

Petes quomodo dulce uinum austerum contrarijs constet qualitatibus. Respondemus cum dulce sit, calidum esse oportet. At cum austerum & adstringens nōnihil frigoris habere opus est. Dulceq́ deijcere facit, austerum adstringit.

Scito per uentrem inferiorem uentriculum intelligere, qui intestinorum respectu superior uenter appellatur, non respectu cauitatum quę sunt in corpore humano principalium, quoniā in illo sensu est infimus uenter.

Petes cur multę ex nostris albanis uocatis quę austerę sunt & adstringentes, tamen deijcere faciant. Respondemus non esse uere austeras, sed acerbas, et si quę sint austerę illę adstringunt. At cum & acerbum adstringat, tamen pro maiori parte nostrę albanę uentrem commouent, cur hoc fit quod contrarium uidetur, quàm sit eorum natura.

Respondemus id non esse, quia non adstringant, sed ob id esse quia frigidę sunt. propterea stomachum refrigerant, eo autem refrigerato perfecte non coquit. itaque omnia quę ingesta sunt semicocta descendunt. Et adde huius uini, id est albanarū maiorem copiam bibi, quàm aliorum uinorū. profecto uina sunt alijs frigidiora, imo quę sunt minus calida, quàm sit naturalis calor.

Vbi legitur & quęcunque alia adstringentia addi debet φάρμακα, cum in greco codice scriptū sit ὅσα τ' ἄλλα φάρμακα στύφοντα, id est, & quęcunque alia medicamenta adstringētia. ubi uides uocabulum φάρμακον & medicamentum ad illa etiā usurpari quę per solas agunt qualitates.

Secundo id refert Galenus quod ab Hippocrate dicitur de fuluo uino, ad eundem usum, ab Hippocrate ualere dici, ad quem ualet nigrum austerum citra dulcedinem. Notatq́ Galenus ab Hippocrate non esse simpliciter dictum fuluum uinum ad illa ualere, sed inquit fuluum austerum. nam hęc particula austerū de utroque dicitur uino. propterea citra ambiguitatem fuisset, si in plurali dixisset, fuluo autem uino & nigro austeris, in morbis huiusmodi ad hęc uteris. Nempe scire oportet esse duplex nigrum uinum, & duplex fuluum, nam aliud est dulce, aliud est austerum. Tamen tertium uinum est, pręter nigrum austerū, & nigrum dulce, & pręter fuluum austerum & fuluum dulce, quod est ex utrisque qualitatibus commistum, utpote quod est nigrum dulce & austerum, uel fuluum dulce & austerum. Verum si unam solam consideremus qualitatem, aut dulcedinem aut austeritatem, quęlibet illarum qualitatū est colore duplex: quoniam reperitur dulce nigrum, & dulce fuluum, & reperitur austerum nigrum, & austerum fuluum.

Tertio ut Galenus conditiones exponat, quibus uina austera prohibentur, inquit fuluum ad nigrum comparans, fuluum caput & mentem magis ferire ob illam causam quòd nigro calidius est, & eadem ratione auget febres quibus sola uina aquosa sunt idonea. non ab re igitur Hippocrates austerorum usum in capitis grauitatibus, & mentis lęsionibus, siue fulua sint, siue nigra, prohibuit, ubi febris ipsa percusserit: imo & sine febre in illa obsunt casibus, cum febre ob caliditatem tanto magis obsunt. Scito hic Galenum edocere sola uina aquosa febribus cōuenire. Intellige in acutis, quoniam in tertianis & quartanis conueniunt etiam non aquosa.

Quarto Galenus notat Hippocratem dixisse uina huiusmodi in thoracis & pulmonis ęgritudinibus, in quibus sputa detinētur, esse inhabilia. Neque conueniunt, cum urinę supprimuntur ob crassitiem. s. & adstringendi facultatem.

De thoracis affectibus in calce libri de uictus ratione attenuante Galenus agit, ubi docet uina austera illis non conuenire: imo inquit omnibus utiq; thoracis affectibus sunt noxia, & eo etiā magis, quo uehementer sunt acerba.

## Hippocrates. Sectio VIII.

**Quod autem superiora quidem omnia, vesicamq; minus offendet, si dilutius fuerit, intestina vero iuuabit magis si meracius, neminem latere debet.**

**BRASAVOLVS.** Vinum de quo sermo statim factus est, scilicet uel fuluum austerum, uel nigrum austerum, caput, thoracem, & uesicam male affecta lędit: tamen si dilutum bibatur, minus hęc membra lędit etiam si lęsa sint, quàm faciat non dilutum. Verum cum & hęc uina intestinis prosint, propterea inquit si meracius bibatur, intestina iuuabit. & hoc omnibus notum est, nam huc addita non est causa adstringens: propterea dilutū intestina non iuuat: at dilutum nō tam adstringit, neq; ita calidum est: propterea superioribus partibus minus obest, & uesicę, in qua urina retineatur.

προσήκειν δὲ δεῖ, ὅτι τὰ μὲν ἄνω πάντα, καὶ τὰ κατὰ τὴν κύστιν ἧσσον βλάψει, ἢν ὑδαρέστερος ᾖ. τὰ δὲ κατ' ἔντερον καὶ μᾶλλον ὀνήσει, ἢν ἀκρητέστερος ᾖ. i. oportet autem non latere, uel neminem latere debet, quòd superiora quidem omnia & uesicam minus offendet si dilutius fuerit: intestina uero magis iuuabit si meracius fuerit. Vinum hoc aliquibus prodest membris, & aliquibus obest. membra quibus obest, sunt, caput cū grauitatem habet uel mentis concussionem, & thorax quando sputa retinentur, & uesica quando urina retinetur, hoc enim uinum ex miscella cum aqua stypticitatem remittit atque crassitiem, quia eiusmodi uina crassa sunt, remittitq; caliditatē, propterea & nocumentum capiti, thoraci, & uesicę remittitur, quibus ob caliditatem, crassitiem, & stypticitatem oberat. Aqua uero sua lubricitate stypticitatem, sua tenuitate crassitiem, sua frigiditate caliditatem remittit. unde uinum hoc aqua mistum prędicta membra minus lędit. At quia intestinis prodest cum profluuium patiuntur, & hoc sua facit stypticitate, crassitie, & caliditate. propterea quanto meracius est, tanto magis hoc facit: nam caliditate cū alijs mistis qualitatibus roborat, & stypticitate parum adstringit ac roborat: & sua crassitie non ita discurrit ut cum est aqua mistum. Sed ambiges an hoc dilutum uinum in capitis grauitate, & in uesica in qua sistatur urina, & quando ex thorace sputa non exeunt, pręberi debeat. Respondemus prorsus dari non debere cum alia habentur: si uero alia non haberentur (ut in. 12. Methodi à Galeno notatur) opus est uti hoc diluto: nam minus lędit, quàm si dilutum non sit: unde in eo casu in quo aliud non haberetur uinum, quomodo illo uti debeamus, & cum minori noxa ab Hippocrate docemur.

**GALENVS.** Vinum meracius, ut dixi, intestinis magis conuenit: quo fit, ut non abs re iuuet ipsa astrictionis ratione, propter quā omnino iuuamentum habet. Verum huiusmodi astrictionem labefactat, exoluitq;, si aqua temperatum fuerit, atq; ob eam rē minus ipsa iuuat. Quo autem modo hęc iuuat magis astringendi ratione ubi meracius fuerit, sic thoracem, caputq; magis offendit. Hęc sunt sanè quę manifestauit, inquiens: Superiora quidē

omnia

omnia lædit, lędit quoque & corpora ea, quibus per urinas expurgari est opus. Nempe austerum uinum, excretiones omnes cohibet. De uinis hæc locutus Hippocrates, continuo ad melicratum transit, cæteris quidem ferè omnibus de uino demonstratis: at prætermisso vno, quod non absoluit, & ego obiter percurram, quod. s. febrientibus maxime idoneum aquosum sit. Est autem vinum hoc album colore, substantia tenue, nullam earum quæ cæteris uinis insunt, habens qualitatem, neque austeritatem, neque astringentiam, neque dulcedinem, neque acrimoniam, neque odorem. Nempe uino huic omnium soli, ut tum aquæ, tum uini mala effugeret, est datum. Prodeunt autem talia in unaquaque gente aliqua. In Italia imbecillum Sabinum, quod febrientibus administrant. In Asia, titacazenum & tibicenum. Sed uini huius notas ubi intellexeris, talia facile in qualibet gente reperies: ubi & ualde tenuia & aquosa producuntur uina. Reperi equidem talia in Cilicia, Phoenicia, Palæstine, Scyro & Creta. Imo, ut retuli, in regionibus uidi omnibus, & quod mirum magis sit, in Aegypto. Crassa siquidem vina & odora & ualde fortia, in feruidis progignuntur regionibus. In Italia uero, & Bithynia, & Asia si multa producantur aquosa, nihil mirum. Sed quæret quispiam, quam ob rem Hippocrates in antecedente dictione peculiarem de his uinis prætermisit sermonem, cum febrientibus quàm cætera omnia sint iucundiora. Sanè qui id petit, Hippocratem uinum huiusmodi nesciuisse haud quaquam ostendit. Nempe post paulo, cum de melicrato agit, hæc scribit: Cæterum uino albo tenui, paucifero, & inodoro quodammodo fortius est, & quodāmodo infirmius. Hæc ait Hippocrates, uino albo tenui, & paucifero, id est, parum aquæ ferenti & inodoro melicratum comparans. Vini igitur vinosi notas, tum conspicue, tum exacte recensens, percurrénsque quonam scilicet pacto, tum caput, tum mentem feriat de aquoso ipsi contrario disciplinam sufficientem esse existimauit, cum aduersa contrariáque ipsi inesse ratiocinari possumus.

## BRASAVOLVS.

Primo Galenus notat uinum meracius intestinis magis conuenire. & hoc de omni meraciori uino simpliciter uerum est, quia intestina frigida sunt. Et hoc uinum est calidius, est præterea magis conueniens cum intestina male affecta sunt, & lubricitatem habeant, uel exeant ramenta, & fuerit austerum: nam ratione adstrictionis non abs re iuuat, ob quam adstrictionem iuuamentum prorsus habet. At adstrictio hæc quam habet, exoluitur si aqua temperetur. vnde dilutum, & si aliquo modo iuuet, quia adhuc stypticum, tamen tanto minus iuuat, quanto aqua illi suæ adstrictionis partem aufert. vnde quo magis intestina iuuat sua adstrictiua ratione quando meracius fuerit, ita thoracem & caput magis offendit. Et hæc sunt quæ ab Hippocrate dicta sunt, uinum hoc superiora omnia lædere. Lædit præterea & corpora ea, quibus est opus per urinas expurgari. nam uinum austerum cū stypticum sit, excretiones omnes sistit.

At dices non uideri ab aqua huius stypticitatis nocumentum labefactari, ut urinæ ita non obsit, quoniam ut ab Hippocrate de aqua posterius loquente dicetur, aqua ob suam frigiditatem transire prohibet, & omne frigidum quodammodo adstringens est.

Respondemus & si aqua sua frigiditate sit adstringens, & obstruat, tamen uino mista suam frigiditatem remittit, & ipsa suę tenuitatis ratione uini crassitiem minuit, & suę insipiditatis ratione austeritatem minuit. nam substantiam terream, quę est austeritatis subiectum remittit. idque facit ut melius discurrat. Adde & hoc suę lubricitatis ratione efficere. vnde & lubricitatis & tenuitatis ratione, ac insipiditatis, uini austeritatem minuit, & earundem qualitatum ratione & ipsa discurrit, & uinū secum ducit, à quo secundum vini caliditatem adiuuatur.

Sed inquies impossibile uideri aquę tenuitatem uini adstringentiam auferre posse, quoniam tenuitas crassitiem remouet, & non adstringentiam. Nam omnes inquiunt pluuialem aquam, puteorum aqua & fluminum tenuiorem esse: tamen & illam fatentur magis adstringentem esse fluminum aqua & puteorum: quod & Galenus uarijs in locis libri de compositione medicamentorum secundum locos testatur. tenuitas igitur cum adstringentia esse potest, & illam non aufert. Respondemus fluuialem aquam ab omnibus recentibus, alijs aquis magis adstringentem existimatam esse. etiam id fassus est Galenus. Recentes Auicennę uerbis innituntur libro tertio fen. 16. tractatu primo capite. 4. prope capitis finem, ubi his qui alui profluuium patiuntur, succurrit, inquit oportere aquam horū esse aquam pluuialem, quoniam in ipsa est stypticitas. verum si aquam ipsam consideremus cum alijs tenuior sit, & magis penetret, non uidebitur esse adstringens, propterea quandoque ea considerantes, quę in Auicenna sequuntur quibus inquit, & existimo quòd multitudo iuuamenti illius est propter uelocitatem suę attractionis ad hepar, & uelocitatem resolutionis eius, quare non relinquit in chylo humiditatem. unde Auicenna illam stypticam facit, quia cito penetrat, & chylum non humectat, ob id chylus superius remanet. itaque adstringere uidetur. Aliæ uero aquę cum crassiores sint, in uentriculo pluri tempore morantur, ex quo chylum humectant, & descendit, ob quod lubricum reddere uidentur aluum, & non adstringere, unde secundum Auicennam aqua pluuialis erit per accidēs adstringens ratione suę penetrationis ob quā citam penetrationem chylum in uentriculo non madefacit. Ad rem igitur. Aquę tenuitas, & uini crassitiem attenuat, & remouet adstrictionem, ea ratione quia adstringentia substantię subiectóque innitur terrestri, ut in. 4. de simpl. medica. facultat. edocemur. An uero hęc uera sint, in pręsentiarum disputare negligimus, cum de hac re aliàs ubertim tractare instituerimus: unum tantum hic addemus, Galenum in. 4. de sanitate tuenda libro pluuialem aquam reprehendisse.

At cum uinum austerum meracius capitis grauitati obsit, & dilutum alui profluuio in quo ramenta exeant, petere quis posset, uno proposito qui acuta febre deprehensus esset, & capitis grauitatem haberet, & alij profluuium cum intestinorū ramentis, quodnam uinum dandum esse, an hoc austerum lymphatum, an austerum meracius: capitis grauitas lymphatum dandum suadet, alui profluuium cum ramentis meracius. Respondemus hęc ad unguem consideranda sunt, & id eligendum quod magis urget. Et secundum hoc curatio fieri debet. Si alui profluuium magis urget, prębeto meracius: si capitis grauitas, dato dilutius. At si omnia sint paria quid agendum est? Respondemus dimittendum est hoc uinum, & ad alia transeundum medicamenta quę adstringentia erunt, & capiti non oberunt. Si uero supponamus hunc appetere uinum, & id habere velle, vt aliqui faciunt ceruicosi intemperantes: Respondemus huic impertetur, & plantaginis aqua diluatur, aut rosarum decocto, & plantaginis, aut balaustiarum decocto, vel myrtillorum, & similibus. Forte dices, capitis grauitatem profluuio cum intestinorum ramentis ęquiparari non posse, cum semper profluuium sit maius. Respondemus neque esse maius, neque periculosius, si talis sit grauitas quę breui futurum capitis abscessum minitetur.

Petes, quęnam sint ea corpora, quę per urinas expurgari est opus. Respondemus esse corpora, quę à nostri corporis humoribus deciduntur, & in vrina hypostasim faciunt. talia enim fiunt magis crassa à vino austero, & difficilius exeunt.

Secundo Galenus dubium quoddam in Hippocratem mouet, & soluit. ait vero, hęc de uinis locutum esse Hippocratem, & statim ad melicratum transiisse. In hoc autem loco in quo de uinis egit, omnia tractauit quę vino conueniebant. in vno autē diminutus videtur, quoniā de vino febrientibus conuenienti locutus non est. Est vero hoc vinum (ut de illo agam) album colore, substantia tenue, nullā habens qualitatē ex his quę in uinis reperiunt. nēpe neque austeritatē habet, ne-

que dulcedinem, neque acrimoniam, neque odorem, uerum huic soli vino datum est, ut tale confectum esset, quod & vini & aquę mala effugeret.

Sed petes an Hippocrates de omnibus locutus sit, quæ ad vinum spectant ablato aquoso? Respondemus non esse omnia quæ de vino dici poterant ab Hippocrate pertractata, imo multa desiderari (ut in nostro de uinis libello videre licet) tamē dici posset, ab ipso omnia illa esse pertractata, quę ad acutum morbum conueniebant. nam neque de vinorum ætatibus, neque de omnibus egit saporibus & odoribus, neque de omnibus coloribus, sed ex his quæ dixit, multa per proportionem colligi possunt, & ad uina deduci.

Galenus inquit vinum hoc album non habere odorem, sed experientia ostendit nostras vocatas albanas odorem habere, tamen multæ sunt albæ & tenues. Respondemus Galenū intelligere non habere odorem vinosum, non quencunque alium odorem.

At inquies & has albanas adstringentiam habere. Respondemus acerbitatem quandam habere. vnde & pro maiori parte adstringentiam habent: quæ acerbitas non tantum est ex vuæ genere quæ tale uinum gignat, quantum ex eo quod ex vuis acerbis exprimitur, sed de illo loquitur quod acerbitate caret.

Petes quomodo hoc album vinum, & aquæ & uini mala effugiat. Respondemus mala vini effugere, quoniam fumosum non est neque vaporosum: non calefacit caput, nec alia membra: aquæ mala non habet, quia non adeo frigidum est vt aqua.

Tertio Galenus notat oriri hæc alba tenuia in omni regione, ne quis diceret, non haberi in sua patria eiusmodi generis vina. propterea eis vti non posse quando est opus. Et regiones enumerat. In Italia est sabinum uinum, quod imbecillum est & febrientibus administrant. & adhuc nunc Romæ ęgris datur. In Asia adsunt vinum Titacazenum & tibicenum. verum si in omni regione hęc vina inuenire studeas, id facile efficies, si eorum notas intellexeris: dico autem in regionibus ubi vina & valde tenuia, & aquosa producuntur. Refertq; Galenus in quibus locis talia inuenerit vina, in quibus esse non deberent. Inuenit quidem illa in Cilicia, in Phœnicia, Palestine, Scyro & Creta. Imo refert se inuenisse tale vinum in oībus regionibus. Sed quod mirum Galeno videtur inuenit eiusmodi uina in Aegypto: nam in regionibus feruidis vina crassa gignuntur odora, & ualde fortia. verum in Italia & Bithynia & Asia multa producuntur aquosa. & id non est mirum.

De vino sabino Galenus in quinto de sanitate tuenda agit, & vinum elegit sabinum ad conficiendam compositionem ex melle & vino, & petroselino, & betonica, & saxiphago. Aliqui curiosiores addunt spicam nardi, alij addunt rutam, & exiguum piperis. Datur hoc vinum ita medicatum à Galeno, quando adest calculi suspicio in renibus, aut podagrę, aut alicuius morbi articularis. In libro etiam de cibis boni & mali succi vbi de uinis agit substantię tenuis & quę tuto bibuntur dum sunt recentia, inquit ex Italicis esse cauranum & Albanum, & ex sabinis ac Thuscis nonnulla, nam & si nunc pars illa quam Sabini occupabant in Italia describatur, antiquitus Italia totum erat, id spatium quod inter Varū & Lyrim interponitur, quamuis & illi non multum distarent, imo & in hoc spatio numerari possunt.

Titacazenum & Tibicenum Galenus in libro de cibis boni & mali succi tenuioris substantię facit, & addit Arsyinū omnia ex Asia, quę redduntur cito idonea vt bibantur, & recentia tuto ebibi possunt. tamen in hoc libro non dicit Tibicenum, sed Tibinum, uocátque Tibinum & sabinum exinanita: quę dicit tanto esse deteriora his quę leuiter adstringunt, quanto sunt aquis pręstantiora. Et in. 12. Methodi uina aquosę substantię enumerans, Adrianum refert, sabinum, Albanum, caurianum, & Neapolitanū aminęum. In Asia uero Tiberinum & Titacazenum, & tertium ab his Arsyinum. Et in quinto de sanitate tuenda. uina extera cum Italis comparans sabino & Adriano comparat Titacazenum & Ariusium, forte tibi mirum videbitur comparasse Galenum Ariusium sabino & Adriano, cum prius Ariusium inter calidiora totius Grecię uina numerauerit, & sabinum ac Adrianum inter minus calida. Arbitramur & Grecum & Latinum Galeni codicem esse mendosum, & legendum esse tam in gręco, q̄ in Latino codice, pro nomine Ariusium, Arsyinum, nam in libro de cibis boni & mali succi facit hoc tenue, sicuti & sabinum tenue est. tamen Greci omnes codices legunt Ariusium. nempe hoc modo scriptum est in gręcis omnibus quos uiderim codicibus, σαβίνῳ δὲ καὶ ἀδριανῷ, τιτακαζηνός τε καὶ ἀριούσιος ἐοίκασι, id est, sabino autem & Adriano, Titacazenum, & Ariusium similia sunt. Nos legendum putamus pro ἀριούσιος ἀρσύϊνος. Docétq; in hoc de sanitate tuenda loco Galenus, senes qui caput ualens non habent, illa bibere debere uina, sabinum, Adrianum, Titacazenum, & Ariusium. tamen Ariusium his non conuenit qui caput habent imbecillum, neque opus est senem caput habentem imbecillum de Ariusio bibere modice antiquato, sicuti neque de falerno, imo statim iubet dandum Ariusium senibus caput ualentius habentibus. primo enim dixerat danda esse illa uina scilicet non multum calida modice antiquata senibus, qui caput ualentius non habent. postea sequitur quibus autem adest, scilicet caput ualentius, ijs & falernum, & surrentinum, & Ariusium, & Lesbium & Mysium, & Tmolites idonea sunt. propterea & ex hac coniectura Arsyinum legendum esse arbitramur, & nō Ariusium, alioqui Ariusium vinum senioribus daret caput imbecillum habentibus, & caput habentibus robustum & ualens. Adde ex quarto de sanitate tuenda expresse colligi, dari debere Arsyinum, quia de uinis loquens his conuenientibus qui cruditates habent in primis uenis inquit. Quòd si crudos iam succos attenuatos speras, uinum dabis quod & substantia sit tenue, & colore fuluum album ue, hoc enim & ad succi bonitatem & cōcoctionem facit, illud urinam mouet. Sunt uero in Italia prioris generis falernum & surrentinum, posterioris sabinum, & Albanum & Adrianum: in Asia uero prioris generis Lesbium & Ariusium, secundi Titacazenum & Arsyinum. ut colligi possit non esse comparandum Ariusium quod est primi generis, cum Sabino & Adriano quę sunt secundi generis. Et Galenus ponit hęc secundi generis alba: Ariusium vero fuluum. Ex his quę prędicta sunt, uidetur Galenum totum orbem peragrasse, si in omni regione vina tal a inuenit, tenuia scilicet & aquosa. Respondemus, de omni regione intelligit q̄ circuiuerit, cum uero multas adiuerit prouincias, & diuersas caliditate, frigiditate, humiditate, ac siccitate, propterea de omnibus simpliciter iudicium facere potuit. Idem fassus est in libello de cibis boni & mali succi de his loquens tenuibus uinis, quale Titacazenum, Arsyinum, sabinum & similia. Et inquit, nanque ego vina huius generis apud omnes ferè nationes inueni. Verum non ita facile ea nouerunt externi duabus de causis, uel quòd non ita multum vspiam abundent, uel quòd longam non ferant nauigationem. proptereáque à mercatoribus in exteras vehi prouincias non possit. ueluti aliàs Ferrariensia vina Venetias ferri non poterant, quando totum Ferrariense solum ferè conuallis erat: nunc feruntur & in Britanniam, & in Flandriam, non poterat uero nauigationem ferre ob tenuitatem, quoniam ex maris concussione putrescebat. Eodem preterea loco Galenus docet quibus indicijs eiusmodi vina cognoscantur, primo, inquit tenuitate, deinde candore, quibus cum aqua potissimum quandam similitudinem habent. Gustu enim aquosum quidpiam sapiunt, nullásque adstringendi ualentiores uires habent, neque vberius dilui patiuntur. vnde à priscis medicis quod parum aquę ferant dicta sunt oligophora. Tamen sabinum ex Italia, & Tibinum ex Asia sunt adhuc tenuiora q̄ oligophora, quę leuem habent adstrictionem. Notáque hic dicere sabinum ex Italia, cum superius sabina ab Italis distinxerit. Sed fuit cum arctissime vocabulum Italia acciperet.

Nota

Nota in calidissimis regionibus ut est Aegyptus, uina esse crassa, & odorata & ualde fortia, quoniam pauca adest humiditas & aquositas quę à terra trahatur, & in uuam ingrediatur, sicuti est in locis palustribus. unde ex humidę substantię ac tenuis defectu uinum fit crassum. fit forte quia siccitatem contrahit, & ex siccitate odorem contrahit. Tamen quia aliqua Aegypti pars paludes habet & loca aquosiora. propterea illis in locis talia nascuntur uina tenuia aquosa, & alba.

Inquit, non esse mirum si in Italia, Asia, & Bithynia multa vina aquosa inueniantur, ac si ponat Asiam, Italiam, & Bithyniā eiusdem esse qualitatis. Tamen Hippocrates in libro de aere, aquis, & locis, docēs cur Asiani, Europæis sint timidiores, effœminatiores, ac imbelles, & moribus sint mansuetiores, inquit. Tempora ipsa anni in causa sunt, quæ non magnas permutationes faciunt, neque caloris, neque frigoris, sed semper æqualia permanēt: igitur diuersa erunt Asia & Italia. Respōdemus, in aliquibus prorsus esse diuersa: in hoc autem conuenire, ut in Asia multæ reperiantur partes quę sunt humidiores, in quibus tenuia & aquosa nascuntur vina: ita in Italia inueniuntur, & in Bithynia: quoniam & si vna in parte sit tēperata Asia, in omnibus tamen temperiem non habet.

Petes uero quænam sint Bithyna uina. Respondemus. Galenus in quinto de sanitate tuenda, ubi docet nullum uinum esse aptum senioribus ex his quæ in uentre morantur, quæ sint eius merans inquit, ut amingum à Bithynia, quod dicit esse album. Et in libello de cibis boni & mali succi, cum de ciborum mutationibus in uinis agit inquit album quoque quale est Bithynum aminæum quod ubi inueterauerit, Romani cęcubum uocant, cuiusmodi fuerit generis haud planè agnoscas, habet enim amaritiem quandam, qua potui minus idoneum redditur. Id tamen caupones cum recentioribus vinis miscent, & pro uetustis uendunt, atque ita nonnullos fallunt, qui in degustandis uinis non omnem notitiam habent. Sed merito hic ambiges cum Galenus in quinto de sanitate tuenda prius dixerit aminæa in Italia nasci & circa Neapolim & in Thuscia, & in libello de cibis boni & mali succi ait, amingum quoque quod in colle nascitur qui Neapoli imminet, & in. 12. Methodi, ubi de uinis agit aquosis, inter ipsa numerat Neapolitanum amineum, quod scilicet in locis Neapoli uicinis gignitur. Nos igitur dicamus aminæum uinum ex aminex uius uua confectum esse. Aminęa autem uua dicta est ab aminæis populis. nam Aristoteles in politicis inquit aminęos Thessalię populos suæ regionis uites in Italiam transmisisse. Et plures habent species, unde Plinius libro 14. capite. 2. de uitibus agens, celeberrimis ait principatus datur aminæis propter firmitatem, senióque proficientem uini eius ubique uitam. Quinque eius genera, ex ijs germana minor acino, melius deflorescit, imbres tempestatésque tolerat. Capite uero. 4. de maioribus aminæis mentionem facit, &. 3. capite de aminæa nigra, cui syriacæ nomen imponunt. Ex quo maximus Seruij error detegitur in secundo Georgicorum, vbi Virgilius inquit,

Sunt & aminex uites firmissima uina:

Seruius inquit, Virgilium dixisse aminæas, quia albæ sint, quasi sine minio hoc est sine rubore. Et profecto Galenus testatur esse alba hæc aminęa uina, tamen cum sint & nigra, non potuere dici aminæa quasi sine minio. Cum ergo tot sint species, nō mirum si ex Bithynia aminæum proueniat, & ex monte Neapolitano. Et etiam si vnum sit nigrum & aliud album, tamen aminæa dici possunt, imo ex regionum diuersitate poterunt esse aquosiora & minus aquosa. Reperitur & in hoc aminæo vino alia apud authores difficultas, quoniam Macrobius inquit aminæos fuisse ubi nunc falernus ager. vnde aminæum & falernum simul confundit. Tamen Virgilius falernum ab aminæo distinguit, & primo non uult rhetia certare cum falernis, postea aminęarum uitium mentionem facit. Arbitramur & id dici oportere unum solum uitium aminæarū genus esse, quod uinum aquosum faciat, & hoc esse album: tamen & adesse genus nigrum constat, quod & ipsum oligophorum, id est pauciferum esse potest, hoc est paucam ferens aquam. Columella uero ponit solū album aminæum. De aminæa uite libro. 3. capite secundo agit, & capite. xi. vbi modum docet conficiendi aminæas uites feraciores. An uero aminæum uinum falernum sit, profecto aliud est, & à Macrobio dissentiendum est, cum falerna nigra sint (quāquam & aliqua in eo loco nascantur alba) aminæa vero pro maiori parte alba, licet & nonnulla nigra sit, quam syriacam uocari Plinius dicit, sed in proposito & ipse de albis solum loquitur aquosis.

Vnum præterea est non dissimulandum cum ad Galenum spectet: ipse nanque dicit (ut superius attulimus) album quoque quale est Bithynum aminæum, quod ubi inueterauerit, Romani cæcubum uocant. Galenus ex his ostendit cæcubum uinum ex inueterato fieri aminæo. Sed hoc apud authores non constat. nam Plinius libro. 14. capite. 6. inquit: antea cæcubo erat generositas celeberrima in palustribus populetis, sinu amyclano, quod iam intercidit & iniuria coloni, locique angustia. Vnde & libro. 23. capite primo inquit cæcubum iam non gignitur. tamen aminæum gignebatur. Et capite. 4. libri. 14. palam ostendit cæcubum esse locum ubi nascitur, cum inquit digna opera quæ in cæcubis, setinísque agris proficeret. Dicerem mendosum esse Galeni codicem, & legi oportere amyclanum, nisi Galenus dixisset Bithynum aminæum. Illa etenim particula Bithynum impedit ne legi possit amyclanum. Adde non esse cæcubum ex aliquo inueterato uino, sed ab ortu simpliciter cæcubum dicitur, à loco in amyclano sinu, ut Plinius inquit, tamen non mirum si Galenus hac in re, quę extra eius patriam erat in nominibus erraret, & in aliqua vinorum differentia.

Quarto dubium mouet Galenus in principio expositionis tertię partis tactum, & soluit. Quispiam quęret cur Hippocrates in pręcedente sententia de his uinis peculiarem pręterm sit sermonem, pręsertim cum eiusmodi uina febrientibus exhiberi possint, & ipsis nihil sit iocundius, quàm uina bibere, & hæc quæ non præ se ferunt caliditatem aliquam. nonnulli erant qui dicebant Hippocratem id uini genus ignorasse, propterea de eo non esse locutum. Sed Galenus notat etiam si quis petat vt ipse fecit, tamen per illam rationem ansa non habetur dicendi Hippocratem id uini genus ignorasse. Et si quis id dicere uoluerit id à Galeno dici non posse ostenditur, quoniam Hippocrates deinceps sectione, 19. huius uini mentionem faciet, & illi mulsam comparabit. nam inquiet: cęterum vino albo tenui & paucifero & inodoro, quodammodo fortius est, & quodam modo infirmius. Ex his uerbis, uino albo, tenui & paucifero, id est parum aquę ferenti & inodoro, deprehenditur hoc vinum cognouisse Hippocratem. Si uero petes cur pręterm iserit, Galenus respondet: cum perspicue & exacte vini vinosi notas edocuerit, & cum percurrerit caput & mentem tentare ex his existimauit factam esse sufficientem de aquoso sibi contrario doctrinam: quoniam imaginari possumus huic uino aquoso inesse contraria quàm uinoso insunt: nam neque caput, neque mentem tentat, neque aliud ex his facit, quę à uino uinoso fiunt, imo oppositum facit, ad urinę uias tendit, & ad partes infernas.

Inquies, uerum non esse, hęc aquosa uina, quàm cętera omnia esse ęgris iocundiora, primo quia nonnulli uinum gustare non possunt, sed illis amarescit dum febricitant. hos dici non potest uinum supra omnia appetere, cum illud respuant, & solum expetant aquam. Adde alios esse quibus vinum vinosum magis arridet, idque desiderant: his etiam non est hoc vinum supra omnia iocundius. Respondemus uel hunc esse illius propositionis sensum, ut nihil sit iocundius vino his qui gustare possunt, & ad aquosum haud se determinare, uel quod se determinet ad aquosum, & omnibus rebus quę dari possunt iocundius sit, & omnibus alijs potibus qui possunt exhiberi. Illi etiam qui uinum meracius appetunt, optant potius uinum hoc tenue, quàm quodcunque aliud potus genus quod vinum non sit.

Hippocrates. Sectio IX.

Melicratum, id est, mulsa per totum morbum in acutis epota parte plurima tum picrocholis, tum his quibus tumefacta sunt viscera (μεγαλοσπλάγχνους vocant) minus ꝙ non huiusmodi est idonea.

BRASAVOLVS. Cum de vino Hippocrates egerit, vt acutorum morborum notioni satis est, iam ad secundũ accedit, quod sibi pertractandum proposuerat. hoc autem erat melicratum, id est mulsa, uel aqua mulsa. verum priusquam ad ea quæ ab Hippocrate dicuntur exponenda descendamus, ab re non erit, eius compositionem in mediũ afferre: vt ea cognita, facilius, quæ ab Hippocrate dicuntur, assequamur.

De melicrato, id est aqua mulsa.

Apud Galenum & antiquiores authores multæ reperiuntur ex melle, vino, & aqua factæ compositiones. ex vino duæ simplicissimæ constant, vna dicta οἶνος μελιτίτης, id est, uinũ melitite, & οἰνόμελι, id est, mulsum. fit mulsum Dioscoride teste, duobus uini cadis, vno mellis plerunque misto. Quidam ut celerius ad vsum absoluant mel cum vino decoquunt, sicq́ in vasa alia diffundunt. Alij etiam impendio consulentes feruentis per vindemiam musti sextarijs duobus mellis vnũ miscentes postquam deferbuit, in dolia diffundunt, mulsúmque hoc dulce perseuerat. Vinum vero melitite fit Dioscoride teste, ex congijs uini austeri musti quinque, mellis congio, & salis cyatho vno additis. Et in hoc differt à mulso, quoniam mulsum sal non recipit, neque fit ex musto. Tamen vnus est in Dioscoride scrupus, qui dicit mulsum à melitite uino differre, quod mulsum ex austero & uetere uino, exiguóque melle conficitur, melitite uero in quinque austeri musti congios mellis congio, & salis cyatho vno additis. tamen si rem considerem, mel quod mulsum ingreditur multo plus est, quàm quod ingreditur uinum melitite, cum in uino melitite sit vnus mellis congius, & quinque musti. At mulsum fit ex duobus vini cadis, & vno mellis. Itaque conficit Plinius suum melitite. propterea arbitramur Dioscoridis contextum esse deprauatum, & ubi legitur ὀλίγου μέλιτος, id est, exiguo melle, legendum sit πολλοῦ μέλιτος, id est multo melle. Constantinus Cæsar libro octauo cap. 24. & 25. de uini mulsi conditura agit, & de œnomelite ex musto, de primo inquit, mel atticum in cacabum testaceum inditum ad calidum cinerem ponito, quo spuma sursum feratur. & ubi iam calefactum est mel, ad sextarium mellis, uini sextarios quatuor addito. atque deinde ipsum vinum mulsum in probe picata uasa condito. & costi scrup. xij. contusos, & linteolo illigatos, in uinum mulsum suspendito, additóque operculo in secundæ contignationis cœnaculo reponito. Quidam folij malabatri scrup. xij. œnomeliti commiscent, & post dies. 15. præter expectationem reperiunt. Inueterato autem nihil comparari meretur. Alij œnomeli sic faciunt. Myrrhæ scrup. vj. casiæ scrup. xij. costi scrup. xij. Nardi scrup. iiij. piperis scrup. iiij. mellis attici sextarios. vj. uini sextarios. xxiiij. commiscẽt. & exponunt ad solem sub caniculæ ortum ad dies quadraginta & hoc nectar uocant. Est compositio hæc Constantini, & non simplex uinum mulsum. Sequitur deinceps de œnomeli ex musto, inquiens, collocato & deponito mustum usque quo constiterit & sedatum fuerit ad dimidiam partem, & ad decem sextarios mellis attici sextarium unum ammisceto, & in dolium fundito, gypsoque oblinito, & in umbram deponito. At uero, quod cognitum esse expedit, œnomeli de musto flatuosum est, & stomacho incongruum, ueneri autẽ aptũ, hæc Constantini omnino diuersa sunt ab his quæ ex Dioscoride adduximus, sed ad melitite uinum redeuntes, non erat Plinij tempore in usu, quamuis eius compositionem retulerit libro. 14. capite. 9. in præsentiarum neque mulso neq; uino melitite utimur, imo in similibus compositionibus melle non utimur. fit à nostris pharmacopolis ex optimo uino, zuccaro, & cinamomo potio, & nonnunquam etiam absque cinamomo, quam uocant claream, & Hippocratem. hæc est potio longe suauior, quàm fuerint illæ antiquorum potiones, & noxis carent mulsi, & uini melititis, uerum de his uinis discurrere non est opus, neque quomodo conficerentur, referre, & quot modis ab antiquis. Sed si quis sit curiosus, Plinium legat, & alios probos authores. Nos ad mulsam aquam descendemus: quæ ab aliquibus & ipsa melicratum, id est, mulsa, ab alijs hydromeli, id est aqua mellita dicitur. Vnde apud antiquos duo hæc nomina reperiuntur hydromeli, & melicratum, ita confusa ut nonnunquam ueluti distincta accipi uideantur, nonnunquam ac si idem significent, accipiuntur: neq; istud mirum, cũ utrumque ex aqua & melle constet. Dioscorides melicratum, id est mulsam fieri dicit ex una mellis mensura, & duabus aquę cœlestis, mistis ac insolatis. Notat uero quosdam uocare hydromeli mulsam illam, quæ maiore apparatu est confecta. Tamẽ inquit non deesse qui hydromeli uocant mulsam aquam, quæ locis aquæ fauis confecta, & seruatá fuerit, de qua postea agemus. Apud Plinium hydromeli, & aqua mulsa uaria uidentur: nam libro. 14. capite. 17. de hydromelite agit, libro autem. 22. capite. 24. de aqua mulsa pertractat tanquam de re ab hydromelite distincta. Columella, Palladius hæc referre uidentur ac si unum sint: nam Palladius in mense Augusti, uel in Iulij fine de hydromelite peragit: Columella libro. 12. capite. 12. de aqua mulsa. verum ut ad ipsas compositiones descendamus, de hydromelite præcitato loco Plinius inquit. fit uinum & ex aqua & melle tantũ, quinquennio ad hoc seruari cœlestem iubent, aliqui prudentiores statim ad tertias partes decoquunt, & tertiam mellis ueteris adijciunt, deinde quadraginta diebus canis ortu in sole habent, alij diffusa ita decimo die obturant. hoc uocatur hydromeli. Et quia dixerat, uinum fieri ex aqua & melle, ne quis de hoc admiretur, addit & uetustate saporem uini assequitur, ac si dicat, fieri uinum dixi, hoc est liquorem qui uetustate uini saporem contrahit. propterea uinum uocari potest, tamen uinum non est. Constantinus Cęsar libro. 9. de Agricultura cap. 27. & si in compositione à Plinio differat, tamen & ipse aquam pluuialem recipit & inueteratam. nam inquit: aquam pluuialem ueterem, aut aliam ad tertias decoctam accipito, & mellis quod satis est ammisceto, & in uas coniecta in umbram ad dies decem deponito, foramine relicto ad perspirationẽ. Palladius in fine mensis Iulij pluuialem aquam nõ accipit, sed pro hydromelitis cõfectione inquit, inchoantibus diebus canicularibus aquam puram pridie sumis ex fonte, in tribus aquę sextarijs unum sextarium non dispumati mellis admisces, ac diligenter per catenarias diuisum quinque horarum spatio continuo per inuestes pueros curabis agitare uasa ipsa concutiens. tunc quadraginta diebus ac noctibus patiens esse sub cœlo. Columella uero nõ uocat hydromeli, sed aquam mulsam libro. 12. capite. 12. quã facit ex aqua pluuiali inueterata, ut aquã mulsam uocet quod alij hydromeli nuncuparunt. Inquit enim per se faciẽdam esse ex optimo melle aquam mulsam. hæc autem non uno modo componitur, nam quidam multos ante annos cœlestem aquã uasis includunt, & sub dio in sole habent, deinde cum sępius eã in alia uasa transfuderint & eliquauerint (nam quoties eã per longum tempus diffunditur aliquod crassamentum in imo simile feci reperitur) ueteris aquæ sextariũ cũ libra mellis ammiscent. Prius uero. xj. capite compositionem illam hydromelitis Dioscoridis ex fauis & aqua edocuerat. Verum columella per suam aquam mulsam nihil aliud uoluisse uidetur, quàm hydromeli à Plinio uocatum, quamuis compositione differant. Et Plinius libro. 31. capite. 6. inquit hydromeli quoque ex imbre cum melle temperabatur quondam, quod daretur appetentibus uinum ægris ueluti innocentiore potu: damnatum iam multis annis ijsdem vitijs, quibus vinum, nec ijsdem utilitatibus. Idem Plinius libro. 22. capite. 14. de aqua mulsa agit

ueluti

ueluti de re ab hydromelite distincta. Inquit enim in mellis operibus, & aqua mulsa tractari debēt duo eius genera subitę ac recentis, alterum inueteratę, ut illa met sub his duobus sit generibus. nam primo est recens, postea ueterascit, & ad diuersa ualet cum est recens & cum est inueterata, ut ex Plinio eodem citato loco colligi potest. Sunt ergo apud Plinium diuersa hydromeli & aqua mulsa, apud alios non diuersa: quāquam dici posset apud Plinium non esse diuersa, quoniam & si vno in loco de hydromelite loquatur, & in alio de mulsa. tamen lib. 14. cap. 17. modum conficiendi hydromeli docet, neque ostendit ad quæ valeat, & quibus succurrat affectibus. vt supponere uideatur, notam esse mulsæ aquæ confectionem in hydromelite, & notos esse hydromelitis effectus in aqua mulsa. Et in hydromelite inquit fieri vinum ex aqua & melle, postea addit, hoc uocari hydromeli, & uetustate saporem uini assequi. Et de aqua mulsa dicit, longa tamen uetustate transit in uinum, vt hoc indicium sit, pro eodem habuisse hydromeli, & aquam mulsam, redditúrque sibi concors cum inquit longa uetustate transire in uinum, hoc est in uini saporem, & cum dicebat fieri uinum, intellige id fieri quod uini saporem habet. Imo de hydromelite ait libro. 31. capite. 6. hydromeli quoque ex imbre puro cum melle temperabatur quondam. quibus verbis ostenditur, quondam habere cum uino similitudinem, quia uinum appetentibus datur, ueluti potu innocentiore ac si dicat datur hoc quod uini saporem habet, & ut potus minus nocens quamuis non sit. vnde sequitur, damnatum iam multis annis ijsdem uitijs quibus vinum, nec ijsdem utilitatibus. Idem igitur erunt apud Græcos hydromeli & melicratum, & apud Latinos aqua mulsa & aqua mellis.

Tamen putamus antiquiores rem quandam diuersam fecisse, q̄ illa sit, qua nunc utimur pro aqua mulsa & aqua mellis. Ipsi etenim ex aqua pluuiali seruata & inueterata, uel ex fontana egregie decocta hæc conficiebant, & per longum tempus seruabant. Nunc uero quotidie fit ex aqua fontana. Et simul mel ebullit cum aqua. quomodo autem confici debeat hæc mulsa, qua in ægritudinibus vti debemus, post hæc secundum Galenū edocebimus. In primis uero quid recentes senserint de aqua mellis, & Arabes, pertractemus: nam & hi non sunt prorsus despiciendi.

Mesue in sermone in aqua mellis duplicem refert compositionem, unam simplicem ex aqua tantum & melle, alteram cōpositam ex alijs præter aquam & mel. De simplici quę ad rem facit, inquit confici ex mellis boni parte una, aquæ fontis partibus octo. Coquatur expumando, & percoletur. Rasis in. 9. ad Almansorem eodem ferè modo conficere docet hydromeli. Auicenna & ipse in quinto canone duas refert aquæ mellis descriptiones, compositam unam, alteram simplicem. simplex fit ex una mellis parte, & duabus aquæ, decoquantur lento igne, & continuo spuma auferatur. fecit & eodem loco Auicenna syrupum secundum de fauis mellis, qui idem ferè est cum prædicta mellis aqua: nam duas recipit aquæ pluuialis antiquę partes & unam mellis. hanc uero compositionem serapio hydromeli uocauit. Recentes multas faciunt huius compositionis differentias, tam diuersas in pondere ut ipsi sunt diuersi, sed nos antiquorum medicorum compositiones sectemur.

Dioscorides duas habet compositiones, una est, quam Auicenna accepit, ex una mellis parte, & duabus aquæ pluuialis ueteris, quæ simul misceantur, & insolentur. Altera compositio, quidam ex fonte aquam miscent, & ad tertias bullire faciunt, ut gratia exēpli, accipiunt aquæ fontis libras duas, mellis libram unam. Misce, & bulliant ad consumptionem unius partis, sed nimis mellita est huiusmodi mulsa, de perfecta uero secundum Galenum postea dissleremus.

Paulus Aegineta libro primo cap. 96. aquam mulsam ita conficiendam monet. Octuplum aquæ melli miscetur, & sic quoad nihil amplius spumæ ejciat, decoquitur. Oportet autem spumam simul ac primum exoritur, identidem tollere.

Sed ut rem hanc absolutius tractemus, ac denique finiamus, reperitur apud Galenum triplex huius mulsæ confectio. Nam in. 9. Methodi, ubi de his agit, quæ detergunt, hos tres innuit modos, mulsa aquosa, mulsa mediocris misturæ, mulsa meracissima. Ibi detergentium ordinem ponit hoc modo farina erui hordei, fabarum moderatissime detergunt, & etiam mulsa aquosa, in secundo detergendi ordine sunt, iris, Radix panacis, & Aristolochia, & mulsa quæ mediocri sit mistura. Adhuc magis abstergit meracissima mulsa. Si uero petas quomodo conficiatur, & qua mensura mellis & aquæ: Respondemus, hic Galenum ostendere quomodo fiat meracissima, inquiens, fit hæc ubi mista melli exigua est aqua, sic ut liquatum mel exiguos cutis meatus facile ingredi possit. ut meracissimam esse deprehendas, quando adest in melle tanta aquæ copia, ut mel discurrere possit, & ad insensibiles penetrare meatus. uerum quia mellis genera diuersa sunt in crassitie & tenuitate, in glutinositate & mollitie, propterea certa ratio mellis & aquæ dari non potest. Sed hoc tantum præbet documentum, ut qui receperit, errare non possit, quando mel tantum receperit aquæ ut penetrare possit & non amplius, tunc est mulsa meracissima. Eo aūt loco non docet Galenus quando sit mulsa mediocris. Arbitramur compositionem illam ex octo aquæ partibus & una mellis, quam refert Paulus esse mulsam mediocrem: quanquam nonnulli putarint illam esse mediocrem, quæ duas aquæ recipit partes & unam mellis, ut Dioscorides inquit, & illam esse aquosam quæ octo aquæ partes recipit & unam mellis. uerum illa quæ ex duabus aquæ partibus constat & vna mellis, non potest esse mediocris. Videtur posse accipi confectio mulsæ aquæ ex quarto de sanitate tuenda, ubi Galenus docet quomodo oxymeli conficiatur. Et iubet primo mulsam esse conficiendam, ex qua deinde cum aceto fiat oxymeli. Et accipit melli quadruplum optimæ aquæ, deinde coqui iubet modico igne quoad spumare desinat. Et quamuis hic non dicat mulsam aquam ita fieri pro oxymelite, tamen alijs docet oxymeli fieri ex mulsa aqua & aceto, ut & in hoc tertio de uictus ratione in acutis. hæcq; dici poterit mulsa mediocris. Sed ut negotium hoc in Galeni dogmate explicemus, illa est meracissima quæ quàm minimum accipit aquæ, tantum inquam, quantum penetrare possit. Ex opposito illa erit aquosa, quæ tantum aquæ accipiet ut mel uix sentiatur. Mediocris autem uarios habebit gradus, ut magis & minus ad aquosam, & meracissimam accedit. Colligitur ex Hippocrate hæc mulsæ distinctio in hoc tertio de ratione uictus in morbis acutis sectione. 13. ubi duorum extremorum mentionem facit, ex quibus & medium colligitur. Inquit enim mulsa quæ dilutior est sputum magis educit, pulmonémque lenit: meracior uero, spumosa excrementa. vbi & dilutioris & meracioris mentionem fecisse deprehenditur. ex quibus uir ingenio sagax mediocrem excipere poterit. vnde meracior multum habet mellis, parum aquæ dilutior parum mellis, multum aquæ: mediocris multos habet gradus. Ad rem uero redeuntes, Aquosa fiet ex vna mellis uncia, & octo aquæ libris, quæ in phiala uitreata simul decoquantur lento igne quoad tota spuma sit ablata. hæc aquosa est. Meracior ex duabus fit libris mellis, & vna aquæ, ebulliant ad spumæ ablationem. Mediocris infinitos (ut ita dicam) habet gradus, tamen unus est modus qui apud antiquos in usu erat, ex octo aquę partibus, & una mellis, semper ad spumę ablationem decoquendo, quamuis (ut deinceps ostendetur) fecerint & mulsam aquam absque coctura. Hęc sunt quę de melicrato, id est, aqua mulsa erant dicenda, quam putamus illam non esse ab antiquis confectam, & inueteratam, ut uini saporem contraheret, sed hanc esse medicam quę in dies fit, & cui nonnunquam herbæ & pulueres in decoctione adduntur, ut in mulsa quę his datur, qui uel epilepsiam uel apoplexiam timent, saluia additur, uel stœcas, uel ibiga.

Ad Hippocratem redeuntes, inquit in hac sententia, mulsam aquam epotam in acutis, in omni morbi parte ut plurimum picrocholis, & his qui uiscera habent tumefacta minus ido-

neam esse, quàm alijs, qui nec picrocholi sunt, nec uiscera habent tumefacta, sed potius sunt pituitosi, & in suo naturali statu uiscera habent.

μελίκρητον δὲ πινόμενον διὰ πάσης τῆς νόσου ἐν τῇσιν ὀξείῃσι νούσοισι, id est, Aqua mulsa uero epota per totum morbũ in acutis morbis. Vt sensus sit in acutis morbis mulsa aqua epota in quacunque sit morbi parte. Sunt enim nonnulli morbi, in quibus ptisanam dare conuenit, alij in quibus ptisanę cremorem, alij in quibus neque ptisanam, neque eius cremorem, sed tantum melicratum. de his agit Hippocrates, & intelligit qui in toto morbi decursu melicrato uti debent.

Sed ambiges nõ videri in toto morbi decursu perpetuum esse posse mulsæ vsum, quoniam ut in secundo libro sectione. 14. à Galeno dicebatur, quatuor sunt corporis conditiones, secundum quas fit victus variatio: prima est sanitas, secunda à morbi initio ad statum. Tertia ad perfectam vsque declinationem, quarta quæ totius cõualescentiæ tempus ad vsque sanitatis habitum occupat. Verum in tota ægritudine sunt tres saltem mutationes, igitur dici non poterit, idem victus genus seruari in toto morbo, & semper dare melicratum. Respondemus in ægritudinibus rationem victus mutare dupliciter cõtingit, vno modo, secundum victus speciem, alio modo secũdum molem & quantitatem eius quod exhibetur in victu: secundum victus speciem est, si ptisanam mutaueris in mulsam, & mulsam in aquam: secundum victus molem est, si cibus non varietur, sed qualitas solum eiusdem cibi, vt si mulsa in minori copia nunc detur, postea in maiori. Illa quæ à Galeno dicuntur in. 44. secũdi libri sectione in diuersa victus specie intelligenda sunt, nam secundum illa quatuor tempora & quatuor conditiones varij victus in specie tribuuntur. hic vero in vno solo intelligit morbo acuto, qui breui terminari debet, in quo victus ratio erit tantum secundum quantitatem immutanda, & nõ secundum species diuersas: quia in illo morbo, in quo ratio victus debet esse ptisana, cibi genus non est immutandũ, sed plus & minus profecto dandum. Eodem pacto in illo morbo, in quo victus ratio debet esse mulsa, fit variatio secundum molem, sed non secundum qualitatem, nam in principio plus datur de mulsa, in augmento minuitur paulatim incedendo, quousque ad consistentiam peruenerimus, in consistentia nihil penitus datur, in declinatione augetur. Itaque uides solum mutationẽ fieri quo ad quantitatem, & non quo ad speciem. quod hic ab Hippocrate dicitur intelligendum est per totum morbum, in quo conueniat mulsa, dandum esse mulsam, tamen non it inficias quantitatem variandam. In secundo vero libro, de victus mutatione secundum speciem intelligebat, quæ in diuersis fiebat statibus.

Forte quorundam argumento vteris, quod tale est, morbi tempora, quæ sunt principium, augmentum, status, & inclinatio inter se multum distant: igitur victus ratio in his tẽporibus multum distare debet. Sed non multum distabit nisi distet per rationem victus secundum speciem, igitur his temporibus diuersa uictus ratio secundum speciem pręberi debet. Respõdemus diuersam profecto esse debere victus rationem, tamen necessarium non est diuersam esse secundum speciem, sed plane erit diuersa secundum quantitatem, quod ad nigram distantiam satis est. hæcq; vera sunt in acutis morbis qui breui finiunt: nam in diuturnioribus & victus ratio secundum speciem mutatur, quoniam in principio vnum victus genus præbetur, in augmẽto aliud, & in alijs temporibus aliud.

Forte ambiges mulsam aquam non conuenire in acutis morbis, quoniam ex melle fit, quod est naturæ calidioris, & quod ex sua dulcedine facile in bilem conuertitur. Est vero morbus acutus ex bile, cui hic mulsam dare uidetur, vnde ex melle febris materia augebitur, itaque febrientis caliditas intendetur: imo Galenus ipse in. xj. Methodi inquit noxiam esse mulsam quatenus calorem febris adauget. Respondemus, si Galenum præcitato consideremus loco, hanc dubitationem ita dissoluit inquiens: Nam aqua mulsa quod ad crassos succos extenuandos, & glutinosos detergendos, & excretionem promouendã attinet, optimum planè medicamen fuerit in his synochis, quos halitus coarctatior, & putredo excitarunt: quatenus vero calorem febris adauget, est noxia, adeo si hic immodicus sit, parcendum aquæ mulsæ est, vtendúmque ptisanę cremore. Vt ex his colligi possit verbis, si mulsa ad humores morbum faciẽtes cõparetur, ratione qua illos attenuat, conuenire: si vero ad febris calorem comparetur non conuenire. Vnde si febrilem calorẽ uehementem esse deprehendas, mulsam ne exhibeto, si non sit adeo vehemens exhibere potes, potissimum quoniam & aliquid addit ad vires. vel dicamus cum adsit diluta mulsa & meracior, & mediocris, acutis febribus diluta dari debet. & de hac Hippocrates hic intelligit dari debere, Galenus vero in. xj. Methodi meraciorem mulsam, vel mediocrem dari prohibet, quãdo calor fuerit vehemens. Scitóque in morbis dari qui cito terminantur & qui quintum diem non transeunt, quãuis Hippocrates in secundo libro nonnullos in septimam & in nonam absque cibo perduxerit diem. Sed illud erat Hippocratis tempore: nã in præsentiarũ quartũ diẽ pertransire nõ possunt, saltem multi. Id dico quoniam quẽdam vidimus in spatio vndecim dierum nihil comedisse.

τὸ ἐπίπαν μὲν τοῖς πικροχόλοισι μεγαλοσπλάγχνοισιν ἧσσον ἐπιτήδειον ἢ τοῖσι μὴ τοιούτοισι, id est, omnino quidem picrocholis, & habentibus viscera tumefacta minus idonea est q̃ his qui non sunt tales. Duo sunt quibus minus conuenit mulsa q̃ alijs, picrocholi, & tumida habentes viscera.

De picrocholis libro secũdo vbertim dictum est, hi enim sunt, quibus bilis abundat in uentriculo, & si natura pituitosi sint, quãuis & picrocholi toto corpore intelligi possint, sed petes cur ab Hippocrate potius dictum non sit minus cõuenire temperaturam habentibus calidam & siccam, q̃ dicere picrocholis. Respondemus id facit vt amplius loqueretur, & non adeo contracte. Nam vniuersalius est dicere picrocholum, q̃ esse tẽperaturæ calidæ & siccæ, quoniam & multi pituitosi qui sunt frigidi & humidi sunt picrocholi, vt in secundo libro patuit, potéstque ex abstinentia quispiam, uel nimio labore, vel ex esu ciborum quorundam bile abundare: tamen si esset dilutissima mulsa, nihil impediret & picrocholis præberi posse.

Sed petes an mulsa in alijs simpliciter conueniat, à picrocholis, nam pituitæ, sanguini, & atrę bili conferre videtur. Respondemus de pituita quæ attenuatione indiget & incisione nulli dubium est, nam omnes fatentur mulsam in tali casu conuenire: sed difficultas videbitur in sanguine abundantibus, & atra bile, quantum sit de ægro aliquo qui sanguine abundet, cũ sanguis mediam quãdam habeat inter pituitam ac bilem naturã: nempe non est calidus vt bilis, neque frigidus vt pituita. propterea sicuti pituitæ conuenit & non bili, ita in mediocritate quadam sanguini conuenit. De atra vero bile loquentes, cum duplex sit eius genus vnum naturale: aliud factum ex aliorum humorum adustione, dicimus, si sit atrabilis, ex bilis adustione, vel ex sanguinis adustione, non competit hanc habentibus dare mulsam: si vero sit ex adustione pituitę, competit: & si sit naturalis atra bilis, competit. nam quicquid habet mali hæc atra bilis ab aqua mulsa corrigitur. tamen vt magis vel minus diluta omnibus conuenire potest.

Scito aliquos esse viscera magna naturaliter habentes, sed hic intelligit Hippocrates per μεγαλοσπλάγχνους, uiscera habentes tumida. Cum vero sint tumida, sunt ab aliqua materia obstrusa, unde mulsa pertransire non potest. Itaque commorata bilescit, & febres accendit, vel iam accensas auget. per uiscera autem iecur potissimum intellige, & partes per quas transit hæc mulsa.

Cum omnes mulsam aquam abstergere fateantur & emundare, quod & Galenus. 8. Methodi testatur, cum docet aquosam detergere moderatissime, mediocrem mediocriter, meracissimam adhuc magis. Ambigere poteris, quoniam omnia detergentia magnis conueniunt visceribus. nam magna viscera abscessus patiuntur, abscessibus vero detergentia cõueniunt, imo

Galenus

Galenus deinceps sectione. 12. vbi edocebit quid per μεγαλοσπλάγχνους intelligendum sit, inquit, neque enim propter scirrhum vel oedema febris incenditur, ergo quod in acutis morbis de quibus agit Hippocrates, ubi tumor in visceribus fuerit phlegmones symptoma sit, non oedematis uel scirrhi constat omnibus. hos autem nunc μεγαλοσπλάγχνους appellauit, quasi uiscerosos dixeris. Galenus igitur velle videtur hos habere phlegmonem, unde abstersione indigent, & detersione, propterea illis conueniet aqua mulsa quę abstergit. Respondemus mulsam aquam profecto visceribus conuenire abscessus habentibus detergendi gratia, & aperiendi. tamen quia in ipsis tā diu moratur, ut prius in bilem conuertatur, quàm hoc faciat, propterea non est exhibenda: si uero opus suum exercere posset, antequam in bilem conuerteretur nihil illam præbere impediret. vnde Galenus in. xj. Methodi, inquit ad ventriculum vero & iecur & lienem, si quando phlegmone sint vexata, nec mulsa ipsa est vtilis, quoniam illico in bilem transeat, ac viscerum phlegmones augeat. In extrinsecis vero vlceribus aqua mulsa conuenit. Nam Galenus in secundo de arte curatiua ad Glauconem, ubi de sinu loquitur inquit, se esse vsum antequam medicamentum imponat, aliquando vino solo, aliquando vino mulso sinum abluere. Nam ad abstergendum, & ad expurgandum circunstantes humores uitiatos melicratum est melius, sed ad conglutinandum uinum est melius & efficacius.

Scito tamen hoc in loco μεγαλοσπλάγχνους uocasse Hippocratem, & scirrhum habentes, & oedema & phlegmonem. neque idem intelligit quod in. 12. commentatione huius libri solos habentes phlegmonem: nam tunc id intelligere erit opus.

### GALENUS.

Oratio hæc, Per totum morbum, ostendit Hippocratem de his intelligere morbis, in quibus cremorem exhibere idoneum non esse demonstrauit, prius quàm ad morbi peruentum sit uigorem. Nam si æger acuta febre laboret, neque tum in thorace, tum in pulmone fuerit morbus, uirésque ualuerint, & morbus quintum ultra diem sese prorogaturus non sit, aqua mulsa sola epota abunde ægro sufficere potest. Cæteris quidem omnibus in morbis huiusmodi est conuenientissima: sed picrocholis minus propitia existit. Nam in ipsis bilescit, nisi prius uel intestina, uel uesicam pertransierit, non solum nihil lædit, uerum quoque & maxime iuuat: nam secum biliosa deducit excrementa. Hac sanè cum ratione temperaturam quoque ipsius demonstrauit. Nempe in huiusmodi naturis, dilutior exhibita mulsa confert. Neque enim hoc pacto periculosa existit, neque bilem generat. Vt autē picrocholis, ita megalosplanchnis haud quaquam idoneam esse ait. Megalosplanchnos nunc dixit non eos quibus magna ex natura ipsa sunt viscera, sed quibus ea ex affectu aliquo intumuerunt, siue scirrhum, siue phlegmonem, siue oedema nacta sunt. Mala siquidem in his quod cito pertransire uiscera ipsa non possit, & facile bilescat, præsertimque in phlegmonis propter caloris magnitudinem: in cæteris autem qui præter naturam sunt tumoribus, minus detrimenti affert.

### BRASAVOLUS.

Primo Galenus docet hanc particulam uel orationem per totum morbum, ostēdere Hippocratem de his intelligere morbis, in quibus demonstrauit, non esse conueniens prius ptisanæ cremorem exhibere, quàm ad morbi uigorem peruentum sit. nam si æger acuta laboret febre, & morbum non habeat, uel in thorace, uel in pulmone, & uires ualeant, & morbus non sit sese prorogaturus vltra quintū diem: in hoc casu aqua mulsa abunde epota ægro satis esse potest. Aliqui sunt morbi, in quibus in initio ptisanę cremor dari potest, postea in uigore satis est aquā mulsam exhibere. At sunt alij breuiores, qui diem quintum nō transeunt, in quibus satis est mulsam dare, & de his loquitur. tamen dari non debet si vires non sint satis.

Inquit ostendisse non esse dandum cremorem, nisi priusquam peruentum sit ad morbi uigorem, igitur in morbi uigore non dandus cremor, in quo tamen tempore si prius dabatur, amplius non datur. Respondemus, intellige quousque ad morbi uigorem peruentum sit, toto peracto uigore: nam post uigorē sequitur inclinatio, in qua & potest & dari debet. At etiam si æger acuta laboret febre, & morbus non sit uel in thorace, vel in pulmone, aqua mulsa sola epota satis est. ex his uerbis à morbis thoracis aquam mulsam excludere uidetur, quod absurdū uidetur, & conditio illa absurda fuit, quoniam in pleuritide, & peripneumonia in quocunque tempore conuenit aqua mulsa. Respondemus Galenum noluisse mulsam excludere à morbis thoracis, sed cum notum sit & prius dictum in illis morbis cōpetere, hic modo innuit etiam si morbi pectoris non adsint, sed sola adsit febris acuta, mulsam aquam dare conuenit, quanto magis conueniet, si morbi pectoris simul erunt iuncti? Vnde & ipse met Galenus in commentatione secundæ sectionis huius libri inquit melicratum quidem ad crassiorum humorum expuitionem est conuenientissimum, hoc uero ut plurimū exigitur in morbis thoracis.

Addit, morbum non esse prorogaturum post quintum diem, sed in primo huius uoluminis libro dicebas, prorogādum usque ad septimum, & nonum diem, quando uires constant. Respondemus, Rarissimos esse qui possint illuc vsque perdurare, tamen usque ad quintum multi possunt perdurare, ut eodem loco testatur Galenus, sed an nostro tēpore ob assuetam ingluuiem possint dubitamus: imo scimus non posse, si & penitus à potu abstinuerint. At uidimus & ex aquæ potu, & simplicis aquæ hordei ad quartum, quintum, & sextum diem aliquos superuixisse, & inter hos nonnulli sanitati restituti sunt, alij obiere. tamen ex mulsa aliquos usque ad septimum diem seruatos esse mirum non est, neque præter rem. Ex hoc Galenus in. x. Methodi inquit. Me quoque subinde uidisti eos qui ex abundantia, & qui ex phlegmone laborarent, sub longa inedia tenuisse, sic ut prorsus ante septimum diem non cibarem, sed sola mulsa contentus essem, viribus scilicet ualētibus, quosdam eorū, quibus videlicet, uires ualidæ nō fuerint, aut stomachus biliosus aut imbecillus, aut plus iusto sensibilis, solo ptisanę cremore usque ad septimum diem traxi, quo morbus in summo esse cremento debuerat, aut etiam omnino per crisim discuti. Sunto igitur tibi à primo statim die in omni ægro spectanda duo illa quæ Hippocrates iussit, à quibus cibandi consilia petes, morbi summus uigor, & ęgrotantis uires: postea si transiri summum incrementum sine omni cibo potest, in cibi abstinentia hominem seruabis: sin exiguum adminiculū requirat, abunde erit sola mulsa. Quod si maius desiderat quàm sit ex mulsa, ptisanæ cremor satis erit. At si fas non est summum morbi incrementum, aut tenui uictu, aut inedia transmitti ad agendum, ut homo statim in primæ accessionis inclinatione cibetur. Hactenus Galenus, ex quibus colligitur ex sola mulsa & usque in septimum diem nonnullos seruasse, & primo huius uoluminis libro sectione. 44. inquit, cum uirtus ad morbi usque iudicationem sine ptisanæ sorbitione suffecerit, oxymeli & aqua mulsa satis sunt. Paulo post sequitur. At si iudicationem septima die citius futurā speraueris, ut uerbi gratia quarta uel quinta ęgros sanè multos sufficere citra ptisanæ sorbitionem posse comperies. quòd si ad septimum usque protrahatur, paucos omnino, súntque qui & uirtutem habent ualentem, corporisque habitū cum durum, tum ægre transpirabilē, succósque uel crassos uel uiscosos, atque si ambiens aer calidus non fuerit.

Ambiges uero, in febre acuta conuenire non posse, cum acuta febris ex bile fiat, mulsa autem facile in bilem conuertatur, adde esse calidam, quæ qualitas acutæ febri non competit. Respondemus accipiendam esse mulsam dilutum, quæ nec calida est ratione aquæ, neque facile in bilem transit, imo & his dari potest etiam mediocris, non tamen meracior quæ magnam mellis copiam recepit.

Secundo Galenus notat, cæteris hominibus in prædictis morbis acutis mulsam esse conuenientissimam. At picrocholis minus propria existit, quoniam in his bilescit, nisi prius uel intestina pertransierit uel vesicam. Ac si mulsa vnam harum pertrāsierit partium, non solum nihil lædet ægrum etiam si biliosissima sit, sed etiam maxime iuuabit, quoniam secum excrementa deducit. Et ex hac met ratione Hippocrates simul & semel

mulsæ temperaturam demonstrauit. vnde in his naturis picrocholis mulsa dilutior exhibita confert: quoniam hoc modo neque siticulosa existit, neque bilem generat, ob paucam mellis copiam & aquæ multam. At causa petes cur mulsa in picrocholis in bilem conuertatur, & cur cum non conuertitur, ad intestina uel ad uesicam pertranseat, & bilem euacuet.

Respondemus hoc prouenire respectu uiriū, & morbi ad mulsam. nam si uis corporis expultrix robusta sit, & uis retentrix imbecilla, & morbi qualitas non sit multę uirtutis, ut mulsam cito in bilem conuertere possit, in hoc casu mulsa exit & bilem secum ducit. At si, vis expultrix imbecilla sit, retentrix uero robusta, & vis morbi talis, ut mulsam in bilem facile conuertat, in hoc casu mulsa in bilem uertitur, & morbi materiam auget, atq; ipsum morbum. Notáq; illam esse meraciorem, quæ alijs magis educit, quando in bilem non uertitur.

Petes iterum, nunquid hæ prædictæ conditiones & rationes, ita in motu ualeant, quoniam mouetur ad vesicam sicuti quando mouetur ad intestina. Respondemus in utrisque motibus ualere, & conditiones ac rationes esse perspicuas.

Sed petes, quando est quod eat ad uesicam, & quando ad intestina. Respōdemus si fuerit mulsa aqua diluta, & alicuius aluus difficulter soluatur, cum ratione aquæ ad uesicæ partes tendat, & aluus est adstricta, propterea per eam viam difficilius progreditur. Et qui aluum habent adstrictam, naturaliter vias urinæ latas habent, & plus mingunt, q̄; alij. Si uero sit mulsa meracior, & quispiam sit lubricæ alui, tunc facilius per intestina educit: nam cum plus mellis adsit, magis mordicantur intestina, & tunc potissimum illuc descendit quādo aluus lubrica est & ad emittendum facilis.

Petes præterea quomodo Hippocrates mulsæ temperaturam demonstrauerit per rationem ab ipso dictam? Respondemus quia dixit picrocholis non conuenire, uel esse minus idoneam, ob id intelligere uoluit, q; his bilem augeret, & in bilem uerteretur, cum hanc habeat naturam, necessario habet & calidam temperaturam, & quodammodo siccam. ob hoc addit Galenus in talibus. s. picrocholis dandam esse dilutiorem, ne in bilem uertatur: quoniam hoc modo ob aquæ copiam siticulosa non erit, sed potius picrocholorum sitim, in quam facile incidunt extinguet, & prohibente aqua bilem non gignit.

Ex his igitur secundum Galenum colligere poteris in morbis acutis, in quibus per totum morbi decursum aqua mulsa conuenit, dilutior est illa quæ conuenit, ut intelligere possis, Hippocratem mulsæ temperaturam demonstrare quæ in morbis acutis conuenit, in quibus per totum morbi decursum dari debet. s. quod est frigidæ & humidæ temperaturæ ob aquæ copiam. Itaque aquosa esse debet. Et hæc uidetur esse conuenientior illius partis intellectio, vt hac cum ratione mulsæ temperaturam demonstrauerit. Et ideo probe sequitur, Nam in his naturis. s. picrocholis, dilutior exhibita mulsa confert. Et cum sitis, & amplior bilis generatio in picrocholis euitari debeat: propterea addit, neque enim hoc pacto siticulosa est, neque bilem generat.

Tertio Galenus notat sicuti picrocholis non est idonea mulsa, ita nec megalosplanchnis. i. viscera magna habentibus. Et si petas qui sint megalosplanchni: Galenus Respondet nunc uocare megalosplanchnus non illos qui viscera habent naturaliter magna, sed qui illa habent ex aliquo affectu tumida, qui uel scirrhus est, uel phlegmon, uel œdema. In his uero mulsa praua est, quia viscera ipsa cito pertransire non potest, & facile in bilem conuertitur, & hoc potissimum ob caloris magnitudinē in phlegmone. Ob hoc & Galenus in. xi. huius partis sectione per megalosplanchnus exposuit solos phlegmonem habentes, quoniam in his maius fit dispendium. In cæteris uero qui alios habēt in uisceribus tumores ut œdema vel scirrhum, minus detrimenti affert, quoniam sunt tumores frigidi.

Sed ambiges an quispiam possit naturaliter magna uiscera habere, id est maiora q̄; sui corporis moli conueniat. Id profecto impossibile uidetur, cum nulla sit secundum naturam ægritudo, sed magna uiscera molem conuenientem excedentia morbus sunt in quantitate: igitur non sunt secundum naturam. Respondemus primam propositionem absurdam esse, qua dicit nullam esse ægritudinem secundum naturam, per secundum naturam generationis principium intelligentes, quia multi nascuntur ęgri, ut hi, & loripedes, & gibbi. At si intelligatur non esse secundum naturam. i. non esse ut temperatura exigeret & decens compositio, tunc prima propositio uera est, & fatemur megalosplanchnos ęgros esse, tamen secundum naturam sunt tales, quia à generationis principio tales sunt, neque magnitudinem illam uel ab aliqua mala temperie, uel à tumore præter naturam contraxere.

Neque illud præterire oportet, cum Galenus tres ponat affectus, quibus uiscera intumescere possunt, scirrhum, œdema, & phlegmonem. Et ob hos affectus mulsa dari non debet, quia in bilem uertitur. At hoc in omnibus uerum non uidetur, quia in phlegmone, ob caliditatem profecto in bilem uertetur. Sed in scirrho, & œdemate conuerti posse non uidetur, quoniā frigidi sunt tumores atrabilarij & pituitosi, qui nihil possunt in bilem cōuertere, imo cum frigidi sint tumores, bili potius, & eius generationi obsistunt. Respondemus, phlegmone, & scirrhus ac œdema diuerso modo sunt causæ conuersionis mulsæ in bilem, nam phlegmone sua caliditate mulsam conuertit in bilē, & præterea illam impedit, ne possit ad uesicam uel intestina descendere, schirrus uero, & œdema ob caliditatem quam habeant, mulsam in bilem non conuertunt, sed tantum quia vias impediunt, & illas obstruunt. vnde Mulsa in loco in quo à calore febrili ex mora in bilem conuertitur permanet. At si cito transire potuisset, in bilem conuersa non fuisset.

## Hippocrates. Sectio X.

**Porro & siticulosa minus quam dulce vinum existit. Nempe & pulmonem mollit, & sputum mediocriter educit, & tusses mitigat. Habet etenim vim quandam exterendi, quæ plus q̄; mediocriter facit sputum.**

BRASAVOLVS.

Mulsam aquam dulci uino comparat Hippocrates, atque illam esse minus siticulosam q̄; dulce uinum, & alias addit operationes, quas dulce uinum facit, nam pulmonem emollit, & mediocriter sputum educit, tussésq; mitigat. Etenim uim quandam habet exterendi, quæ sputum facit plusquam mediocriter uiscosum.

διψῶδές γε μὴν ἧττον τοῦ γλυκέος οἴνου. i. minus quidē sitim inducit q̄; dulce uinum. Dulce uinum ob suam dulcedinem facile in bilem uertitur, similiter & mulsa aqua, cum uero in bilem redacta sunt, statim partes circa os, & superiores exiccantur, unde sitis inducitur. At uinum dulce minus aptum est penetrare, q̄; aqua mulsa. propterea & minus sitim sedat, quia ad sitis causas minus transit. Mulsa uero ad sitis causas magis trāsit. propterea magis sitim sedat q̄; dulce uinum, non ab re igitur ab Hippocrate, dicitur, minus esse siticulosam aquam mulsam q̄; uinum dulce. Cum enim uelocius penetret aqua mulsa q̄; dulce uinum, minus in bilem uertitur. At si aqua mulsa in aliqua corporis parte moraretur, ut uinum dulce facit, profecto & ipsa in bilem uerteretur, & sitim induceret, & forte maiorem, q̄; uinum dulce faciat, si meracior sit, quoniam crassiores vapores à meraciori mulsa eleuantur, q̄; à dulci vino. At quia magis penetrat, propterea sitim non inducit, nam tam cito per partes incedit ut in bilem non uertatur, adde mulsam aquam ad sitis causas transire, propterea & ob hanc aliam causam est minus siticulosa.

πνεύμονός τε γὰρ μαλθακτικόν ἐστι, id est, etenim pulmonē emollit. nam causa est ut materię exeant per pulmonem, quę pulmonem emolliunt. adde & ipsam mulsam pręsertim dilutam humectare, & si asperę sint uenę pulmonis, illas emollit ac leuigat.

καὶ πτύαλον ἀνάγειν μετρίως, id est, & sputum mediocriter educit. bene addit particulam mediocriter, ut Galenus inquit, quia oxymeli ualenter educit, mulsa vero non valenter, neque uim illam habet incidendi, quam habet oxymeli, tamen pulmonis asperitatem emollit, & sputum mediocriter prouocat.

καὶ βῆχας παρηγορικόν, id est, & tusses mitigat, materies prouocans ut exeant. at dices uideri aquam mulsam potius tussim prouocare, quàm mitigare, quoniam mulsa sputum mediocriter educit, ut dicebat, & crassas ex pulmone materias educit, quæ educi non possunt, nisi tussis excitetur. Cum hæc igitur educere faciat, tussim potius inducit, quàm sedet & mitiget. Respondemus mulsa tussim mitigare dicitur, quia cito excitat ad materias expellendas, quæ cũ expulsæ fuerint, tussis remittitur. materierum uero emissionem accelerat, ut tussis denique sedetur. uel tusses mitigare dicitur, quia non mordicat, ut facit oxymeli, de quo in Galeni commentatione agemus. Nempe pulmonis partes quodammodo dulcorat, & emollit, oxymeli uero tussim dupliciter excitat primo quia ad materias expellendas adiuuat, secundo quia spiritualia membra mordicat & exasperat, ut ex hoc tussim incitet. Ob id si recte percunctemur, mulsa per accidens solum tussim prouocat, oxymeli uero, & per se, & per accidens.

ἔχει γὰρ σμηγματῶδές τι, id est, habet enim vim quandam exterendi. ob quam sputum mediocriter educit.

ὃ μᾶλλον τοῦ μετρίου καταγλισχραίνει τὸ πτύαλον, id est, quæ plusquam mediocriter glutinosum facit sputum. Hæc extersoria uis, quæ est in aqua mulsa plerunque plusquam mediocriter glutinosum facit sputum.

Forte dices id tibi mirum uideri, mulsam aquam esse extergentem, & sputum reddere glutinosum. hic uidetur expressa contradictio: nam si extergit, glutinosum non reddit: si glutinosum reddit, non extergit. Galenus in cõmentatione respondet. Hippocrates melius scripsisset, si scriptum non reliquisset glutinat, quoniam re uera non glutinat, sed dixisset, quod glutinosum est non incidit: nam quandoque sunt adeo glutinosæ materiæ, ut ab aqua mulsa, quæ parum habet uirium, nam modica est eius abstersio, incidi non possint. unde nunc id uolens Hippocrates exprimere quod sputum non incidit glutinosum, & non abstergere, ait ipsum reddere glutinosum, ac si dixisset, illud sinit glutinosum, & detergere non potest.

Forte dices ex Hippocratis uerbis colligi posse, aliquam esse conuenientem uiscositatem, quoniam inquit, quæ plusquam mediocriter glutinosum facit sputũ, adest ergo mediocris glutinositas, quæ probatur, si reddit illud plusquam mediocriter glutinosum.

Respondemus ex secundo prognosticorum libro solutionem colligi posse, concedentes unam esse uiscositatem omnio mediocrem, & laudatam, nam sputum partes habere debet, quæ inter se adhæreant, & hinc inde non diffluant. tamen nõ sit tanta ut membris sputum inhærens reddat. Talis autem uiscositas ostendit sputum esse coctum & facile à ui expultrice expelli posse. hæcque uiscositas moderata nuncupabitur. Immoderata uero talis est, ut per illam sputa membris inhæreant, neque facile segregentur, & hæc est supra mediocritatem uiscositas, per quam sputum dicitur crudum. Et hæc est glutinositas illa, de qua dicebat, plusquam mediocriter facere sputum, nõ quia à mulsa ita fieret. Sed quia sputa detergere non poterat, propterea glutinosa reddere dicitur, quoniam ob uirium imbecillitatem plusquam oporteat glutinosa sinit.

GALENVS. Quam ob causam aqua mulsa minus quàm uinũ dulce siticulosa sit, dixi antea, cum utraque quatenus dulcia sunt, eatenus facile bilescere demonstrarem. Verum quòd tenuior, penetrantiórque, ut omnia subeat, existit, ea ratione minus uino dulci est siticulosa. Quo fit, ut si aliquando plusculo tempore in uentre manserit, tunc uino dulci non minus siticulosa reddetur: quod rarenter contingit. Aqua uero mulsa, vino dulci citius uentrem, intestináque omnia penetrat. Nec secus hepar adusque tum renes, tum uesicam non rarenter quidem, sed perpetuo. Ob hæc igitur uino dulci minus siticulosa existit. Hippocrates idem, quanquam non ita, sed modo alio dixit, mulsæ uirtutem ex his quæ in pulmone facit demonstrãs. Nempe quòd hæc non efficeret, nisi uias meatúsque ipsius penetraret, abstergerétque, palàm omnibus existit. Preterea sputum educere nõ simpliciter dixit, sed hoc aduerbiũ, mediocriter, adscripsit. Neque enim ualenter educit ut oxymeli, sed mitigat, quo oxymeli priuatur. Nempe oxymeli tusses incitat, tum irritans, tum asperãs, quatenus scilicet uehementer detergit. Mulsa uero & præsertim aquosa, dilutáque, detersoria quæ minima sit participat facultate. Vocatur autem huiusmodi facultas σμηκτική, à qua & nunc Hippocrates nomen fecit σμηγματῶδες, de mulsa ita scribens: ἔχει γὰρ σμηγματῶδές τι, id est, habet etenim uim quandam exterendi, detergendíque. Mediocri autem participare ipsam facultate huiusmodi ostendit adijciẽs uocabulo huic σμηγματῶδες uocabulum hoc τι. Nempe quibuscunque adijciatur, paucitatem indicat. Ergo quod mulsæ parum abstergit, non quod abstergens ob id impotens infirmúmque, sed quod paucum. Ad glutinosum siquidem sputum, medicamentum uehementer abstergere oportet, quòd glutinosum eum, qui in bronchijs pulmonis continetur, detergere possit humorem. Quòd si talis quispiam in thoracis, pulmonisque medio aceruatus fuerit; iam & maior ut probe spuatur, tum incisoriæ, tum detersoriæ uirtutis est necessitas, quæ id à succingẽte costas membrana detergat, dissecet, & tenuet. Nam fieri non potest, ut talis humor aliter per membranam, quæ uiscus ambit, ad pulmonis bronchia transferatur. Non igitur bene est usus dictione Hippocrates, cum huic orationi, Habet enim uim quandam exterendi, eam quæ sequitur adiecit: Quæ plus quàm mediocriter καταγλισχραίνει, id est, uiscosum reddit sputum. Nam melius dixisset: Habet enim uim quandam exterendi, detergendique, quæ exigua sit, & quæ sæpenumero uiscosum fieri sputũ sinit. Non enim ob mulsam glutinosum fieri sputum contingit, cum id sanè sputo huiusmodi proprium insit. Mulsa igitur nil iuuat, sed excrementi naturam talem permanere sinit. Quapropter melius dixisset, nihil glutinosum sputum iuuari, & non tale à mulsa fieri. Nam hoc uerbum καταγλισχραίνειν quod ab Hippocrate dicitur, sputum à mulsa tale fieri, cum emphasi significat.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat superius edocuisse ob quid aqua mulsa minus quàm uinum dulce sitim inferat. Id uero fuit, cũ edocuit, & mulsam, & uinum ratione qua erant dulcia facile in bilem conuerti posse. tamen differentia est in mulsa, quia tenuior & magis penetrans est, ut omnia subeat. nam aliqua in parte non moratur, in qua in bilem conuerti possit, sed per corpus penetrat. Si uero nonnunquam contingeret ut plusculo tempore in uentre commoretur, tunc non minus siticulosa reddetur uino dulci, tamen hoc rarenter contingit, (adde nisi uiscera sint tumefacta) At aqua mulsa, & intestina omnia, & uentrem magis permeat quàm dulce uinum eodem modo & iecur penetrat, & renes, & uesicam idque non raro facit, sed perpetuo. & ob hanc suam naturam penetrantem uino dulci minus siticulosa existit. Idem Hippocrates dixit quod à Galeno relatum est, mulsæ uires edocere uolens ex his quæ in pulmone facit, sed alio modo, & per alia uerba. Etenim omnibus notum est mulsam illa non efficere, scilicet pulmonem emollire, sputum mediocriter educere, tussésque mitigare, nisi pulmonis uias, atque meatus penetraret, & abstergeret.

In eo dubitabis quo à Galeno dictum est, utraque eatenus qua dulcia facile bilescere, at potius uidetur facile in sanguinem conuerti ratione qua dulcia. nam bilis est amara, sanguis uero dulcis. Et ideo facilius uidetur hæc ratione qua dulcia in sanguinẽ transire quàm in bilem, cum qua non habent aliquid commune nisi in materia remota. Imo cum uina dulcia apud Galenum nigra sint, & nigra sanguinis colorem habeant propterea erit cũ sanguine similitudo, non solum in sapore, sed & in colore. unde facilius in sanguinem conuerti debet, quàm in bilem.

Ambiguitas hęc ſuperius diſſoluta eſt in dulci uino, quoniam ut Galenus in quarto de ſimplicium medicamentorum facultatibus dicebat cap. 16. de melle cum dulce ſit, ut ad eius dulcedinem nihil addi poſſit · propterea ſi caloris actionem recipiat, in oppoſitam uertitur qualitatem, itaque in amaritudinem conuertitur. idem facit aqua mulſa ratione qua dulcis, & uinū dulce. propterea non mirum ſi facile bileſcant.

Aliud dubium contingit, quia ſecundum Galenū uidetur ęque mulſam aquam, cum retinetur, in bilem conuerti, ut dulce uinum: nam dicit quando retinetur non minus ſiticuloſam reddi. At ſi non ſit minus ſiticuloſa, neque eſt minus biloſa. hoc autem abſurdum uidetur, quia dulce uinum ad bilem magis propenſum uidetur, q̃ aqua mulſa, quoniam in mulſa aqua ſecundum Paulum inſunt octo aquæ partes & vna vini: in uino autem dulci nulla eſt aquæ portio ſecundum ſuam ſpeciem, quia uinum in ſpecie ab aqua diſtinctum eſt. Vel & ſi in dulci vino fateamur aliquā eſſe aquę portionē, tamen non ſunt octo aquę partes.

Adde res frigidas difficilius in bilem conuerti, q̃ calidę faciant, at mulſa aqua eſt uino frigidior cum tot aquę partes mulſam aquam ingrediantur: at uinū tot partes non ingrediuntur aquę, & ideo calidius eſt. Prꝑterea ſuperius à Galeno dictum eſt inter dulcia mel eſſe dulciſſimum. in ſecundo loco eſt dulce uinum, ſed mulſa & ſi mel receperit, tamen non habet tantum portionem ut dulce uinum. nam ſi illi comparetur, minus dulcis eſt, q̃ dulce uinum, igitur & minus calida, igitur & minus in bilem conuerti debet.

Denique omnes fatentur in morbis acutis exhiberi mulſam. at dulce vinum non exhibetur, igitur mulſa minus conuerti poteſt in bilem, q̃ dulce uinum, etiam ſi retineatur.

Reſpondemus intelligere non eſſe minus ſiticuloſam quando retinetur, id eſt, & ipſa in bilem conuerti, ſicuti & dulce uinum conuertitur. Quod uero additur Paulum ex octo aquę partibus & vna mellis aquam mulſam confeciſſe, uerum eſt de diluta, ſed abſurdum eſt de non diluta. Et hęc eſt quę facile in bilem conuertitur quando retinetur. diluta uero & ſi in bilem cōuertatur, eſt bilis remiſſe calida mulſę aquoſitati miſta, quia in bilem non tranſit ratione aquę, ſed tātum ratione mellis, quod in pauciſſima quātitate dilutum hanc compoſitionem ingreſſum eſt.

Ad aliud, mulſa meracior non eſt frigida, ſed mellis ferè caliditatem attingit, mel uero eſt uino calidius & dulcius.

Ad aliud, ſemper eſt dilutior & calidior mulſa meracior, de qua intelligēdus eſt Galenus.

Ad aliud, in acutis febribus quęlibet mulſa non datur, ſed tantum dilutior, quæ non facile in bilem conuertitur. in quam meracior facile uertitur.

A' Galeno prꝑterea dicitur, mulſam quia tenuior, minus facile in bilem uerti, q̃ uinum quod craſſius eſt. Sed hoc abſurdum uidetur, quia inter humores bilis eſt tenuiſſima propterea quāto magis res erit tenuis, tanto facilius conuertetur in bilem. hęc igitur non eſt conueniens cauſa cur minus bileſcat, quia tenuior imo oppoſiti cauſa uidebitur, quia tenuior, facilius in bilem conuertetur, & dulce vinum quia craſſius, difficilius. Reſpondemus, immediatam cauſam cur mulſa in bilem non conuertatur non eſſe quia tenuior, ſed eſſe quia aliquo in loco non ſiſtit, ſed cito penetrat. Citę uero penetrationis cauſa eſt tenuitas. propterea tenuitas cauſa eſt mediata non immediata cur in bilem non conuertatur: nam ſi ad tenuitatem, non ſequeretur facilius penetrare, neque ad eandem tenuitatem ſequeretur, non facile conuerti in bilem. Et ideo cum ad tenuitatem ſequatur cito penetrare, ad eandem ſequitur & difficilius in bilem conuerti.

Petes an omne tenue penetrat. Reſpondemus ſaltem ſuę conſiſtentię ratione penetrare aptum eſſe. At ſi frigidum eſſet, penetratio impediretur. Cum uero ſimul ſunt tenue & calidum, tunc facilius penetrat.

Cum Galenus diceret, raro contingere aquam mulſam in uentre commorari, quiſpiam petere poterit ob quas cauſas, ne ad corporis partes penetret, & ad inteſtina & ueſicam impediatur. Reſpondemus, multas poſſe eſſe cauſas. Vna quando fuerit in pyloro obſtructio, quę uel ob materiam eſt inibi exiſtentem, uel ob tumorem aliquem prꝑter naturā, qui in tali ſit parte, quibus ne mulſa pertranſeat impediatur. poteſt & ob hoc eſſe, quia inteſtina ac uiſcera illam renuunt ac deſpiciunt, neq; illam attrahunt.

Forte dices, cum uiſcera dulce uinum appetant, cur magis in uentriculo moratur, q̃ mulſa, quando non appetitur? Reſpondemus imo nos fateri mulſam tunc magis in uentriculo morari, quando à uiſceribus non appetitur, q̃ dulce uinum. At inquies, igitur dulce uinum in hoc caſu magis penetrabit. Reſpondemus, profecto magis penetrare, quantum ſit à uentriculo ad iecur, ſed in iecore uinum commoratur, quia ab illo diligitur & appetitur. Inquit mulſam citius uentrem inteſtináque penetrare, q̃ dulce uinum, ſed hoc uidetur ei contrarium, quod dixit, quandoque pluſculum temporis in uentre manere, & tunc eſſe ſiticuloſam. Reſpondemus mulſam quantum ſit ratione ſuæ conſiſtentię uentrem profecto citius & inteſtina penetrare, & hoc per ſe. At ratione qua nonnunquam ab inteſtinis abhorretur, ob hoc minus penetrat, ſed hoc rariſſimum eſt, unde ratione ſuę ſubſtantię non rarenter, ſed perpetuo, hepar, renes, & ueſicam penetrat.

Scito in illa parte hunc ſenſum fieri poſſe, mulſa uino dulci citius uentrem & inteſtina penetrat, tamen nonnunquam impeditur. At iecur, renes, & ueſicam ita penetrat, ut quandoq; non impediatur, ſed id perpetuo faciat.

Petes quid id ſit, quod à Galeno dicitur, Hippocratem idem dixiſſe, ſed alio modo. Et inquires quinam ſit hic alius modus. Reſpondemus, Hippocrates & Galenus ex hoc declarare debebant mulſam eſſe minus ſiticuloſam, quia magis penetrat. Quòd uero magis penetret diuerſo probant modo Galenus & Hippocrates. nam Galenus id ex uentriculo probauit, inteſtinis, iecore, renibus, & ueſica · Hippocrates uero id per pulmonem probauit. vnde ex naturalibus membris Galenus mulſam penetrare ſuaſit: Hippocrates autē ex ſpiritualibus membris. nullus enim ambigere debet, aquam mulſam pulmonem emollire, & ſputum mediocriter educere, & tuſſes mitigare, ob id ſolum quia uias permeat pulmonis, & meatus, ac abſtergit. Secundo Galenus circa illam particulam ab Hippocrate dictam ſcilicet mulſam ſputum mediocriter educere, animaduertit, non dixiſſe ſimpliciter ſputum educere, ſed cum hac adiectione mediocriter. nam mulſa ualenter non educit, ut facit oxymeli, ſed mitigat: oxymeli uero non mitigat, quoniam oxymeli tuſſes excitat, ad expellendum irritans & exaſperans, idq; ea ratione facit, qua uehementer detergit. At mulſa & potiſſimum aquoſa pauciſſimam habet deterſoriam facultatem. Scito autem hanc deterſoriam facultatē à Gręcis nuncupari σμηκτικὸν, à qua in prꝑſentiarum Hippocrates nomen illud deduxit σμηγματῶδες, quando in prędicta ſententia ita ſcribebat, ἔχει γὰρ σμηγματῶδές τι, ideſt, Habet enim uim quandam detergendi. Scitóq; illam particulam τί, quę additur ad uerbum σμηγματῶδες oſtendere, uim illam detergendi mediocriter participare. nam dicere uim quandam detergendi, nō eſt ſimpliciter dicere uim detergendi. hęc enim particula τί quibuſuis adijciatur, paucitatem ſignificat.

Ex prędicta Galeni parte colligi poteſt mulſam mitigare, oxymeli uero tuſſes excitare. At ſuperius dictum eſt mulſam mitigare quia materias educit, ex quo tuſſis ceſſat. Verumtamen ſi probe oxymeli conſideremus, ab eo potius hoc fieri uidetur. nam oxymeli tuſſim magis prouocat, quę motus eſt, quo id expellitur quod in thorace eſt & pulmone, oxymeli autē hunc motum magis proritat. Materias igitur in illis partibus exiſtentes magis euacuat, q̃ mulſa, igitur ab oxymelite tuſſis magis ſedatur, quoniam materiebus euacuatis quę in thorace & pulmone ſunt ceſſat tuſſis. Reſpondemus, ſi materiam illam conſideremus, quę per tuſſim expellitur, quę craſſa eſt & glutino-

sit, profecto oxymeli illam magis educit & abundantius, & tussim citius sedare facit, quam mulsa. At si membra consideremus quae sunt illius materiae receptacula, oxymeli non sedat tussim, sed potius auget, quoniam illa exasperat & mordicat, & ob aceti mixturam cum melle & aqua vehementer abstergit. Mulsa vero aqua non mordicat, sed potius sua dulcedine emollit, inquit mulsam aquam habere detersoriam facultatem minimam. Scito autem in mulsa aqua tres esse detersionis gradus, paruus, magnus, mediocris, sicuti & in ipsa tres sunt mulsae gradus, meracioris scilicet, mediocris, & dilutioris. Eodem modo in oxymelite (vt suo videbimus loco) triplex adest eiusdem detersionis gradus, & quilibet est maior & intensior gradu detersionis mulsae, similia similibus comparantes. nam adest oxymelitidis gradus, in quo pauca aceti quantitas commiscetur, & gradus in quo mediocris, & gradus in quo multa quantitas. itaque primus gradus primo mulsae gradui comparatus est illo intensior, secundus secundo, & tertius tertio. Si uero primus oxymelitidis gradus tertio mulsae comparetur, tertius hic mulsae magis detersiuus est.

Tertio Galenus prosequitur inferens, ob id igitur quia mulsa parum abstergit tamen per hoc non cessat, quin abstergat, neque quia parum abstergit ob id dicitur non abstergere. at quia parum abstergit paucum est quod abstergit, & ideo non videtur abstergere. nam ad glutinosum sputum, medicamento indigemus, quod vehementer abstergat, vt glutinosum illum humorem qui in bronchijs pulmonis continetur, detergere possit. Vnde si talis humor in thoracis & pulmonis medio aceruatus fuerit, tunc ut probe expuatur, maior & incisoriae, & detersoriae virtutis est necessitas, quae illum humorem à membrana costas subcingente detergat, dissecet atque attenuet, nempe fieri non potest vt talis humor aliter transferatur per membranam quae uiscus illud ambit ad pulmonis bronchia.

Scito tres esse in thorace locos, in quibus potest inesse materia, & secundum materiae situm in his locis fortioribus & imbecillioribus indigemus medicamentis. Tres vero hi loci sunt pellicula costas tegens, pectoris cauitas, & pulmo. Si materiae in pulmone sint facile exeunt. propterea medicamento indigemus imbecillo, unde oxymeli aquosum hos humores educet, & mulsa diluta, ut est in peripneumonia in qua materiae ex sola mulsa educuntur & diluta. Si uero materiae sint in thoracis cauitate & empiema faciant, tunc difficilius exeunt, quia opus est membranam penetrare quae pulmonem ambit, & quae & ad bronchia per pulmonis substantiam penetret, & denique expuantur. hoc ex mediocri fit mulsa, & mediocri oxymelite at si materia sit in pellicula costas tegente, necessarium est vt primo pelliculam illam exeat quae costas tegit, & per illam penetret, postea sit in thoracis cauitate, nisi aliqua in parte pulmonem tetigerit, deinceps membranam penetret pulmonem ambientem, & ad bronchia permeet, ut per os exeat, tunc fortiori adhuc eget medicamento, quale est mulsa meracior, & oxymeli plenam, in quo magna sit aceti copia. Et quamuis de his duobus tantum mentionem efficiam, id est quia gratia exempli proponuntur, nam multa alia sunt praeter oxymeli & aquam mulsam, quorum officium est has materias educere. habentur igitur & fortiora medicamenta, & loci in quibus sunt materiae, qui illas faciunt difficilius exire. Imo & ex ipsa materia difficultas adest & facilitas exeundi vt crassior est tenuior, & mediocris, si pleuritim probe consideremus, peripneumoniam, & empiema diuersa desiderant medicamenta, quae per uehementius, & minus uehemens in actione differant. In pleuritide namque quae sub pellicula costas cingente continetur fortissimis indigemus medicamentis. In peripneumonia quae est aegritudo in pulmone imbecillioribus indigemus medicamentis. In empiemate in quo materia in thoracis cauitate continetur, mediocribus indigemus medicamentis.

Scito, quod dicit, in thoracis pulmonisque medio intelligit materias in pellicula quae thoracem ambit existentes & in thoracis cauitate in pulmonis medio, vel in parte aliqua, quia prius de materia in bronchijs contenta loquebatur, ut tria diuersa loca materias recipientia considerentur, quae in medicamentis attenuantibus, & materias crassas extra trahentibus difficultatem faciunt.

Nota particulam illam, quae dicit, τοῦτ' αὐτὸ βραχὺ τοῦ μελικράτου σμηγματῶδες, οὐχ ὅτι σμηγματῶδες, διὰ τοῦτο ἄκρατον, ἀλλ' ὅτι βραχύ, id est, hoc autem quod parum mulsae abstergens sit, non quod abstergens ob id impotens, sed quod parum. Vt sensus sit mulsa parum abstergit, quod ostenditur per illam particulam τι', tamen etsi parum abstergat, non negatur penitus abstergere, quia impotens sit ad abstergendum, sed quod parum abstergit.

At dices, si parum abstergit, igitur aliquo modo abstergit. quod si fatearis vt opus est, igitur sputum uiscosius non faciet. Respondemus id intelligi per accidens secundum Galenum, quando illud sinit ut est.

Forte ambiges de huius materiae quae in thorace est, uel in pellicula ambiente costas incessu, quomodo per pulmonem penetret, cum pulmo membranam adeo densam habeat, vt aerem pulmonem ingredientem in thoracis cauitatem exire uetet. At impossibile est humorem aliquem inuenire, qui sit adeo tenuis ut flatus: igitur humor nullus pelliculam illam penetrare poterit, cum quilibet sit flatu crassior qui penetrare non potest.

Sciendum est materias in thorace uel in pulmone contentas, duplicem exitum tantum habere unum naturalissimum & rectissimum, qui est per os, alterum minus rectum vt materia uenas ingrediatur & ad iecur redeat, ad vesicamque transmittatur, uel ad intestina. Materia haec quae in thorace continetur, ibi praeter naturam continetur, & natura illam expellere intendit per uiam sibi magis commodam. Commodior autem est via pulmonis, qui & ipse ab hac materia impeditur, unde & exinaniri cupit & liberari, propterea totis uiribus materias attenuat, & per pulmonis pelliculam transmittit, ut exeant: itaque exeunt, & homo liberatur. Aer uero, qui attrahitur ut cor refrigeretur, primo à natura expelli non quaeritur, sed ab ipsa seruatur, quoad frigidus permanserit: cum est calefactus, ipsum expellit, & fumosas secum trahit euaporationes. At quia uia est naturae facilis & parata, propterea per illam uiam, id est per os transmittitur, & hic aer pelliculam non penetrabat, non quia non esset longe tenuior glutinosa materia, sed quia est opus naturae, quo natura sibi inseruit, & cum illo ad suum commodum est vsa, postea expellit, alium quaerens. materiae uero glutinosae non sunt naturales, sed praeter naturam, neque naturaliter sunt in illo loco, sed praeter naturam. ideo non mirum si transmittantur ueluti naturae inimica. Adde si aer qui attrahitur longiuscule & uehementissime attraheretur, pelliculam tegentem pulmonem prorsus penetraret quia meatus habet insensibiles, per quos materia crassa transit: verum nullus est, qui adeo longiuscule, & uehementer inspiret, ut tanta adsit copia quae pelliculam illam penetrare possit: at quia natura hoc opere non indiget, propterea non mirum si non penetret, quia natura aere utitur, tanquam in suum commodum instrumento, quo cum usa est, ad aliam partem non transmittit, sed ut alium trahat aerem expellit. Secus est de materiebus illis quae praeter naturam sunt, quas totis viribus expellere nititur, vel cum & in thoracis cauitate ne vacuum detur aere indigemus, hic aer per hanc viam incedit. Itaque fatemur aerem penetrare, imo nullam aliam habet viam.

Cum hic humor qui per pulmonem exire debet necessario attenuandus sit, petes forte an speciem mutet, vel non mutet. Respondemus cum experientia ostendat, si sanguis sit qui peccet sanguinem exire, si bilis bilem, si pituita exire pituitam, ob id dicimus eandem esse humoris speciem, illam quae peccat in thorace, & quae per pulmonem exit, quamuis attenuetur, nam haec attenuatio speciem non uariat, sed solum in crassitie & tenuitate diuersitatem facit.

At dices per hanc attenuationem humores in vapores reduci,

alioqui cum humores sint corpora crassa, pulmonem disrumpere uiderentur, quod uapores facere non possunt. verum cũ vapores diuersa sint ab humoribus species, hi igitur humores qui in thorace sunt speciem mutabunt, quando per pulmonem exeunt. Respondemus speciem non mutare, sed tantum attenuari, & ex hac attenuatione acquirunt, ut per pulmonis porositates transire posint, quamuis non sint effecti vapores. Iterum petes de humore qui in thorace fit vel in pulmone qui

C exire debeat quomodo exeat, an ex se, an expulsus, an attractus an simul impulsus & attractus. & si hoc vel illo modo fiat à quo fiat hæc expulsio uel attractio. Respondemus humor qui in thorace est thoracis partes lędit, unde uis sensitiua mouetur, & excitat uim expultricem, quæ suapte natura ad talia expellenda inclinata est. principium igitur motus est à partibus lęsis. Tamen & hæc materia à pulmone attrahitur, quod fit ex ui uacui, ne in pulmone uacuum fiat cum dilatatur. Itaque per minima bronchia, & maiora paulatim incedit, quousque ad asperam pertingat arteriam & extra emittatur, cum extra emissus

D est ex ea parte homo liber euasit.

Sed petes à quo fiat is expulsionis motus. Respondemus fit à musculis thoracem mouentibus, & in magna necessitate ab illis etiam qui continuo non mouentur.

Q uarto Galenus docet, quando illi orationi quæ ita incipit, habet enim uim quandam exterendi, illam quæ sequitur adiecit scilicet quæ plusquam mediocriter καταγλισχραίνει, id est, uiscosum reddit sputum. nempe melius fuisset Hippocratem ita scriptum reliquisse, habet enim uim quandam detergendi quæ exigua sit, & quæ sæpenumero glutinosum fieri sputum sinit, nam sputum ob mulsam non contingit fieri glutinosum. imo sputum hoc id habet proprium quod sit glutinosum. Cũ igitur mulsa ob imbecillem naturam nihil iuuet, sed id excrementum in natura sinit in qua est, & ideo Hippocrates melius dixisset si hoc modo prodidisset, Glutinosum sputum nõ iuuatur à mulsa, & non prodidisset, glutinosum sputum à mulsa fieri, nam uerbum istud καταγλισχραίνειν, quod ab Hippocrate dicitur, significat sputum à mulsa tale fieri cum emphasi, & quod additur ἔχει ἔμφασιν, id est, habet emphasim, idem est ac si dicat id uerbum expressius significare quod dicit. forte Hippocrates hoc modo intelligi posset, cum mulsa uim quandam habeat detergendi, qua potest à partibus sputum remouere, & detergere, tamen nõ potest incidere quod glutinosum & crassum est propterea partes in sese magis condensantur, & glutinosius efficitur unde uidetur mulsa ex ui illa extergendi & non incidendi glutinosius reddere, itaque Hippocratis sententia veritati consona uidebitur. Plinius libro. 22. capite. 24. ea ferè de mulsa aqua dicit, quæ hic ab Hippocrate & Galeno. inquit uero lenit transitum spiritus, & molliores facit meatus, ne scindant euntem, redeuntémque. paulo post addit. Aqua mulsa & tussientibus utilis traditur. ut Plinius eadem ferè dicere videatur, quæ in hac sententia ab Hippocrate proposita sunt.

## Hippocrates. Sectio XI.

Ciet autem & vrinas abunde mulsa, nisi ex visceribus aliquod prohibuerit.

BRASAVOLVS. Mulsæ dotes Hippocrates prosequitur, præter ea quæ dicta sunt, mulsa etiam urinas abunde ciet, nisi ex uisceribus aliquod prohibuerit, quod ferre non posit mulsam, uel quod impediat mulsæ descensum ad vrinæ vias. Cum uero naturales exitus & ampliores duo sint intestina & vesica, primo de his egit Hippocrates quæ à mulsa fiunt ad uesicam spectantia. In sequenti uero sententia de his loquetur, quæ à mulsa fiunt ad intestina spectantia, & ad exitum per illam uiam.

ἔστι δὲ καὶ οὐρητικὸν τὸ μελίκρατον ἱκανῶς, id est, vrinam uero probe cit mulsa. superius dictum est, mulsam aquam uias omnes & intestinorum, & ad uesicam spectantium facile penetrare, propterea non mirum si urinam cit & si simul materias secum ducat, si nonnullas in vijs firmatas inuenerit.

Sed ambiges non uideri mulsam aquam urinam prouocare, quoniam neque mel neque aqua urinam prouocant, igitur neque melicratum. Consequentia proba uidetur, quoniam si partes ex quibus tertium fit compositum, uim aliquid agendi non habeant, neque totum compositum uim eandem habebit. antecedens probatur, quoniam aqua urinam non proritat, imo deinceps cum de aqua loquetur sectione. 40. dicet: Tarde siquidem meat, ꝙ frigida & incoctibilis sit, neque aluum deijcit, neque urinas mouet. Mel etiam non mouet urinas, cum potius eius officium sit uentrem soluere. at quæ uentrem soluunt, urinam non proritant, ut in aphorismis colligi potest, cum quis noctu plurimum mingit, paucas fuisse deiectiones, & è contrario nam si quid sit quod aluum prouocet, urinam minime prouocabit, sed illam potius reddet pauciorem. Respondemus fieri posse ut unum compositum naturam quandam habeat sibi propriam, quam quidem non habet à componentibus partibus, sed à compositione tantum. hoc fatetur Galenus in libro de Antidotis, ubi de Theriaca loquitur, & in libello de Theriaca ad Pisonem, nam compositio dat aliquid toti quod non est in partibus, & totum id quod resultat ex omnibus commistis partibus, est una forma specie ab illis partibus distincta. vnde non mirum si mulsa aqua sit ex partibus urinam non proritantibus constituta. tamen ipsa composita & commista illud faciat. Et quod additur de aqua quæ urinam non proritet, uerum est ratione suarum qualitatum actiuarum & passiuarum, sed non ratione suæ lubricitatis & facilis ad vesicæ partes descensus. de qua re postea disseremus, cum de aqua loquetur Hippocrates. vnde in mulsa, aqua adest quæ ob suam lubricitatem facile descendit, adest mel quod abstergit, & aquam quodammodo actuat ut facilius adhuc penetret. Galenus deinceps sectione. 13. hæc innuit. Sed petes quænam aqua mulsa intelligenda sit, quando de vrinæ proritatione uerba fiunt. Respondemus de mulsa meraciori intelligendum non est, quoniam potius per aluum ducit, sed de dilutiori, & etiam de mediocri.

ἢν μή τι τῶν ἀπὸ σπλάγχνων κωλύῃ, id est, nisi uiscus aliquod cohibuerit. Q uę sint uiscera aliàs dictum est: sunt enim pulmo, cor, lien, iecur, uentriculus, intestina, renes, & cerebrum plerunque à Galeno uiscus uocatur. Sed in proposito multa sunt uiscera, quæ non possunt impedire, neque debent, vrinæ prouocationem aquæ mulsæ, ut cerebrum, pulmo, cor. verum in proposito per uiscus intelligere oportet unum ex his, aut uentriculum, aut iecur, aut lienem, aut intestina. nam ubi in iecore fuerit uel inflammatio, uel tumor impeditur & mulsæ potus, & urinæ prouocatio: ubi in uentriculo fuerit, & in intestinis adhuc magis: ubi fuerit in liene tumor, & ipse hoc prohibet: si in renibus, tanto magis. nam adeo renes obstruet, vt etiam si mulsa bibatur, ad suos proprios & consuetos canales transire non posit. Cum enim in uisceribus prædictis tales fuerint affectus, mulsa ad loca trahitur affecta, & ad urinæ vias minime penetrat.

GALENVS. Mulsam ante, quòd uias omnes quæ uentrem, renésque interiacent facile penetret, ciere urinas dixi: atque ubi iecur malè afficitur, usui haudquaquam conuenire demonstraui. Lieni præterea si phlegmone obsideatur, molesta est: atque multo magis intestinis, uentríque. Nam cito ignescens ob phlegmones caliditatem in bilem conuertitur. Melle siquidem ob dulcedinem delectantur tum viscera, tum uenter: quo fit, ut tum citius tum raptim magis eliciant. Melli quoque & dulcia alia idem habere quis dixerit, atque ideo ut ad uentrem, ita ad uiscera accommodari. Venter autẽ his oblectari uidetur. Nempe ubi ea deglutiuit, manifeste quodam modo ab assumptis delectatur, ut sui è contrario ab asperantibus, amarísque offenditur: neque solum cum assumuntur, uerum quoque & ubi assumpta sunt, ad aliquod usque tempus. Q uo fit, ut nemo ea nisi interdum uice medicamenti, ut ob collectos præter naturam in uentre humores, ingerat: ubi enim secundum naturam habuerit, iniucunda ipsi talia omnia sunt: iucunda autem sola quę dulcia existunt. Sanè in appellato gutture maxima ex deuoratis dulcibus

exoritur

exoritur uolupras, corpore. ſ. loci illius peculiare quippiam cũ ſucco huiuſmodi habente. Corpus autem hoc facit uentriculi interna tunica, ut & ea quæ linguam ambit. Verum in lingua euidentisſimam habet dulcedinis ſenſionem: in gutture autem uoluptatis. Senſio uero manifeſta cõtinuo efficitur & in uentris ore, quod dulcibus aſſumptis delectatur, modo animans ſecũdum naturam habuerit. Viſcera igitur hoc pacto dulci gaudere ſucco, plurimũmq; ipſius celeriter euocantia cũ ualent, frui, aliq; cum uero febriunt & phlegmone obſidentur, in id quod bilioſum eſt, dulcem ſuccum conuertere par eſt. Videntur igitur quæ συκωτὰ .i. ficata ex caricarum eſu appellãtur, tum maxima, tum ſuauisſima eſſe, iecinore ipſo, ut liquet, ex dulciũ eſu alimentum uberius accipiente. Verum in phlegmonis febribúſq; rerum huiuſmodi ingeſtio non in probam alimoniam, ſed in bilis generationem demigrat: febrilis ſiquidẽ calor exuperat, natiuus autem deficit, qui bene temperatus erat.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat ſe ſuperius dixiſſe mulſam uias omnes quæ uentrem & renes interiacent facile penetrare, & ob hoc vrinas ciere, oſtenditq; ubi iecur male afficitur, uſui nõ cõuenire. Adde moleſtam eſſe ſi lien phlegmone infeſtatur. Et multo magis erit moleſta ſi inteſtina & uenter phlegmone, affecta ſint: nam ob phlegmones caliditatem cito ignoſcens in bilem conuertitur, quia & uiſcera & uenter melle, ob dulcedinẽ ſuam delectantur, vnde & citius & raptim id eliciunt. Et quod de melle dicitur, idem in omni alia re dulci intelligitur. quæ vt ad ventrem, ita ad alia viſcera accommodãtur. ventérq; his delectari uidetur. nã ubi ea deglutiuit, manifeſte quodammodo ab aſſumptis delectatur, ſicuti ẽ contrario ab exaſperantibus & amaris offenditur. Et hoc non ſolum ubi adſumuntur, uerũ etiam & cum aſſumpta ſunt uſque ad aliquod tempus, proptee hoc nullus ea ingerit, niſi quandoque medicamenti uice, vt ob collectos præter naturam humores in uentre ea accipiat. nam vbi homo ſecundum naturam habuerit, omnia illa ſcilicet exaſperantia & amara ſunt iniocunda, & ſola dulcia ſunt iocunda & conferunt.

Quod legitur tum uiſcera tum uenter, græce eſt τὰ σπλάγχνα καθάπερ καὶ ἡ γαστήρ, i. uiſcera ſicut uenter. Vt ſenſus ſit, ita uiſcera delectari dulcibus, ſicuti uenter: nam venter dulcioribus manifeſte delectatur. de uiſceribus vero ambiguum uideretur: propterea inquit illa appetere dulcia, & illis delectari ut uẽter facit, qui illis manifeſte delectatur.

Petes ubi ſuperius à Galeno dictum ſit, mulſam uias urinæ delectare, & illam ciere. Reſpondemus id dixiſſe ſectione ſecũda. Dubitabis præterea, cum à Galeno dicitur, cum iecur male afficiatur, nõ conuenire mulſam, neque lieni conuenire ſi phlegmone obſideatur, cur de iecore non ſpecificauit ægritudinẽ, in liene uero expreſſerit inflammationẽ, cui obſiſtat aqua mulſa? Reſpondemus non conuenire iecori mulſam, uel ſola inflammatione ſit affectum, uel tumore aliquo præter naturam cuiuſcunque ſit generis, & quocunque exiſtente in iecore, non ciet urinam propter hoc non expreſſit in iecore morbi genus, ſed in liene tantum mulſa remouetur, & impeditur, quando in eo eſt phlegmone, neq; lien ad inflammationem inclinatur vt iecur, propterea cum in liene phlegmone aderit, quæ eſt calidus effectus, impedit̃, ſi eſſet alterius generis affectus in liene, mulſa non impediretur, quin ad ciendam urinam proficiſceretur, ob hoc de liene loquens genus affectus expreſſit ſcilicet inflammationem, fiunt uero in corpore phlegmonem in liene habente duo nocumenta ex mulſa, primo augetur phlegmone, præterea & augetur febrilis caliditas, quæ totum corpus occupat.

Neque id tibi forte conueniens uidebitur quod à Galeno dicitur, atque multo magis inteſtinis, uentriq;. hic eſt Galeni ſenſus, mulſam à lienis phlegmone impediri ne urinam prouocet, & magis impediri, ſi eadem inflammatio in inteſtinis & uentre fuerit, de uentre forte dici poſſet quod omnino impediet urinæ citationem quãdo mulſa in ipſo eſt, ſed de inteſtinis abſurdum uidetur, quia mulſa non it ad inteſtina ſi ad vrinæ vias progredi debeat. Reſpondemus imo opus eſſe ire ad inteſtina, & ad iecur per meſeraicas trahi, poſtea per uenam magnam ad renes tranſmitti & inde ad alias partes.

Adde ſi inflammatio ſit in inteſtinis, mulſa ſtatim ad locum læſum trahitur, & ibi in bilem conuertitur, neque ad urinæ uias it. Hoc addidi, ſi quiſpiam caſum fingere uoluerit, inflammationem eſſe in inferioribus inteſtinis, per quam aquæ mulſæ tranſitus ad meſeraicas & ad iecur non impediretur.

Inquit & uiſcera & ventrem melle ob dulcedinem delectari. At hic non uidetur ſenſiſſe Galenus uentrẽ eſſe uiſcus, quoniã illũ contra uiſcera diſtinguit. Reſpondemus alibi uentrem viſcus eſſe fatetur, neq; illud hic inficiatur, uerũ quia ventrẽ dulcibus delectari manifeſte uidetur, propterea potius viſcera delectari, ſicuti vẽter, ut ſuperius hãc particulã interpretati ſumus. Itaq; nõ it inficias uentrẽ eſſe viſcus, ſed innuit alia uiſcera. ſ. lienẽ & iecur melle delectari cũ dulce ſit, ſicuti & venter, hócq; intellige in delectationis genere, & non in intenſione.

Ambiges & de iecore & liene, quæ dulcedinem non ſentiant. nam ſecundum eorum ſubſtantiam ſenſu carent: & ſi quem habent (ut à Galeno edocemur) eſt in parte ſuperficiali, in qua ſunt nerui, ut præterea in libello de dignotione & curatione affectus renum edocemur: ſi uero non ſentiunt, neq; ſapores percipient. vnde impoſſibile eſt vel à melle dulci delectationem percipere, cum illud non ſentiant. Reſpondemus duplicem eſſe dulcis perceptionem, alteram guſtatiuam, alteram naturalem, qua naturaliter oblectamur, ſplen & iecur cum guſtu careant, per guſtus modum non percipiunt, ſed naturalem quandã habent oblectationem, qua naturaliter uidentur dulcia appetere, quæ ſunt naturæ amica. Sed inquies, ſi hæc uiſcera naturalem delectationem tantum habent, quomodo delectantur ut uentriculus, qui & naturali delectatione & animali oblectatur? Reſpondemus in delectationis genere conuenire, neq; eſſe neceſſarium ut in ſpecie conueniant, & in omni delectationis parte.

At dices uentriculum guſtus ſenſu carere, igitur dulcedine oblectari non poſſe. Reſpondemus uentriculum ſapores ſentire in quantum illi obſunt atque proſunt. non ſentit autem eos ratione qua ſapores. Et quid dicere obſtat uentriculum per participationem & communitatem quandam ſentire? quoniam ad pelliculam linguam ſuis pelliculis tegentem continuationẽ habet. vnde in inſtrumentis quæ guſtant hic eſt ordo. Lingua prius omnibus delectatur & intenſius, poſtea gula, tertio uentriculi os. gula ex intrinſeco oris uentriculi panniculo generatur, & hic panniculus ad linguam uſque extenditur, illamq; tegit. vnde non mirum & ſi uis guſtatiua proprie in uentriculi ore non ſit, tamen per participationem & communitatẽ quandam illi inſit, quæ tamen vis per participationem & continuationem in iecore uel liene eſſe non poteſt.

Ambiges & de dulcibus quomodo à uentriculo appetantur, & illis ipſe delectetur, quia unumquodq; ſimilibus gaudet. At uentriculus eſt frigidus & ſiccus. his igitur oblectari debet: at hæc ſunt acida, auſtera, ſtyptica, quæ frigidæ ſunt & ſiccæ temperaturæ, ſicuti & ipſe eandẽ habet tẽperaturã: unde dulcibus nõ delectabitur, ſed prædictis potius: nam dulcia ſunt calida & humida, & omne mẽbrũ naturaliter diſpoſitũ ſimilia appetit, ſimilibúſq; gaudet. Reſpondemus in ventriculo duplicẽ faciunt appetitũ, unũ propriũ, alterũ cõmunẽ. At nos in illo tres ponimus appetitus. unus eſt appetitus ut nutriat̃ ne pereat & tabeſcat, & ſm hũc appetitũ, appetit ſibi ꝓpria. ſ. frigida & ſicca quibus nutriat̃, nẽpe cũ in ſuo naturali eſſe eſt, frigidis nutriri debet atq; ſiccis. Alius eſt appetitus, qui eſt fames naturalis, & ſecundũ hũc appetitũ calida appetit & ſicca, nã ut ſitis appetitus eſt frigidi & humidi, ita fames appetitus eſt calidi & ſicci. Ariſto. in ſecundo de aĩa teſte. Tertius appetitus qui cõis dici põt, is eſt, quo uentriculus totius corporis nutrimẽtũ appetit, hoc uero eſt ex humoribus in quibus ſanguis dominatur. vnde hoc nutrimẽtũ dulce eſt. hic eſt ille appetitus quo dulcia appetit, & ſi homo ſit ſanus, hic communis appetitus proprium appetitũ exuperat. Hæc ex Galeno in. 4. de ſymptomatum cauſis ehe

possint. vel dicamus ventriculum dulcibus delectari, quia talia sunt amica naturæ, quæ uitæ qualitates habent, caliditatem scilicet & humiditatem, vita enim in calido & humido consistit, & in re dulci hæc sunt egregie proportionata.

Inquit ventriculum ab amaris offendi. At oppositum uidetur: nam in libro de simplicium medicamentorum facultatibus ait amara ventriculum roborare: & de absinthio dicitur uentriculum roborare, quod tamen amarissimum est: cur igitur inquit amaris offendi? Respondemus si ventriculus sit male affectus, amaris profecto & stypticis iuuatur & si sit bene affectus, offenditur, illáque refugit.

Aloe etiam ex his est, quæ uentriculum roborare dicuntur. tamen eius amaritudinem refugit, & eius fundum subuerti uidetur, quando accipitur. neque est malus sapor qui in ore est, sed est amarities, quæ ad uentriculi os penetrat quæ hoc efficit. vnde si uentriculus ab humoribus sit liber, ab amaris offenditur, quoniam non delectant, neq; habent in quod agant, propterea nimium calefaciunt uel exiccant. Secus est si pituitosos in se habuerit humores & flatus. vt maior hominum pars habet.

Cum & lien & iecur uiscera nuncupentur, conueniens non uidetur lienem dulcioribus delectari. nam membrum est atrabilarium, quod atrabilario sanguine nutritur. nam & illo delectari debet. propterea acidis potius delectabitur. Respondemus sanguinem illum atrabilarem, quo lien nutritur adhuc aliquid dulcedinis sanguinis habere, tamen pro maiori parte habet atram bilem mistam. vnde non appetit præcise acidum, sed & dulce, quoniam non nutritur lien simpliciter atra bile à sanguine depurata. adde & si atra bile nutriretur & re acida, tamen naturali appetitu & communi dulcibus delectatur.

Secundo Galenus ad intentionem suam prosequitur, de partibus quę dulcedinem sentiunt, & quæ illa delectantur inquiens id certum esse in uocato gutture maximam exoriri uoluptatem in uocatis dulcibus, quoniam illius loci corpus quandam habet peculiarem conuenientiam cum hoc succo. Idq; scire debes corpus hoc fieri ab interna tunica uentriculi, sicuti & pellicula quæ tegit linguam, ab eadem tunica ortum habet. Tamen in lingua pellicula hæc euidentissimam habet dulcedinis sensionem, in gutture uero habet sensionem uoluptatis. At continuo manifesta efficitur sensio, & in ore uentris, quod assumpta dulcibus delectatur, modo animal se habeat secundum naturam & non sit ægrum. Inferendum igitur, uiscera hoc modo dulci gaudere succo, & cum valent plurimum ipsius ad se euocare, illóque frui & illo ali, quando scilicet animalia sunt sana. At cum animalia febriunt uel phlegmone infestantur, dulcis hic succus attractus conuenienter in succum biliosum conuertitur, ut ex his colligi possit quæ ad guttur & linguam extenditur, ab interna oriri uentriculi membrana. In lingua peculiarem habet uim sentiendi sapores, & unumquenque ab alio distinguendi. vnde sapores ut sapores à lingua, mediante illa pellicula sentiuntur, hæc uero eadem pellicula in gutture uim non habet discernendi sapores, neque illos ut sapores percipiendi sed tantum uoluptatem & tristitiam ex saporibus percipit. Si dulce sit, dulcedinem non persentit, sed tantum delectationem quandam, quam generaliter sentit, non se determinans an dulce sit, an alium habeat saporem. hæc eadem in genere delectatio, in uentriculi ore continetur: tamen non est adeo intensa vt in gutture, uerum delectatio quædam est, qua naturaliter percipit vnum esse sumptum quod sibi delectat, neque est determinata saporis species, quia hoc neque ab ore ventriculi, neq; à gutture determinate percipitur.

At viscera & si gustus sensum non habeant, neque aliquid per continuationem quo sapores percipere possint, tamen naturaliter dulci delectantur, & quia & naturæ amicum est, & secundum qualitates actiuas corpori conuenit. nam dulcis succus, ubi non adfuerit calor superfluus, in bonum sanguinem uertitur: ubi uero adest calor superfluus uel naturalis ut in iunioribus, uel præter naturam ut in febrientibus & in inflammationem habentibus, succus dulcis conuertitur in bilem, & hoc fit citius si æstiuum tempus aduenerit.

Deniq; Galenus ex experimento nutritione iecorum ex dulcibus, illa ex his augeri & probe nutriri suadet, & fieri ad esum aptiora & meliora. hoc.n. in his apparet quæ uocantur συκῶτα ex esu caricarũ hæc sunt hepata & maxima & suauissima, quoniã hepar ipsum ex dulciũ esu ut caricarũ, alimentũ copiosius accipit, quia ad se dulce attrahit quod delectat. Verũtamẽ in phlegmone & in febribus huiusmodi rerum dulcium ingestio in probum alimentum non transit, sed potius in bilem cõuertitur, quoniam febrilis calor exuperat, deficit uero natiuus qui bene temperatus est.

De sycoto Galenus agit in. 3. de alimẽtorũ facultatibus, ubi de pedestriũ animalium uisceribus loquitur, & inquit: inter iecora omniũ præstantissimũ est, non modo ad uoluptatẽ, sed ad alia etiam oĩa quod συκωτὸν appellatur, quã appellationẽ inde habuit, q; animalis mactandi iecur multarũ ficuũ siccarũ esu sic præparent, quod maxime faciunt in suibus, propterea q; huius animalis uiscera, ab oĩt animaliũ uisceribus natura multo sunt suauiora. euadunt tamẽ & illa se ipsis meliora cũ animal ipsum caricas affatim comederit. In eodẽ. 3. lib. ubi de differẽtia quæ est in animaliũ uolucriũ partibus loquiť, inquit. quemadmodũ aũt in suibus dũ adhuc uiuunt, hepar ex caricarũ pastu ad uoluptatẽ pręparatur: ita in anseribus uideo ipsorũ alimenta lacte imbui: vt nõ modo eorũ iecur fit iocundissimũ, sed potẽter etiã nutriat, ac optimi sit succi, & deiectu minime difficile, probéq; in uẽtriculo cõficiať. Hebræi nunc ex milij farina & aqua mulsa anseres pinguefaciẽtes iecuscula quinq; librarum parant esu quidẽ suauissima, sed à meo uentriculo haud probe cõficiunť.

At tibi forte nõ uidebitur iecur maius fieri posse ex ficuum esu, quoniã ut in secundo de alimẽtorũ facultatibus à Galeno edocemur, ficus attenuant & aperiunt, hócq; in iecore potissimũ faciunt: iecur igitur crassius nõ reddunt, aliter nõ attenuarẽt. Respondemus ficus aperiunt & attenuant humores qui in iecore sunt, tamẽ iecoris carnosam substãtiã ampliant, habet.n. ficus uarias partes, nã substantiã quandã habet abstersiuã secundũ quã aperiunt, & habent substantiã aliã spissiorẽ molliorẽ dulcẽ, secundũ quã iecur nutriunt, idque magnum faciunt.

Sed petes nunquid sycoton in omni ætate fieri possit, hócque forte petes, quia in omni ætate caro generatur & sanguis: sed iecur nõ est aliud q̃ sanguis coagulatus: igitur in omni ætate uidebitur fieri posse sycoton. i. iecoris magnitudinẽ cũ suauitate. Respondemus, quãdo homo iã est post cõsistẽtiã, amplius crescere nõ potest. & quod de homine dico, idẽ in omni animali intelligo. Cũ uero totũ crescere nõ possit, neq; pars aliqua crescere poterit. Quòd uero post cõsistẽtiã augmẽtũ fieri nõ possit, uerũ apparet, quia mẽbra sunt adeo exiccata, ut inepta sint extẽsioni. Id uero quod dicebať sanguinẽ in omni ętate generari, est profecto uerũ, sed ad corporis nutritionẽ est necessarius. Imo in illa ętate semper minus fit sanguinis q̃ opus sit, propterea nutriunť potius q̃ crescãt, & q̃ aliquid p modũ augmẽti addant, Ex illa parte febrilis calor exuperat, natiuus aũt deficit. nõ colligiť q; duo sint in uno febriente calores, sed est unus solus calor qui auctus est, propterea febrilis appellatur. Natiuus uero deficit, neq; amplius adest nisi uirtute. Intellige etiã natiuũ calorem esse temperatum, ut illius temperiei conuenit, qui nunc ęgrotat, quando erat sanus, illi erat temperatus.

## Hippocrates. Sectio XII.

Biliosa quoque alui deijcit magis: interdum quidem bona, sed interdum q̃ decet redundantiora, spumantioraque: quod biliosis magis, & his quibus tumefacta sunt viscera, contingit.

BRASAVOLVS.

Mulsa aqua ut superius dicebat, urinas cit, nisi ab aliquo uiscere praue affecto impediatur. Eadem mulsa biliosa alui magis deijcere facit, quę quandoque sunt bona, quandoque sunt redundantiora & spumantiora. Et si petas in quibus hominibus hæc

bus hæc contingant inquit, in omnibus contingere posse, sed magis in biliosis, & in his quibus uiscera tumefacta sunt.

καὶ διαχωρητικώτερον δὲ κάτω τῶν χολωδέων. i. & biliosa quoque alui deijcit magis. non solum cit urinas, sed & alui biliosa magis deijcit. Et si petas cur dixerit magis deijcere, quia opus est intelligere respectu cuius magis deijciat: Nonnulli intelligunt magis deijcere per aluum quam per urinam. Sed hoc absurdum est. quoniam secundum hominum dispositionem magis deijcit per aluum, quam per urinam, & è contrario. propterea dicendum hoc referri debere ad dulce uinum. nam & ipsum deijcere facit biliosa, sed nõ adeo ut aqua mulsa, & quòd opus sit ita referre, apparet, quia in decima sectione dicebat, & mulsam esse minus sinculosam quam dulce uinum, nunc modo dicit biliosa magis educere, quam dulce uinum.

Sed petes cur dicat biliosa magis deijcit, & non bilem. Respondemus quia sunt plures bilis species, quas omnes per aluum ducere apta est: ob id potius usus est uocabulo biliosa, quam bilis, per quam particulam multas bilis species annotaret, & etiam ut huius egestionis diuersitatem ostenderet. nam quandoque est bona, quandoque spumans, & ita de alijs.

Iterum ambiges, cum aqua mulsa, & pituitam & bilem atram educat, cur non dixit pituitosa quoque alui deijcit magis, & atrabilaria quoque alui deijcit magis, sicuti de biliosis eo usus est loquendi modo. Respondemus primo cõsiderare oportet quo modo mulsa aqua bilem educat & humores. profecto dici nõ potest mulsam comprimendo educere, ut rhabarbarum facit, & myrobalanum, neque ui quadam attractrice educit, ut scamonium facit, neque emolliendo ut cassia & manna, sed apud Galenum detergendo tantum educit, detergit uero omnes humores in uijs existentes & secum ducit. propterea & pituitosos, & atrabilarios educit. At de bilioso tantum mentionẽ fecit. quia loquitur in morbo acuto, qui ut plurimum fit ex bile, vel per biliosa omnes intelligit humores, nam Hippocrates per bilem omnes humores plerunque intelligit, ut vulgo nostræ mulieres faciunt.

ἔστι μὲν ὅτε καλῶν. i. quandoque quidem bona sunt hęc biliosa quæ educit. Sed hic uidetur magnus scrupus, quomodo biliosa quæ educuntur sint bona. nam si bona essent eductio esset praua, quia bonum purgare est malum. & quod bonum est, retinere optimum est. Respondemus bonum intelligit, quãtum sit de putredine, de qualitate uero quam habet, ob quam non debet in corpore retineri, non est bona, secundum has qualitates est mala, secundum putredinem, non putrida ideo bona. Vel intellige bonam bilem naturalem, quam in uijs inuenit. illam enim trahit secum ad intestina, & deijcere facit.

Copus præcedens dubium euitauit exponens interdum uitiosa sunt, interdum magis quam oportet, & exuperant, & spumant. tamen uidere nescimus quomodo exponat uocabulum καλῶς pro uitioso. At si ipse uerum diceret, tunc mulsa alui excrementa educeret, interdum uitiosa, hoc est quæ qualitate peccant, interdum exuperantia, id est quæ quantitate peccant. Et hic non esset prauus sensus.

ἔστι δὲ ὅτε κατακορεστέρων μᾶλλον τοῦ καιροῦ καὶ ἀφρωδεστέρων. i. interdum uero sunt redundantiora, quam opportunitas expetat, & spumantiora. In hac parte duo innuit, quibus peccant biliosa. unum est redundantia, aliud mala qualitas: primũ per redundantiam exprimitur. secundum per spumam.

Sed inquies quomodo fieri potest ut hæc sint biliosa spumantia? quia bilis est calida & sicca, spuma vero fit ab humiditate, unde in spuma necessario exiguntur, & humiditas quædã glutinosa, & flatus, quę potius in pituita inueniuntur, quam in bile. propterea non uidentur posse dici spumantia. Respondemus, quãuis humor biliosus caliditatem habeat, & siccitatem, tamen in se naturalem, quandam habet humiditatem, qua liquidum est, & non densum, ut ex hoc, humor nominari mereatur, & ob hanc humiditatem extendi potest. in hac uero extensione flatus & uapores huius humoris partes subeunt, & eleuationes quę sunt ampullæ, in unum uero multis ampullis redactis efficitur spuma. At in hæc argues bilis illa cum sit calida & sicca, ampullas exiccabit, & ex consequenti spumam resoluet. Respondemus, si esset humor naturalis qui à natura regeretur, forte spumam non faceret: sed cum humor sit preter naturã, nullam habens à natura regulam, conueniens est ut spumam faciat. nam cum sit talis, ebullit & agitatur. Ex quibus fit spuma, & si aliquam portionem resoluat, multæ tamen aliæ spumæ, ob agitationem & ebullitionem oriuntur.

μᾶλλον δὲ τὸ τοιοῦτον τοῖσι χολώδεσί τε καὶ μεγαλοσπλάγχνοισι γίνεται, id est, hoc uero magis contingit biliosis, & his quibus tumefacta sunt uiscera, nam biliosi bile abundant, quæ facile agitur, & spumantior per ebullitionem euadit habentes uiscera tumefacta, & ipsi sunt pleni flatu, unde si biliosa deijciunt, sunt spumantiora ob flatus miscellam cũ bile, & hoc cũ mulsam sumunt, quæ simul ebullit. hoc de biliosis, & tumefacta habentibus uiscera, & ad id referri potest quod in principio sententię est scilicet biliosi magis deijciunt biliosa per mulsam, & qui habent tumida uiscera magis deijciunt biliosa ex mulsa, quam ex uino. potest & hæc sententia ad id quod est magis propinquum referri, ut contingat biliosis magis, & uiscera habentibus tumida redundantiora habere biliosa & spumantiora. Utrũque uerum est. tamen sententia verius accommodari uidetur, ut ad redundantiora & spumantiora referatur, quæ est particula propinquior.

GALENVS.

Reuocare ad memoriam oportet dictionem ante enunciatam: in qua mulsam uino dulci comparans, dicebat: Porro & siticulosa minus, quàm dulce uinum existit. Nam & hoc in loco mulsam eandem ad uinum dulce comparans, biliosa alui excremẽta deijcere magis pronunciauit. Nempe & biliosa deijcere uinum dulce potest. Verum mulsa, biliosa interdum quæ bona sunt subducit, interdum & uitiosa, quæ sincere admodũ biliosa existunt, bilem scilicet uel igneam, uel flauam habentia, crassámque. Bilis igitur ea spumam accipit sepius quidem ratione ea qua in his quæ uehementer igne calfiunt, spuma exurgit: sæpenumero autem & in his quæ à flatu agitantur humidis. Horum primum caliditatis exuperantis nota est: secundum uero instrumentorum angustiam, & flatuosi spiritus interclusi, uiámque haudquaquam liberam habentis agitationem denotat. Biliosa autem huiusmodi magna ex parte subducuntur in his febribus quę liquefaciunt, & ad tabem perducunt, quibus fermè omnium aduersissima, nocentissimáque est mulsę potio, ueluti & modo contrario potio aquę frigidę iuuantissima. Excrementum huiusmodi ait à mulsa magis generari his qui natura biliosi, id est immoderate calidi existunt, atque in his morbis quibus uiscus aliquod phlegmone infestatur. Commune siquidem nomen hoc in loco eorum qui inflammantur, peculiare fieri uolumus. Neque enim propter scirrhum uel oedema febris incenditur. Ergo quòd in acutis morbis, de quibus agit Hippocrates, ubi tumor in uisceribus fuerit, phlegmones symptoma fit, non oedematis, uel scirrhi, constat omnibus. Hos autẽ nunc μεγαλοσπλάγχνους appellauit, quasi uiscerosos dixeris.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus notat, reuocandam esse ad memoriam, sententiam prius dictam, in qua mulsam vino dulci comparans sectione decima dicebat, esse minus siticulosam quam dulce uinum. Et in hoc etiam loco mulsam ad dulce uinum comparans inquit, mulsam biliosa alui excrementa magis deijcere, quam uinum dulce. de hócque ne admireris, quoniam & uinum dulce biliosos humores educere potest. At mulsa ipsa interdum biliosa quę bona sunt, subducit, interdum uitiosa, hęc uero uitiosa sunt biliosa, admodum sincera. sunt uero talia quę bilem habent uel igneam uel flauam & crassam.

Nota à Galeno dici illa biliosa esse uitiosa, quę sincere admodum biliosa existunt. consueuit Galenus sinceras deiectiones uocare illas, quę non sunt permistę aquosę humiditati, sine cuiuscunque generis. unde in. 6. 7. libri aphorismo, ubi dicebat, in morbo diuturno fastidium cibi & deiectiones sinceras malũ. Galenus inquit, sinceras deiectiones nominauit impermistas:

aquosæ humiditati, quoniam solus humor euacuatus deijcitur, siue sit biliosus, siue melãcholicus, siue porri colorem pręſe ferens, siue bilis, quæ æruginosa nominatur, nam deiectiones huiusmodi exustam esse natiuam humiditatem à calore febrili demonstrant. Ad rem igitur, uocat Galenus biliosa sincera illa quæ non erant permista aquosæ humiditati, quæ erant vel biliosa habentia ignis fulgorem, per quam possemus intelligere bilem adustam vel flauam. Sed id quod sequitur crassamque sinceris biliosis conuenire non uidetur. nam si sincera sunt, quo modo crassa, quia bilis sincera tenuis est nõ crassa? Dicere possemus, cum adsit bilis κιῤῥὰ .i. fulua, quam nunc puto uocasse igneam, & quam vocat quoque ξανθὴν .i. flauam, & adsit bilis uocata vitellina, quæ est vna bilis species tamẽ est crassa, proptεrea vtranque speciem prosequi uolens ratione qua suis in speciebus sunt sinceræ, primo primam innuit inquiẽs igneam, secundo secundam cum dixit flauam & crassam. per hoc enim uitellinam intelligit, quæ re uera crassior est simpliciter flaua, & fulua, vel de adusta bile loquitur, quæ ob adustionem, crassitiem quandam contrahat, & acquirat. Et quamuis dicat biliosa habentia bilem igneam vel flauam, ex hoc aliud non intelligit, quàm ipsas biles igneam. s. & flauam, & crassam adustam.

Secundo docet, quonam modo spuma in bile gignatur. potest dupliciter generari. vno modo ratione illa qua spuma in his gignitur, quæ vehementer calefiunt, vt in ebulliente lebete. potest & spuma fieri ut in his humidis quæ flatu agitantur, vt in maris vnda. Si primo modo fiat est exuperantis caliditatis indicium. Itaque cum biliosa uidebis spumantia, ob febrilem calorem, bilem ebullire facientem & spumam inientem signum est uehementissimam adesse in hoc corpore caliditatem: si vero ob motum & solam agitationem fieret, instrumentorum angustia significatur, & quòd spiritus flatuosus est interclusus, unde significatur uiã nõ esse penitus huic flatui liberã sed per illã agitari, & in bile quæ est in hac angusta uia ampullas excitare. Nota igitur flatum non esse interclusum vt moueri non possit, sed mouetur & impetuose, neq; exire potest. vnde biles in vijs illis contentas refrangit, illisq; cõmiscetur, & spuma excitatur.

Tertio Galenus notat in quibus febribus fiant biliosa spumantia inquiens in illis fieri febribus, quæ corpora liquefaciunt, & ad tabem perducunt. nam in omnibus his aduersissima est & nocentissima mulsæ potio ueluti è contrario, aquæ frigidæ potus est cõuenientissimus. fiunt autẽ biliosa spumantia, ob agitationem & ebullitionẽ à calore febrili bilem ebullire faciente. Sed petes quęnam sint febres quę liquefaciunt. Respondemus, sunt uehementissimę febres, quæ humidum consumunt, quo consumpto homo fit hecticus. hæ febres sunt calidissimæ. propterea non mirum si biles ebullientes fiant spumosæ. hic vero differẽdum esset de colliquatiua febre apud Galenum, & marasmo, sed reseruabimus ad locum commodiorem.

At inquies, cum hę febres sint uehementissimę, igitur flatus resoluent suo vehementissimo calore, igitur non facient biliosa spumantia, sed potius oppositum. Respondemus omnino ex febris uehementia resolui flatum, qui iam adest, tamen non auferetur quin per ebullitionem materiæ cuiuscunque sit generis alter excitetur flatus, & simul ebulliens cum bile misceatur, & illam spumosam reddit.

Quòd autem in febribus quę ad tabem perducunt nõ sit danda mulsa, Galenus in. x. Methodi prope finẽ ostendit, inquiens: Cęterum abstinẽdum (quod fieri potest) in hecticis febribus à melle est, atq; iccirco à mulsa etiam, quippe protinus in bilem uertitur, & sicciores, acrioris q; caloris febres reddit. Tamẽ nõ erit adeo illis aduersissima (ut hic dicit) mulsa dilutissima, quoniam multum aquæ habet, quam hic conuenire dicit.

Quarto Galenus notat hoc excrementi genus. s. biliosi, spumantis, à mulsa magis generari in his qui natura biliosi .i. immoderate calidi sunt. Et adde in his etiam morbis magis generari, quibus aliquod uiscus inflammatione infestatur. At quia superius sectione. 9. exposuerat uocabulum μεγαλοσπλάγχνους pro his qui haberent quodcunque tumoris genus in uisceribus, hic uero solum inflammationem habentes intelligi. propterea inquit in hoc loco commune nomen accipere uoluisse, pro proprio & peculiari eorum qui inflammantur, quoniam neq; propter scirrhum, neque propter œdema febris incenditur. propterea omnibus constare arbitratur Galenus, in acutis morbis de quibus agit Hippocrates, ubi tumor in uisceribus fuerit, phlegmones symptoma adesse, non autem uel œdematis vel scirrhi. In pręsentiarum uero hos μεγαλοσπλάγχνους nuncupauit ac si dixeris uiscerosos.

Inquit ob œdema uel scirrhum febrem non accendi. At superius sectione. 9. dicebat in scirrho & œdemate mulsam in bilem conuerti, quoniam & trahebatur, & retinebatur ne descenderet. At ea in bilem conuersa, febris accendi potest, igitur & in œdemate & scirrho febris poterit excitari. Respondemus id intelligere, non quia febris in his tumoribus frigidis gigni non possit, & quòd mulsa in bilem non uertatur, sed quia nõ fit acuta febris uel nõ adeo acuta, imo quantũ sit de ratione horũ tumorũ ut in sua sunt spẽ, in ipsis febrẽ accendi, necessariũ nõ est. Scito Galenum exponere natura biliosos, id est, τοῖς θερμοῖς ἀμέτρως hoc est immoderate calidos, nam ex immodica caliditate, etiam si quis non esset biliosus, hęc incideret. rarissimũ vero est quòd sit immoderate calidus, & non biliosus.

## Hippocrates. Sectio XIII.

Mulsa præterea quæ dilutior est, sputum educit magis, pulmonemque lenit. Meracior vero spumosa excrementa, atque plus quàm conuenit valde biliosa calidioraque quàm dilutior agit magis.

BRASAVOLVS.

In huius partis initio, qua de mulsa aqua agere cœpit Hippocrates, Triplicem esse mulsam docuimus, dilutam, mediocrẽ, & meracam, hæc distinctio ex hoc Hippocratis loco colligi potest, quãuis extremorum tantũ meminerit, ex quibus medium subintelligendum censet. Quod uero hic edocet tale est, mulsa dilutior sputum magis educit, & pulmonẽ magis lædit nã habet plus aquæ quàm mellis, quippe tantum recepit mellis ut penetrare possit, neq; tantum habet, ut sitim inducat. At mulsa meracior spumosa excrementa magis facit, quàm dilutior, & agit plus quàm ualde conueniat ualde biliosa & ualde calidiora, quàm dilutior, quoniam meracior multum habet mellis, iccirco biliosa trahere potest, & ipsum met mel ubi adest bilis, in bilem facile uertitur, ut biliosa excrementa simul augeat.

πτύαλον μὲν οὖν ἀναγωγὸν καὶ πρηΰνει μᾶλλον τὸ ὑδαρέστερον πλεύμονα μᾶλλον .i. sputum quidem magis educit, & pulmonem magis lenit mulsa dilutior. Aqua simplex sua frigiditate in hypochondrijs moratur, quoniam nihil habet in se qualitatum per quas meet, pręter lubricitatem. mel uero in acutis morbis utpote calidioribus & biliosioribus facile in bilem vertitur, ut unicuiq; horum auferatur quod uitiosum est, simul miscentur, & tali mistione, ut parum adsit mellis, & aquę multũ, itaque à melle aquę dabitur, vt penetret, ab aqua melli datur, ne in bilem facile uertatur, ratione qua penetrare potest ad pulmonem peruenit, & sputa educit, imo ob illam remissam dulcedinem, quę siticulosa esse nõ potest, pulmonẽ ipsum lenit. At de mulsa aqua diluta dubitabis, quã dicit sputũ magis educere meraciore, quod absurdum uidetur. nam mel minus aquę mistum, & meracius dulcius est, quàm magis aquę mistum, & magis abstersiuũ est. Igitur aptius est pulmonẽ magis emundare, & à sputo liberare, & alias thoracis partes. Respondemus, mel in mulsa meraciore, cũ suã uim habeat uehemẽtẽ, statim circa uẽtriculũ & intestina agere incipit. vnde, ut dicet, magis deijciet biliosa excrementa. hinc cum in has agat partes, eius uis circa thoracem & pulmonem fit imbecillior. non enim peruenit deinceps uis mellis, quę iam suas egit partes, usque ad thoracem. Secus est diluta mulsa, in qua non imprimit in uentriculum & in intestina suã actionem, sed ad iecur distribuitur, & à iecore ad pulmonem.

ad pulmonem. propterea in thoracem magis agere potest, q̃ in uentriculum egerit & intestina. Adde mel in his bilescere qui morbos patiuntur acutos, antequam sua ui ad pulmonem deueniat. Et si illuc peruenerit, sitim inducit, ob quam sputa ad exitum redduntur ineptiora.

τὰ μέν τοι ἀφρώδεα διαχωρήματα, καὶ μᾶλλον τοῦ καιροῦ κατακορέως χολώδεα, καὶ μᾶλλον θερμὰ, τὸ ἄκρητον μᾶλλον τοῦ ὑδαρέος ἄγει. i. spumosas uero deiectiones, & plusquam conuenit biliosiores & calidiores, meracior magis q̃ dilutior agit. vt sensus sit meraciorem mulsam deiectiones spumosas magis educere, q̃ dilutiorem, & biliosiores deiectiones magis educere, & calidiores, q̃ aquosam & dilutam.

Scito non solum educere excrementa spumosa si quæ sint, sed & illa augere, ut & bilem auget cum in ipsam conuertatur.

At dices non uideri se posse compati deiectiones spumosas & biliosas, quoniam spumosæ ex pituita fiunt, quę in vapores attenuatur, & non resoluitur. At biliosæ spumosis oppositæ sunt. Respondemus imo in exitu se cõpatiuntur. & experientia ostendit nonnunquam simul exire biliosa, atrabilaria, & pituitosa, & spumosa & non spumosa, & hæc una sola deiectione, propterea simul esse possunt. tamen quia per spumosa, spumosa biliosa intelligit, propterea dicimus, & spumam fieri ex bile. nã ut aliquid in spumam uertatur, non est opus ut pituitosum sit, sed satis est, ut aliquid habeat glutinosum. Vnde cum in omni humore aliquid sit glutinosi, in omni etiam potest fieri spuma. Imo & si non esset aliquo modo glutinosum, per ebullitionem & agitationem fit glutinosum, & bullæ in eo excitantur ut in pura aqua uidere licet.

Dubitabis præterea cur ab Hippocrate dictum sit biliosiora & calidiora, nam quod biliosius est, calidius est, erat igitur satis dicere uel biliosiora, uel calidiora, & aliud relinquere, ne esset in uerbis superfluitas. Respondemus, cum multæ sint bilis species, ut in speciebus diuersitatem notaret, dixit biliosiores, forte flauam intelligens, postea calidiores addidit, per hanc forte illã intelligens, quam in præcedenti commentatione igneam uocauit, quando flaua aliquid habet adustionis.

At petes si dilutior sputum educit magis, & pulmonem emollit, meraciore, & meracior magis deijcere facit spumosa & biliosiora, q̃ dilutior, quid faciet media? quæ nec est dilutior, neque meracior. Respondemus medium seruare modum, pulmonem non ita emollit ut dilutior, neque ita cit sputa. tamen magis emollit, & magis cit sputa q̃ meracior. præterea nõ ita educit spumosa & biliosa vt meracior, sed neq; tam parum vt diluta, ut inter utrasque medium seruet. Sed petes cur Hippocrates & Galenus hic de illa mentionem non faciant quæ media est. Responderem, quoniam consueuerunt uirum iudicij probi ex extremis media facile posse complecti: imo & medium hoc plures habet gradus, ut uni extremo magis appropinquat, q̃ alteri.

GALENUS.

Mel in acutis morbis bilescere, atq; ob id nobis afferre molestiã antea dixi. Aquã præterea tarde penetrare, atq; in hypochondrijs diutius morari, atq; ob eas res fugiẽdam. At quod ex utrisq; mixtũ sit, cõueniẽs redditur: quod ea constet tẽperatura qua aquæ plurimæ tãtũ mellis permixtũ fuerit, ut uiã aquæ paret, & ad distributionẽ agat. Nempe his ita tẽperatis, urinæ facilius penetrabunt, ocyusq; sputũ educetur. Quòd si mellis plurimũ admixtũ fuerit, sitim facit, & uiscosum reddit sputũ. Atq; ob eas res aquosior mulsa, tũ ad sputi eductionẽ, tũ ad penetrationẽ urinarũ idonea magis existit: meracior uero ad uẽtris deiectiones. Nempe quanto magis proritabit, tanto magis & uelocius subducet. Clysteribus ergo infusa quo meracior, eo magis excretoria reddetur. Causáq; erit deiectionũ, tum earũ quę κατακορέως. i. ἱκανῶς, hoc est ualde biliosæ existunt, tũ spumosarũ. Talia siquidẽ trahere magis potest q̃ intestina tũ mordere, tũ detergere. Adde quòd & in bilẽ flauã transiens, ea occasione biliosorũ excrementorũ copiã, simul adauget: quo fit ut ipsius usum nõ laudet Hippocrates. Declarat autẽ ex horũ verborũ adiectione καὶ μᾶλλον τοῦ καιροῦ κατακορέως χολώδεα. i. atq; plus q̃ cõuenit ualde biliosa. Nã μᾶλλον τοῦ καιροῦ dicere cõsueuit pro μᾶλλον τοῦ προσήκοντος. i. plus q̃ cõuenit. Spumosas itẽ deiectiones & in prognostico damnauit. Et κατακορέως. i. ἀκράτως, hoc est sincere biliosa mala sunt. Neq;. n. κατακορέως neque ἀκράτως, sed mediocriter talia esse oportet. Horũ igitur non immemor, cũ uel ex mulsa epota, uel absq; ipsa quis spumosa simul & sincere biliosa deiecerit, febrẽ scito eius esse quæ liquefaciat, & ad tabem perducat: atq; ob id ab usu mulsæ abstineto atq; in ptisanæ cremorẽ deuenito, signum, quodpiam coctionis morbi quantumuis momentaneum ex urinis obseruans. Nam si tunc frigidam dederis, maximo eris præsidio.

BRASAVOLUS.

Primo Galenus notat ab ipso superius dictũ esse, mel in acutis morbis bilescere, & ob id nihil esse molestũ. Dictũ præterea est, & deinceps dicetur egregius aquã tarde penetrare, & in hypochondrijs diutius cõmorari. dictúmq; est aquam ob hęc frigidã esse. At quod ex aqua & melle cõmistum est, cõueniẽs efficitur & redditur, modo illa constet temperatura, qua puræ aquę tãtũ mellis solum commistum sit, ut aquæ uiam paret, & ad distributionem ducat. Cum enim mel aqua ita temperatũ sit, urinæ uias aperiet, faciliúsq; & ipsa mulsa & urinæ per proprias uias penetrabunt, & sputum ocyus educetur ac facilius. At si mulsa plurimum mellis receperit, sitim facit, ex qua uiscosius redditur sputum. Vnde inferre oportet aquosiorem mulsam, & ad sputi eductionem, & ad urinarum penetrationẽ magis idoneam esse meraciore.

Petes quænam illa sint, quorum unũquodq; per se sumptũ febri obest, uel acuto morbo, & simul cõmista prosunt. Respondemus id cõtingere quando cõponentia per oppositas uirtutes se corrigunt, ut in aqua & melle, vnũ id corrigit per quod aliud oberrat. At si vnum alterius uim augeret, simul mista prodesse non possent, sed potius magis obessent: ut de vino meraciore, quod in febre acuta ob eius caliditatem minime ualet. Neq; piper in febre acuta eadẽ ratione cõuenit. Si uero simul misceantur, adhuc minus febri acutæ cõueniunt, quoniã unum alterius qualitatẽ nõ corrigit, qua acutę febri oberrat. In mulsa aũt diluta mel ineptam aquæ penetrationem corrigit, aqua uero facilem mellis conuersionem in bilem.

Petes præterea quãtũ mellis cõmisceri debeat, ut aquæ uia pateat, & sit mulsa diluta. Respondemus, superius in mulsæ cõpositione regulã dedimus, quã cõpositionem ex octauo methodi colligere debemus, cum decet mulsam meracissimam ex tam exigua fieri debere aqua, ut liquatum mel exiguos cutis meatus facile ingredi possit, per oppositum erit illa dilutior, quæ tam parum habebit mellis ut uix sentiatur. Ita enim facit, aquã patentẽ habere uiã, & uim illi tribuit ad urinæ uias penetrandi, & ad pulmonẽ, cũ & ipsa aqua & si frigida, tamen labilis sit, nempe una est ex tribus egregijs aquę proprietatibus labilitas. Sunt uero illæ esse labilem, nabilem & potabilem.

Forte petes, quando mellis recipiet plurimum, quantum scilicet. Respondemus, tantum vt meracior appellari possit: meracior autem appellabitur, quando mel tantũ receperit aquæ, ut uim habeat per poros & insensibiles meatus facile penetrandi, vt ex. 8. Methodi superius dictum est.

Secundo Galenus docet meraciorẽ mulsam ad uẽtris deiectiones esse magis idoneã. nã uentrẽ proritat, & quãto magis proritabit, tanto magis & uelocius aluũ subducet. vnde mulsa clysteribus infusa quãto meracior est, eo magis excretoria reddit, & tunc ipsa mulsa causa erit deiectionũ & ualde biliosarũ, & spumosarũ. vsus est aũt uocabulo κατακορέως pro ἱκανῶς. i. ualde, mulsa equidẽ hęc magis trahere secũ oportet, q̃ sit apta & mordere, & detergere intestina. Adde mulsam ipsam in flauã bilem transire, propterea causam esse ut ob id biliosorũ humorum copiam simul adaugeat, cum ipsa sit effecta bilis, & mista bilis, quę est in corpore. onde ob hoc eius usus ab Hippocrate non laudatur. idq; ex horum uerborum adiectione declarat καὶ μᾶλλον τοῦ καιροῦ κατακορέως χολώδεα. i. & plus q̃ cõuenit ualde biliosa. nam Hippocrates dicere cõsueuit μᾶλλον τοῦ καιροῦ pro μᾶλλον τοῦ προσήκοντος, hoc est plus q̃ cõuenit.

sed & in sumptione per os unde quanto magis habebit mellis, tanto magis erit ductiua. nota tamen in acutis morbis tutius esse uti mulsa aqua in clysterijs, quàm illam per os accipere.

Petes an mulsa in clysterijs sumpta in bilem conuerti possit. Respondemus, si talis esset in intestinis inflammatio quæ ad se mulsam per se clysterem iniectam traheret, fateremur in hoc casu, in bilem prorsus conuerti posse. neque istud mirum, quia in locum trahitur ualde calidum & inflammatum, imo in magnis indigentijs ad iecur per meseraicas trahi posset.

Petes iterum nunquid mordeat intestina mulsa meracior, quia inquit posse magis trahere, quàm intestina mordere & detergere, igitur aliquo modo mordere uidetur. quod si fatearis, stat in Galenus oppugnat, qui octauo methodi mulsam inter detergentia reponit, & non inter mordentia. Respondemus, in detersione est quidã morsus non tamen uerus morsus, propterea mordere dixit. vel intellige quod mordeat, non quando est sub mulsæ aquæ forma, sed postquam mulsa fuerit in bilem redacta, tunc bilis illa magis mordicat. tamen Galenus expresse sentit mulsam mordere in primo. de alimentorum facultatibus libro, ubi de mulsa agens inquit, quod si distribui celeriter non anteuertat, excretionem non secus ac flaua bilis sua acrimonia ac mordacitate irritat. vnde fatemur esse mordacem mulsam, & si Galenus illam in octauo methodi faciat detersoriam, est simul detersoria & mordax.

Sed petes an bilis à mulsa facta sit reliquis mordacior & calidior. Respondemus iudicandum esse longe calidiorem fieri & acutiorem, quàm illa quæ ex frigidis cibis sit facta, vel non ita calidis uti mel. Si uero essent cibi melle calidiores, ex quibus bilis conficeretur, bilis illa adhuc calidior esset, tamen mel facilime in bilem transit. nam fere habet bilis consistentiam, & colorem & caliditatem, ac siccitatem. tamen hæc non sunt adeo intensa vt in bile.

Petes, an nonnunquam meracior mulsa in acuto morbo conuenire possit. Respondemus nunquam conuenire ratione qua est acutus morbus. nam ut acutus, calidus est & biliosus, tamẽ possent esse tot aliæ conditiones in aliquo ægro morbum acutum patiente, ut illæ conditiones morbi acutiem euincant, & medicus hac acutie posthabita, ad alias conditiones quæ acutiei morbi oppositæ sunt, respectum potius habebit, ut si sit uir senior qui acuto morbo laboret ut contingere potest, & plerunque contingere uidemus, hicque senex sit in regione frigida, & in tempore frigido, nihil tunc prohibebit meraciorem mulsam exhibere.

Petes, an omnes homines deijcere faciat mulsa. Respondemus secundum Galenum, omnes deijcere non facit. At inquies quinam deijcient, & qui non? Respondet Galenus in primo de alimentorum facultatibus, ubi de peponibus agit & melopeponibus, & præcocibus, & persicis, & inquit hæc quandoque adstringere, postea addit. Quin & melicratum in quibus celeriter distribui occupat, nihil aluo ad excretionem confert, quin imo cibis secum commistis ad distributionem præit: quod si distribui celeriter non anteuertat, excretionem non secus ac flaua bilis sua acrimonia ac mordacitate irritat. vt hinc colligi possit, non excitare aluum ad excretionem, quando celeriter distribui occupat.

Tertio Galenus notat spumosas deiectiones damnatas esse, & in prognostico in secundo libro, & præterea κατακορέως, hoc est, ἀκρήτως. i. syncere biliosa mala sunt, nam deiectiones non debent esse κατακορέως: neque ἀκρήτως. i. sincere tales, sed debent esse tales hoc est commistæ aquosæ humiditati. Cum igitur tu harum rerum non eris immemor, quando uel ex epota mulsa, uel absque ipsa quispiam spumosa simul, & sincere biliosa deiecerit, scito illum qui acutam eam febrem patitur, & spumosa hæc emittit, uel sincere biliosa, febrem habere ex eo genere quæ liquefaciunt, & ad tabem perducunt. idque est ex intensa morbi caliditate, qua corporis humidum exiccatur: nã spuma fit ex uehementi ebullitione, & sincere biliosa sunt calidissima. Et si petas an mulsa tunc danda, Galenus respondet ab usu mulsę tunc esse abstinendum, & potius ad ptisanę cremorem transeundū. Tamen coctionis morbi signum obseruare debes, quamuis momentaneum sit hoc ex urinis signum. In eo enim casu & eo tempore si frigidam dederis, maximo erit præsidio.

Petes, an semper sint damnandę spumosę deiectiones. Respondemus, semper ab Hippocrate damnantur, quoniam fiunt uel ob uehementissimum calorem, qui ebullire facit, & flatus secũ miscet, uel ob diminutam caliditatem factę sunt, quę potest quidem quod crassum & pituitosum est, in flatus attenuare, at penitus resoluere non potest.

Petes prǽterea quęnam sint peiores. Respondemus, illę quę ob igneam fiunt caliditatem ebullire facientem. nam plerunque absque alio prauo affectu, ob diminutam caliditatẽ deiectiones spumosas habemus. Verum hoc in acutis febribus nõ cõtingit, in quibus calor est uehementissimus.

Petes cur dixerit quod oportet esse mediocriter talia. Respondemus, Galenum. 7. aphorismorum (vt superius dictum est) sinceras uocasse deiectiones illas quę nõ erãt commistę aquosę humiditati. nam quilibet humor suam habet aquositatem, neque unquam est sincerus cum homo sanus est: cum uero humor ab hac humiditate liberatur, tunc dicitur sincerus, neque talis esse potest, nisi ob magnam caliditatem. vnde cum sunt biliosa sincera, sunt vel bilis flaua sine aquositate, uel prasinea, uel æruginosa, quę semper sunt pessimę. At cum aquęę humiditati miscentur, mediocriter se habere appellantur, neque sincere sunt, & ita recte se habent.

Petes, cur si sint sincere biliosa & spumosa, homo febrem habet ex his quę liquefaciunt. Respondemus, cum sunt sincere biliosa sunt calidissima. hoc certum est, quia aquosa humiditas est resoluta. qua resoluta incipiunt resolui membrorum humiditates. itaque liquescunt corpora & tabida fiunt. vocabulum hoc tabidum arctius pro hecticis accipientes. nam uocabulum tabes apud Celsum, & atrophiam, & cachexiam & phthisim significat. Eodem modo, si spumosa sint, ita ob ebullitionẽ effecta sunt, & ita ob nimiam calefactionem membra liquescunt.

Ambiges & in eo quod dicit ab usu mulsę abstinendum, & in ptisanę cremorem deueniendum, tamen signum aliquod coctionis morbi in vrinis obseruans, quantuncunque ἀκαρῆ, id est, momentaneum & breue.

At dices signum ab urinis sumptum non esse momentaneum, neque breue, neque paruum, sed esse ex pręcipuis signis quæ haberi possint, quippe in libro de iudicationibus illa perfectissima signa esse fatetur, quę ab urinis sumuntur. Respondemus non intelligere esse momentaneum & breue signum, id quod ab urinis simpliciter sumitur, sed innuit ad ptisanę cremorem deueniendum non esse, neque ad aquę exhibitionem, nisi signũ aliquod uideris coctionis ex urinis. Eo enim uiso, quamuis modicum sit, & momentaneum, homo statim absque vllo timore hęc agere potest.

Petes prǽterea quę sint signa coctionis in urina. Respõdemus, de his in pręsentiarum loqui non esse opus, sed suo loco de signis coctionis in urinis ample loquemur. Interim tu Galenum in toto de iudicationibus libro legere poteris, qui de his ample differit.

Dubitabis etiam de cremore ptisanę, qui conueniens cibus nõ uideatur, quoniam datur in morbis acutis: sed hi qui febres incidunt, in quibus fit liquefactio & tabes, febres incidunt longas, in quibus ptisanę cremor non conuenit: sed opus est ad iura deuenire, & confusa uocata, ac similia. Respondemus, Hippocratem & Galenum in febribus acutis loqui, in quibus potest secunda die statim incipere fieri liquefactio, tunc tu uiso aliquo coctionis signo, imo neque hoc uiso, ad ptisanę succum uel ad ptisanę cremorem transito. Si deinde res prorogaretur, cibum secundum morbi longitudinem immuta res. Tamen & in morbo longo ubi adest liquefactio, ptisanę succus etiam cõuenit, sed in iure coctus, & alijs nutrientibus ac humectantibus egregie miscetur.

De aqua uero frigida quomodo preberi debeat, in ea agemus parte, in qua de aqua pertractabit. non dari potest frigida aqua & singulatim dum homo parum bibit, & sępe, & una tantum uice, ut sitis extinguatur. primo modo in his febribus pro potu datur. secundo modo ad febrilem extinguendum calorem datur, & ad febris eradicationem, quę fit, uel per sudorem, uel per alui deiectionem, uel per urinę profluuium.

Petes, quomodo intelligat dandam esse frigidam. Respondemus, intelligit in potu, quoniam & refrigerat corporis partes su percalefactas, & exiccatas humectat. ueruntamen si inflammatio commista adiuerit, uel tumor aliquis in intestinis, uel aliud simile, non est danda frigida, quod & ab Auicenna notatur. At si simplex sit liquefactio à calore febrili facta, danda est, & conuenit. in. x. Methodi Galenus in hecticorum balneis ex aqua frigida factis, notat balnea debere esse frigida, modo non adsit aliquis abscessus, aut aliqua inflammatio. Additque Galenus, si hectica laborans sit pauci sanguinis & nudus carne, & expers adipis, nō est exhibenda frigida, quoniam hi nullum habent corporis munimen, quod frigidæ vim sine noxa excipiat: potest autem tuto subire, qui carne abundat, iuuenis, æstiuo tēpore. imo ait, qui hectica febricitantes ad balneum accedunt, nisi in frigidam sint dimissi, nihil iuuantur. At inquies, si mergatur in frigidam, calor extingui poterit. eodem pacto si bibatur frigida. Iccirco Galenus Thucydidis sententiā adducit, necessarium esse quandoque periclitari. Quibus enim alia salutis ratio non est, & quæ vnica uidetur, ea dubia est, necessum arbitror his est aduersus periculis ire. vnde cum hoc sit remedium præcipuum licet ambiguum, tamen subeundum. Imo addit Galenus, sed nec error ipse aut mortiferus est, aut irremediabilis: siquidem quos in extinguenda febre, aqua frigida in contrarium effectum transtulit, hos licet in toto quod sequitur tempore, calfaciendo sanare. Conuenit ergo tanquam præsidium generosum, sed tale quod simul periculosum est, uerum nō difficulter ipsius noxę occurritur, si in patiēs corpus inferatur, postquā calor febrilis fuerit extinctus. Et quod in balneis dicit, idē in potu intelligimus: quāquam aliqua intersit differentia refrigerantium quæ per os sumuntur in hoc casu, & quæ extrinsecus applicantur. Nunc uero hæc satis sint.

## Hippocrates. Sectio XIIII.

Deiectiones autem huiusmodi habent quidem & alias quæ graues sunt offensas. Neque enim hypochondriorum extinguunt ardorem, sed excitant: inquietationemque & membrorum iactationem faciunt: intestina etiam, sedemque exulcerant.

BRASAVOLVS. Cum mulsa meracior spumosa educat, & biliosa excrementa, magis quam dilutior, hæ profecto deiectiones quæ & spumosę sunt & biliosę, graues alias significant offensas. nam & si deijciantur, tamen hypochondriorum ardorem non extinguunt, sed magis excitant, faciuntque inquietationem, & membrorum iactationem. Adde & intestina & sedem exulcerare. deiectiones propterea spumosæ & biliosæ sinceræ has noxas faciunt.

τὸ δὲ τοιοῦτον διαχώρημα ἔχει μὲν καὶ ἄλλα σίνεα μεγάλα. i. tales uero deiectiones habent quidē & alias graues offensas. erant uero spumosa, & plusquam conuenit biliosa.

Sed petes quænam sint reliquæ offensæ supra dictæ: nam dicens alias offensas, necesse est, ut superius nonnullas posuerit. Respondemus, aliæ sunt esse calidiores, quam conueniat, nam hac qualitate & corpus nimis quam conuenit, inualescit.

οὔτε γὰρ ἐξ ὑποχονδρίων καῦμα σβέννυσιν, ἀλλ᾽ ἐγείρει. i. Neque enim ex præcordijs ardorem extinguunt, sed excitant biliosæ deiectiones. quando in aliqua corporis parte ardorem fecerint, & exeunt, cessat ardor. At hæ biliosissimæ spumosæ & malignæ, quamuis exeant, tamen ardorem nō extinguunt. imo potius excitant, quoniam in præcordijs fixæ prauam qualitatē induxerant, & succos omnes in bilem conuerterant, cum mouentur, magnam faciunt agitationem in præcordijs & ebullitionē. Vnde caliditas & ardor, potius augetur, quam extinguatur. Sed inquies quanto plus de hac biliosa sincere materia corpus exit, tanto minus in corpore relinquitur. At minori existēte materia, & ardor minor efficitur. Respondemus, si hæc biliosa, vi naturæ dominantis, quę regulariter illa excreuisset, exirēt, prorsus ardor cessasset, quia natura quod iam coctum esset expulisset. At in hoc loco ex ui aquę mulsæ meracioris exeunt, & si per se exirent, per symptomatis modum exirent. Sed inquies, tamē illa maxima est vera, diminuta causa diminuitur effectus. Respondemus, simul cum diminutione materię, & aliquid boni minuitur. vnde fieri potest ut causa aliqua minuatur, & effectus crescat, quando illa quę simul cum causa diminuuntur, effectum crescere faciunt, ut in prędicto casu.

Dices uero si non adsit ardor in hypochondrijs, quomodo augebitur? Respondemus adesse supponitur, quoniam in acutis febribus ardor has pręcordiorū partes pręalijs occupat, si adsit non extinguitur vt fieri consueuerat, sed ob materię maliciam excitatur.

ἀλυσμόν τε καὶ ῥιπτασμὸν τῶν μελέων ποιεῖ. i. inquietationémque, & membrorum iactationem faciunt. Hippocrates semper iudicauit inquietationem in morbis pessimum esse signum. nam in ęgro non potest esse mira inquietudo, nisi adsit pessima intus affectio. quę internas partes male afficit, neque naturam quiescere sinit, propterea in primo prognosticorum, sectione. 16. dicebat Hippocrates. Si vero nudos habuerit pedes, nec admodū calidos (intelligit semper in morbo acuto) ac manus, collum & crura inęqualiter dispergat: malum est. significat enim inquietationem. nempe opus est, ut hic circa hypochondria habeat ardorem, qualem & hic habet de quo Hippocrates in pręsenti sententia uerba facit. Tamen utitur hoc uocabulo ἀλυσμόν primo prognosticorum, pro inquietatione, & angore. hic uero dicit ἀλυσμόν. tamen Galenus in commentatione illius partis primi prognosticorum exponit ἀλυσμόν per ἀλυσμόν, cum dicit, hoc uero nomē scilicet ἀλυσμόν significat ἀλύειν. i. inquietari & difficulter ferre. hęc uero inquietatio cognoscitur, quia homo inęqualiter modo huc modo illuc crura, & manus, & pedes, & collum ducit: neque ibi diu moratur, sed statim in aliam uertitur partem, & alium situm, aliamque membrorum positionem facit, nec sese loco stare uel potest. Et quid habeat interrogatis nihil aliud referre scit, quam loco stare nō posse, neque sistere. hęc inquietudo ad ardorem sequitur in pręcordijs, qua cum adsit ut plurimum sentiunt intrinseca ardere, & extremę partes frigidę sunt. Galenus de inquietatione rationem reddit primo prognosticorum, aut uentriculi malam affectionem, aut uirium imbecillitatem. Sed in hoc loco est materia biliosa sincera quę est in hypochondrijs, & ibi ardet, quę hanc facit inquietationem. hęc uero inquietatio est membrorū iactatio, unde hypochondria inflammata faciunt inquietationem. inquietatio est membrorum inordinata iactatio. hoc totū Galenus exponit, hos esse implacidos & inquietos.

ἑλκοῖ δὲ ἔντερα καὶ ἕδρην. i. intestina etiam & sedem exulcerant. Tres sunt materię quę intestina exulcerare possunt, pituita salsa, bilis, & atrabilis. Exulceratio facta à pituita salsa haud difficulter sanatur, difficilius à bile, difficilime ab atra bile. Imo hę ab atra bile exulcerationes insanabiles ferè sunt. At bilis hęc spumosa & sincera, cum per maiorē ebullitionem facta sit, est bili atrę quodammodo propinqua, quia adustionē accepit. propterea exulcerationes quę ab ipsa fiunt, difficiliores sunt, quam à simplici bile flaua usta commista humiditatibus. Suo igitur ardore hęc biliosa, & spumosa & sincera intestina exulcerant, & sedem. imo & affectionem illam inducunt, quę tenesmos uocatur.

Consueuit Hippocrates βλάβας, id est offensas σίνεα dicere, ut in libris de fracturis & articulis est demonstratum. Nam σίνειν Iones dicunt pro βλάπτειν, id est lędere. Imo & βλαβερά, id est nocua, σινάμωρα sępenumero appellant. Grauēs igitur GALENVS.

offensas habent, inquit, præfatæ deiectiones, id est pure biliosæ simul & spumosæ. Consueuit autem Hippocrates inter signa, notisque, uocibus uti tum causarum, tum quæ læduntur corporum. Deiectiones ergo huiusmodi significare commodius dixisset: sed habere dixit, quanquam corpora affecta læsiones habeant, causæ faciant, & signa indicent. Sed quænam sint quę à dictis proueniunt deiectionibus offensæ, ab Hippocrate audi inquiente: Neque enim hypochondriorum extinguunt ardorē, sed excitant. Hoc autem ideo dixit, quoniam sæpius biliosorum deiectio hypochondriorum feruorem protinus extinguit. Quare in malignis, maleficisq; biliosis adiecit, quòd talia excernentibus ipsis non extinguuntur, sed omnino uice uersa increscunt, augenturq; ue. Neque ardor hypochondriorum sedatur, quin potius uehementior redditur. Adde quòd ἀνησυχίαι ἀγρυπνίαι, id est ἄσαι & ἀλυσμοὶ habent, id est implacidi, inquietique fiunt. Deiectiones siquidem huiusmodi, flammantis in hypochondrijs ipsis affectionis symptomata existunt, atque in intestinia ramentosam parit acrimonia affectionem. Sanè affectionis huius quæ sincere biliosa fiunt, causæ existunt. eius uero quæ in hypochondrijs existit, signa. Verum Hippocrates, ut dixi, uocabulis causas indicantibus inter signa uti consueuit.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus notat Hippocratem consueuisse uocare offensas σίνεα, ut in libro de fracturis & articulis demonstratum est, quamuis alij Græci nuncupent βλάβας. i. offensas. deducitur uero σίνεα à uerbo σίνω. Nam Iones, in quorum lingua scripsit Hippocrates, σινεῖν dicunt pro βλάπτειν. i. lędere, imo plerunque apud Hippocratem inuenies σινάμωρα pro βλαβερὰ, id est, nocua. Ad sententiam uero redeuntes, Hippocrates inquit graues offensas habere præfatas deiectiones. i. pure biliosas & spumosas. At quia Hippocrates usus est uerbo, habent, inquiens istas deiectiones habere graues offensas, tamen uerū non est quod habeant, sed significant, iccirco Galenus dicit cōsueuisse Hippocratem pro signo uti uocabulo causæ uel corporis affectum suscipientis. vnde fuisset commodius Hippocratē dixisse has significare & non habere. nam opus est uti hoc modo nominibus, ut corpora affecta læsiones habere dicantur, causas facere, & signa indicare.

Forte dices uiden tibi & in causis & in signis inueniri læsiones. nam sicuti vrina dicitur sana, & sanum medicamentum, & sanus homo, ita in læsionibus, & corpus læsum dicitur, & causa lædens, & signum læsionis. Respondemus læsionem esse accidens, omne autem accidens proprie & uere est in subiecto, cuius est accidens, in alijs uero est quodammodo per similitudinem, sicuti de sanitate primo, & præcipue est in homine, in vrina & medicina, non dicitur esse vt in subiectis, sed ut unum est indicatiuum, aliud est factiuum. Et hoc modo de læsione intelligendum est, & de omnibus alijs similibus, quæ sunt accidentia in subiecto habentia causas & signa.

Petes an necessarium sit ut simul sint pure biliosa & spumosa. Respondemus id non esse necessarium, quāuis Galenus utrunque simul posuerit, sed singulum per se esse potest. Si uero sint simul coniuncta, tanto peius est.

Secundo Galenus sententiæ expositionem prosequitur suadens ut ab Hippocrate audiamus, quęnam sint offensę, quę à dictis proueniunt deiectionibus. Inquit enim Hippocrates, neque. n. hypochondriorum extinguunt ardorem, sed excitant potius. hoc inquit Galenus ab Hippocrate dicitur, quia plerunque biliosarum materierum deiectio cum primum deiecta est, ardor qui in hypochondrijs erat sedatur. At in malignis & maleficis biliosis materiebus addiecit, quòd ipsis talia excernentibus non extinguuntur, sed omnino uice uersa crescunt & augentur, neque hypochondriorum ardor sedatur, sed uehementior redditur, quia materia inflammata excitatur, quę magis effrenitatur, quā prius faceret, ut potius uideantur excitari crabrones, quā in quietem redigi.

Sed petes, quęnam sit hæc causa quę ardorem auget in hypochondrijs. Respondemus, est affectus preter naturam, qui est in ipsis, & affectus ualidus & forte inflammatio.

Si uero petas, quid hic intelligat per hypochondria: Rñdemus in præsentiarum intelligere iecur, lienem, uentriculum, & intestina, quamuis pro parte sub costis quandoque intelligatur quam Celsus pręcordia uocat, non ilia, ut multi decepti interpretati sunt.

Tertio Galenus exponit particulam illam, inquietationem & membrorum iactationem faciunt, inquiens additum esse ἀνησυχίαι. ἄσαι & ἀλυσμοὶ habent, hoc est implacidi & inquieti fiunt. Nota uero hanc inquietationem à Galeno exponi per particulam ἄσαι, est uero asse (vt colligi potest in. 2. aphorismo. 4. libri) fastidium, quod contingit ex nimia ciborum repletione, tamen eo loco à Galeno accipitur pro fastidio ex biliis repletione. Et pro fastidio in pręgnantibus accipitur, post conceptum ex mensium retentione, quod & κίσσαν & κίσσαν. i. picam uocant, unde & ab Hippocrate in. 61. 5. libri aphorismo dicitur: Si mulieri cessent purgationes, neq; febris, neque rigor superueniat, ἄσαι δὲ αὐτῇ προσπίπτωσι. i. fastidia autem ei acciderint iudica ipsam in utero habere. tamen hęc fastidia quę sunt inquietationes, sunt longe uehementiora, quàm utero gerentium asse.

Quarto Galenus notat has sinceras deiectiones, & spumosas, esse flammantis affectionis & incensę in hypochondrijs symptomata. Deiectionum uero acrimonia in intestinis ramentosam parit affectionem. unde hę sincere biliosa sunt huius affectionis quę est in intestinis causę, & signa sunt eius affectionis quę est in hypochondrijs. Verum, ut Galenus notat, Hippocrates uocabulis causas indicantibus, in signis uti consueuit. Nota quod dicitur flammantis, Gręce est φλεγμαίνουσης incensi, est maior inflammatio quā sit φλεγμονή, habetur differentia inter inflammationem & phlogosim in secundo de difficultate respirationis, & quid proprie significet, ostēditur ad tertias libri partes. nam per inflammationem intelligit tumorem durum calidum, & dolentem. per phlogosim uero intelligit, uocatam suo tempore inflammationem, & in libello de morborum temporibus uehementem æstum phlogosim uocat.

Notáque in hypochondrijs esse malam qualitatem calidam, quę φλόγωσις est. i. ardor quidam qui est causa biliosarum deiectionum sincerarum & spumosarum, quę cum exeunt, per intestina transeunt, & intestinorum rasuram faciunt. vnde illa excrementa prauam hypochondriorum affectionem significant, & illam faciunt intestinorum. itaque sunt signa & causæ respectu diuersorum. Scito preterea acres humores esse calidos & mordaces, propterea intestina abradere, & ex ipsis ramenta educere. De ramentis superius egimus, quæ ξύσματα dicuntur.

## Hippocrates. Sectio XV.

### Sed horum auxilia scribentur.

BRASAVOLVS.

Quoniam ab Hippocrate petere posses cum tot graues offensę ab illis supradictis deiectionibus fiāt, quomodo his offensis occurrendum est, ut si contingat me ęgrum curare, possim rationabiliter adhibere remedia: Hippocrates in hac parte dicit, auxilia quibus uti debemus ad has offensas, postea scribemus. id uero erit in quarto libro.

ἀλεξητήρια δὲ τούτων γεγράψεται. i. auxilia uero horum scribentur. Et Alexeteria, quę illis de directo opponuntur.

GALENVS.

Quod morborum singulorum remedia se scripturum dixerit, ut antea exposuit, sic & hoc in loco non minus. Verum si & quæ libro huic post sermonem de balneis adiecta sunt, digna Hippocrate existant, & quę in libris de morbis uel de affectionibus scripta sunt, ea inter exponendum considerabimus.

BRASAVOLVS

Galenus notat, Hippocratem dixisse se singulorum morborum remedia scripturum esse. Idémque nunc repetit, unde si quæ post tractationem de balneis digna Hippocrate existunt, & quæ in libris de morbis uel de affectionibus etiā digna Hippocrate existant, dum illa exponemus considerabimus, & ita Galenus edocebit quę prædictis offensis conueniant auxilia.

Notáque

Notáque offenſas illas non ſolū poſſe extendi ad ſuperius enumeratas,ſed & ad omnes acutos morbos. nam Hippocrates de omnibus acutis ſingulatim pertractare debet.

Quod legitur,ea inter exponendū conſiderabimus,Grece eſt, κατὰ τὴν ἐξήγησιν αὐτῶν ἐπισκεψόμεθα.i. in ipſorum expoſitionibus conſiderabimus. vt notetur Galenum interpretatur eſſe & quartum de ratione uictus in acutis Hippocratis librum, & librum de morbis Hippocratis. vel intellige, ſecundum interpretis uerſionem inter hunc librum exponendum,'ea conſiderabit quæ in .4. & quæ in alijs de morbis ſcripta ſunt.

Si uero petas locum quo Hippocrates promiſit ſe eſſe ſingulorum morborum remedia ſcripturum:Reſpondemus eſſe in ſecundo libro ſectione. 38.

## Hippocrates. Sectio XVI.

Qui ergo in morbis huiuſmodi relictis ſorbitionibus mulſa potionis alterius vice vtetur, is vt multa feliciter conſequetur, ſic ei nequaquam præter animi ſententiam ſuccedent multa. Verum, quibus danda ſit, & quibus non, & quam ob cauſam, iam magna ex parte eſt dictum.

BRASAVOLVS. Mulſæ uſus in acutis morbis quando conuenit eſt præcipuus, cum non conuenit deteſtabilis eſt. Iccirco Hippocrates nunc dicit, qui in acutis morbis, alijs relictis potionibus, mulſa utatur alterius potionis loco. Intellige uero quando opus fuerit mulſa, hic ut multa feliciter conſequetur, ita ei non ſuccedent multa præter animi ſui ſententiam. Verum quibus danda ſit, & quibus non danda, & ob quam cauſam danda, iam magna ex parte dictum eſt, & notum eſſe poteſt.

οἷσι μὲν οὖν ῥοφημάτων μελικρήτῳ χρώμενος ἀντ' ἄλλου ποτοῦ ἐν ταύτῃσι τῇσι νούσοισι πολλὰ ἂν εὐτυχοίης, καὶ οὐκ ἂν πολλὰ ἀτυχοίης.i. qui ergo in talibus morbis alijs ſorbitionibus relictis, mulſa vice alterius potionis utetur, multa recte contingent, & illa quæ non recte contingent, non erunt multa. Vt ſenſus ſit quando pro alijs potibus mulſam damus, plus boni ſequitur quàm mali.

At ambiges, id non uideri conueniēs, ut mulſa exhibeatur quādo potu altero indigemus. nam opus eſſet aquam mulſam illius potus uim habere pro quo datur. verum non habet uim ptiſanæ, quia neque nutrit neque alterat ut ptiſana, neque vim habet oxymelitis, quoniam non incidit ut ipſum facit, neque uim habet uini, cum in ſanguinem & ſpiritus non conuertatur, vt vinum conuertitur. quomodo igitur dici poteſt poſſe dari pro alio potu? Reſpondemus, non poteſt ſimpliciter dari. nam tantum datur quando uires ferre poſſunt, & quando non eſt talis morbus qui liquefaciat. Cum uero hæc adſint, mulſa conuenit, nec adeſt aliquid quod illam prohibeat, & pro alijs potibus dari poteſt, quia potus eſt illis lenior, & multa illa ſequentur commoda.

Petes quæ ſint hæc multa? Reſpondemus eſſe, quod à morbo ſanabitur, omnia remittentur ſymptomata, & id tute fiet abſque alia læſione, alióque diſcrimine.

Petes, quænam accidere poterunt præter animi ſententiam? Reſpondemus uirium defectus contingere poteſt, qui tamen poterit facile corrigi. verum medicus coniectura prænouiſſe debuit, eum illo potus genere ad conſiſtentiam vſque perdurare poſſe.

ὅτε δὲ δοτέον, καὶ ὅτε οὐ δοτέον τὰ μέγιστα εἴρηται, καὶ δι' ἃ οὐ δοτέον.i. at quibus danda ſit, & quibus non, iam magna ex parte dictum eſt, & quam ob cauſam non danda. Hoc uero ſi petas ubi dictum ſit, eſt in tota hac parte, in qua de aqua mulſa loquitur, non eſt danda quando febres colliquant ob mel, neque eſt danda quando æger cum tali potu non poteſt vſque ad conſiſtentiam perdurare. ſed prius deficeret quàm illuc perueniret.

GALENVS. Significauit & nunc manifeſtiſſime, ad morbi uſque iudicationem ſola vti mulſa conſulens. Nempe in ſolis quæ colliquefaciunt morbis, uel in quibus hominum uirtus ad morbi uſque iudicationem ſufficere non poſſit, ad ptiſanæ cremorem perueniemus. In alijs uero ſolam exhibere mulſam eſt commodius.

BRASAVOLVS. Galenus notat & Hippocratem nunc conſulere, dandam eſſe mulſam uſque ad morbi iudicationem, & ſolam mulſam. nam relicta mulſa ptiſanæ cremor accipitur, in his ſolum caſibus, primo cum morbi ſunt qui liquefaciunt, uel quando æger ipſe cum tali victu non poterit ad morbi uſque iudicationem perdurare. At in alijs ſolam mulſam exhibere eſt commodius. Hic una oriri poſſet difficultas, non loquor de ptiſanæ cremore, neque de ipſa ptiſana, ſed de noſtra vulgata hordei aqua, an poſſit tribui vt aqua mulſa? Reſpondemus in caſibus vbi in propoſito datur aqua mulſa, ipſa eſt diluta & non meracior: in his caſibus putamus & hordei aquam poſſe dari, quæ nihil habebit caliditatis, & plus habebit humiditatis, quàm aqua mulſa. Sed petes, quidnam magis nutriat an mulſa, uel hordei aqua qua noſtræ mulieres utuntur. Reſpondemus in præſentiarum modis conficiendi dimiſſis ab authoribus poſitis, dicimus, ſi hordei aqua multum hordei receperit, & aqua mulſa parum mellis, aqua mulſa minus nutriet, quàm aqua hordei: at ſi mulſa multum mellis recipiat, & aqua hordei parum hordei, mulſa in nutriendo, hordei aquam euincet. Si uero aqua hordei multum acceperit hordei, & aqua mulſa multum mellis, uel aqua hordei parum hordei, & aqua mulſa parum mellis: ſemper magis nutriet aqua mulſa, quia mel ſemper magis nutrit, quàm hordei decoctum. Secus eſſet hordeum ipſum accipere. vnde utrorūque proportione ſeruata, ſemper quod mel recipit magis nutrit, quàm quod hordeum recipit.

## Hippocrates. Sectio XVII.

Damnata autem propterea ab hominibus eſt mulſa, quod bibentes ad vltimum imbecillitatis agat, atque ob id citam adferre mortem ſit creditum. Verum id ob languentes ipſos dictum fuerit. Sunt enim qui ſola vtantur mulſa, tanquam huiuſmodi exiſtat.

BRASAVOLVS. Hippocratis tempore medici quidam, qui nutrientium diuerſitates ignorabant, & quibus danda eſſent magis nutrientia, & quibus minus nutrientia neſciebant, aliquos ægros ita curarunt, ut ptiſana indigentes, ſola mulſa aqua nutrirent, qui in ultimam deueniebant imbecillitatem, & moriebantur. vnde homines non ſolum medici, ſed & qui non erant medici aquā mulſam damnabant, ueluti illam quæ bibentes ad ultimū imbecillitatis ageret, & ob hoc putabant aquam mulſam citam mortem inducere. At Hippocrates dicit hoc non eſſe mulſæ aquæ attribuendum, ſed ipſis languentibus, qui illam accipiunt quando non eſt opus, & qui in ipſa pluſquam perſeuerare debent, perſeuerant. vnde imbecilles redduntur. nam aliqui utuntur ſola aqua mulſa, & ea ſola uti non debent. ob hoc videtur aquam mulſam illam fuiſſe quæ imbecillitatē induxerit, & denique mortem.

κατέγνωσται δὲ μελίκρητον ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων.i. damnata autem eſt ab hominibus mulſa. Et probe dicit ab hominibus, quia illi non ſunt medici qui mulſam damnant: at ſi medici officio utantur, eo perperam utuntur.

ὡς καταγυιοῖ τοὺς πίνοντας.i. quoniam bibentes in vltimam ducit imbecillitatem. Id uero erat, non quia aqua mulſa nō nutriat, ſed quia parū nutrit. Ipſi uero illa utebantur loco rei quæ multum nutriret, ubi nutritione indigebatur. propterea nō mirum ſi peribant.

καὶ διὰ τοῦτο ταχυθάνατον εἶναι νομίζεται.i. & ob hoc creditum eſt citam mortem adferre, quia ipſa ſcilicet ſit cauſa imbecillitatis: nempe arbitrabantur illam parere imbecillitatem, & illius eſſe cauſam: neque conſiderabant, quod illi inera-

per accidens, quoniam non nutrit quantum nutrire deberet, tamen nutrit.

ῥηθείη δὲ τοῦτο διὰ τοὺς ἀπομαρτυρήσαντας. i. at id ob ipsos languentes dictum fuerit. quoniam ipsi sunt, qui ducunt se ad imbecillitatem & ad mortem, mulsa utentes quando non est opus, & præterea diutius ea utentes, quàm sit opus.

ἔνιοι γὰρ μελικρήτῳ μόνῳ χρέονται ποτῷ. i. quidam enim sola aqua mulsa in potu utuntur. qui alijs edulijs uesci deberent, neque deberent esse contenti sola mulsa, quę illos ad morbi iudicationem usque ferre non potest, sed prius moriuntur quàm illuc peruentum sit.

ὡς τοῦδε δὴ αἰτίου ἐόντος. i. Ac si illa sit, unde existat error, cùm tamen esse non possit. Sed error uel à medico danti prouenit quando non conuenit, & quanto tempore non conuenit, uel ab ipso ægro, qui aliquem uiderit à probo medico ex solo mulsæ potu rectum, & sanatum, ipse uero talem medicum imitari uelit, tamen non noscat se non posse perdurare ut alter fecit æger. propterea ipse imbecillitatem incidit, & denique mortē, neque mulsa causa fuit.

GALENVS. Dicere summe à mulsa imbecillitari, & mulsam nullo pacto nutrire, uel exigue, idem non est: quippe cum tria hæc inter se distent. Nam quæ uires euertunt, ut sanguinis eruptio, deiectio superflua, sudor immodicus, & per accidens cibi abstinentia, summe imbecillitare dicūtur. At quæ nullo pacto nutriunt, ut aqua, ea uirtutem neque summe imbecillitare, neque roborare quispiam uere dixerit, nisi id aliquando per accidens contingat: aqua siquidem non ut alimentum uires recreat, sed bene ut medicamētum ad temperamenti symmetriam quæ propter ipsius immoderationem imbecilla sunt, reducens. Tertio deinceps loco sunt quæ exigue nutriunt: quibus qui tantummodo uiuit, tametsi interire possit, non tamen tāquam uires subuertentibus, sed tanquam eis non quod satis sit roborantibus: quo è genere est mulsa. Nam si quis diebus quatuor cibo priuatus interiturus sit, posset is mulsæ usu non quintū modo, uerum quoque & sextum attingere. Sermonem hunc & de melle intelligas. Nempe mellis natura mulsam ipsam inter modice nutrientia facit. Nam humiditatem non modo Hippocrates, uerum quoque & medicorum probatissimi ferè omnes, cibi uehiculum, nō cibum censuerunt. Hæc sanè eadem quæ nunc dicuntur de mulsa & melle, scripsit non obscure Hippocrates in sequentibus.

BRASAVOLVS. Primo Galenus docet non esse idem dicere à mulsa summe imbecillitari, & dicere, mulsa nullo modo nutrit, uel mulsa exigue nutrit: nam hæc tria scilicet exigue nutrire, non nutrire, & imbecillitare, inter se plurimum differunt. Idque uerum esse ex hoc ostenditur, quoniam illa quæ uires euertunt, & imbecillas reddunt, ut sanguinis eruptio copiosa, & deiectio superflua, & sudor immodicus, & abstinentia à cibo, hæc summe imbecillitare dicuntur: uerumtamen abstinentia à cibo hoc facit per accidens. hæc uero dicuntur summe imbecillitare, quando ipsa in summo fuerint.

Scito sanguinis eruptionem, quam Græci αἱμορραγίαν dicunt, quando fuerit copiosa, uires imbecillas reddere ob hoc, quoniā nihil aliud sunt uires, quàm naturalis calor, qui sanguini & spiritibus innititur. vnde exeunte sanguine, spiritus simul exire necessum est, quoniam simul cum sanguine sunt & spiritus, & arteriæ subministrant spiritus cum exit sanguis: quibus exeuntibus calor naturalis deficit, & ex consequenti homines imbecilles redduntur.

Deiectio superflua intelligitur, quando omnia excrementa exierint, & omnes superflui humores, & denique sanguis, tunc necesse est & imbecillitatem sequi.

Sudor immodicus imbecillitatem facit, quando omnes humiditates exierint, & extrinseca exiccentur.

Abstinentia cibi imbecille reddit, nō quia sit actiua imbecillitatis causa, sed quia cum corpus non nutrimus, cum naturalis calor in continua sit resoluendi actione, sanguinem & spiritus resoluit. Itaque fit imbecillitas.

Secundo Galenus ad illa transit quæ nullo modo nutriunt, inquiens, hęc, sicuti aqua est, dici non possunt uel imbecille reddere uel roborare, nisi quis id nonnunquam per accidens dixerit: nam si aquæ actionem consideremus, profecto non nutrit vt alimentum, neque uires reficit ut alimentum, sed bene tanquā medicamentum (quando aliqua ob caliditatem fuerint intemperata) illa ad temperamenti symmetriam reducit. Et si partes aliquæ fuerint imbecilliores redditę, illa sua frigiditate corrigit, & in pristinum reducit robur. vnde agit sua qualitate, & non sua substantia.

Vbi legitur aqua siquidem non ut alimentum uires recreat, deest particula τῶν καμνόντων. i. ægrotantium.

Petes an aliqua alia sint præter aquam quæ non nutriant. Respondemus, nulla simplicia corpora, vt sunt tria alia elementa, nutrire. Sed dices cur non est ipsorum facta mentio? Respondemus, quia nullus illa sumit per os. nullus enim uel terrā uel aerem, uel ignem edere tentauit, tamen aerem continuo inspiramus & expiramus, at quia in uentriculum non tendit, propterea neque de illo fit mentio, tamen & in uentriculum peruenire potest, & Galenus dicit aerem attrahi ad pulmonem & attenuari ac nutrire pulmonem: tamen non est nutrimentū quod conuertatur in pulmonis substantiam.

Sed petes nunquid in compositis aliqua sint quę non nutriant. Respondemus sunt omnia nimis calida & nimis frigida, quia uenena sunt, & omnia nimis sicca vt lapides. de nimis humidis aliqua est ambiguitas, quia aqua humidissima est, tamen accipitur per os & non offendit. Iccirco & aliquod humidum compositum, & si humidissimum sit, nutrire poterit. Et re uera, sicuti Galenus in calce libri quinti de simplicium medicamentorum facultatibus nesciuit inuenire, uenena nimis humida. Ita nos fatemur non inueniri tam humidum compositum, ut nutrire non possit.

Tertio Galenus ad tertium transit, quod scilicet parum nutrit. Si quis paruo nutriente utatur, potest quidem interire, tamen non interijt, quia hoc nutriens exigue vires substernat, sed tantum obijt homo, quia hoc imbecille nutriens non potest vires roborare & seruare quantum opus esset, & in hoc genere est mulsa. nam si sit homo qui diebus quatuor absque cibo superuiuere possit, is si mulsam biberet, posset non tantum ad quintum diem peruenire, sed & sextum attinget.

Petes, quomodo fieri potest si quis quarto die absque cibo moreretur, quod usque ad sextum perueniret sumpta mulsa. Respondemus in promptu ratio est, quia habet aliquod nutrimentum, sed non tale ut possit diu viuere. At cum aliquantisper à mulsa nutriatur, uita per duos alios dies prorogabitur, sed diutius perdurare non poterit, & forte ad septimum uel octauum diem perueniet. hic uero intelligo mulsam esse dilutam, quia si esset meracior, quempiam in uita diutius seruare posset qui ex illa multum biberit. Nā ex solis fauis mellis multos diu superuixisse proditum est. hócque intellige tam in sano, quàm in ęgro. Et forte Galenus expertus est in aliquibus. qui ad sextum usque diem superuixere epota mulsa, & alios qui nihil accepere, & quarto die obiere. tamen difficile est huius rei experimenta suscipere.

Quarto Galenus ea refert quę de mulsa dicta sunt (quod seruabit unum qui. 4. die sine cibo moreretur usque ad sextum) & ad mel. nam mellis natura facit mulsam commemorari inter modice nutrientia, quoniam & Hippocrates & probatissimi omnes medici censuerunt humiditatem esse cibi uehiculum & non cibum. verum hęc quę de mulsa dicuntur & de melle ab Hippocrate deinceps dicentur, & illa ad tractationem hanç de mulsa addet.

Sed ambiges quomodo mel facit mulsam aquam inter modice nutrientia. nam mel uidetur abunde nutrire præsertim in frigidis natura, & senes, in quibus prius in bilem non uertitur quàm nutriat. Respondemus mulsam aquam ex melle fieri & aqua, ratione aquę nihil nutrit, sed tantum nutrit ratione mellis. Galenus uero prope calcem tertij de alimentorum facultatibus libri, inquit,

bri, inquit, mel exiguum alimentum præbere, quando non uertitur in bilem, at si contingat in bilem uerti non nutrit. Cum igitur exiguum det alimentum, mulsæ aquæ præstabit ut exiguũ præbeat alimentum, quia non potest dare, plus q̃ possit. tamẽ aqua simul cum melle aliquid facit ad nutritionem, quia mel ducit, quod suapte natura glutinosum est ad omnes corporis partes.

Sed altera est hic difficultas, quia Galenus inquit ὑγρότητα. i. humiditatem secundum Hippocratem & antiquos medicos non esse cibum, sed cibi vehiculum. at oppositũ uidetur alibi à Galeno scriptum, corpus scilicet calidis nutriri & humidis, & hæc esse quæ maxime nutriant. Respondemus, hic Galenus per humiditatem aquam ipsam intelligit, quam antiqui & recentes haud nutrire iudicarunt, tamen officium habere nutrimenta ad corporis partes deferendi, & ita aliquid facit pro nutrimento licet non nutriat.

Sed an aqua nutriat, dubitare poteris, quia Celsus li. 2. cap. 18. ubi tractat, qui cibi, potionésue, aut valentis aut mediæ, aut imbecillæ materiæ sint, multis enumeratis quæ modice nutriunt, denique de aqua ait, aqua omnium imbecillissima est. vt hinc accipi possit, aquam quidem nutrire, sed id imbecillissime efficere.

Adde Galeni sententiam esse, quempiam aquam bibentem, posse diutius sine cibo permanere, q̃ nihil bibentem, quod indicium est aquam nutrire.

Respondemus, aquã nullo modo nutrire, quia corpus est simplex. Intelligimus uero de aqua elementari simplici & pura, quoniam in aliarum rerum mistione secundas accipiens qualitates nutrit, ut in carnis decoctione ius nutrit, quod ex aqua cõfectum est. Galenus expresse aquam non nutrire edocuit quarto de simplicium medicamentorum facultatibus libro cap. 15. uel dicamus carnis pinguedinem ab aqua ad corpus nutriendũ fieri, ipsam uero non nutrire, & quod inquit Celsus esse imbecillissimi nutrimenti, idem est ac si dixisset nullius nutrimenti, nam quicquid habet nihil aliud est, q̃ caliditatis & siccitatis in corpore extinctio. Et ob hoc Galenus ait, plus bibere illũ qui aquam bibat, q̃ qui non bibat. nam loquitur in ægro acuto morbo laborante. Et his qui ita laborat, etiam si ab aqua non nutriatur, saltem refrigeratur & humectatur, & caliditas & siccitas intensa febris remittuntur, qui illum citius interfecisset. tamen & moritur, nisi alium cibum accipiat.

## Hippocrates. Sectio XVIII.

### Sed hoc non ita habet.

BRASAVOLVS. Qui putarunt mulsam esse imbecillitatis & mortis causam decepti sunt. nam res non ita habet. Imo est oppositum, quia ipsa mulsa parumper nutrit & si tribuatur ut conuenit, & quãdo conuenit, ille sanabitur cui tribuetur.

τὸ δ' οὐ παντάπασιν ὧδε ἔχει. i. hoc autem non omnino ita habet scilicet q̃ mulsa sit imbecillitatis & mortis causa, nisi per accidens, potest esse quidem per accidens huius causa, quia nõ tantum nutrit, quantũ nutrire opus est. sed hoc non aufert quin nutriat, nec facit quod sit causa agens per se imbecillitatis.

GALENVS. Non omnino, siquidem uerum est ægros ipsos propter mulsam mortem obire. Moriuntur etenim & si aquam solam biberint: sed quòd exiguam corpori præstet alimoniam, ob id solum uitam seruare non sufficit. Quod etiam accidit, ubi quis solius ptisanæ cremorem perpetuo sorbeat.

BRASAVOLVS. Non omnino inquit Galenus dictum est, quoniam uerum est ægros ipsos ob mulsam obire, imo & moriuntur si etiam solum aquam biberint. At quia mulsa exiguum præstat corpori alimentum, propter hoc, corporis fit imbecillitas: & ob hanc solam causam, uitam seruare non sufficit. Idq; etiam contingit si quis solius ptisanæ cremorem perpetuo sorbeat, tamen diutius uiuet, si ptisanæ cremorem tantum biberit.

Quispiam uero petere posset, quantum temporis homo ex meracissima mulsa superuiuere posset, & quanto ex ptisanæ cremore. Respondemus vt Galenus docet in. 3. de alimentorum facultatibus mel crudum deijcere facit: & si in copia sumatur, uomitum prouocat: at coctum mel, & probe expumatũ neutrum horum facit. In meracissima mulsa mel est coctum, & in ipsa est tam pauca aquæ copia, & tam magna mellis, ut dici possit totum esse mel, solum recipit minimam aquæ portionẽ ut penetrare possit. propterea arbitramur nos, siquis huius mulsæ copiam acciperet, diu uiuere posse. Aeque si quis cremoris ptisanæ copiam acciperet, eum diu esse superuicturum. Secus uero esset de mulsa diluta & mediocri, & de nostra uocata hordei aqua.

At dices uideri Galenum inartificialiter loqui: nam dicit, mori ægros si solam aquam mulsam bibant, imo etiam mori si solã aquam bibant, ac si aquam ponat uelut unum magis nutriens, q̃ sit mulsa, tamen aqua non nutrit ut superius dicebat. Respondemus, quia illi qui dicebant mulsam imbecillitare, id dicebãt, intelligentes mulsam efficienter id agere, tamen isti sciunt aquã non nutrire, neque imbecillitare neq; roborare: propterea addit & aqua quæ nihil agit ad imbecillitatem uel ad robur, si sola bibatur, morietur etiam æger, sicut morietur ex mulsa, non quia id efficienter faciat, sed quoniam paucum præstat corpori alimentum, propterea non potest pauco illo uitam seruare: sed uires non releuatæ, ut deberent releuari, deficiunt. Et ita homo commoritur.

Commentationis initium ferè dicere uidetur, ægros ob mulsam mori, ob illam particulam, si quidem quæ tamen in Græco nõ adest, sed simpliciter legit οὐ γὰρ παντάπασιν ἀληθές ἐστι, τὸ διὰ τὸ μελίκρατον ἀπόλλυσθαι τοὺς ἀρρωστοῦντας. i. nõ omnino uerum est, q̃ ob aquam mulsam moriantur ægrotantes.

## Hippocrates. Sectio XIX.

### Sed mulsa q̃ aqua multo potentior est, sola epota, (nisi aluum perturbet.)

BRASAVOLVS. Aquam mulsam simplici aquæ in præsentiarum comparat Hippocrates inquiens mulsam esse longe potentiorem aqua in nutriendo, quãdo solæ bibuntur, nisi mulsa aluum perturbaret, ἀλλ' ὕδατος μὲν πολλῷ ἰσχυρότερόν ἐστι πινόμενον μοῦνον, εἰ μὴ ἐνταράσσει τὴν κοιλίην. i. sed aqua quidem multo potentior est mulsa, nisi uentrem perturbaret. Sensus est, mulsam ipsam potentius esse nutrimentum q̃ aqua, nisi uentrem perturbaret. In multis Latinis codicibus deest hæc particula cum tamen necessaria sit, quoniam hic mulsam aquæ comparat, deinde uino aquoso comparabit.

Petes, quænam mulsa illa sit quæ aquæ comparatur, an dilutior an meracior, an media. Respondemus, fieri potest comparatio ad omne mulsæ genus, tamen conueniennus uidetur fieri ad mulsam dilutiorem. at in omni specie uerum est mulsam robustius esse nutrimentum, q̃ aqua simplex.

At si petes, quomodo uentrem perturbet: Respondemus id facere quoniam mellis ratione flatuosa est, & si cruda sit, uel saltem non probe cocta, id uehementius adhuc efficit.

GALENVS. Indicare uidetur per hanc uocem, potentior, q̃ & aqua aliquam uim habeat nutriendi: euenit autem eo q̃ corporis ariditas irrigatur, ut diu, qui aquam bibant, magis durent, q̃ qui nihil assumunt. Secure autem, nisi aluum perturbet, addidit, de mulsa sermonem faciens, illos enim iure peius habere facit propter euacuationem, quibus aluum perturbat: simulq; uerbum id, perturbat, immoderatam significat excretionem & non mediocrem. Scire quidem oportet mulsam crudam aluum magis soluere, coctam autem bene, magis nutrire. Hoc autem obiter à te sit cognitum. Videamus autem quæ deinceps scribit, uino mulsam comparans.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat Hippocratem per hanc uocem potentior, indicare uoluisse, aquam uim quandam nutriendi habere. Euenit uero id quoniam corporis ariditas irrigatur, ut illi qui aquam bibant magis durent, q̃ qui nihil bibunt.

Scito apud Galenũ aquam bibentes, in hoc sensu nutrire, quoniam ex febre acuta crescunt. at qui aquam bibunt ariditati occurrunt & ita non possunt tam breui exiccari & consumi. non tamen nutrit, quia in nutriti substantiam trãseat. Nonnulli cõtextua simpliciter legunt uentriculi ariditatem. Quibus consentio. alij habent corporis uentriculi ariditatem, quod neque despiciendum est.

Secundo Galenus notat sentẽtiam hanc de mulsa esse iure additam, nisi aluum perturbaret, nam ex hac perturbatione peius habent, quoniam euacuantur. at id facit perturbatio, imo & id uerbum perturbat immoderatam significat excretionem, & nõ mediocrem: nam ex illa perturbatione annotantur esse plures flatus, qui misti fecibus & humoribus deiectiones procurant.

Tertio Galenus notat crudam mulsam aluum magis soluere, coctam uero magis nutrire. Sed hoc obiter à te cognitum sit. Sed uideamus, quæ deinceps scribat mulsam uino comparãs. Scito ex melle & aqua mistis fieri mulsam crudam, secundum proportionem mellis, ut in cocta dictum est. Sed hæc cruda flatuosissima est.

## Hippocrates. Sectio XX.

### Cæterum vino albo tenui, paucifero & inodoro, quodammodo fortior est, & quodammodo infirmior.

BRASAVOLVS. Mulsa in præsentiarum ab Hippocrate uino aquoso albo tenui & inodoro comparatur, diciturque quodammodo esse illo fortiorem, & quodammodo imbecilliorem.

ἀτὰρ καὶ οἴνου λευκοῦ καὶ λεπτοῦ, καὶ ὀλιγοφόρου, καὶ ἀνόδμου, ἣ μὲν ἰσχυροτέρη ἐστιν ἣ δὲ ἀσθενεστέρη. i. cæterũ & vino albo, & tenui, & paucifero, & inodoro, quodammodo fortior est, & quodammodo imbecillior. s. aqua ipsa mulsa.

Sed petes, quomodo sit fortior, & quomodo imbecillior. Respondemus hoc referri potest ad uarias aquę mulsæ species. nã aqua mulsa mediocris & aqua mulsa meracior, fortiores sunt, aqua uero mulsa dilutior non est fortior. potest & intelligi de mulsa diluta, quæ sit fortior quodammodo, & quodammodo non, ratione mellis. nam mellis quantitate accepta, quæ est in aqua mulsa, ratione illius est fortior illo uino, at toto considerato ex aqua & melle composito est quodammodo imbecillior, quia nõ adest tanta mellis copia quin aquæ mistio illi vim auferat. De hac autem re in sequenti sectione differet Galenus.

Scito dixisse uinum album tenue, ad differentiam albi crassi: nam & sunt uina alba crassa ut Galenus ostendit quinto de sanitate tuenda, & 12. Methodi, & alibi frequentius, sunt aliquæ albanæ nostrates tales.

Addidit paucifero, & inodoro, vt exprimat de quo loquatur: nam ut superius apud Hippocratem dictum est, vinũ album & flauum complectitur & fuluum. hæc uero sunt uina calidissima, quæ non sunt paucifera. i. pauca non indigent aqua ut reducantur quo bibi possint, sed multa indigent aqua, unde multifera nuncupantur, quæ multa indigent aqua ut temperentur, quo possint commode bibi, & uim acritudo non offendat. Vt igitur Hippocrates uinum hoc album tenue ab illo distingueret, addidit particulam pauciferum. Et uina huius generis tenuia odorem non habent. Vel est adeo imbecillius, ut ab humano odoratus sensu omnium imbecillissimo non sentiatur. nostræ uocatæ albanæ omnes proprium habent odorem. Sed putamus hic Galenum intelligere odorem suauem, qui uires roborat, & spiritus. habent albanę odorem quendam adeo penetrantem, ut odoranti saliuam in os proritent.

GALENVS. Sunt qui dictionem scribant sine hoc uerbo, est, hoc pacto: Cæterum uino albo tenui, paucifero & inodoro, quodammodo fortior, & quodammodo infirmior. Alij pro quodammodo, legunt interdum, ad hunc modum: Cæterum vino albo, tenui, paucifero & inodoro, interdum quidem fortior, interdũ autem & infirmior. Sed ex omnibus uis est eadem, atque idem intellectus. Nam Hippocrates mulsam uino huiusmodi quadantenus imbecilliorem dicit. Feci autem mẽtionem uini huius in ea quam de uinis feci tractatione: quod tanquam nescientis uice functus Hippocrates subiicuit, sed nunc quædam manifestauit, tum substantiam memorans, ex hoc uerbo tenui, tũ uirtutis imbecillitatem, cum adiecit, oligophoro. i. paucifero. Vocatur siquidem oligophorum, siue pauciferum, quod ut bibatur, minima eget aquæ mixtione: cõtrario autem modo polyphorum, uel multiferum appellatur, quod ut bene temperetur, multam exigit aquam. Aequiualenter dixeris, quod aquæ multum sustinere debeat ad temperatam mixtionem. Quod uero pauciferum appellatur, id fractum, infirmúmque, & ad potum inutile redditur, si multa dilueris aqua. Atqui inodorum in uino, hoc est carentia odoris, ea imbecillitatis, frigiditatisque efficacissima existit nota, nõ secus quàm fortis odor efficacissimũ roboris signum. Vinum siquidem aquosum, leuissimam in ligno uitis habuit trãsmutationem: leuissimam quoque & elemẽti terrei permistionem: quod ut aqua foret, paulum terrei, calidęque substantię occupauit, atque in horum coniunctionem leuissima indiguit confectione. Contrarium autem, tum uinosum, tum multiferum, neque à leui coctione tale efficitur, utpote quod ab aqua longissimo recedat interuallo. Quo itum est, ut insignẽ consecutum fuerit, tum caliditatem, tum odorem.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat sententiam istam, esse cum hoc uerbo, est, scriptam, hoc pacto: Cęterum uino albo tenui paucifero & inodoro quodammodo fortior & quodammodo imbecillior. Alij uero sunt qui non legunt quodammodo, sed interdum, hoc modo: Cęterum uino albo paucifero & inodoro interdum quidem fortior, interdum autẽ & imbecillior. at quicquid dicatur, est eadem uis & idem intellectus. nam Hippocrates in utroque significato dicit mulsam quadantenus fortiorẽ, & quadantenus imbecilliorem. At Galenus huius uini meminit in tractatione illa quam de uinis superius sectione octaua fecit, quod uinum Hippocrates subiicuit ac si illud ignoraret, tamen de illo nunc mentionem facit, eius substantiam ex hoc uerbo tenui, manifestans. postea edocuit eius uirtutis imbecillitatem quando dixit esse oligophoron. i. pauciferum, nam oligophoron uocatur siue pauciferũ, quod ut bibatur minima eget aqua mistione. At contrario modo uocatur polyphorum vel multiferum, quod multa indiget aqua ut bene temperetur, ut si æquiualenti proportione vti uolueris, dicere poteris quod ad mistionem temperatam, aquę multum sustinere debet. verum quod pauciferum uocatur uinum, si multa aqua dilueris, id & fractum, & infirmum, & ad potum inutile redditur.

Petes an aliqua sit differentia dicere quodammodo & interdum. Respondemus aliquam omnino esse differentiam, sed (ut inquit) uis est eadem. Quodammodo etenim modum respicit quo uinum sit fortius, & quo imbecillius: interdum uero, significat tempus, ut aliquo tempore sit fortius, aliquo imbecillius. tamen si uis consideretur in re ipsa idem sunt.

Galenus uinum oligophorum exponẽs, atque polyphorum innuere uidetur uinum bibi non debere nisi ad temperiem quandam & mistionem temperatam redigatur. Id uero fit aqua, unde uina meraciora bibi nõ debent nisi diluta: nempe si bibantur, & capita replent, & sanguinem gignunt nimis calidum. At cum humanam temperiem caliditate superent, ita temperari debent, ut homo illa facile ferat.

Petes uero quanta debeat esse uini temperies. Respondemus nõ posse dari certam regulam, nisi in unoquoque particulari loquamur. Quisque igitur uinum cõsideret quod quotidie bibit, & experiatur, an nimis illo calescat an non, an probe conficiat an non, & ita diluere ut probe conficiat, & ne multum incalescat. Nota uero hoc quod dicimus non multum incalescere, quia opus est uinum perpetuo humana corpora calefacere, at non supra modum. vinum uero aquosum dilui nõ debet, alioqui corpus supra modum infrigidaret, neque in sanguinem transiret, sed in solam sanguinis aquositatem.

Dices aquam nullo modo posse reddere uinũ ineptum ad potum, cum

tum, cum

tum, cum ipsa potabilis sit, & egregie potabilis, unde mista vino in quacunque misceatur quantitate dici non poterit vinū ineptum reddere ad potum. Respōdemus esse ineptum ad potū, dupliciter intelligi: vno modo ut non possit exsorberi, vt ligna & lapides, & ita aqua nihil potest reddere ineptum ad potum: alio modo dicitur ineptum ad potum, quod uinum insuaue reddit, & illi dat saporem qui gustu non sapit, & qui non nutrit. nam potus & ipse suam debet afferre nutrimenti partem, aqua uero multa uina aquosa reddit ad potum inepta. i. ad nutritionem, & illa facit insuauiora, & adeo frigida vt uentriculū potius imbecillum reddat. Et probe inquit inutile ad potū, quia ex uino utilitas aliqua in potu habetur qua nutrimur, ex aqua hoc non habetur.

Secundo Galenus docet odoris carentiam quæ est in hoc vino esse signum frigiditatis & imbecillitatis vini efficacissimum, non secus q̄ fortis odor & vehemens est signum roboris efficacissimum. nam vinum aquosum leuissimam habuit in ligno uitis transmutationem, habuitque leuissimam elemēti terrei permistionem. nam vt foret aqua, parum terrei, & calidæ substantiæ occupauit, atque in horum simul coniunctionem. s. pauxilli terrei, & calidi leuissima indiguit confectione. At oppositum inuenitur in uinoso vino & multifero, quod neque à leui coctione tale efficitur: nā magno ab aqua distat interuallo, propter hoc necessarium fuit, ut insigma consecutum sit caliditatem & odorem.

Petes an in omni re odoris carentia frigiditatis signum sit & imbecillitatis, odórque fortis signum sit roboris efficacissimum & caliditatis. Respondemus non solum in uinis, sed & in omni alia re uerum est: & quamuis multa calida odorem nō reddant, est ob suæ substantiæ crassitiem & densitatem: tamen si hæc tractentur, suum reddent odorem secundum speciem in qua sunt.

Petes præterea quomodo aquosum vinum habeat in ligno uitis transmutationem. Respondemus primo sciendū, ut Aristoteles quarto meteororum docet sectione. 136. edocere uolens, quænam ex mistis sint calida & quæ frigida, ait quęcunque ad aquā pertinent magna ex parte frigida sunt, nisi calorē externū habeant, ceu lixiuium, vrina, uinū. Aristoteles igitur quantū sit ex sui natura uinū frigidum debere esse censet, quia est aquę naturę, tamen ab extrinseca caliditate effectum esse calidū. Alexandri expositionē supra hunc locum considerantes, ipse inquit lixiuium habere caliditatem, à cinere. nam cum cinis ab igne factus fuerit, caliditatem quādam seruat. quā illi aquæ tribuit, in qua decoquitur, & deinde lixiuium nuncupatur. vrina caliditatem habet, quoniā ab animalis calore à sanguine segregatur, & hoc in ipsa coctione, quæ fit per caloris opus. Notat vero particulariter uinū à duobus habere calorem & à uite, qui calor in vinū cōtrahitur & vuarū maturatione, & à calore extrinseco Solis, unde uinū efficitur calidum. Neque istud Galeno repugnare arbitrandū est, cum illi maxime cōsentiat, quippe qui de fructibus loquens quarto de simpliciū medicamentorum facultatibus. cap. 6. primum indicat clarū esse fructus omnes à calido maturescere, postea addit tum quod idipsum duplex sit, alterum propriū & cuique ingenitum, alterum externū à sole uidelicet. At quia dicere posses calorē hunc esse extraneū, propterea statim Galenus addit, sed tamen naturæ ipsorum conueniens ac familiare, ut noteturin vuis maturitatē fieri à duplici calore, à calore inquam uitis, & à calore Solis, & uterque calor aqueam substantiā facit calidā. & nisi hi duo calores agerēt, uina essent frigida. Theophrastus & ipse ante Galenū diu id sensit sexto de plantarum causis, cap. 9. ubi docet humorē esse saporū cōmunē materiā, causam uero agentē, & internum, & externū calorē. Intellige uero per externum calorē solis calorē, uel in aliquibus ignis. Addit uero Theophrastus. oīum uero cōmunis materia humor subest. alterat autē agitque calor cū internus, tū externus. hic. n. (ut dictum est) plantarum generi maxime accōmodatur, nec sicuti in animalibus internus habetur accommodatior. vt uideas Theophrastum, & hunc duplicem calorē posuisse, intrinsecum qui in vuis erit à uite, & extrinsecum, qui est à Sole. At dices cur & ab igne aliqua contrahere caliditatē monuisti? Respondetur hoc & fatetur Galenus. 4. de simp. medica. facultat. cap. x. ex Theophrasti sententia, & Aristotelis. Ad rem igitur redeuntes, aquea humiditas à terra in uitem trahitur quæ per uitis corpus transiens caliditatem quandam acquirit, nam uitis illam humiditatem sua innata caliditate perficit. Verum ut uariæ sunt uites specie, ita caliditas hæc uaria est quæ in vuam & uinum imprimitur. & uaria sunt loca, nam & ipsæ uites calorem à loco sortiuntur: & quanto minus adest humidi in terra, tanto magis uites suum exercet calorem.

Adde Solis scintillam in uino seruari, quam imprimit dum uuę coquuntur. Cum uero aquosa humiditas, quæ per uitem transit, à uite non multum conuertitur, sed parum cōuertitur, & parum à ligno uitis trāsmutatur, & ita humiditas illa, à uitis ligno paruam habuit transmutationem, quā habet per uitis meatus, qui cum animalium uenis proportionē habent. Adde uina etiā aquosa paruam habere elementi terrei permistionem. nam & parum terræ, & parum caloris habuit. Cum vero & terreum elementum & substantia calida fuerint pauca, breuissima indiguere confectione & coniunctione. Ex opposito uinum uinosum magna indiget in ligno uitis transmutatione, quia longissime ab aqua recedit.

Scito Aristotelē. 4. meteororum sectione. 196. cum dixerit quę ad aquam pertinent, magna ex parte esse frigida nisi calorem extraneum habeant, ceu lixiuium, urina uinum: addere deinceps, quæ ad terram scilicet pertinent magna ex parte calida sunt, ob uim teporis effectricem, ut calx atque cinis. nam & si ratione terræ sint magis frigida, tamen quia à calido passa sunt, & siccum est magis naturale calido, propterea hæc sunt magis calida. Ideo non mirum si dicat uina aquosa parum habere terrei, & calidę substantiæ, quia plus terrei, & calidæ substantiæ est in uino uinoso: unde cum loca sunt ficciora, uina gignunt magis uinosa, ut Poeta cecinerit, Bacchus amat colles: & cum tempora sunt ficciora, & uina sunt uehementiora: nam siccitas subiectum est, in quod caliditas uehementius imprimitur, & ideo in uinoso uino multum seruatur caliditatis uitis, & scintillę quædam caliditatis Solis ad uuę coctionem, & maturationem agentis: qui calor & si extrinsecus sit, tamen in uua, & uino seruatur.

## Hippocrates. Sectio XXI.

Vini autem mellisque meracitas, si robur vtriusque contemplatus fueris, insigne recipit discrimen. Nam si duplam vini meri mensuram ad mellis delinctum quís biberit, a solo nimirum melle validíor longe reddetur, nisi ventrem turbauerit. Nempe multo plus stercoris deijcietur.

Ab Hippocrate in hac parte meracius uinum & mel, simul comparantur, nam & si de mulsa aqua loquatur, ipsa ex melle fit, & aquam mulsam diluto uino comparauit: nunc mel ipsum uino meraciori comparat, aitque, si robur ac uini meracioris uires, & mellis meracioris contemplatus fueris, magno discrimine inter se differre percipies. Si quis uini meracioris duplam mensuram ebibat, & unam tantum mellis mensurā delingat, à sola hac mellis mensura longe reddetur ualidior, nisi uentrem turbauerit. Etenim & multo plus stercoris deijcietur ex mellis delinctu, q̄ ex uini potu. BRASAVOLVS.

μέγα μὲν διαφέρει καὶ οἴνου καὶ μέλιτος ἀκρητότης ἐς τὸ ἰσχὺν ἀμφοῖν, id est, multum quidem differunt & uini & mellis meracitas in utrorunque fortitudine & in robore. ut ipse statim ostendet.

ὅμως τοίνυν εἰ καὶ διπλάσιον μέτρον οἴνου ἀκρήτου πίνοι τις, ἢ ὅσον μέλι ἐκλείχει, πολλῷ ἂν δύναιτο ἰσχυρότερος εἶναι ὑπὸ τοῦ μέλιτος μούνου, εἰ μὴ ταράσσοι τὴν κοιλίην, id est,

nam si duplam uini meri mensuram, ad mellis delictum quis biberit, multo ualidior reddetur à solo nimirum melle, nisi uentrem turbauerit. Vt hoc Hippocrates dicere uelit, mellis dimidium robustius nutrire, quàm duplum uini meracioris. Sed Hippocrates unum notat, nisi uentrem mel perturbauerit, quod dupliciter efficere potest, uel quia in flatus facile uertitur, uel quia facile bilis efficitur, utrunque & flatus & bilis uentrem turbare apta sunt.

Sed petes, cum de mulsa aqua sermonem haberet Hippocrates, cur transiuit ad mel: nam potius uinum mulsæ comparare debebat, quàm melli. Respondemus, cum mulsa tres habeat species, & inter has sit per magis & minus latitudo, & uina sint diuersa, aquosa, uinosa, & mediocria, difficile est has simul species comparare, propterea Hippocrates uino meraciore accepto, & melle quod est mulsæ materia, illa simul cōparat, vt ex hoc olum cognitionē decerpere posis, quia cognita mellis præstantia, & uini imbecillitate, quisque sciet coniectura assequi, quādo erit dilutum uinum ut mel in mulsa diluitur, semper mulsam esse ualidiorem, & magis nutrire.

Petes etiam quod uinum meracius accipiat. Respondet, Galenus accipere uidetur, uinum imbecillum, aquosúmque, de hoc autem in Galeni commentatione agemus.

πολλαπλάσιον γὰρ καὶ τὸ κόπριον ἐκθεῖν ἂν αὐτέω. i. nempe multo plus stercoris ab eo deijcietur, nam mel uentrem soluit, & stercora educit, quod à uino non fit, quanquam intelligeremus habere multo plus stercoris mel quàm uinum. i. multo plura superflui, quod quantum sit de stercore forte uerum est, at non est uerum de superfluo, quia uinū habet multa superflua aquosa, quæ transeunt per urinam. At primus sensus magis comprobandus est, ut ad stercus referatur, quod in intestinis continetur.

GALENVS. Si mulsæ & non mellis dixisset Hippocrates, manifestius enunciasset. Nam de mulsa hucusque egit, ipsamque uino ex aqua diluto comparauit, neque ipsam per se, sed ut iusta fieret comparatio. Ob eas res sermonem suum ad mel, uinúmque reuocauit. Sunt autem qui in huiusmodi comparationibus, non reliquos modo uolentes, sed nos quoque inuitos circumueniāt, fallántque. Cæteri meraciora, purioraque experti, non puris solis, sed quouis modo temperatis uires contribuunt. Non secus alij aquosiora experti, ex illis de omnibus quoquomodo temperatis sententiam ferunt. Non ita tamen de rebus iudicium est faciendū. At si iustam facturus sis de ipsis comparationem, mulsam ad eorum quæ bibuntur uinorum temperaturam in aquæ permixtione, ita ex proportione existimabis, ut uinum non meracius & mulsa aquosior fuerit. Sed quoniam in mixtione proportionem exacte seruare difficile est, ob id ad ea quæ uere immixta & proprie pura appellata, transtulit sermonem Hippocrates, uino nullo pacto dilutum mel ipsum comparans: atque duplum uini epotum minus alere quàm mellis simplum. Verum, quoniam plura uinorum genera existunt non quæ fortia sunt, capútque feriunt, & desipiētias creare possunt, in hoc exprompsit sermone, sed uinum imbecillum, aquosúmque: melque ipsum huic comparans, plus alere enunciauit. Cæterum cum uini duplo mel dimidium comparare uolueris, non quòd solum utrūque per se &, citra aquæ mixtionem æger sumere debeat asseruit: sed si post utrunque dimensum pro arbitrio ingerat, nō minus utile est. Potest siquidē, si res tulerit, mellis cyathum unū uel per se accipere, uel aquæ quantum uolet mixtum ingerere, atque id quotidie bibere: uel denuo uini cyathos duos, diebus singulis ut uolet aqua temperatos. Tali siquidem experimento cum in plurimis similiter in cæteris habentibus hominibus, tū etiam in uno magis per idem temporis spatium cognoscetur exquisita utriusque facultas. Si enim mel non ex naturæ proprietate uentrem turbat: qui melle utuntur, diebus pluribus abunde sufficient. Si ergo res ita habet, cur in principio orationis dixit Hippocrates: Cæterum uino albo tenui, paucifero & rhodoro, interdum fortior & interdum infirmior est mulsa? Non enim interdum fortior, & interdum infirmior, sed semper fortior secundum nuper dicta uidetur: quoniam priusquam de comparatione iusta distinxisset, docuissetque citra distinctionem absoluto sermone, bene & secure dixit: Inuenietur mulsa uino quadantenus fortior, & quadantenus infirmior. Si enim temperamenti utriusque analogiam quis non distinxerit, interdum quidem infirmius uinum, interdum & mulsa esse videbitur. Verum si hæc distinxeris, ut est dictum, atque eam quam mel in uentre facit turbationem contemplatus fueris: mulsam ad nutriendum ualidiorem semper deprehendes, quàm uinum proportione dilutum, temperatúmque. Quòd si & excremētum quod ex mulsa ita moderatum excernitur, ut uirtutem nō exoluat, adnotaueris, tibi etiam magis ex mulsa copiosior uidebitur nutritio, quàm ex vino. Nam etsi duplum exeat excrementum, laborans tamen pluribus diebus ex mulsa sufficiat, certe ad nutritionem mel uino, tum potentius, tum ualidius uidetur.

BRASAVOLVS. Primo Galenus Hippocratem quodammodo uellicare uidetur, inquiens, manifestius Hippocratem enunciasse, si nō dixisset mellis, sed mulsæ, ut de mulsa locutus esset & non de melle, quoniam & ad hanc vsque partem de mulsa egit, ipsámque uino ex aqua diluto comparauit, & non per se comparauit, vt esset iusta comparatio quæ inter diuersa fieret. ob hæc sermonem suum ad mel & ad uinum reuocauit, vt comparatio fieret iusta: nam si antiquos considerabis, quid in his comparationibus dixerint, nonnulli sunt qui in his cōparationibus circumueniunt, & fallunt non solum illos qui uolunt falli, sed & Galenum ipsum circumueniebant & fallebant, qui tamen nolebat falli & circumueniri. Quamuis contextus græcus dicat σφᾶς αὐτούς. i. seipsos fallant, & non Galenum.

Nonnulli etenim sunt qui meraciora & puriora experti vires attribuunt, non solis puris, sed & quouis modo temperatis. Alij è contrario aquosiora experti, ex illis sententiam ferunt de omnibus quoquo modo temperatis. Tamen Galenus iudicat & vere iudicat de rebus ipsis non esse ita iudicium proferendum: uerum si iustam facturus es de his comparationem, tu debes mulsam ad illorum uinorum quæ bibuntur temperaturam in aquæ mistione comparare. vnde proportio ita extimari debet vt uinum non sit meracius, & mulsa sit aquosior. At quia in mistione difficile est exacte proportionem seruare, ob hanc causam Hippocrates ad illa sermonem transtulit quę immixta sunt & pura, imo quæ proprie pura appellantur. hæc vero sunt uinum nullo modo dilutum melli puro comparare: dicitque duplum vini epotum minus alere, quàm mellis simplum.

Petes vero quæ nam sit iusta comparatio. Respondemus illa iusta dicitur, in qua adest extremorum proportio, in quibus fit comparatio. at si non adsit proportio, est iniusta comparatio, & quæ fallit comparantes, & eos qui comparationem audiunt.

Quod dicit circūueniant, fallántque, Grece est παραλογίζονται. i. paralogismis utuntur: qui sunt vitiosi syllogismi in aliquo fallentes, vel in materia, vel in forma, vel in materia simul & forma.

Secundo Galenus ambiguitatem quandam remouet, nam quispiam dicere posset, quod vini genus accipitur, cui mulsa comparetur, Galenus Respondet cum plura sint vinorum genera, non quæ fortia sunt & caput feriunt, quæ desipientias gignere possunt, in hoc loco intellexit Hippocrates, sed vinum intellexit imbecillum, atque aquosum, cui mel ipsum comparans plus alere dixit. vnde Galenus sentit vini imbecillioris & aquosi comparationem fieri ad mel, non tamen intellexit vinum vinosum. Sed dices hoc nulli dubium esse, vina illa tenuia aquosa minus nutrire & roborare, quàm mel. nam & hoc fatetur Galenus in libro de ratione victus attenuante, quod est imbecillissimi nutrimenti & solum valet ad vrinam prouocandam. propterea nos de vinis fortioribus & vinosis ambigimus, an sint melle robustiora. Scito id quod nutrit posse dici robustius nutrire, & magis nutrire & citius nutrire. De cita nutritione verum est vinum

citius

citius nutrire & facilius, q̃ mel, quia facilius eſt impleri potu q̃ cibis, at uinum eſt potus, mel cibus· nempe delingitur, non bibitur. De magis nutrire, ſi per hoc intelligamus, non quidem nutrimentum facere quod difficulter reſoluatur, nam in hoc ſenſu magis & robuſtius idem eſſent, ſed facere nutrimentum amplius, tunc dicimus, & uinum magis nutrire, id eſt amplius nutrimentum dare: quamuis facilius forte reſoluatur, & ita uinum etiam magis nutriet. De robuſtiori uero nutrimento, id quod craſſius eſt, & quod tenacius, & ſolidiorum partium, robuſtius nutrit quando conficitur. hoc palam docet Galenus in 3. de alimentorum facultatibus, ubi de uino loquitur & ait: uina admodum craſſa tardius quidẽ perficiuntur ac diſtribuuntur· ſed ſi in uentrem adeo robuſtum incidant, ut confici recte ab eo poſſint, ualentem alimoniam corpori exhibebunt. At cũ mel ſit quocunq; uino craſſius, deberet robuſtius nutrimentum, q̃ faciat vinum, dare. At non dat, quia mellis nutrimentũ eſt tenue, ut Galenus notat in libello de victus ratione attenuã te, ubi inquit mel eſſe ciborum dulciſſimum, & ſuccum etiam conſiſtentia tenuiſſimum gignit. At uina dulcia ſanguinẽ craſſum gignunt, & ideo magis robuſtum uidetur uini nutrimentũ q̃ mellis: uerum cum uini fortioris & craſſi & nigri ſint minores ſuperfluæ partes q̃ mellis, nam mel ex floribus & rore confectum plures habet ſuperfluas partes q̃ uinum· propterea uinum magis nutrit q̃ mel. intelligo, uinũ potens acre, quale falernum, uel quale uocatum Græcum. At hoc modo intelligentes, opus eſt uinum tenue aquoſum melli comparare, ſi mel debeat magis nutrire, q̃ uinum. Vinum præterea adductum robuſtius etiam nutrit, q̃ mel. vina enim illa quæ ſunt rubra craſſa ſanguini generando accommodatiſſima ſunt, vt Galenus docet in. 3. de alimentorum facultatibus, ut quæ minimo negotio in eius naturam tranſeant. Vinum igitur potens magis nutrit q̃ mel, & robuſtius, & citius & facilius. Vnde & Galenus in. 3. de alimentorum facultatibus notat exiguum alimentum ex ipſo melle accedere. De uino autem craſſo dicit, copioſum dat alimentum. Vinis igitur craſſis dulcioribus, & acribus nõ dulcioribus mel minus nutrit, & minus robuſte nutrit.

Tertio Galenus notat, quando Hippocrates uini duplo, mellis dimidium comparauit, ex hoc non aſſerit ęgrum ita uinum accipere debere ut eſt ſine aliqua aquæ miſtione, ſed intelligit, poſtea quam utrunq; dimenſum ſit, imponas quantuncunq; aquę ut bibi poſſit pro arbitrio ſuo, nõ minus utile erit: nam poteſt, ſi res ipſa exigat, mellis cyathum unum accipere, uel per ſe uel ingerere quantum uolet aquæ, atq; id quotidie bibere uel ẽ cõtrario uini cyathos duos bibere ſingulis diebus aqua temperatos ut illi lubebit. nam per hoc experimentum in pluribus id eſſe cognoſcemus hominibus, & ex hoc in cæteris. & cognoſcemus idem experimentum in uno per idem temporis ſpatiũ. id uero quod cognoſcetur erit exquiſita utriuſque facultas & mellis. ſ. & uini. nam ſi mel ex naturæ proprietate uentrem nõ turbabit, qui melle utunẽ diebus pluribus abunde ſufficient, q̃ qui uinũ bibunt, ẽt ſi duplũ bibant uini tenuioris & aquoſioris. Sed petes, quæ nam & quãta ſit menſura nuncupata cyathus· Reſpondemus ſi Galenum conſideremus libro quinto de cõpoſitione medicamentorum ſecundum locos cap. 3. ubi de uaris loquitur, & eſt ubi inquit, ex Critone ad uaros, eſt deinceps hoc, cap. 7. ubi inquit Crito in libro de ornatu hęc uerba ſcripſit. Ad uaros in facie. Mellis attici cyathum unum ſiue drachmas duodecim, aceti acerrimi tantundem miſceto diligenter, eoq; uaros illinito, cum digito affricando. vt hinc colligi poſſit cyathum. xij. capere drachmarum pondus. tamen ſi rem probe contemplabimur, hæc diuerſa uidentur cyathus mellis, cyathus uini, cyathus olei· non cyathus olei. 12. capit drachmas, ſed cyathus mellis ſuperat oleum dimidia parte, cyathus uero uini aut aquæ exuperat oleum nona parte, & cyathus mellis exuperat uini cyathum quarta, & inſuper decima parte. Hęc q̃ ſecundum Aeginetam dicta ſunt.

Cyathus olei. drach. xij.

Cyathus uini. drach. xij. ſcrup. iiij.

Cyathus mellis vnch. ij. drac. ſſ.

Manardus in epiſtola prima lib. 12. ſecundum Paulum facit cyathum continere chemas paruas, ſeu myſtra parua, duo. Ipſe uero iudicat (quãquam id non definiat Paulus) myſtrum paruum continere unciam unam. propterea cyathus duas uncias continebit. tamen res diſtinguenda eſt ſecundum Paulum uti diximus, quia ita ipſe determinat.

Verum Galenus probe exponere non uidetur in. 5. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cum exponit mellis cyathum unũ per drachmas. xij. nam mellis cyathus. drac. xviij. capit. At dicamus illũ nõ eſſe Galeni errorẽ, ſed Critonis. Tamen effugere non poſſumus, quin Galenus idem faciat uini cyathũ, & cyathũ mellis, nam duos accipit uini cyathos ad unum mellis. Reſpondemus Galenũ exẽpli gratia locutũ eſſe, & cyathum accepit ueluti menſuram communem quandam. At dices, quomodocunq; ſit, mel ſemper uinũ ſuperat in quarta parte, & inſuper in decima, quare nõ poterit eſſe dimidium. Reſpondemus hic non facit proportionẽ menſuræ quo ad pondus, ſed quo ad capacitatẽ. & forte intelligit per cyathum vas in quo paſſim bibebant, ut dicat ſumatur uas mellis & duo uini uaſa, non comparans pondus, ſed ſolam menſuram.

Nota illam particulam in cæteris uacare, cum dicit tum in plurimis ſimiliter in cæteris habentibus hominibus.

Petes cui debeat applicari particula illa, ex naturæ proprietate, cum dicit, ſi enim mel non ex naturæ proprietate uentrem turbat· Reſpondemus, ſi ad mel referatur quod non turbet ex naturæ proprietate, abſurdum eſt, quia omne mel eſt flatuoſum, niſi ſit decoctum, ut in. 3. de alimẽtorum facultatibus Galenus docet. At referamus ad homines quos mel nõ perturbet ex naturę proprietate. Hi ſunt pituitoſi natura, & ſimpliciter frigidi, ſunt ſenes, & illi in quibus in bilem conuerti non poteſt. At dices uideri in Galeno cõtradictionẽ, q̃m ſuperius ſectione 17. dicebat ſi quis cibo priuatus interire poſſit quarto die, & bibet mulſam, perueniet ad quintũ, uel ad ſextũ, poſtea addit ſermonẽ hunc. & de melle intelligas, nẽpe mellis natura mulſam ipſam inter modice nutrientia facit. vt uideas mel modice nutrire. Et ſi quis quarto die ſine cibo deberet mori, quinto uel ſexto ex ſumptu mellis perdurabit. At in hoc loco dicit ſi mel nõ turbet uentrẽ ex naturæ proprietate, qui melle utuntur diebus pluribus abunde ſufficiunt. Vt hic uelit ex mellis ſumptu aliquem diebus pluribus ſufficere poſſe, & non quinto uel ſexto die mori. Reſpondemus intelligendus eſt ſuperior locus, quando mel in pauciſſima copia ſit ſumptum· hic uero cyathũ accipit, uel non accipit hic cyathum, ſed talem accipit quantitatem, qua quis nutriatur, tunc enim abunde ſufficiet.

Quarto Galenus dubitationẽ quãdã remouet. nam dixerat, ſi mel ex naturæ proprietate uentrẽ nõ turbabit, diebus pluribus abunde ſufficiet. At ſi hoc ſit verũ, mel & aqua mulſa erũt ſemper magis nutriẽtia q̃ uinũ potiſſimũ dilutũ. Igitur id ſuperius dictũ ſectione. 19. fuit ſuperfluũ, q̃m dixit, cęterũ vino albo tenui paucifero & inodoro interdũ fortior, & interdũ imbecillior eſt mulſa. nã per ea quæ dicta ſunt, nõ eſt interdũ fortior, & interdũ imbecillior, ſed ſemper eſt fortior. quippe priuſquã per diſtinctionẽ iuſtã diſtinxiſſet, & de hac re citra diſtinctionẽ & abſoluto ſermone locutus eſſet, bene & ſecure dixit, inuenietur mulſa uino quadantenus fortior, & quadantenus infirmior. Vnde Galenus hoc modo ambiguitati ſatiſfacere uidet, qđ priuſquã feciſſet iuſtã, & perfectã diſtinctionẽ, & cõparationẽ, dici poterat eſſe interdũ fortiorẽ, & interdũ imbecilliorẽ. hoc enim uerũ eſt, ſi quis utriuſq; temperamenti analogiam non diſtinxerit, nam nulla facta diſtinctione, interdum infirmius uinum, interdum & mulſa infirmior eſſe uidebitur. Verum ſi hæc diſtinxeris, ut Galenus edocuit, & ſimul perturbationem illam contemplatus fueris, quam mel in uentre facit, ſemper deprehendes mulſam ad nutriendum ualidiorẽ eſſe q̃ uinũ proportione dilutum & tẽperatum. Imo & ſi adnotaueris excremẽtũ quod ex mulſa excernitur, quod ita moderatum excernitur ut uirtutem non exoluat, ibi etiam ſtatim uidebitur nutritio ex mulſa

copiosior esse, quam ex uino, nam & si excrementum quod exit sit duplum, tamen is qui laborat pluribus diebus ex mulsa sufficiet, quam ex uino. unde illud pro comperto habere oportet, mel uino & potentius, & ualidius ad nutritionem uideri.

Petes quare Hippocrates & Galenus in aqua mulsa considerandam uolunt uentris turbationem. Respondemus, quoniam mulsa aqua potest adeo uẽtrem turbare, & mel ipsum, quod profluuium quoddam inducet. Hoc autem profluuium tale esse poterit, ut in uentre mel non relinquet, sed simul cum excremẽtis exibit, in quo casu nutrire non poterit, sed potius per uiam symptomatis, uel stimuli exibit, tunc minus nutriet, quam uinum, quomodocunque aquosum & tenue, quod uentrem non turbet. Vnde iubent considerandam esse turbationem quam mel facit ob dictam causam, quam intelligere debes quando ipsum mel exit. At si mel non exiret, sed tantum exirent excrementa, adhuc magis nutriet. Et hoc est, quod Galenus addit, quod & si duplum exeat excrementum ex mulsa, quam ex uino, tamen laborans pluribus diebus sufficiet ex mulsa quam ex uino. Intellige mulsam meraciorem, uel secundum proportionem dilutionis uini dilutam.

## Hippocrates. Sectio XXII.

Mulsa tamen post prisanæ sorbitionem epota ualde replet, inflat, & hypochondriorum uisceribus est inutilis: sed si ante sorbitiones bibatur, non ut superepota lædit, sed iuuat.

BRASAVOLVS. Cum quis prisana indiget, & simul aquam mulsam biberit, opus est ordinem quendam seruet nisi illam obesse uoluerit, quoniam si quis post prisanæ sorbitionem, mulsam epotauerit, ualde replet & inflat, atque uisceribus illis quæ in hypochondrijs sunt, inutilis est: uerum si ante sorbitionem bibatur, non lędit ut facit, quando superepota est, sed potius iuuat. Vt in uniuersum habeatur semper, quæ sunt tenuiora, & quæ facilius corrumpuntur, & quæ citius subducuntur, esse prius sumenda: quæ uero per oppositum sunt crassiora, difficilius corrumpuntur, & tardius exeunt illa debent secundo loco sumi, & non primo.

ἂν μέν τοι ῥοφήματι χρῆται πτισάνῃ, ἐπιπίνει δὲ μελίκρατον, ἄγαν πληρωματῶδες ἂν εἴη καὶ φυσῶδες.i. aqua autem mulsa post prisanę sorbitionem epota, ualdet replet & inflat. est enim flatuosa: nam cum prisanam sorbueris, cum pluri tempore ad coctionem indigeat quam mulsa, si post ipsam, mulsam ebiberis ne descendat impeditur. unde supra ipsam manet, & in flatus dissoluitur, quia flatuosa est, & ideo replet totum uentriculum, & illum extendit. vnde inflare dicitur & in tumorem reducere.

καὶ τοῖσι κατὰ τὰ ὑποχόνδρια σπλάγχνοισιν ἀσύμφορον.i. & uisceribus quę sunt in pręcordijs est inutilis, ita epota mulsa post prisanam. Sunt uero uiscera in pręcordijs iecur, lien, & uentriculus. Galen. in nono methodi in synocho ex sanguinis abundantia, post sanguinis emissionem primo dat mulsam, deinde una interposita hora, prisanę cremorem, ut primo det mulsam, deinde cremorem.

Forte dices quomodo iecori & lieni est inutilis? Respondemus ob hoc quia in uentriculo flatuatur, postea in prisanę descensu flatus illi simul descendunt, & per meseraicas attrahuntur, itaque ipsis inutilis est. Adde ex mora in uentriculo in bilem conuerti, & ita hypochondria lędit, imo & prisanam ipsam cui miscetur, perturbat, & illam quodammodo corrumpit, & in sui naturam trahit.

προπινόμενον μέν τοι πρὸ ῥοφημάτων μελίκρατον οὐ βλάπτει, ὡς ἐπιπινόμενον, ἀλλά τι καὶ ὠφελεῖ.i. uerum pręhibita aqua mulsa ante sorbitionem, non lędit, ut facit quando est mulsę superepota, sed & iuuat. Iuuat uero, quia prius cum descendit, & prisanę uiam pręparat, ut facile exire possit, neque flatus facit, neque in bilem conuerti potest.

Sed hic ambiguitas est, an illa quæ post sumuntur, post etiam deijciantur, nam oppositum potius uidetur, quoniam quæ per os sumuntur, per sinistram partem in uentriculum transire uidentur, & per dexteram exire. uerum meatus ille per quę exeunt, non est in fundo uentriculi ut necesse sit illa quę exeunt, esse supra fundum, sed est in parte prope uentriculi medium in dextero latere, uerum illa quę prius sumuntur, in fundum recipiuntur, quę posterius sunt sunt superiora, & sunt uię qua exeunt propinquiora. unde uidentur facilius posse exire, quę posterius sumpta sunt, quam quę prius, quoniam hęc ascendere non est opus, ut illa ascensu indigent quę in fundo sunt. propterea quę ab Hippocrate scripta sunt rationem habere nõ uidentur, quoniam & si mulsa posterius sumatur, prius etiam exire poterit. Respondemus, natura ita sua digessit opera, ut nihil sit quod miraculum non uideatur meatus ille portonarius dictus, per quem, illa quę in uentriculo sunt exeunt, ita constitutus est, ut semper sit clausus, quando animal sanum est, dum cibus nondum coctus est, hoc Galenus testatur tertio de facultatibus naturalibus libro, & in secundo de symptomatum caussis, neque unquam aperitur priusquam cibus plene coctus sit, idque intelligitur in uere sanis, & qui honeste edunt & bibunt. Id dicimus, quoniam in potatoribus semper aliquid potus stillat, coctione perfecta natura ita res suas agit, ut illa quę prius fuere assumpta, ad pręḋictum foramen ascendant & exeant, & ex consequenti illa sequuntur quę per ordinem sunt recepta. Et si illa quę posterius sumpta sunt prius digerantur, tamen non prius exeunt, imo in eodem manent quo sunt loco, quoad totũ concoctum sit, & plerunque corrumpuntur, si res sint facilis corruptionis, & omnia alia quę assumpta sunt, male afficiunt & cõtaminant. Hic est naturę ordo, quem qui seruat, uere sanus est & erit: qui non seruat, necessario uel ęgrotat uel ęgrotabit.

GALENVS. De ordine ait Hippocrates, quem in usu mulsę, prisanę que quis optime seruare debeat. Verum uno mulsę, prisanęque edoctus exemplo, uniuersalem hunc accipe sermonem. Nam perpetuo prius ingerenda sunt, quę & facilius corrumpuntur, & quę subducuntur magis. Posterius uero contraria. Prisana autem, quam mulsa difficilius corrumpitur, & descendit tardius. Si ergo mulsa primo sumpta fuerit, ex ea quędam prisanę ad deiectionem fit prouocatio. Verum si prisana primum sumpta fuerit, subduci mulsa prohibetur: inflabit hypochondria, atque tandem in bilem conuersa, prisanę detrimentum afferet.

BRASAVOLVS. Primo Galenus docet, Hippocratem hic de ordine loqui, quem quis seruare debet in mulsę exhibitione & prisanę. Tamen Galenus sentit ex hoc uno exemplo de mulsa & prisana particulari. uniuersalem sermonem accipiemus, qui talis est, semper in sumendis cibis illa prius sumenda sunt quę facilius corrumpuntur, & quę magis subducunt, posterius uero sunt accipienda contraria, quę scilicet difficilius corrumpuntur, & minus ac tardius subducunt. Vt uno uerbo dici possit, prius sumenda que prius & facilius coquuntur, & posterius, quę posterius & difficilius coquuntur.

Secundo Galenus suam illam uniuersalem sentẽtiam ad Hippocratis sententię propositum applicat, inquiens, prisanam difficilius corrumpi, & tardius descendere quam mulsa, unde si mulsa prius sumpta fuerit, fit quędam prisanę prouocatio ad deiectionem ex ipsa mulsa. At si prisana primũ sumpta fuerit, mulsa à prisana subduci prohibetur, propterea hypochondria inflabit, & denique in bilem conuersa, prisanę detrimẽtũ afferet, quoniam illam sua qualitate afficiet, quam iam contraxit.

Est uero una apud medicos uulgata propositio, & ueluti maxima, quę hinc originem habere potest, qua dicitur, omnia liquida & omnes fructus in stomachi fundum esse recipienda, quoniam facilius corrumpuntur, & facilius etiam descendunt, & facilius crassioribus coquuntur, ut carne, pane, & similibus alijs. De qua propositione cum sit medicæ facultati necessaria, non erit ab re parumper dubitare, & contemplari, an uera sit, ut omnia liquida, & fructus omnes in prima mensa edenda sint. Pro huius ambiguitatis solu-

tione

tione scito hic esse duo quaesita, vnum de liquidis, aliud de fructibus. Quod de liquidis est supponit disputationem quādam apud medicos consideratam esse, de potu qui res liquida est, an prius sit bibendum q̃ comedendum, an simul bibendum & comedendum · an prius comedendum, postea bibendum. Nam comedendum, & bibendum esse nullus est qui ambigat si uiuere debeamus. Vnde Galenus in principio libri primi de sanitate tuenda docet vesci, bibere, & respirare esse necessaria, & à quoquam nunquam didicimus, sed statim facultates in nobis ipsis habemus, quae haec omnia citra docentem proficiant. Cibo enim quicquid siccioris substantiae effluxit, restituimus, potione uero quicquid humidioris. Ita vero & aereae, igneaeq; substantiae modum, respiratu, arteriarúmq; pulsu tuemur. Verum cum apud medicos triplex reperiatur potus · vnus qui est medicamentum tantum, vt sunt potiones alterantes, & hic etiā dicitur potus alteratiuus · secundus qui solum est pro crassioribus rebus quae comeduntur commiscendis, quem recentes potum, uocant permixtiuum · tertius qui simul miscet & alterat, qui & uocatur delatiuus, quoniam per totum corpus defert alimentum: hic de potu solum alteratiuo non loquimur, sed de illo qui vel crassa simul commiscet, & nutrimentum ad partes confert, vel simul etiam alterat, vt est uinum. Quidam uoluere in hoc prius esse totum comedēdum, postea bibendum, qui omnium animalium naturas imitabantur. Videmus etenim equos & boues prius comedere, postea bibere. Sed hoc absurdum est, quoniam quod crassum est in ventriculi fundo condensabitur, neque miscella fiet. neque in sui argumentum bruta adducere conuenit, nisi & ipsi velint inter bruta numerari. Neque audiendi sunt qui Galenum adducunt in. 7. Methodi, qui noluerit dandum potum nisi post coenam. Hi vero in errorem incidere, quia antiquam translationem sequebantur, quae praua est. In sua vero lingua habet hunc sensum. de praua loquitur uentriculi temperie, quae crassum cibum alterare nō potest, & ait ut illico post coenam nō bibant, uidelicet antequam cibus fuerit concoctus · si quidem innatant cibi si bibant, ita ut eos ventriculi corpus propter interpositum humorem non cōtingat. Vides ergo ex his non dicere q; semel bibant post coenam, sed est in illa affectione. nos uero in sanis nunc loquimur.

Alij sequenti ratione moti prius bibendum esse censuerunt, quia potus vt Galenus docet primo de sanitate tuenda, est à natura ordinatus, quae nos bibere edocuit, ut humidiores corporis partes quae amittuntur, reficiantur, & cibus ut crassiores. verum humidiores partes vtpote tenuiores prius resoluuntur, ideo prius id quod hoc tenue reficit, sumi debet, q̃ id quod crassum reficit · sed potus, vt dictum est, tenue reficit · igitur potandum prius, q̃ comedendum.

At hi aberrant, quoniam uel aquam uel uinū bibunt. Si aquā, cum sit natura frigida uentriculum natura frigidum, cui nude occurret, magis infrigidabit. Si uero dices, bibet aquam tepidam. At à Galeno ostenditur hanc tepidam uentriculum relaxare, & nimis emollire, imo perturbat, cuius indicium esse potest, quòd aquam bibentes tepidam in vomitum inducuntur. & cum aliquem euomere cupimus, tepidam aquam bibere iubemus. vnde aqua vacuo uentre non est simpliciter accipienda, nam illam sua frigiditate plures venenum esse existimarūt. Et huius rei specimen praecipue praestat, quando vel post corporis exercitationem, vel post balneum, uel post coitum sumpta est. Intelligimus perpetuo cum homo sit sanus, nam in aliquibus casibus potest aqua ebibi ieiuno ventre, ut in secundo libro diximus de aquae frigidae potu, quando conueniat, & quādo non, & in ardore uentriculi bibi potest.

De uino etiam loquentes, non potest bibi ieiuno ventre, neq; debet, nisi gratia alicuius prauae temperiei frigidae, vel alicuius affectus uentriculi frigidi. Cum enim homo sanus est, sui tenuitate ad nerueas penetrat partes, & illas dissoluit. Galenus in calce secundi libri de locis affectis, hanc historiam non praetermittendam refert. Grammaticus quidam singulis diebus balneum petens, vnum ex pueris secum ducebat, altero domi relicto, qui rem familiarem seruaret, atque ea quae ad victum essent necessaria praepararet. puer itaque domum custodiens, cum uehementi siti cruciaretur, nec esset ei aquae copia, vinum antiquum liberaliter potauit, atque ex reliquo tempore vigil omnino permansit · postea correptus febre, una cum vigilijs oborto delirio perijt. Vides igitur quid faciat vinum uacuo uētriculo epotum · nam existimatur venenum, potissimum post balneum, & post coitum. Sed inquies videri multos potatores qui summo mane creticum bibunt, & falernum: Respondemus hi sunt assueti, & nunquam habent uentriculum uacuum sed perpetuo est pituita plenum. Rationes vero quae suadent primo esse bibendum, nullius sunt momenti. nam & si corporis humiditates facilius resoluantur, q̃ densiores partes, tamen natura tantam illarum copiam fecit, vt facilius non resoluantur, imo & ex crassis ipsis attenuatis fiunt.

Ex his dicere conuenit parum prius edendum, postea bibendum · & rursus edendum, mox bibendum · Idq; saepius, vt tenue ac crassum in vnum uelut corpus iungantur & macerentur. Et ideo non est bis, sed saepius bibendum. Hinc Francisce Christianissime tuū illum morem, vt medicus nunquā probarim, quo bis solum bibis, suaderemq; ut plures biberes. Inter edendum uero esse bibendum non solum communis mos & Graecorum & Latinorum ostendit, sed & ratio hoc probat, quoniam humida & sicca deperdita & resoluta si restaurari debeant (ut Galenus in primo de sanitate tuenda testatur) cibis & potibus utimur. nam cum simul sint deperdita, simul quoque refici expetunt, igitur illa simul sumenda sunt quae haec reficiūt · reficiunt uero cibus, & potus: propterea & cibus & potus simul accipi debent, & simul commisceri. Adde cibum esse crassum · unde opus est, si ad partes quae nutritione indigent, penetrāre debent, ut aliquo ductore ducatur, & attenuetur. Id vero facile fit à potu, propterea potus simul cum cibo miscendus. Quod etiam in ventriculo coquitur, in chylum primo reddi debet, quem aliqui ptisanę similem esse censuerunt. verū hoc esse non posset, nisi cibus simul & potus iungerentur.

Preterea rectus appetitus & sanus cibum simul appetit & potum, nam simul expetit cibum siccum humectari · propterea & expetit vt simul iuncta sint, & non ut ante uel post cibum sumatur.

Notáque illum naturę ordinem, per mistionem scilicet & vnitatem earum rerum quę concoquuntur ad coctionem ordinari, postea haec ad coctionem ordinantur, & ad indiuidui conseruationem. Aristoteles in. 4. meteororum libro inquit digestionem esse perfectionem à proprio & naturali calido ex passionibus contraiacentibus. vnde quanto magis digestionis ratio seruabitur, nutritio quę fiet, erit perfectior. verum hoc fit si simul & cibus & potus iuncta sint, nam simul contemperantur primę qualitates. Vides igitur edendum simul & bibendum, hoc est inter edendum frequenter bibendum. Et hęc satis sint de re liquida quę potus est.

At nos per rem liquidam in illa uulgata propositione potum non intelligemus, sed intelligemus cibos tenues. inter hos autē cibos aliqui possunt mastican, alij minime. Qui masticari nō possunt, cum his misceri debent qui mastican possunt, vt fiat tertium corpus, quod mediocris sit substantię, sicut & uinum debet cibo misceri. At si rem ipsam ad vnguem pertractare voluerimus, scito propositionem hanc simpliciter non esse ueram. Cibi tenues & liquidi in uentriculi fundum reponi debēt. Sed per liquida fructus intelliguntur, & omnia illa quę facilius coquuntur. postea cum sunt cocta si in stomacho morentur & non descendant, corrumpuntur, qualia sunt fructus & reliqua quae celeriter peruadunt. vnde Galenus in secundo de alimentorum facultatibus vbi loquitur de sycamino, & cum dixerit nec esse multum adhibendam diligentiam vel sycamina, vel mora appellentur, tamen nihil habemus detrimenti à vetustarum appellationum ignoratione. Si facultates ipsorum exploratas habuerimus. In hoc loco sequitur Galenus, satius enim fuerit scire, ex his cibis qui subducuntur,

posteriores quidem sumendos qui tarde permeant, omniũ autem primos, qui celeriter quidem peruadunt, corrumpuntur tamen in uentriculo si diutius morentur, vt duo in causa sint, quæ faciunt ut cibus præire debeat: unũ est, vt facile permeet: aliud, si facile in uentriculo corrumpatur, cum in illo moratur. Et ideo paulo post addit. Sycamina igitur celerrime pertranseunt, cibisque alijs præeunt, si in uentriculum purum inciderint, & sumpta primis epulis fuerint, quod si sumpta post alios fuerint cibos, aut etiam prauum succum in uentriculo offenderint, celerrime una cum alijs cibis corrumpuntur, nouo quodã corruptionis genere. Et quod uerbis explicari nequeat, ut in cucurbitis accidit. Vides Galenum primo illa exhibere, quæ facilis sunt penetrationis, & quæ cito corrumpuntur, si in ventriculo immorentur.

Forte dices apud Galenum in uentriculis supra modum calidis, esse illa sumenda quæ difficilioris sunt coctionis: igitur & primo sumenda: nã alia quæ facilioris sunt coctionis, corrumpuntur.

Respondemus, aliud est hæc debere sumi, aliud prius debere sumi: nam secundum Galenũ, illa nunquam sumi debent, quæ facilioris sunt coctionis in uentriculis supra modum calidis: quippe secundo de alimentorum facultatibus libro, ubi de cucumeribus loquitur, inquit. Quandoquidem quibus biliosus humor, aut omnino prauum excrementum quoduis in uentriculo sæpe contigerit, in ijs quæ natura coctu sunt facilia, celeriter corrumpuntur, veluti hominibus quibusdam qui calorem natiuum habent non humidum neque bene temperatum, sed squalidum atque igneum. hi enim quæ alij facilime concoquunt, facile alterata ea corrumpunt, ructúsq; eis accidunt nidorulenti. vnde hi prius, & posterius ea comedere debent, quæ difficilioris sunt coctionis, & illa semper euitare, quæ facilioris sunt coctionis, nam tanto magis hæc facilioris coctionis corrumperentur, si post sumerentur: quoniam & per se, & ante sumpta, ex igneo calore, quem habent, tales uentriculi cito corrumpuntur.

Ad rem igitur redeuntes. Cum per liquida cibos illos intelligamus, qui cito permeant & facile, cum morantur in corpore, corrumpuntur: Nos simpliciter dicimus, semper esse prius edendos, quàm illa quæ tardius permeant, & difficilius corrumpuntur, & tardius etiam coquuntur. Intelligimus uero fructus tales, quoniam sunt aliqui fructus qui tardius permeant, & difficilius corrumpuntur, & sunt tardioris coctionis, ut sunt castaneæ, loquórque perpetuo de veris cibis, & non de medicamentis, de quibus loqui secus est. nam & in medicamentosis cibis illi qui uim habent emolliendi & educendi, semper alijs præponi debent, qui neque uim habent emolliendi, neq; educendi.

Galenus præterea in secundo de alimentorum facultatibus, ubi de persicis agit, cum inquit, eius succum & eius carnem facile corrumpi, & esse omnino prauam addit. Quocirca (quod quidam facere solent) non sunt post alios cibos mandenda, corrumpuntur enim in superficie natantia. Sed in omnibus quæ praui sunt succi, uerum humida sunt ac lubrica, & quæ subduci facile queant. id communiter tenendum, ea ob id ipsum ante alios cibos esse sumenda. Ita enim fiet, ut & citius subducantur, & alijs cibis viam muniant, quæ si sumpta postrema fuerint, una secum alia quoque corrumpent. & ad dimidias ferè sexti libri de sanitate tuenda partes, ubi de his loquitur quibus biliosus uenter est, inquit. Primi semper ciborum ac potionum sint, qui aluum dejicient. Vt in ordine ciborum, is seruandus sit ordo, primo illi sumendi cibi qui facile coquuntur, facile permeant, & facile corrumpuntur. Galenus in calce libri sibi adscripti de historia philosophica secundum Erasistrati scientiam inquit, sanos nos uiuere, si dum cibos assumimus, ordinẽ quendam seruemus.

Et ipse Galenus ordinem in sumẽdis cibis seruandum edocuit in principio tertij de symptomatum causis libri, ubi primo olera ex garo & oleo tribuit, postea poma & punica. Sed in sanis loquitur, nam eo loco ostendit quomodo animal non concoquat ventre ipso minime affecto, & inter alias causas hæc vna est, si inordinate accipiatur cibus: ut si punica primo loco sumantur, olera ex oleo, & garo ultimo loco, dat uero primo in conueniend ordine olera ex oleo & garo, quàm punica & pruna, quia ille cibus uentrem subducit. dictum uero est uentrẽ subducentia præcedere debere.

Possemus huc uarios uentriculi affectus adducere, in quibus hæc & illa essent præcedenda: sed in sanis loquimur, in quibus hic prædictus ordo seruandus.

At dices omnes oppositum seruare: nam in secũda mensa, Ferrarienses omnes, fructus comedunt ficubus demptis & peponibus. Respondemus & Ferrariẽses, & omnes qui hunc usum seruant ualde aberrare. neque mirum est si in sæuas ægritudines plerunque coincidant, & si cruditates aceruent, & putredines faciant.

Sed dices de alijs liquidis ut sunt oua & olera & alia eiusdẽ generis quid agendum: Respondemus, simpliciter omnia quę citius coquuntur & citius corrumpuntur, sint cuiuscunque generis, esse prius sumenda.

## Hippocrates. Sectio XXIII.

Cocta autem mulsa, facie quidem cruda longe est melior. splendida siquidem & tenuis & alba & pellucida existit: sed qua ab ea. euariet virtute non habeo. Neque enim est suauior si mel bonum fuerit, imbecillior tamen & minus stercoris habens. Quorum neutro vt auxilietur mulsa opus habet. Cocto tamen probissime vtendum, si mel vitiosum fuerit, impurum, nigrum, & mali odoris. Nempe coctura plurimam malignitatum turpitudinem tollit.

BRASAVOLVS.

Et si de mulsa secundum hanc interpretationem Hippocrates loqui uideatur, tamen & de melle loqui nihil impedit, quod quidem & coquitur, & crudo eo utimur. Tamen & si omnia ad mulsam referre uelimus, nihil refert. Est uero huius partis, uel ad mulsam referamus uel ad mel, hic sensus. Mel coctum secundum apparentiam, & ut uidetur, est longe melius crudo melle: nam dotes has habet, splendidum est, tenue, album, & pellucidum. Tamen non uidetur Hippocrates distinguere sciuisse qua virtute coctum à non cocto euariet. nam si mel sit probum, non est suauius si coctum sit, verum est imbecillius coctum, & minus educit excrementa, quorum neutro ut auxilietur mulsa habet opus. uerumtamen si mel uitiosum fuerit, impurum, nigrum, & mali odoris, cocto probissime utendum est, quoniam ex hac coctura malitia melli aufertur.

ἑφθὸν δὲ μελίκρατον ἰδεῖν μὲν πολλῷ κάλλιον τοῦ ὠμοῦ. i. cocta quidem mulsa vt uidere est, longe melior est cruda. Id Vt uidere est, quod alij interpretati sunt facie, alij aspicientibus quidem. Id autem nos potius ad experientiam referremus, quàm ad uisum, ut intelligeremus, ut licet experiri, est multo melior mulsa aqua cocta, quàm cruda. vel si referamus ad uisum & ad apparentiam suam, verba quæ sequuntur, id ostendent. quibus inquit.

λαμπρὸν γὰρ καὶ λεπτὸν καὶ λευκὸν, καὶ διαφανὲς γίγνεται. i. splendida etenim & tenuis, & alba & pellucida fit. scilicet ob cocturam. nam in coctura quicquid spumæ & flatus melli inerat aufertur, & color quidam inducitur qui subflauus uidetur. vnde Galenus in tertio de alimentorum facultatibus vina alba his aquis comparat, quibus fit aqua mulsa, tamen non est alba, sed potius tendit ad flauum, neque est pallida. Intelligo etiam quando mellis parum acceperit, fit ex aqua & melle corpus quoddam has habens qualitates, splendorem quendam qui non erat in mulsa cruda. nam cruda potius erat turbulenta ex aqua cũ melle mistione sine aliqua attenuatione, efficitúrq;

ex

ex ebullitione tenuis,& albedinem contrahit,non quidẽ aqueã albedinem,sed minus turbidam & obscuram, q̃ esset cũ erat cruda. Ex hoc loco colligi potest,cum Hippocrates de albo loquitur,sub eo nomine & flaua & pallida subintelligere, ut nos uulgo facimus. efficitúrque ex coctura diaphana,quia crassiores partes attenuantur. Et si quid erat in cruda turbulenti totum euanescit. Et probe dicit,fit, quoniam id totum habet ex coctura.

Forte dices,tibi mirum uideri adesse mulsam crudam,quia nõ uidetur mulsa,nisi postquam mel fuerit aquæ commistum. At non uidetur posse commisceri nisi ui ignis. Respondemus imo commisceri mel aquæ,& per elutriationem simul ad minima commiscentur. Et antiqui qui zuccaro carebant, quando inter prandium & cœnam bibere uolebant,uel post cœnam,& vinum nolebant,plerunque mel aquæ miscebant, ut nunc zuccarum miscetur,& bibebant,potus ille erat cruda mulsa, de qua & in breuissima huius partis commentatione mentionem facit Galenus,& Hippocrates in sectione quinta libri quarti huius voluminis, in causo dat mulsam coctam, Galenúsque in commentatione causam reddit,cur coctam dederit & nõ crudam,imo inter coctam,& crudam differẽtiam ponit Galenus, & in. 12. Methodi parum post principium de cruda & cocta mulsa agit,earum differentias prosequens,& in. 3. de alimentorum facultatibus,ubi de melle tractat, mulsæ aquæ paulisper coctæ meminit,& nullo modo coctæ. Habes ergo in usu fuisse & coctam & crudam,ut nos in præsentiarum aquam zuccaratam facimus,verum & si hęc ad mel referri possint, & ita Hippocratis sententias introduxerimus, tamen mulsæ magis accommodantur,quia mel non fit transparens ex coctura, vt mulsa,quãquam & depuretur,& aliquam habeat pelluciditatem.uerum & contextus græcus de μελικρήτου uerba facit.

ἀρετὴν δὲ ἥν τινα αὐτέῳ προστέω διαφέρουσαν τι, τοῦ ὠμοῦ, οὐκ ἔχω.i. verum non habeo quam uirtutem illi apponam,qua in aliquo differat à cruda. Vt Hippocrates uideatur se ignorare uim illam per quam differt aqua mulsa cruda à cocta, imo statim addit.

οὔτε γὰρ εὐμαρὲς ἐστι.i. neque enim facile est. Imo difficile uidetur,inquit Hippocrates,crudæ differentiam,& coctæ mulsę posse referre.

At si Galenum varijs in locis consideremus,ipse inter crudam ac coctam mulsam differentiam ponit. nam. 3. de alimentorũ facultatibus,ubi de melle loquitur, inquit, melicratum vero quod paulisper aut nihil omnino coctum fuerit,prius deijcitur, q̃ concoqui,& in corpus distribui,& nutrire possit,econtrario quod est probe coctum,non prius deijcitur,q̃ distribui & nutrire possit,& in. 12. Methodi ait. Accidit nãque post aquam mulsam ut quæ in primis uenis,quæ scilicet circa iecur & mesenterium sunt,colligi superuacua solent, hac commode deijciantur. Quod si maior iusto superfluorum impetus ad aluũ cieatur,principio quidem percoquere mulsam amplius oportebit.ea nanque sicuti minus aluum subducit,ita magis nutrit. Contra,cruda ut minus nutrit,sic magis subducit. vt hinc colligi possit,& Galenum in hac parte inter crudam, & coctam & supra modum coctam mulsam differentiam facere, in. 4. præterea huius uoluminis libro sectione quinta Galenus docet crudæ & coctæ differentiam,reddens primo rationem,cur in causo mulsam coctam præberet, postea addit. Nempe q̃ cruda(scilicet cocta)sitim magis arcet, & flatu magis uacat, urinásque magis ciet,ut quæ cruda est, deiectionem, minus si quidem acris quę cocta est, non solum quod in coctura peragatur persiciatúrque,verum quod & spumosum ipsius omne tollitur. Nempe quod acre & flatuosum existit in mulsę est substantia. Cocta autem cum morsu caret,tum flatu vacat,distribuitúrque melius,q̃ per intestina descendat. Quo fit ut eam ob causam magis alat,q̃ cruda. vt ex his omnibus colligi possit amplam esse inter crudam mulsam & coctam differẽtiam. Et si quis fugiẽs dicat Hippocratem de melle intelligere, quod crudi à cocto uires distinguere nesciat, quoniam Copus Hippocratem in melle intelligit: Nos dicimus & in melle suas esse differentias. Nam Galenus in. 3. de alimentorum facultatibus, ubi de melle agit, primo probauit mel habere acrimoniam, postea docuit modum remouendi acrimoniam, inquiens nam si coquatur in multa aqua,& protinus cum spumat,spuma auferatur. Paulopost dicit,mel non plene coctum in uentriculo atque intestinis flatus quosdam gignit. Contra quod in deiectione spumam omnem abiecerit,flatus est expers, & urinam mouet. quod si quis citra aquę admistionem,mel solum delingat, nutriet quidẽ infirmius,sed aluum promptius deijciet, largius uero sumptum uentrem superiorem ad uomitum solet excitare. Elixum autem sine aqua,neque uomitum similiter mouet, neq; aluum subducit,verum distribuitur,& nutrit magis: vrinam autem minus eo,quod cum aqua est elixum, ciet, quanquam ne tum quidem cum nutrit alimenti multum corpori exhibet,adeo ut non defuerint,quibus nihil prorsus alere uideretur. propterea & si Hippocratem in melle intelligemus, tamen mel coctum à crudo plurimum differt: imo ut Hippocrates ipse in libro de morbis qui intus in. 4. typho, parum ante finẽ mellis cocti meminit, ibi dixit,mel enim decoctum ęstuosum est,uentriculóque affigitur,postea cum digeritur,in uẽtriculo feruet,uenter statim tollitur,& tumet,accenditur,disrumpi uidetur,deinde uenter subito defluit: cúmque semel defluere cœpit,multos dies purgatur. Tamen hęc potius uidentur secũdum Galenum melli crudo, q̃ cocto attribuenda. At idem Hippocrates de melle cum alijs sumpto in libro de morbis qui extra, dicit,mel cum alijs sumptum nutrit, colorémq; bonum facit. Solum uero potius emaciat,q̃ reficiat. Lotium enim cit, supráq; modum purgat. Ad rem vero redeuntes. quid de Hippocrate dicemus,qui hic ait siue de melle siue de mulsa loquatur,se non habere,& ignorare,quibus uiribus differant: Respõdemus, Hippocrates forte de his tantum locutus est, quę ad saporem spectant. In reliquis quomodo differant non ignorat, imo ipse dicit coctam mulsam esse imbecilliorẽ,& minus educere stercora. Igitur uires eius ac differentias non ignorat.

ἢν τυγχάνῃ γε τὸ μέλι καλὸν ἐὸν, ἀσθενέστερον μέν τοι γε τοῦ ὠμοῦ, καὶ ἀκοπρωδέστερόν ἐστιν.i. uerum si contigerit mel probum esse, cruda quidem imbecillior est(scilicet illa quę est cocta)& minus stercoris educit. Vt palam sit Hippocratem, ante Galenum mulsę crudę & coctę differentiam posuisse: ut cocta minus educat feces & sit imbecillior. quę uero est cruda magis educit stercora,& non est adeo imbecilla. propterea id quod Hippocrates se ignorare dicebat,erat tantum circa sapores. Sunt qui hanc particulam interpretentur, neque enim est suauior si mel bonum fuerit. Alij interpretantur. Neque enim (si bonum fuerit)crudo suauius est. hos deceptos esse putamus quia posuere particulam εὐῶδεν cum sequentibus,& interpretati sunt suaue. At nos ostendimus exponendum esse facile, & ad superiora referendum, ὧν οὐδετέρου ἐς τὴν ὠφελείην προσδέεται μελίκρητον. i. quorum neutro ut opem ferat indiget mulsa. possunt huic parti uarij sensus assignari: vnus, q̃ ut mulsa opem ferat his quibus opem ferre debet nullorum illorum duorum indiget, neque imbecillitate, neque minus stercoris educere. alter sensus, mulsam ut opem ferat nõ indigere uel cruditate uel coctione, quoniam & cruda & cocta opem fert, vel dicamus ad aquę mulsę probationem nullo horum indigemus, sed alio probatur q̃ imbecillitate, uel in fecum eductione, uel id auxilium ad ipsam mulsam referamus, & non quòd ipsa alia adiuuet.

ἄγχιστα δὲ χρηστέον αὐτῷ τοιῷδε ἐόντι, ἢν τὸ μέλι τυγχάνῃ πονηρὸν ἐὸν, καὶ ἀκάθαρτον καὶ μέλαν, καὶ μὴ εὐῶδες.i. uti uero debemus probissime ipsa cum talis sit, si mel contigerit esse prauum,& impurum,& nigrum, & non iocundi odoris. Intellige nos uti debere ipsa mulsa,cum talis sit, scilicet cũ sit cocta. hoc enim ad coctam referri debet,quando mel fuerit impurum,& prauum,& nigrum,& non odoratum, quę sunt praui mellis dotes: vt deinceps uidere licebit. Mulsa uero cocta uti debemus ob causam quam statim reddit.

ἐφθάνετο γὰρ ἂν ἡ ἕψησις τῶν κακοήθων αὐτοῦ τὰ πλεῖστα τοῦ αἰσχίστου. nam coctura, plurima turpitudinis malignitatũ ipsius tollit. coctura etenim remouet prauo melli flatuositatem quam & prauo melli aufert, & quicquid habet in se malitiæ quæ plurima est, quando est nigrum mel, vt statim ostendemus.

GALENVS. BRASAVOLVS.

Tota dictione coctę crudæq; mulsę differẽtias docet Hippocrates, sed nullam desiderat expositionem.

Galeno uisum est ea quæ ab Hippocrate in sententia dicebantur, esse luce clariora, propterea interpretatione non indigere, cum tamen aliquam habeant obscuritatem. Censet uero in tota hac sententia de cruda & cocta mulsa egisse Hippocratem, & illarum differentias assignasse arbitratúrque sententiã nullam desiderare expositionem.

De melle.

Pro exquisitiori vero huius partis interpretatione de melle parumper agendum est, ut quisq; nostrum probum mel à nõ probo dignoscere sciat, & notas in promptu habeat, quibus mel probari debet. primo autem quid mel sit in dubium uerti poterit. Circumfertur libellus quidam Galeno adscriptus cui titulus est de simplicibus ad Paternianum, in quo mel hoc modo definit. Mel succus est roris coelestis qui ab apibus colligitur. quæ definitio his conuenit quæ à Galeno de melle dicuntur in. 3. de alimentorum facultatibus, ubi ait materiam, ex qua mel generatur rori esse congenerem, tamen non est ex puro rore, sed ex rore & floribus potissimũ odoratis, imo ubi thymus adest (ut ibidem ait) mel fit probatissimum. & illæ simpliciter herbæ & frutices ex quibus probum mel nasci debet, calidæ esse debent & siccæ.

Apud Galenum in. 3. de alimentorũ facultatibus duplex mellis genus reperitur mel rosidum & aereum, & mel apum, ex rore utrunque genus fieri censet, mel apum erat apud Galenũ notissimum, sed mel rosidum erat illi quodammodo ignotum. Id est, quod nos uulgo mannam uocamus. Arbitror & Pliniũ hanc mannam adumbrasse, cum lib. xj. cap. 12. de mellis natura loquitur, prius dixerat apes implere cellas vno aut altero ad summum die. Addit deinceps, uenit hoc ex aere, & maxime syderũ exortu, præcipuéq; ipso sirio explendescente fit, nec omnino prius vergiliarum exortu sublucanis temporibus. Itaque cum prima aurora folia arborum melle rosida inueniuntur, ac si qui matutino sub dio fuere, vnctas liquore uestes, capillúmque concretum sentiunt, siue ille est coeli sudor. siue quædam siderum saliua, siue purgantis se aeris succus. Vt ex his Plinius sensisse videatur, apes pro condiendo melle hunc rorem accipere, cum tamen & ipse ros sit dulcis, & arborum folia dicat esse melle rosida, sicuti & Galenus in. 3. de alimentorum facultatibus dicebat rusticos cantare, Iuppiter melle pluit. fitq; secundum Plinium sirio splendente, vt Galenus in media æstate factum dicit, vnde manna nostra uulgaris hoc Plinij mel rosidũ esse potest. Arbitramur de hoc melle Virgilium intellexisse, quando in ægloga tertia Palęmon inscripta, Damoeta ita cecinit versu. 89.

Qui te Pollio amat, ueniat quo te quoq; gaudet.
Mella fluant illi, ferat & rubus asper amomum.

Hoc uero expressius habetur in ægloga. 4. uersu. 30. cũ inquit,

Et durę quercus sudabunt roscida mella.

Galenus cũ hoc concors est, qui ait supra folia quercus inuenta fuisse hæc aeria mella, hócq; in primo Georgicorum etiam exprimitur cum de ętate Iouis loquitur, in qua omnium rerum labores homini creuere, ait.

Melláq; decussit folijs. quoniã supra folia mella nascebant.

Et in Aetna loquitur de hoc mellis genere, quod aereum, & arboreum, & roscidum dicitur, cum versu. 13. cecinit.

Ipse suo flueret Bacchus pede, melláq; lentis
Penderent folijs, & pingui Pallas oliua.

Adest & tertium aliud mellis genus, quod posteriores mel cannæ nuncuparunt, uulgo zuccarum uocatur, de quo antiqui nullam mentionem fecere, nisi sub nomine sachar. Nam Dioscorides de sachar dicit concrescere in India supra cannas, & id profecto verum est, & est ex zuccari materia. Sed sachar naturæ opus est, zuccarum artis. De his uero nos abunde egimus in simplicium examine. De manna præterea eodem habes loco. Id tantum hic addemus ex Plinio, qui cap. 12. lib. xj. mannam adumbrare uidetur, inquiens. sorbetur optimum, & minime fronde infectũ ex quercu, tilia, arundinum folijs, Hic uero prætermissis de melle apum quod ad rem facit tantũ loquamur. Huius mellis. s. apum apud Galenum in libro de simpl. ad Paternianum duæ fiunt species (quãuis is liber spurius sit) nã vnũ genus in capillonibus (ut eius uerbis utar) ab apibus, quæ sunt oblongæ colligitur. aliud est quod sub terra inuenitur. At Plinius alio modo mellis genera distinguit lib. xj. cap. 14. cum inquit. In quocunq; tamen tractu terna sunt mellis genera, vernum ex floribus constructo fauo, quod ideo uocatur anthinũ, præterea solstitio cum thymum, & vua florescere incipiunt, præcipua cellarum materia. alterum genus est mellis æstiui, quod ideo vocatur horæum à tempestiuitate præcipua ipso sirio explendescente, post solstitium diebus triginta fere. Plinius mellis genera distinguit à tempore quo fiunt.

Non desunt tamen qui ex regionibus mellis genera distinguãt, ut mel Pelignum, Cyprium, Africum, Atticum, Hymettium, Siculum, Hyblæum, & apud Dioscoridem sinebion, ponticũ, & sardoon, mel frugum Diocles punicum uocauit. Hęc de mellis speciebus secundum vrbes.

Tamen mel apum distingui potest in syluestre, & domesticũ. Pliniúsq; lib. xj. cap. 16. de syluestri agens inquit vocari Ericeum. Adest & mel quod singulæ apes faciunt in singularum cannarum capitibus, in rusticorum tegetibus inuenitur. Et mel adest, quod apes in terra conficiunt, terram excauantes, & fauos sub illa conficientes. Sed hæc missa faciamus, & de mellis natura potissimum secundum Galenum agamus. postea quomodo probetur, ostendemus, & quibus notis probum cognoscatur.

Hippocrates in libro de victus ratione (si is liber Hippocratis sit) inquit mel esse calidum & siccum. Galenus expressius mellis naturam aperuit. 7. de simplicium medicamentorum facultatibus libro, ubi dicit exiccare & excalfacere ordine secundo, est autem (inquit) simplicis, quoad fieri potest, tum facultatis, tum temperamenti extergentis, ut nobis appellare mos est, medicamentorum speciei existens. Hippocrates in libello de morbis extrinsecus emaciare potius censet, si solum sumatur, q̃ reficere, sed mirum est de duobus medicis qui ex gustu mellis obiere, ut Galenus refert in fronte. xj. libri de simplicium medicamentorum facultatibus.

Quomodo autem probetur. Ita ex authoribus accipi potest. En Dioscorides mel optimum edocere uolens, & in omni genere probatius, inquit illud esse, quod est dulcius, acre, εὐώδεστερον, Hermolaus uertit compungẽte odoratum, Marcellus odoratius, quod magis probo, ὑπόξανθον, Hermolaus interpretatur subrutilum, Marcellus colore rutilo. Ignoramus cur nõ sint interpretati subflauũ, nec liquidum, sed ponderosum, tactu prætenuia fila mittens, atq; validum, & contrahatur, nec abrumpentibus se, nec resilientibus guttis, sed digitum uersus quasi reciprocantibus. Ita Hermolaus hęc verba interpretatur καὶ ἐν τῷ ἑλκυσθῆναι ἀναγρέχον ὡς ἐπὶ τὸν δάκτυλον, Marcellus vertit, & quod tractũ digitos sequaci lentore sequitur. Plinius ita mel probat lib. xj. cap. 15. Aptissimum in æstimatione è thymo, coloris aurei, saporis gratissimi, cum sit palàm doliolis pingue, marino è rore spissum, probat & hoc modo ut sit odoratũ & dulce, reglutinosum, perlucidum. Considera id quod Dioscorides dixit ὑπόξανθον, à Plinio dictum esse aurei coloris. [Galenus in calce libelli de cibis boni & mali succi, ita mel probari & reprobari docet, inquiens. Mellis quoq; non parua differentia habetur, nam quod vitiatum est, tanquam mali odoris, gustúq; aliam qualitatem admistam referens, mel quidem dici non debet. Sinceri & uitio carentis mellis discrimina hæc sunt, plus, minúsue dulcedinis & acrimoniæ in se habere, dulcissi-

mum

mum acerrimúmque eximiæ estimationis est. Non uidetur in hoc loco Galenus colorem magnifacere. In quinto de sanitate tuenda tale mel Galenus eligit, quod specie ac vinhus attico sit simile. Quod si tale non datur, quolibet utare, modo ne mali odoris sit, néue ceræ qualitates aperte præferat, néue præsertim qualitatem quampiam extraneam, vt hic probet solo sapore & non colore mel. Tamē arbitramur apud Galenum locum probandi mel exquisitum esse in. 7. Methodi, vbi & colorem ponit in sui probatione inquiens. Quod igitur mel colore flauo est, & odore suaui, tum purum adeo ut totum pelluceat ac gustanti parum acre, iocundissimúmque, præterea tam sibi cohærens, vt si digito attollatur, continuum sibi, nec intercisum ad humum defluat, id omnium est optimum: si vero abrumpitur, nec demissum ad terram usque continuitatem seruat, id aut crassius iusto est, aut tenuius, aut partium dissimilium, Græci ἀνομοιομερὲς uocant. voco autem partium dissimilarium (quod sanè & nomē ipsum indicat) quod ex dissimilibus partibus est compositum. Deprehendas autē id si diligentius inspicias aut crassitudines aut humiditates habere innatantes, quæ nec inter se sint similes, nec etiam toti. Postea multa de melle prosequitur Galenus ex thymo mel haud probans, quod multum thymi redoleat. Vidisti & à Galeno probari colore flauo. vnde recentiores illi decipiuntur qui probant albo colore, hoc est mel illud quod secundum Hippocratem ad aquam mulsam conficiendam recipiendum est, & quod multa non indiget ebullitione. Cætera reprobantur genera quæ colorem habent nigrum vel album, qui non est flauus vel subflauus, vel aurei coloris vt Plinius inquit. Hæc de melle satis sint, de quo & alibi abunde pertractauimus.

Dubitatur, an mulsa ex melle, ex zuccaro fieri possit. Respondemus fieri nihil impedit, & minus est nocua, & magis placet, tamen zuccarum non tam abstergit & incidit, vt mel facit, sed noxas mulsæ non habet, imo ex zuccaro absque ullo discrimine fieri potest & cruda & bibi. Et quotidie fit, quia zuccarum ex se coctum est: & tutior in acutis morbis est zuccari vsus, quia calidum in primo ordine est, mel in secundo.

Petes an mulsa ex manna fieri possit: Respondemus posse quidem fieri, tamen quia educit, non esse consuetum.

## Hippocrates. Sectio XXIIII.

Oxymeli vocatum potum, sæpius quidem in his morbis commoditatem habere reperies. Nam sputum educit, & facilem reddit spirationem.

BRASAVOLVS. Hactenus de vino & mulsa ab Hippocrate vt par fuit pertractatum est: nunc tertium aggreditur, quod oxymeli vocatur. At cum Hippocrates de acutis thoracis ageret morbis, & ex consequenti de alijs omnibus intentionem ad thoracis morbos ducit, quos etiam pro exemplo acceperat inquiens: si quis genus id potationis bibat quod oxymeli vocatur, experietur sæpius in his thoracis morbis commoditatem habere. Commoditas vero hæc est, quòd sputum educit, & facilem reddit spirationem.

τὸ δ᾽ ὀξύμελι καλούμενον ποτὸν. i. potio uero, quæ oxymeli vocatur: Notat Galenus dixisse potum uocatum, vel quia non erat apud Græcos vsitatū, vel quia abrogata erat hæc dictio, vel vt aliquod artificiosum diceret, forte id dixit ad paucissimæ mistionis mellis cum aceto quæ bibi non possit differentiam. At hoc nihil facit ad res ipsas intelligendas fuerit quæcunque Hippocratis mens in hac parte, imo & in prima sententia primi libri huius uoluminis inquit, Qui Cnidias uocatas sententias, vsus est & Hippocrates hoc modo dicendi, in. 3. commentario in primum epidemiorum sectione quinta, quam uocant, vel quam dicunt. Galenus inquit vti eo dicendi modo, quia reprobat id vocabulum vt improprium. Est vero semitertiana, de qua ibi uerba facit. Itaque inquit Hippocrates, in febre quam uocant semitertianam. Scitóque in. 22. eiusdem libri sectione additum esse uerbum ut ferebant in casu uxoris epicratis.

πολλαχοῦ μὲν ἰσχυρὴν ἐν ταύτῃσι τῇσι νούσοισιν εὑρήσεις ἐοῦσαν. i. sæpius quidem in his morbis utilitatem habere inuenies. Et si petas in quibus morbis, in morbis thoracis, in pleuritide quam pro exemplo accepit.

καὶ γὰρ πτυέλου ἀναγωγόν ἐστι καὶ εὔπνοον. i. etenim sputum educit & facilem reddit spirationem. nam si sputum crassum, & glutinosum, & membris inhærens fuerit, illud attenuat incidit, & detergit, facilem uero reddit spirationem exeunte sputo, & illa exeunte materia, quæ pulmonem occupabat, tunc. n. spiritus potest facilius per pulmonem permeare.

### De oxymelite.

Cum maximus sit in acutis morbis oxymelitis usus, ab re non erit eius confectionem hoc loco edocere, & quot modis exhiberetur, & ad quæ ualeat. Plinius lib. 14. cap. 17. oxymeli, inquit, hoc uocarunt, mellis decem libris, aceti ueteris heminis quinque, salis marini libra, aquæ pluuiæ sextarijs quinque suffersuefactis decies, mox elutriatis, atque ita inueteratis. Omnia ab Themisone summo authore damnata. Non possum arbitrari antiquos hoc oxymelitis genere usos esse, in quod sal ingreditur, nec hoc quo in acutis utimur, est inueteratum, sed statim bibitur cū effectum est. Adde Galenum in. 4. de sanitate tuenda in oxymelite damnare aquam pluuiam.

Tamen idem Plinius lib. 23. cap. 2. alio modo conficit, licet parum differat ille modus. Inquit enim, oxymeli antiqui (ut Diocles tradit) hoc modo temperabant. Mellis minas decem, aceti ueteris heminas quinque, salis marini pondo, thymbræ quadrantem, aquæ marinæ sextarios quinque pariter coquebant decies deferuescente cortina, atque ita diffundebant inueterabántque. Sustulit totum id Asclepiades coarguitque. nam etiam in febribus dabant. Vides inter hanc & prædictam compositionem paucam esse differētiam. hic dicit fuisse Asclepiadem qui coarguit oxymeli, superius dicebat, fuisse Themisonem. uterque fortassis compositionem illam coarguit, potissimū si in febribus exhiberetur acutis. nisi de oxymelitis usu in febribus mentionē fecisset Plinius, putassem eo oxymelitis genere non esse usos in febribus, sed pro potu solum ad extinguendam sitim in sanis, tamen tantum recipit sal, ut ignorem, an potius sitim augeat, quàm extinguat. utrumque igitur oxymelitis genus Plinij prætermittamus, quoniam neque unum neque alterum ad acutos morbos quicquā facit. quāquā antiqui illo uterentur, tamē & antiquitus à summis uiris Themisone & Asclepiade fuit damnatum. Tamen si Dioscoridem lib. 5. cap. 14. contemplemur, idem ferè dicit cum Plinio, præsertim si Hermolai interpretationem sequamur, qui ex Plinij uerbis cap. 17. lib. 14. Dioscoridem vertit hoc modo dicentem. Aceti sextarios quinque sumito, marini salis pondo unum, mellis pondo decem, aquæ heminas totidē. Mistáque simul omnia coquito usque dum decies inferbuerint, tū refrigerata olla in dolia diffundito. Et si quis à me petat, quodnam aquæ genus in hac compositione sumi debeat, cū à Dioscoride expressum non sit, à Plinio uero expressum sit, nam in prima compositione pluuiam aquam recipit, in secunda marinam. Ita dubitat Marcellus, nos uno uerbo dicimus cum apud Hippocratem, Galenum, Dioscoridem, & alios probatos authores de aqua mentio fit, neque de aquæ genere exprimunt, semper intelligenda est dulcis aqua, communis.

Paulus Aegineta lib. 7. cap. xj. ita oxymeli conficit: Acetum mulsum uel oxymeli, quod simplex cognominatur. aceti acerrimi candidi sexta una, aquæ sextis duabus, mellis sexta vna, quæ ad mellis usque liquoris crassitudinem & concretionem decoquendæ sunt despumando subinde mel. Hæc est confectio, quæ & in præsentiarum in usu est, & simplex dicitur oxymeli, de quo cum in libello de syrupis abunde egerimus, lectorem ad locum illum remittemus. nam in hoc, & in simplici oxymelite aliqua est differentia: quanquam & hæc Pauli compositio satis sit de se simplex, cum nihil aliud accipiat, quàm aquam, mel, & acetum.

Plinius Secundus in libro de re medica statim in præfatione oxymeli facit, ex duobus mellis cyathis in aceti sextario resolutis, neq; addit aquam.

Reperiuntur vero diuersa oxymelitis genera, simplex, compositum, Iuliani, scillitici, oxymeli purgans, oxymeli succos deprauatos euacuãs, oxymeli amarum. Sed de his in nostro de syrupis libello egimus. Nunc opus est vt de eo tantum loquamur oxymelitis genere, quo antiqui in acutis morbis vtebantur, & de quo intellexit Hippocrates. Dimittamus & Arabes. quorū & in syruporum examine meminimus, & tātum Galenum in hoc oxymelite inueniendo sequamur.

Nullus est apud Galenum locus, in quo expressius & diffusius de oxymelios compositione agat, q̃ quartus de sanitate tuenda liber. Scitóq; cum oxymeli, mel & acetum significet, ex melle & aceto solum fieri potest absq; aqua, fieríq; potest ex mulsa aqua & aceto, ut prius fiat mulsa aqua, deinceps addatur acetum, potestq; fieri cum pauco aceto, cum mediocri, & cū multo. vnde aderit oxymeli temperatum, mediocre, & acidissimū. vt autem quid Galenus dicat edoceamus, aures & mentem apponito. Primo hoc modo temperandum iubet. Cum melli optimo super carbones spumam abstuleris, conijcies in ipsum aceti tantum. vnde gustanti nec acidum nimis, nec dulce videbitur, ac denuo super prunas coquito, quoad plane vnitæ amborum qualitates sint, nec appareat gustanti acetū adhuc crudum. hinc ab igne depones. cúmq; uti voles, aquam ei miscebis, ita nimirum temperans vt vinum. Iubétq; illum qui bibiturus est experiri debere an placeat. unde ait. Ergo qui bibet, si nec de acore eius queritur, nec de dulcedine assidue eo vtatur: sin alterutro offenditur, adiecto quod desideratur, rursus coquito. Vt hoc innuat, si dulcius sit q̃ is desideret, acetum addito: si magis acetosum, addito mel, nempe (vt inquit) illos non probat qui sub vna quapiam mensura id conficiunt, qui Galeno illis similes videntur qui putant bibentes omnes similiter aquā vino miscere non animaduertentes, quibusdam vtiq; qui dilutiori insueuerunt, caput statim, si vel pusillo meracius hauserint, tentari: quibusdã qui meraciore delectantur, stomachum, si diutius biberint, subuerti. Addítq; Galenus. Cum igitur in uino tã familiari potione ista incidant, multo sanè magis in oxymelite, vtpote q̃ uinum tum minus familiari, tum magis forti, ipsa sequi par est. Satius ergo sit ex sumentia gustu non nostro iudicium de modo facere. Id esse sumentis naturæ conuenientissimum oxymeli ratus, quod utiq; est iocundissimum, proindéq; etiam utile, cõtra aduersissimum esse quod iniocundum. Tu hic vides Galenũ oxymeli ex solo aceto & melle confecisse. Cum uero quis eo uti uoluerit, aquam miscendam iubet.

At petes, an misceri debeat simplex aqua, an aqua decocta. Respondemus, nos semper in aquam iterum ebullire iuberemus. Et si noluerim aquam absq; coctione miscere, decoctam aquã acciperem ob flatus quos excitat aqua, quæ cruda insumitur. At inquies ex his quæ à Galeno dicta sunt, neq; haberi confectionis formam, neq; mensuram mellis & aceti. Respondemus hoc noscens Galenus normam quãdam præbuit, inquiens. ipsam tamen primam ipsorum mistionem, quo plurimis conueniat talem esse oportet: vni aceti parti, mellis à quo detracta spuma sit, duplum est miscendum: deinde ambo in leni igne coquenda, donec eorum qualitates in vnum coierint: ita enim nec acetum amplius crudum apparebit. Hoc est oxymeli ex melle & aceto. Et hucusq; aquam non recipit. Si modo petas aquæ mensuram, & quomodo cum aqua fiat Galenus prosequitur. Cum aqua uero statim ita facies oxymeli. Melli quadruplum optimæ aquæ miscebis, dein coques modico igni, quoad spumare desinat. ac malum quidem mel multam egerit spumam, quo etiam diutius coqui debebit, optimum uero vt breuissimo tempore coquitur, ita minimum spumæ euomit. Vnde nec pari ei coctione est opus, plurimum certe quartam partem eius quod ab initio est inditum, amittit. Post uero dimidio aceti adiecto rursum coquendum, donec qualitatum omnino sit unitas, nec acetum crudum etiam appareat. At petes, cur Galenus aquam non posuerit in prima mistione. Respondemus nos arbitrari id ex solo aceto & melle confecisse, quo seruari posset, nam ex aqua diu seruari non posset.

Petes præterea, cur omnia simul nõ coquat vna uice? Respondemus id quidem fieri posse, & Galenus statim modum refert quo fieri possit inquiens. Conficitur sanè oxymeli etiam tribus statim ab initio mixtis ad hunc modum, aceti uni parti additur mellis duplum, & aquæ quadruplum: atq; hæc ad tertiam partem coquuntur, uel etiã quartam, spuma interim detracta. Petes uero, an possit fieri fortius & imbecillius. Respondemus posse profecto fieri, & Galenum ita prosequi in eodem loco, quod si ualentius id facere studes, tantundem inijcies aceti, quantum mellis. aquam uero pluriam non probat Galenus. Videbitur autem magnam habere acredinem, cum vnam aceti partem recipiat, duas mellis, & aquę quatuor. nam in ebullitione aqua consumitur, & mellis portio in aquam transit. Respondemus esse quidem uehemens, tamen & in decoctione cõsumitur etiam acetum.

At si petas confectionem ualentioris oxymelitis, imbecilli, & mediocris. Respondemus, Galenum in præcitato loco mediocre fecisse ex quatuor aquæ partibus, duabus mellis, & una aceti. Si uero ualentius facere uolueris, fiat ex quatuor aquæ partibus duabus mellis, & duabus aceti. At si imbecillius conficere tentes, opus est ut maneas citra mediocritatem, id est aceti minus sit, q̃ una pars. vnde fit ex quatuor aquæ partibus duabus mellis semiparte aceti, uel parũ plus uel minus, q̃ sit semipars. Ita conijcimus haberi meracius, dilutius, & mediocre. vnde apud antiquos reperitur oxymeli ualde acre, parum acre, & mediocriter acre, quod uerum esse ita suaderi potest primo sectione. 29. huius tertij Hippocrates mentionem facit oxymelitis parum acris, cum prius sectione. 25. ualde acris meminerit. Et Galenus sectione. 30. mediocriter acris meminit. Scito autem oxymelitis usum, antiquitus fuisse, & simplicem, & cum alijs: simplex usus est, cum simpliciter accipitur: cum alijs vero diuerso modo reperitur sumptum. nam Galenus in sexto Methodi cum nerui una cum cute sunt contusi, cataplasma fecit ex oxymelite, & fabacea farina, & loco applicat. At in. xj. Methodi ubi lien scirrhosa duritie fuerit affectus, cataplasmate utitur ex oxymelite & absinthio, & cappari. & in. 14. Methodi cum crassiora excrementa quæ in pectore & pulmone continentur, educere uult, dat oxymeli ex marubio. & in. 5. Methodi detergit à uentriculo pituitam per oxymeli ac radiculam. Et In. 8. Methodi, ubi quærit quæ conueniant in febre ait. Oxymeli uero solum nec febres accendit & strenue deterget, sic ut ea quæ glutinosa crassáq; sunt, dissoluat, & meatus obstructos liberet. Et in. xj. Methodi in putredine quæ totum corpus occupat, quando febris adfuerit, iubet medicum delingere ea quæ citra calefactionem, siccationémq; ualentem supradictas uacuationes facere possunt. Supradictæ uero euacuationes erunt per aluum, per urinam, per sudorem, per uomitum. Elegit vero inter alia oxymeli omnes has habens dotes, & postea in contumacibus obstructionibus oxymelite utitur in eodem libro. & lib. 13. in iecoris phlegmone dat oxymeli aqua mixtum, in primo autem libro huius uoluminis de ratione uictus in morbis acutis, sectione. 44. inquit chondrum pleuritico esse tãtum cibum, oxymeli uero medicamentum. de qua re eodem loco differuimus. at. x. sectione huius libri dixit oxymeli tusses incitare irritans & asperans, quatenus. s. vehementer detergit. & sectione. 32. dicet cum oxymelite descendere chylosum excrementum. de his uero ad quæ ualet, quæ in hoc libro dicuntur, inter interpretandum enodabimus. In secundo de alimentorũ facultatibus de cappari agens Galenus inquit detergere pituitam & subducere, quæ in uentre est, & purgare lienis & hepatis obstructiones, si ante omnes alios edatur ex oxymelite. in 3. de alimen. facul. libro, ubi de fungis agit, de quodam refert qui post boletorum non satis elixorum (qui innocentissimi esse putantur) usum largiorem, os uentriculi pressum ac grauatum coarctatúmq; fuit, difficilémq; habuit respirationem, & in animi deliquium

mi deliquium incidit, sudorémq; frigidum sudauit, denique (inquit Galenus) ægre seruatus est, ijs sumptis quæ humores crassos incidunt. postea addit quæ hæc sint humores crassos incidentia, inquiens, cuius generis est oxymeli ipsum per se, & cum hyssopo & cum origano ipsi mediocriter incoctis.

In eodem tertio de alimentorũ facultatibus in lacte scissionẽ fieri dicit, si lacti abunde calido oxymeli frigidum instillemus. In calce libri de attenuante victus ratione docet si piscibus cetaceis uesci uolueris, qua re præparandi, preparari uero iubet oxymelite. & in. 4. de sanitate tuenda ad detergendos meatus, & ad dissecandos, & dissoluendos humores crudos crassos utitur oxymelite. Et in eodẽ libro vult oxymelite cibandos illos qui habent crassos & multos humores in primis venis. In sexto de sanitate tuenda iubet dolorem habentes in iocinere vt bibant oxymeli, & postea dat oxymeli in iecoris obstructione, & paulo deinde de uentrem immoderate calidum habentibus agens cum frigido capite, inquit his offendi à calidis os uentris, si pituita in uentrem descendat, dissecandam iubet, detergendámq; esse ijs quæ haudquaquam calefaciunt, quod genus (inquit) oxymeli esse nouimus. In. 12. Methodi ubi de his agit qui febricitare incipiunt, & adsit maxima crudorum ciborum copia cum oris uentriculi offensione, uel ex cruditatibus, vel alia quapiam occasione. atq; ubi uideris crudos affatim succos esse, oxymeli pro mulsa assidue dandum. Multa quoq; adsunt, ad quæ ualeat oxymeli in libello de locis affectis, ut in libro de compositione medicamentorum secundum locos, & in libello de puero morbo comitiali correpto, quo in loco differentias ponit oxymelitis, atq; oxymeli acutissimum quartã habere aceti partem ad mel, quod his contradicere uidetur quæ in. 4. de sanitate tuenda dicta sunt. tamen si recte perpendas nulla est contradictio.

At ne mente concipias, neq; arbitreris oxymeli omnibus carere noxis, quoniam ab Hippocrate dicetur in hoc libro sectione 32. facere ramenta, & Galenus sectione. 33. inquit non esse bonum abradi intestinum in acutis, quod fit ab oxymelite, vnde & Galenus in. 11. Methodi in synochis intensissimum calorẽ habentibus vult dandum oxymeli, potissimum quando iudicabis adesse obstructiones contumaces. tamen addit · At hoc ipsum etiam si modice utaris & intestina radit, & tussim excitat, & neruosa lædit. Et ibidem Galenus propositionem illam perpulchram addit · Adeo. s. difficile est eiusmodi aliquod auxilium inuenisse, quod citra ullam noxam magnifice prosit. tamen Galenus sectione. 34. huius libri edocebit his abradere intestina qui imbecillam habent facultatem, & pati idoneũ intestinum. hócq; necessarium est efficiat, potissimum quando meracius erit. neq; id considerãdum quod ab Oribasio dicitur libro tertio de confectione ciborum. Oxymeli. s. omnia extenuare, quæ glutinosa sunt, & pinguia facilius ab alijs educere, & viscera sine molestia purgare. intellige non loqui de meraciori Oribasium.

In his igitur quæ sequentur hæc quæ prædicta sunt multum iuuabunt, quoniam de oxymelite agit Hippocrates. In memoriam igitur reuoca adesse aquosum & parum acre, & dilutum oxymeli, adesse mediocre, & adesse ualde acre, & meracius. quibus uero hæc danda Hippocrates ipse explanabit. quomodo autem hyeme & æstate dari oporteat, in primo huius voluminis libro sectione. 39. edocuimus, & quibus detur calidum, & quibus frigidum. Sed de his satis. nunc ad Galeni commentationem accingamur.

GALENVS. Καλούμενον, id est uocatum, aut quod uocatur: & καλεῖσθαι, id est, uocari, atq; his similia adijcere Hippocratem non ignoras: interdum quidem, quòd hæc appellatio Græcis omnibus nullo pacto usitata sit: interdum uero, quòd abrogata, atq; interdum, quòd artificiosum quippiam demonstret, ut ἐπὶ τῶν κροταφιτῶν καὶ μασσητήρων μυῶν, id est temporalibus & masticatorijs musculis declarauimus. Sed quòd artificiosum nihil indicet oxymelitis appellatio, constat omnibus. Appellationẽ igitur ex adiectione τοῦ καλουμένου uel damnauit, uel tanquã inusitatam indicauit: potest autem & utrunq; fecisse. Nam forsan & primum in communem cœpit usum, forsan & uocem damnat tanquam ex solis aceto & melle constare medicamentum explanantem, uel tanquam mellis differentiam indicantem, quasi ita quispiam diceret: mel autem, acetúmq; tali sunt prædita facultate. Ergo de uerbi huius καλουμένου adiectione nemo ignorat, quapropter ad id quod commodat, descendamus. Non enim ex aceti, mellísq; mixtione tantum oxymelitis est compositio, uerum ex mulsa paulum aceti accipiente. Sed ut concoquatur, mel us est. Nempe uirtus aceti ita coctura minuitur, ut mulsa quidem ab eo cui miscetur auxilium sumat, offensam autem non habeat. Auxilium autem in orationis exordio enunciauit, atq; ab his enunciabit. Offensas uero ad dictionis totius calcem adijciet. Dictum est igitur in exordio sputum siquidem educit, & facilem reddit spirationem. Quæ autem deinceps sunt dictiones, consecuti ab eo discemus.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat ab Hippocrate uarijs in locis dictum esse, καλούμενον. i. uocatum, uel quod uocatur, & καλεῖσθαι. i. uocari, & multa similia ab eodem Hippocrate dici, ut omnibus notum est. Verum cum his utitur loquendi modis, semper ad aliquem utitur finem. nã cum aliqua dictio fuerit Grecis ignota, & non usitata, solet uti hoc. loquendi modo, tale uocatũ etc. secundum appellationem suam · plerunque utitur eo loquendi modo, quando uocabulum fuerit abrogatum & absoletum · nonnunquam etiam ut demonstret aliquid artificiosum, utitur modo illo loquendi, ut ἐπὶ τῶν κροταφιτῶν, καὶ μασσητήρων μυῶν. i. in temporalibus, & masticatorijs musculis declarauimus. tamen unicuique constat uocabulum oxymeli nihil indicare artificiosum. Vnde dicere oportet appellationem istam oxymelitis per additionem huius particulæ τοῦ καλουμένου. i. uocari, uel damnasse, uel tanquã inusitatum indicasse: uel utrũque fecit, & damnauit simul, ac ueluti inusitatum indicauit. Nam forsan ex communi usu primum cœpit, forsan enĩ Hippocrates uocem damnat quæ exprimit medicamentum constare ex solo melle & aceto, cum tamen & aquam recipiat. & quia uocabulum oxymeli mellis differentiam indicat, quia sit mel acetosum, ac si quis ita dicat mel & acetum sunt tali prædita facultate. unde infert de huius uerbi καλουμένου adiectione, nemo ignorat quid dici possit, propterea ad id ad quod utile est descendamus.

Huius commentationis initium, quo dicitur καλούμενον. i. uocatum aut quod uocatur, & καλεῖσθαι. i. uocari, Græce est, τὸ καλούμενον, καὶ τὸ καλεῖσθαι hoc modo interpretandum suaderemus, hæc particula uocatum, uel hæc particula uocari.

Quod legitur, interdum uero quod abrogata, Græce est ποτὲ δὲ ὡς ἀκύρως. i. interdum uero improprie, uel ut improprie, tunc opus est exponere, interdum uti illo loquendi modo improprie.

Quod etiam legitur, mel autem acetúmq; tali sunt prædita facultate, Græce est τὸ δὲ μέλι τὸ ὀξύ, δύναμιν ἔχει τοιάνδε. In his uerbis mens Galeni est oxymeli per partes exprimere, vt ostendat Hippocratem forte dicere uoluisse, cum inquit oxymeli ualere ad illa, per illam particulam uocatum, uoluit annotare ac si dixisset, oxymeli. i. mel acetum uim habent talem. vel melius intelligamus mel acidum. nempe oppugnantia uidetur, mel dicere, & acidum, cum mel dulcissimum esse debeat. & Græcus sermo hoc patitur, non illud mel acetum.

Petes uero quid intelligat Galenus per illam particulam ἐπὶ κροταφιτῶν καὶ μασσητήρων μυῶν. Respondetur, in libris anatomicis Hippocratis loquens Hippocrates de temporalibus musculis & masticatorijs, hoc loquendi modo utitur ἐπὶ τῶν κροταφιτῶν καλουμένων καὶ μασσητήρων μυῶν. i. in uocatis temporalibus & masticatorijs musculis. vtitur autem in his musculis hoc loquendi modo, ut demonstret hos musculos nonnihil esse artificiosum · nempe hi musculi mirabiles sunt, & à Galeno de ipsis fit abundantissimus sermo in. 4. de aggressibus anatomicis.

Secundo Galenus docet nõ esse oxymeli ex solis aceto & mel-

le confectum, sed esse cõpositum ex mulsa, id est aqua & melle, quæ paulum receperit aceti. At quia posset ita crudum exhiberi, propterea Galenus suadet melius esse si coquatur. Nam aceti uirtus ita coctura imminuitur, ut mulsa ab eo cui miscetur, auxilium sumat, neque offensam habeat. quod uero sit hoc auxilium, Hippocrates ipse in orationis exordio enunciauit. at in calce totius dictionis offensas referet. In principio igitur dictum est sputum educere, & facilem reddere spirationem. At cum dictiones quæ postea dicentur consecutus ero, ab eo discemus.

Q uod legitur, quæ autem deinceps sunt dictiones consecuti ab eo discedemus, Græce est ἐφεξῆς δ' ὅσα λέξεις ἐπακολουθήσαντες αὐτοῦ μαθησόμεθα. i. deinceps autem quæcunq; dictiones ipsius consecuti, discemus.

Scito oxymeli non esse ex puro aceto & melle, sed & aquam recipit. At Galenus dicit esse ex mulsa addito aceto, quia illum faciendi modum seruat ex. 4. de sanitate tuẽda, quo primo mulsam conficit, postea addit acetum, & iterum ebullire facit quoad acetum coctum fuerit.

## Hippocrates. Sectio XXV.

Tempora vero hæc habet.

BRASAVOLVS. Q uid per tempora hic intellexerit, ambigẽdum esset. nam & tempora, illa significant tempora quibus uti possumus & vti debemus oxymelite, & tempora quibus iuuare soleat. Prima tempora nihil aliud sunt, quàm occasiones exhibendi oxymeli· nempe neque semper exhibendum, neque in omni morbo exhibendum, sed solum quando oportet, & in quo morbo oportet.

καιροὺς μὲν τοι τοιούσδ' ἔχει. i. tempora uero talia habet. s. oxymeli. Et si petas ubi ab Hippocrate referantur hæc tempora· Respondemus, uel hic est decurtatus, & absunt· uel sunt illa quæ de oxymelite sequuntur. ut intelligamus per καιροὺς occasiones, & modos exhibendi, de quibus statim in alijs sententijs loquetur Hippocrates.

GALENVS. Καιροὺς, id est, tempora dixit, uel tempora quibus ex cõsuetudine utendum sit, vel tempora quibus iuuare soleat. Nempe & in hoc significatu καιροῦ, id est temporis appellatione interdũ uti Hippocratem ostendi.

BRASAVOLVS. Galenus notat Hippocratem dixisse καιρούς. i. tempora, intelligens uel tempora illa quibus ex consuetudine opus sit vti oxymelite, uel tempora illa, quibus iuuare soleat. nam Galenus ostendit Hippocratem in hac significatione, usum esse quãdoque uocabulo καιρός. At quodcunque horum intelligamus, ab Hippocrate deinceps exprimi non uidetur, neque enim exprimit tempora quibus dandum, neque quibus iuuat: unde uel dicendum hic ista deesse, uel potius exponendum ut diximus, ut per καιροὺς occasiones intelligat & modos exhibendi, quod & forte Galenus in temporum utilitatibus intelligit, & hoc statim ab Hippocrate exprimit, ut in sequenti sententia uidere licebit· vel ad superiorem sententiam referamus, ut cum dictum sit sputum educere oxymeli, & spirationem facilem reddere, statim addat, atq; tales sunt eius occasiones. i. eius iuuamenta: quãquam in principio libelli de præceptis Hippocrates περὶ καιροῦ. i. de occasione loquens, ita dicat. χρόνος ἐστὶν, ἐν ᾧ καιρὸς καὶ καιρὸς, ἐν ᾧ χρόνος οὐ πολύς. ἄκεσις χρόνου. ἔστι δ' ὅτε καὶ καιροῦ. i. tempus est in quo occasio. & occasio in qua non multum temporis, medicatio tempore fit, nonnunquam uero & in occasione. Et idem Hippocrates in libello de locis in homine, cum prius dixerit, medica autem ars parua & modica occasio est, paulo post addit, tempus autem occasio, tantum cibi suo tempore porrigere, quantum corpus cui datur, conficere & superare potest, nam tunc quod mouere debet, & bilem & pituitam mouebit, quodque inflammare inflammabit. Quare si cibos intestina conficient superabúntq;, morbus nullus, contrarietásq; nulla suscitabitur, quam temporis occasionem medicus & potest & debet scire. quam si præterit, nec obseruet, omnia in contrarium delabentur. Neque est spernenda hęc occasio, quandoquidem in primo oraculo dixerit Hippocrates occasionem agendi scilicet esse præcipitem· ut Galenus in cõmentatione notauit: quãquam & idem author in quinto de sanitate tuenda ubertim edoceat in quibus occasio sit præceps, & in quibus non. Q uo autem loco Hippocrates & Galenus καιροὺς pro utilitate acceperint, aliàs edocebimus.

## Hippocrates. Sectio XXVI.

Quod valde acre existit, nihil mediocriter in his quæ non facile educuntur sputis efficiet. Nam si quæ detinentur educeret, gutturque lubricaret, & veluti gestientem redderet· pulmonem certe leniret. nempe ipsum molliret. Quæ si contingerent, maxime prodesset. Interdum vero accidit, cum valde acre fuerit, vt sputum non educat, sed viscosum reddat, adferatque detrimentum.

BRASAVOLVS. Cum triplex sit oxymelitis genus· valde acre, quod mordacissimum dici potest· mediocriter acre· & parum acre, quod dilutissimum uocetur: in vnoquoque genere multæ possunt esse per magis & minus differentiæ. De valde acri oxymelite nunc agit Hippocrates inquiens, id quod ualde acre est, in his sputis quæ nõ facile educuntur, nihil mediocriter aget. sed quicquid faciet illud insigne erit. nam si illa educeret quæ intus retinentur, & guttur lubricum redderet, ac uelut gestientem, necessarium esset vt pulmonem ipsum leniret, quia illum emolliret· quæ si ab eo fierent, maximum iuuamentum nancisceremur. At nonnunquam contingit, cum oxymeli ualde acre sit, ut sputum non educat, imo uiscosius, q̃ & sit & par sit reddat, & inde non parum sequitur detrimentũ, quia expui non potest nisi difficilius longe, q̃ prius.

τὸ μὲν κάρτα ὀξύ. i. quod quidem ualde acre. i. oxymeli, in quo sit magna aceti copia. vt ualde acre redditum sit. erit vero tale secundum Galenum, quando duas capiet mellis partes, & duas aceti, & insuper aquæ quatuor. Si vero adhuc plus aceti excipiat, erit acerrimum & impotabile. Hippocrates de valde acri loquitur, sed & potabili. nam hoc·

οὐδὲν ἂν μέζον ποιήσειεν πρὸς τὰ πτύαλα, τὰ μὴ εὐπετέως ἀνάγοντα, id est, nihil maius faciet ad sputa, quæ non facile educuntur· alij interpretes alio modo referre uidentur, q̃ ut nos fecerimus. nempe Copus vertit, modum in sputis quæ non facile redduntur, non seruabit. vt sensus sit, in sputis quæ non facile redduntur oxymeli acre in educendo materias modum nõ seruat. Meldensis vero interpretatur, Nihil mediocriter in his quę non facile educuntur sputis efficiet. vt sensus sit, facere aliquid magnum & non mediocre. & hæc re vera est Galeni sententia, vt in commentationis calce videre licet, vbi ait particulam μέσον in secunda syllaba in aliquibus scribi per ζ. & quia tunc significat maius & insigne, propterea Galenus sensum illum reprehendit, quoniam Hippocrates id addebat, acre oxymeli nihil insigne efficere, imo vult aliquod efficere insigne vel detrimentum sit uel iuuamentum. Iccirco opus est legere per σ. & interpretari nihil mediocre, quia quicquid in hoc casu facit oxymeli totum egregium est & insigne, nihilque est mediocre. Et hæc est apud Galenum uera Hippocratis sententia. Hæc vero quæ facit duo esse possunt, · ut leuiter & sputa educere, aut illa exiccare. vnde & si exposuerimus, nihil maius, græcam dictionem imitantes, opus est exponere, nihil mediocre, & ideo μετρίως potius legẽdum uideretur, uel οὐδὲν ἧττον, nihil minus, hoc est non parum efficiet.

εἰ γὰρ ἀναγάγοι τὰ ἰσχόμενα, καὶ ὀλισθηρὴν ἐμποιήσειε καὶ ὥσπερ εἰ διαπτερώσειε τὸν βρόγχον, παρηγορήσειεν ἂν τὸν πλεύμονα, μαλθακτικὸν γὰρ αὐτέου. i. nam si retenta educeret, & guttur lubricum redderet, & ueluti gestientem efficeret· profectò

pulmonem

pulmonem leniret, quoniam ipsum emolliret. hoc unum est, optimum & exquisitissimum in oxymelite, quando contingit, ut sputa quę retinentur, educat hoc etenim facere non potest, nisi guttur leniat, & lubricum reddat, atq; adeo molle, ut facile per canalem elabi possit. Cum uero hoc fecit, necessarium est ut pulmonem leniat & emolliat nam leniri non posset, nisi & emolliretur.

At inquies cum à Galeno superius sectione .x. dictum sit oxymeli tusses excitare, tum asperans tum irritans, quomodo hic dicitur simul emollire: Respondemus id facit (ut eo inquit loco) quoniam uehementer detergit, tamen ubi materias superat & uincit, emollit.

Sed dices opposita in ualde acri oxymelite uideri, quàm suæ naturę conueniat, lenire. s. & emollire, quoniã aceti est ualde exiccare, in ualde acri, acetũ copiose ingreditur, igitur uehementer exiccabit, itaq; nõ poterit lenire, neq; emollire. Adde lenitudinẽ mollitiémq; à re pingui induci, oxymeli uero pingue nõ est, quomodo igitur dici poterit quod simul leniat, & molliat: Respondemus acetum prorsus exiccare, & non lenire, nisi per accidens, tamen contingere potest ut in aliquibus oxymeli in quibus aqua est & mel, leniat, & rei dulcis propriũ uidetur emollire, licet pinguis nõ sit, tamen possemus & fateri in melle esse aliquid pinguis, adéstq; aqua quæ exiccationis uehementiã aceto tollit. propterea non tam exiccat quin etiam ratione partium compositionem ingredientium emollire possit.

Scito uero illa quæ nõ facile educuntur, ob crassitiem & uiscositatẽ nõ facile educi, hic adsunt & quæ crassitiem attenuent, & quæ uiscositatem dissecent, & quæ uias emolliant, acetũ quæ glutinosa sunt incidit, quæ inhærent abstergit, quæ crassa sunt attenuat, & per uias omnes ratione suæ substantiæ penetrat. Mel & ipsum attenuat & incidit & abstergit, aqua uero crassis mista tenuiora reddit, & quodãmodo rerũ glutinũ temittit. καὶ εἰ μὲν ταῦτα συγκυρήσειε, μεγάλην ἂν ὠφέλειαν ποιήσειεν, id est, & si quidem hęc contingerent, magnam utilitatem afferret, quia hic ab affectu liberaretur, & à materiebus in thorace contentis.

ἔστι δὲ ὅτε τὸ κάρτα ὀξὺ οὐκ ἐκράτησε τῆς ἀναγωγῆς τοῦ πτυέλου, ἀλλὰ προσηγλίσχρηνέ τε καὶ ἔβλαψεν. i. nonnunquã uero contingit cum ualde acre fuerit, sputi eductionem nõ consequi, sed glutinosa reddi, & detrimentum afferre. hoc est malum quod sequitur nonnunquam, ab aceto fieri sputa glutinosiora, cũ partes tenuiores resoluit, & crassiores magis exiccat. At inquies quomodo fieri potest ut exiccet, si uim habet incidẽdi, & detergendi, & attenuandi: Respondemus, uim attenuandi primo non habere, sed detergendi profecto, & incidendi, tamen & aliquo pacto attenuandi. uerũ considerare oportet esse quandoq; tam glutinosas materias ut incidere non possit, tunc exiccat, quia tenue circunstans resoluit, & medium magis compingitur, & glutinosius, crassius ac siccius redditur. propterea & difficilius educitur, ex hoc autem detrimentum sequitur scilicet anhelitus difficultas, & thoracis dolor, atq; grauedo.

Duo ergo sunt quæ efficere potest oxymeli ualde acre, probum unum, aliud prauum probum est pulmonem lenire, & emollire, guttur lubricum reddere, & quæ detinentur educere. prauum est sputum non educere, sed glutinosius reddere. Sed petes, an inter hæc medium unum efficere possit: Respondemus, non uidetur ex Hippocratis uerbis & Galeni posse aliquod medium efficere, quoniam id esset mediocre: at nihil facit mediocre, sed omnia sunt magna & insignia. ppterea opus est, aut ut ualde lędat, aut ut ualde prosit.

Scito tamen id rarius esse oxymeli exiccare & nocumenta efficere, frequentius uero iuuat, imo nunquam obesset, nisi esset ualde acre. quando uero obsit, in sequenti sententia edocebit.

GALENVS. In quibus acri oxymelite utendum sit, in his fieri aliquando ex eo offensam docet Hippocrates. Nempe in quibus nemo prorsus tali quod acre est medicamento uteretur, tales recensere offensas, superfluum est. Neque enim simpliciter de acri oxymelite sermonem fecit, sed aduerbium hoc κάρτα, id est ualde, adiecit quod λίαν & σφόδρα, id est, admodum, vehementérq; significat. Tale igitur oxymeli nihil mediocriter in crassis glutinosisque pulmonis sputis efficere consueuit, in quibus eo solo quispiam utatur sed ea uel secat, detergit, educítq; uel facere id non ualens, exiccat. Nempe ut huiusmodi medicamentum secandi uim habet, ita & exiccandi. Vtimur autem eo in crassis pulmonis sputis, non tanquam exiccante (nempe hoc pacto detrimentum adferret) sed tanquam incidente, & detergente. Cum igitur hæc facere non ualet, tantum abest ut utilitati sit, ut etiam maxime noceat, sed quando neque secat neque detergit, in sequentibus docebit. Volo autem in præsentiarum de ea quę in multis reperitur libris scriptura agere. Nõ enim per σ, secundam huius nominis μέσον syllabam, sed per ζ, scriptam inuenimus, ut dictio tota talis sit τὸ μὲν κάρτα ὀξὺ οὐδὲν ἂν μέζον ποιήσειεν, id est, Quod ualde acre existit, nihil insigne efficiet. Sed id falsum est nempe inferens magnum aliquando fieri ab eo iuuamentum ostendit, interdum & detrimentum. Quare perpetuo insigne quippiam facit, & nullo pactò leue, paruúmq;. De quo autem est uerum dicere, quod perpetuo magnum, uel malum, uel bonum facit, de illo melius nihil mediocriter ab eo fieri quispiam dixerit.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat ab Hippocrate edoceri oxymeli ualde acre quandoque his obesse, quibus propinari debet. nam aliqui sunt quibus debet propinari ualde acre, aliqui quibus ualde dilutum, aliqui mediocre, ut uidere licebit. nonnunquam uero uti oportere ualde acri Galenus ex hoc probare uidetur, quia superfluum esset recensere tales offensas, si nullus esset, in quo tali genere oxymelitis uti deberemus.

Secundo Galenus notat, cum oxymeli acre uarios habeat gradus, hic Hippocrates non est simpliciter de acri oxymelite locutus, sed addidit aduerbium hoc κάρτα, quod significat λίαν & σφόδρα, id est admodum & uehementer & ualde. Igitur tale oxymelitis genus in crassis & glutinosis pulmonis sputis, nihil efficere consueuit, quando medicus eo solo utitur. Et quòd hoc uerum sit, en nam illa crassa, & glutinosa vel secat, detergit, & educit, vel cum id facere non potest, exiccat, quoniam medicamentum istud, hoc est hoc genus potus, secundum sui naturam uim habet secandi, & uim etiam exiccandi. verumtamen cum eo vtimur in crassis pulmonis sputis, non eo vtimur tanquam exiccante (quoniam hoc modo detrimentum afferret) sed eo vtimur tanquam incidente, & detergente. & hic est medici finis in his sputis, & non vt exiccetur, quia id ad plenum fieri non potest, licet tenuis pars exiccetur, & crassa crassior ac tenacior reddatur. Cum igitur hæc sputa incidere non possit, & detergere, non solum in hoc casu non erit utile, sed maxime oberit. At si petas quando erit quod non detergat, & non incidat. Galenus inquit posterius de hac re tractaturum Hippocratem.

Forte dices nõ uideri oxymeli posse ullo modo exiccare quia aquam recipit, & in quadruplo, quæ est omnium corporum humidissima. Adde acetum non videri siccum, quoniam & si calidę vini partes sint exhaustę, tamen neque necessarium est, neque dicitur humidas esse exhaustas. Mel solum in hac compositione siccitatem habet. quid igitur exiccare poterit, cum & sua siccitas non sit multum intensa, cum ordinem secundum non pertranseat. Respondemus oxymeli exiccare cum ratione mellis, cum ratione aceti, quod vim habet sua propria natura exiccandi. nam simul humidi vini vapores recessere, dum & calidę exhalationes resoluebantur. Illa adde quę à Galeno dicuntur quarto de simplicium medicamentorum facultatibus capite .xj. ubi docet, quando mel acetum superat plus calefacere, quàm refrigerare, & calefaciendo exiccare. hęc sunt Galeni uerba. porro si plurimo melli aceti paulum admisceas, statim & calorem, & frigus manifeste percipies, nã si paulũ mellis aceto permisceas, magis frigidũ, quod fuerit mistum, quàm calidum uidebitur. Sin multo melli pauxillũ misceas aceti, plus calfacere, quàm refrigerare conspicietur. Et si pari mole utraq; miscueris, acetum tamen uiribus etiam superare

comperies. Inſérteq; ſi ſit plus multo mellis ꝗ aceti, equalia rurſum frigus ac calorem in ea miſtura conſpicies. Multis enim numeris acetum plus ab ijs quæ moderate ſunt calida ad frigiditatem receſſit, ꝗ mel ad caliditatem.

Sed dices, hæc potius oppoſitum probare, ꝗ id quod probare intendebamus, nam probant acetum frigidius ꝗ mel calidius. Reſpondemus, hoc quidem uerum eſſe: tamen ſi acetum minus ſit, mellis caliditas augetur, uel multo minus ut ad dimidiū ſicuti in oxymelite, in quo ſunt duæ mellis partes, & una aceti. Sed in hoc argues, quia hoc genus oxymelitis non erit multum acre, quod tamen requiritur ex his quæ in. 4. de ſanitate tuenda colliguntur, ubi iubet in ualde acri duas mellis partes & duas aceti, & quatuor aquæ ſumi. Reſpondemus id prorſus à Galeno dici, acre ualde. propterea dicendum & acetū ratione propria exiccare, & aliquam habere caliditatem, quam illi ineſſe probat Galenus primo de ſimpl. medica. facultat. cap. 19. idéq; cap. 18. edocuerat, & lib. 4. cap. xj. & in principio lib. 3. de compoſitione medicamentorum ſecundum genera. exiccat uero & uehementer penetrans per partes, & mel ſecum ducens. Et ꝗuis aqua ſit miſta, tamen per ebullitionē pro magna parte conſumpta eſt, & in uini tranſmutatione in acetum mutatur, quod calidum & humidum eſt, in frigidum & ſiccum. Imo & Galenus in primo de ſimplicium medicamentorum facultatibus capite. 32. acetum nullo modo humectare poſſe oſtendit.

Petes uero, qua ui ſecet & exiccet. Reſpondemus, ui partium ſuarum tenuium acutarum ſecat, & eiſdem partibus exiccat, & ſiccitate quam acquiſiuit acetum ex uini tranſmutatione in ipſum, & ex melle uim habente ſecandi & exiccandi, unde hoc tertium ſit ex aceto melle, & aqua, cum ebullierint. quod oxymeli uocatur, partes habens tenues, acutas, penetrantes, detergentes, & quæ illa officia præſtant & ſecandi, & exiccandi & detergendi, & incidendi. Tamen medici intentio nunquam eſt exiccare ex hoc medicamento, potiſſimum quando ſputa ſunt craſſa in thorace. In ulceribus uero plerunq; contingit nos ex oxymelite exiccare uelle.

Forte dices non uideri neceſſarium ſi non ſecet detergat, & educet, quod exiccet, quoniam fieri poteſt ut neutrum agat. Reſpondemus, cum ſit ualde acre, neceſſe eſt, aut ut illa faciat, aut ut materia ſit adeo craſſa ut illam penetrare non poſſit, incidere, atque detergere, tunc cum ſit ſumme acre, neceſſario reſoluet quod tenue, & ita exiccabit, & qđ erit craſſius fiet craſſius. Tertio Galenus uerbum quoddam contemplatur in ſententia poſitum, quod ex uariatione ſcripturæ ſcrupum in ſententia facit, propterea dicat ſe nunc uelle de ſcriptura quadam in multis ſcriptis reperta agere, quoniam inuenit ſecundam ſyllabam huius dictionis μέσον non per σ ſcriptum, ſed per ζ ut hi contextus in hac ſententia talem ſenſum faciant, τὸ μὲν κάρτα ὀξὺ οὐδὲν ἂν μέζον ποιήσειεν. i. quod ualde acre exiſtit, nihil inſigne efficiet. Verum ſi hoc recte perpendes, abſurdum eſſe dignoſces, & falſum quod ab ea prouenit ſententia: nā Galenus edocere intendit magnum aliquando ab oxymelite fieri iuuamentum, aliquando detrimentum, ut perpetuo neceſſarium ſit aliquid magnum facere, & nunquam facere quicquam leue aut paruum. unde de illo de quo uerum eſt dicere, quod perpetuo uel magnum malum, uel magnum bonum efficiet. de hoc melius eſt dicere nihil μέσον. i. nihil medium & mediocre ab eo fieri, ſed omnia ſunt inſignia.

## Hippocrates. Sectio XXVII.

**Potiſſimum autem ita afficiuntur, qui maxime pernicioſe habentes, neque tuſſire, neque quæ intus continentur, excreare poſſunt.**

BRASAVOLVS.

Cum ab Hippocrate dictum ſit nonnunquam ualde acre oxymeli, non ſolum non educere ſputa, ſed craſſiora reddere & glutinoſiora, & quod detrimentum his affert: nunc illos edocet, qui ab hoc oxymelitis genere afficiuntur, inquiens potiſſimum male affici, illos qui maxime & pernicioſe ſe habent, & qui neq; tuſſire, neq; quæ intus continentur excreare poſſunt. nam his ſi detur, & non incidat detergat & educat, magis exiccare neceſſarium eſt, ꝗ ſint, propterea detrimentum conſequi neceſſarium erit. i. magnam anhelitus difficultatem, & uias adhuc ad exitum magis ineptiores reddi.

μάλιστα δὲ τοῦτο πάσχουσιν ὅτινες καὶ ἄλλως ὀλεθρίως ἔχουσι. i. potiſſimum uero hoc patiuntur qui alioqui pernicioſo morbo laborātes, intellige in morbis thoracis, in quibus genus hoc oxymelitis conuenit. Sed petes quibus ſignis hi cognoſcantur qui in his morbis pernicioſe laborant. Reſpondemus ex anhelitus difficultate cognoſcuntur, quæ difficultas fit, uel quia materia eſt nimis craſſa & nimis glutinoſa, uel quia uires ſunt imbecillæ, ut materias extra tranſmittere non poſſint, uel ob utrūque ſimul, quia & materiæ ſint craſſæ & glutinoſæ, & uires imbecillæ, uerum cum hęc duo ſimul iunguntur, de homine deſperandum eſt, & ſolis prędictionibus eſt relinquendus: nonnulla ſolum facilia agenda ſunt, ne ęger uideatur à medico derelictus, & in deſperationem ducatur, citiuſq; occumbat. Hippocrates ſigna ſtatim addidit quibus cognoſcatur illum pernicioſum morbum pati, inquiens.

καὶ ἀδύνατοι βήσσειν τε καὶ ἀποχρέμπτεσθαι τὰ ἐνεχόμενα. i. & tuſſire non poſſunt, neq; illa quę intus ſunt excreare. Scito in morbis thoracis oxymeli acre, pro quacunq; re dandum nō eſſe, ſed tunc dandum cum magnum adeſt diſcrimen, ut cum tuſſire non poſſunt, neq; illa quę intus ſunt poſſunt excreare, tunc ad hęc uehementiora accedendum, quia extremis morbis extreme exquiſita remedia adhibenda ſunt. morbus vero tunc eſt uehemens, cum tuſſire non poſſunt, neq; ſputa in thorace contenta excreare. At dices exquiſitam cauſam prętermiſiſti, quę eſt tunc morbum eſſe prauum, & illos praue ſe habere quibus adeſt anhelitus difficultas. Reſpondemus hoc ab Hippocrate prętermitti, tanquam id quod ex prœmiſſis ſequitur, ſequitur uero ſi tuſſire non poſſit, & materia adeo intus cōtineatur ut non expuat, difficultas anhelitus, & ſi prorſus habeant morbum crudum, & adeo crudum, ut ſi adſit uirium imbecillitas, hi neceſſario obeant.

GALENVS.

Sputa craſſa uehemēter glutinari, nihilq; ab exhibito, quod acre ſit, oxymelite iuuari, at his contingere, qui maxime pernicioſe afficiuntur, id eſt, quibus crudus ſupra modū exiſtit morbus nempe hi nihil expuunt.

BRASAVOLVS.

Galenus notat Hippocratem dicere craſſa ſputa uehementer glutinari, & illos nihil iuuari ab acri oxymelite, qui maxime pernicioſe afficiuntur. Intellige uero illos maxime pernicioſe affici, qui crudum habent ſupra modum morbum. Intellige uero crudum morbum. i. humores ipſos quibus morbus efficitur. Cum uero adeſt hęc cruditas, nihil expuunt: ſolum enim expuuntur quę pręparata ſunt.

## Hippocrates. Sectio XXVIII.

**Cum hæc ita habuerint, vires hominis perpende. Nam ſi de eo ſperaueris, dabis.**

BRASAVOLVS.

Cū acre oxymeli in omni thoracis affectu dandū nō ſit, ſed ſolū cū homo tuſſire nō poſſit, nec expuere, uerū uel magnū facit malū, uel magnū bonum: propterea hic docet Hippocrates quādo dandū ubi opus eſt, inquiens: cū uidebis hominē ea quę intus cōtinētur expuere nō poſſe, nec tuſſire poſſe, tūc oxymeli acre dādū eſt, quia morbus eſt ualde crudus, & materia quæ ipſum facit craſſa & glutinoſa. At cū dabis, quia nō mediocriter aget, ſed uel ſputa educet, uel nimis exiccabit, propterea cū uidebis tuſſire nō poſſe neq; expuere, hominis uires perpende. quippe ſi tales ſint ut de illo ſperare poſſis, acre oxymeli dato: ſi uero ſint tales ut ſperandum non ſit, ne dato, ne uidearis hominem interfeciſſe: quia cum uires ſunt imbecillę, & tuſſire nō poteſt neq; excreare, indicium eſt letale. nec medicus onus hoc curandi ſubire debet. uires ſemper eę ſunt, quæ de medicamentis prębendis uel nō prębendis oſtendunt, cum tota actionum medicarum ratio ex ipſis pendeat,

εἰς μὲν

ὡς μὲν οὖν τόδε, i. his ita habentibus ut superius dictum est, & quod acre oxymeli non mediocriter bonum faciat uel malum, & quòd hi qui tussire non possunt, neque expuere, maxime perniciose habeant.

προστεκμαίρεσθαι χρὴ τὴν ῥώμην τοῦ ἀνθρώπου, i. uires hominis considerare oportet. quæ huius exhibitionis metrum & mensura erunt, nam ex uiribus deprehendetur an sit dandum uel non sit dandum.

ἢν δὲ ἐλπίδα ἔχῃς, διδόναι, i. & si spem habueris, dare. i. si in hoc ægro spes adsit dato. Si uero petas quo modo cognosci possit spem haberi, scito tunc spem haberi cum vires integre persentiuntur, quæ ex pulsu ualido persentiuntur, quo uis uitalis notatur qualis nam sit.

Petes nunquid dandum si uires sunt imbecillæ. Respondemus non dandum, quia neque posset incidere neque transmittere sputa propterea aliud faceret, nam exiccaret. Id uero in morbis thoracis semper est prauum, & nunquam cōcedendum, quia siccitas incrassat, & sputa reddit ad exitum inhabilia.

Dices uero tunc uideri dandum quando homo est imbecillus ut adiuuetur, & uelut stimulus uires excitet. Respondemus, quando imbecillus est, non secat nec detergit, quoniam si hæ actiones fieri debeant, uiribus indigemus quæ oxymeli in actū ducant, & ad loca conuenientia deriuent. At cum vires ipsæ hoc efficere non possint, oxymeli oppositum facit quàm sit intentio, ob quam exhibitum est, & exiccat, quo in thoracis morbis, in quibus aliquid expui debet nihil deterius.

GALENVS. Postea quàm eos qui maxime perniciose ægrotant, ab acri oxymelite nihil iuuari prædixit, paucique ex ipsis adiuti liberentur, ob id & ipsius, quod rarenter contingit, non tacuit auxilium. Fit autem auxilium huiusmodi ab acri supra modum oxymelite, cum ægri uires ualent. Nempe si non ualent, non iuuabit quod tale est oxymeli. Duorum siquidem alterum efficiet: nā uel prorsus non secabit, sed quod glutinosum est, glutinosius reddet, uel dissecabit, abstergetque. Verū subitam uniuersamque tum eductionem, tum uacuationem quam molietur, non sufferente natura, continget strangulari hominem.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat cum Hippocrates prædixit, illos ab acri oxymelite nihil iuuari qui maxime perniciose ægrotant, & paucos esse qui ex oxymelite adiuti liberentur. ob hoc Hippocrates id auxilium eorum qui rarenter sanantur non subticuit. Quod legitur maxime perniciose, Græce est ἄλλως ὀλεθρίως. Secundo Galenus notat ægros tunc (licet raro) ab acri oxymelite iuuari, cum uires habent robustas. nam si non ualent uires, id oxymeli non iuuabit. quippe necesse est duorum alterum sequi, uel prorsus nō secabit, neque incidet, imo quod glutinosum est, glutinosius reddet, uel dissecabit & absterget: si non dissecabit, nihil erit effectum, imo id mali effectum quòd sputum redditum erit crassius & glutinosius: si uero dissecabit & absterget, natura subitam illam & uniuersam eductionem & euacuationem quam exorsa est, ferre non poterit, iccirco homo strangulabitur.

Alicui forte mirum uidebitur si dissecabit, & educat, quomodo strangulet. Respondemus cum uires sunt imbecillæ, homo facile moritur, cum & naturalis calor facile extinguatur, cum in his materiæ quæ in thorace glutinosæ sunt, dissecentur, ut exeant necesse est, & exeunt ut incisæ sunt. at natura illas transmittere conatur, quæ cum impotens sit, uijs inhærent, & breuem illū spiritum auferunt. Scito uero in imbecillitate, ab oxymelite materias non incidi, sed glutinosiores reddi. Notaque subitam & uniuersam eductionem, quam ἄθροον uocant, esse in causa cur strangulentur. nam materia tota subito ac una uice exire contendit: idque fieri non potest. sed spiritus uias occludit, & hominem suffocat.

## Hippocrates. Sectio XXIX.

**Cum autem dare volueris, perquam tepidum, paulatimque & non affatim dabis.**

BRASAVOLVS. Non sat fuit Hippocrati edocuisse quādo oxymeli dandum in prauis thoracis affectibus & cum tussire non possunt, neque sputa extrahere, nisi & simul edoceret, qua præparatione dandum sit, quando illud præbere uolueris, & quomodo sumendum. ait igitur: cum oxymeli dare uolueris, quia æger illo indigeat, hæc seruato, exhibe perquam tepidum hoc est medium exacte inter calidum & frigidum. neque illud dato affatim & vniuersim, sed paulatim. nam calidum lædere posset, & frigidum identidem, & vniuersim ac subito sumptum nocumentum inferre posset.

διδόναι δὲ ἢν, id est, si uero dare decreueris. non quia ita tua mente absque ratione excogitaueris, sed dare uolueris quia cōuenit, & uires constant, tunc conditiones serua, quas nunc tibi tradam.

δίδου ἀκροχλίαρον, id est, perquam tepidum dabis. frigidū sumi non debet, quoniam & in thoracis morbis frigida etiam actualiter euitare debemus, & frigida sputorum uias occludunt. Si vero calidum sumatur, tunc homo siticulosior efficitur. hoc autem semper est prauum in thoracis affectibus, ubi expuere sit opus, quia sputa & ipsa assantur. assumendum vero est perquam tepidum, id est vt mediam habeat præcise cōsistentiam inter calidum & frigidum. hoc vero hic ab Hippocrate dicitur perquam tepidum.

Sed ambiges potius frigidum esse dandum oxymeli, quàm tepidum, quia Hippocrates & Galenus libro primo sectione. 43. de dolore laterali agentes volunt æstate dandum esse oxymeli frigidum, hyeme vero calidum, igitur secundum varia anni tempora frigidum dabitur & calidum, forte in autumno, & vere tepidum erit dandum. Respondemus melius plane esse tepidum in omni tempore exhibere, quia vtriusque extremi, id est calidi & frigidi incommoda euitantur: tamen nec repugnat in æstate frigidum exhibere, quia caliditatem ex tempore contrahit, nec potest sua abesse actuali frigiditate, hyeme vero calidum ne sua obsit frigiditate, quæ nullo est calore extrinseco correcta, vt est in æstate. Si vero quis tepidum exhibeat, vtriusque extremi incommoda effugit.

Sed inquies quid hoc refert calidum exhibere, frigidum, vel tepidum: quoniam priusquam ad locum vbi est lateris dolor perueniat, caliditatem in corpore acquisiuit? Respondemus habet actualem frigiditatem, quæ statim ad locum penetrat. Ego in meipso experior, si aquam in os acceperim, statim frigiditatem in ventriculo persentio etiam si summis labris degustem, postea naturalis calor non tam cito frigidum oxymeli ad agendum in actum ducit, quia opus est prius incalescat, quàm ad agendum in actum ducatur. Et ita melius est calidum sumere quàm frigidum. Si vero de tepido & calido disceptas, dicimus tepidum esse melius, quia & si calidum magis penetret, tamen illo intensiori calore sitim accendit, quæ in acutis morbis pessima est. Sed petes quomodo sitim faciet cum calidum est, si ad sitis vias magis & facilius penetrat. Respondemus id fieri actuali caliditate, & cum citius penetret, citius etiam partes siccas relinquit, aceto & melle suapte natura exiccantibus. vnde in pleuritide, & similibus tepida potius conueniunt, quàm frigida. Intellige vero secundum Hippocratem in his qui perniciose habent. Si vero dicas, habent febrem acutam, cui frigida competunt. Respondemus & si ratione febrilis caloris conueniant, nō conueniunt tamen ratione abscessus, & ratione loci. nam locus frigidus est, quia pleura est membrum frigidum. Hæc vero de actuali frigiditate intelligere oportet. Sed de virtuali quæres, an frigida virtualiter dari conueniat, licet actu tepida sint. Respondemus considerandam esse materiam morbum inducentem, & frigida virtualiter, secundum suæ caliditatis gradum exhibenda esse censemus vt ex Galeno, accipi potest in methodo medendi, à quo Rasis accepit in nono ad Almansorem, vbi iudicat hæc sumenda esse in gradu frigido, secundum gradum caloris materiæ morbum facientis, tamen & locus lesus considerandus est.

κατ᾽ ὀλίγον τὸ τοιοῦτο καὶ μὴ λάβρως. i. & hoc paulatim exhibendum est, & non affatim. Debet dari oxymeli tepidum, & non affatim, id est totum una uice, quod dari debet, sed potius paulatim. quia totum vna vice sumptum ad locum lęsum confluere posset, & tunicā abscessus in laterali morbo distumpere. Itaq; transiret ad empyema. nā opus est ut paulatim extra pelliculam tegentē abscessum materia resudet, & expuatur.

GALENVS. Si æger ob sputorum tum crassitiem, tum uiscositatem nihil expuerit, uirtúsque ualida fuerit, oxymeli dari iubet ualde acre, paulatim & ἀκροχλίαρον, quod est ἄκρως χλιαρόν, id est perquam tepidum. Id autem calidi, frigidíq; exacte est mediū. Nam quòd uehementem habeat facultatem, propterea copiosè ipsum uno haustu offerre ueretur. Pari modo & ęstate frigidum porrigere, ut antea præcepit, ideo timet, quia tum pleuritides, tum peripneumoniæ, in quibus nihil expuitur, crudæ sunt. Coctioni autem perpetuo calidum opitulatur, confertq; frigidum uero renititur, & aduersatur. Sed quam ob causam calidum etiam oxymeli deuitat Hippocrates? Certe ob morbi malignitatem, malúmq; moremine uidelicet protinus ex tali potione cruda persistat affectio, hominémq; à calido oxymelite siticulosiorem fieri cōtingat. Nempe quòd symptoma hoc uiscosum reddat sputum, exposuit. Tutius ergo mediocriter tepidum esse oxymeli arbitratur Hippocrates, utpote qui calidi eam quæ succedere possit, frigidiq; de necessitate successuram fugat lęsionem.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat si ęger ob sputorum crassitiem, uel uiscositatem nihil expuerit, & uirtus fuerit ualida, oxymeli ualde acre esse præbendum, idq; paulatim, & ἀκροχλίαρον, quod est ἄκρως χλιαρόν. i. perquam tepidum, si uero petas, quid sit hoc perquam tepidum. Respondet id esse quod inter calidum & frigidum exacte medium est. Iubet uero non esse affatim exhibendum, neq; uno haustu copiose, quia uehementem habet facultatem.

Secundo Galenus ambiguitatem quandam remouet. nam in primo libro sectione. 43. ait dandum oxymeli in ęstate frigidū, hic uero perpetuo uult dandum tepidum. Hanc ob causam rationem reddit Galenus cur id faciat Hippocrates, inquiens, timere Hippocratem dare frigidum, quia pleuritides, & peripneumonię in quibus nihil expuitur, & de quibus hic loquitur, crudę sunt. At semper calidum coctioni opitulatur & confert, frigidum uero per oppositum coctioni obest & aduersat. Alicui forte uidebitur Galenum horum ambiguitatis causam non reddidisse: nam uidetur ambigere cur frigidam dare in æstate nunc timeat, cum prius illam concessisset. Respondet Galenus ideo timere quia pleuritides & peripneumoniæ sunt crudę. At contra, quia & erant etiam in primo libro crudę, quando frigidum pręberę uult. Respondemus in primo libro de mansuetioribus loqui, & non de perniciosis, quales sunt illę de quibus hic agit, anhelitus difficultatem inducentes, unde sputa exire non possunt, neq; tussire conceditur. Iccirco materia crassa est & glutinosa, propterea addito aliquo actuali frigore, materia magis incrassabitur, magisque glutinosa reddetur, & difficilius spirabit, ex quibus habetur conuenientissimam causam adduxisse Galenum.

Sed petes an coctio à calore fiat, & calor coctionem procuret, frigus uero oppositum faciat, nam potius uideretur frigus in biliosa materia coctionem iuuare. Respondemus alibi dictū esse bilem coctione nō indigere, etiam si apud Galenum scriptum reperiatur, bilis cruda. bilis non cocta, ut. 44. sectione secundi libri huius uoluminis à Galeno notatur, cruda uero dicitur bilis quęcunq; non est apta uel corpus, uel corporis particulam nutrire, sed extractione è corpore indiget, id uero fieri non potest nisi uia præparata, unde uiæ præparatione indiget, quoniā bilis nunquam est tam tenuis, ut incrassari desideret, & hoc cū in uenis totius corporis sit, uel in aliqua cauitate, cum uero est in aliquo abscessu vel in thorace, incrassanda est, si exire debeat, aloqui tanquam aqua, pulmonis bronchijs inhærebit, & aer per medium transibit, illúmque non abducet, in hoc casu incrassanda est bilis, quod frigidis fit, uerumtamen frigida illuc peruenire non possent nisi per calorem, iccirco & si frigido hic indigeamus, nunquam agit frigidum nisi calore opem ferente. Reliquæ omnes coctiones à calore fiunt, & nulla à frigore, nō est autem opus ut hoc frigidum intensum sit, aloqui nimis incrassaret, & in glaciem quodammodo uerteret, neque posset materia exire: propterea frigida illa que in hoc casu exhibentur, multum frigida esse non debent, sed talia, ut satis sint ad incrassandum, quæ & simul vim habeant glutinandi, quale tragacanthum. sed inquies in capitis destillationibus adhiberi opiata, quando illa nimis tenuia fuerint quę descendunt, ne materia illa pulmoni infigatur, & ne phthisim inducat & mortem, tamen opiata sunt ualde frigida, quia in quarto ordine frigida. Respondemus, quando hęc adhibentur sunt ferè in ultima desperatione ęgri, & destillatio est tam tenuis, támq; abundans, ut nullis alijs pręsidijs detineri potuerit, & incrassari, neque hoc bonum est, materiam illam in capite firmare, imo prauum, sed id fit tanquam minus malum vt vita prorogetur, indiget verò & tam frigidis, quia caput habet os densum quod non facile ab hoc frigore penetratur, sed uæ illis quibus huius generis præsidia adhibere est opus. At dices hęc frigida potius obstruere, q̄ sua frigiditate aliquid agere. Respondemus imo experientia ostendit hęc sua ui caluariam penetrare, materiamq; liquidissimam incrassare, retinere, & prohibere ne amplius ad pulmones descendat, sed ad palatum trāsmittitur uel ad nares, & exit. Adde nunquam hæc dari quin nonnullis calidis mista sint, quę penetrare faciunt. intellige igitur frigidum reniti, & omnibus aduersari coctionibus omnium humorum qui in reliquo coquuntur corpore. sed in capite cum adsunt ad pulmonem destillationes iuuare, si à calido agendi uim receperit, nempe si nō adesset calor, nihil penitus ageret. & in materiebus thoracis tenuibus quæ ueluti aqua bronchijs inhærent, densitas frigore conficitur, & incrassatio, frigus uero à calore illuc ducitur, in proposito autem Hippocratis & Galeni, quando materię sunt crassæ & glutinosę. quę proprie crudę uocantur frigus semper obest, & calor prodest.

Tertio Galenus ambigit, & si Hippocrates in hoc casu in quo sunt crudę materiæ, frigidum oxymeli dandum esse negauerit, quia sua frigiditate magis incrassat, cur deuitauit oxymeli calidum, cui absunt hęc incommoda? Galenus respondet id certe factum esse ob morbi malignitatem, & malum morem, ne ex tali potione, cruda persistat affectio, & hominem à calido oxymelite siticulosiorem fieri contingat, nam hoc symptoma esse siticulosum vt superius docuit Hippocrates sputum reddit glutinosum, ob id Hippocrates iudicauit tutius esse oxymeli mediocriter tepidum pręberę, utpote quod calidi & frigidi successuram de necessitate lęsionem fugat.

Sed inquies, quomodo poterit persistere affectio cruda ex calida oxymelitis potione? Imo calidū oxymeli crassum potius attenuabit, & glutinosum incidet. Respondemus Galenum non dicere affectionem illam ob calidum oxymeli crudam persistere, sed crudam persistere (ut fieri potest) supponit. additur deinde ad cruditatem quę persistit, & siccitas, quę maiorem adhuc & crassitiem, & glutinositatem faciet, uiásq; reddet inhabiles, per quas illa transeant quę expui deberent.

## Hippocrates. Sectio XXX.

Quod autem parum acre est, os faucesque humectat, sputum educit, & sitim sedat, qua occasione hypochondrio uisceribusque est beneuolum, mellisque inhibet noxas. Nempe quod in melle biliosum est, temperat castigatque.

BRASAVOLVS. His expeditis quæ de oxymelite ualde acri dicenda uidebantur, nunc Hippocrates ad parum acre transit, quod & dilutum nuncupari potest. inquit vero hoc oxymeli

parum

parum acre, os faucesq; humectare, quia multum aquę habet, & sputum educere, quoniam mellis dulcedine & aquę penetratione ac mellis incisione prӕparantur, sitimq; sedat, & hanc ob causam beneuolum est, & conueniens hypochondrijs atq; uisceribus, mellisq; noxas inhibet, nam superius dixerat mel hypochondrijs obesse, aqua etenim & aceto quicquid in melle biliosum est, castigatur atq; refrangitur.

τὸ μὲν τοι ὀλίγον ὀξύμελι.i. quod autem parum acre est parum habebit aceti. ut multum acre multum habuit aceti, vnde uis aceti, quæ est exiccare non multum agit, vnde inquit.

ὑγραίνει μὲν τὸ σῶμα καὶ φάρυγγα.i. humectat quidem corpus & fauces. Et quamuis in Aldino codice σῶμα legatur, & in alijs multis, tamen legendum putamus ut Copus suo in codice habuit, & alij multi habuere στόμα. vt legatur humectat uero os & fauces, quia multum habet aquæ ratione aceti. Idq; aceti modicum aquam facit magis penetrare. facitq; ne mel in bilem conuerti possit. Os igitur atq; fauces humectat.

ἀναγωγὸν πτυέλου ἐστὶ.i. & est sputi eductiuum. Et mulsi uires habet præterquam in eo quod id parum aceti melli aufert, ne in bilem uerti possit.

καὶ ἄδιψον.i. & non siticulosum est. hoc dupliciter intelligi potest: uno modo non esse siticulosum.i. sitim non inducere, ut oxymeli ualde acre faciebat exiccando: alio modo, ut sitim ab acuto morbo iam inductam sedet, utrunq; uerum est, & ipsum non inducit sitim, sed extinguit, hæ duæ conditiones à superiori dependere uidentur qua dicebat, os & fauces humectare, quoniam has partes humectans causa est ut sputum facile educatur. Quod forte ob siccitatem difficulter educebatur, & quia os ac fauces humectat, propterea sitim sedat, uel sitim non inducit, nam utrunq; de hoc oxymelite intelligi potest.

At inquies non uideri posse educi sputa, ob id quia os, & fauces humectat. nam si sputa sint crassa & glutinosa, non educentur quia humectet, sed potius, quia incidit & attenuat, illa igitur nō est ratio cur sputa educat. Respōdemus dici posse hic ab Hippocrate ea enumerari quæ faciat oxymeli parum acre. Et inter alia sputa educere ponit. Id uero non dicit, ideo educere quia fauces & os humectet, sed ideo educere quia talem habet naturam, uel hoc concedentes sputa educere quia humectat, cum Galeno dicamus, hoc in illis sputis intelligere quę nō sunt crassa neq; glutinosa, nam in his sola satis est humectatio ut educi debeāt, imo ex humectatione educuntur & illa quæ sunt parum per crassa & glutinosa.

Dubitabis præterea, non uideri sitim posse sedare, quia os & fauces humectet, si sitis ex affectis partibus proueniat, in quibus est bilis ebullitio, & ad partes superiores effumatio. Respōdemus, & si sitis in partibus corporis penitioribus esse possit, tamē in ore potissimum urget & gutture. propterea os & guttur madefaciens partes humectat in quibus sitis magis deprehenditur, q̃ in alijs partibus, & per partem post partem inferiores aliæ partes humectantur, imo & ad illas transit etiā oxymeli.

ὑποχονδρίῳ δὲ καὶ σπλάγχνοισι τοῖσι ταύτῃ εὔμενές.i. precordijs uero, ac uisceribus hac ratione amicum est. ratio uero illa est, quia humectat, sputum educit, & sitim sedat, nam ex siti præcordia afficiuntur & accenduntur. & non solum præcordia, sed & uiscera illa, quæ sub præcordijs continentur, qualia sunt iecur, lien, uentriculus. Et si dicas superius dictum esse mel hypochondrijs obesse intellige obesse, & quando solum edatur, & quando cum aqua in mulsa sed cum acetum recipit, nunc corrigitur, & mel in bilem amplius non uertitur, quia hoc illi præbet acetum. Et si petas quænam sit hæc amicitia & quæ beneuolentia inter uiscera, & hoc oxymeli Galenus in commentatione respondet, beneuolentiam quia & hepati & lieni dulcedinis ratione placet, & quia uiscera ipsa purgat, iccirco dicitur illis beneuolum & suaue atque iocundum, & per uiscera possumus simul & pulmonē intelligere, qui ab oxymelite euacuatur, & à sputis liberatur.

καὶ τὰς ἀπὸ μέλιτος βλάβας ταύτῃ κωλύει.i. & noxas mellis hac ratione prohibet. Sunt uero mellis noxæ facile in bilem conuerti, & deinde illa symptomata gigni quæ ex bile sequuntur. uerum in hac compositione quæ acetum recipit, quia frigidum, & aqua frigida melli dant ut in bilem uerti non possit, aqua uero sola non erat apta ut hoc prohiberet, propterea in mulsa meraciore uel mediocri id non tollebat quin in bilem cōuerteretur. at nunc aceto præter aquam addito, mel vim illam facile in bilem conuerti omittit.

τὸ γὰρ ἐν μέλιτι χολῶδες κολάζεται.i. quod enim in melle biliosum est tēperat atque castigat. Petes uero quid sit in melle biliosum. Respondemus intellige totum mel quod in bilem conuertitur, uel intellige in melle esse biliosum, partes tenuiores, quibus dulcedo innititur quippe hæ partes cum sint cæteris calidiores in bilem facile vertuntur. Sed acetum hoc illa aufert, illásque refrigerat, & incrassat, posteaquam per ipsas sua acutie penetrauerit, incrassat uero simul condensans.

**GALENVS.** Posteaquam de supra modum acri oxymelite sermonē absoluit, ad id quod mediocriter acre est, transijt humectare ipsum os, faucesq;, & sputum educere, & sitim sedare in textura orationis inquiens. Nempe quod omnia, quibus iuuari ægritudines natæ sunt, habet id eorum quæ nocere ualent ob uim tēperaturæ nihil habet. Nam mulsæ tantum aceti est admixtum, ut quod in ipso biliosum sit, queat sufficienter κολάσαι, id est καθελεῖν, & ταπεινῶσαι, id est castigare, inuertere, & supprimere. Nempe in quarto de simplicium medicamentorum uiribus, dulcem succum acri maxime potentia aduersari demonstrauimus. Cum itaque mulsæ facultas cætera quidem omnia quibus morbi huiusmodi opus habent, contineat, in uno autē duntaxat contraria, quòd scilicet supercalfacta ipsa bilem ... migrationem sanè huiusmodi permixtio aceti cohibens, optimum efficit medicamentum. Nempe minime siticulosum erit, atque ob id sputa quę non omnino crassáq; glutinosáq; sunt, facile educet: has autem quę duo numero existunt operationes, consequitur partium oris, faucíumq; humectatio. Qua uero occasione hoc facit, ea tum lieni, tum hepati, maximam adiert suauitatē, uiscera suauiter, iucundéq; expurgans.

**BRASAVOLVS.** Primo Galenus continuationem quandam præcedentium sententiarum facit, cum presenti, inquiens cum superius Hippocrates de ualde acri oxymelite sermonem habuerit, nunc ad id quod mediocriter acre est, uerba conuertit. Inquiens in orationis textura & os humectare & fauces, & sputum educere, & sitim sedare. nam id quod in se omnia habet, quibus ęgritudines iuuari possunt, idem ob suę temperiei uim, nihil habet eorū quę obesse possunt.

Petes an unum inueniri possit, quod in omnibus prosit & in nullo obsit. Respondemus si Galeno in. xj. Methodi crediderimus, nullum presidium inuenitur absque noxa. De afflicto loquitur stomacho, qui syncopem inciderit, cui succurrere coacti cibum intempestiue dederimus ac uinum cum frigida, ex horum usu necesse est & obstructionem, & corporis coarctationem, & putredines aucta esse, & ex his febrem. postea interpositis multis de aqua mulsa dicit. Nam aqua mulsa quod ad crassos succos attenuandos, & glutinosos detergendos, & excretionem promouendam attinet, optimum planè medicamen fuerit in ijs synochis, quos habitus coarctatior & putredo excitarunt: quatenus vero calorem febris adauget, est noxia. vnde si hic immodicus sit, parcendum aquæ mulsę est, & vtendum prisanę cremore, quòd si difficiles ac contumaces esse obstructiones iudicaueris, etiam oxymelite. At hoc ipsum rursus, si immodice vtare, & intestina radit, & tussim excitat, & neruosa lędit. postea Galenus sequitur adeo scilicet difficile est eiusmodi aliquod auxilium inuenire, quod citra vllam noxam magnifice prosit, vt hinc sententiam de oxymelite loquens protulerit Galenus, nullum inueniri præsidium quod absque noxa valdeq; prosit. Tamen dici posset in his thoracis ęgritudinibus, oxymeli omnia quę iuuare possunt, habere, quando dilutum est. propterea nihil habet quo possit obesse, illis. s. ęgritudinibus; quamuis forte alteri rei & parti obesse possit. Scito autē à Galeno addi nihil habere quod ob tēperaturę uim obesse

posſit, quia forte ob quantitatem quæ ſumeretur, uel ob præparandi modum obeſſe poſſet, tamen quantum ſit ratione ſuæ temperiei & naturæ, & extrinſecis nõ cõſiderans ſemper prodeſſe poteſt.

Secundo Galenus docet quomodo hoc dilutum oxymeli omnia habeat quæ proſunt, & nihil quod obeſſe poſſit. In oxymelite uero mulſa adeſt, cui eſt additum acetum, & in hoc oxymelite diluto, tantum aceti duntaxat miſtum eſt, ut ſufficiẽter poſſit quod in ipſo bilioſum ſit κολάσαι, i. καθελεῖν & ταπεινῶσαι, i. caſtigare, inuertere & ſupprimere. nam. 4. de ſimplicium medicamentorum facultatibus demonſtrauit Galenus dulcẽ ſuccum, acido potentia maxime aduerſari. Cum igitur ipſa mulſa omnia in ſe habeat per quæ huic conuenit morbo, in uno tantum eſt contraria, quia ſupercalefacta in bilem cõuertitur, ſed aceti permiſtio, hanc in bilem migrationem cohibet, hinc optimum efficitur medicamentum.

Particula illa dulcem ſuccum acri maxime potentia aduerſari, dubium ingerere poteſt, cum in. 4. de ſimplicium medicamentorum facultatibus Galenus edoceat omnia acria eſſe calida, & dulcia præterea calida eſſe oſtendit · quomodo igitur erunt potentia contrariſſima? Hic Græcus codex cõſiderandus eſt, qui ita ait, ἐναντιωτάτην δύναμιν ἔχειν ὁ γλυκὺς χυμὸς τῷ ὀξεῖ i. dulcis ſuccus contrariſſimam potentiam habet aceto, vel acido. Hoc profecto à Galeno docetur, nam & .7. præadducti libri capite acidam qualitatem, frigidum facere ſubtile. At ſi pariter & humeſcat & calefiat, humiditate quidem aquea in dulcedinem, aeria uero tranſit in pinguedinem. Vt uideas eſſe contraria & qualitatibus, & his quibus fiunt. & .xj. cap. probat acidos ſuccos ex frigore prouenire & acetum. Dulce uero ex calore fieri. x. cap. ſuadet. Vnde deprehendi poteſt dubitationem in falſa interpretatione ortum habuiſſe, quæ nõ dicit acre, ſed acetum. nam acria eſſe calidiſſima prædicto libro ſuaſit Galenus cap. 17. & eodem loco dicit acetum eſſe quidem acre, ſed æquiuoce. quia re vera ſola calidiſſima ſunt acria. At dices, quomodo eſt acidum dulci cõtrariſſimum, cum acerbum ſit illi magis contrarium? Reſpondemus, & hoc eſſe cõtrarium, & quia acidum magis penetrat, propterea uidetur dulci magis oppoſitum, quàm acerbum.

Tertio Galenus oſtendit mulſam cum pauco aceto eſſe optimum medicamentum, quoniam erit minime ſiticuloſum. & ob hanc cauſam ſputa, quæ non omnino craſſa glutinoſáque ſunt, facile educet. Secus eſſet ſi valde glutinoſa fuiſſent, uerum has operationes quæ duæ ſunt, partium oris humectatio & faucium ſequitur. Et qua ratione hoc facit, eadem & iecori & lieni maximam affert ſuauitatem, viſcera hæc & ſuauiter & iocunde expurgans.

Alicui forte oppoſitum eſſe uidebitur, quàm hic à Galeno dictum ſit: inquit enim ad has duas operationes. ſ. ad ſitim non inferre, & ſputa exire facere, oris & faucium partes humectare ſequi. Sed oppoſitum uidetur, nam ad oris humectationem & faucium ſequitur & non eſſe ſiticuloſum oxymeli, & ſputa educere. Reſpondemus dici poſſe unum ad aliud ſequi. nam quia ſiticuloſum nõ eſt, neceſſario partes, per quas tranſit humectat · & quia humectat non eſt ſiticuloſum · & quia humectat, ideo ſputa educit · & quia ſputa educit, propterea humectat. tamen mihi potius arridet ut dicamus quia humectat, ideo non eſſe ſiticuloſum, & ſputa educere.

Petes cur dicatur ἀλύπως, i. iocunde? Reſpondetur, intellige, ſine triſtitia, ſine dolore aliquo, ſine aliquo quod diſpliceat expurgare, cum medicamentoſi nihil habeat.

## Hippocrates. Sectio XXXI.

### Flatum præterea diſcutit, & vrinas mouet.

BRASAVOLVS. Oxymeli dilutum, præter alia quæ facit, hoc habet peculiare, diſcutiendi flatus, & vrinas mouendi · nam craſſos flatus ſecat & attenuat, vſq; mellis aperit · propterea flatus diſcutit, & aquæ ratione & aceti urinas mouet.

ἔστι δὲ καὶ φυσῶν καταῤῥηκτικόν, i. eſt uero & flatuum diſcuſſiuum. nam oxymeli pituitam attenuando mire diſcutit, & reducendo in flatus, craſſóſq; flatus attenuando, quos cum attenuat, exeundi uiam parat, & ad exitum adiuuat.

καὶ ἐς οὔρησιν προτρεπτικόν, i. & eſt ad urinæ uias prouocatiuum. uel, urinam ciet. nam uias aperit, & aquoſa ac ſeroſa excrementa ad uias illas tranſmittit, hoc peculiare habet oxymeli non multum acre, ſed aquoſum.

GALENVS. De mediocriter acri oxymelite adhuc differens, hæc protulit. Nã in pulmonis, thoracíſq; affectionibus plurimo eſt uſui, maximéq; inſignem habet patrocinium ob metricam illam aquæ, acetiq; & mellis permiſtionem. Tale ſiquidem oxymeli ſpiritum craſſum, glutinoſúmq; in hypochondrio ſecat, flatúſq; abrumpens uias omnes expurgat, atq; ad urinas, tum ſeroſa, tum bilioſa agit excrementa.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat Hippocratem adhuc de mediocriter acri oxymelite verba facere, hæcq; proferre quæ in ſententia dicta ſunt. nam in pulmonis, thoracíſq; affectionibus plurimo eſt uſui, & inſigne habet patrocinium, ob metricam illam aquæ aceti & mellis permiſtionem de qua ſuperius egimus. Petes quæ nam ſit illa metrica aquæ aceti & mellis ratio? Reſpondemus, eſſe compoſitionem talem, ut aquæ incommoda à melle & aceto auferantur, mellis incõmoda ab aqua & aceto, aceti incommoda ab aqua & melle remoueantur. Hæc eſt ratio illa metrica, qua tria hæc una commiſcentur.

Petes, qui nam ſit hic plurimus uſus in thoracis, pulmoniſque affectionibus. Reſpondemus, eſt plurimo uſui, quando materiæ ſunt crudæ, & glutinoſæ · ſi tenues ſint, non eſt in tãto vſu. Secundo Galenus ad ſententię expoſitionem ſi conuertit inquiens tale oxymeli craſſum ſpiritum & glutinoſum qui in hypochondrijs eſt ſecare, flatus abrumpens, & uias omnes expurgans, atq; ad urinas excrementa omnia & ſeroſa & bilioſa aperire. nam aqua ſuapte natura, & ſua lubricitate ad ueſicam tendit · mel illi tribuit caliditatem, qua penetrare poſſit · & acetum uim maiorem adhuc permeandi, & uias ſubeundi.

At inquies unum & idem eſſe ſeroſa & bilioſa excrementa. Reſpondemus, imo eſſe diuerſa, quia ab omni humore ſuę aquoſitates deducuntur, à bile bilioſa, à ſanguine ſeroſa, & à pituita, omnéſq; per urinę uias tendunt. hę uero aquoſitates apud Galenum & antiquos ἰχῶρες nuncupantur, quãquam & ἰχὼρ ſuperius acceptus ſit pro humore, quo nomine ſępius vſus eſt Diocles.

Si uero dicas nonne & per aluum ducit. Reſpondemus, hoc dicturum eſſe in ſequenti ſententia Hippocratem, & Galenus hic dicit uias omnes expurgans.

## Hippocrates. Sectio XXXII.

### Sed partem inteſtini imam reddit humentiorem, facitq; ramenta.

BRASAVOLVS. Mala nunc proſequitur Hippocrates quę ad oxymeli ſequuntur. hę uero ſunt partem inteſtini imam reddi humentiorem, & ramenta ac inteſtinorum raſuras induci. quę duo ſunt maxima incommoda.

ἐντέρου μέν τοι τῷ κάτω μέρει πλαδαρώτερον ἐστιν, i. partes inteſtinorum quę inferius ſunt, laxiores efficit. Intellige per particulam πλαδαρώτερον laxius, quod fit à multa humiditate. vnde & non ab re alij interpretati ſunt humidiorem. fiunt uero hę partes humidiores & laxiores ob humidas materias craſſas, glutinoſas, quę in ſuperioribus ſunt partibus, & quę inciduntur, & ad deſcendendum aptantur, idcirco ad infernas partes tranſmittuntur, & quia copioſe tranſmittuntur, ob id humiditatem & laxitatem quandam inducunt.

Si uero petas quid faciant hę laxitas, Galenus in libro de renũ affectuum dignotione & medicatione (ſi Galeni ſit is liber) ad medias libri partes reſpondet: immoderata emollitio & laxatio uirium robur exoluit, quod ſolatur & perfecte curat uniuerſum dolorem, vt deprehendi poſſit dolores à uiribus curari &

fanari

sanari, & non ab emollientibus & laxantibus. Sunt uero humida quę emolliunt & laxant, qualia illa, quę à supernis partibus ad intestina transmittuntur. illáque reddunt humentiora & laxiora.

καὶ ξύσματα ἐμποιέει.i. & ramenta uel strigmenta facit. vnde & Galenus in. xj. Methodi de oxymelite ait: si immodice utaris, & intestina radit, & tussim excitat, & neruosa lędit. Id intestina radere, est ramenta facere, cum nihil aliud sint ramenta, quam intestinorum excoriationes, hęc uero ramenta duplici ratione facit, tum quia acetum ipsum sua acredine abradit, tum quia materię quę transmittuntur, & ipsę uim habent abradendi. Et hoc non semper sequitur & simpliciter, sed ut Galenus precitato loco dicebat, si immodice utaris.

Petes uero quod nam genus oxymelitis sit hoc quod ramenta facit. Respondemus Hippocrates adhuc de mediocriter acri loqui uidetur. tamen hic sit ordo, oxymeli dilutum si immodice in usu sit, ramenta educit, sed non tam cito, neque adeo uehementer. Si uero sit mediocre, id facit citius & uehementius quam dilutum. At si sit meracius, strigmenta & citius & uelocius omnibus educit. Sciróque semper esse intelligendū de immodico usu; qualis est usus in egritudine acuta, in qua à principio usque ad indicationem nihil aliud exhibetur, quam oxymeli.

GALENVS. Eam quæ supra id quod secundum naturam est, innascitur partibus humiditatem, πλάδον Hippocratem nominare neminem ex nobis preterit: hoc igitur efficere ait oxymeli. Nam quicquid crassi, glutinosique succi superius infarcitur, id abradit, secátque, atque ad excretionem subducit: facile item & hac facultate ab iecinore facit excrementorum eductiones, ita ut collectis superioribus cunctis humiditatibus in intestinis ipsis & potissimum infernis, ob multitudinem quidem innascatur ea quę supra naturam est humiditas, ob qualitatem uero intestini abrasio. Nempe & oxymeli detergente predictū facultate, tandem abradet intestinum. Eiusdem quoque est facultatis quod cū oxymelite descendit chylosum excrementum. Quapropter & sine oxymelite, si aliquādo exuperauerit, intestinū abradet.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat Hippocratem nominare πλάδον humiditatem illam, quæ supra partes nascitur supra id quod est secundum naturam, censétque Hippocrates oxymeli hanc humiditatem efficere, quæ laxam facit illam partem in qua est. Quòd autem hoc faciat, suadet, quoniam quicquid supernis crassi & glutinosi succi infarcitur & impingitur, id oxymeli abradit & secat, atque ad excretionem subducit. Idem quoque in iocinore facile efficit, per eandem quam habet facultatem: nam excrementa à iocinore educit, unde omnes humiditates totius corporis, uel totius partis superioris in intestinis, & potissimū in partibus infernis. propterea hæc duo sunt, unum est multitudo, aliud huius multitudinis qualitas: multitudo quæ ad inferna transit intestina humiditatem illam præter naturam inducit, quam laxitatem uocauimus, at ob harum materierum qualitatem quæ est uel acris uel salsa, uel acida intestinorum abrasio inducitur.

Forte dices Galenum ostendere non posse dici laxitatem, sed necessarium esse intelligere humiditatem, quia hic exponens uocabulum πλάδον, exponit per ὑγρότητα quod signat humiditatem. Respondemus & si humiditatem exponat, tamen illa humiditas laxationem quandam intestinorum & emollitionem, quę est pręter naturam, facit, quam vt exprimeremus potius nobis placuit laxitatem uocare quæ est superflua humiditas. Vnde & Hippocrates in secundo commentario primi libri Epidemiorum sectione. aj. uocat πλάδον superfluam humiditatem.

Sed hæc reprehendes, quia oxymeli uim habet exiccandi, igitur laxitatem illam, & humiditatem de qua Galenus, inducere non poterit. Respondemus id facere non quidem ex sui natura, sed ob humidas materias, quas à superioribus partibus ad inferna transmittit.

In eo præterea dubitabis, quo inquit ob multitudinem fieri humiditatem & laxitatem, ob qualitatem fieri intestini abrasionem. At hoc absurdum uidetur, quia si adsit humiditas, abrasionem inducere non potest. nempe opus est si ob multitudinē fiat humiditas, ut illa multitudo sit humida: si humida, igitur abrasionem non faciet, quia abrasio ab humiditate non inducitur. Respondemus per qualitatem, humidam qualitatem non intelligit, sed aliam qualitatem humoris, quæ est forte salsedo, hæc abrasionem facit. Neque intelligimus hanc qualitatē esse oxymelitis qualitatem, sed esse humoris ab oxymelite transmissi qualitatem. hoc ostendit quod sequitur, cum inquit, nempe & oxymeli detergente prædictum facultate, tandem abradet intestinum: ac si innuat, & si nulla adsit humoris qualitas aquæ abradere possit, tamen oxymeli ipsum sua detersione abradit.

Secundo Galenus notat, non solum ab humiditatibus & ab earum qualitate intestina abradi, sed & ab ipso abraduntur oxymelite, cum detergente prædictum sit facultate. Et quamuis semel epotum uel bis id non faciat, tamen si in frequenti sit usu, illud efficit. Iccirco à Galeno in. xj. Methodi scriptum est, frequentem oxymelitis usum intestina abradere. Adde eiusdem facultatis esse scilicet detergentis & excoriantis, excrementum illud chylosum, quod cum oxymelite descendit. vnde & hoc excrementum etiam sine oxymelite, quàndo exuperat, intestina abradet.

Ambiguum uero est de chyloso excremento an necesse sit vt intestina abradat. Respondemus si acre sit, uel salsum, uel amarum, uel acidum, intestina abradere potest. At si simplex sit chylus, & nullam habeat ex prædictis qualitatem, sed pituitosus sit, non abradet, etiam si copiosissime efflueret.

Quendam contextum legimus, in quo non χυλῶδες, sed χολῶδες.i. biliosum legebatur, quæ lectio non est negligenda. Et si dicas quomodo χολῶδες.i. biliosum dici possit, cum Galenus dicat hoc facultatem habere detergentem, ut habet mulsa. Respondemus habet, & magis etiam detergentem, túneque aliquid intelligere non est opus. nam biliosum excrementum & ipsum intestina abradit, idque & uehementer facit.

## Hippocrates. Sectio XXXIII.

Interdum autem & in acutis morbis est inutile, & potissimum quod non flatum modo foras prodire vetet, verum quoque & reuerti faciat: Præterea & maxime vires frangit, & extremas infrigidat partes.

BRASAVOLVS. Ad ramenta, intestinorúmque rasuras, id referri debet, quod in præsentiarum ab Hippocrate scriptum est. nonnunquam enim in morbis acutis ramenta habere, & intestina abradi inutile est, idque in causa est, quoniam hęc ramenta non solum flatus foras exire prohibent, sed & reuerti faciunt. qui cum reuertuntur, uires imbecilliores reddunt & frangunt, & ex hac uirū imbecillitate, extremę partes frigidæ euadunt.

ἔστι δὲ ὅτε καὶ φλαῦρον τοῦτο ἐν τῇσιν ὀξείῃσι νούσοισι γίνεται.i. contingit uero nonnunquam & hoc inutile fieri in morbis acutis. Copus ad oxymeli hoc refert, ob id interpretatur, at qui in acutis morbis inutiliter, nonnunquam exhibetur, vt intelligat melicratum nonnunquam inutiliter exhiberi in acutis febribus. Si uero Galenum consideremus, ipse sensum facit, abradi intestina in acutis morbis nonnunquam esse inutile. At dices semper esse inutile, & non solum in acutis morbis, nam uel acutus sit morbus uel non acutus, imo & absque morbo semper inutile est ramenta habere. Respondemus hunc esse Hippocratis loquendi modum, qui plerunque indicare volens aliquod esse nocuum, utitur hoc modo loquendi nōnunquam esse nocuum, tamen semper nocuum est, ut in proposito. nam & hæc particula ὅτε, & eiusdem generis alię, quandoque adijciuntur, & ex abundanti in gręca lingua ornatus gratia ponuntur.

μάλιστα μὲν ὅτι φῦσαν κωλύει περαιοῦσθαι, ἀλλὰ παλιν-

[illegible] ποιέει.i.potissimum quidem, quod non solum flatum foras prodire uetet, uerum & recurrere facit. hoc efficiunt ramenta, flatus exire non sinunt, sed sursum recurrunt, nam intestina sunt læsa, ob id constringuntur & exprimuntur, nisi materierum corrodentium abundantia superuenerit. Cum vero ob noxam quam sentiunt intestina constringantur, flatus exire non possunt, qui vim non habent commordendi & aperiendi: iccirco necesse est ut ad oppositam partem moueantur, quæ est superior pars: & quia in hac læsione intestina constringuntur, ob id flatus non solum non exit, sed ad superiora recurrit intestina & ad uentriculum, in quo casu, magna ægrotus incidit discrimina, quorum unum est dolor quo afficitur, nam conculcantur hi flatus & condensantur, & intestina illa, in quæ colliguntur, extendunt. Sunt uero intestina hæc superiora, quæ inferioribus tenuiora sunt, & angustiora, hinc dolor efficitur, qui & imbecillitatis uirium causa est, & frigiditatis extremorum, propterea addit Hippocrates.

ἔτι δὲ καὶ ἄλλως γυιοῖ.i. præterea & alioqui uires frangit. nam cum dolorem inducat, uires imbecilliores reddi necesse est, nam duo illa dolor & fœtor uires maxime omnium prosternunt, dolores uero à flatu fiunt, qui cum febri acutæ, aut alteri morborum generi iunguntur, ualde lædunt, talésque ægri periclitantur. Et eo magis quo dolores hi graues sunt, ut Hippocratis uerba quæ sequuntur ostendunt.

καὶ ἀκρωτήρια ψύχει.i.& extremas partes infrigidat. Extremæ uero partes ob dolorem non infrigidantur, nisi uehemens sit, quoniam eo casu natura, quæ est naturalis calor, qui in sanguine & spiritibus fundatur, relictis extremis, ut hosti obuiet ad intrinsecas contrahitur partes, extrinsecas & potissimum extrema absque sanguine & spiritibus derelinquens, & magna ex parte, intrinsecæ in his casibus uruntur. Et hoc doloris sæuioris indicium est. Erunt uero sæuissimi hi dolores si fuerint non ex tenui flatu, sed ex spiritu halituoso ut Galenus notat prope calcem duodecimi libri methodi, præsertim si crassi & glutinosi humores in intestinis adfuerint. Et in fronte. 12. Methodi docet quomodo hi dolores curandi sunt, admonens non esse tantum dolori attendendum. nam qui hoc facit nō facit ex artis ratione, sed in gratiam ægrotantis. Eodem uero notat loco si ex dolore uires resoluantur, ut in proposito fit, atque ex eo periculum impendet, & mitigari dolor, & roborari uires debebunt. quo & morbo resistere, & curationis spatio sufficere ualeant. Equidem (inquit) noui quosdā tum medicos tum ægros, qui dum animosi uideri uolebant, ob id ipsum perierunt, quòd fortiter ac uiriliter contra dolorē semper sunt reniti: nec quod eum leuiret quicquam ceperunt, sed in asperis, & (ut ipsi interpretabantur) affectum destruentibus auxiliis perseuerarunt, quos sanè spatio longiore curatos esse satis fuisset, quàm breui uiriliter mori. Refertque Galenus quendam, qui in intestinorum ramentis & dysenteria multos uno die sanauit, quosdam etiā iugulauit generoso suo quodam medicamento, nempe dabat cepas comedendas vno die cum pane, quas Græci [illegible] uocāt, & potum parcum dabat, postridie mane muriam acerrimam per inferiora infundebat. Qui potuere tolerare sunt sanati. Alii qui conuulsione, aut animæ ex dolore defectu una cum madore cutis oborto interiere. Deiicit ergo uires dolor, quod & ex pulsu cognoscitur, & ex extremorum frigiditate, sed Galeno placet in mitigandis doloribus uirium custodiam esse terminum. Et cum dolor apud Galenum fiat, uel ex continuitatis solutione, uel ex praua qualitate, hic dolor erit ex imperfecta continui solutione intestinorum, id est extensione, ex qua franguntur & deiiciuntur uires, & forte etiā ex praua simul materię qualitate.

GALENVS.

In acutis interdum morbis abradi intestinum bonum non est. Nempe ea qua elici ramenta solent affectio, partium quæ in superficie constant ulceratio est. Quæ cum talis existat, ab irrumpentibus omnibus, & præsertim mordentibus, molestiā recipit intestinum. Quod affectum nisi protinus mordentia excreuerit, ad regionem superiorem, ea quæ irrumpunt, remittit. Quo fit, ut ea occasione flatus etiam sursum recurrat. Naturalem siquidem functionem circunstringentem, exprimentemque sortita sunt intestina, ut in commentariis de facultatibus naturalibus est demonstratum. Sed quę irrumpunt, à partibus quibus continentur reiici, uelocitatis est opus. Cum igitur superne motus exordium habet, quæ continentur deorsum habent excretionem. Verum si motio inferne capit exordia, sursum feruntur. Quod sanè in habentibus secundum naturam usu uenire uidetur: cum. s. uniuersim raptímque subeunte ad inferna intestina bile continemus excretionem, aut propter aliquam, quæ prompta sit negotii curam, quæ interpellari non possit, aut quòd non prope sit, quo uenter exoneretur locus. Nempe tunc emergere, sursúmque ferri bilem ita percipimus, ut non adhuc excerni possit. Sunt quibus ex huiusmodi bilis recursu, stomachus male habet: aliis caput repletur, & ob morsum dolet: alii patiuntur utrunque. Hoc igitur pacto quæ ramenta habet intestinorum affectio, deorsum interdum excernit celeriter, ægrorum molestiam nequaquam sustinens. Interdum autem & à partibus inferioribus ad superiores, ubi quæ irrumpunt non protinus ad sedem prodierint, sed is qui sedem circulariter ambit musculus, tum contractus, tum recti intestini extremum, ipsum astringendo complexus, principium motionis obstrictorię ex infernis partibus ad superiores fecerit. Ob eam igitur causam non flatus modo, uerum & excrementum in huiusmodi affectionibus reuertitur. Contingit autem & uires offendi ob eum qui in trāsitu ipso sequitur morsum. Nempe abradētia, tametsi quod irrumpit breuissimum habeat morsum, uehementer tamen infestant. Scimus autem dolorem omnem uires exoluere, euertereque, atque ob id partes infrigidare extremas.

BRASAVOLVS.

Primo, Galenus notat in morbis acutis intestina abradi non esse bonum, ut Hippocrates ait, sed inutile esse: quia affectio illa, qua ramenta elici solent, est partium exulceratio, quę in superficie sunt: hęc uero exulceratio cum talis fit ut abrasa sint intestina, ob id ab omnibus humoribus qui illuc discurrunt, molestiam accipiunt, & potissimum à mordentibus humoribus. At hic affectus, nisi protinus excreuerit hęc quę commordent, illa ad superiorem regionem remittit, quæ illuc irrumpunt. vnde ob hanc occasionem, & flatus qui ibi erant, non exeunt, sed sursum recurrunt. nam ut Galenus ipse in commentariis de naturalibus facultatibus demonstrauit, intestina ab ortu functionem habent naturalem circunstringentem, atque exprimentem: sed quæ à partibus in quibus continentur, irrumpunt, uelocitate indigent, si reiici debeant.

Dices non esse interdum non bonum, sed semper esse non bonum abradi intestinum. Respondemus, intellige neque interdum esse bonum ac si uelit, si interdum non est bonum, nunquam est bonum.

Dices & ramenta partes continere profundas, uidemúsque in experientia & profundas partes exulcerari. Intellige esse exulcerationem tantum extremarum partium intestinorum, & nō carnis & substantiæ intestinorum, quia ramenta proprie sunt partes intestinorū superficiales: reliqua sunt intestinorū frusta. Sed petes an ab omnibus lędantur humoribus intestina abrasa, quippe non uiderentur ab omnibus lędi, quoniam pituitosi humores simplices, pingues, qui omni qualitate carent, ardorē potius mitigāt, si qui factus est ex exulceratione, quàm quod offendant. Respondemus omnino, & si esset dulcissimus humor, aliquid incommodi facit, cū peruenit ad partem ulceratam. Sed inquies, oleum quod est pingue, huic confert exulceratę parti, igitur & pituita pinguis. Respondemus omnino hoc non tantū obesse, tamen persentitur, & ex cuiuscunque humoris tactu tristis sensus, secus uero est si sit humor mordens, qui maiorem facit exulcerationem, & sua acredine exulceratam partem vehementer lędit. Et quod dicit mordentibus, grece est τινὰ δῆξιν.i.habentibus quendā morsum, quod ostendit, & si hic morsus sit lenis, tamen lędit, quod dicendum non erat, quia si lędebatur à morsum non habentibus, tanto magis ab habentibus. Sed petes an flatus lędat ulcerata intestina, ut materię quę illuc discurrunt,

discurrunt, & non sunt flatus. Respondemus obesse protinus primo, tactu suo, secundo quia intestina extendit, & maiorē dolorem, q̃ adesset, inducit, si simplex materia illuc transcurreret, quia in vlcerata parte extensionem facit, in qua manifestius læsio sentitur.

Quod uero hic à Galeno adducitur, potissimum est in .5. de uirtutibus naturalibus libro, ubi ait in singulis intestinis circulares in vtraq; tunica esse fibras, nam duntaxat contrahuntur, nec quicquam trahunt. Secus est in uētriculo qui habet rectas fibras, quibus trahat, & transuersas quid constringat, sed in intestinis cum sint tantum circulares fibræ, uel quas in eodem loco uocat fibras transuersas circulo, quorum officium est solū contrahere, propterea solum contrahuntur & constringuntur, ut hic notat Galenus. Hancq; contractionem tunc faciunt magis cum læduntur & mordicantur, unde materiæ quæ continētur, uelocitate indigent si exire debeant. Cum uero in intestinis sint tantum circulares fibræ, propterea & uim solam habent expultricem, non autem retentricem.

Secundo Galenus notat, cum motus horum quæ excernuntur, superne incipiat, nam à superioribus intestinorum partibus materierū quæ exire debent motus incipit, & quæ in ventriculo continentur & in intestinis & deorsum tenditur, nam per infernam uiam excernuntur. At si contingat motum ab inferna parte incipere quia constrictio in illa fiat parte, & exire non possit, sursum reuertitur, quia motus à parte inferna incipit, quæ uero ab hac parte incipiunt moueri, ascendunt, hoc autem uerum esse in sanis manifestissimo exemplo deprehendi potest, quoniam in sano contingit bilem affatim & vniuersim ad intestina tendere. Et nos ob aliquam causam excretionem continemus. hæc autem causa vel est cura aliqua quæ non potest interpellari, quoniā negotium iam sit promptum, uel quia non adsit locus prope in quo uenter possit exonerari, aut quia sit in loco ubi adsint uiri magni. In his casibus uidemus, & experientia deprehendimus, bilem ita sursum ferri ut amplius excerni nō possit. imo ex hoc bilis recursu aliqui stomacho male habent & aliquibus caput repletur, & ob morsum dolore afficitur alij utrunq; patiuntur, & capitis dolorem, & malum stomachi affectum. hic igitur est modus, & hæc est causa, cur intestinorum affectio in qua sint ramenta, nōnunquam celeriter deorsum excernit, quæ continentur, ægrorum molestiam ferre non potens, nonnunquam uero à partibus inferioribus ad superiores mouetur, quia illa quę irrumpunt, statim non tendunt ad sedem. Sed is musculus qui sedem circulariter ambit, uel contractus est, uel extremum recti intestini complexus, ipsum adstringendo principium motionis adstrictoriæ ex infernis partibus ad superiores fecerit.

Videbitur motionem exordium nunquam sumere debere à partibus infernis, imo semper à supernis, quia materiæ quę excernuntur, crassę sunt & graues, quorum natura est potius descendere, imo & flatus sunt crassi, cur igitur quādoque erit motionis principium ab infernis partibus? Respondemus hoc motionis principium esse symptomaticum & non esse naturale, at id quod est à supernis ad inferna esse naturale, imo fit à causa prętre naturā is motus qui est ab infernis partibus ad supernas. Causam petes cur bilis ascendat ad superiora, quando illam non emittimus, sed continemus. Respondemus quia anum adstringimus. ipsa uero usq; ad partem illam delapsa cum retinetur, ab illa adstrictione ferè compellitur & sursum ascendere incipit, idq; est per uiam symptomatis & non naturaliter quāuis & bilis naturaliter ascendat, tamen hoc idem faciunt & alij humores & flatus.

Petes quænam sit affectio quā stomachus ex bile patitur quæ exire nō poterit, sed retenta fuerit. Respondemus quia actu ad uentriculum ascēdere potest, os ventriculi mordet, & nihil impedit, quin cardialgiam uocatam inducat. potest & uentriculi ardorem inducere, potest & inappetentiam ac oris amarorem inducere, potest & nauseam & subuersionem & reliqua eiusdem generis similia inducere, qui sunt uentriculi affectus, & bilis in illo contentę. Et nota nō solum hoc contingere bile retenta, sed & flatu retento. Quendam curauimus, qui ex unius peditu retentione cum ad uentriculum regurgitauerit, tot incidit symptomata, vt nec dimidium referre scirem, & uix euasit.

Petes quo caput impleatur nam bile non uidetur posse repleri, quia opus esset, ex intestinis meseraicas ingrederetur, & iecur & per uenas in caput ascenderet, quod absurdum uidetur. Respondemus posse actu in caput ascendere, tamen intelligito potius uapores biliosos ab ipsa bile motos in caput ascendere, & illud implere, & cum à bile sint, calidos esse constat & mordaces, idcirco commorsiuum dolorem in capite pariunt, ac si miryngę morderentur, & hinc inde pungerentur, & si illi condensentur, & adsit bilis, possunt esse causa pleuritidis & uigiliarū, & aliorum multorum symptomatum. Nonnunquam vero fit abscessus in tenuioribus intestinis, nonnunquam plura simul offenduntur membra, vt ventriculus, caput, iecur, intestina.

Scitóq; illa quę faciunt intestinorum ramēta esse materias acutas, quę plerunq; deorsum celeriter excernuntur, quia ęgri hāc molestiam non ferunt. At si celeriter non moueantur, sed paulatim, & musculus ille ani circularis contrahatur, ultimam intestini recti capiens partem tunc hęc materia quę motum deorsum habebat adstrictione facta nouum fit adstrictionis motum qui materias illas sursum repercutit, vnde principium motionis à partibus infernis ad supernas habetur.

Petes uero cum materię descēdunt, an necesse sit ut omnes ad anum perueniant & ad musculum illum rotundum qui extremam intestini partem ambit. Respondemus quia & intestina constringuntur potissimum cum praue affecta sunt, propterea necesse non est ut usq; ad illam partem tendant, sed possunt altius incipere ascensum, tamen plerunq; tendunt usq; ad extremam intestinorum partem.

Deniq; Galenus infert, ob hanc causam non solum flatus, sed & materię excrementosę in talibus affectibus reuerti. At contingit & uires ipsas ob hunc morsum offendi, qui in ipso sequitur transitu, nam quę abradunt, quamuis id quod tunc irrumpit morsum habeat breuissimum, tamē uehementer infestant, idq; & nobis & omnibus palam est, dolorem omnem vires exoluere atque euertere, & ob hanc causam extremas partes infrigidare.

Petes quomodo ex huius rei mordicantis transitu vires offendantur. Respondemus supponitur in intestinis adesse ramēta, unde intestina sunt exulcerata, hę materię ad anum descendere, & supra exulceratam partem transfluere, propterea & dolorem fecere, & ulcerationem irritarunt cum uero sursum recurrant, per ulceratum locum iterum transeunt, & maiorem inducunt dolorem, uel duplicant, etiam si horum morsus non sit uehemens, quia loca inuenit vlcerata. vnde fit uehemens infestatio, quę dolor vocatur. Certum uero est dolores omnes vires dissoluere, dissolutis autem viribus extremę partes infrigidantur. Sed petes an extremę partes infrigidentur ob dissolutas vires sicuti ex dolore, dictum enim est extremas partes infrigidari in uentriculi doloribus, intestinorum & thoracis, quia naturalis calor qui in sanguine fundatur & spiritibus, ab extremis mouetur, & ad locum lęsum tendit, propterea partes illę absq; calore relinquuntur sed extremę partes ob virium defectum infrigidantur, quia naturalis calor extingui incipit, qui à corde longe distat, & ita extrema frigescere incipiunt. hic frigoris modus est, primo peior, tamen simul iungi possunt. Et in doloribus simul plerunq; iunguntur hę extremorum frigiditates, & quia naturalis calor ad locum lęsum retrahitur, & quia modicus calor qui in ipsis est, extinguitur.

Petes etiam quomodo dolor uires deijciat. Respondemus quia multi spiritus ob dolorē resoluūtur, quibus naturalis calor innititur, unde & ipse calor deficit, qui nihil aliud est, q̃ ipsę uires.

### Hippocrates. Sectio XXXIIII.

Et hæc sola est quam nouerim oxymelitis noxa, quæ scribi digna sit.

BRASAVOLVS.

Cum superius de valde acri egerit oxymelite, & postea de mediocriter temperato, & omnes eius facultates simul edocuerit: nunc ostendit in quibus possit humano corpori obesse, vel notat vnam solam habere noxam oxymeli, quam in præcedenti sententia descripsit. vnde hic ait, & hæc scilicet abradere intestina, est sola oxymelitis noxa, quam nouerim, de his vero intelligit noxis quæ sunt effatu dignæ, nam posset alicui etiã obesse parti, sed non est digna effatu noxa, vt hæc per quam homo mortem incidere posset.

ταύτην καὶ οἶδα μούνην βλάβην τὴν δι' ὀξυμέλιτος γινομένην, ἥτις καὶ ἀξίη γραφῆς. i. & hæc sola est (quam nouerim) oxymelitis noxa, quæ scribi digna sit, illa scilicet quæ est in præcedenti sententia descripta scilicet intestina abradere nullam aliam habet noxam effatu dignam præter istam. Sed ambiges, videns Galenum in xj. Methodi & alias præter hanc ponere noxas, nam inquit at hoc ipsum (scilicet oxymeli) rursus si immodice utare, & intestina radit, & tussim excitat, & neruosa lædit. aliæ igitur erunt noxæ, præter intestinorum rasuram, noxæ vero erunt tussim excitare, & neruosa lædere, præterea recipit acetum, igitur aceti noxas habet. Sed acetum ut deinceps edocebit sectione. 38. atrabilarijs non conuenit. Et sectione. 39. magis aduersatur mulieribus q̃ viris, nam vterum dolore afficit. Alia igitur præstat oxymeli mala, q̃ exulcerare intestina. Respondemus, de mediocri oxymelite Hippocratem loqui arbitramur, nam hoc non adeo lædit neruos, neq; adeo tussim excitat, neq; neruosa neq; uterum adeo lædit, vt meracius facit. nam de meraciori intelligimus, quod neruis euidenter obsit, & vtero vti membro neruoso, & pectus mordicet, quod chartilaginosum est, & nerueum. Sed mediocriter acre hoc non facit, vel parum facit, imo Oribasius in. 3. de confectione ciborum ubi docet quæ sint in cibis, quę proijciant & extenuent, & aperiant constipata, inquit oxymeli extenuat omnia quę glutinosa sunt, & pinguia facilius ab alijs educit, vt viscera sine molestia purgat, multum etiam iuuat in thorace & pulmone natas passiones quę fiant ex humorum pinguium congregatione. vnde Hippocratem intellige de oxymelite mediocriter acri, quod solam illam noxam habet, quę digna sit ut scribatur: alię vt scribantur dignę non sunt, nisi in oxymelite ualde acri & quod de aceto dicitur nihil infert, quoniam superius ostensum est oxymeli aquę noxas euitare, aceti noxas, & mellis noxas, vnde per illam particulam quę scribi digna sit, Hippocrates notat omnino alias esse oxymelitis noxas, q̃ prædictam, tamen nulla est quę scribi digna sit preter hanc, quoniam ex ipsa homines in mortem duci possunt: ex alijs non solum non possent, sed neq; offenduntur, nisi sit oxymel valde acre, uel si offendantur, modice offenduntur: dilutum uero oxymeli tanto minus offendet, imo nec intestinorum ramenta faciet.

GALENVS.

Oxymeli mediocriter temperatum, noxas omnes quæ ex mulsa, vino, & aqua emergunt, effugisse paulo ante est demonstratum. Quod si aliquando nocuerit, solum nocet, quòd abradat intestina: idq; facit in his qui imbecillam habent facultatem, & pati idoneum intestinum.

BRASAVOLVS.

Galenus notat superius sectione. 30. ostensum esse oxymeli mediocriter temperatum, omnes noxas quę ex mulsa, vino, & aqua emergunt effugere. verum si oxymeli nonnunquam obsit, id facit, quia intestina abradit, sed hoc in omnibus hominibus non conuenit, nam in his solum abradit qui facultatem habent & vires imbecillas, & qui intestinum habent quod idoneum est facile pati. Id quoq; asserit Oribasius libro. 3. de confectione ciborum, vbi docet, quę sint quę ventrem educant in cibis, inquit, oxymeli autẽ radit quę sunt inferiora intestinorũ. Petes quę sint intestina pati idonea. Respondemus sunt intestina tenuia, & quę humentia sunt, & quę mollitiem habent quia facile abradi possunt, & quę habent tenues tunicas tamen in infernis magis morantur.

Petes etiam quid faciat facultas imbecilla, ut intestina exulcerentur. Respondemus cum imbecilla sit, oxymeli ferre non potest, neque ei repugnat, aut eius acredini, sed cedit, & sinit idonea intestina exulcerari.

Petes quænam facultas intelligi debeat, forte obsistendi sibi contrario.

2. Hippocrates. Sectio XXXV.

Exiguum autem potionis huius nocte quidem & ieiuno ante sorbitionem dare expedit, quanquam & a sorbitione, modo longum intersit tempus, nihil vetet bibere.

BRASAVOLVS.

1. His positis quę de oxymelitis facultate, & de eius noxa dicẽda erant: nunc de tempore quo dari debeat oxymelitis potio, & de potionis quantitate pertractat. vnde inquit, conuenit cũ dari debet hic potus vt in exigua detur quantitate, & noctu, cũ homo ieiunus est ante sorbitionem, quamuis nihil impediat & illum dare post sorbitionem, sed non statim, imo opus est vt longum intersit tempus inter sorbitionem sumptam & oxymelitis potum.

ὀλίγον δὲ τὸ τοιόνδε ποτὸν, νυκτὸς μὲν καὶ νήστει πρὸ ῥοφήματος ἐπιτήδειον πίνειν. i. exiguum autem huius potionis, noctu quidem & ieiuno ante sorbitionem propinare conuenit. Iubet esse dandum exiguum huius potus ante sorbitionem per sorbitionem succi ptisanę acceptionem intelligens, debet ante ptisanam sumi, & in exigua quantitate.

Sed petes cur noctu dandum sit, nam non est maior ratio cur noctu potius dari debeat, q̃ interdiu ante sorbitionem. Respondemus tam noctu prorsus q̃ interdiu ante sorbitionẽ dari posse. Sed ab Hippocrate supponitur in hoc acuto morbo febrem tali hora diei augeri, ut summo mane edere cogatur. Verum succi ptisanę sorbitionem comedit, si oxymeli accipi debeat ante succi acceptionem, necesse est ut noctu oxymeli accipiat, alioqui tempus non haberet per spatium conueniens ante febrem accipiendi succum ptisanę, & ante ptisanę succum accipiendi oxymeli, propterea oportet vt noctu oxymeli sumatur: ut si febris infestaret hora vigesima, opus est vt ante decimãsextam comedat ptisanę succum erunt horę ferè sexdecim, ante sextam decimam horam per aliquod spatium, opus est vt oxymeli bibat. Id autem fieri non poterit in mense decembris, in quo sumus, nisi noctu fiat.

Petes uero per quantum temporis spatium oxymeli, succum ptisanę pręcedere debeat. Respondemus saltem per tres horas. ut à uentriculo descenderit, antequam aliud detur, postea cremor per tantum spatium ante febrem dari debet, ut coctum esse possit in febris aduentu. Sed inquies, cum det oxymeli in exigua quantitate, facile coqui poterit & breui tempore: quare tres horę expectandę non erunt, sed citius dandus erit succus. Respondemus, & si in exigua det quantitate tamen nõ est tam exigua, quin trium horarum spatium exigat.

Sed petes quanta nam debeat esse quantitas. Respondemus debet esse quinque aut sex unciarum, iubet & in primo libro in febre, sectione. 43. dandum esse oxymeli in parua quantitate, ait uero non debere dari plus dimidio, ibi docuimus hoc non esse minus quatuor uel quinque uel sex unciarum. At inquies, igitur prębebitur, ut à nobis in pręsentiarum prębentur syrupi, qui ut plurimum (nisi aliud cogat) in diluculo dantur, & noctu per unam aut duas horas ante diem. Respondemus dari profecto, & ipsum esse syrupum, nam quicquid habet quod nutrire possit est mel, aqua uero & acetum non nutriunt. At datur alterandi gratia aperiendi, deglutinandi, resoluendi, & non gratia nutriendi, nam in his de quibus Hippocrates & Galenus loquuntur nutritio à ptisanę succo accipitur, sed illam ob maiorem nutritionem accipit, hic oxymeli non accipit postea ob nutritionem, sed ut suas in corpore humano exerceat vires aperiendo incidendo resoluendo, & alia quę agere potest agendo.

Petes uero cum oxymeli purum accipitur, & non ptisanę succus, quia febris acutissima est, in quanta quantitate accipi debet. Respondemus & si à Galeno perpetuo dicatur in pauca

quantitate

qua mitate accipiendum esse, tamen maior quantitas esse debet, quam cum pisanæ succo vtitur, vt non minus integra oxymelitis libra pro prandio accipiat, vel hinc inde spargat.

Si vero petas qua hora sumi debeat, an ante diem sicuti hic dicit. Respondemus necessario ante diem sumi non debere, sed in quacunque hora sumi posse, modo febris initium non sit, unde uel ante febrem accipiatur per spatium quatuor horarum vel in augmento, vel & ante febrem & simul in augmento, nō magni refert. In vigore etiam nonnunquam à Galeno datur, verumtamen in sequentibus sententijs & de illo agit. Scitóque cũ Galenus dicit in pauca dari quantitate, de oxymelite meraciore semper intelligi.

ἀτὰρ καὶ ἐκλιπὸν πολὺ μετὰ ῥοφήματος, ἢ οὐδὲν κωλύει πίνειν. i. quanquam & à sorbitione modo longum intersit tēpus, nihil bibere vetet. Ne quis putaret hoc perpetuum esse debere de oxymelitis potu, propterea addit posse etiam bibi post sumptum cremorem, sed opus est vt sit longo tempore post ipsum iam sumptum.

Petes vero quanto tempore. Respondemus si determinatum tempus scire cupias, post sex horas à sorbitionis sumptu sumi poterit, tempus vero secundũ quod ægro conuenit est posteaquam pisanæ succum concoxerit.

Sed petes an simul cum succo pisanæ pro potu dari possit. Respondemus ideo pisanæ succum dici sorbitionem, quia exorbendo sumitur, neque post illam potu indigemus. Sed inquies, si æger sitiret: Respondemus: arbitramur Hippocratem potius aquam propinaturum, quam oxymeli, quoniam oxymeli cum acetum habeat & mel, quæ mordicant & deijcere faciunt, simul pisanæ succum à ventriculo ducunt, & non coquitur, tamen non vererer in prandio uel cœna oxymeli dilutum pro potu præbere, sicuti & mulsa præbetur, & aqua hordei, & aqua decocta, & aqua mulsa, in qua sint cocta saluia & iua. Notáque in primo huius voluminis libro sectione. 22. mulsam dare ante cremorem. Sed hic est alter modus, vt eo loco annotauimus.

Nota vero accipi & post sorbitionem vti syrupus, sicuti ante.

GALENVS.

Vbi facultatem quam habet percurrit, ad rationem temporis quo maxime ipsum quis porrigere debeat, in præsenti peruenit: & potissimum, cum qui oxymelite vti debet, is sorbitionibus alatur. Nempe ubi quis non sorbitionibus, sed potione sola regatur, tempus in illis postea docet. Ait ergo, in sorbitione vtentibus illud duntaxat obseruandum tempus, quo sorbitio ingeri debet. Pisanę autem cremor sorbitio est, qui vt corpus alat roboretque, adsumitur. Ad quæ confert, si nutritionis tēpore, solus in uentre contineatur. Nempe antea didicisti cibos multiplices, & præsertim facultate dissimiles magnam progignere in uentre turbationem. Ob eam igitur causam, non porrigendum oxymeli, nisi cremor concoctus fuerit. Qui si coctus fuerit, licet tum nocte, tum appetente die, ante sorbitionē sumere. Tempus autem inter sorbitionem, oxymelique medium satisfacit, si pisanæ cremor vacuum simul & purum ex ea quæ ab oxymelite facta est abstersione, ventriculum ingrediatur.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus notat Hippocratem nunc ad tempus descēdere, quo quis oxymeli porrigere debeat, & conuenienter posset, posteaquam superius edocuerat, quam facultatem haberet. Sed hoc potissimum docet in eo casu in quo quis oxymelite vti deberet, & pisanæ cremore vtitur vt alatur, uel etiam pisanæ cremore vtatur, quia eo uti debeat, sed simul oxymelite indigeamus, docet quādo eo uti debeamus. deinceps uero edocebit, quomodo quis oxymelite uti debeat qui sorbitione non regatur, sed potionibus, & quo tempore.

Petes quomodo quis uti possit sorbitionibus & oxymelite, cũ uaria sint genera uictus. nam qui pisanę cremore utuntur, oxymelite uti non debent: & qui integra vtuntur pisana, cremore uti non debent. vnde qui his utuntur quæ magis alunt, his vti non debent quæ minus alunt. Cum quis igitur pisanæ cremore vtetur, oxymelite uti non poterit. Respondemus fieri posse quempiam, talem acutum morbum habere, ut succus pisanæ illi competat, qui uires huius usque ad iudicationem seruare potest, in hoc tamen materiæ erunt quæ incisione indigebunt & attenuatione. In hoc casu simul dabitur & oxymeli, non quidem simul dum comedunt, sed simul in hac ægritudine.

Secundo Galenus notat Hippocratē in his qui sorbitione utuntur dixisse, illud solum obseruandum esse. s. tempus quo dari debeat sorbitio. uerum pisanæ cremor sorbitio est, ne quis petere cogatur quid per sorbitionem intelligendum sit. accipitur uero hic cremor ut corpus alat atque roboret. Cremor igitur confert, si nutritionis tempore solus in uentre contineatur. Etenim superius à Galeno dictum est cibos multiplices & pręsertim facultate dissimiles in uentre turbationem magnā progignere. hæc igitur est causa cur non sit oxymeli porrigendũ, nisi cremor concoctus fuerit.

Galenus inquit in sorbitione utentibus id duntaxat obseruandum, tempus quo sorbitio dari debeat. Sed ab Hippocrate hoc fieri non uidetur. nam in his qui sorbitione utuntur, hoc tēpus non docet, sed tempus docet quo debeat accipi potus & non sorbitio. aliud enim est ῥόφημα, aliud πόμα. Respōdemus: & si utatur in utraque parte uocabulo ῥοφήματα, tamen in primo loco cremoris sorbitionem intellige, in secundo oxymelitis sorbitionem quæ est potus. uel ex tempore sumptionis oxymelitis colligit & tempus accipiendi cremorem. nam sicuti oxymeli sumi non debet cremore in uentriculo existente, ita cremor sumi non debet cum oxymeli in uentriculo adfuerit. Petes quonam loco dixerit multiplices cibos & facultate dissimiles in uētriculo turbationem progignere. Respondemus est in primo libro sectione. 18. ubi de pisanæ laudibus agit.

Petes, an si cremor sit concoctus, & nondum exierit uentriculum, oxymeli dari possit. Respondemus cum statim cōcoctus est, statim est extra uentriculum. nam concocta in uentriculo non morantur, tamen si coctum esse poneretur, & nondum exiuisse uentriculum, tibi dico non esse dandum, nisi postquam exiuerit.

Denique Galenus infert si coctus fuerit cremor, tunc licere & nocte & adueniente die ante sorbitionem sumere oxymeli. Notátque Galenus tempus inter sorbitionem & oxymeli medium satisfacere si pisanę cremor uentriculum ingrediatur uacuum & purum simul ab ea quæ ab oxymelite facta est abstersione. fit uero ab oxymelite abstersio trium horarum spatio.

Quod legitur tum appetente die, græce est κατὰ τὴν ὑπιοῦσαν ἡμέραν. i. facta iam die, ut Galenus ostendat & die & noctu dari posse, neque esse necessarium semper noctu dare.

## Hippocrates. Sectio XXXVI.

Qui autem non sorbitionibus sed potione sola vtuntur, his non semper oxymelite vti expedit, præsertimque quod intestina abradantur, fatiscantque & succumbant. Nam cum stercore vidua & destituta sint, vacuæ item venæ, atque ablatæ a melicrato vires, citius inducuntur.

BRASAVOLVS.

Nunc de illis Hippocrates agit qui sola utuntur potione, & non pisanæ cremore: docétque quo tempore hi accipere debeāt oxymeli. Inquit uero, eos qui non utuntur sorbitione, hoc est pisanæ cremore, sed tantum potione, non semper uti debere oxymelite, quoniam illis non semper conuenit, potissimum quod intestina abradit fatiscunt, & succumbunt ex oxymelitis potu. Cum enim intestina stercore uacua sint, & uenæ uacuæ atque fractæ à melicrato uires citius inducuntur.

τοῖσι δὲ ποτῷ μόνῳ διαιτωμένοισιν ἄνευ ῥοφημάτων. i. qui autem in uictu solo potu absque sorbitionibus utuntur. per solũ potum melicrati potum intellige, uel aquæ qui tale genus habent acuti morbi, in quo opus sit tantum bibere uel aquā uel mulsam, uel etiam oxymeli. Sed de oxymelite potissimum intelligi debet.

διὰ τὸ δὴ οὐκ ἐπιτήδειόν ἐστιν ἀεὶ διαπαντὸς χρῆσθαι τούτῳ.i.his ob hoc non est vtile semper uti ipso. Hippocrati non placet in quocunque acuto morbo perpetuum fieri oxymelitis usum,& causam reddit inquiens.

μάλιστα μὲν διὰ ξύσιν ἢ τρηχυσμὸν τοῦ ἐντέρου.i. præsertim uero ob abrasionem & intestinorum exasperationem. nā si in toto morbo oxymelite vtatur,cum hoc genus victus tenuissimum sit,multa excrementa non facit· & cum oxymeli per aluum educat,ob id in intestinis nihil relinquetur, unde fit cerum oxymeli potest melius per intestina uagari, & nihil habet quo misceatur,unde ramēta magis inducit & intestina exasperat,nam acetosa quæ penetrant exasperare solent vnam partem alia magis adstringentia.dicit fieri τρηχυσμὸν ab oxymelite in intestinis.nos interpretati sumus exasperationem,vocabulum egregie perpende,quia ramenta ueluti capilli eo nomine dicuntur.

ἀκόπρων γὰρ ἐόντων μᾶλλον ἂν ἐμποιοίη ταῦτα κενεαγγείης παρεούσης.i.nam cum stercore uacua sint, hæc magis faciunt vasis etiam uacuis. En ratio hic habetur cur intestina abradātur, quia stercore uacua sunt,unde stercoribus non commiscentur, in qua commistione uim amittit excoriantem,& uasa uacua sunt.per uasa uenas ipsas intelligere possumus quæ ob inediā euacuantur.& per uasa intestinorum cauitates intelligere nihil impedit,quæ vacuæ sint,& nihil habeant quod possit oxymelite misceri·nam quanto magis sincerum est, tanto magis intestina corrodit.

ἔπειτα δὲ καὶ τὸ μελίκρητον τῆς ἰσχύος ἀφαιρέοιτ' ἄν.i.postea uero & aqua mulsa priuaretur fortitudine.hic est forte sensus.Cum mulsa aqua ex melle fit & aqua, ratione mellis nutrit,oxymeli uero est aqua mulsa cum aceto.propterea si oxymeli nutrit,nutrit ratione mulsæ in qua est mel. In hoc autem casu in quo oxymeli per totum morbum exhiberetur, intestina abbraduntur & exasperantur,quia uacua sunt,& vasa sunt vacua,postea aqua mulsa & ipsa fortitudine.i.suis uiribus priuatur,cum amplius non nutriat.Si hic sensus arrideat,accipiatur.Copus sensum facit atque fractis ab aqua mulsa uiribus, vt aqua mulsa uires fregerit.ut intelligamus cū hic acceperit mulsæ potū,postea oxymeli sumat,intestina sunt stercore uacua, & uenæ uacuæ,& aqua mulsa uires fregerat.Difficile est diuinari quid Hippocrates intelligat, qui in hac particula satis est obscurus,nisi id intelligat quod sumus interpretati. Galenus huic parti fauere uidetur,quod mulsa nihil auxilij corpori præbuerit. vel intellige dandam esse mulsam,quæ uires roborat,quando oxymeli euacuauerit feces,& intestina ac uasa sint exinanita.vnde innuit hos non debere uti per totum morbum oxymelite,sed solum quo ad intestina sint uacua.

GALENVS. Qui uictus rationem non ex ptisana, sed ex potu solo sibi instituunt,ijs non per totum morbum est conueniens oxymeli,quòd uehementius intestinum ipsum tum nudum, tum humore alio destitutum abradat.Nempe à ptisana quodammodo inungitur ubi eam assumpserint,& cum corpus nihil à mulsa auxilij acceperit. Mulsæ autem auxilium quod corporibus adfert,cum de mulsa ageret,prædixit.

BRASAVOLVS. Galenus notat illis qui uictus rationem non ex ptisana, sed ex potu aliquo sibi instituunt, non esse conueniens per totum morbum oxymeli.Ratio est quia oxymeli uehementius intestinum nudum & humore alio destitutum abradit, nam à ptisana intestina quodammodo inunguntur, quando ptisana sumitur,& quando corpus à mulsa nihil acceperit auxilij. Si vero petas,quod auxilium det mulsa corpori:superius dictum est cum de ipsa sermo habebatur.

Sed inquies non uideri ptisana posse inungere intestina, quia abstersiua est,adstergentia uero non inungunt.Respondemus dicere,quodammodo inungere,non quia uere inungat, & hoc facit illam ad oxymeli comparando·nam oxymeli magis exasperat,ptisana vero est lenis æqualis,& reliqua quæ in primo libro ab Hippocrate dicta sunt, & à Galeno ipso exposita & ampliata.

## Hippocrates. Sectio XXXVII.

Quod si potum hunc, & quidem multum per totum morbi tempus profecturum existimaueris· paulum aceti, tantumque vt duntaxat sentiri possit, infundet: sic enim & iuuabit, & lædens, minimum lædet,& ea quę oportet, præstabit.

BRASAVOLVS. Cum oxymeli incommoda faciat prædicta, aliqui tamen sunt morbi,in quibus dare cōuenit, i quibus aceto indigemus, ut in materia multum crassa, quæ in pulmonis uijs contineatur,hæc incisione indiget & eductione quam mulsa facere non potest,quia siticulosa est.Sed ad hanc materiam extrahendam oxymelite indigemus.Hippocrates vt genus oxymelitis fieri doceat,quod non obsit,iubet sumēdam mulsam, & illi parum aceti addendum,quando oxymelitis potu per totum morbum indigebimus,& multo indigebimus potu,& aceti quantitatem edocet,tantum inquiens,quantum uix sentiri possit. nam hoc modo iuuabit,& quamuis alias læderet, nunc non lædit, imo omnia præstat quæ præstare debet.

ἢν μέντοι ἀρήγειν φαίνηται πρὸς τὴν ξύμπασαν νοῦσον πολλῷ ποτῷ τούτῳ χρῆσθαι.i. quòd si potum hunc, & quidem multum per totum morbi tempus profuturum uidebitur.Hoc de oxymelite intelligendum,si per totum morbum oxymelite uti necessariū uidebimus,quia materia crassa sit & biliosa uel potum multum,ad mulsam qua indigemus cōferre possemus, quia deinceps aceti parum accipiēdum iubet,& mulsæ addendum,tamen magis probamus, ut oxymeli intelligendum sit, quo per totum morbum in aliquo casu indigeamus. Id vero oxymeli dilutum esse debet,ut statim dicet.

ὀλίγον χρὴ τὸ ὄξος παραχέειν.i.parum aceti miscere oportet.Et si petas cui miscendum sit hoc acetum intellige in oxymelite ut sit oxymeli pauci aceti·uel intellige in aqua mulsa ut oxymeli fiat.Superius uero ex Galeno in.4.de sanitate tuenda oxymeli fieri docuimus primo ebullitione facta ex melle & aqua,postea addito aceto & ex aceto præterea ac melle fieri, postea aqua diluto,ac si uinum esset quod dilueretur. Et si petas quantum debeat esse hoc parum acetum· Hippocrates statim respondet,inquiens.

ὅσον μοῦνον γινώσκεσθαι.i.tantum quantum solū deprehendatur ibi inesse. vnde cum gustu sentimus inesse acetum, tunc tantum est in hoc casu,quantum est satis.poterunt esse duo coclearia nostratia in una mulsæ phiala,quæ in pondere sunt duę drachmæ,tātūque addi debet aceti,si acerrimum sit acetum, si non sit tam acre abundantius apponitur,sed gustus is est qui iudicium ferre debet.nam si gustu sentitur acetum,tantum recepit aceti,quantum satis fuit.

οὕτω γὰρ ἂν καὶ ὠφελέοι.i.sic enim & iuuabit, quoniam habebit aceti commoda,nam incidet,attenuabitque,neque illa incommoda habebit,quæ sunt intestina exulcerare, & ramenta facere.Si uero dicas non adeo penetrare ut meracius facit oxymeli,· Respondemus id quidem uerum esse, sed ex longo vsu idem efficiet,nam Galenus in hoc libro supponit oxymelitis usum per totum morbum esse oportere.dices & per totū morbum etiam ramenta inducet.Respondemus non sequi,quia intestina non exulcerat nisi fuerit uehemens, tamen & si non sit uehemens,incidere potest,& attenuare.

καὶ βλάπτοι ἥκιστα ἂν βλάπτοι.i.& lædens minime lædet, hoc est & si lædat,læsio illa est minima,quæ impressionem in intestina facere non poterit,uel & prius lædens quando meracius accipiebatur,nunc diluto accepto minime lædet,quia vehementi caret acuitate.

καὶ ἃ δεῖ ταῦτα προσωφελοίη ἄν.i.& ea quæ utilia sunt præstabit,in his uero casibus utile est,& incidere & attenuare quæ à diluto oxymelite præstabuntur.

GALENVS. Cum sitim quidem mulsa inserat,sputa autem in bronchijs pulmonis contineantur, uel glutinosa uel admodum crassa,

tunc

tūc solo est utēdū oxymelite. Neq; memoria excidat dicta hęc fuisse, cū de ijs ageret, qbus relicta sorbitione potione solus est usus. Si igit, ut dixi, solo vtēdū sit oxymelite, paulū aceti mulsæ infundere cōuenit, ut aceti usu cōmodoq; fruaŕ, & fugiat qđ ab eo est detrimentū. Sed acetū mulsæ cōmixtū excoquere oportet. Nempe hoc pacto ad nocendum infirmius redditur.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat quādo opus sit solo uti oxymelite, cū (inquit) sputa in bronchijs pulmonis fuerīt glutinosa & admodū crassa, tūc mulsa ad illa adducēda nō est apta, sed solo indigemus oxymelite, mulsa.n. sitim inducit potissimū meracior, nec id quicquā ualet, quod dictum sit superius, mulsam emollire pectus & sputa educere, quia id facit in nō ualde crassis neq; glutinosis, in memoriāmq; reducit Galenus hæc dicta esse ab ipso cum de ijs agebat, quibus relicta sorbitione.i. ptisanæ cremore solus est potionis vsus. hoc uero est sectione. 35.

Sed petes an solo oxymelite uti debeamus, cū materia in bronchijs pulmonis crassa est & glutinosa. Respondemus in his potibus de quibus nunc agit Hippocrates, solo oxymelite utendū est, nēpe uinū nō cōuenit quia morbus est acutus, neq; mulsa, qa nō incidit neq; attenuat q̄tū opus est, aqua vero nullo mō cōuenit, ppea relinquiŕ ex his Hippocratis potibus solū oxymeli, ut ab re non erit addere syrupū de hyssopo, aut aliqđ' aliud ex his quę thoracē respiciunt, & uim habent educendi à thorace.

Secūdo Galenus infert si solo sit utendū oxymelite, paulū aceti infundendū esse mulsę, ut aceti usu, ac cōmodo fruaŕ, & oīa incōmoda & detrimenta q̄ induci possent ab aceto, euitemus, tñ Galeno nō placuit, lectorē adeo ambiguū relinquere de huius aceti disputatione an coqui dēat an nō, & siŕ ebulliri cū mulsa, ppea dixit, scito tñ acetū mulsę cōmistum esse decoquēdū, ratioq; est, ut ita ebullitū & excoctū infirmius reddaŕ ad nocēdū. Galenus uelle videŕ, & re uera censet acetū p decoctionē corrigi, & minus obesse posse, ppea iubet in mulsa percoquendū, uerū hoc absurdū videŕ, quia ob nihil aliud acetū in his acutis morbis obest, q̄ ob suā aciditatē, igiŕ quanto magis erit acidū, & quāto magis fiet acre, tāto magis lædet, verū ebullitio acetū reddit acidū, igiŕ illud nocentius reddit, quia quāto acidius, tanto magis aptū nocere, acidius uero reddi ex Galeno apparet in 4. de simpli. medica. facul. vbi monet acetū ex calore fieri acidius, tenuibus vini partibus & dulcioribus euaporantibus, hoc aūt uerū esse duo habenŕ experimēta, quibus acetū cōficiŕ, unū est ex uini mora sub sole ęstiuo tēpore, nā solis calore ebullit, & fit acidius, aliud est ex ebullitione, qm̄ uolētes acetū reddere acidius & breui, igne ebulliunt uinū, & supra acetū inijciūt, uncq; fit acidius, experiētia igiŕ apparet, ob ebullitionē nō reddi infirmius ad nocendū, sed potius reddi ualentius, qm̄ & reddiŕ acidius. Rñdemus si acetū esset imbecille & nō ualde acidum, ex ebullitione profecto fieret acidius, sed in oxymelite opus est accipere acidū acetū, est ergo acidū, cū uero sit acidū maiorē non pōt acquirere aciditatē q̄ habeat, ppea potius remittiŕ, ut à Galeno de melle in. 4. de simpl. medica. facul. diciŕ, quod cū multū ebullit, in suū transit oppositū. i. in amarum, quia illi dulcedinis amplius addi nō pōt, de aceto idē est cū ualde acidū est, illi amplius aciditatis addi nō pōt ppea, ex ebullitione in oppositū trāsit. s. l minus acidū. Adde in hac ebullitione cōmisceri simul acetū cū mulsa uehementius q̄ fuerit, & si aliquę sint flatuosę in aceto partes auferunŕ, ab illoq; uehemēs frigiditas q̄ habet auferetur, ppea cū Galeno dicēdū est, acetū ex ebullitione id prorsus acquirere, ut infirmius obesse possit. Sed iterū ambiges quia in 4. de sanitate tuenda Galenus oxymelitis cōpositionē ponit ex melle & aceto postea iubet hāc cōpositionē aqua tēperādā sicuti uinū aqua tēperaŕ, tñ de cocta aqua uel cruda nullā mētionē facit, igiŕ & hac in cōpositione, q̄ est mulsę ex melle & aqua in qua postea addit acetū, nō uidereŕ esse cōsiderādū an acetū coctū sit uel crudū. Rñdemus imo & si de aqua non referat an cocta uel cruda sumēda sit pro oxymelitis tēperie, tñ coctā accipiēdā esse cēsemus, uel coquēdā, postq̄ fuerit oxymeliti mista, de illa uero aceti coctura quanta esse debeat, quando acetum in mulsam iam factam misces, Galenus regulam dare videtur in. 4. de sanitate tuenda, ubi prius ponit mulsæ compositionē ex quatuor partibus aquæ & una mellis, quæ ebullire dimittantur usq; ad perfectā spumæ detractionē, postea addit dimidiū aceti, & percoqui simt, donec qualitatū oīno sit unitas, nec acetum crudum etiā apparet, hoc uero gustu persentitur.

## Hippocrates. Sectio XXXVIII.

Vt autem in summa dicatur, quæ ab aceto est acredo, picrocholis magis q̄ melancholicis prodest: amara siquidem dissoluuntur, desciscuntq; in pituitam cum ab aceto in sublime attolluntur· nigra autē fermentantur, attolluntur & multiplicantur: nēpe atra educit acetū.

BRASAVOLVS. Cum de aceto mentionem fecerit Hippocrates uolens aceti parū esse mulsæ aquę miscēdum· nunc de aceto nōnihil agit, id cōsiderans ut naturis diuersis applicatur. ait uero, vt de aceto in summa & breui quicquid mihi uidetur dicēdum, explicem, acredo quæ ab aceto est, magis prodest picrocholis q̄ melancholicis: nam amara dissoluuntur, & in pituitam desciscunt, cū ab aceto in sublime tolluntur· at bilis nigra & fermentatur & attollitur & multiplicatur: nam acetum educit atra.

ἐν κεφαλαίῳ δὲ ὧδ' εἰρῆσθαι.i. in summa uero dicere oportet, & rem ipsam breui pertractare, quoniam non est hic locus de aceto pertractandi, sed de eo incidenter tantum loquar, unde breuissime me explicabo.

αἱ ἀπὸ ὄξεος ὀξύτητες πικροχόλοισι μᾶλλον, ἢ μελαγχολικοῖσι συμφέρουσι.i. quæ ab aceto est acredo picrocholis magis, q̄ atrabilarijs confert. atra bilis frigida est & sicca, acetum frigidū & siccum, propterea his obest, quia intemperiem auget· sed picrocholi sunt calidi, acetum frigidum, his propterea conuenit.

Petes an sit alia acredo q̄ ab aceto. Rñdemus multa alia esse acria præter acetū, imo Galenus in. 4. de simpl. medica. facul. cap. 17. acria ponit acetosa, amara, & q̄ feruētē habēt gustū, vt piper & alleū, inquiēs, acredo quę ab aceto, ex hoc distinguens acredines alias Hippocrates & illā feruētē, & illā amaram, ab acredine acetosā & amara, & feruida atrabilarijs forte conueniūt, nūq̄ vero picrocholis· at aceti acredo picrocholis ꝯuenit & nō atrabilarijs. uel interpretemur uocabulū ὀξύτητες aciditates. Cur dixit conferre magis picrocholis q̄ atrabilarijs· & nō dixit picrocholis conferre, & obesse atrabilarijs? Respondemus quia nonnunquam posset & atrabilarijs conferre, quando est atra bilis ex adustione bilis. Tamen acredo & aceti & rerum amararum à Galeno acredo ęquiuoce nuncupatur, quia illa sola censet & proprie & uere esse acria quæ calidissima sunt, & præcitato. 4. de simplicium medicamentorum facultatibus libro omnia acria propria esse calidissima suadet.

Forte dices cū unaquęq; tēperies suo simili cōseruetur, & acetum sit frigidū & siccū ut est atra bilis, uideb. ŕ atram bilē potius iuuari ab aceto, q̄ iuuetur bilis. Rñdemus totū esse uerum, quia atra bilis aceto augeŕ, & ipsum facile in atrā bilē cōuertiŕ, ppea atræ bili confert, bili uero nō confert, quia illam destruit. Sed inquies cum atra bilis sit crassa, nam est crassius humor, & acetum uim habeat attenuandi, igitur cōueniet. Respondemus ratione crassitiei cōuenire. at nō cōuenire, quia atrā bilē auget, & magis infrigidat, q̄ sit, reddítq; illam coctioni ineptam, conuenit in qualitatibus, & in sapore cum atra bile acetum.

Dubitabis præterea de picrocholis, quia sunt calidi & sicci, si acetum prosit ratione frigiditatis, obest ratione siccitatis, igitur penitus nō cōueniet. Respondemus, si solū daretur, nō penitus cōuenire, sed cū aqua datur & melle in cōpositione oxymelitis de qua superius dictū est. Adde tantā esse aceti frigiditatem, ut magis prosit infrigidando bilem, q̄ obesse possit exiccādo, pręsertim cum sit actiua qualitas frigiditas, & siccitas passiua.

τὰ γὰρ πικρὰ διαλύεται, καὶ φλεγματοῦται μετεωριζόμενα ὑπ' αὐτοῦ.i. amara quidem ab ipso dissoluuntur, & in sublime eleuata in pituitam uertuntur.

Sed hic ambiguitas oritur non despicienda, de qua nonnihil agere decreuimus, sed breui, cū de ipsa in secundo libro uber-

tim pertractatum sit. Est uero ambiguitas de bile, quomodo in pituitam verti possit, quia quod semel coctum, crudum amplius reddi non potest, tamen minus id crudum redire poterit quod uehementiorē habet coctionē & abundantiorē, qualē habet bilis: igitur absurdū uidet bilem posse ab aceto uel ab alio quocunq; in pituitā conuerti, & exualde cocta reddi crudam. Respondemus in secundi libri huius uoluminis expositione, in ambiguitate quadā ad hoc propositū dicebamus hic nō intelligere Hippocratē bilē uere pituitā effici, sed quod infrigidat. nā simul cū bile miscetur, & suā illā acrē remittit caliditatem, & si acetum multiplicet, hoc est frequētius detur, tātū aget, ut frigiditatem in hoc corpus in quo erit miscella bilis cū aceto inducet. Nā si Hippocrates simpliciter intelligeret, ut uerba innuūt, absurdū prorsus esset ob acetū uel ob aliud quodcūq; bilem in pituitā uerti posse, & crudā reddi. Opus est ergo intelligere de remissione caloris, & in aliquam frigiditatem reductione.

Nōnunquā mihi menti uenit hunc locū ita interpretari, acetum ueluti id qđ est tenuiū partiū p bilis corpus penetrare, & ebullire facere atq; eleuare in sublime ipsum in uapores & accēdere, ut id uerbū φλεγματοῦται, nō in pituitā uerti significet, sed inflāmari, & post inflāmationē cōsumi, sicuti calx aqua accēdit, & sicuti ignes ex siccis uaporib⁹ i aere accēdunt. si hęc sola placeat recipiat, sin minus cū nullo digladiari uoluerim, sed potius cōcedā uersionē in pituitā signari & tūc intelligi bilē fieri pituitā hoc est caliditatē remittere ex aceti miscella, & frigidā fieri.

τὰ δὲ μέλανα ζυμοῦται καὶ μετεωρίζεται, καὶ πολλαπλασιοῦται. i. nigra aūt fermentant, & attollunt, & multiplicātur. Hoc loco per fermētari uires colligere intellige & perfici. nam acetū bilē atrā perficit, quia siccitatē illi & frigiditatē maiorē impartit, q; hēat, uel saltē in illa quā habēt cōfirmant, & eleuant, qm̄ quę fermētant eleuant, & dilatant, & multiplicant, quia & ipsum acetū atrabilis efficit, quare atrā bilē auget & perficit, & acetū fermētat, bilē uero deijcit, illāq; cōsumit, eiūsq; calorē mitigat & extinguit, ἀναγωγὸν γὰρ μελάνων ὄξος. i. nā acetū nigra educit. Sed re uera acetū potius inter illa numerat quæ sistunt, nō inter illa quæ educunt, nam Galenus primo de alimē. facultati. in calce ferè præfationis ubi docet parandū, τευτλοφακῆν. i. edulū ex beta & lente, docetq; qūo magis subducat, & qūo minus. Cō minus subducere volueris bis decoquēdō aqua videlicet priore effusa, deinde salis aut gari portiuncula addita, aliquod eorū quæ aluū modice sistunt iniecto, pōta acetū ea mensura ut gustū nō offendat, acetū igitur hinc adstringere, sed modice colligit, & in. 2. lib. ubi de cydonijs loquit & struthiomelis & de suo medicamēto mentionē facit, quod ijs qui deiectam habēt appetentiā cōparat, dicit hoc medicamētū debere habere vim adstringentē, & in illo addit acetū, quod indicium est & acetū adstringere, cōfectionē uero hanc iterū refert in calce lib. 6. de sanitate tuenda, & in ea ponit acetū, tāquā id quod est modice adstringens, aluūq; sistere exēplo probat à Celio Aureliano Siccensi lib. 2. chronion cap. 13. ubi ait, Itē quod fluorē non prouocet demonstrandū nō est, si quidē sit manifestū in externis corporibus uulneribus cōstitutis necessario fecisse densitatē, & propterea cōducibilis & glutinantis uirtutis fuerit approbatū, propterea dici nō pōt atrā bilē educere, tū oēs græci codices quos uiderim, legunt ἀναγωγὸν esse τῶν μελάνων ὄξος. i. eductiuū nigrorū humorū acetū. Copus aliū gręcū codicē habuit, q; hi sint qui publice impressi sunt, unde ipse uertit, nā acetum atram bilē parat, & hoc uerū est, & cū Hippocratis sntīa cōcors quæ dicit fermentare, attollere, & multiplicare, ut hoc sit illius ratio: nigra aceto fermentant, attollunt, & multiplicant, qa acetū atrā bilē parit, nā sua frigiditate, & siccitate humores exiccat, & infrigidat ut atra bilis euadāt, nempe cum frigidi sunt & sicci atra bilis effecti sunt, in. 1. Methodi Galenus adducit hanc sententiam, tamen nō addit hæc ultima uerba, id solū refert quod confert picrocholis, aduersatur atrabilarijs.

At duæ occurrunt ambiguitates, prima quia lienis affectiones ut plurimū sunt melancholicæ, tamen medicamenta quæ lieni apponunt acetū ferè semper recipiunt, imo nisi acetum receperint, cōuenire nō uident, secūda difficultas, quia Mesue qui est author prorsus nō despiciendus in syrupo acetoso simplici, laudat hunc syrupum cōtra materias melancholicas, igitur respōdemus acetū rōne suarū qualitatū penitus nō cōuenire, sed tātū cōuenire penetrationis rōne, & rōne qua alia penetrare facit, q̄ sunt cōueniētia bili atræ medicamenta, & rōne qua incidit, vnde in lienis inunctionibus acetū semper poni debet, tū quia oīa alia simul mista penetrare facit, tū qa uisceris crassitiē incidit, & cū Mesue dicit ad bilē atrā valere, nisi valeat rōne penetrationis & adductionis aliorū medicamentorū ad locū, & rōne incisionis illū dimittemus ueluti eū qui de aceto in atra bile falsum enunciarit. si uero ut nos intelligat, cū eo sumus, nec in quoquā dissentimus, nā acetū atrā bilē auget, Galeni sentētia est atram bilem in terrā deiectam efferuescere, ita Plinius lib. 23. cap. 1. de aceto inquit, ita fit vt infusum terræ spumet.

De eductione uero atræ bilis ab aceto dicamus potius legendū esse, acetū nigra parere, q; nigra educere, ita habuit (ut dictū est) suis in græcis codicibus Copus, & ita habuere qui antiquitus interpretati sunt, licet barbare id dicant, nam inquiunt, quia acetum adiuuat ad generationem melancholiæ.

GALENVS. Picrocholas naturas appellat Hippocrates, quæ amarū sibi cōtraxerunt succū: cuius generis est bilis flaua. his idoneū esse ait acetū, quod melancholicis aduersissimū existit. Nā & bilem nigrā acidam esse cōtingit, cū. s. præter naturā habente corpore, & sincera, & impermixta fuerit. Nempe cū recte ualet, plurimū quidē prædictæ habet qualitatis, nō tamen exquisitam ipsam. Reliqua dictionis manifesta sunt. Docet si quidem in ea quonā pacto acetū picrocholis, qui in tēperamento calido cęteros uincunt, adiumento sit, utpote quòd frigidum sit.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat Hippocratem naturas uocasse picrocholas, quæ succū amarū cōtraxere, ut est flaua bilis, quibus inquit acetū esse idoneum, quod melancholicis aduersissimū est, quoniam & bilis nigra est acida, hoc uero intellige non simpliciter, sed cum corpus præter naturam se habet, & hæc atra bilis & sincera fuerit, & impermista aquosæ humiditati, nam cū homo recte se habet, bilis atra multū omnino habet acidę qualitatis, sed exquisitam non habet aciditatem.

Sed ambiges cū Galen. exponit quinā sint succi amari dicit cuius generis est bilis flaua, ergo erūt alij succi amari in humano corpore à bile flaua. Rñdemus pōt esse bilis pallida, bilis uitellina, & bilis illa q̄ est in fellis uesica, quę amarissima est, neq; est in suo corpore, sed in uesica illa à natura seruatur ob suos usus. Cum superius dixerimus bilis atræ saporem non esse semper acidum, sed nonnullis aciditatem referre, alijs ponticitatē quandam, alijs alium saporem, & inferebamus quencunq; saporem qui frigiditatem sequitur, & siccitatem atrę bilis esse saporem: Huic nostræ sententiæ, Galenus hic fauere uidetur, quia primo inquit contingere bilem nigram esse acidam, postea censet tantum esse acidam cum est præter naturam in corpore, & quando fuerit sincera, & aquosæ humiditati impermista, & quòd cū homo recte se habet, plurimum habebit qualitatis acidæ, tamen non erit perfecte acida.

Scito uocare picrocholis nō simpliciter biliosos, neq; simpliciter naturas biliosas uocat picrocholas, sed illas tātum quę succum sibi amarum cōtraxere: est uero quid amplius succum sibi amarū cōtraxisse, q; esse biliosum, nā biliosi solū hi sunt q tēperiē habēt biliosam, sed picrocholi, sunt, nō enī biliosi, sed & illi q aliquo in loco bilē aceruarunt, et si sint pituitosi, uerūtamen biliosis simpliciter acetū cōuenit, melancholicis uero aduersat. Secundo Galenus notat, reliqua quæ in hac sententia scripta sunt, esse manifesta. ac optimum fuisset si vltimam sententiæ partem quæ ambiguitatem facit exposuisset, breuibus uero totius huius sententiæ summam refert inquiens Hippocratē edocere quonam pacto acetum picrocholis qui in temperamento calido cæteros uincunt, sit adiumento, censetq; ea ratione esse adiumento, quia acetum frigidum est.

## Hippocrates. Sectio XXXIX.

Mulieribus autem longe magis q; viris aduersatur acetum. Nam vterum dolore afficit.

Cum

BRASAVOLVS. Cum edocuerit quibus conueniat, & quibus non acetum, nunc ad mulieres descendit, notans acetum mulieribus longe magis q̃ uiris esse aduersum, quoniam vterum sua frigiditate, & penetratione dolore afficit.

γυναιξὶ δὲ τὸ ἐπίπαν πολεμιώτατον, ἢ ἀνδράσιν ὄξος. i. mulieribus uero longe magis q̃ viris aduersatur acetum.

ὑστεραλγὲς γάρ ἐστι. i. nam uterum dolore afficit. Ratio ob quam mulieribus magis officit ab Hippocrate refertur, quia uterum dolore afficit. Sed & mulieres sunt frigidæ temperatura, acetum frigidum iccirco frigiditatem auget.

At dices mulieres esse humidas, acetum uero siccum, imo Galenus acetum in 3. ordine exiccantium reponit, mulieribus igitur conueniet, potissimum cum humoribus abundent pituitosis crassis glutinosis qui attenuatione indigent, & incisione, ac abstersione. Respondemus & si forte ipsarum humiditati prodesse posset, tamen sua obest frigiditate, quoniam & ipsæ frigidæ sunt, & vtero obest vtpote membro frigido & sicco.

GALENVS. Q uòd acetum suapte natura neruos offendat, testatur experimentum, & ratio demonstrat: nempe exangues sunt, & ideo frigidi, facileq; ab his quæ refrigerant simul & tenues habent partes, afficiuntur medicamentis. Læduntur præterea & à reliquis refrigerantibus omnibus: sed substantia aceti quod tenuium est partium in eorum mergitur profundum, atq; in omnes ita irrumpit partes, ut ne minimum quidem ex eis illæsum maneat. Sic igitur acetum neruosas offendit partes. Vterum autẽ anatomici ferè omnes neruosum esse dicunt. Verum & absq; eorum adnotatione, quam ex anatomica inspectione fecerunt, poteris & tu de ea ratiocinatione colligere. Nempe ad maximã laxatur molem, & ad minimam contrahitur. Quantus etenim foetus fuerit, tantum ipsum perpetuo circulariter ambit impletúrq; spatium omne ab eo, etiam si foetus paruus fuerit, uel magnus, ueluti uenter à cibis. Sed uentris non magna est ad contraria permutatio. uteri autem maxime. Plurimum autem dilatari, laxariq; neruosorum proprium est corporum, & non carnosorum.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat experimentum testari acetum suapte natura neruos lædere, ratioq; postea demonstrat, nam nerui exangues sunt, & ideo frigidi sunt, unde facile à refrigerantibus & simul habentibus tenues partes medicamentis afficiuntur, imo in uniuersum ab omnibus refrigerantibus læduntur, tamẽ ab aceto magis læduntur, quia aceti substantia cũ sit tenuium partium in profundum neruorum mergitur, atq; in omnes neruorum partes ita diffunditur vt ne pars eius minima illæsa permaneat, ita igitur acetum neruosas partes offendit.

Secundo Galenus notat omnes ferè anatomicos dixisse vterũ esse neruosum, tamen & absq; anatomicorũ adnotatione quã ex dissectione fecerunt & inspectione anatomica, tu idem per ratiocinium hoc colligere poteris. Vterus ad maximã molem laxatur, & ad minimam constringitur molem, igitur neruosus est, hoc cõsequi manifestum est, quia neruosorum partium dilatari & laxari proprium est. antecedens experientia apparet, nam quantus est foetus, tantũ uterus perpetuo circulariter dilatatur, & totum uteri spatium à foetu impletur sit vel paruus, uel magnus, sicuti & uentriculus ipse à cibis dilatatur, & constringitur, tamen in utero & uentriculo in hac dilatatione differentia est, quoniam in uentriculo non fit magna dilatatio, nec magna permutatio ad contraria, sed bene fit in utero. Et si dicas uideri & carnem dilatari, quoniam si manu capimus, dilatatur. Respondemus nullum esse conceptaculum carneũ, sed omnia esse neruea, propterea dici non posse dilatari & carnem quamuis forte trahatur, ut si quis manu carnẽ trahat. Et si adducas conceptacula renum & cordis. Respondemus habere chartilagines & pelliculas supra carnem, hócq; adde quę à Galeno dicuntur in primo commentario in sextum Epidemiorũ sectione secunda scilicet carnosa membra & pinguia non distendi neq; contrahi.

Q uod uero dicit de vẽtriculo qui nõ dilatet, & uterus, cõsidera lurcones & potatores in quibus & ventriculus mire dilataẽ,

## Hippocrates. Sectio XL.

Aqua quæ in acutis bibitur morbis, nullum sane aliud habeo quod illi concedam officium. Neq; enim in peripneumonicis tussim sedat, neq; sputum educit, imo cæteris minus, si quis aquæ potione prorsus vtatur. Verum si inter oxymeli & mulsam paulum aquæ instilletur, ob qualitatis potionum transmutationem sputum educit. Nempe intus inundationem parit. Alias neq; sitim sedat, sed amarescit. Nempe ei qui suapte natura biliosus existit, ea est biliosa, hypochondrio præterea est infesta, malaq;, atq; etiam pessima, biliosissimaq;, & uirium maxima labefactatio, vbi in vacuitatem venerit. Adde q; lienem auget, iecurq;, vbi phlegmone obsidetur, fluctuatq;, & innatat. Tarde siquidem meat, q; frigida & incoctibilis sit, neque aluum deijcit, neq; vrinas mouet. Atque ex eo quoq; nocua est, q; stercoris suapte natura expers sit. Quam si pedibus frigentibus aliquando quis biberit, ea his omnibus multo magis nocebit, ad quoduis eorum venerit.

BRASAVOLVS. Hippocrates ad quartum accedit quod in huius libri fronte tractandũ spoponderat, erat vero aqua. De aqua igitur agit, eiusq; proprietates, utilitates, ac noxas refert, inquiens nullũ sanè ipsum habere officiũ, quod aquæ cõcedat quæ in acutis bibitur morbis. nã in peripneumonicis sitim nõ sedat, neq; sputũ educit, imo si quis prorsus aquę potione utatur, cęteris potibus minus sputũ educit, educet uero sputũ si inter oxymeli & mulsam paulũ aquę instilletur, hócq; fit ob transmutationẽ qualitatis potionũ, in corpore recepta sola aqua inundationẽ parit, neque sitim sedat, si non fuerit iuncta oxymelio, aut mulsæ, imo amarescit. Et quod verũ sit, si quis natura biliosus sit, & aquã purã bibat, & ipsa biliosa est. Adde esse pessimam hypochondrijs & infestissimã, & biliosissima est, & maxime uires labefactat, si in uacuũ deuenerit nostri corporis locũ. Adde lienẽ in tumorẽ augere, & iecur, qñ phlegmone obsidebunẽ, & quispiã aquã potant, fluctuatq; & innatat. Tarde ẽt per uias meat. idq; facit, qm̃ & frigida & incoctibilis sit, neq; aluũ deijcit, neq; vrinas prouocat. Imo adde ex eo esse nocuã, qm̃ suapte natura est stercoris expers. Notatq; hoc mirũ, si quis frigẽtibus pedibus nõ nunquã aquã biberit, tũc ea his oĩbus multo magis nocebit, ad quoduis eorũ uenerit. hę sunt aquę dotes & iniurię, nã potius uidetur aquã damnare q̃ probare in hac sñia Hippocrates, hi reliquis ad quid ualeat explicabit. At breui Hippocratis sentẽtia relata, priusquã ad particularẽ huius sentẽtię partiũ cõsiderationẽ deueniamus, nõnulla de aqua in genere edocere tẽtabimus, ut aquam illam eliciamus de qua Hippocrates locutus est.

### De Aqua.

Vt aquam illam de qua Hippocrates agit, inueniamus, ab re nõ erit aquę differentias percurrere, & omnes ad unã enumerare. De aqua uero loquor quę unũ est elementum, de qua ita agit Galenus in libro sibi adscripto de renum affectuũ dignotione & medicatione: Aqua tã sanis q̃ ægrotantibus commune solatiũ est, & maximopere necessaria, q; mũdanorũ & singularium elementorum hoc unum sit, ex quibus vniuersa tota nostri corporis constitutio est conflata. & primo de simplicium medicamentorum facultatibus lib. cap. 4. de aqua ita ait: Esto sanè prima nobis in contemplatione proposita aqua, quod nimirum ea communissima hominibus omnibus sit tam sanis q̃ ægrotis, & ad uitam maxime necessaria. De aqua ista

intelligit Hippocrates quam, si exquisite perpendere uoluerimus, multas aquæ differentias contemplari opus erit, quarum una à sensibus sumetur, alia ex pondere & leuitate. Tertia ex conuersione, ut ex glacie & niue. Quarta ab actiuis qualitatibus & passiuis. Quinta ex suo motu, Sexta à loco à quo fluit. Septima à loco per quem fluit. Octauo à loco ad quem fluit. Nono ex his quę aquę extrinsecus contingunt, ut est cito vel tarde calefieri, uel infrigidari. Decimo à loco in quo est. vt puteus, stagnum, aer in quo pluuia. Vndecimo ex substantia quia crassa uel tenuis. sed Aetius lib. 2. cap. 175. qui de aquis non tã ampla tractauit, ac earum differentijs, ponit aquarum quę bibuntur, quinq; differentias, hę uero sunt pluuialis, fontana, putealis, fluuialis, & ex stagnis. At nos distinctiones nostras sequamur & considerationes, in quibus hæc quæ ab Aetio dicuntur, intersersa erunt.

Ab his differentijs quæ à sensu sumuntur exordiamur. Cum uero quinq; sint humani sensus, nos ex omni sensu aquam probari suadebimus, quanquam Galenus & alij authores ex tribus solum, aquæ sinceritatem probasse videantur, nam in libello de renum affectuum dignotione & medicatione inquit aquam purissimam tribus sensibus iudicari, gustu, uisu, olfactu, & in libello de ptisana ait probatissimam aquam tũ substantia, tum gustu, tum odore, tum colore discernitur. Galenum in his tribus sensibus pro discernẽdis aquis Gręci omnes & Arabes secuti sunt. At nos in omni sensu aquæ differentias inueniri ostendemus, & primo à gustu exordiamur, in quo potissimum probat aquas Hippocrates, nam in principio libelli de aere, aquis & locis, aquas probat gustu, pondere, ac statione, itaq; differre inquit, multi probarunt aquam dulcem, propterea dulcem aquam omnium optimam fatentur, qui longe decipiuntur, quoniam dulcem intellexerint ad differentiam salsæ, aut acidæ aut acris, absurdum est uocare aquam dulcem, sed neq; est insipida, ut nos solemus insipidum inter sapores numerare, & aliquid in esse ponit. At aqua debet esse insipida. i. nullum penitus habens saporem, quoniam cum saporem habet, iam est improbanda, unde Galenus in libello de ptisana, iubet aquam è gustu probandam esse, ut nullam habeat exoticam qualitatem, non sit dulcis, non salsa, non acida, non acris, & in secundo de alimentorum facultatibus, vbi de fructibus agit fugacibus, inquit aquam optimam nullam habere sensibilem saporis qualitatem, & in primo de sanitate tuenda aquam probat quæ nullam habet gustus qualitatem, & in libro de renum affectuum dignotione & curatione, si Galeni sit, gustu probat aquam si nullam planè qualitatem præ se ferat, sed videatur ab omni qualitate immunis. Et si dicas quandoq; comparatum esse à Galeno uinum album aquę in colore & sapore. Respondemus in sapore non esse factam comparationem, & si facta esset, intelligeret proculdubio, sicuti aqua saporem non habet, ita nec uinum istud. Gustu igitur aqua probatur, quæ nullum habet saporem, sed omnes percipere parata est. hoc sequuntur Plinius, Paulus, Aetius, & omnes alij probi authores, adestq; illa pulcherrima apud Plinium sententia libro. 15. capite. 27. sentiri quidem aquæ saporem ullum, succumue uitium est, & hæc contra salsas distinguitur aquas, quales sunt illæ, quæ supra nitrum transeunt, contra dulces, contra amaras, & acres, ac acidas, de quibus postea agemus, cum differentiam à transitu referemus, Galenus censet has non esse simplices aquas, sed iam esse compositas in primo de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 4. ubi inquit bituminosam, sulfuream, nitrosam, aluminosam, non esse puras aquas, sed esse, ut situ potabili aquæ, aut salem, aut alumen, aut aliquid tale miscueris, non est amplius illa simplex aqua, sed iam transit in compositam, hæc est igitur à sapore differentia, quæ à gustu sumitur, tamen si apud authores reperiatur nonnunquam dulcis aquę mentionem esse factam, & aquam simplicem ac sinceram intelligant, illam dulcem vocant ad falsæ differentiam, & aliarum alios sapores habentium, non quòd vere sit dulcis, propterea quòd à Dioscoride dicitur aquam debere esse dulcẽ sapore, intelligendũ est, nõ debere esse salsam, neq; amarã, neq; acrẽ, vt tu ipse huius rei iudex esse potes. Sicuti in libello de renum affectuum dignotione & curatione, vult in dolore renum, qui perseueret eos vti lotionibus aquarum dulcium, eas intelligens quę nullum habent saporem, salsis contradistinctas & acidis ac reliquis saporem habentibus, & in. 2. Methodi ubi de his agit qui squalenti corpore sine putredine febricitant, inquit dulcis aquę balneum conuenire, per dulcem aquã, hanc intelligens quæ nullum habet saporem, ut intelligenti constat.

Sed quid opus est hoc suadere, cum apud omnes authores, hæ dulces aquę uocentur, contra salsas potissimum distinctę? De differentia ex odore accepta nunc loquamur, illa quę sincera est, nullum habet odorem si sincera sit. Vnde Galenus in libro de ptisana sibi attributo ait, non debere esse perfectam aquam, grauiter olentem, vel putrem, & in libello de Renum affectuum dignotione & curatione censet sincerã esse in odore aquam, erunt igitur illę pessimę aquę quas damnat in primo methodi medendi libro, quę sunt odoris sulphurei, vel bituminis, vel nitri, vel aluminis, & in libro de capitis vulneribus Hippocrates vocat ipsas nocentes & prauas, & re vera, vt inquit Galenus pręcitato loco, sunt aquę compositę non simplices, Plinius & ipse probat aquam, quę omni odore careat lib. 15. cap. 27. & quinto capite primi de simplicium medicamentorum facultatibus aquam censet tribus sensibus iudicandã, uisu, gustu, odoratu. In aquarum igitur discrimine vna est differentia quę ab odore sumitur.

A' visu vero iudicatur aqua sincera apud Galenum in libro de ptisana, quę sit pellucida, pura, minime coenosa, sed veluti exquisite colata, frustillorumq; innatantium expers, & in primo de simplicium medicamentorum facultatibus capite quinto aquam visu probat quę sincera sit ac planè pellucida & in libro de renum affectuum curatione, & dignotione illam visu iudicat si sincera sit, & exquisite clara, reliquę turbulentę, nigrę, crocee coerulee à Galeno damnantur in primo de simplicium medicamentorum facultatibus. hęc igitur est alia differentia à colore sumpta. Aquam prędictis tribus sensibus Galenus semper iudicauit, an syncera esset vel non sincera, Paulus libro primo, cap. 50. aquam videtur ex gustu solum & olfactu probare, postea vero addit intuentibus videri debere limpidissimam, Oribasius, pręterea libro Emporiston, vbi prope libri calcem de aquarum qualitatibus loquitur, & in gustu & in odore, & in potu suauis sit, & in uisu munda & pellucida, ut ex his tribus Oribasium probare aquam deprehendi possit, & deniq; Aetius ac reliqui Gręci & Arabes in hoc consentiunt ac conspirant. Ex tactu possunt esse tales aquarum differentię ut alię sint frigidę, alię calidę, alię humidę, alię siccę, quanquam & hę differentię sub illa sint differẽtia quę est penes actiuas aquarum qualitates & passiuas, aqua pura & simplex à Galeno probatur frigida, primo de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 4. & eodem loco aquarum calidarum meminit, probatq; Galenus cap. 6. eiusdẽ libri demonstratiue, aquã frigefacere, ex effectu cerati ex aqua confecti, de humiditate. 7. eiusdem libri capite agit, in quo loco & de aqua tractat exiccante, qualia illa quę Albula in Italia uocatur, ut sunt thermarum aquę. At quispiam dicere posset siccitatem tactu nõ sentiri, sed ab effectu iudicari, caliditatem uero, frigiditatem, humiditatemq; tactu percipi, hoc profecto uerum est, tamen potest quodammodo & tactu iudicari, imo cum durities tactu iudicetur, quispiam in aqua duritiem tactu iudicari posse dicet, cum Galenus in. 3. de differentijs pulsuum aquam duram uocauerit. Respondemus omnino eo loco circa libri calcem aquam duram uocasse, sed id fecit per metaphoram, nam inquit uocari uinum durum, cum forti sit qualitate, & uiolenter pungat, uel caput, uel sensum gustatorem, inde aquam duram, quę non facile concoquitur, tardeque in corpus permeat, & diutissime secundum pręcordia subsidet. ut uideas hoc dici per metaphoram & non proprie. Mollis & durę aquę mentionem fecit

Hippocrates

Hippocrates in principio libelli de aere, aquis & locis. Verum & in aqua potest hæc differentia inueniri, quę tactu percipitur molle & asperum, sunt aquę aliquæ molles tactu, aliquæ asperę tactu, propterea ex tactu ut deprehendi potest, multæ sumi possunt aquarum differentię, & quæ erunt apprime distinctę, ut & crassum & tenue, quę uisu etiam percipiuntur. Alicui forte mirum uidebitur quomodo possint aquarum sumi differentię, sed huic admiratio cesset, cũ auditus iudicet an aqua sit prope fontes, an longius à fontibus, an sint crassę, an tenues vt in terram decidunt, an copiosæ, an paucę, an in loco lato an arcto, aquę probantur à fontibus longius tenues copiosę, oppositę damnantur. Secunda aquarum differentia à grauitate sumitur & leuitate, & secundum hanc aquę probantur, ac reprehenduntur, leuissimam aquam omnes ferè probãt. De aqua Hippocrates non solum id censuit, sed & quinto aphorismorum leuissimam aquam cito calefieri monuit, & calefactam rursum refrigefieri, scióq; absurdum esse intelligere aquam leuissimã & grauissimam quo ad pondus, quoniam si ex diuersis aquarum generibus quarum aliquæ sint tenuissimę & lympidissimę, alię sint crassiores, semper eadem mensura est in eodem pondere, sed ob hoc Galenus in libello de ptisana (his prætermissis quę in aphorismis dicit) ait porro non pondere leuem diiudicat, uerum, quę tenuium sit partium, nec grauatim contrariam admittat qualitatem, & Plinius libro. 31. cap. 3. inquit aquas nullo momento ponderis inter se distare, & deinceps quidam statera iudicant de salubritate frustrante diligẽtia, quãdo per rarum est ut leuior sit aliqua. Celsus lib. 2. cap. 23. leuissimam aquam pluuialem iudicat, Aetius & ipse ex Ruffo pluuialem leuissimam esse indicauit lib. 1. cap. 175. Tertia distinctio, quę ex conuersione est, aliquę sunt aquę ex glacie, aliquæ ex niuibus. Celsus prę citato loco aquas ex niue & glacie ĩ quinto leuitatis gradu ponit, qui gradus iam accedit ad grauitatem. Paulus lib. 1. cap. 50. ex glacie, & niue aquas reprehendit, inquiẽs, Glaciales uero, niualesq; omnium vitiosissima habetur; quod aquarum congelatione omnes tenuissimę partes exprimuntur. Oribasius in primo Euporiston prope libri calcem de aquis è gelu & niue inquit, nam in hyeme ubi glacies & niues abundant grauantes sunt, ex congelatione enim aquarum illud in ijs quod subtile est, conspissatur, unde ab omnibus ferè à gelu & niue aquę deprehenduntur. Tamen non defuere & qui antiquitus niuium aquas & glaciei probarint, unde Plinius lib. 31. cap. 3. inquit aliquos prefferre niues imbribus, & niuibus glaciem uelut ad infinitum coacta subtilitate, leuiora enim hęc esse, & glaciem multo leuiorẽ aqua. Plinio hæc sententia adeo uisa est falsa, & à vero dissidens, ut in hęc uerba proruperit, horum sententiam refellere interest uitę, ac si dixerit ad uitam spectare hoc refellere, ne opinio hęc in hominum mentibus recipiatur, quod è niue & glacie aquę sint optimę, nam hoc spectat ad uitam, cum hę aquę mortem inferant, propterea totis neruis illorum sententiam Plinius hoc modo reprehendit, in primis enim leuitas illa deprehendi aliter q̃ sensu uix potest, nullo penè momento ponderis aquis inter se distantibus. Nec leuitatis in pluuia aqua argumentum est subisse eam in coelũ, cum etiam lapides subire appareant, cadénsq; inficiatur habitu terrę, quo fit ut pluuię aquę, sordium inesse plurimum sentiatur citissiméq; ideo calefiat aqua pluuia, niuemq; glaciemq; subtilissimum elementi eius videri miror, apposito grandinum argumento, è quibus pestilentissimum potum esse conuenit. Tamen fuere antiqui his oppositi qui dixere potus esse insaluberrimos ex gelu & niuibus, propterea sequitur Plinius, nec uero pauci inter ipsos è contrario ex gelu ac niuibus insaluberrimos potus prędicant, quoniam exactum sit inde quod tenuissimum fuerit, sed neq; istud Plinio satisfecit, ob id contra ipsos inquit minui certe liquorem omnem congelatione deprehẽditur, & rore nimio scabiem fieri, pruina vredinem, cognatis & niuis caussis, vnum est ex niuibus aquam uel glacie uel grandine non probari, & profecto si quis experiatur, reddunt hę aquę legumina incoctibilia, quod unum est prauitatis aquę indiciũ apud Aetium.

Quarta differentia ab actiuis sumitur qualitatibus & passiuis, probatissima aqua Galeno in primo de simplicium medicamentorum facultatibus teste, frigida est & humida, siccæ & calidę non probantur, & Plinius lib. 31. cap. 3. aquarum qualitates ita distinguit & probat, sed de his superius dictum est in tactus sensu.

Quinta differentia ex motu sumitur, nam stagnantes aquę & quę non mouentur à Galeno prauę iudicantur, stagnantium uero aquarum, aliquæ sunt paludum, aliquę stagnorum, aliquę lacuum, omnes hę currentibus deteriores sunt, tamen palustres sunt inter has cęteris peiores, unde & Celsus grauem uocat aquam ex lacu libro secundo capite. 13. ex palude grauissimam ideo & pessimam, Paulus has limosas excolare pręcipit & alias uitiosas, Aetius & has damnat, iubetq; castrametantibus ut faciant aquam per terram pinguem discurrere, quo expurgetur. Plinius libro. 31. cap. 3. inquit stagnantes pigrásque merito damnant, utiliores quę profluunt existimantes. Cursu enim procursúq; ipso extenuari atq; proficere. Oribasius in primo Euporiston censet quę palustres sunt, & malũ habẽt odorem si coquantur, in melius mutari, damnantur & à Vitruuio libro octauo eiusmodi aquę, probantur uero quę currunt, & quę exercitantur. vnde quanto magis à suo distant fonte, tanto sunt meliores, modo non transierint per terram quę lutosa sit uel putrida, Tiberis aquam Romę omnium exquisitissimam iudicant. Nos (quidquid Romani dixerint, & quantumcunque in deos referant) pessimam esse arbitramur, quia nigra est obscura lutosa, neq; multum distat à suo fonte est valde crassa, iudicamus padanam nostram limpidam & quę multum distat à suo fonte esse longe meliorem, fabulę sunt quę à Romanis de Deis referuntur, aquas stagnantes uentri & lieni obesse censet Hippocrates in calce libelli de aere aquis & locis.

Sexta differentia à loco sumitur, à quo fluit, nam quę ab oriente fluunt ab Oribasio libro citato optimę iudicantur, quæ uero à septentrione praue, idéq; Hippocrates in libro de Aere aquia & locis censuit, & idem Aetius libro tertio capite. 175. sed quę ab alto pluit hoc est à coelo ab aliquibus laudatur, ab alijs uitio uertitur, Hippocrates in calce libelli de capitis uulneribus inquit pluuiales quidem leuissimę tenuissimę, limpidissimæ dulcissimęq; sunt, Sol enim aquę principium quod leuissimũ est & tenuissimum in superiora deducit, & pręripit, quod mare & sol declarãt, salsum enim quod est illic remanet, sálsq; fit. tenuissimum autem quod est, sol prę leuitate pręripit, quod nõ solum ex aquis marinis & palustribus cæterisque, sed & de rebus omnibus in quibus humidum quid inest, facit, quin & de hominibus ipsis quod tenuissimum & leuissimum humoris inest, deducit. Paulus ægineta de pluuia aqua hæc dixit. Celestis præterea aqua teste Hippocrate, nullo pondere grauis dulcire abundanti, limpiditate neutiquam vulgari, tenuitate denique censetur, & quod à Sole leuissimum trahatur & tenuissimum, idque non ex alijs aquis modo, sed ex mari etiam, corporibúsque colligitur. propterea & omnium celerrime putrescit, quod è diuersis admodum qualitatibus consistat. Cum vero ex hoc quispiam posset pluuiam aquam reprehendere quia cito putrescit, ob id statim à Paulo additum est. Nemo vero citius putrescibilem aquam deterrimam esse iudicet, alteratio- ni quippe procliuitas virtuti magis quàm vitio adscribenda est, quapropter quæ inculpatarum aquarum indicijs prædita facile putrescit, saluberrima censenda est. Paulus dubium aliud remouet, quia quispiam dicere posset hanc aquam tussim prouocare, raucedinem inducere, vocem alterare, propterea addit: Atqui vbi iam alterari coeperit, sumentibus in potu raucedinis tussis, molestiæ vocis occasionem præbet, cæterum ex pluuialibus aquis æstiua & tonitruosa bonitate procellosæ præpollet. Oribasius & ipse secundum Hippocratem hæc dicit. Leuiorem igitur Hippocrates pluuialem dixie esse aquam, & dulciorem, & lucidiorem, & propter quod Soli vicinior fuit, leuior & tenuior effecta est, propter quod &

imputribilis est, pro qua re ab eo omnibus aquis leuior est iudicata, unde ab aliquibus reprehenditur, quia irritet tusses, graues faciat uoces, pro hoc autem pluuialis aqua æstiua leuior est iudicata quia æstum non facit nam in hyeme ubi glacies & niues abundant, grauantes sunt, ex congelatione enim aquarum illud in ijs quod subtile est conspissatur. Aetius lib. 5. cap. 175. de aquarum differentijs agens inquit harum pluuialis tenuissima est, & facillime transmutatur, atq; alijs quidem affectibus optima est cum celerrime transcoletur & transeat. Hi igitur omnes pluuiam aquam summe probant. Galenus & ipse uidetur probare aquam pluuiam in. 7. de compositione medicamẽtorum secundum locos, in confectione diacochonis propria, in quo loco vnum inuenitur contra Paulum, nam Paulus dixerat aquam pluuiam cito putrescere. At Galenus præcitato loco inquit. Verum in aqua pluuia quidam capitum cocturam fecerunt, ne uidelicet ipsa ad aliam putredinosam qualitatem transmutetur, ut uelit potius Galenus non corrumpi, Tamen pluuiam aquam probare non auderemus, cum experientia illam non esse leuem. i. non penetrare ostendat, sed si quis illam biberit circa hypochondria sistit, & tormina facit, difficulterq; descendit, neq; aliquo modo conficitur. Adde à Galeno non probari in. 4. de sanitate tuenda, ubi de apomelite tractat, & inquit quosdam fecisse apomeli ex aqua pluuia. Addit uero quod & ipse ex pluuia confecisset si pluuiam aquam probaret, unde pluuiam aquam non probat Galenus, & si multas compositiones adducas, quas Galenus refert, in quibus recipitur aqua pluuia, est, cum adstringente quodammodo aqua indigemus, est uero in eo loco. 4. de sanitate tuenda unus nodus discutiendus, quia ex ipso aliqui accepere aquam mulsam ex pluuia aqua fieri debere, quia Galenus ait, Apomeli tota bibi æstate refrigerantis uice, & potissimum quando coacuit, nam quandoque & magis & minus coacescit apomeli, postea sequitur vtpote ex aqua confecto non pluuia, sicut mulsa, sed qualibet. Quidam ex his sumunt uerbis ex aqua pluuia fieri mulsam. Sed decipiuntur, quia Galeni intentio est dicere factum esse ex aqua non pluuia, sicuti mulsa ipsa est ex aqua non pluuia confecta. Plinius egregie Respondet ad argumentum quod Paulus & Oribasius ac Aetius ex Hippocrate adducunt, cælestem .s. aquam esse leuissimam, quia in coelum ascendent prope solem. At inquit Plinius, nec leuitatis in pluuia aqua argumentũ est subijsse eam in coelum, cum etiam lapides subire appareãt, cadensq; inficiatur halitu terræ, unde putamus pluuiam aquã forte ratione elementi aquei, elemento esse propinquã, sed ratione qua haberi conuenit non est apprime apta, aquæ etenim fluuiorum magis probantur, nam pluuiæ crudissimæ sunt, neque homo pro uita conseruanda simplicissimis indiget elementis.

Septima differentia à loco per quem fluunt, sumitur, nam perfectæ sunt quæ per loca transeunt sabulosa, & per harenas, & per pinguem terram, & non per bitumen, neq; per sulphur, neque per nitrum, neq; per limum, neq; per aliam alicuius prauę qualitatis terram, nempe ex locis contrahunt aquæ sapores, odores, colores & substantiam. Et hæ à Galeno compositæ dicuntur in primo de simplicium medicamentorum facultatibus libro, & non simplices aquæ. Et si contingat aliquẽ aquas alias non habere, præter has, quas Hippocrates in libello de capitis vulneribus reprehendit, & Galenus in primo de simplicium medicamentorum facultatibus, Paulus & Oribasius iubent ebulliendas esse & corrigendas. Imo addit Paulus vinũ, miscentes, aquæ uitia emendari.

Octaua differentia à loco sumitur ad quem fluunt. Galenus iudicat in primo de sanitate tuenda illas aquas esse pessimas quę contra septentriones fluunt, solemq; auersum habent, contra cuius ad orientem solem fons erumpit, bona est, Hippocrates uero aquas fluẽtes uersus ortum lympidas esse dicit, boni odoris, & leues deinde sequitur, quæ fontes ad ortum decurrentes & scaturientes habent præ cunctis optimæ sunt, secundo loco sunt quæ inter ortum æstiuum & occasum decurrunt, sed ad ortum potius. Tertio loco sunt quę inter occasum ęstiuum & hybernum prorumpunt, pessimę vero sunt quę ad austrum decurrunt, quęq; inter ortum ęstiuum & occasum, sed quę ad austrum pessimę sunt, quę autem ad septentrionem tendunt meliores sunt.

Nona differentia ex his sumitur quę extrinsecus aquę contingunt. s. cito calefieri, & cito infrigidari, bene coquere quę in ipsa coqui debent, & male coquere, imo hęc incoctibilia reddere, & hoc potissimum in leguminibus deprehenditur, hæc est Hippocratis aquę probatio, leuissimam aquam laudat, illam vero leuissimam iudicat, hoc est quę facile penetret, & per totum corpus permeet, illam quę cito calefit, & quę cito infrigidatur cum calida effecta est, nempe talis est tenuium partium, unde Paulus inquit quę per pręcordia maturrime descendit, hac nullam potiorem aliam inuestigare conuenit, quę uero pręcordijs diutius immorabuntur aquę, uentrem uexabunt, inflationes facient, hę erunt omnium deterrimę quę neq; cito calescunt, neq; prompte frigescunt, & quęcunq; in ipsis elixantur, longa mora & ęgerrime tandem concoquuntur. Oribasius de optima aqua inquit, quando autem bibitur cito hypochondria pertransit deorsum, quę talis est alia melior non est requirenda, quę autem in pręcordijs diu residet & inflat & grauat pręcordia, neq; cito calefit, neq; cito infrigidatur, pessima est. Sed & ea quę in ea coquuntur grauia sunt & malitiosa quę cocta sunt. hęc Oribasius. Celsus quoq; dicit. Nã leuis pondere apparet, & ex his quę pondere pares sunt, eo melior quęq; est quo celerius & calefit & frigescit, quoque celerius ex ea legumina percoquuntur, idem facit lib. 8. Victruuius, idem Aetius, & Plinius hęc uerba refert. Quidam statera iudicant de salubritate, frustrante diligentia, quando perrarum est ut leuior sit aliqua. Certior subtilitas, inter pares meliorem esse quę calefiat, refrigereturq; celerius. in primo de sanitate tuenda optimam aquã censet Galenus illam quę est omnis qualitatis expers, quę & potui iocunda est & planè pura. Quod si pręcordia quoq; celeriter transit, nihil est quod magis idoneam requiras quã unde puero, iuueni & seni conducere.

Decima differentia à loco sumitur, ut stagnum, puteus, aer, in quo cõtinetur, de hac quę in aere est differẽtia, in pluuiali aqua dictum est, superius quoq; de stagnante uerba fecimus, de puteali uero & ea quę in cisternis est dis seramus. De cisternarum aquis Plinius lib. 31. cap. 3. ubi miratur aliquos esse qui illas probent & rationem addant, quòd leuissima sit imbriũ aqua. Scito uero cisternarum aquas esse in triplici differentia, aliquę enim sunt cisternę, quę pluuiali aqua implentur, de quibus Plinius uerba facit, has uero damnat, sicuti & pluuiam aquam superius damnauerat, sunt & cisternę in quas pluuię aquę ingrediuntur per sabula trãseuntes, & percolatę, hę minus malę sunt, uocantur putei apud nos in morem cisternę, adsunt & cisternę, in quas fluminum aquę inijciuntur, ut limpidiores euadant, & diutius seruentur, hę sunt optimę aquę, & quę omnes bonitate excedunt, puteales aquę è terra scaturiunt, propterea varios possunt habere affectus, secundũ subterraneas terras, per quas fluunt, tamen si limoidę sint, uidentur à Plinio probari, quippe sunt tenues, & illa tenuitas fit colante terra. Celsus in. 4. loco putealem aquam ponit. Aetius lib. 5. cap. 175. inquit putealis aqua frigida, terrestris excretu difficilis, uix pertransiens. Tamen non potest certe vel probari uel improbari, & simpliciter, quoniam sunt aliqui putei (vt de Ferrariẽsibus loquamur) qui optimam habent & lympidissimam aquam, quę ex flumine per subterraneas venas puteos ingreditur percolata, & hęc est optima, & omnes habet optimę aquę dotes, alia est quę nõ ex flumine, sed potius ex aliquibus uenis è paludibus nõ ex Pado implẽtur, & hę sunt aquę pessimę. adest vicus Ferrarię qui glaria dicitur, & alter qui sancti Antonij peninsula, putei qui in his sunt vicibus crescunt ac decrescunt, ut padus crescit & decrescit, habeatq; lympidissimas & optimas aquas.

Vndecima differentia ex substantia sumitur, quę est crassa uel tenuis, semper tenuiores sunt meliores. Crassiores peiores, uel

mediocres omnes bonitate excedunt. At indifferentia tactu cõtinentur, & de hac superius dictum est. Multa alia de aquis ab authoribus dicuntur, ut Aetio, Paulo, victruuio, Plinio, Galeno, Celso, Hippocrate, Oribasio'. At ne in immensum crescat opus, satis illa sunt quæ ex Galeno adduximus in primo de sanitate tuenda de optimæ aquæ notis, nam authores omnes Galenum deinceps secuti sunt, optima aqua est quæ gustui & olfactui est expers omnis qualitatis, & hæc potu iocunda erit, & planè pura: quòd si præcordia quoq; celeriter transit, nihil est quod magis idoneam requiras.

ὕδατι δὲ ποτῷ ἐν τῇσιν ὀξείῃσι νούσοισιν, ἄλλο μὲν οὐδὲν ἔχω ἔργον ὅτι προσθῶ.i. aquæ quæ potui datæ in acutis morbis, nullum aliud officium habeo, quod illi concedam, q̃. s. sumi in potu, & sitim extinguere, & ardorem mitigare.

Sed inques hæc uideri esse plurima, & præcipua, quæ fiunt, nam calorẽ acutum febris extinguere, sitim mitigare, sunt maxima in acuta febre præsidia, imo ex aquæ frigidæ potu plerunque tota febris extinguitur, ut uarijs in locis à Galeno edocemur, unde magna fieri uidentur, & non esse unum opus, quod illi concedere posit. nam si quis Hippocratem consideret, hoc ferè dicere uidetur, ac si dicat aquam esse nullius momẽti, quia vnum tantum habet officium, quippe datur potui, sed hoc uidetur nescio quid magnum his consideratis quæ ex ipsius potu sequuntur. Respondemus intelligere nõ habere aliud q̃ hoc quia non incidit, non attenuat, non aperit, tamen Hippocrates non iret inficias aquam prædicto modo multum proficere, qui de potu frigidæ in Aphorismis agens illam in multis laudat, & in multis uitio dat, propterea ex hoc inferes non uituperare aquã, sed in hoc uno laudare.

At dices, & aquam discurrere, & urinæ vias permeare, & secum quæ in vijs sunt ducere, igitur aliud habet opus. Respondemus hæc opera illi insunt ut potus, uel secundum Hippocratem ob suam frigiditatem uias illas non pertransit, ut deinceps ostendemus.

Dices præterea uideri Hippocratem aliam aquam accipere in morbis acutis, aliam in alijs. Respondemus imo eandem esse aquam, sed de ea loquitur vt in morbis acutis in potu sumitur. At cum aquæ usus in acutis morbis affatim esse posit & vniuersim ac vna vice, & pluribus uicibus, quomodo hic intelligendus est Hippocrates? Respondemus & si tam de uno q̃ de altero intelligi posit, tamen nos potius in quotidiano potu intelligimus, quo plerunq; & parum aquæ bibitur & non semel. Si uero de aquæ frigidæ potu affatim & uniuersim, quęras quo modo & quando & in quibus fieri debeat. Respondemus de hac re nos & in secundo huius uoluminis libro petractasse, & in Aphorismorum commentarijs.

οὔτε γὰρ βηχός ἐστι παρηγορικὸν ἐν τῇσι περιπνευμονικῇσιν, οὔτε πτυέλου ἀναγωγὸν, ἀλλ' ἧσσον τῶν ἄλλων ἔστιν διαπαντὸς ὕδατι ποτῷ χρέεσθαι.i. neque enim in peripneumonicis tussim sedat, neq; sputum educit, sed alijs minus. Si quis aquæ potione prorsus utatur, in morbis acutis aqua epota vt tantum potus officio fungatur, & nõ alterius, Hippocrates ex hoc probare uidetur, quia in peripneumonicis, tussim non sedat, neque sputa educit, imo minus alijs, hęc & similia facit, si quis puro aquę potu utatur.

Petes cur nunc Hippocrates ad peripneumonicos se determinet, cum pro exemplo pleuritidem acceperit. Respondemus & per peripneumonicos, pleuriticos intelligere, & empiema patientes. At peripneumoniam accepit ueluti morbum in quo facilius tussis sedatur, & sputa exeunt, q̃ in pleuritide, vel in empiemate, nam si in hoc qui est facilior morbus hęc non facit. s. sedare tussim, & sputa educere, tanto minus in difficiliori morbo id efficiet.

At dices nonne calida aqua actualis caliditatis ratione, & humiditatis emollientis sputa educet? Respondemus non educet, imo eius frigiditas magis penetrabit, nam & si actualis caliditas conferat, tamen uirtualis frigiditas magis imprimit. Reliqui uero potus in his casibus magis conferunt si calidi sint, q̃ frigidi, tamen in his casibus non neganda, ut Trallianus libro secundo capite primo prębet.

Petes quinã sint cęteri potus, quibus minus ducit sputa aqua? Respondemus intelligendo potus superius enumeratos. s. vinũ mulsam aquam, & oxymeli, his omnibus minus tussim, sedat aqua, & sputa minus educit, nempe non aperit, ut mel & vinũ, neq; incidit, ut acetum.

Cur dixit aquę potione prorsus utatur? Respondemus quia aliquis uti posset aquæ potione, oxymelite addito, uel mulsa addita, uel uino, quod in pleuritide & peripneumonia cõcedit Hippocrates, sed sit solus aquę usus.

μεσηγὺ μέν τοι ὀξυμέλιτος καὶ μελικρήτου, ὕδωρ ἐπιρρόφεον ὀλίγον, πτυέλου ἀναγωγόν ἐστι διὰ τὴν μεταβολὴν τῆς ποιότητος τῶν ποτῶν.i. sanè si inter oxymeli, & aquã mulsam aqua modica instilletur, sputum educit ob mutationem qualitatis potuum, ipsa siquidem simplex aqua per se sumpta sputũ, non educit, sed si oxymeli parum aquę misceatur, aut mulsæ educit, hæc profecto est horum Hippocratis uerborum sententia, tamen si illum recte consideremus, id parum ad aquam referendum non est, sed potius ad oxymeli & ad mulsam, ut sensum faciat. Aquam simpliciter & nulli commixtam, sputa non educere, sed si illi oxymelitis parum misceatur, uel aquę mulsæ parum, sputa statim educere incipit, ut hoc quod dicitur parum ad alios potus referatur, quia si particula parum ad aquam referretur, mirum non uideretur quod aquę parum oxymeliti mistum uel melicrato sputa educat, nam aqua his labilitatem dat, & est tã pauca vt nullo modo huius potus uires imbecillitare posit, uerum eius uires erant sputa educere, iccirco easdem seruat uires, & à pauca aquę quantitate non imbecillitantur.

Petes quęnam sit qualitatis potionum mutatio. Respondemus est quia aqua est frigida adstringens, non permeans, non incidens, non attenuans, sed his mixtu has acquirit qualitates, propterea ob mutationem qualitatis potuum sputa educit.

πλημμυρίδα γάρ τινα ἐμποιέει.i. nempe intus inundationem parit, aqua. s. hęc illis addita, & ex inundatione partes humectãtur & emolliuntur, & sputa facilius exeunt, uel pars pręcedens & hęc ita intelligantur, vt Hippocrates uoluerit aquam oxymelìti, uel mulsę esse miscendam, sed postea bibendam, ut hic sit sensus & sensus continuatio, nam si inter oxymeli, & aquam mulsam, aqua modice bibatur sputum educit, quoniam potionum qualitatem facta inundatione transmutat, quem sensum uidetur sequi Copus.

ἄλλως δὲ οὐδὲ δίψαν παύει.i. alioqui neq; sitim sedat. profectò Hippocrates de siti illa intelligendus non est, quę in ore & lingua habetur, nam experientia ostendit hanc à potu aquę tolli, imo & ab ablutione sed opus est intrinsecam sitim intelligere quę ex siccitate à calore febrili, in membris intrinsecis inducta prouenit, aqua hanc non sedat, quia & si primo in uentriculum transferatur ibi diu permanet, postea cum descendit, diu etiam in intestinis permanet, priusquam ad membra transmittatur.

At inquies secundum Galenum membrum omne nutrimentum sibi trahere & potum (ut ita dicam) nã quod Galenus nutrimentũ dicit, est tam potus q̃ cibus, sed membra omnia uim hanc habent attractricem, & in hoc casu indigent, igitur deberẽt ui illa, aquam ipsam statim attrahere, ut sitis sedaretur, qua affecta sunt, nam sunt exiccata. Respondemus hunc esse prorsus naturę ordinem, ut membra ea attrahant quibus indigent, quando adfuerint, sed hęc quę attrahuntur quandoq; suapte natura apta sunt trahi, tuncq; facilius ac citius trahuntur, quandoque sunt inepta trahi, & tunc difficilius ac tardius trahuntur, aqua ex ineptioribus est ob suam frigiditatem ut trahatur, igitur &c. cõtra hęc argues, quoniã aqua est lubrica, & tenuium partium, vt in primo de simplicium medicamentorum facultatibus edocemur, ex his igitur esse debet quę facile trahuntur. Respondemus hoc verum esse ratione qua aqua has habet proprietates, sed ratione suę frigiditatis, & suę cruditatis ex his est quę difficulter trahuntur, fieri uero potest vt vnum ratione ali

quarum conditionum facile trahi possit, rationéque aliarum difficulter.

χολῶδες γὰρ φύσει χολώδεϊ.i.biliosa enim existit ei qui natura biliosus est cum superius dixerit aquam amarescere, nunc fere rationem reddere uidetur cur amarescat inquiens quoniam biliosa est in natura biliosis.

Sed forte tibi mirum uidebitur aquam in biliosis, in bilem conuerti, quoniam superius dictum est mel facile in bilem transire, quia calidum & siccum & dulce, omniaque calida & sicca in bilem facile conuerti, frigidæ uero & humidæ rei & absque sapore bilem fieri posse repugnat, quoniam naturam habet bili aduersissimam, est enim frigidissima & ualde humida.

Alexander Trallianus libro secundo cap. 1. in pleuritidis curatione, censet aquam calidam esse exhibendam. Et si quis dicat in bilem transire, ait, ipse. Neque enim ut quidam autumant bilē parit, nam qui eam opinionem cum Hippocrate tueri nituntur falluntur, neque recte accipiunt quid ille dixerit. fingitque Trallianus quendam Hippocratis sensum adeo obscurum, ut nos difficillime intelligamus quid sentiat, & potissimum quia Græco Tralliani codice caremus, Latinus uero non est egregie conuersus, nescimus quid certi uoluerit hic author, præter quàm illud, Hippocratem aquam in bilem transire non censuisse. Tamen si quid dicit, hoc est, qui natura biliosi, his cibum dare præstat, qui conuersioni in bilem diu repugnet, tamen ab eis conficiatur, & administrāda sunt edulia, quibus cum potui detur aqua calida, nam illa quæ simplicia sunt ueluti aqua, ægrotum proprie, neque alunt, neque humectant, sed succus inde magis amarescit. hoc sentire uidetur Trallianus.

Tamen si id censebit quod dicturi sumus, ab illo nihil dissentiemus: sin minus dissentiemus prorsus, aquam dicimus simpliciter non bilescere. i. in bilem non conuerti, nam quod corpora nutrire non potest, in corporis humorem conuerti non potest, aqua (ut superius dictum est) corpora nutrire non potest, igitur nec in bilem conuerti potest, maior ex hoc apparet, quia bilis necessaria est ad nutritionem non tamen aqua, nisi ut distributionem faciliorem reddat, minor apparet, tum quia superius palam à Galeno sectione. 20. id dictum est, tum quia purum est elementum, pura uero elementa in composita non conuertuntur, ut in libro de humana natura ostenditur.

Adde id in bilem conuerti nō posse quod est simplex, sed aqua est simplex, igitur in bilem conuerti non potest. Maior manifesta est, quia simplex purum & solum, in compositum uerti nō potest, sed aqua simplex est, bilis ex elementis composita, & non ex uno solo, in bilem igitur uerti posse impossibile uidetur. Ex his nos simpliciter fatemur aquam in bilem conuerti non posse, quod aut ab Hippocrate dicitur tale est, in his qui bile abundant amarescit aqua, & in bilem uertitur. i. simul mista bili totum id redditur amarum, & corpus efficitur quod totū biliosum uocatur & amarum, uerum aqua mista, & amaritudinem, & colorem remittet, nam si erit flaua bilis, ex aquę miscella efficietur pallida, nec saporem adeo amarū habebit ut prius. Hippocratem igitur intelligimus uoluisse aquam amarescere, & in bilem conuerti ob miscellam, non per essentiam, nam in hoc casu, id uerum est quod ab Auicenna dicitur libro primo fen. 2. doctrina secunda summa prima cap. 16. corpus simplex non conuerti ad formam sanguineam recipiendam, neque ad formam membri humani, nisi componatur, & quod de sanguinea forma dicit, de bilis forma intelligendum est, iccirco non censet uel aquam uel aliud elementum ab aqua in humores cōuerti posse, nisi cum aliis elemētis misceatur, & tertium quoddam fiat ad conuersionem in humores aptum, & aptum ad nutriendum, solum uero ait esse aquæ officium cibum ad membra penetrare facere. Et profecto cum bilis igni proportionetur, idem ferè est transire aquam in bilem, & transire in ignem, id uero non potest aqua efficere nisi prius rarefacta in aerem transeat, propterea & in bilem uerti non posset nisi per sanguinem transiret, quod absurdū est, hicque incessus est longissimus. Hunc igitur esse Hippocratis sensum iudicamus, ut aqua amarescat ac bilescat, quia in his immoretur ventriculis & bili cōmista, bilis colorem recipiat, odorem & saporem, & si bilis accendatur, simul & aquam cum bile accendi & corrumpi.

καὶ ὑποχονδρίῳ κακόν.i. & præcordiis infesta est. sunt vero præcordia membra quæ sub costis continentur, lien inquam, iecur, & uentriculus, in his longius moratur & hæc penetrat, atque in flatus resoluitur, propterea extenduntur & infestantur.

καὶ κάκιστον ἑωυτοῦ καὶ χολωδέστατον καὶ ἀδυναμωδέστατον ὅταν ἐς κενότητα ἐσίῃ.i. & pessima & biliosissima, & uires imbecillas reddit, quando in uacuitatem descenderit, hoc. s. pessimam esse aquam & biliosissimam ut superius dictum est, intelligatur, biliosissimam vero illam uocat, quia breui commista bili, in bilem uisa est transmutari, quod uero addit si in uacuitatem descenderit, intellige uentriculi vacuitatem & cauitatem, & intellige, quando ventriculus potissimum fuerit vacuus, nam tunc aqua sua frigiditate obest, & uentriculū imbecillitat, & in flatus uertitur, tormina inducit, quæ vires reddunt imbecillas, & quæ etiam redduntur imbecillæ ex hoc potu, qui non nutrit, possemus & per cauitatem non uentriculi sed totius uentris cauitatem intelligere, in quam si aqua ingrediatur, ascitem inducet, & imbecilliores redduntur uires.

καὶ σπλῆνα δὲ αὔξει, καὶ ἧπαρ ὅταν, ὅταν πεπυρωμένον ᾖ.i. & lienem & iecur attollit ubi inflammatio adfuerit. Sed inquies cum inflammatio sit calida, & aqua frigida, videretur potius extinctioni huius inflammationis prodesse debere, quàm illam augere. Respondemus si discurreret hoc quidem faceret, sed sistit & in bilem uertitur modo prædicto, & cum humore inflammationem faciēte unum effecta, augēt hæc membra, & potissimum in liene hoc uidetur etiam absque inflammatione, nam in autumno intumescunt lienes ægris ex aquæ potu, imo ex aquæ hordei nostræ uulgaris potu.

Sed inquies, si igitur hæc membra non erunt inflammata, neque πεπυρωμένα.i. accensa & ignita. sed alio tumoris genere præter naturam affecta, illis aqua cōueniet. Respondemus nunc minus conuenire, quia sunt frigidi tumores, quibus è directo secundū suam naturam conueniet.

καὶ ἐγκλυδαζόμενόν τε καὶ ἐπιπολάζον.i. & fluctuat, & supernatat, cum est in uentriculo, nam in pleno uentriculo cibos supernatare facit, & coctionem impedit. Adde supernatare & fluctuare, quia ad infernas partes non descendit, sed ibi commoratur ubi primo recipitur, videturque Hippocrates huius rationem statim reddere, cur supernatet & fluctuet, quia.

βραδύπορον γὰρ διὰ τὸ ὑπόψυχρον καὶ ἄπεπτον εἶναι.i. tarde etenim meat ob id quòd frigida est & incoctibilis. En quo ordine incedat Hippocrates, dictum est aquam fluctuare & supernatare, hic rationem reddit, quia tarde meat, unde necesse est ut supernatet & fluctuet ex suæ naturæ consistentia, Et si causam petas cur tarde meet, illam statim reddit, quia frigida est, neque coqui potest, ratione suæ frigiditatis & cruditatis, & ineptitudinis ad coctionem.

καὶ οὔτε διαχωρητικόν.i. & neque aluum deiicit. aqua ob suā frigiditatem uim non habet vt deiicere faciat ex aluo. si vero dicas nonnullos alui profluuium ex aquæ potu incurrisse. Respondemus id effectum esse, quia sua frigiditate uentriculum adeo frigefecit, ut nihil amplius coqueret, propterea lienteriam incidere, non quia ipsa suapte natura aperiat, & feces ad exitum prouocet, aliqui feces ex potu aquæ frigidæ conclusas habuere, quid uero sequatur ad fecum retentionem, habetur in. 3. de symptomatum causis libro.

οὔτε οὐρητικόν.i. neque urinas mouet aqua ipsa ob suæ naturæ frigiditatem quia penetrare non potest.

Hic uero experimentum oppositum ostendere uidetur, nam aquis epotis homines plurimum mingere videmus, igitur aqua est urinæ prouocatiua, imo eius natura quæ labilis est hoc suadere uidetur, nam dilabitur, subitque omnia etiam arctissima, Adde aquam esse tenuium partium, ut Galenus docet primo de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 15. ubi hoc modo probat esse tenuis essentię, quia promptissime per pedes

& vestimenta

& uestimenta perfluit, nam ob humiditatem mollitiémq́, quæ nihil habet adiunctum uiscositatis diuisibiles partes obtinet, & quæ facile in minimas possint distrahi. cum ergo sit partium tenuium, facile penetrare poterit, & ex consequenti vrinam prouocare.

Scito aliquid urinam ducere & prouocare multis posse intelligi modis. uno modo ut naturam habeat prouocãdi urinam ex alijs factam, & non ex se ipso, ut est petroselinum, apium, piper hæc dicunt diuretica. i. urinæ prouocatiua, quia calida sunt aperientia, & id etiam habent à sui proprietate. Alio modo dicuntur urinæ prouocatiua, non quia sua vi urinam ab alijs factam prouocent, sed quia ipsamet in vrinam conuertuntur, & illam multiplicant, & facilius simul mista, ad uesicæ uias tendunt, nõ quia calida sint & aperiẽtia, & talia sunt uina aquosa & tenuia alba, & aqua ipsa, hæc enim sua caliditate non prouocant, sed urinam multiplicant, neq; dant nutrimentum, uel modicum dant. Alio modo quædam urinam prouocare dicuntur, quia sua caliditate urinam ab alio factam expellunt, & ipsamet in urinam uertuntur, ut est uinum flauum uel fuluum, quæ sua caliditate urinæ uias aperiunt, ut Galenus docet in. 5. de sanitate tuenda, iccirco eiusmodi uina libenter præbet senibus, quæ & secundum substantiam ex una parte efficiuntur urina. Idem intelligimus de alijs potibus calidis aperientibus urinam prouocantibus, & qui ex una parte urina fiunt.

Ad primum ergo argumentum experientia quidem uidetur, aquam bibentes copiose mingere, idq; faciunt non quia ui sua aqua urinam expellat, sed cum sit labilis, alijs humiditatibus mista illas auget, & tota efficitur urina, nõ quia sua natura uim habeat aperiendi, imo hoc signo ostendi potest aquam immorari, & urinam sua ui non prouocare, in his qui thermarũ aquas copiose bibunt, nonnunquam aliqui bibere aquas in quibus pluerat & tres bibere phialas ad pondus. 24. librarum, neque descẽdere poterat, imo coactus fuit enematibus & alijs aluum prouocare & urinam. hoc contigit Magnifico Alphonso Ziliolo cõpatri carissimo, qui famulum miserat Aponum, ut illius fontis aquas Ferrariam deferret, lagenę in uia, aut quia guttatim exibat aqua aut ex motu partim exinanitę sunt, hic, aqua fontis Timaui accepta, quem Brentam uocant, lagenas impleuit, bibit Alphonsus, aqua descẽdere nõ poterat, gustaui aquã; & ad alias comparatione facta percepimus non habere illius aquæ saporem vel odorem, tandem famulus errorem suũ fassus est, quippe qui non existimabat id esse erratum, Inter alia symptomata quæ inducebat hoc unum erat, quod non descendebat, sed corpus intumescebat, & uiscera patiebãtur, & anhelitus difficultate capiebatur, unde suapte natura urinam nõ educit, sed multiplicat tantum, & mictus multiplicantur. Cito uero non descendit, imo nota citius paruam quantitatem mingi, q̃ magnam, quia parua quantitas ab urina ducitur iam in vrijs urinarijs existente, cum illuc peruenit aqua, sed magna potius in naturam sui trahit urinam, & quamuis omnia subeat, id facit, quia est tenuium partium vt secundum argumentum ex Galeno docet, sed hoc esse tenuium partium, alicui non dat vt calidum sit, nec ut aperiat, sed tãtum aptum est si alicui misceatur, quod aperiat, ut partes omnes facile subeat, de se autem si discurrat, id tarde facit.

Hæc igitur sit conclusio aquam non prouocare urinam, nisi ratione qua illam augmentat, ut superius etiam dictum est de uino aquoso & tenui & albo.

προσβλάπτει δέ τι, καὶ διὰ τόδε, ὅτι ἄκοπρον ἐστι φύσει. i. & ob id etiam in aliquo lædit, quod natura stercus non educit. Quod prius dictum est aluum non deijcere de quacunq; deiectione intelligebatur, & potissimum humorum, hic vero dicit & esse expertem stercorum, hoc est neq; etiam stercora educere, quod saltem facere deberet sua labilitate, at cum frigida sit potius adstringit, nisi quandoq; per uiam symptomatis stomachum infrigidet, & cruda deijciantur.

ἢν δὲ καὶ ψυχρῶν ποδῶν ἐόντων πινῇ, ταῦτα πάντα πολλαπλασίως βλάπτει, ἐς ὅτι ἂν αὐτέων ὁρμήσῃ. i. si uero & refrigeratis pedibus nonnunquam quis illam biberit, ea his omnibus multo magis nocebit. ad quod eorum inclinauerit. hæc pars multis modis intelligi potest, unus est modus si quis frigentibus pedibus aqua utatur, multo magis lædet, q̃ sint noxæ superius relatæ, & si is qui biberat ad vnam harum noxarũ inclinationem habeat illam magis augebit. potest & hoc modo intelligi, cum sint multi potus, si quis pedibus frigidis aquã bibat, multo magis nocebit, q̃ si sit alter potus ex supradictis ad quem sit procliuior & inclinetur. Petes an simpliciter intelligatur de frigidis pedibus quocunq; tempore. Respondemus sunt aliqui qui simpliciter in sanis etiam intellexere, cum quia aquam biberit frigidos habẽs pedes, multum obesse, sed Hippocrates potius intelligendus est in accessionũ principijs, quoniam loquitur in morbis acutis, in accessionum uero principijs intermittentibus febribus pedes frigescunt, si quis aquam hoc tempore bibat, frigus prorogat, materiam particularem accessionem facientem magis incrudat, & totam ipsam accessionem producit.

Petes uero quomodo intelligat Hippocrates hunc aquæ potũ, an potum affatim factum, an particularem. Respondemus nõ intelligere proculdubio, potum affatim factum, quia nullus tã fatuus est, qui in frigore tantam aquæ copiam biberet, & facile in hoc naturalis calor simul extingueret, iccirco de potu aquæ intelligit particulari, & in pauca quantitate. Galenus. 7. Methodi vnde proueniant hæ noxæ omnes ab aqua ostendit his verbis, porro pendent ea ex frigiditate eius omnia, cuius culpa & in præcordijs diutissime moratur, & fluctuationes excitat, & in flatũ mutatur, & corrumpit, & ita ventriculi resoluit robur sic ut deterius proinde concoquat, sed nec digerendo per corpus alimento aliquid magnopere cõducit. Galenus igitur omnia eius frigiditati attribuit, & re uera illa est quæ facit aquam sistere, & omnia quæ prædicta sunt, excitat.

Neq; incidendi uim habet aqua vt acetum, neq; calida est ut mel, quod sanè non calfacit modo, uerum quoq; & detergit, secátq;. Tarde igitur iure optimo meat omnis aqua, difficulter concoquitur, atq; ægre descendit: quanquam alioqui & optima sit, & culpa omni uacet. Nã quæ uel limosa, uel male olens uel salsa, uel alterius cuiuspiam medicamentosæ qualitatis particepe existit, ea non simpliciter est aqua, sed cum tali quadam permixtione medicamenti, ut si mel uitiosum, uel ptisanam, uel acetum, uel uinum, uel quippiam tale designaueris. Non enim ex illo genus totum culpabis, sed id solum, ad quod conuertis mentem. Cum igitur super singulis, de quibus enunciat Hippocrates, sermo de optimis sit, ita & nunc intellige, singula quę dicuntur ad optimam referẽs aquam. Ea autem purissima est, & omni aliena qualitate destituta. Hæc igitur quanquam optima sit, multo tamen tempore in uentriculo manet, fluctuationesq; plurimum parit. Quo fit, ut cũ biliosus uentriculus fuerit, corrumpatur & illa. Præterea & cum ex uentriculo ad ieiunum intestinum ægre perueniat, non facile distribuitur, neque in hepar, & minus in renes, thoracem, & pulmonem. Quo fit, ut neq; urinas mouere nata sit, neq; sputum educere: immo neque per totum corpus molitur transpirationes. Id namq; substantiæ, quæ tenuium sit partium, opus est, calidæq;, non frigidæ & crassarum partium. Neq; præterea sitim sedat, quod in amplis tum uentris, tum intestinorum animalis instrumentis plusculo maneat tempore. Neq; prorsus imas penetrat partes, neq; siccitatem humectat. Quod autem non alat, antea est dictum. Quo fit, ut neq; facultatem uitalem roborare possit. Atque est causa, propter quam Hippocrates ad mulsam, oxymeli, & uinum se contulit, in ægris ab aqua abstinens. Iam igitur ob eas causas nunquam ea quis vtatur. Vtuntur tamen & alij quidam medici, atq; etiam Hippocrates: sed hic minus, cæteri magis. Nempe quòd cæteris perpéram utantur circumuenti ad aquam ipsam recurrunt, quę non insigniter quod præter animi sententiam succedat, habet, quando ne uirtutem quidẽ. Sic enim Erasistratus dicebat: Fortes tum ciborum, tum potuum facultates tempestiue quidem assumptę maximum iu-

uamentum: intempestiue uero, maximam offensam adferunt. Quem autem uitiosum esse dico, tum oxymelitis, tum mulsę, tum vini usum, is quidem oritur & ob repentinas mutationes, ut ipse ostendit, & magna ex parte ob sinceram quæ à medicis fit permixtionem. Cum igitur seni cuidam ægrotanti quotidie vinum aquosum exhiberem, quidã ex huiusmodi medicis præsens, me vini minimum aquæ ipsi instillantem contemplatus risit, ægrũmq; uinũ nõ bibere, sed duntaxat videre dixit: nõ sanè intelligens mixtionis uini, quod gratia uoluptatis datur, ad aquam aliam esse symmetriam, & aliã esse eius quod ad opem ferendam ministratur. Nam vini omnino minimum velut excitationem quandam, quæ ad distributionem aquam trahat, permiscemus, quo duntaxat aquæ tollamus sinceritatem, non autem aquam vinum faciamus. Sunt autem plerique ex sanis, qui vinum aqua dilutum bibant, sed in his aquam gustatu ipso euincere non oportet: in ægris vero ita vt modica sit vini repræsentatio. Sic & de oxymelite paulo ante dicebat, aquosum laudans. Quod item tutius quispiam ea vteretur, quæ aquosa est mulsa. Nam sincera, puráq;, nisi ventrem subducere anticipauerit, magis nocebit, & potissimum in amaræ bilis hominibus, & his quibus præter naturam tumefacta sunt viscera. In his & aqua detrimentum adfert, cum plus iusto in hypochondriis morata bilescit. Nempe & præter hæc omnia quæ habet mala, stercoris adhuc est expers, neq; ullo pacto aluum subducit. Aquam autem in principijs accessionum potam lædere, (quod manifestauit, cum dixit Quam si pedibus frigentibus quis aliquando biberit, ea his omnibus multo magis nocebit.) eorũ est quæ omnibus & nota, & certa, & confessa sunt. Quando igitur bibi idonea est aqua? Cum. s. potu solo æger usus fuerit, nullo pacto accepto ptisanæ cremore. Tunc enim in potionum aliarum medio aquam tempestiue quis ingesserit, & præsertim cum siticulosus æger fuerit. Nempe eam πλημμυρίδα quandam. i. humidi cuiuspiam copiam abundantiámq; facere ait. Quo fit, vt inter mulsam, oxymeliq;, parum aquæ exhibeant, quòd his quæ expui debent, conferat ad humectationẽ. Imo & cum vinũ grauiter nocet, tunc aquã propinant. Quonam aũt pacto id demonstraturus sit Hippocrates, audiemus.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus notat aquam vim incidendi non habere, qualem habet acetũ, nec esse calidam uti mel est, quod & corpus humanum calefacit, & simul detergit ac secat. At aqua nihil horum habet, ob id merito tarde meat, & difficulter coquitur, & ob suam frigiditatem ægre descendit, quamuis sit optima aqua, & omni uacet culpa, nec quicquam habẽs quo illam damnare possis. Nam aqua illa quæ limosa est, & quæ male olet, & salsa, & quæ participat aliquam aliã medicamentosam qualitatem, illa inquam non est simpliciter aqua, sed permista est cum tali quadam permistione medicamenti, quemadmodum si melancosum acceperimus, aut uinosam ptisanam, aut acetum uitiosum, aut uinum uitiosum, aut quodcunq; huius generis assignabis, quod uitiosum sit, ob hoc quod uitiosum est, totum genus illius non culpabis de quo sermo fit, & ad quod mentem conuertis, & quod uitiosum est. At cum Hippocratis sermo non fit de particulari aliqua re, sed semper in suis sermonibus de eo loquatur quod est optimũ in tali genere, propterea & hic non loquitur de quacunq; particulari aqua, sed de optima aqua, & quæcunq; hic dicuntur, ad optimam aquam referri debent, hæc uero optima aqua, & purissima est, & nullã habet alienam qualitatem.

Quod legitur, neq; incidendi uim habet aqua, legi debet neq; aliquam incidẽdi uim habet aqua, nam & græcus codex ita habet, οὔτι τμητικὸν ἔχει τι τὸ ὕδωρ, & opus est addere particulam aliquam. cum multa sint quæ non dicuntur incidentia, neque secantia, tamen aliquid habent incisiui, aqua uero nihil habet penitus incidentis facultatis, propterea & in latino codice addenda erat illa particula aliquam, quæ & in græco posita est ab ipso authore, & ostendit pręcise aquæ naturam, quæ solum dici potest abluere.

At in illo ambigere poteris quo Galenus inquit aquam difficulter concoqui, nam si difficulter concoquitur, ergo cõcoquitur. consequentia proba est à secundum quid ad simpliciter, ubi non adsit uariatio, neq; adsint termini distrahentes, neq; repugnantes. Si concoquitur ergo nutrit, cuius oppositum tu ò Galene superius sectione. 20. asseruisti. Consequentia hæc concoquitur, ergo nutrit, probatur, quia concoctio nihil aliud est, q̃ cibi præparatio, uel eius quod assumitur, ad recipiendam membri formam ut in. 3. de uiribus naturalibus ostenditur. Respondemus coctionem esse duplicem, unam propriam & ueram quæ est præparatio eius quod sumitur, ad nutriendũ, & in hoc sensu neq; aqua coquitur neq; nutrit ut superius dictum est, neque dici potest quod facile uel difficulter coquatur, & si huius rationem petas, habetur ex Auicenna libro primo fen. 2. doctrina secunda summa prima cap. 16. dicente, id non potest nutrire quod in potentia non est, ut in nutriti substantiam conuertatur, uel membri & corporis, quod nutrire debet, aqua uero nõ est in potentia (propinqua. s.) ut in nutriti substantiam conuertatur, aqua igitur nutrire non potest. maior propositio huius syllogismi manifesta est, quia nutritio nihil aliud est, q̃ nutrientis conuersio in substantiam nutriti: minor patet, quia nutritio à generatione non differt, nisi ut pars à toto differt: nam nutritio est quædam generatio, uerum eadem est totius & partis materia. Cum igitur mistum quod totum est ab uno elemento generari non possit, ut habetur in libro de natura humana ab Hippocrate & Galeno, & in libro de elementis apud Galenum, & in secundo de generatione sectione. 45. apud Aristotelem. Rationem uero afferunt hi authores, quia opus est ad compositi generationem quatuor concurrere elementa, & quamuis Aristoteles in misto perfecto loquatur, tamen sanguis & membra in quæ debet aqua conuerti, sunt mista perfectionem habẽtia. Aqua igitur sola non poterit in sanguinem uel in membra conuerti, nisi cum alijs elementis, & cum alijs corporibus misceatur. Forte petes an aqua cũ alijs corporibus mista nutrire possit. Respondemus si sub aquæ forma maneat, nullo modo nutrire poterit. at si alijs mixta aquæ formam amittat, in hoc casu nutriet, Alio modo potest accipi coctio pro quacunq; alteratione à naturali calore facta, in quo sensu aqua potest à naturali calore concoqui. i. alterari, & calefieri, & ad exitum dirigi, tamen difficulter fit. Et in hoc sensu Galenus hic dicit aquã difficulter coqui.

Petes quomodo sit optima & omni uacet culpa si tarde meat, difficulter coquatur, & ęgre descendat. Respondemus intelligẽdum esse, in aquę genere optimam aquam acceptam esse, & quę uacet omni culpa, ratione qua aqua, uerum ut aqua in sua specie perfecta debet esse frigida, & cum frigida sit, habet prędicta incommoda.

Petes quęnam sint aquæ medicamentosę qualitatis. Respondemus sunt aquę thermarum, aluminosę, sulphureę, nitrosę, ferreę bituminosę, de quibus Hippocrates loquitur in libro de capitis uulneribus, & Galenus in primo de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 7. ubi de aluminosis dicit, quales sunt in Italia uocatę albulę, quę cũ alijs ulceribus idoneę sunt, tum uero quęcunq; fluxionibus tentãtur, ea perfacile desiccãt. imo & Auicenna ipse lib. 1. fen. 2. doctrina secunda, summa prima cap. 19. inquit aquas ęreas, ferreas, & salsas iuuare in ægritudinibus frigidis & humidis, & in doloribus articulorũ & podagrę, ob hoc hę sunt medicamentosę. i. habẽt aliquid in se quo morbis obsistunt, quanquam de his ferreis aquis & ęreis quispiam ambiget, an frigidis ęgritudinibus & humidis conuenire possint, cum ipsę sint frigidę, & addit conuenire asthmaticis, quod simpliciter absurdum uidetur, cũ potius adstringant hę aquę. Et cum addit conuenire & has aquas anthracibus, hoc quoq; absurdum uidetur, quia sunt aquę siccę, & anthraces ex materia constant sicca. Respondemus Galeni dicta in. 2. Methodi de Albularum aquis quę sunt aluminosę omnia hęc quę faciunt contra Auicennam soluunt, nam si recte Galenum cõsiderabis, inquit ualere & ulceribus & fluxionibus. Hę igitur aquę iccirco ualent quia hi morbi fiunt ex fluxionibus quas sistunt,

fluunt, propterea si ferreę aquę, & ærææ supra membrum frigiditate & humiditate affectum ponantur, calorem naturalem sua stypticitate roborando, & profluuium sistendo sanant, adde & simul exiccare. Scito tamen harum aquarum usum. s. ferrearum & ærearum non cõuenire nisi in principio & augmento, de asthmate uero conueniunt, quia exiccant, de carbunculo intellige Auicennam uoluisse per carbunculum ulcusculum intelligere anthraci similem, & nõ uerum carbunculum ex atra bile proprie factum, postea de aluminosis aquis, docet quòd sputo sanguineo competunt, & sulphureæ neruis, vt hinc uideas esse aquas hic à Galeno uocatas medicamentosas tales quales scripsimus, de quibus hic disserere non est opus, nõ defuere tamẽ qui aquas ferreas calidas esse cõtẽderint, videturq; ex libro de facile parabilibus Galeno adscripto colligi posse.

Petes uero quomodo aquæ tales non sint simpliciter aquę, sed cum tali mistione medicamenti. Respondemus Galenum huic ambiguitati satisfacere primo de simplicium medicamentorũ facultatibus cap. 4. ubi censet has aquas non esse simplices, sed compositas, inquit enim, si qua uero per bituminosa, sulphurosa, nitrosa, aut aluminosa loca distillans, substantiæ eius aliquid absterserit, secúmq; traxerit, mista iam ea est, nõ autem exacte aqua, ueluti si ipse quoq; uolueris, aut salem, aut alumen, aut aliud id genus affatim aquæ miscere potabili, sicuti fermè sępenumero facere cogimur in marinę inopia, quando muriam facere uolumus, tunc enim salem aquæ indimus, ut noscere possit Galenum huic ambiguitati satisfacere, & fateri has non esse simplices aquas, sed compositas.

Galenus exemplũ dat, ut si mel uitiosum, igitur aquę illę erunt uitiosę. Respondemus prorsus esse uitiosas si illas aquę simplici comparemus.

Non uidetur id uerum Hippocratem de optimis semper loqui, nam cum de oxymelite aquoso locutus est, cum de mulsa diluta, cum uino albo comparauit aquoso inodoro, optima nõ accepit. Respondemus imo semper optima accepisse in illo genere in quo loquebatur, & hic est omnium authorum mos cum de aliquibus simplicibus loquuntur, semper de optimis in eo genere loqui.

Secundo Galenus ea quę dixerat ad Hippocratis sententię propositum applicat, ita inferens, hęc igitur optima aqua quę omnium externarum qualitatum expers est, quamuis in suo genere optima sit, tamen multo tempore in uentriculo permanet, & fluctuationem plurimam parit, propterea si contingat uentriculum esse biliosum & aqua ipsa corrumpitur. Adde cum ex uentriculo ad ieiunum intestinum ęgre perueniat, non facile distribuitur, hanc uero distributionem intellige, nõ facile fieri ad iecur, minúsq; deinceps fieri ad renes, ad thoracem, & ad pulmonem, unde urinas non mouebit, cum difficulter tendat ad renes, neq; educet sputa, quia difficilius it ad pulmonem, imo neque facit per totum corpus transpirationes, nam quantum est de sui natura, ob propriam frigiditatem omnia claudit, quippe quod per corpus transpirationem facit, substãtiam habere debet, quę sit tenuium partium & calida, non frigida, ut est aqua, & crassarum partium, pręterea non sedat sitim, quoniã in amplis & uentris & intestinorum animalis instrumẽtis multo maneat tempore, & ut in summa dicam, prorsus imas partes non penetrat, neq; siccitatem humectat, de eo uero quod non alit, nihil in pręsentiarum loquamur, cũ de eo superius dictum sit, & hinc uitalem facultatem roborare non potest. & hęc est causa illa cur Hippocrates postposita uino aqua, ad uinum, aquam mulsam, & oxymeli sese conuerterit, in ęgris semper ab aqua abstinens, iccirco ob dictas causas nullus aqua uti deberet.

Quod legitur preterea & cum ex uentriculo ad ieiunum intestinum ęgre perueniat, grępce est κ' ἀπιὸν δ' ἐπ' ὀλίγον μόλις ἐκ τῆς καρδίας εἰς τὴν κύστιν. & preterea cum ex uentriculo ad uentrem uix descenderit, non ad uesicam, ut aliqui interpretati sunt. Sed per κύστιν inferiorem uentrem intellige usq; ad femora, nã dicitur κύστις κύστιος, uesica vero dicitur κύστη κύστης unde non est opus determinare se ad ieiunum intestinum, qui dicitur νῆστις, sed intellige totam partem sub uentriculo.

Petes quęnam fuit fluctuationes quę ab aqua fiũt. Respondemus has esse, quia aqua ipsa sursum deorsúmq; mouetur, & flatus commiscentur, qui & ipsi aquam isti agitationem faciunt, & quod in una est parte ad aliam commouetur, hoc est aquam fluctuare.

In eo quod ait si uentriculus biliosus fuerit, quod & ipsa corrumpitur petes quonam genere corruptionis corrumpetur, pręterea uidebitur & uentriculum biliosum esse corruptum, id est bilem in ipso esse corruptam. Respondemus fieri posse vt bilis in uentre bilioso non sit corrupta, tamen aqua corrumpetur, quia modo prius exposito transibit in bilem, & hoc est aquam corrumpi.

Petes cur minus in renes, q̃ in hepar? Respondemus quia opus est vt per iecur ad renes transeat, tamen facilius est ad renes pertransire, q̃ ad thoracem, & facilius ad thoracem, q̃ ad pulmonem, quãquam in processu ad thoracem & ad pulmonem sit parua differentia.

Dicit transpirationes quę sunt per totũ corpus ab eo fieri quod habet substantiam tenuium partium, & quod sit calidum non frigidum & crassarum partium, ut censuisse uideatur aquã esse frigidam & crassarum partium, propterea non facit transpirationes per totum corpus, sed hic una contingit dubitatio, quæ est contradictio quędam in Galeno, nam primo de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 15. probat aquam esse tenuium partium, inquiens esse argumento, quod promptissime per pilos & uestimenta perfluat, nam ob humiditatem mollitiemq; quę nihil habeat adiunctum uiscositatis diuisibiles partes obtinet, & quę facile in minimas possint distrahi. Et eodem loco docet quod celeriter in halitum soluitur, atq; expedite digeritur, in illo loco comparat oleum ad aquã, & ostendit aquã esse tenuiorum partium, hócq; facit experimentum, si in idem uas coniectam aquam oleúmq; decoquas, prior tamen aqua absumitur, quamuis oleum sit calidum, sic itẽ si lithargyro aut cerussa, aut id genus aliquo cum aqua diligenter commisto, simul ambo decoquere uoles, priorem digeri aquam experiere, est ergo aqua tenuium partium, quomodo igitur hic à Galeno dicitur esse crassarum? Respondemus Galenum in hac parte ita intelligendum esse, non quod aqua sit crassarum partiũ, quoniam tenuium est ut dicebat in primo de simplicium medicamentorum facultatibus, sed edocere intendit quęnam illa sint quę transpirationes faciant per totum corpus & difflationes, atq; esse illa quę sunt tenuium partium, & quia aqua est tenuium partium, tamen difflationes non facit, propterea aliud addit, non solum opus esse ut sit tenuium partium si debeat difflationes mouere, sed & opus est, ut sit calidę qualitatis, & nõ frigidę ut aqua est, neq; crassarum partium, ut exempli gratia est oleum, unde hęc particula crassarum partium non determinat aquam, sed alia determinat quę sunt uel calida crassarum partium, uel frigida crassarum partium, si frigida sint & crassarum partium, tanto minus difflationes mouebunt, hócq; modo intelligentes nulla est in Galeno contradictio.

Sed inquies saltem in hoc esse contradictionem, quia in sententia adducta ex primo de simplicium medicamentorum facultatibus dicit aquam expedite digeri, superius uero in hac commentatione difficulter digeri dicebat, superius uero nos nõ digeri ostendimus. Respondemus, per digeri in primo de simplicium medicamentorum facultatibus intelligit resolui, certum uero est aquam expedite resolui, cũ nihil habeat glutinosi quod illam remorari possit & impedire ne in halitus soluatur & expedite digeratur, hoc est in spiritus resolui.

Galenus dicere uidetur causam ob quam Hippocrates ad mulsam transiuerit, oxymeli & uinum fuisse, quia facultatem uitalem roborare non potest. At in exacte peracutis morbis nõ est uitalem facultatem roborare, neq; in simpliciter peracutis, igitur illa non est causa cur dari non debeat, & cur Hippocrates aqua relicta ad alios predictos trãsiuerit potus. Respondemus causam ob quam ad hęc transiuerit Hippocrates, nõ esse, quia

non roboret solum, sed esse quia multa aquę inuenit incommoda, de quibus omnibus mentionem fecerat, unde ob omnia simul incommoda, aqua relicta, ad alios transiuit potus, iccirco Galenus non de sola hac causa, quia nō roboret, sed de omnibus simul infert, iā igitur ad eas causas nunquā ea quis utatur. Tertio cum dixerit Galenus ob dicta aquæ incommoda neminem aqua uti debere. At in usu nouerit & Hippocratem usum esse aqua, & antiquos medicos, Hippocratem uero usum esse aqua in sequenti sententia apparebit, propterea hic inquit & alios quosdam medicos & Hippocratem ipsum aqua usos esse in ægritudinibus, sed illi medici magis & frequentius, Hippocratem minus & rarius. Alij etenim medici, cum uini potibus oxymelitis & mulsæ perperam uterentur, propterea aliqua cōtingebant sinistra, unde his circumuenti ad aquam recurrere, ueluti ad illam, per cuius usum & si aliquid succedebat præter animi sententiam, tamen non sequitur aliquod insigne malum, cum neq; habeat insignem aliquam uim secundum quā agat. Aqua igitur neq; multum offendere potest neq; multum iuuare, sed uinum, oxymeli & mulsa, perperam & recte data multum iuuare possunt & multum lædere, unde ab Erasistrato nō ab re dictum est fortes tum ciborum tum potuum facultates si tempestiue sumantur, maximum iuuamentum præstare, si uero intempestiue sumātur, maximam noxam. At in aqua hęc non inueniuntur, quia neq; multum lædere potest, neq; multū iuuare, iccirco non est fortis potus. Et si petas quinā sit ille usus quem Galenus uitiosum uocauit, uini, oxymelitis & mulsæ usum. Respondet Galenus ortum habere ex repentinis mutationibus, & sæpe ob permistionem sinceram quæ à medicis fit statimq; casus quidam à Galeno refertur, de sene quodam, quē curabat, cui quotidie vinum aquosum exhibebat, quidam ex medicis qui aderant uidens Galenum minimum quid uini in aquam instillare, risit, & simul dixit ægrum non bibere uinum, sed uidere solū. At medicus ille ignorabat aliam esse uini symmetriam ad aquam quando accipitur gratia uoluptatis aliam esse quando sumitur ad opem ferendam, & ad uires robustiores reddendas. Nam Galenus miscebat parum uini ueluti excitationem quandam, quæ aquam traheret ad distributionem, quo modico uino solum ad aqua sinceritatem auferamus, neq; ponimus tantum uini ut aqua uinum fiat. Reperiuntur uero & sani qui vinum aqua dilutum bibant, verum in sanis & ægris hæc regula esse debet, vt in sanis aqua vini gustum non uincat in ægris uero debet aquarum gustatus uincere, & ita uincere ut parua solum sit uini representatio, unde & superius Hippocrates oxymeli aquosum laudabat, & de mulsa quod quisque tutius uteretur illa quæ esset dilutior, nam sincera puraque nisi uentrem subducere anticipauerit, magis nocebit, & potissimū in picrocholis & in his in quibus præter naturā tumefacta sunt uiscera, in quibus etiā hominibus & aqua detrimentum parit cum plus iusto in hypochondrijs morata in bilē conuersa sit.

Quod legitur in his & aqua detrimentum affert, nos potius continuandum ducimus ἐφ' ὧν in quibus & detrimentū affert, palam uero est si dicamus in quibus, s. picrocholis & megalosplanchnis continuationem fieri potiorem & magis cōmodā. Dicit aquam non habere δύναμιν, i. uim & potentiam. At hoc absurdum uidetur, quoniam aqua uim habet infrigidandi & humectandi ut à Galeno edocemur in primo de simpliciū medicamentorum facultatibus, igitur & aqua ipsa uim habet. Respondemus & aquam prorsus uim propriam habere, & infrigidandi & humectādi, & faciendi ut multa facilius per corpus distribuantur, sed ad iuuandum corpus nō habet magnā uim. & hic est Galeni sensus in hac parte. Antiquos qui mulsa uti uolebant, uino, & oxymelite, suos ægros in multa detrusisse discrimina, propter hoc ad aquam descendere quæ multū obesse non potest, quando & uim non habeat qua multum prodesse possit. Sed inquies imo posse multum obesse si obstructionem faciat. Respondemus loqui in acutis morbis, in quibus infrigidat & humectat, & in aliquibus forte lædit, sed cum non sit insignis læsio, à medicis negligitur, neq; animaduertitur.

Petes quomodo uini, oxymelitis & mulsæ usus ob repentinas mutationes & ob sinceram mistionem sit uitiosus. Respondemus ob repentinas & uniuersim factas mutationes, quando quis debeat absq; potu & cibo consistentiam pertransire, tamen ante consistentiam affatim mulsam, vel uinum, uel oxymeli bibat. Ob uinum deliria contingere possunt, & febres augeri, ob mulsam augeri febres, ob oxymeli & febres augeri, & profluuia induci, est uero uitiosus ob sinceram permistionem, quando quis deberet mulsam bibere dilutam, & bibit sincerā, in qua erit permistum aquæ minimum, uel debeat oxymeli dilutum bibere & meracius accipiat. Et ita de uino raro diceret uinum bibendum album aquosum. At bibat uinum flauum uinosum, non solum hic usus est uitiosus, sed & hominem in uitæ discrimina inducit.

Galenus in huius senis casu inquit se illi propinasse vinum ὑδατῶδες, i. aquosum, postea addit quod aquæ instillabat parum uini. At si erat aquosum uinum, cur instillare parum uini aquæ, satis erat esse aquosum? Respondemus Galenum intelligere quod huic seni uinum aquosum dabat, nō quidem ortum aquosum, ut ex ligno uitis paruam acceperit caliditatem, sed erat ex miscella aquosum, nam instillabat modicum uini in aquā. At dices experientiam ostendere in multis hominibus, quādo tam parum uini in aquam inijcitur, nauseam induci, quoniam saporem quendam & odorem ingratum sentiunt ut odorem lotionis cyathorum referre uideatur, ut multi aquam potius bibere uelint, q; hoc uini genus, igitur uinum tam dilutum non uidetur conuenire. Respondemus his non esse præbendum quibus displicet, prębendum uero quibus non displicet. Adde odorata uina nunquam suauem illum suum odorem amittere, sed insuauia sunt illa quæ odorem amittunt. talia uero in hoc casu sumenda non sunt. nos plerunq; accipimus ex nostris albanis uocatis Ferrariensibus, quæ tantam aquæ copiam ferunt ut nihil supra, tamen nunquam suo odore & sapore priuantur, neque nauseam inducunt.

Sed petes an uinum hoc quod est aquæ instillandum, uinosum sit, uel aquosum. Respondemus uinosum esse oportere & efficax, ut aquæ uim penetrandi tribuat, & per corpus distribuendi, & aquæ sinceritatem auferat, quam non auferret si aquosum esset, & parua aquæ copia commisceretur.

Sed in hoc casu quantitatem uini, uel aquę si petas, dicimus, secundum uini genera, quantitatem mensurari, Nam (ut de nostris uulgaribus loquamur mēsuris & uasculis) si uinum sit creticum dulce, in communem aquæ cyathum, tria nostrata vini coclearia ponere conuenit, odor sentitur, sapor, & nauseam nō inducit, nec aqua amplius est sincera, nec moratur, sed per corpus distribuit, si sint uina græca ex monte uesuuio, quæ Galenus Falerna nuncupabat, tantundem, uel duo coclearia in aliquibus satis sunt, de uinis nostratibus opus erit quantitatē augere secundum suum genus.

Dices uero Galenum uelle aquā excitari à uino. At Galli oppositum facere uidentur, qui uinum ab aqua excitari malunt. Respondemus utrunq; fieri posse, nam & uinum ab aqua pauca mista excitari potest, quæ totum commouet uinum, & uini saporē exiccat, redditq; eius austeritatem, & ponticitatem magis uigentem, sed pauca aqua esse debet, nam multa, uim saporem obtunderet non excitaret, econtrario uinum excitat aquā quoties non adsit tanta vini copia vt aquæ gustus penitus auferatur.

Petes præterea an aqua uinum fieri possit, nam hic Galenus expresse fateri uidetur aquam fieri uinum, cum sit non autem aquam uinū faciamus, sed hoc absurdum uidetur, quia ad hoc ut aqua uinum fiat (ut superius dictum est) opus est ut per uitis corpus transeat, & à calore uitis excitetur, & etiam à calore solis, uerum hic esse non possunt horum duorum calorum actiones, igitur aqua uinum fieri non poterit, nisi aqua à uite traheretur. Respondemus hic Galenum intelligere aquam fieri vinum hoc est adeo misceri uino ut uinum suas habeat qualitates & suum gustum, aqua uero in hac compositione non seruatur,

tiatur, hoc est quod Galenus censet aquam fieri uinum.i.non persentiri in tali uino esse aquam. In hoc argues, quia si aqua in uinum ponatur, imbecillius fit, igitur aqua persentitur. Respondemus & si forte quispiam qui vinum prius biberit meracius, in eo ex existimatione persentiat esse aquam quam recepit, per comparationem ad vinum meracius, prius epotum, tamen in se & simpliciter qualitatem ullam aquę non percipit, sed illi vinū esse uidetur, in illo quoq; dubitabis quo dicitur in sanis aquā gustatu ipso euincere nō debere, sed hoc absurdum videtur, cū aqua nullā habeat qualitatē, quę gustu sentiri possit, nempe vitiosa est aqua quæ ullum habet saporē, igitur nunquā gustatu euincere poterit, sed uinū in quantacunq; sit quantitate aquam gustatu semper euincet, quia saporē habet quali caret aqua. Respondemus & si aqua ἄποιος sit.i.cuiuscūq; qualitatis expers, tamen sensus noster aquā accipiens saporē quendā innominatū gustu percipit, quē uocare possumus aquæ saporē uel insipiditatē, & secundū hoc aquā esse cognoscimus, nā Galenus uocat hoc aquæ gustū & aquę quendā saporē qua ipsa deprehenditur, hic gustus aquæ in sanis nō debet exuperare uini gustum hoc est non debet potius persentiri ibi esse aquam, q̄ uinum.

Petes quanta esse debeat in ægris uini quantitas. Galenus Respondet tam modicam esse debere, ut solum habeat ἔμφασιν.i. uini repręsentationem, ut ægro satisfaciat.

Quarto Galenus Hippocraticę sententiæ expositionem prosequitur, præter (inquit) omnia quæ prædicta sunt de aqua mala id habet etiam incommodi, quod est stercoris expers, neq; aluum ullo pacto subducit, intellige ratione qua aqua, & nisi per uentriculi infrigidationem, ex cruditate lienteria sequetur & alui profluuium. Addit & Hippocrates in accessionū initijs aquā lædere, & hoc per ista uerba manifestauit quibus inquit, si quis pedibus frigentibus aquam nōnunquam biberit, illa omnibus alijs potibus multo magis nocebit. Galenus uero iudicat hanc propositionē omnibus esse notam & certam & ex his esse vnā quę apud omnes in confesso est, propterea interrogat Galenus si aqua tot habeat incōmoda, quot ab Hippocrate relata sunt, quando bibi debet, & quando est tempus idoneum ad illam epotandam, Galenus respondet tunc aquā esse potandam, quoties æger solo potu fuerit usus, & nullo pacto usus fuerit pusanæ cremore, in hoc enim casu aquam in aliarū potionū medio quis bibere poterit, & id tempestiue fiet, potissimumq; si æger siticulosus fuerit, nam Hippocrates ait aquā facere πλημμυρίδα quandam.i.humidi cuiuspiam copiam & abundantiam, ita enim significat id uocabulum πλημμυρίς, uel inundationē, vel exundationem, unde cōsueti sunt medici inter mulsam, & oxymeli modicum aquę exhibere, hoc uero his confert quæ exputi debent ad humectationem, & aliud est quod suadet medicum aquam ęgro exhibere, hoc autem est quando uinum grauiter obest, tunc enim aquam propinare solent, hoc autem esse verum ex Hippocrate in sequenti sententia ostendetur.

Sed hic forte duplici ambiguitate dubitabis, cum inquit, si pedibus frigentibus aliquando quis aquam biberit.i.in accessionū principio, his omnibus multo magis nocebit, & hoc unum ex his esse, quæ sunt nota & certa & cōfessa. At hæc particula his omnibus potus alios refert, igitur si his omnibus potibus qui dicti sunt magis nocebit, & prædicti potus sint uinum, mulsa, & oxymeli, igitur nocebit magis, q̄ uinū, si in accessionū principio sumatur, nam de oxymelite & mulsa ambigere nolumus, sed hoc absurdum uidetur, quoniam uinū potius magis obesse uidebitur, quia aqua obest, quoniā magis infrigidat, & calorē retardat, naturāq; impedit, ne se cito diffundat. At uini sumptio præter hęc potest simul cum materia ad caput effumare, & delíria inducere, ac eiusdem generis alia.

Præterea alia est ambiguitas, quia inquit hoc ex his unū esse, quę nota sunt, & certa & confessa, sed hoc absurdum uidetur, quia si ita esset, esset primum principium, & hæc esset maxima quædā propositio, quæ istud significat. At maximā nō esse cōstat, ideo &c. Respōdemus ad primū, hāc particulam, his omnibus, potus nō referre, sed noxas alias referre quę ab aqua fiunt tunc sensus est, aquam his omnibus dictis noxis, in accessionū principijs acceptā magis obfuturā, quādo pedes frigidi sunt, quia accessionē prorogat, & una in bilē transit, imo quia alia postea adducere incōmoda & supradicta, quibus magis lędet, propterea tibi dicimus epotā aquā i accessionū initijs, multa ex illis incōmoda simul facere, & nō unū solū, si uero intelligeremus his oībus potibus, opus esset dicere, aquā quo ad frigiditatē solū magis obesse, ob id & Hippocratē dixisse, pedes habentibus frigidos. Ad aliud & si Galenus dicat hoc unū ex his esse q̄ nota sunt certa, & cōfessa in nō est dignitas, sed opus ē hoc apud solos medicos, intelligere, nam apud oēs medicos, & apud oēs medicorū sectas, pro certo, rato, & firmo receptū est in accessionū principijs nō esse dandū aquę potū, cū pedes frigidi sunt, imo nihil tunc esse dandū à maiori parte cōceditur, & quamuis propositiones oēs medicę in disputationē, & dissidium uenire possint, tamē hęc ab omnibus semper fuit cōcessa.f. frigētibus pedibus non esse aquā præbendam, & hoc Galenus intelligit, non quod sit maxima propositio, uel dignitas aliqua.

Dubitabis pręterea in eo quod dicit idoneā esse aquā, quando æger potu solo fuerit usus, & nō ptisanę cremore. Tu uero inquies nōne & aqua ipsa est potus? Igitur aquā bibere cōueniēs erit, quando ptisanę cremor nō accipietur, si uero hoc fatearis, cur dicit in aliarū potionū medio aquā tēpestiue ingeri posse? nā potest, & simpliciter, & per se ingeri, pręter id quod in aliarū potionū medio sumatur. Respondemus ab Hippocrate & Galeno cremorē ptisanę nō dici potū sed exorbitionē, & ptisana ipsa eodē nomine insignitur, potus uero sunt in duplici differentia, aliqui quodammodo nutriunt, aliqui nihil nutriunt, nihil nutrit aqua, uinum, mulsa, oxymeli quodāmodo nutriunt, in illis morbis in quibus non debet dari ptisanæ cremor, mulsa datur, uel oxymeli, & hi potus nunc à Galeno uocantur, in horum potuum medio aqua bibi potest, quia cum his miscetur, neq; lędere potest, neque prędictas inducere noxas, propterea statim dicit, inter oxymeli, mulsamq; aquę parū dari oportere. Sed dices, igitur oxymeli bibendum iubet, & mulsam una vice, sed aquā interponendā. Respondemus intellige unū solū bibi, & in medio aquā pręberi.i. post sumptam mulsam, antequā iterū sumat, uel post sumptum oxymeli antequam iterum sumat, uel dici potest, & hęc tria quandoq; sumi, ut primo docet lib. sectione. 43. ubi Galenus inquit, quātum ad morbum oxymelite magis utendum, uerum si æger multo accepto oxymelite adhuc sitiuerit, melicratum dare oportet. quòd si & ab eo resitiuerit, aquam offerendam putato, nempe aqua per se pota culpa non caret, forte & inter oxymeli & mulsam, aquam dedisset, per se uero non dedisset, quia culpa non caret, ut in praesenti sententia exponenda uisum est. uno igitur ex his sumpto, uel oxymelite, uel mulsa statim licet aquā bibere, imo & post uinum, ut in sequenti sententia apparebit.

## Hippocrates. Sectio XLI.

Cum vero in huiusmodi morbis fortem capitis grauitatem vel mentis læsionem suspicatus fueris, a vino penitus est abstinendū, aquāque tunc dare oportet vel vinum aquosum, flauumque & prorsus inodorum, àtque ab ipsius potione, aquę exiguum superbibendum. Nam hoc modo vini potentia caput mentemq; minus tentabit.

BRASAVOLVS.

Hippocrates in acutis morbis, in pleuritide, & alijs thoracis affectibus uinum concedit, nunc docet quando concedendum non sit, & si concedere uoluerimus, quia æger vehementissime expetat, quodnam vini genus sumi debeat, inquit, igitur cum in his morbis scilicet acutis non quidem actu videris, sed & suspicatus fueris fortem capitis grauitatem, vel mentis lęsionē, tunc à uino penitus abstinere oportet, & aquā dare cōuenit. quòd si is talis sit qui aquam refugiat & uinum expetat,

vinum dato aquosum flauumq; & prorsus inodorum, idq; seruato, postquam homo uinum hoc biberit, exiguum aquæ super bibendum iubeto, quoniam si hoc feceris, vini potentia caput, & mentem minus tentabit, quàm si uinum solum dederis aqua posthabita.

ὑποπτεύσαντι μὲν τοι ἐν ταύτῃσι τῇσι νούσοισιν, ἢ καρηβαρίην ἰσχυρὴν, ἢ φρενῶν ἅψιν, παντάπασιν οἴνου ἀποσχετέον.i. cum uero in huiusmodi morbis, vel fortem capitis grauitatem, uel mentis læsionem suspicatus fueris, à vino penitus abstinendum. Notáq; dixisse suspicari, quoniam & si nō sit his affectus, at ne coniungat suspiceris, à vino abstruere debes.

Petes uero quomodo cognosci possit futura capitis & grauitas & mentis læsio. Respōdemus de grauitate & lęsione in urinis simul uidetur, quando vrinæ apparent turbidæ, neq; capitis dolor adsit, neq; delirium, iudicare oportet hęc futura esse, uel aliqua, incepit grauitas, & notamus ægrum non esse adhuc euacuatum, & materiæ copiam habere, oculos habet rubros plenos, uidemus non posse caput rectum seruare, & alia similia, tunc iudicamus futuram, capitis grauitatem uel dolorem, nam hic Hippocratem intelligo ut per καρηβαρίην non solum grauitatem intelligat, sed & cuiuscunq; generis dolorem, nam in capitis doloribus potissimum à causa calida quales in acutis morbis esse solent, à vino penitus abstinere oportet, de mentis uero læsione præcognoscit quando aliquis paulatim delirare incipit, & quædam præter propositum enarrare, in hoc casu de mentis læsione suspicandum est, quæ ad capitis sequitur læsionem, itaq; uinum statim prohibendum.

ὕδατι δὲ ἐν τῷ τοιῷδε χρηστέον.i. aquâmq; tūc dare oportet, quæ nec effumat in caput, nec illud calefacere pōt, et si aliqui spiritus ab ea eleuari in caput peruenirēt, vt facile fieri pōt.

Sed petes quod genus aquæ daret Hippocrates, an crudum an coctum. Respondemus dedisse ut à fonte asportatur, non enim apud ipsum decoctionis aquæ simplicis fit mentio. Nos simpliciter & sine aliquo addito potius excoctam daremus, nam in coctura multæ flatuosæ partes abeunt, & multi spiritus simul misti, neq; habet tam uehementem frigiditatem.

Sed inquies si aqua in bilem conuertitur, in his potissimum, in quibus bilis in uentriculo abundat, igitur & aqua bilis facta in caput effumabit, & illud calefaciet. Respondemus non fit uere bilis, sed bili mista, eius corpus ampliat, tamen est bilis remissior, q̄ si pura esset absq; aquæ miscella. Adde vini uapores simul cum bile esse multo uehementiores, & magis calefacere, q̄ uapores aquę cum bile.

ἢ ὑδαρέα καὶ λευκὸν παντελῶς δοτέον οἶνον καὶ ἄοδμον παντάπασιν.i. uel dandum uinum album omnino aquosum, & penitus inodorum. Aldinus cōtextus legit λευκὸν, & alij multi, sed Galenus in commentatione ostendit legendum esse κιῤῥὸν.i. flauum uel fuluum, non album ut apparet in dubio quod mouet. ex quo loco apud Hippocratem accipitur esse aliqua vina flaua fuluáq; nō potentia, ut nostrę uocant albanę, & profecto ita est aliqua uina flaua esse aquosa & non uinosa. Galenus uero hęc non cognouit, ut palam est si quis vbiq; Galenum consideret ubi de re hac agit.

καὶ μετὰ τὴν πόσιν αὐτοῦ, ὕδωρ μεταποτέον ὀλίγον.i. & post ipsius potionem aquę exiguum super bibendū, quæ quicquid fumi habebit tale uini genus id omne supprimet & supplantabit, nec effumare sinet, & id ex consequenti faciet quod ab Hippocrate statim additur dicente.

οὕτω γὰρ ἂν ἧσσον τὸ ἀπὸ τοῦ οἴνου μένος ἅπτοιτο τῆς κεφαλῆς, καὶ γνώμης.i. nam hoc modo vini potentia caput, mentémq; minus tentabit, quia minus inflammabit, & si effumauerit, est frigida effumatio, quæ mentem tentare non potest, nam neq; caput petet, neq; mentem, quę opus suū in capite exercet.

GALENVS. Mentem tentari, lædiq; dicitur, cū æger febre correptus desipuerit. Nunc ergo mentis læsionē desipientiā dicit, in qua vino abstinendū pręcipit. Pari modo & in uehementibus capitis doloribus. De utroq; antea est dictum. Sed in præsentiarū ubi in prędictis symptomatis à uino omnino abstinendum prædixit, consequenter aquosum, flauūq; omnino, & quod odore careat dandum ait. Aquosum quidē & inodorum dare bene dicitur, sed flauū nō admodū recipio. Nam ad ea omnia aquosum album melius existit. Etiam uero in eam gratiam, cum uina talia sunt, superbibendam confestim aquam tutius præcepit. Minus.n. (inquit) uini robur quod uehemens est, caput, mentēq; tentabit. ἅπτετο quidem uerbo usus sibipsi usitato, cōsuetóq; quo ἅψιν τῶν φρενῶν.i. mentis lęsionem ab huiusmodi uerbo quod ἅψεως nomine hominibus usitatius ait, sese fecisse ostendit. Caput autem, mentemq; uino tentari ait, quod propter caliditatem celeriter ad caput feratur, feruētesq; in corpore secum ferat humores. Qua autem ratione caput male afficit, ea & mentem. Nam in capite sapere ipsum situm est, & ea animæ pars quę ratiocinatur.

BRASAVOLVS. Primo Galenus declarat quid sit mentem tentari, & lędi inquiens esse, quando ęger febre correptus desipuerit, unde delirat, & illa dicit ac facit, quæ uiro mentis cōpoti nō conueniunt, iccirco in hoc loco per mentis lęsionē desipientiā intellige, quā cū in ęgro esse uidebis, à uino statim abstinere iubeto, iubeto pręterea & à uino abstinere in uehemētibus capitis doloribus. de utroq; symptomate superius dictum est in octaua sectione, quādo dicebat, fuluo autē uino, & nigro austero in morbis huiusmodi ad hęc uteris, si neq; grauitas capitis fuerit, neq; mentis cōcussio. uerū Hippocrates in hoc loco postea q̄ in prędictis symptomatibus à uino abstinendū esse dixit, statim genus uinī eligit quod dari potest, nā das aquosum flauum & quod odore caret, notátq; Galenus cōuenire aquosum uinū dare & inodorū, sed nō recipit, neq; intelligit qn̄o dari possit flauum, quoniā album aquosum ad hęc symptomata est melius, Galenus semper iudicauit flaua uina esse omniū calidissima, quod de vinis suę patrię forte uerū est, nos uero flaua habemus quę frigidiora sunt, q̄ sit humana temperies, ut albanę dictę, quę & si albanę uocentur, tamen non sunt albę omnes, quia aliquę sunt pallidę, aliquę flauę, aliquę fuluę.

Nota Galenū transire ἀπὸ τῆς καρηβαρίας ad κεφαλαλγίαν.i. à capitis grauitate ad capitis dolorē, quia & Hippocrates nō intelligebat per καρηβαρίην solam grauitatem, licet id uocabulū proprie grauitatem significet, sed intelligebat dolorem quomodocunq; capitis uehementem, etiam si pręsens nō adsit, sed futurus sit, & à medico (ut superius dictum est) pręuideatur.

Et Galenus hic utitur uocabulo κιῤῥὸν, quod fuluo superius interpretandum uoluimus, licet & flauus dici possit.

Petes ob quā causam aliquis mente corripitur in febribus. Respondemus ob fumos qui à materia febrem faciente agitata & ebulliente eleuantur, quibus fumis & hi miscentur, qui à vino sunt, & caput petunt, ac calefaciunt, & desipientias maiores & delíria maiora commouent.

Secundo Galenus notat, cur, & Hippocrates aquam superbibendam iubeat, etiam si uina talia sint, quia robur illud quod in uino est etiam si sit aquosum & inodorum, minus caput tentabit, mentemq;, uerum Galenus hic addit particulam illā, quod uehemens est, ut dicat uini robur quod uehemens, sed robur uini aquosi inodori non est uehemens, propterea opus est intelligere Galenum in κιῤῥῷ.i. fuluo uel flauo, de quo dicebat se nescire neq; recipere quomodo sit dandum, de uinis.n. aquosis dici non potest quòd robur habeant uehemens.

Sed ambiges an idem faciat aquam bibere post epotum uinū, sicuti miscere uinum aqua, postea bibere. Respondemus quando uinum aqua diluimus, conuenit per aliquod spatium prius aquam esse uino mistam alioqui in illa miscella ad minima fit commotio, & maior euaporatio & conturbatio, propterea tanto temporis spatio aqua uino pręmisceatur, ut antequam bibatur fit perfectus mistionis motus, postea bibatur. At si non cōuenit uinum bibere aqua mistum, tunc eodem modo non erit ita conueniens uinum bibere, postea aquam, tamen & in ventriculo miscentur, & si quis meracius uinum ebiberit, potest in uentriculo diluere epota aqua. at in illo mistionis motu persentiet homo aliquid incommodi & perturbationis,

ut melius

ut melius fuisset prius diluisse, tamen si uinum effumare cœpisset, ab re non est aquam dare quę fumos supprimit, & uinum contemperat.

Tertio Galenus notat Hippocratem usum esse pro uerbo tentabit, uerbo ἄπτεται, quod est uerbum sibi usitatum & consuetum, à quo uerbo ἄψιν φρενῶν. i. mentis læsionem deduxit, & ostendit sese fecisse hoc ab huiusmodi uerbo quod ἄψεως nomine est apud homines usitatius.

Galeni uerba in græco idiomate clariora sunt, nempe ait, καὶ δηλώσας ὅτι καὶ τὴν ἄψιν τῶν φρενῶν ἀπὸ τούτου τοῦ ῥήματος ἐποίησε συνηθεστέρου τοῖς ἀνθρώποις ὄντος ἢ τὸ τῆς ἄψεως ὄνομα. i. & ostendit quod & τὴν ἄψιν τῶν φρενῶν. i. mentis læsionem ab hoc uerbo deduxit, quod est usitatius apud homines, quàm sit nomen ἄψεως. i. quàm sit hoc nomen ἄψις, nam hoc nomen non erat in usu pro læsione, sed uerbum erat in illo usu, tamē Hippocrates & uerbo usus est, & etiam nomine illo à uerbo deducto.

Quarto Galenus notat ab Hippocrate dictum esse caput & mentem vino tentari, quoniam ob caliditatem suam facile euaporat, & in caput celeriter tendit, & feruentes illos qui in corpore sunt humores secum ducit, sed eadem ratione qua sua caliditate & uaporum abundantia caput lædit, mentem etiam lędit, nam in capite est ipsum sapere, & pars illa animę quæ ratiocinatur, in eodem capite est.

De mente uero contra Zenonem, Chrysippum & Diogenem plura Galenus tractat in secundo de Decretis Hippocratis & Platonis libro, nam non est opus nos in præsentiarum illa disserere quæ ad libros de anima spectant, de animæ principatu, & an locum habeat in humano corpore, & an pro sua actione organo indigeat, quæ omnia ut sunt pulcherrima scitu, ita difficilima existunt, & ferè impossibilia, in quibus rebus adeo Galenus anceps fuit, ut hęc certe determinare nunquam aggressus sit, & Aristoteles adeo obscure, hæc pertractat, ut similis sphingi uideatur, illa solum hic à nobis sunt perquirenda quæ sint quæ mentem tentent. Vinum vnum esse dictum est, quod superius & octaua sectione retulit Hippocrates, & à Galeno fuit confirmatum, & superius, & in. 9. de decretis Hippocratis & Platonis libro, & in principio libelli de motu musculorum Galenus docet, neruo & minime affecto vel inflammato mentis alienationem cōsecutam. & in primo de sanitate tuenda docet uinum non esse pueris exhibendum, quia non corpori nostro, sed & animo damnum accedit: imo nec adultis vult dandum nisi temperatum, quod videlicet & ad iram & ad libidinem præcipites facit, & partem animi rationalem hebetem turbidámque reddit, & in. 4. de pulsuum causis in principio ait timorem mentem conturbare, propterea facit pulsus inæquales, & in. 4. de præsagatione ex pulsibus arteriæ, corpus considerat quod siccum sit, an sit siccum ob tensionem, uel ob siccitatem, & si ob siccitatem vel intemperies calida & sicca obsidet cerebrum, uel copia bilis, si ob tensionē adest inflammatio, si propter ambo iudicare debes ipsum affectum esse cōflatum ex sanguineo & bilioso humore, infertque Galenus omnes hoc perpetuo delirare, multa dicuntur. de mētis affectibus in libello Galeno adscripto, qui medicus dicitur. de mente uero si quis multa ex Galeno scire cupiat, librum legat. 17. de vsu partium prope libri calcem, ubi & naturam mentem facit, & mentis excellentiam enarrat.

## Hippocrates. Sectio XLII.

**In quibus autem maxime aqua vtendum sit, & quando valde multa, & quando modica, & quando gelida, & quando calida · partim quidem antea dictum est, partim vero suo tempore dicetur.**

BRASAVOLVS. In hac sententia quędam ab Hippocrate per modum epilogi referuntur, quæ ab eo prius dicta sunt, quædam præterea referuntur de quibus in sequentibus loquetur, propterea ait, in quibus morbis potissimum aqua utendum sit, & quando valde multa debet bibi, & quando modica, & quando gelida, & quando calida, de his partim dictum est superius, & partim suo loco dicetur.

ἐν ὅσοισι δὲ μάλιστα αὐτῷ ποτῷ χρηστέον. i. in quibus autem maxime aqua vtēdum sit, intellige in quibus morbis, & in quibus etiam hominibus, nam hominis temperatura & de danda indicat, & de prohibenda aqua, & si petas an hoc sit dictum superius vel non dicimus non esse adhuc dictum nisi pro parte, quia in præcedenti sententia suadebat aquam esse exhibendā, quoties autem doloris capitis uehementioris periculum, aut mentis alienatio imminebat.

καὶ ὁκότε πολλῷ κάρτα, καὶ ὅκου μετρίῳ. i. & quando ualde multa, & quādo modica, de hoc etiam nō est adhuc locutus Hippocrates, tamen nos quædam in secundo libro retulimus.

καὶ ὅκου ψυχρῷ, καὶ ὅκου θερμῷ, id est, & quando frigida & quando calida, de calida & de frigida in hyeme, & in æstate in primo libro locutus est sectione. 45. & quamuis de oxymelite loqui videatur, tamen & de mulsa, & aqua sermonem habet.

τὰ μέν που καὶ πρόσθεν εἴρηται, τὰ δὲ ἐν αὐτέοισι τοῖσι καιροῖσι ῥηθήσεται. i. partim quidem antea dictum est, partim vero suis temporibus dicetur, quando. s. de his loquendi occasiones præstabuntur, quod erit in particulari acutorum morborum tractatione, id igitur erit in. 4. libro, uerum cum hęc in. 4. libro scripta non sint, imo & is liber à Galeno non existimetur Hippocratis, propterea librum aliquem deesse arbitratur, uel aliquos de ratione uictus in acutis, quos Hippocrates quidem scripserit, sed ad manus Galeni non peruenerint, & minus ad nostras, de qua re suo loco differemus.

GALENVS. Erasistratus quidem in libro de febribus malitiose satis criminatur Hippocratem, discipulos ipsius propè accusans Apollonium & Dexippum, quos ait cereos cyathos duodecim in sextantali cotulæ cyatho effinxisse, atque unum ex his uel duos febrientibus admetiri. Verum Hippocrates non hic solum, uerum quoque & in antedictis potionibus omnibus copiosius largiusve manifeste uti uisus est. Quod & in præsenti dictione liquido ostendit, inquiens: In quibus autem maxime aqua vtendum sit, & quando ualde multa. Nam & τὸ κάρτα πολλῷ τὸ λίαν πολλῷ, id est ualde & supra modum multa significat: sed sanè satis erat dicere multam aliquando dari aquam sine adiectione aduerbij huius κάρτα, in ostensionē malitiæ Erasistrati, qui de Apollonio & Dexippo mentionem facit, nec ullum horū librū ostendere potest: nec Hippocratē ipsum intelligit, aperte dicentē, Et quando utendū ualde multa. Quin etiā & superiore oratione mulsam inter oxymeli aquā porrigens utilē esse ait, quod πλημμυρίδα. i. humiditatis abundantiā pariat. Scripsit & antea de mulsa & oxymelite aquosis, quod os humectiāt, & urinas cieant: nō utique cyathū horū porrigens, sed quātitatē insignē, qua & os humectari, & urinæ cieri, & quæ pulmonē infestent expui possint. Præterea & de oxymelite ita scripsit: quòd si potū hunc, & quidē multū, per totū morbi tēpus protulisse existimaueris. adijciēs hic multū. De malitia aūt Erasistrati aduersus Hippocratē dicta hæc sufficiāt. Cæterū recordemur Hippocratem quomodo ante, ita & nunc polliceri se in morbis singulis propriam facturum doctrinam: cum hoc in loco victus instituendi artem non sufficienter conficiat, sed uniuersalia sola in exemplo morbi unius. s. pleuritidis prosequatur.

BRASAVOLVS. Vbicunque ansa Galeno datur reprehendendi Erasistratum & accusandi de reprehensione, qua vsus est ipse Erasistratus in Hippocratem, illum perpetuo accusat, ut in primo huius voluminis fecit sectione. 25. & in libro de optima secta ad Thrasibulum, & in. 4. huius sectione quinta. Primo igitur hic Galenus notat Erasistratum libro de febribus esse criminatum Hippocratem satis malitiose, & profecto directe Hippocratem nō damnabat Erasistratus, sed Hippocratis discipulos accusabat Apollonium & Dexippum veluti illos qui fame & siti

ægros necarent, ex consequenti & Hippocratem damnabat, qui illi præceptoris uestigia sequebantur. Tamen & directe, vt primo libro huius uoluminis apparet, Hippocratem arguebat, quippe Erasistratus dicebat Dexippum & Apollonium duodecim fecisse cereos cyathos, & illos effinxisse in sextantali cotylæ cyatho, atque febrientibus dare unum uel duos ex his cyathis, neq; prætergredi hanc mensuram. Notáq; duodecim fecisse cyathos in sexta parte cotylæ. Et hoc modo intelligentes est minima quantitas quæ in potu sumitur. si vero intelligeremus sextam partem cotylæ continere vnum ex illis cyathis, esset adhuc multum, quia essent drachmæ duodecim, & scrupuli quatuor. At si Hippocratem non hic solum, sed & in alijs prædictis potionibus consideremus, rem non tam arcte restringit, vt illi Erasistratus imponit, sed copiosiori potu manifestissime utitur, & istud in hac sententia apertissimum est, cũ inquit, in quibus autem maxime aqua vtendum sit, & quando valde multa, nam hæ particulæ τὸ κάρτα πολλῷ, τὸ λίαν πολλῷ, valde & supra modum multa significat, Tamen ad ostendendam Erasistrati malitiam satis erat Hippocratem dixisse multam aliquando dandam aquam absq; adiectione aduerbij huius κάρτα, nam hoc satis demonstrasset Erasistrati malitiam qui de Apollonio & Dexippo mentionem facit, tamen non vidit vllum librum horum authorum, nec vllum ostendere potest, imo non intelligit quæ probe ab Hippocrate dicuntur, nã Hippocrates expresse dicit, & quando vtendum ualde multa, Adde & in. 40. sententia, cum dicebat utilem esse aquam, si inter oxymeli & mulsam daretur, inquit, quod πλημμυρίδα. i. humiditatis abundantiam parit, præterea Hippocrates superius de oxymelite scripsit & mulsa aquosis, & dicebat quòd os humectabant & urinas proritabant, in quibus verbis non ostendit se exhibere unum cyathum, nam solus cyathus hæc non faceret, sed quantitatem dat insignem, qua & os humectari possit, & urina cieri, & illa expui possint, quæ pulmonem infestant, ad quem non pertingerent si in pauca darentur quantitate, & solus cyathus exhiberetur.

Addit & hoc Galenus ad Erasistrati compositionem, quod ita de oxymelite superius scripsit Hippocrates. Quod si potum hunc & quidem multum, per totum morbi tempus futurum existimauens, in hac parte deprehẽditur Hippocratem uti particula multum, sed de Erasistrati malitia aduersus Hippocratem hæc dicta satis sint.

Nota Galenum plerisq; in locis de Erasistrato mentionem fecisse, qui Hippocratem & Hippocratis discipulos reprehenderit, quoniam ægros inedia & potu macerauerit, & plerunq; de Apollonio & Dexippo Hippocratis discipulis mentionem facit. sed horum potissimum meminit in libello de optima secta ad Thrasibulum, nam diuersitatem eorum quæ ab antiquis in febribus exhibebantur, edocet, aitq; Apollonium & Dexippum Hippocratis auditores, neq; aquam propinasse, ne dum uinum, præparauerant enim cyathos quosdam cereos numero. 12. ut essent singuli heminæ sexta pars. Ex his duos, trésue ægrotantibus alternatim dabant. in hoc quoq; loco inquit cyathos cereos duodecim in sextantali cotylę cyatho effinxisse, atque unum ex his uel duos febrientibus admetiri. Quidam librum de optima secta ad Thrasibulum legentes, putant illã particulam ut heminæ sexta pars esset, quę Gręce est εἰς τὸν ἑκτημόριον, esse superfluam, & mendosum esse contextum, cũ tamen longe aberrent, quoniam, ut palam est, & hic vnumquenq; illorum cyathorum sextam cotylę, uel heminę partem facit. Id enim sunt hemina & cotyla, cotyla græcum est vocabulum, hemina Latinum, uerum cum latina nomina aspiratione careant, quęrere cœpi an apud Græcos inueniretur, & profecto Athenæus hemina utitur, nam. 17. Dipnosophistarum libro inquit τὴν δὲ κοτύλην καλοῦσιν ἡμίναν, ut ostendat cotulam uocari heminam, petes uero quęnam mensura sit cyathus, & quę quantitas. Scito hic cyathum non accipi pro vero cyatho, nam ut superius uisum est, uini cyathus vel aquæ, quã illi dabant duodecim drachmas continebat, & scrupulos quatuor, uel tredecim drachmas & scrupulum unum, uerumtamen hic cyathum pro alia accipit mensura, quam dicit continere sextam cotulę uel heminę partem. Vnde quidam non dixere hos fecisse cyathos, sed fecisse scyphos, alij quod fecere uascula cerea, quæ mihi non displicent, ne dicatur cyathus qui est certa mensura, uerum cum dicat quemlibet horum uasculorũ esse sextam heminæ uel cotulæ partem, ab re non erit heminæ capacitatem inuenire, ut Apollonij ac Dexippi cyathorũ mensuram inueniamus. Differt uero cotula seu hemina in pondere olei uini & mellis, nam olei cotula vncias nouem capit, cotula uini uncias decem cotula mellis uncias tredecim cum dimidia. Cum igitur hic de aqua loquerentur, quã febricitantibus exhibebant, & idem sint in pondere aqua & uinum, unde hemina, de qua loquetur capiet uncias decem, quas, si in sex partes diuidetur, complectetur unaquęq; pars unciam unam drachmas quatuor & scrupulum semis, & ne de cyatho Galenus loqui uideretur, uerterem scyphum uel uasculum, hęc etenim sunt græca Galeni uerba, οὓς φησι κηρίνους κυάθους δώδεκα πλάσαντας εἰς τὸν ἑκτημόριον τῆς κοτύλης κύαθον. i. quos ait cerea uascula duodecim effinxisse in uas quod erat sexta pars cotulę. uel si cyathum vertere uelimus, uas quoddam intelligamus tantę capacitatis, quanta est sextæ partis cotulę capacitas. suspicati pręterea sumus in primo huius uoluminis libro, nõ esse legendum κηρίνους. i. cereos, sed potius κερατίνους. i. corneos, tum quia in locis in quibus Galenus hęc scribit, particula κηρίνους est vario modo scripta, tum quia apud antiquos corneorum cyathorũ fuit usus, ut apud Xenophontẽ legi potest, libro sexto & septimo de minoris Cyri expeditione, & Romani antiqui in cornibus dissectis oleum mensurabant, unde Galenus libro secundo de compositione medicamentorum secundum genera, vbi ponit cõpositionem dictam Aegyptia, docet libram olei Romæ uocatam, quam per dissecta cornua metiuntur, si duodecim mensuras acceperit, sunt decem vncijs ponderum æquales, & in quinto eiusdem uoluminis libro de eadem loquẽs hemina dicit nouem Italicæ vnciæ, quas in cornibus sectis metiuntur, septem vncias ponderales, & semis implent.

Secundo Galenus suadet, ut illa in memoriam reducantur, quę superius dicta sunt. s. libro secundo sectione. 38. Hippocratem. s. pollicitum esse, se in singulis morbis propriam facturum doctrinam, quoniam in hoc libro uictus instituendi artem nõ sufficienter conficiat, uerum hic solum uniuersalia prosequitur, & morbum unũ particularem. s. pleuritidem pro exemplo accepit, propterea in libro seorsum de omnibus particularibus acutis morbis tractaturus est.

## Hippocrates. Sectio XLIII.

**De reliquis potibus, cuiusmodi est hordeaceus, & qui ab herbis viridibus, vua passa, vinaceis, piris, cneco, myrtis, punico, & alijs parantur, cum horum aliquo vti tempestiuum fuerit, in morbo ipso scribetur, vbi & de compositis agetur medicamentis.**

BRASAVOLVS.

Hactenus quatuor potuum genera ab Hippocrate explicata sunt, quę in acutis morbis dari possunt, & suis præbentur temporibus, tamen arbitrandum non est, antiquos fuisse adeo breues & decurtatos, ut nullum aliud haberent potus genus, imo plura alia habebant genera, propterea Hippocrates seipsum excusat, cur de his non sit locutus, aderat enim hordeaceus potus, & qui ex herbis uiridibus fiebat, & qui ex uua passa, vinaceis, piris cneco, myrtis, punico, & alijs pluribus, de his superius non egimus, & in præsenti libro non agemus, sed cũ opus fuerit ac tempestiuum, in particularium morborum tractatione, de his agemus, edocebimúsq; quando & quomodo sint danda. Verũ cũ & in acutis morbis cõpositis indigeamus medicamentis, iccirco eodem addit loco se de cõpositis medicamentis locuturum, ut erunt illis morbis de quibus aget, conuenientia.

περὶ δὲ τῶν ἄλλων ποτῶν οἷον τὸ κρίθινον.i. de alijs vero potibus cuiusmodi est hordeaceus. scito ex hordeo fieri pisanã & pisanæ cremorem, pisana ipsa exorbetur, & quodammodo masticatur, pisanæ cremor exorbetur, & nullo modo masticatur, unde superius & semper ab Hippocrate & Galeno uocantur sorbitiones, quid uero id sit quod potum vocat hordeaceum, aliud coniectari non possum, q̃ esse nostram uocatam hordei aquam, & hic unus est locus, in quo apud Hippocratẽ de aqua hordei mentio facta est. Alter locus est in. 4. lib. huius uoluminis sectione. 71. Tertius locus esse potest in. 2. de morbis libro apud Hippocratem in quodam pleuritidis genere, in quo dat hordei decoctum cum uino, hoc decoctum hordei nihil aliud est q̃ aqua hordei.

καὶ τὰ ἀπὸ χλοίης ποιεύμενα.i. & qui ab herbis uirentibus facti sunt scilicet potus, de his etiam aget in particularibus ægritudinibus. At quinam sint ex herbis potus quispiam ambigere posset. Nos uero dicimus uarios esse hos potus, ut herbæ ipsæ sunt uariæ. Galenus præterea crassam materiam plerunque herbarum decocto concoxit, ex origano, tragorigano, hyssopo ex oxymelite, uel ex aqua nemo ambigere debet Galenum has herbas decoxisse, deinde decoctum propinasse ad incidendas materias & attenuandas, hoc & in primo & in secundo aphorismorum libris habetur, & in libello quos oporteat purgare, & quo tempore inscripto, & in medendi Methodo, & alijs pluribus in locis, quos non est opus in præsentiarum referre, summa haec est ex herbis potiones fieri per decoctionem, & hic fuit mos antiquissimus, quanquam & plerunq; absq; alia decoctione & ebullitione, herbæ in aquam per aliquod temporis spatium infundebantur, & minime ebulliebant, ut uis herbæ in aquam transiret, sicuti Galenus in oxymelite, absq; ebullitione raphanum ponit, in quo hellebori frustula fuerint inserta. Tamen & ex succis fiebant decoctiones, quas propinabant antiqui, ut ex Dioscoride & Galeno plerunq; colligi potest, qui alicuius herbæ succum ebibendum dabant, hinc putamus emanasse uocabulum synopus ac si dicatur ex succis, quia ex herbarum succis conficiebantur, nempe antiqui syrupos, uel synopos non conficiebant ut in præsentiarum fit, per quandam cocturam, sed ex succis, & nonnunquam misto melle conficiebant, & addito aceto, aut re alia, ut conueniebat, uel herbæ cuiuspiam decoctionem parabant, quam deinde ebibẽdam suadebant, nostro tempore rarissimi sunt qui decoctiones istas ferre possint, sed syrupos dulces expetunt, & præterea claros ac limpidos redactos, & ex limpidissimis aquis igne colliquatis propterea non mirum si multi sanitati non restituuntur.

Sed his unus est scrupus non prætermittendus de nostris aquis alambico (ut ita dicam) eliquatis an eandem habeant uim, quã decoctiones habent, & an ex alambico qualitatem recipiant.

Ad primum respondemus aquam alambico factam si sit ex herba frigida & humida qualitates proprias non seruare, nam per ignis partes tenues solũ eleuantur, & illæ sunt quæ in aquã condensantur, unde herbæ qualitatem non seruant, sed calidiores sunt q̃ ipsa herba, de herbis uero calidis & siccis si fiat aqua secus est, nam caliditatem seruant & siccitatem, & per alambicum calidiores potius efficiuntur & sicciores, propterea decoctiones tutiores sunt, q̃ aquæ alambico eliquatæ.

Ad aliud an aquæ aliquid habeant ab alambico, id est an recipiant aliquam qualitatem, dicimus hoc intelligi posse & ex parte agentis in ipsum alambicum & ex parte ipsius alambici, ex parte agentis est ignis, certum uero est ab igne immutari. At si ex parte alambici consideremus, cum alambica sint ut plurimum plumbea, aqua uidebitur qualitatem prauam recipere ab alambico, nam si aquæ quę per canales plumbeos trãseunt prauam qualitatem à plumbo accipiunt, & frequenter ducunt ad dysenteriam, quanto magis id efficient aquæ per destillationem in uase plumbeo factæ, in quo caliditas plumbi qualitatẽ in aquam magis imprimet, q̃ faceret ipsum plumbum ex solo aquæ transitu super ipsum. Aquas uero supra canales plumbeos transeuntes malam accipere qualitatem Auicenna testatur libro primo fen secunda, doctrina secunda, summa prima, cap. 16. ubi agit de puteorum aquis & ductuum, & illas reprobat, malas esse testatus, adduq;, & ex eis tamen illę sunt deteriores quibus ex plumbo uiæ factę fuerunt, quoniã ex eius uirtute aliquid assumant, ut frequẽter ad dysenteriã ducant. Hoc ante Auicennã Paulus testatus est, & ante Paulum Galenus prope calcẽ. 7. de cõpositione medicamẽtorũ secũdũ locos lib. in Diacodionis Galeni cõpositione, hic tñ unus est scrupus, nã hoc tatemur, aquã à plumbo qualitatẽ aliquã frigidã accepturã, nisi calor ignis impediret, impedit uero quia & si calore plumbi frigiditas magis imprimi deberet, tñ ab ignea caliditate corrigiẽ, quæ uehemẽs est, & maior q̃ sit plumbi frigiditas & humiditas, & maioris actiuitatis ac impressionis, sed quod maiorẽ scrupum facit est Galeni sentẽtia qui censet aquas supra plumbum frequẽter transeuntes dysenteriã inferre, sed oppositũ potius uidẽ, quia dysenteria ab humoribus fit calidis, bile, uel atra bile adusta, quæ ob adustionẽ habeat aliquid caloris, uel pituita salsa, sed plumbum est frigidũ, quõ igitur dysenteriã inferre põt? Præterea Galenus in. 9. de simpl. medica. faculta. inquit plumbum ulcera sanare. & ea etiã implere, quõ igiẽ ulcera efficiet? Multi, ut Auicennã potius tuerenẽ, q̃ Galenũ, uaria dixere, nonnulli dicunt plumbum à sua forma specifica hoc facere. s. dysenteriã, sed hoc modo in omni re, facilimũ esset euadere, cuicunq; rei applicata quacũq; cõditione dicere fieri à forma specifica. Alij dixere in plumbo esse partes tenues, & partes crassas, partes illæ tenues sunt adustę, propterea sunt aptę inducere dysenteriã, sed crassæ partes hoc facere nõ possunt. Alij dixere plumbum per os sumptũ facere dysenteriã, sed per extrinseca applicatũ ulcera sanare. Aliqui uoluere nõ esse plumbum q̃d immediate hoc faciat, sed plumbum immediate aquã crassiorẽ reddit, & putrefacit, aqua uero putrida effecta in bilẽ uertiẽ, itaq; sua acredine intestina corrodit. Quicquid alij dixerint nos Galenũ cõsiderãtes dicimus loqui de recremẽto, quod in canalibus fit plumbeis, nõ de solo aquæ transitu, ut apparet si quis Galenũ prędicto loco legerit, & si fieret, est ratione qua venenũ, quia mineralia oĩa nõnihil participant uenenosi, plumbum uero cõsolidat, & ulceribus mire cõuenit, illa uero non facit, ut Galenus in. 9. de simpl. medica. facul. testatur, imo in dysenteria quæ ex bile esset, aquas cõcederemus, quę in plumbeo uase quieuissent, ad ulcera cõsolidanda, qm̃ uim habet frigidam, & humidã teste Galeno, tñ & siccitatẽ quãdã habet. Ad rẽ igitur aquę quę alambico eliquanẽ, nisi ignis calorẽ reciperent, frigiditatẽ à plumbo & humiditatẽ enanciscerenẽ, & quę fiunt in æreo uase, æris qualitatẽ acquirerẽt, quęq; in uitreo uitri qualitatẽ. At in summa, hęc sit cõclusio, semp̃ melius esse decoctione uti, aut succo herbæ uirentis, q̃ aqua alambico ui ignis eliquata.

καὶ τὰ ἀπὸ σταφίδος.i. & qui ab uua passa. s. fit potus, non est credendum, potum hunc ab uua passa fieri expressa, quia hoc esset uinum, sed fit per ebullitionem, sicuti nos conficimus nostras aquas pectorales uocatas, uua autem passa pectori cõuenit, & emollit, faciliaq; reddit sputa.

καὶ στεμφύλων.i. & eius corticibus. ex uuæ passæ corticibus in aqua ebullitis abstergentem potum parabant.

καὶ πυρῶν.i. & tritico. faciebant & antiqui in uarijs affectibus ex tritico & alijs generibus farris potiones, quas in uarijs affectibus exhibebant. nunc & in Gallia, & in Germania adhuc est talium potuum usus, faciunt & uocatam birrem, quæ ex siligine est additis lupulis. & Plinius de his potibus ex generibus farris mentionem facit. Aliqui interpretati sunt πυρῶν.i. piris, qui tamen absurde interpretantur, quamuis & ex piris, & ex alijs fructibus, potus conficiantur, quos & ceruisias, & medones uocant & zytha.

κνίκου, id est, cneco. Carthamum uulgo dicitur, est herbæ semen ita vocatæ, qua psitacos nutrimus, croci florem habet, vt nonnulli crocum syluestrem nuncupauerint, potus fit secundum Dioscoridem hoc pacto semen tunditur, & aqua mulsa excipitur, uel gallinacei iure, aluum trahit in morbis acutis, non conueniret hic potus nisi euacuationis gratia, quia, vt

Galenus dicit. 7. de simplicium medicamentorum facultatibus libro, est tertij ordinis excalfacientium, censetque solum esse seminis usum ad purgationes, & κνῆκον uocat non κνίκον.

καὶ μύρτων. i. & myrtis. fit potus ex myrtis; per decoctionẽ & per expressionem, de facto per expressionem Plinius locutus est. usus eius est in alui profluuio, in sputo sanguinis, & in alijs similibus, uim habet frigidam & adstringentem.

καὶ ῥοιῆς. i. & malo punico. fit hic per expressionẽ potus, & acutis morbis sua frigiditate conuenit, adsunt uero punica dulcia, acida, acerba, & media. Dulcia pectori conueniunt, & aluũ emolliunt. acida & acerba in profluuijs alui bibosis cõueniunt. Sed disputatio est an in febribus dari possint, quas alia symptomata sequantur, quæ non trahunt ad se curationem. Respondemus si punicorum naturã cõsideremus (posthabitis dulcibus) adstringunt, in febribus uero aperire opus est, præsertim ubi maior adest obstructio, propterea acidorum punicorũ & acerborum potus ob adstrictionem non conueniet, minus conueniet dulcium, quia dulcia facilius in bilem uertuntur. acuti uero morbi, & febriculosi semper ex bile fiunt, unde in toto suo genere, in acutis febribus punicorum potus conuenire non uidetur, quia acida & austera adstringunt, dulcia facile in bilẽ vertuntur, ut Galenus ait in. 6. de simplicium medicamentorum facultatibus. Respondemus dulcia nullo modo dari debere, quia febris materiam augent. Acida uero & austera & ipsa ratione suæ adstrictionis causæ febris obsunt. at ob id prosunt, quia frigida sunt, in febribus vbi vinum non conuenit, & æger aquam abhorret, modicum uini granatorũ exhibere ex aqua & iuleb. non uereor, ita tamen temperata ut ipsorum adstrictio ex multæ aquæ miscella, & multi iuleb remoueretur. At si æger aquam ferre posset, illum solã aquam epotare iuberem, quia simpliciter in acutis febribus, ubi non adfuerit alui profluuium, nec mala qualitas in uentriculo, quæ adstrictionẽ quandam expetat, non est dandum hoc uinum. Et si dicas in communi usu dari, tamen uidemus ægros conualescere & sanari dicimus, quòd hi fuissent absque hoc potu citius sanitati restituti, & forte aliqua obstructio relinquitur ob huius potus adstrictionem, quæ postea recidiuam facit. sed inquies & aqua ipsa est frigida & adstringens, igitur nec ea uti deberemus. Respondemus non est tanta in aqua adstrictio, quanta est in mali punici uino. Adde aquam esse humidam, uinum granatorum siccum ut omnes adstringentes qualitates perfecte habeat, frigida scilicet & sicca, aqua uero ratione & frigiditatis & humiditatis febri conuenit.

καὶ τῶν ἄλλων. i. & alij. s. potus, quos omnes non recenset Hippocrates, ut ex pomis, mespillis, sorbis, rubo, & alijs.

ὅταν οὖν ἄντινος αὐτέων καιρὸς ᾖ χρέεσθαι. i. quando igitur opportunum fuerit aliquo horum uti. opportunum profecto, & tempestiuum, quia solum his uti debemus, quãdo erit opus, & non semper.

γεγράψεται παρ' αὐτῷ τῷ νοσήματι. i. in morbo ipso scribetur, quando ipse de particulari morbo scribet, cui unus ex prædictis potibus conuenit, tunc de illo aget potu.

ὅκως περ καὶ τὰ ἄλλα τῶν συνθέτων φαρμάκων. i. ubi & alia composita medicamenta scilicet edocebimus. nam tacitæ respondet ambiguitati, qua quispiam dicere posset, de medicamẽtis compositis quo ages loco Hippocrates: Respondet, in particulari loco in quo de morbis pertractabimus, & de potibus illis morbis conuenientibus, qui sunt potus, quibus materiæ coquuntur, & ueluti syrupi, qui partim materias alterant, partim coctionem adiuuant.

GALENVS. Habet quoque suam & hæc dictio doctrinæ alterius, quæ de morbis singulis fit, promissionem. Verum quicquid sit, liquido constat vel libros, qui de singulorum acutorum morborũ curatione ab Hippocrate scripti sunt, non extare, uel prorsus non scriptos: hac si quidem occasione quæ nunc inferunt præstãntiæ Hippocratis non sunt. Sunt aũt multa quæ mentem ipsius oleant, ueluti & quæ huic libro adiacent ab eo qui de balneis est sermone. Sed, ut dixi, de singulis in horum expositione commodius differemus.

BRASAVOLVS. Galenus notat & hanc Hippocratis sententiam promissionem habere doctrinæ cuiusdam apud ipsum, in qua de singulis morbis agat, tamen quicquid sit, certum est, uel non extare hos Hippocratis libros, in quibus de curatione singulorũ morborum acutorum tractat, uel Hippocratem illos prorsus non scripsisse, promisisse quidem, sed postea morte præuentum, uel alijs officijs occupatum, id quod spoponderat, prosequi reliquisse, tamen præstantiæ Hippocratis hoc non conuenit, nec quartus liber Hippocratis præstantiæ conuenit, quamuis multa sint, quæ Hippocratis mentem oleant, sicuti illa quæ de balneis tractationem sequuntur, tamen ut Galenus inquit de horum singulis, in expositione quam faciet, commodius differet, sunt autem varij loci, quibus hoc ab Hippocrate dictum colligitur, unus est locus in secundo libro, sectione. 38. & in præcedenti sententia, & in præsenti, & in initio quarti libri.

De Balneis.

## Hippocrates. Sectio XLIIII.

Balneum in plerisque morbis confert, in his quidem perpetuo, in alijs vero non: estque quando minus vtendum sit quod imparatum homines habeant. Nam in paucis domibus parantur necessaria, reperiunturque qui rem vt oportet, curent. Quod si exacte quispiam non lauetur, non mediocrem incurret noxam. Tecto siquidem est opus quod fumo careat, copiosa item aqua, & crebra lauatione, sed quæ immediocris non sit, nisi res ita postulauerit.

BRASAVOLVS. Vel pars hæc sub aqua contineatur, uel res quædam distincta sit, & quinta ab Hippocrate pertractanda, ad rem ipsam nihil facit. Nos dicamus, cum de aquis ut potui dantur locutus sit, & in acutis morbis sit usus etiam aqua extrinsecus, & per modum balneorum, iccirco in præsentiarum hoc aggredi tentat, ita exordiens, in plerisque morbis balneum conferre, hinc nõ mirum sit, si occasione data, cũ de aqua loquar, de balneo sermonem perficiam, tamen non est semper eius usus eodem modo, quoniam aliqui morbi sunt in quibus perpetuo debet esse balnei usus, aliqui in quibus non perpetuo, sed quandoque, uti debemus balneo, quandoque ab eo abstinere, imo nonnunquã ob eam causam balneo minus uti debemus, quia homines nõ habent ita prompte paratum, nempe in paucis domibus parantur necessaria ad balnea, neque reperiuntur qui rem diligentia illa curent circa hæc balnea, qua curanda essent, ob hoc abstinere melius est, quoniam si quis exacte non lauetur, noxam incurret non mediocrem, qui enim exacte lauari debet, tectum habeat oportet, quod fumo careat, & balnei aqua sit copiosa, non pauca, & lauatio sit crebra, tamen & si crebra esse debet, impetuosa & immediocris esse non debet, nisi quandoque tale genus morbi contingat, in quo impetuosa, hæc lauatio fieri debeat, tunc enim & immodica sit atque impetuosa, & ita cum nõ conuenit, impetuosa fieri non debet, neque immodica.

λουτρὸν δὲ συχνοῖσι τῶν νοσημάτων ξυμφέροι ἂν χρεομένοισιν. i. balneum uero in plerisque morbis his qui utuntur confert. intellige uero aquæ balneum, & hoc fieri potest, & ex aqua calida, & ex frigida, intelligeque de dulci aqua, & non de alijs, qualitatibus subterraneis affecta.

ἐς τὰ μὲν συνεχέως, ἐς τὰ δ' οὔ. i. in his quidem continue & perpetuo, in alijs uero non. s. continuo, sed nonnunquam. Aliqui sunt morbi in quibus semper conuenit balneum, aliqui, in quibus non semper conuenit, sed quandoque conuenit, quãdoque non conuenit, aliqui sunt, in quibus nunquam conuenit, tamen si de balneis quarumcunque sit aquarum simpliciter loqueremur, nulla est ægritudo in qua non conueniat uel huius uel alterius qualitatis balneum, quia calidis & siccis morbis, ex dulci

aqua

aqua fit balneū, morbis frigidis & humidis ex sulphureis aquis & calidis. Tamen fieri potest, ut alicui non conueniant balnea aliquo modo, non ratione balneorū, sed ratione sui ipsius, quia animi defectioni subiectus erit, neq; balneū ferre poterit quin animi deliquium incidat. At huic balneum non conuenire, non est ratione balnei, nec ratione ægritudinis, sed est suæ naturę ratione, quia ipse ferre non potest.

ἔστι δ' ὅτι ἧσσον χρηστέον διὰ τὴν ἀπαρασκευασίην τῶν ἀνθρώπων. i. est uero, quando minus utendum sit, ob id quod imparatum habeant homines, sensus est homines raro uti balneo quoniam paratum non habeant. Erat usus balnei non frequēs Hippocratis tempore. propterea pauci habebant loca domi parata, ut qua parte colligito de balneo loqui, in quo & aer sit calidus, ut calidarium sit, uel tepidariū, quod deinceps magis ostendet, cum dicet opus esse habere tectum fumo carens, unde lotiones, quæ nostro fiunt tempore, in aquarum solijs, absq; aeris calefactione non fient secundum Hippocratis propositum, quamuis dictum sit τὸ λουτρὸν ἀπὸ τοῦ λούω quod est lauo, & homines in solijs lauentur, & possint probe lauari & parum lauari, unde posset & ad balnea quæ in solijs fiunt absq; aeris calefactione ampliari, quamuis & nonnunquam conopea circumponant, aer uero qui sub conopeo continetur, ex aquę caliditate uaporibusq; ascendentibus incalescit.

ἐν ὀλίγοισι γὰρ οἰκίοισι παρεσκεύασται τὰ ἄρμενα. i. in paucis enim domibus præparata sunt instrumenta. scito uocabulum ἄρμενον significare & uelū & carbasum, ut ita interpretari possimus in paucis domibus inueniri uela & lintea, quibus solium circundare solebant, quoniam pauci illo tempore habebāt conopea, uel erat forma ueli ita cōfecti quo lauacri solium circūdabant, & aer ex balnei uaporibus temperabatur, tamē & pro rebus necessarijs accipitur, quæ balneo conueniunt, hæc vero erant imparata, quia Hippocratis tempore non erat frequens balneorum usus, ut Galenus testatur in secundo de symptomatum causis libro, & in primo commentario libelli Hippocratis eorum quæ in medicatiua fiunt, sectione. 6. præsentem sententiam adducit ubi ostendit defuisse Hippocratis tēpore idoneos ministros ad balnea, alueos, rotas, pelues, labra, &c. id genus ἄρμενα. i. commoda ad balneum uocata. ostendit & idem Galenus, in tertio commentario eiusdem libri balneorū inopiam Hippocratis tempore.

καὶ οἱ θεραπεύσαντες ὡς δεῖ. i. & qui rem curant ut oportet. s. nō inueniuntur nō aderant apti ministri, neq; prompti Hippocratis temporis ad balnea concinnanda, & ad illa pręparanda, quæ præparare oportebat, propterea raro utebantur balneis antiqui Hippocratis tempore, ut Galenus docet in secundo de sympeomatum causis.

εἰ δὲ μὴ παγκάλως λούοιτο βλάπτοιτο ἂν οὐ σμικρά. i. quod si quis exacte non lauetur, non mediocriter lædetur. intellige vero per exacte lauari, non solum probe lauari ut sordes abijciantur, sed eo lauari modo, ut nullum prætermittatur instrumentum necessarium, uentus exterior hominem percutere nō possit in aere sit calidiori & conuenienti, & materiæ illæ, quæ trahi debebant ad circunferētiam sint tractæ, incommodum uero quod sequi poterat magna erat obstructio, & materierum recursus ad intrinsecas partes.

καὶ γὰρ σκέπης ἀκάπνου δεῖ. i. etenim tegmine opus est, quod fumo careat, nam fumus acutam febrem magis accēdit, & cor exæstuare facit, & anhelitus parit difficultatē, sæpe fumus multorum malorum est causa potissimum in acutis, per fumū vero ignis fumum intellige, non autem aquæ, qui à balneo eleuatur, nam opus est, ut illud adsit, sed non est calidus & siccus, ut fumus ignis, sed est calidus quidem actu, uirtute autē frigidus & humidus. Forte dices cur tectū expetit, si in. x. Methodi post balneum aquæ calidæ ponit in aquam frigidam? Cur igitur tātum uereri ne sit in aere frigido? Respondemus id rationabiliter fieri, sed de aere non, quia non experimus tunc frigus, quando est in calido.

καὶ ὕδατος ἀφθόνου. i. & copiosa aqua scilicet opus est, nā balnea, in quibus aquę sunt modicæ, ut totum unā non madescat corpus, quod madescere debet, facit ut detectæ partes refrigerentur & obstruantur, & cum illę quę primo madescunt, alijs dant locum, deteguntur, & in maiorem incidunt obstructionem, quia ipsorum insensibiles meatus ex aqua calida sunt magis aperti.

καὶ λουτροῦ συχνοῦ. i. & crebra lotione. s. opus est, hoc dupliciter intelligi potest, uno modo, ut non semel lauentur, sed crebro, alio modo ut non intermittatur spargere aquam supra humores & supra partes omnes, & membra fricare, ut humores qui intrinsece sunt, ad exitum prouocentur, hoc intelliges per crebram lauationem. uerum quia hęc lauatio cum impetu fieri posset, & absq; mensura, ob id addit Hippocrates.

καὶ μὴ λίην λάβρου. i. & quæ non sit lata. i. lauatio, quę non sit immediocris & impetuosa, sed quę mediocriter fiat, huiusmodi enim omnia mediocritatem seruare debent, quia vires dissoluunt balnea impetuose & immediocriter facta.

ἢν γε μὴ οὕτω δέῃ. i. nisi ita res expostulet, ut necessarium sit impetuosam facere lotionem. si uero petas quando impetuosa fieri debeat, dicimus tunc, cum cito ad circumferentiam trahere cupimus, ob aliquod imminens periculum, ne materię ad aliquod pręcipuum membrum vergant, tamen rarius est quod fieri debeat lotio pręter mediocritatem, & quod res id exigat & expostulet.

De Balneis.

Pro exquisitiori ac breui balneorum tractatione scire oportet, balneorum aliqua sanis conuenire, aliqua ęgris, sanis conueniunt dulcis aquę balnea pro lotione, & nōnunquam pro exercitatione, ęgris & aquę dulcis balnea, & aliarum aquarum conueniunt secundum ęgritudinum genera, scito quoq; balneorū aliqua esse calida, aliqua frigida, aliqua tepida, & aliqua esse sponte à terra prodeuntia, aliqua fieri arte, de aquarum balneis sponte nascentium differemus aliàs, nempe in tota Italia multa sunt ex aquis sponte nascentibus balnea, quę diuersos habent & colores & sapores & odores & diuersas uires, ut aquę supra uaria transeunt mineralia, nempe aliquę aquę sunt sulphureę, aliquę nitrosę, aliquę bituminosę, alię ferreę, alię ęreę. & ita de alijs. de his Galenus mentionem facit in primo de simplicium medicamentorum facultatibus, & Hippocrates in libello de capitis uulneribus, & Plinius lib. 31. cap. 2. hęc omnia prętermittemus balnea, de quibus aliàs confuse egimus, nonnunquā de eisdem distincte tractaturi, & cap. 6. eiusdem lib. Plinius. Nunc igitur de dulcis aquę balneis tantum agemus, quoniam & de his Hippocrates loquitur, & de calidis & de frigidis, & in ęgris loquemur, non in sanis, nam sani alio modo nostro tempore, alio antiquitus circa balnea se gerebant, nam antiquitus multi prę delicijs se lauabant, etiam si lotione non indigerent, & fricabantur, & strigili detergebantur, & in publicis thermis ac priuatis, nunc non est tantus balneorum usus, sani in presentiarum gratia lauandi se, & sordes detergendi balnea solum ingrediuntur, mos erat antiquitus seruādi pro re medica sordes, quę ab his qui lauabantur decidebant, nam se lauari iubebant, oleo deinde se inungebant, postea lacinia uel fascia, uel strigili, uel manu, illa abradebant ac detergebant, ex oleo erant sordibus & sudore congesta, uocabántq; has sordes strigmenta, de quibus egit lib. 1. Dioscorides, & ad quę ualeant edocuit, nunc in usu non sunt neq; fiunt, neq; oleo vnguntur homines, & si oleo ungantur, odorato aliquo utuntur, quod oleum uere dici non potest, antiqui oleo utebantur, nisi per oleum unguentum intellexerimus, ut Eustrathius apud Homerū intelligere videtur, in sanis hominibus qui febre non laborant, Hippocrates in calce libelli de insania inquit balnea bene digerenti necessaria ualde non esse, nisi dolorem & lassitudinem aliquam curare uelimus, sed non bene digerenti, uel ieiuno, uel post rectam, & perfectam coctionem crebro lauari confert, post balneum uero cibaria facilia concoctu, non inflantia, uentrem lubricantia dato, quibus languentes fermè omnes iuuantur, non tamē omnes ad omnia similiter habent & dispositi sunt, nunc igitur in

ægris de frigidis & calidis dulcis aquæ balneis loquamur. Galeni tempore ſtatuta habebant in ſingulis domibus balneorũ loca, nos pro commodiori modo ſolia habemus ad hoc propoſitum, quæ uazinas nuncupamus, & quæ huc & illuc aſportari poſſunt, & prope ægri torum, & in aliam ut lubet partem. quare in noſtris his ſolijs loquentes, primo de aqua frigida quæramus, an conueniat aliquem febrem patientem frigida aqua lauari. Galenus hoc fateri uidetur in febribus, quando ſucci non ſunt crudi, ſed iam ſuperuacua ſunt abſumpta, ut cruda ac putreſcentia cocta, id eſt in. xj. Methodi, & in calce. x. Methodi, hecticũ in frigida balneandum cenſet, & in. 4. huius uoluminis libro frigidam exhibet aquam, ubi iactat ſe inquiens nullũ eſſe mortuum cui frigidam exhibuerit. Adeſt & ratio quia acuta febris eſt calida, & ſicca, aqua frigida & humida, cum uero contraria contrarijs curentur, aqua igitur conueniet, & ut aqua, & ut actu frigida. Tamen ampla aliquibus uidetur & ferè temeraria audacia acute febrientem in frigidam imponere, nam idẽ eſt ac ſi in frigidam, ferrum candens imponatur, quod extinguitur quidem, ſed non abſq; magno ſtrepitu & detrimento quodam ſui, nempe denſatur ex hoc, ut poteſt hominis ſuperficies ex frigida denſari.

Præterea ſanis obeſt calidis, frigidis, & temperatis, igitur & ægris obeſt, conſequentia manifeſta eſt ex his quæ in ſecundo huius uoluminis dicta ſunt, quæ ſanis obſunt, ægris etiam obeſſe, antecedens probatur, calidis obeſt, quoniam hi meatus habent apertos, ut cito ad intrinſeca penetret, & infrigidet, temperatis obeſt, quia hi per ſimilia regi debent, uerum cum aqua ſit frigida in ſummo & humida, temperatis conueniens eſſe non poteſt, frigidis uero non competere omnibus in confeſſo eſt, quia frigiditati frigiditas additur.

Adde nulli febrium generi conuenire, igitur cuiquam febri nõ conuenit. Conſequentia proba eſt, quoniam quæ generi non competunt, nec etiam inferioribus competere poterunt, illa etenim quæ inferioribus competunt, alicui ex ſuperioribus repugnare non debent. At cũ tria ſint febrium genera nulli competit, non enim ephemeræ competit, quia ephemerę caliditas eſt ferè ſuauis, qualis hominis qui è balneo exiuerit, & ſpiritibus innititur qui facile à frigore capiuntur, unde aqua frigida his nõ competit. Neq; hecticæ conuenit, quia in hectica corpus exangue ſit & frigidum, & calor paulatim deficit, propterea ab aquę frigidę ſolio adeo infrigidari poterit, ut deficiat, neq; putridæ competit, cui ſemper iuncta ſit obſtructio, quam frigida aqua auget, & efficit, tranſpirationemq; prohibet, & difflationem, quam in putridis febribus potiſſimum exquirimus.

Nos autem cum Galeno frigidam aquam in acutis febribus & in hectica conuenire fateamur, in acutis quidem ubi uires cõſtiterint, ubi nõ adſit cruditas, ubi ſit in ętate uigente ęger, ubi fuerit æſtiuum tempus, ubi frigidę balneis ſit aſſuetus, & reliqua quę à Galeno notãtur, in hectica conuenit poſt balnea calida, in frigidam imponere, cum homo non ſit ualde emaciatus, uires conſtent, & putrida febris talis generis miſta non ſit, quæ frigidam reſpuat aquam. Conſtátq; Galenum dare in potu frigidam, quanto magis per balneum eadem aqua uti poterit, pręſertim ubi phlegmone non adſit.

Tamen ſi per intentiones curatiuas uocatas, quæ & indicationes dicuntur, procedere, uelimus, aliquibus conuenire deprehendemus, aliquibus non conuenire, & ne lectorem diutius detineamus, in acuta febre nonnunquam à febre ipſa indicatio ſumitur, quę eſt temperies mala calida & ſicca, ſi ab hac ſolum, qualitate indicationem & curandi intentionem ſumeremus, aqua frigida eſſet, & in potu, & in balneo conuenientiſſima, quia de ſui indicat remotione, idq; per frigida fieri poteſt, ſi alia intentio non haberetur q̃ iſta. At ſi intentiones & agendi indicationes à uiribus accipiamus, cum uires ſemper ſint conſeruandæ, aqua autem uires conſeruare nõ poſſit quia nullius eſt nutrimenti, propterea uirium ratione dari non debet nõ ſolum aqua frigida, ſed neq; ipſa aqua, tamen frigida plus obeſt ſpiritibus qui ſunt temperate calidi, & qui à frigiditate aquę extingui facile poſſunt, nonnunquam intentio & indicatio ab ægri ſumitur temperatura, ſi fuerit calidus, frigida competunt, ſi frigidus calida, uel temperiei naturali calidę calida cõferunt ut ſeruetur temperiei frigidę naturali frigida competunt, ut conſeruetur, quando non multum excedit, ſed temperiei pręter naturã ſemper oppoſita conferunt, nonnunquam intentio accipietur & indicatio ab humore peccante, nam ſi calidus, frigida competunt ſi frigidus calida, itaq; per omnes intentiones diſcurrere poſſemus, propterea inferamus frigidam aquam in balneo nonnunquã conuenire in febribus acutis & hecticis, quia & in hecticis in potu dat, ut in. x. Methodi habetur, & in. 9. Methodi in febribus ſynochis exhibet in potu, quanto magis iubebit lauacrum, in quo minus eſt diſpendij, & in. xj. Methodi dat frigidam.

Ad argumẽta uero facile reſpondetur, omnino cum datur frigida perturbationem fieri, uel cum quis in frigidę balneum ponitur, tamen non poteſt fieri tanta perturbatio, quin maius ſequatur iuuamentum.

Ad aliud cõuenit ſanis calidis & ſiccis, propterea & ęgris eiuſdem qualitatis conuenire palam eſt. Et illi quod addebatur nulli febrium generi conuenire, dicimus & hecticę & putridæ cõuenire, ubi cõditiones adfuerint, quę in. 9. 10. & . 11. Methodi à Galeno referuntur, propterea ſimpliciter inferendum eſt balnei frigidi uſum in aliquibus febribus conuenire, ut Galenus docet, qui licet frequentius de potu loquatur, tamen & de balneo intelligi poteſt.

Cum uero de aquę frigidę balneo breui pertractatum ſit, contemplemur an in acuta febre, & in febre aquæ calidę balneum conueniat, profecto ſi Galenum hinc inde contemplemur, ipſe aquę tepidæ balneum in acutis morbis concedit, ex. x. Methodi colligitur, in balneis primo adeſſe hypocauſtum quod ęſtuarium interpretari poteſt, ſudatorium à Seneca nuncupatur, deinde adeſſe lauacrum uel labrum, in quo corpus calida aqua lauabatur, deinde frigida, deniq; madorem abſtergebant, ſcitóq; cum de aquę calidæ balneo uerba facimus, non intelligimus de aquę ardentis balneo & efferueſcentis, ſed de temperate calidę balneo. Nam Galenus in. 3. de ſanitate tuenda balneum diſtinguit in feruens, frigidum, temperatum, tepidum, hic nõ erit ſermo de feruenti neq; de frigido, de quo prius dictum eſt, vnde erit ſermo de tepido & temperato, & de illo in quo ſint herbę decoctę, nulli dubium eſt calidę intemperiei quę ſit abſque materia, balneum conferre frigidum, intemperiei frigidę abſq; materia balneum conuenire calidum. Audias quid de temperato balneo Galenus dixerit in. x. Methodi, ſi quis balneum ingreſſus non inhorruit, ſed remiſſa eſt illi laxatáq; cutis, huic ſanè neceſſario prędicta ſuccedent. & ſi quę hęc ſint petas, ſunt excrementorum euacuatio, ęqualis per uniuerſum corpus calor, meatuum inſenſibilium rarefactio, meatuum condenſorũ fuſio. Conſidera quanta bona efficiat temperatum balneum, imo in. xiij. Methodi oſtendit plethorã curari & ſanguinis miſſione, & balano, ſed ut huic rei extremam manum condonemus, Galenus in. xj. Methodi tali utitur balneo ad febrilem calorem extinguendum, idq; fieri debere cenſet cum coctionis notas cernemus, & uires ſint ualidę, & in tertianis exquiſitis balneo vtitur. uerumtamen cum de hac re aliàs ubertim tractaturi ſimus, hic infinitas Galeni ſententias de balneis pręter-mittemus, quibus probatur in febribus cõuenire, & in quibus conueniunt, & rationes pręterea egregias prętermittemus, quarum magnam partem in. 4. lib. enucleare tentabimus. Nunc ad Galeni commentationem exponendam deſcendamus, illa etiam prętermittẽtes quę de balneorum uaſculis à Polluce dicũtur, quęq; ab Athenęo, & in balnei cõfectione à Victruuio.

GALENVS.

Balnea huiuſmodi, temporibus Hippocratis nondum parari uidebantur. Nempe dicere paucis in domibus parari neceſſaria, & reperiri qui rem probe curent, opusq; pręterea tecto eſſe non fumoſo, copioſa aqua, & quęcunq; deinceps dixit: quòd item in domibus calefiat adhuc intra lebetes aqua, labriſq; infundatur, argumentum habet. Quod autem in fine dictionis ait, crebra opus eſſe lauatione, ſed quę immediocris non ſit, niſi

res ita

res ita postulauerit, si utiq; memoria non excidat, in sequenti doctrina obseruabimus. Nam ipse inquiet: Sunt qui immediocri aliquando egent lauatione: id autem est cum æger multa, dum lauatur, perfunditur aqua. Quod si dicere non uideatur, nos ipsi non simpliciter quidem, neq; ut inciderit, sed cũ eorũ quæ ab ipso scribuntur cõsequẽtiæ obseruatione percunctabimur.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat Hippocratis temporibus nondum parari balnea, intellige instrumenta, non balnea ipsa quæ sunt lotiones, id uero ita esse Galenus ex Hippocratis uerbis elicit, quibus inquit paucis in domibus parari necessaria, & uela vel lintea, & paucos etiam reperiri, qui rem probe curent, & esse opus tecto non fumoso, & aqua copiosa, & omnia alia quæ sequuntur, idem ostendentia. Adde, & illam particulam, in domibus calefieri intra lebetes aquam, & labris infundi, idẽ probare posse & suadere. Tamen nec nostro tempore balnea in domibus habentur, sed pro ęgrorum balneis solia tantum habentur, quę & sanis deseruiunt qui lauari uolunt, forte Hippocratis tempore fiebat ut nunc fit, imo necessarium est quia inquit aquam calefieri intra lebetes, & in labra profundi, principes tantum ac nobiles balnea domi habent, sed nullus etiam habet, quin ex lebete in balneum eijciatur aqua calens.

Quod legitur necessario, græce est, ἱστία uela.

Secundo Galenus id notat quod in sententię calce dictum est, crebra lauatione opus esse, & quę non sit immediocris, nisi res ita postulauerit, hoc in sequenti sententia obseruabimus inquit & in alijs quoq; nisi memoria exciderit, quoniam ipsemet Hippocrates inquit reperiri & ęgros qui nonnunquam immediocri egent lauatione, quod contingit, & fit cum ęger multa aqua perluitur. At si hoc dicere non uideatur, nos ipsi non simpliciter, neq; ut contingit percunctabimur hoc, quando ea quę posterius dicet Hippocrates, nos diligenti obseruatione eorũ quę sequuntur obseruabimus, iccirco Galenus innuit se in hac cõmentatione illa esse obseruaturum quę deinceps dicet Hippocrates, quę ad hanc sententiam faciunt.

Forte petes quęnam sit balnei forma apud Galenum. Respondemus de ea aliquid omnino colligi posse in calce .x. Methodi, ubi uult hecticum portãdum in balneum, & inquit si prima domus satis calida sit, ęger in ea nudatus, in secundam portetur, quę si frigidior uidetur, non nudus, sed coopertus sindone minime frigida, uel tali aliquo inuolucro, iubetq; hanc secundam domum esse prima calidiorem, non tamen esse calidiorem tertia, sed minus calidam, postea domum tertiam ingrediatur, & ęger ducatur, ubi solium est, ut domus prima sit tepidarium, secunda calidarium, tertia sit hypocaustum, id est ęstuariũ, vel sudatorium secundum Senecam, nunc in publicis balneis versus fornicem ascendunt, cum magis sudare desiderant, postea labrum aderat, uas in quo aqua calida continebatur. Tamen Victruuius lib. 4. cap. x. ponit frigidarium, tepidarium, calidarium, & hypocaustum distincta, nos in uno met loco magis ascendentes & descendentes uersus fornicem, has distinctiones habemus, & quando his ęgris balnea paramus, nos in dolia immittimus aqua plena calefacta, neq; ęgri acuto morbo laborantes in longinquum locum etiam eiusdem domus ire possent, neq; portari absq; molestia, unde illud uidetur conueniẽs prope lectum labrum & dolium quo lauetur ferre.

## Hippocrates Sectio XLV.

Neq; etiam abstergere oportet: quod si aliquando abstergendum sit, calido aliquo, atque multiplici plusquam existimetur vtendum absterforio, perfundendaque aqua multa, & celeriter post perfundenda.

BRASAVOLVS. Hippocrates iubet hos non esse abstergendos smegmate, neq; rebus similibus, quę vim habent abstergendi, nisi aliquid fuerit quod hoc fieri suadeat. At cum abstergere fuerit necessarium, tunc smegmate vtaris, & calido absterforio & multiplici smegmate, quã pro consuetudine, uel plus saponis utitur quã existimetur, & insuper aqua multa perfundenda, hocq; celeriter agendum est.

καὶ μᾶλλον μὲν μὴ σμήχεσθαι. i. neque propterea abstergere oportet, uel neq; magis abstergere oportet, intellige non esse abstergendum ęgrum quando lauatur, & si dicas fieri nõ posse si lauetur, quin abstergatur, scito hic per abstergere, intelligẽdum esse vti medicamento abstergente, & smegmate ἀπὸ τοῦ σμήχεσθαι, ut Hippocratis utar uerbo, hoc est sapone, aut simili, nempe hęc non conueniunt, quia nimis calefaciunt & exiccant, & ipsamet calida sunt atq; sicca, iccirco in acutis conuenire non uidentur, quę potius frigida expetent atq; humida.

ἢν δὲ σμήχηται. i. si uero abstergere oporteat hoc est, & si febris ratione abstergere non sit opus, tamen alia sint quę abstersionem expetant, ut abstergere cogamur, & smegmate uti quid tunc agendum erit: Hippocrates statim respondet.

Sed petes quęnam sit causa cur nonnunquam abstersione vti sit opus & smegmate. Respondemus balneum duas causas referre, una est corporis sordes, quę faciunt ut homo lauari debeat, atque sapone & smegmate abstergi. Alia causa est corporis pruritus qui & ipse suadet esse abstergendum corpus, & smegmate utendum.

Sed petes an in acuta febre pro sordibus abstergere debeamus & smegmate uti, hoc enim absurdum uidetur, nam febris acuta est, quę non debet calidis aut siccis irritari, qualia sunt absterforia smegmata, unde abstergendo maius nocumentũ inducimus, quã dimittendo ęgrum cum suis sordibus usque in morbi inclinationem, in sanis nihil refert smegmate abstergere imo omnes qui in balneo lauantur pro sordibus smegmate se abstergunt. At hoc non est tam necessarium in morbo auferre sordes, quin sit magis necessarium, febrem non augere, & nõ calefacere & exiccare, ut smegmata faciunt, & hęc quę abstergunt. Respondemus Galenum in duobus locis de hominum sordibus locutum esse, quo in toto fiunt corpore, unus est locus in calce .x. lib. de simplicium medicamentorum facultatibus, ibiq; docet sordes quę sunt in corpore humano esse crassum illud, ac terrestre, quod reliquum est eorum quę per latentem transpirationem euacuantur, hanc sordem ibi dicit habere uim desiccandi, cum quadam caliditate iuncta, unde uides & has sordes cum exiccent & calefaciant febri acutę non conferre, in .3. Methodi medendi docet in ipsa prima carnis generatione fieri duplex excrementum necessario, imo si illa consideremus quę in libris dixit de natura humana, quod ad omnem qualitatis alimenti mutationem, alterum crassius, alterum tenuius excrementum sequitur, his excrementis etiam per vniuersum corpus semper prouenientibus, quod tenuius est, ipsa inuisibilis est perspiratio, quę etiam subinde fit visibilis, quoties uel naturalis calor languet, vel nutrimẽto utitur, quã iustum sit ampliore, uel motus quispiam vehementior animali contingit. Alterum est sordes, quę in summo corpore nostro colligitur, ut uideas sordes istas crassas primo esse calidas, postea exiccare, & cum sint crassę sordes etiam obstruunt, neque uapores insensibiles exire sinunt & transpirationes intrinsecas. Adde simul misceri linteorum sordes ex lana & panno, & puluerem extrinsecum, quoniam sordes illa crassa est pinguis, itaque fit crassum quoddam obstruens. Adde multos esse ęgros, qui sordes illas ferre nõ possunt, sed animo adeo ęgre ferunt ut obsit iccirco auferri debent, & cum additur magis obesse, quia calefaciunt & exiccant. Respondemus id quidẽ facere, sed & identidem facere sordes, & prӕter id obstruere, quod smegma non facit, nam potius aperit, nec diu exercenda est hęc abstersio, sed breui fiat. At inquies Hippocratem statim edocere vtendum esse magis, quã pro consuetudine. Respondemus intelligit de smegmatis qualitate, nõ de mora in abstersionis tempore, imo ait aquam celeriter perfundendam, vt notet non debere multum immorari smegma supra corpus, sed cito esse detergẽdũ. Forte & alia adduci poterit causa cur smegmate utendum nõ sit, est uero, si ęger pruritu uexetur, nam hęc pruritum sanant

exiccātia. At in acuta febre pruritus potius excitari debet, quia homines scalpere cogit, & ex consequenti materiæ ab intrinsecis ad extrinseca prodeunt, itaq; febris leuior efficitur, & materiæ tam abundanter exire possunt ut febris penitus auferatur, imo in aliquibus casibus iudicatio per tales pustulas per totum corpus prurientes fit, non est ergo bonum scabiem prohibere quod à smegmate fit. Respondemus pruritū ex materiebus omnino fieri quæ ab intrinsecis partibus ad extrinsecas exeunt, quæ sunt acres & salsugineæ, quæ si intus desint, pruritus extra breui remittitur & smegmate solui possunt, sed alijs intus adhuc materiebus existentibus smegmate non sanantur, sed quæ cutaneæ sunt solæ exiccantur, reliquæ uero quæ intus sunt, ad superficiem prontantur & irritantur ac trahuntur à smegmate, & si nihil amplius talis qualitatis intus relinquatur, pruritus aboletur, unde & Galenus in commentario primi libri de fracturis Hippocratis sectione. 41. docet in fracturis deligatis non esse totam deligationem resoluendam, nisi æger uehementi prurigine afficiatur. Deinde causam reddens cur inter initia maior aut minor sentiatur pruritus, inquit affectæ partis exinanitio est, cum enim ab excrementis vaporosis egredientibus mediocriter mordentur pruriunt, nam si uehementer mordeantur cum dolore pruritus ipsis contingit, quando igitur uacuum membrum iam est, uel nullum uel paucissimum omnino huiusmodi excrementum gignit, unde non sanat smegma pruritum nisi pauca sit materia, sed quod in cute est mitigat, & uiam materiebus ad cutem fluxuris præparat.

Intelligere possumus hoc lauari & smegmate abstergi ob sordes quæ pruritum faciunt, nam ut Galenus notat in secundo de symptomatum causis illotos & sordidos pruritus exercet, unde duæ hæ causæ cur abstergi debeant ita se habebunt ut una sit alterius causa, quamuis Galenus in commentatione illas distinctas faciat.

θερμῷ χρῆσθαι αὐτῷ, καὶ πολλαπλασίῳ, ἢ ὡς νομίζεται σμήγματι. i. illo uti oportet calido & multiplici plusquam putetur abstersorio, uel oportet uti illo calido, atq; multiplici pro ipsius consuetudine smegmate, ut Hippocrates uelit, non quodcunq; smegmatis genus esse accipiendum, sed tale accipiendū quod calefaciat, & in tanta copia illo uti debemus, ut eius consuetudinem in huius usu excedamus, tamen intelligere possemus quod & illo uti debemus multiplici. i. copioso, & etiam sit ualde extersorium & valde calidum, uel cū Galeno dicamus censere, multiplicem esse eius quātitatem ob aquæ miscellam, ut in commentatione apparebit.

At dices quanto erit calidius, tanto uidebitur magis obesse febri. Respondemus id quidem esse si intrinsece calefaceret, sed extrinsece tantum calefacit, propterea intrinsecas materias prauas ad se trahit, & adiuuat, quę materię iam sunt in motu, tamen Galenus uult corrigi debere, neque caliditatem illam habere debere.

Petes forte, ut tibi enarrem genus unum huius smegmatis abstersorij, de quo agit hic Hippocrates. Respondemus ut hac de re plenius loquamur, scito Galenum superius ubi de mulsa loquebatur inquiens esse minus siticulosam dulci uino, dicere hanc facultatem detergendi uocari σμηκτικὴν, à qua Hippocrates nomen fecit σμηγματῶδες, in calce uero primi libri de compositione medicamentorum secundum locos, Galenus multa secūdum Critonem smegmatum genera describit, quæ ualere dicit ad achoras, furfures, asperitates & scabies, quare hinc genus sumi poterit pro scabie, & pruritu genus. Nempe si à me petas An in sordibus & pruritu, eodem smegmatis genere uti debeamus, statim dicemus eodem genere haud esse sumendū, nam in sordibus solis ubi non adsit pruritus, iuberem ut acciperetur genus smegmatis uulgare, quod sapo albus uocatur, & albus dictus sinus, ubi uero pruritus adfuerit iuberem ut Critonis smegmata à Galeno posita præcitato loco acciperentur, quorum unum genus est hoc.

| | |
|---|---|
| Recipe Terrę cimolię | lib. j. |
| Nitri rubri | lib. j. |
| Expressionis nucis Vnguentarię sextantem alij lib. vj. habent. | |
| Myrrhę | drach. viij. |
| Piperis albi | drach. viij. |
| Nardi celticę | drach. iiij. |
| Casię | drach. iiij. |
| Costi | drach. iiij. |

Contusa ac cribrata repone ac utere in balneo. At quia usus modum petere posses, dicimus, illius pulueris pusillum accipiendum esse, & aqua irrorandum, & corpus uel membrum abstergendum, & fricandum. Tamen & hic puluis posset oleo & cera recipi, sunt multa alia eodem loco posita genera, sed satis fuit nos hoc genus exempli gratia adduxisse. Tu ipse multa alia genera apud authores probos inuenire poteris.

καὶ προκαταχεῖσθαι μὴ ὀλίγῳ. i. & præfundenda non pauca aqua. ne id genus smegmatis multum inhereat quod calidū est & siccum, censet præfundendam esse magnam aquæ copiam, ut emollescat, & humectum reddatur ægri corpus, & ne smegma multum sistat.

καὶ ταχέως μετακαταχεῖσθαι. i. & celeriter postfundenda. s. aqua, ut cito à corpore smegma diuellatur, ut elici possit prius non paucam aquam præfundendam, postea smegmate fricandum, deinde celeriter aqua perfundenda, ne diu supra corpus immoretur, & ne suo calore ad intima penetret. putamus hunc esse Hippocratis sensum in hoc loco.

GALENVS. Nullus æger cum lauatur detergi expostulat, nisi sordidus sit, & pruritu uexetur. Nempe qui ægrotant, aqua citra laborē omnem, læsionemq; proluì debent. Detersio autem purgamētis fit, tum mordentibus, tum siccantibus: quo fit, ut ea tum uirtuti, tum balneorum usui aduersissima sit. Si uero æger detergi debeat, uel propter sordes, uel propter pruritum, uim medicamenti detersorij multa admixta aqua, immisso quoq; oleo, supprimere oportet. Quocirca inquit Hippocrates: Atq; multiplici plus quàm existimetur i. q̄ sanis cōsuetum sit, utendum abstersorio. Non enim substantiam medicamenti abstersorij in ægris multiplicem accipiendam præcipit, cum non abstergere magis, q̄ abstergere uelit: sed detersorij qualitatem in ægris multiplicem fieri iubet per aquæ adauctionem. Ea siquidem ratio detergentia quoq; uitare præcepit non excitante uel sorditie, uel pruritu: acribusq; ipsis & sinceris non utendum. Vt autem multa immixta aqua acrimoniam dissoluit ipsius detergentis medicamenti, sic & totius detersorij uim, aquam calidam purámque affatim superinfundens, atque illi rursus aliam, dissoluit.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat nullum ægrum detergi expetere, nisi sit sordidus, & pruritu adeo uexetur ut non possit facile ferre, nam qui lauantur ægri, eo quòd lauari debeant, aqua quidem proluì debent, sed id absq; ullo labore fieri expetit, & absq; ulla læsione. At detersio fit per purgamenta quæ & uim mordentem habent atq; exiccantem, ob hoc & uiribus & balneorum usui maxime aduersantur, quoniam illa exiccant, balnea uero humectare debent, de his intelligentes balneis quæ ex aqua dulci fiunt, nam & balnea nitrosarum aquarum & sulphurearum, calida sunt & exiccantia, unde ęger & ratione sui, & ratione ęgritudinis, non esset detergendus, sed tantū proluendus. Sed petes an ægri expostulent, petántq; ut lauentur ut Galenus innuere uidetur. Respondemus aliquos posse expetere, & ut lauentur petere, sed hoc à Galeno non dicitur, quamuis dicatur nullum ægrum hoc expostulare, sed expostulare est indigere, nam & Græcus codex ita dicit. οὐ δεῖται τοῦ σμήχεσθαι κάμνων οὐδεὶς ὅταν λούηται. i. nullus æger abstergi indiget quando lauatur, nec ęgritudo hoc patitur, nisi aliud prouocet ad agendum, duo uero prouocant sordities & pruritus.

Petes an alia præter hæc duo abstersionem fieri cogant. Respondemus omnia alia ad hæc duo deduci, ut de exiccatione sudoris supra carnem & similibus, hęc ad sordes deducantur.

Petes

Petes quomodo aqua sunt lauandi citra laborem ac lęsionem. Respondemus huius solutionem haberi sectione. 48. cum dicet, non debet æger se mouere, neq; corpus exercere, aut manus, imo iubebit non loqui, quod uero dicit citra lęsionem, grȩce est ἀοχλητότατα, suspicatus sum ne legendum sit εὐχολώτατα, tu hanc dictionem recte considera.

Petes an necessarium sit detergere semper & abstergere mordentibus & exiccantibus. Videtur & alijs posse fieri, quia sabulo fit abstersio, tamen non mordet, & multis alijs siccis asperantibus. Respondemus nunquam contingere humidis fieri abstersionem, de frigidis uero secus est, nam frigida modo sint sicca, abstergere possunt, tamen duplex est abstergendi genus, unum superficiale, alíud quod & intus penetrat, frigida & sicca superficialiter abstergere possunt, ut uidemus sordes abstergi superficiales à furfure & à sabulo, & à pulueribus frigidis, quæ aliquam habent asperitatem. At nihil intrinsece abstergere potest, nisi sit mordax, & quanto magis calidum est, tanto magis abstergit, & penetrat, id etiam abstrahens quod in poris continetur.

Petes quomodo uirtuti & usui balneorum aduersatur abstergens. Respondemus, uirtuti, quoniam fricare opus est, in qua frictione spiritus resoluuntur, quibus resolutis uis fit imbecillior, usui uero balneorum, quia si consideremus cur balneis utamur, balneorum usui abstergens opponi deprehendemus, nã balneis in acutis utimur morbis ad humectandum, & ad reliquam resoluendam materiam, quę ferè cocta est, & ad illam ad exitum incitandam, & meatus insensibiles aperiendos, sed abstergens hoc exiccat, iccirco est balneorum usui oppositus, & nimis calefacit, quod à balneo non fit, nam mediocriter calefacere dicitur.

Secundo Galenus notat si ęger detergi debeat uel ob sordes uel ob pruritum, Hippocratem nolle simpliciter esse detergendum, & simplex detersorium accipiendum, qualia sunt smegmatum genera ab antiquis descripta, sed uelle uim abstersorij medicamenti multa aqua miscẽdum, sed oleum addendum, ut eius supprimatur uis, unde addit Hippocrates, atque multiplici plusquam existimetur, quàm sanis consuetum sit uti oportet abstersorio, nam non pręcipit Hippocrates, substantiam medicamenti abstersoriam multiplicem accipiendam esse, nempe non uult magis abstergere, quàm sit abstergere, sed hic Hippocrates censet per aquę adauctionem abstersorij qualitatem in ęgris fieri multiplicem, unde ratio pręcipit detergentia esse euitanda, modo sordes & pruritus non excitent. Adde eandem rationem suadere, usum (in acutis) acrium detersoriorum & sincerorum nõ cõuenire, sed illa esse commiscenda oleo, cera, aqua, alijsq; liquoribus, ut & calidi tas, & morsus remittantur, nec possit uehementer in corpus imprimere.

Illa particula cum non abstergere magis, quàm abstergere uelit, quę grȩce est, ὥς γε καὶ τὸ μὴ σμηγμᾶσθαι μᾶλλον αἱρεῖσθαι τοῦ σμᾶσθαι, sensum facit, Hippocratem nolle accipiẽdum esse smegma multiplex secundum substantiam, quia uult magis non abstergere quàm abstergere, nempe ratione ęgritudinis abstergere non conuenit, sed ob sordes & pruritũ cogimur, propterea abstergere opus est, sed tali modo ut potius uelimus non abstergere, quàm abstergere.

Galenus inquit Hippocratem uelle detersorij qualitatem fieri multiplicem propter aquę mistionem. At quispiam in Galenũ ambigere poterit, hoc non uideri conueniens, quoniam aquæ mistio detersorij potius qualitatem remittit, & nõ multiplicat, Adde si multiplex qualitas fieret, & cresceret, tunc ad hunc usum fieret ineptius. Respondemus Grecum codicem non legere qualitatem, sed multitudinem, nam inquit, ἀλλὰ τὸ πλῆθος τοῦ σμήγματος ἀξιοῖ πολλαπλάσιον εἶναι τῶν νοσούντων γίγνεσθαι κατὰ τὴν τοῦ ὕδατος αὔξησιν. i. sed multitudo detersorij in ęgris multiplicem fieri dignum putat, per aquę adauctionem. Vnde augetur detersorij multitudo addita aqua, & non qualitas, imo qualitatem superius supprimi uolebat tum oleo, tum aquę miscella.

Scito in grȩcis codicibus, quędam esse uerba quę ab hoc interprete relicta sunt, tamen ultimam sententię Hippocratis partẽ exponunt. hęc uero sunt ὥσπερ δὲ τῷ πλήθει τῆς τοῦ ὕδατος μίξιος ἐξέλυσε τὴν ἐκ τοῦ σμῶντος φαρμάκου δριμύτητα, κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον ὅλου σμήγματος ἐκλύει τὴν δύναμιν ἐπικαταχέων ὕδωρ εὐθέως θερμὸν, καὶ καθαρὸν δαψιλὲς, εἶτ' αὖθις ἐπιτάττει πάλιν ἕτερα. i. sicut autem multitudine aquę admistæ dissoluit ex abstersorio medicamento acredinem, per eandem rationem totius detersorij uim dissoluit, aquam statim calidam superinfundens, & puram, abundantem, postea deinceps aliã rursus apponit. Hęc pars ita ad uerbum dicit, in qua manifestissime ostendit, nõ esse legendum qualitatem, sed multitudinem uel quantitatem, quia hic dicit acredinem dissolui, & consequẽter detersorij medicamenti qualitatem per aquæ admistionem non autem accrescere.

## Hippocrates Sectio XLVI.

### Via ad solium breuis sit.

BRASAVOLVS.

Superius ab Hippocrate dictum est, ęgrũ in quiete esse seruandum, idq; sectione. 48. expressius repetet, & hoc etiã quando in balneo est, uerum si balneum esset ab ęgri lecto longe distãs, illuc ire cogeretur, & inter eundum flatu extrinseco offendi posset, & cum balneum egredietur ut in lectum reuertatur, idem pati posset, propterea iubet uiam illam quę est ab ęgri lecto ad solium, in quo est aqua, breuem esse debere, nos prope ęgri lectum solia ponimus, ut uno tantum gradu lectum ingredi possit.

δεῖ δὲ καὶ τῆς ὁδοῦ βραχείης ἐς τὴν πύελον. i. oportet autem & uiam ad solium breuem esse, ne ęger defatigetur, & ne frigus in itinere & flatus captet.

Dices ut hic corpus exerceat, nonne melius esset uiam esse distantiorem? Respondemus, nunc de balneo sermo fit qui in febre acuta adhibetur, in qua ęger quiescere debet non moueri, quoniam acutę febres quiete potius, quàm labore sanantur.

GALENVS.

Commune, id est, siue in balneo hominem laueris, siue in domo aliqua extruxeris pyram, & labrum aqua impleueris. Quod & nunc in castris fit sępius, cum lauari quempiam deficiente balnei loco oportet.

BRASAVOLVS.

Galenus notat hoc esse commune. s. uiam ad balneum debere esse breuem, siue in balneo hominem laueris, quod publice extructum sit, siue in aliqua domo extructa sit pyra, & labrum sit aqua plenum quo lauari debet, ut nunc fit plerunque in castris cum quempiam lauare oportet, & balnei locus deficit, opus est lauare in labro aqua pleno, cui ligna ardentia sint supposita. Sed inquies quid refert ad publica balnea proficiscentibus uiam esse longam uel breuem? & in castris uiam breuem esse debere? Respondemus Galenũ semper in ęgris loqui acuto morbo laborantibus, uel si in sanis hoc intelligere uolueris, scito & balneum illi loco propinquum esse debere, in quo exui & indui debet, ne uenti nimium & frigoris captet. Galenus in balneis ex lateribus factis semper loqui uidetur, tamen solijs nunc utimur, & credendum est, Hippocratis tempore in vsu fuisse, Galenum uero de lauatione in morbis intelligere ex hoc patet, quia inquit cum lauari quempiam oportet. at lauari non oportet sanos, quia hęc particula /oportet/ necessitatem significat, & sani in fluminibus etiam lauantur, & aqua frigida absq; aliqua excalfactione.

## Hippocrates. Sectio XLVII.

### Facilisq; tum ingressus, tum egressus.

BRASAVOLVS.

En quomodo Hippocrates nolit ægrum ullo pacto fatigari, nam & balneum ita factum esse iubet, ut ad ingrediendum sit facile, & ęque ad egrediendum. nam posset esse ad ingrediẽdum facile, & non ad egrediendum. Nostro tempore balnea faciunt gradibus circundata, ut quisq; possit & ingredi facilime, & egredi, & profundius ingredi, ac altius ut lubet.

καὶ εὐέμβατον καὶ εὐέκβατον.i.facilia ad ingrediendum & egrediendum scilicet sit uia,uel labrum sit facile, ne scilicet æger multum defatigetur ingrediens & egrediens, & auras simul capiet.

GALENVS. Prorsus siquidem citra fatigationem lassitudinemq; ægrũ seruare iubet,atq; ob id solium facilem tum ingressum, tum egressum habere uoluit. Id proculdubio fiet, si paries qui aquã contonet neq; sublimis, neq; angustua fuerit. Maxime autẽ laudabile & à labore omni alienum est, quod in aquarum sponte nascentium cõficitur lauacris nempe solia humilia ita depressaq; propè omnes cõficiunt, ut nihil solij pauimento quod propè est emineat.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat Hippocratem semper uoluisse absq; fatigatione & lassitudine ægrum seruare, ob hanc causam iubet solium, in quo æger balneari debet ingressum facilem habere oportere, & egressum.

Secundo Galenus docet quonam modo ingressus & egressus erunt facilia, si inquit paries qui aquam continet, neq; sublimis, neq; angustua fuerit, unde balnea quę fiunt in aquis sponte nascentibus maxime laudabilia sunt, & à labore ingrediendi & egrediendi prorsus aliena, nam solia & humilia & depressa ita conficiunt, ut solium non emineat, uel minimum pauimento, quod prope est.

Petes quid faciet angustia ad laborem? Respondemus homo non poterit uerti per balneum, si angustum sit, ex quo male afficietur, & forte balnei latera suis lateribus percutiet, séque male afficiet.

Dices prętera, si solium sit adeo humile ut pauimentum non superet, quomodo poterit homo tegi aqua, & probe lauari? Respondemus intellige vas esse sub terra, ut sunt lauacra quæ in atrijs principum fiunt, ad quę per gradus descenditur.

## Hippocrates. Sectio XLVIII.

### Qui lauatur, componat sese, taceat, & nihil agat, sed cæteros tum perfundere tum abstergere sinat.

BRASAVOLVS. Nunc manifestius ab Hippocrate ostenditur ęgros nullo pacto esse fatigandos, cum inquit illos qui lauantur debere sese componere, & tacere, ac nihil penitus agere, propterea assistentes illi sint qui eos lauẽt ac abstergant, & omnia quę sunt agenda agant.

ἵνα δὲ τὸν λουόμενον κόσμιον.i.is uero qui lauatur componat sese. & si uocabulum κόσμιον ornatum significet, tamen in proposito significat, ut is vir qui lauatur, situm capiat, in quo quiescat, & non defatiget, uel minimam partem, sed situs sit talis, quo se disponit, ut quiete maneat, & nullum membrum patiatur, uel minimum incommodum.

Petes uero quinam situs hic sit? Respondemus, si paruam sedem in balneo habeat, sedeatque, & crura extendat ad balnei longitudinem.

καὶ σιγηλόν.i.& taceat. inter alia corporia exercitamenta, & quę hominem delassant, unum est sermo, ne igitur delassetur, iubet ut taceat, quia thoracis partes in sermone defatigantur, tamen Hippocrates non negat sermonem huic penitus, sed tantum negat sermonem frequentem & continuum, nam dum in balneo est, necessaria petere debet, & non debet penitus à sermone abstinere ac si sit elinguis, uel in Pythagorica schola initiatus.

καὶ μηδὲν αὐτὸν ἐργάζεσθαι.i.& ipsum nihil agere, iubet Hippocrates, nam aliqui sunt, qui se ipsos abluere uolunt, & per lauacrum se uolutant, ac manus ducunt, quod Hippocrati displicet, qui iubet illum nihil facere, sed quiete manere, & alios sinere circa ipsum exerceri, qui illi in curatione ministrant. vnde addit.

ἀλλ' ἄλλους καὶ καταχέειν καὶ σμήχειν.i.sed alios tum perfundere, tum abstergere sinat. Hippocrati placet assistentes illos esse qui moueantur, & qui lauandi actum circa ægrum & abstergendi exerceant, quando abstersione indiget, & totum hoc facit ne defatigetur & ne delassetur æger, tamen non negaret Hippocrates si quandoq; opus sit pro integritate adiuuendo ægrum uertere, ipsum seipsum uertere debere, nam videretur magis incommodum si alter illum uerteret.

GALENVS. Hæc quoque prædictis similiter vt æger non laboret, conferunt. Nempe & ægrotantis quies vt corpus in balneo, tum laxius, tum mollius reddatur, est idonea. Nam cum mouetur corpus, musculi extenduntur, qui minus tum molliuntur, tum relaxantur.

BRASAVOLVS. A Galeno & hic notatur omnia ab Hippocrate dici nec æger laboret dum lauatur, nam quies ista ægrotantis in balneo, idonea est vt corpus & laxius & mollius reddatur, nempe si ægri corpus moueatur, musculi extenduntur, qui ex hoc motu tunc minus extenduntur & relaxantur.

Non solum in balneo quies mollius reddit corpus, sed simpliciter quies corpora reddit mollia & eadem reddit laxa, mollities hæc quæ ab humiditate prouenit, potissimum in eorum balneis quæritur, qui acuta febre laborantes lauantur. At motus musculos extendit, idcirco defatigantur, & ex consequenti humiditatem non recipiunt, & si quid humidi recipiant, id statim excutiunt, & ob motum dissoluunt.

## Hippocrates. Sectio XLIX.

### Multæ quoque aquæ mixturæ parantur.

BRASAVOLVS. Aeger in aquę calidę balneum imponi debet, & quiescere. præterea debet, ex quibus mollius redditur corpus & laxius. At habere corpus mollius & laxius conuenire non uidetur, idcirco Hippocrates aliquid agendum esse censet, quod corpus reddat firmius, firmius autem redditur, si post aquę calidę balneum, homo statim in frigidum ponatur, tunc enim cutis densatur, & mollities ac laxitas aufertur. At ægri non sunt ita ponendi in aquę frigidæ balnea, propterea iubet ut multæ aquæ misturæ parentur, quæ tales sint, ut prima aqua sit tepida, secũda minus tepida, & tertia adhuc minus, ut ferè sit frigidæ propinqua, hoc enim modo homo de extremo ad extremum sine medio non transibit, sed conuenienti utetur medio, caliditatem semper emittendo, quousq; ad frigiditatem ferè perueniat, in quam statim deuenisset si fuisset sanus.

καὶ μεταμίγματα πολλὰ ἑτοιμάζεσθαι.i.& deinde multę aquę misturæ parentur, postquam scilicet in balneo per cõueniens spatium immoratus sit, ut mollities & laxitas corrigantur, transeat in alias aquæ misturas tepidas & minus calidas.

Sed inquies tibi mirum uideri, hunc à calida ad frigidam deduci, cum non uideatur conueniens, quia meatus iam aperti obstruerentur, & uehementiorem incideret febrem? Respondemus imo Galenum in .x. Methodi censuisse febre acuta laborantes ut synocho calidæ balneum ingredi debere, postea frigidæ, & denique sudare, de his loquitur præsidijs quæ complicatã quodammodo habent duplicem facultatem, ut scilicet prima ratione proficiant, & ex accidenti; quod genus (inquit) est balneum, quod ex partibus uaria facultate prçditis est compositum, nam ingredientes in aere uersantur calido, postea in aquã calidam descendunt, mox ab hac egressi, in frigidam, postremo sudorem detergent, post hæc Galenus balnei dotes aperit, inquiens, potest autem prima pars (balnei aerem intellige in quem homo ingreditur) materias per totum corpus tum calefacere, tum liquare, præterea quæ inæqualia sunt æquare, & cutim laxare, & multa quæ sub hac cute detinebantur, vacuare, secunda eius pars (intellige aquam ipsam calidam, in quam homo ingreditur) ubi quis in sicco corporis affectu ea utitur, potest madorem utilem solidis partibus immittere. Tertia balnei pars, ubi quis frigida utitur, & totum corpus refrigerare & cutem densare, & uires firmare potest. Quarta uero (.i. balnei pars quę est cum æger denique sudat) corpus per sudores citra refrigerationis noxam euacuat, hæc sunt quæ circa hominem balneum facit commoda, ubi percipi potest Galenum pro in-

conuenientia

Inconuenientia nō habere, in synocho & in acutis morbis, post aquæ calidæ balneū, frigidam aquā ingredi. At hic modestius loqui uidetur & temperatius, quia nō censet in frigidam statim imponendum, sed prius cū Hippocrate, in tepidam ponendum postea in minus tepidam, & ita per gradus remittendo.

Præterea dices balnea corpus calefacere, ut experientia ostendit, propterea in febribus non conuenire, de balneis uero dulcis aquæ calidæ intelligimus. Respōdemus Galenum in .x. Methodi ad ultimas libri partes, ita scriptum reliquisse, si quis balneum ingressus nō inhorruit, sed remissa est illi laxataque cutis, huic plane necessario prædicta succedent, excremētorū uacuatio, æqualis per totū corpus calor, exiguorū meatuū rarefactio, tentorū relaxatio, densatorū fusio. Ac uacuatio quidē excremētorū, omni febri est utilissima pori & rarefactio, & relaxatio, fusio tamen & calor nō item, sed calor omni febri est inimicus, quando refrigerari non calefieri febrium affectus postulat. At fundi æqualiter, id solidis quidem animalis partibus nō est alienum, multaque alia eodem loco Galenus addit consideratu digna. Ad rem igitur caliditas febri prorsus obest, tamen tot bona sequuntur, ut ratione comodorum tam multiplicium magis prosit, quam ratione caliditatis quæ etiam actualis est non uirtualis modo obesse possit.

Ad propositum uero primæ ambiguitatis, frigida balnea quæ calida sequuntur non obstruunt, sed tantum firmant, non obstruere uero eodem loco ostendit Galenus inquiēs quippe quibus omnia rite sunt adhibita, hi post frigidę usum adhuc sudāt, & omnia ipsis excrementa euacuantur, ut uideas hos sudare non posse, si frigida insensibiles meatus obstruxisset, nec posse excrementa euacuare, tamē dicit & sudare & excremēta emittere, post hęc uerba summam quandam infert Galenus de balneis, inquiens. Itaque ex omnibus quæ de balneis retulimus, una summa colligitur, quod uacuatur quidem quicquid in corpore uel fuliginosum uel sumi dum fuit. consistunt autem in naturali symmetria tum caro ipsa tum cutis, solidarum partium aviditas corrigitur, & calor non modo is qui ex lauacro accessit, uerum etiam qui prius fuit ex frigidæ usu summouetur. hęc Galenus de calidæ balneo ac frigidæ, qui & multa alia addit, & de febris hecticę balneo, quę tu ipse perlegere poteris. hæc ad propositum intellectionis Hippocratis satis sint.

GALENVS. Cum Hippocrates inquit, καὶ μετακέρασμα πολλὰ ἑτοιμᾶσθαι. i. multæ quoque aquæ mixturæ parentur, potest unico legi uerbo, μετακέρασμα, atque intelligi hæc præpositio μετὰ per se, & seorsum κέρασμα. Nam Hippocrates nō in hoc solum libro uerū & in alijs Ionum more per defectū uti præpositione μετὰ uidetur. Plene aūt atque integre ita legetur: καὶ μετὰ ταῦτα κέρασμα πολλὰ ἑτοιμᾶσθαι. i. multæ quoque post hæc aquæ mixturæ parentur. Siue aūt quis uno intelligat uerbo μετακέρασμα, siue distinguat, distrahátque pro μετὰ ταῦτα κέρασμα, una est dictionis utriusque intelligentia. Vult si quidē mixturā parari, cum qui in solio lotus est perfusurus: quod medici huius temporis omnes efficere consueuerunt, cum ægrum lauerint. Neque .n. in labrum frigidū ingredi permittūt, sed tepida perfundunt aqua. Alij solia tota aqua huiusmodi replent. Nā ut corpus, nī laxius, tū rarius, calida lauatione est redditū, ita rursum quiete paulatimque cōtrahere ipsum, & cogere, & densare in animo habet. Nempe id ad uirtutis robur confert, facitque ut non facile homo lædatur, nisi subita quædā in ambiente aere fiat ad frigidū permutatio. Ob id, qui recte ualent, à balneo calido sese in frigidā projciunt aquā: sed qui ægrotant, cōtactū frigidæ nō sustinent circa læsionē. Quapropter frigidā calidæ mixtione supprimimus. Mixtionis aūt modū inueniemus, in primis quidē si corporis affectionē inspexerimus: deinde & propriā laborantis naturā, ætatemque, & anni tēpus, & regionē, & præsentē cœli statum. Probe aūt facient, qui à calido balneo tepidas nō minus trium generū aquas, quæ inter se differant, parabunt: ut prima quidē admodum tepida sit, secunda uero minus, & tertia adhuc quæ magis ad frigidū declinet. Tale aūt quippiā uelle uisus est Hippocrates cū præcepit mixturas parari. Nempe quod paratur, id nō simpliciter modo multū, uerū & uariū, multiplexque esse est melius, ut paulatim à calido ad frigidum procedatur: cum subitam ad contrarium mutationem æger non ferat.

BRASAVOLVS. Primo Galenus obscurū loquendi Hippocratis modū exponit, qui Ionū lingua usus plerunque obscurus est, propterea inquit cū ab Hippocrate scriptū est, καὶ μετακέρασμα πολλὰ ἑτοιμᾶσθαι. i. multę quoque aquę mixturæ parentur, hæc particula μετακέρασμα unicū uerbū esse potest, & duo uerba, ut per se legatur hæc particula μετὰ, & per se illa κέρασμα, quoniā Hippocrate nō solū in hoc uolumine, sed & in alijs multis utitur præpositione μετὰ Ionum more. uerū si quis Attice ac plene sententiā legere uoluerit, ita dici poterit καὶ μετὰ ταῦτα κέρασμα πολλὰ ἑτοιμᾶσθαι. i. multę quoque post hæc aquæ mixturæ parentur. Tamen Galenus infert, uel quispiā intelligat, ac si sit unū uerbum μετακέρασμα, uel distinguat μετὰ ταῦτα κέρασμα, una sola est intelligētia in utrisque sermonibus, & intelligentia talis est, ut Hippocrates uelit mixturā parari, quando is qui fuerit lotus, perfundi debet, hancque perfusionē medici oēs Galeni tēpore facere cōsueuerunt, post quā ægrū lauerint, nempe nō permittūt in aquā frigidā ingredi ægrū, qui iam fuerit in calida, nec frigida perfundunt, sed tepida. Alij nō perfundunt, sed soliū aqua tepida implent, & ibi ægrū imponunt. nā sicuti per aquæ calidæ lotionem & laxius corpus & rarius reddidere, ita deinceps animo habent, quiete & paulatim ipsum cōtrahere & cogere, & densare, hoc etenim ad uirtutis robur cōfert, facitque ut homo nō facile lædatur, nisi subita quædā fiat in ambiente aere ad frigidū permutatio. ut deprehendi possit, & aliquos ex calido solio in frigidū absque medio nō trāsiuisse, ob hanc causam homines sani à balneo calido, confestim in frigidum se mergunt. At ægrotantes absque læsione, frigidæ cōtactum non ferunt, & hęc est causa, cur fieri debeat multa mistio, quia frigida calidæ permisceri debet.

Quod legitur, una est dictionis utriusque intelligentia, græce est μία ἔννοια κοινὴ τῶν λέξεων ἀμφοτέρων ἐστίν. i. una est cōmunis utrarunque dictionū intelligentia.

Admiraberis uero hic à Galeno dici ægros cōtactum frigidæ non sustinere citra læsionē, tamē in .x. Methodi ægros post calidā ponit in frigidā, & hecticos similiter ac eiusdē generis alios imo nōnullos in aquā frigidam primo ponit. Respōdemus hoc tutius esse ex calida in tepidam procedere, id uero citius sanitatē inducit. s. procedere ex calido in frigidū, uel & in .x. Methodi per gradus incedendū esse censet. Id quoque dubiū facit, cum inquit corpus factū laxius & rarius debere densari & cōtrahi, ac cogi, sed hæc præter rationē facta uidētur, nā cur prius redditū est laxum & rarū, si postea densari debeat, potius in suo naturali esse dimittendū erat, uel magis cogendū, quam rarefaciendū ut deinceps densaretur. Respondemus causam cur reddatur corpus rarius esse ut humores & spiritus halituosi exeant, quod fit per aquæ calidę balneū. At aperti meatus ac laxi, ut rarefactos humores extra misere, ita impressiones extrinsecas facile recipiunt, nisi occludantur, propterea cū materiæ exiuerint, corpus densari debet, idcirco supponere oportet, iam illa exiuisse quæ exire debent, & deinceps densandum est tum ut redeant uires & pristinum robur acquiratur, tum ut pori ac insensibiles densentur meatus, ne extrinsecas traherent impressiones, ob hanc causam antiquorum fuit consuetudo post balneum inungi, vt oleo meatus obstruerentur.

Secundo cū necessariū sit secundū Hippocratem multas fieri aquæ mixtiones, Galenus quō fiant ostendit, & modū quo inueniātur enoliatur inquiens, quòd modū mistionis inueniemus primo si affectionē corporis inspexerimus, postea si propriā laborantis naturā cōtēplati erimus, atque eius ætatē, & tēpus anni & regionē, & præsentē cœli statū, & postea Galenus illos laudat, & probe facere dicit, qui tria aquarū tepidarū genera parabant, post balnea calida, & bene dicit, nā minus tribus quia potuissent quatuor & quinque parare genera, tamē nō debent esse pauciora genera tribus, prima etenim debet esse admodū tepida, secunda uero minus tepida, & tertia adhuc magis ad frigi-

dam declinet. Id Hippocrates uoluisse ex hoc probatur, quia iubet mixturas parari, unde hoc quod paratur non solum simpliciter multum esse debet, sed si & uarium & multiplex sit, est melius, à calidáque ad frigidam paulatim procedatur, nec de contrario in contrarium absque medio fiat transitus, nempe ægri subitam ad contrarium mutationem ferre non possunt.

Quod legitur, Mixtionis autem modum inueniemus. Græce est ἡ δὲ τῆς μίξιος ποσότης εὑρίσκεται, idest, mistionis autem quantitas inuenietur. Melior forte esset lectio, si legeretur ποιότης, idest, qualitas, ut in antiquo quodam codice habetur, quia hæc quæ sequuntur aquæ mistæ qualitatem notant. & si petes qua cum re fit hæc mistura, quia nihil simplex miscetur: intellige aquæ frigidæ cum calida mistionem. primo, morbus ipse considerandus est, an calidus uel frigidus, quia calido calida, frigido frigida obest, & contraria prosunt. Consideranda & laborantis natura, idest, temperans an calida uel frigida, quoniam biliosæ & sanguineæ naturæ conueniet hic transitus ad frigidam, non ita conueniet in pituitosis & atrabilarijs. Consideranda & ætas, quia iuuenibus erit conueniens hic transitus, senioribus minime. Tempus anni æstiuum suadebit de transitu à calida in tepidam & frigidam, sed hyems dissuadebit. Regio calida ut Africa idem suadebit, dissuadebit frigida, ut Illyrium. Imo contingit in alterius temperiei regionem, quod status cœli pro illo tempore aliam habebit temperiem, ut si in regione calida & æstiuo tempore pluat, & uenti spirent frigidi, uel in regione frigida & tempore hyemis uenti spirent calidi, hic cœli status unum suadet, quod alter cœli status dissuaderet, per cœlum uero aerem intellige, nam & græcus codex hic dicit καὶ τὴν παροῦσαν κατάστασιν τοῦ περιέχοντος, idest, & præsentem constitutionem circundantis scilicet aeris.

Vbi legitur cum præcepit mixturas parari, deest particula multas, nam Græcus codex habet κελεύων τὸ μεταπείρασμα πολὺ παρασκευάζειν.

## Hippocrates. Sectio L.

### Celeresq; faciant perfusiones.

BRASAVOLVS. Quando à calido balneo ad frigidum transitur, uel ad tepidum ut in ægris, aliqui sunt medici qui in solium tepida plenum ægros imponunt, alij non quidem, in solium, sed aqua tepida perfundunt. hoc more utebatur Hippocrates, unde supponit iam esse paratas multas aquæ misturas, quæ ægro superinfundi debeant, superinfusionis modum hic docet inquiens perfusiones istas celeres esse oportere, & celeres, quia mutatio fiat de una in aliam celeriter & cito, sed etiam quia celeriter debet ablui, & debet ingeri aqua supra aquam ne absque aqua quandoque immoretur, sed semper habeat supra se aquam tepidam primo ἱκανῶς, ut dicebat Galenus, idest, decenter tepidam postea minus tepidam, quousque deueniatur ad frigidam, uel ad frigide propinquam. καὶ τὰς ἐπαντλήσιας ταχείας ποιεῖσθαι, idest, & perfusiones celeres fiant, nec spatium intersit inter perfusionem & perfusionem.

Sed petes quidnā melius sit an perfundere, an in balneo quiete manere? Rñdemus perfusiones motum quendā facere, per quem fit maior impressio in carnis meatus insensibiles. at in balneo quiete iacere, tantam impressionem non facit. Idcirco perfusiones laudo, quando frictiones manu non fiunt.

GALENVS. ταχείας, id est celeres, referre oportet non ad eam solum, quæ in perfusione fit, actionem, uerum quoque & ad illud quod actiones interiacet spatium: ut primam inter perfusionem secundamque parum sit interualli. Quòd, si quis proprie nominauerit, non ταχείας, id est celeres, sed πυκνὰς, id est frequentes dixerit. Quanquam apud ueteres usus horum nominum πυκνοῦ & ταχέος confundatur. Nam aliquando πυκνὰς, id est frequentes actiones, ταχείας, id est celeres uocant.

BRASAVOLVS. Galenus uocabulum celeres interpretatur, & aliud nihil agit, inquiens ταχείας, idest, celeres, referri oportere non ad illam solam actionem quæ in perfusione fit, ut hæc sit celer, sed & ad id spatium referre oportet quod inter actiones interiacet, ut inter primam perfusionem, & secundam parum adsit interualli, tamen si quis proprie nominare uoluerit, nō ταχείας, id est, celeres, sed πυκνὰς, id est, frequentes dicet & nominabit, quamuis apud ueteres horum nominum usus πυκνοῦ & ταχέος confundatur, quia nonnunquam πυκνὰς, id est, frequentes actiones, ταχείας, id est, celeres uocant, & re uera multi putarunt unum ab alio non differre, cum tamen maxime differāt, ut etiam in pulsibus differunt frequens & celer.

Hic ex Galeno differentia notari potest, quæ est inter frequentiam & celeritatem, quia celeritas penes actionem ipsam consideratur, quæ cita sit & festina, ut in aquæ perfusione id cito faciat & festinanter, sed frequentia penes illud spatium consideratur, quod actiones interiacet, quia potest esse actio celer, & secundum spatium quod inter actiones interiacet etiam frequēs, quia magis frequentabit, q̄ pro consuetudine qua solet agi, vnde est frequens quia inter primam & secundam perfusionē parum est interualli.

Sed petes an hæc perfusio supra caput fiat, an solum supra dorsum? Respondemus supra caput fieri debere, quia Hippocrates sectione 53. iubebit caput spongia esse optime siccandum, quod non esset, nisi caput esset ablutum & madefactum. tamē nos in nostris balneis & in perfusionibus non inijcimus supra caput, imo & ex aqua met balnei perfundimus.

## Hippocrates. Sectio LI.

### Et spongijs pro strigili vtantur.

BRASAVOLVS. Antiqui postea quam erunt in balneo loti & aqua perfusi, strigili præterea fricabantur, ut sordes aptius à corpore amolirentur. At Hippocrates in ægrorum balneis strigilis usum negat, utpote nimis calefacientis, sed iubet spongia esse detergendum & exiccandum, propterea inquit, utantur post balneum, quando detergere uolunt & exiccare, spongijs, nō autē strigili. καὶ σπόγγοισι χρέεσθαι ἀντὶ στλεγγίδος, id est, & spongijs pro strigili utantur, nam spongia minus afficiet corpus, & magis exiccabit.

At quispiā de his strigilibus petet, quā habeāt formā, & ex qua essent cōfectæ materia. In equis sunt instrumenta ferrea dentata à stringendo. i. radendo dicta. mangones equos & iumenta hoc instrumento expoliunt. in balneis est usus strigilis ad sordes à corporibus abradendas, & ad sudorē detergendū, strigiles ex auro, argēto, ferro, & aliquibus pumicosis lapidibus cōficiebāt, & ex hebeno cōficiebant, unde apud Strabonē lib. 15. cū de moribus Indorū loquit, scriptū reperit, illos exercitiū præcipue frictionē probare, & maxime strigilibus hebeni lenibus corpora expolire. Reges quoq; corpora, strigilū perfrictione curare, tamē nōnulli sunt qui hūc Strabonis locū de pectine quodā eburneo intelligunt, quo perfricabāt corpora. Nos uero strigilē intelligimus, & strigili similē, quo Romani in balneis utebant. Vidimus eius formā Romæ in marmore sculptū in Diocltiani thermis, obtortæ sunt & asperæ, manubriūmq; habent quo capi possint, in hanc ferè formam.

Antiqua strigilis forma



Strigiles

Strigiles semper erant asperæ, ut sordes à corpore detergere possent, nam ut Galenus. 14. Methodi ostendit strigili detergebant sudorem in balneis, at quia corpus multum fatigabāt, propterea Hippocrates strigiles dimitti iubet, & ipsarum loco spongias accipi.

At diceres non'ne & spongiæ exasperare uidentur? Respondemus Galenum notant & medicos sui temporis non esse usos spongijs, sed solis linteis quibus ægros exiccabant iam balnei aqua madefactos & perfusos, nos in præsentiarum linteo molli excipimus, exiccamus ac detergemus, deinde in lectum ponimus.

**GALENVS.**

Neque strigilibus in ægris ipsis, neque spongia medici huius ce temporis utuntur, sed à balneo eos linteo contegunt, alij uestibus, & potissimum puris, ut plurimum sudent, obuoluunt. Sed non semper ægrum ipsum à balneo copiose sudare conuenit. Nempe sæpius laborantem ad balneum non uacuandi corporis gratia ducimus, sed prorsus contrariam ob rationem, ut scilicet humectetur, madescátq; quod immoderatius exaruit, in talibus igitur non in balneo sunt expectandi sudores multi, sed quàm citissime solij aquam ingredi, & postea balneo egressos, resiccare expedit.

**BRASAVOLVS.**

Primo Galenus notat sui temporis medicos, neque strigilibus, neq; spongijs in ægris usos esse, sed illos à balneo linteo contegisse & inuoluisse, in lectúmque portasse: alios uestibus usos esse, & potissimum puris, ut multum sudarent, & illos eisdem uestibus obuoluisse. tamen hoc perpetuo fieri non debuit, quia non semper ipse ęger à balneo copiose sudare debet. sunt enim aliqui casus, in quibus non est opus ut sudet, saltem copiose, quia fieri non potest, quin parum saltem sudet.

Petes quodnam uestis genus id sit, quo hi utebantur. Respondemus, erant ἱμάτια, id est, pallia quibus recipiebantur, & inuoluebantur, ut Galenus inquit πανταχόθεν, id est, undique, ut uix respirarent, erant uero in duplici differentia, nam unum genus erat lineum, ut aquæ humiditas exugeretur, aliud laneum, uel pelliceum, quo inuoluebantur, ut sudarent, nunc primo lineis pannis aquæ madorem abstergimus, postea in lectum calidum recipiuntur ut sudent, qui lectus primo habet lintea, postea culcitras, & reliqua tegumenta.

Petes cur dicat uestibus puris ἄγναπτα. Respondemus hoc dicere, quia uestes illæ erant sincerę, sine rugis, non duplices, sed, simplices, & purę, & etiam mundę.

Secundo Galenus docet, quando non conuenit à balneo copiose sudare, inquiens, quoties non ducimus ęgrum ad balneū ut euacuetur, sed ob contrariam potius rationem, tunc non est opus à balneo sudare, est uero contraria ratio ut ęger humectetur ac madescat, quia intentio medici est, ut æger humectetur, iccirco ad balneum ducit, tunc uero æger ad balneum ducitur, quando supra modum exaruerit, in his hominibus multi sudores non sunt expectandi in balneo, neque requiri debent, neq; prouocari, sed hi quàm citissime debent solij aquam ingredi, & cum egressi sunt balneo resiccari debent, finiq; ut sudent.

At dices hæc contrariam rationem non habere, euacuari, & ingredi balneum, quia se compatiuntur, at huius generis res rationem contrariam non habent. Respondemus Galenum intelligendum esse quòd balnea per contrariam rationem adhibentur, nam quandoq; adhibentur ut humores ac corporis humiditates euacuent, quandoq; ut humectent, & corpora humiditate potius impleant, unde primum est euacuatio, secundū quodammodo repletio, primum est exiccatio, secundum humectatio, propterea rationes habent contrarias.

Cur dicit non esse expectandos multos sudores, si nulli conueniunt? Respondemus impossibile ferè esse eum qui balneum ingreditur nō sudare. At qui aridi sunt, prohibendi sunt, ne multum sudent, & ideo, id multos sudores non esse expectandos, intelligi debet, quòd multi sudores prohibendi sunt, nam impossibile est sudores penitus prohibere.

Sed inquies cum hi immoderatius exaruerint, quomodo sudabunt, cum nihil habeant humiditatis. Respondetur, impossibile esse aliquem esse adeo siccum, squalidúmq;, quin & illi insit aliqua humiditas, alioqui esset mortuus, illa est quæ exit, propterea ne tota exeat, à sudore prohibendi sunt.

Petes preterea cur uelit hos q̃ citissime aquam solij ingredi debere? Respondetur quia solij aqua est in hypocausto. i. in loco calidiori, ante quem locum primo adest tepidarium, postea calidarium, in quibus locis, si immoraretur homo sudaret, & ex consequenti humiditas deperderetur, quæ potius refectione indiget. At si citissime in aquam ponatur, humectari incipit, & nihil exit sudoris.

Dices cur sunt à balneo resiccandi, si humectatione indigent? Respondemus ne humiditas illa aquea frigescat, & deinde faciat obstructionem, semper etenim cum quis aqua madescit, resiccari debet.

## Hippocrates. Sectio LII.

### Et non valde siccum perungant corpus.

**BRASAVOLVS.**

Ab Hippocrate hic innuitur corpus post balneum esse exiccandum, & postea perungendum, uerumtamen expectari nō debet ut ualde siccum sit, quando perungitur, intellige detersum quidem esse & exiccatum corpus linteo uel spongia, sed non uehementer exiccatum ne asperum redditum sit. at adeo exiccatum, ut adhuc sit relicta balnei caliditas & humiditas.

At quispiam ambigere posset an in febribus perungere liceat, cum inunctio à re pingui sit, quæ meatus insensibiles obstruere uidetur hinc non uidetur ęgrum inungi debere, præsertim illum qui in lecto manet, nam sanis inunctio fit, ne meatus aere impleantur, & ne re alia nocua obstruantur, hoc ægris contingere non potest in lecto manentibus, propterea non uiderētur debere perungi. Respondemus talia inunctionum genera accipi possent quę conuenirent, & quę reliquum humoris qui in cute relictus est, exiccaret, tamen in febribus perungere non est necesse. At cum antiqui post balnea essent perungi assueti, Galenus inquit, ne Hippocrates aliquid ex his relinqueret quę de necessitate sunt dicenda, & hanc perunctionem in balneo posuit.

Et si petas quę sint hę inunctiones. Antiqui omnes codices acopis pleni sunt, illa uero sunt eligenda quę morbo conueniunt, antiqui enim (ut apud Homerum constat) à mulieribus lauabantur, ab eisdemq; oleo inungebantur, Eustrathius per oleum unguentum interpretatur.

**GALENVS.**

Oratio hęc, succedit quidem huic: Et spongijs pro strigili utantur. Sed qui sermonis proprietatem contemplatus fuerit, is de unctionis in balneo usu intelliget, ne eorum quę de necessitate dicenda sunt, quippiam pretermissum esse uideatur. Nam ubi post balneum spongia aquam detersit Hippocrates, obscurum quidem est, si corpus unxerit: bene tamen ægri corpus cum humidum existit, perungendum esse cōstat, nisi quispiam oleum cum aqua, hoc ipsum resiccare dixerit. Est igitur utile, ut de unctionis in balneo usu discutiatur: sed necessaria magis est super unctionis tempore discussio, si oleum perfundere conueniat, uel ubi qui lauatur sudauerit, uel cum siccus adhuc est, confestim ubi sese exuerit, & prius quàm sudauerit, uel horum neutrum fuerit, sed ubi humescere cœperit. Sanè quicunq; eorum meminit, quę de olei facultate in simplicium medicamentorum tractatione dicuntur, is exacte nouit optimum esse olei usus in his qui lauantur tempus quod tertio dicitur loco: nouitque quonam pacto calfactum corpori exhibere conueniat. Nempe id corpus mollius reddit, laxiusq;, cum frigidum suo contactu non solum horum neutrum efficere natum sit, sed & eos qui lauantur frigentes reddat.

**BRASAVOLVS.**

Primo Galenus notat hanc sententiam illam sequi, quę immediate exposita est, ubi dicebatur & spongijs pro strigili utātur, quispiamq; intelligere posset ut de inungendo corpore loqueretur, uel homo fuerit balneum ingressus uel non fuerit. At Galenus ait, si quis sermonis proprietatem contemplatus fuerit, hic de inunctionis usu in balneo intelliget, & non quo-

modocunq; etiam sine balneo, de hácq; locutus est, ne eorum quæ de necessitate dicenda sunt, quicquam prætermissum esse uideat. Cũ.n. Hippocrates post balneũ spongia aquã deterser, incertum est an tunc Hippocrates unxerit uel non unxerit, quia tunc siccum uidetur ex spongia corpus. At certum est perungendum esse ægri corpus cum humidum existit, nisi quis intellexerit hoc ipsum esse resiccare, oleum & aquam simul, uel intellige post aquam resiccandũ esse oleum, nam in quodã Græco codice legitur μετὰ τὸ ὕδωρ ἔλαιον, id est, post aquam oleũ ut sensus sit resiccandum esse oleum post aquam, tamẽ potest utroq; modo intelligi, & hoc modo.

πλὴν εἰ ταῦτό τις φησὶ, ὅτι πάλιν ἀπομάττει τοῦτ᾽ αὐτὸ τὸ μετὰ τοῦ ὕδατος ἔλαιον, id est, nisi quispiam hoc dixerit, quod rursus detergit hoc ipsum quod est cum aqua oleum, & si legamus μετὰ τὸ ὕδωρ. Sensus est, nisi quispiam hoc dixerit quod rursus detergit, quod est post aquam oleum, uterq; sensus conueniens est, quia hanc abstersionem ad oleum utrobiq; applicat, uel cum aqua simul, uel post aquam, intellige vero perungendum corpus humidum. i. non perfecte exiccatum.

Secundo Galenus notat esse vtile de inunctionis usu in balneo nonnihil discutere. At in inunctionis tempore illud discutiendum potius est, an oleum sit perfundendum, & hoc vel vbi is qui lauatur primo sudauerit, uel cum iam siccus est, & mox exutus vt balneum ingrediatur, an eo tempore perungendus, & hoc prius sit q̃ sudauerit, quoniam & in tepidario, & in calidario sudare poterit prius q̃ aquæ solum ingrediatur vel neutrum horum sit agendum, sed perungendus sit vbi humescere cœperit. At Galenus difficultates has surda aure pertransit, lectorem ad illa remittens quæ de oleo ipse dixit ac de eius facultate in libro de simplicium medicamentorum facultatibus, nã si quis illa consideret quæ in illo libro Galenus dixit, sciet optimum tempus quo usum olei exercere debemus in his qui lauãtur, esse id quod tertio dicitur loco, & ex eodem libro hic idem noscere poterit, quonam pacto oleum calefactum corpori exhibere conueniat, nam id corpus molliua reddit atq; laxius, cũ suo contactu frigidum, non solum neutrum horũ efficere aptũ natum est, sed & illos qui lauantur frigentes reddit.

At cum Galenus ambiguitates proponat, & non soluat, tu primo ambiges quo tempore inunctio fieri debeat, an post sudorem factum post balneum, uel ante balneum antequam sudet & postquam exutus est, vel quando cœpit humectare. Respõdemus secus esse de hac re in sanis loqui, secus in ægris, & secus in ægris, in quibus fit balneum ob sordes, & secus in his in quibus fit ob ipsam ægritudinem, in sanis & in ægris in quibus balnea fiunt ob sordes, inunctio fieri potest antequam lauacrũ ingrediantur, nempe oleo sordes inhærentes facilius abluuntur itaq; cum lauantur magis mundi fiunt. In sanis qui post balneum sudare debent, post sudorem inunctionem fieri opus est in ægris uero qui ob nimiam siccitatẽ humectatione indigent, statim post balneum, linteo fieri debet detersio, postea inunctio, neq; sudare permitti debent, vnde cum statim cœperit sudor, linteo detergendi sunt & inungendi, & simplici oleo, nam & ipsum est acopon, ut Galenus docet in secundo de simplicium medicamentorum facultatibus, ægri uero qui ob siccitatem non lauantur, sed ut humores euacuentur, primo sunt balneo lauandi, postea sudent, deniq; inungantur, sudore prius parum absterso.

At inquies Galenum dixisse tertium tempus esse accipiendum sed tertium tempus erat, quando humescere inceperat. Respondemus per primum tempus Galenum intelligere, quando sudabant & sudare permittebantur, quoad penitus exiccarẽtur, & hoc fieri debere non censet, tertium uero tempus est cum sudare cœperint & humescere, sed per aliquod spatium etiam sudauerint, tamen non perfecte sudauerint, & tunc hi inungendi, uerum intellige illos parum detergeri, sed hæc detersio nõ aufert quin adhuc corpus sit humidum, propterea secundũ Hippocratem inungentur, & corpus non erit ualde siccum.

Sed inquies oleum debétne profundi ut de aqua dictum est, an debent ægri sensim inungi? Respondemus debere sensim inungi, & non esse perfundendos, tum ne tanta fiat impressio, tum ne tanta olei copia conteratur.

Petes in quo libro de simplicium medicamentorum facultatibus hæc à Galeno dicta sint. Respondemus in secundo libro à capite quinto incipiens per multa consequentia capita, capite autem septimo de frigido oleo & calido multa disserit, & quomodo sit eius usus.

Petes præterea quomodo, oleum frigidum tangens neq; mollitiem faciat neq; laxitatem, sed reddat eos qui lauantur frigentes, cum tamen oleum sit natura & potentia calidum, & quamuis sit actu frigidum, tamen illi qui balneum exeunt caliditatẽ habent actualem, quæ potest oleum actu calefacere, itaq; potentia calefaciet, & non infrigidabit. Respondemus hic Galenum per frigidum oleum, non solum actu frigidum intelligere, sed & potentia frigidum, de quo in secundo de simplicium medicamẽtorum facultatibus locutus est cap. 7. & docet quonam modo conficiatur tale oleum frigidum, nam non posset oleum actu frigidum solum, ęgros reddere (ut Galenus inquit) φρικώδεις frigentes.

## Hippocrates. Sectio LIII.

### Caput vero spongia quoad maxime fieri poterit, resiccare oportet.

BRASAVOLVS. Caput ab aquæ humiditate immune seruandum esse Hippocrates perpetuo censuit, ut uulgata quædam propositio sit, quæ per hominum ora circunfertur, uel Hippocrati adscripta, uel ab eius fonte in libris qui non extant deprompta, de partium corporis lotione, quę dicit, Sępe manus, raro pedes, nunquam caput. s. esse lauanda, uerũ in his balneis, in quibus aquæ fit perfusio, caput lauari contingit & perfundi, propterea statim exiccandum est, unde iubet Hippocrates post balneum & aquæ perfusionem caput spongia resiccandum, & quoad fieri poterit, exiccandum, quoniam caput suapte natura humidissimum est, neq; aquæ humectatione indiget. nos uero & balnea fieri iubemus, & perfusiones, nec caput tantillum madescit.

κεφαλὴν μέντοι ἀνεξηράνθαι χρὴ ὡς οἷόν τε μάλιστα, ὑπὸ σπόγγου ἐκμασσομένην. i. caput uero exiccare oportet, & quantum maxime fieri poterit spongia detergere, nam spongia uim habet ad se capitis humiditatem attrahendi, tamen cũ id quod crassius est, & superficie tenus à spongia attractum sit, lintea deinceps desumenda calida, & caput bene exiccandum.

Petes an caput spongijs illis & linteis calidis fricari debeat. Respondemus non esse opus perfricare, ne materiæ in caput ob frictionem trahantur, sed paulatim, & sensim, capiti, & spongię & lintea deinde adhibeantur.

GALENVS. Quod in balneo caput curiose resiccandum sit, ut ne minimum quidem supersit humiditatis, nequaquam est ambiguũ. Nam quicquid relinquitur, refrigerare consueuit. Non tamen à spongia ut fiat, effici potest, nisi statim ab initio post mixturarũ usum. Capitis tamen aquam linteo resiccare est melius.

BRASAVOLVS. A Galeno edocemur non esse ambiguum, sed certum & exploratum in balneo ἀκριβῶς, id est, diligenter & curiose esse caput exiccandum, & adeo exiccandum, ne humiditatis minimum relinquatur, quicquid enim relinquitur humiditatis, hoc refrigerare consueuit, unum tamen scire oportet à spongia id fieri non posse, nisi statim fiat postquam prædictis aquarũ misturis usi sumus, verumtamen melius est atq; commodius caput linteo exiccare, uel hic ordo seruandus, ut primo spongia quod maxime abundat absorbeatur, deinde linteo quod reliquum inhæret, exiccetur.

Dices quid capiti faciet pauca relicta aqua? Respondemus primo fuisse in balneo calidam, postea frigescere, ut caput frigescat quod est omnium membrorum frigidissimum, unde homines alsiosi fiunt, & destillationes incidere possunt, ut in dies fieri videmus in his qui caput lauant, neque se exiccant, vidimusque fieri anginas, & peripneumonias

ex capitis

ex capitis lotione quando statim non fuit exiccatum, quod tamen uideretur minus obesse posse quàm balneum, cum sit balneum ex aqua dulci frigida & humida, sed capitis lotio ex lixiuio fieri consueta est, quod natura calidum est tamen & si ex lixiuio sit calido & sicco, nisi qui lauantur optime exiccentur, uarios incidunt prauos affectus.

### Hippocrates. Sectio LIIII.

Neque caput ipsum modo, verum & extrema, & quamuis aliam corporis partem a frigoris iniuria prohibere conuenit.

**BRASAVOLVS.** Caput, cæteris totius corporis membris frigidius est, iccirco de illo prius dicebat esse optime exiccandum. At ne quis putet id solum debere fieri in capite, & non in alijs membris addit, non solum caput ipsum esse à balneo exiccandum, sed & extremas corporis partes, & quæuis alia corporis pars etiam si non sit extrema, à frigoris iniuria prohiberi debet, cum frigus sit naturæ inimicum.

καὶ μὴ διαψύχεσθαι τὴν κεφαλὴν, μήτε τ' ἄκρα μήτε τὸ ἄλλο σῶμα, id est, neque caput, neque extrema, neque pars alia corporis frigoris iniuriam pati debet, quia frigus est naturę inimicum, uitáque in calore consistit.

At dices nonne sunt aliquæ partes quæ refrigeratione indigent ut iecur, renes, & cor? Respondemus, si temperata sint, & prauam qualitatem calidam non habeant, refrigeratione non indigent, de hac uero refrigeratione intellige quæ ab aqua fit post balneum non exiccata, iccirco post balneum corpus tegendũ est, & exiccandum ne extremæ partes frigescant, & reliquæ etiam mediæ, aqua quæ ibi relicta est perfrigerata.

**GALENVS.** Dixisse id per se seorsúmque parum esse mihi uidetur: quod enim pars nulla omnino nuda esse debeat, cum à balneo aquã eorum qui lauantur resiccant, constat liquido omnibus. Nam quæ ita denudantur partes, cito eas refrigerari nemo ignorat.

### BRASAVOLVS.

Galeno uidetur id quod ab Hippocrate in præsentiarum dicitur, ab his seorsum quæ dicta sunt, esse quid nullius momenti, nam omnibus liquido constat nullam partem prorsus nudam esse oportere, cum aqua post balneum exiccatur, his qui loti sunt, nam partes ita denudatas refrigerari nemo ignorat, miréque refrigerantur, ut in libello de caussis procatharticis edocemur.

Cum uero Galenus de omnibus partibus loqui uideatur, mirum uidebitur de facie & manibus, quòd tegi debeant. Respondemus & bonum esse, si hæ partes tegantur, uerum & si non tegantur ob assuetudinem, quam quotidie lauandi habent, & non probe exiccandi, nec tegendi, non patiuntur, quia ab assuetis non fit passio, & si fiat, non est tam vehemens ut persentiatur affectus, uel symptoma aliquod consequens.

Petes quomodo denudentur partes cum prius nudæ essent quando homo erat in balneo. Respondemus non fuisse nudas, imo erant quodammodo indutæ aqua calida. Cum uero homo balneum exit, tunc sunt nudæ, licet aere sint circundatæ, & in hoc casu citius refrigerantur, quàm si simpliciter nudæ fuissent absque ingressu in balneum, quia balneum meatus aperuit, qui statim frigore constipantur, iccirco probe dixit eas cito refrigerari.

At dices in. x. Method: post balneum aquæ calidæ, Galenum frigidam aquam ingredi iubere, cur igitur tantum timere si sit in aere frigido? Respondemus, Galenum hic consequenter ad Hippocratis intentionem loqui, qui ægros in aquam frigidam non imponit post calidam, sed in tepidam, postea in minus tepidam, quousque in illam ueniamus, quę sit frigidæ propinqua.

Si vero à me peteres an post aquæ calidæ balneum, ad corpus densandum in frigidam aquam imponerem, profecto neque auderem in sanis, quamuis Galenus superius sectione. 49. dixeris sanos se inijcere in aquam frigidam à balneo.

### Hippocrates. Sectio LV.

Lauari quoque is non debet, qui nuper vel sorbsit vel bibit.

**BRASAVOLVS.** Bibere & sorbere apud Hippocrãtem de his dicuntur in ægris, quæ sequuntur, nam bibere de uino dicitur, aqua, aqua mulsa, & oxymelite, sorbere uero de ptisana, & de ptisanę succo, cum quis nuper sorpsit uel bibit, is lauari non debet, nisi priusquam fuerit aut potus, aut sorbitionis coctio, tunc enim lauari potest.

καὶ μήτε νεοῤῥοφητον, μήτε νεόποτον λούεσθαι, id est, neque eum qui nuper absorpserit, neque eum qui nuper bibit, lauare oportet, quoniam balneum ea trahit quæ intus sunt ad circumferentiam, ut intus inuenit, inuenit uero hæc cruda, cruda propterea trahit, statimque neque in sanis post prandium lauari expedit.

**GALENVS.** Non in ægris modo, uerum quoque & in sanis, nullus confestim à cibi uel potus sumptione lauari debet. Nam qui biberunt, his caput repletur: qui uero cibum sumpserunt, his non caput modo, uerum & corpus totum alimoniam ad se prius quàm concocta fuerit, trahit.

**BRASAVOLVS.** Galenus hic docet hanc Hippocraticam sententiam nõ modo in ægris, sed & in sanis probandam esse. Nullus enim uel sanus uel æger à cibi uel potus sumptione lauari debet, quoniam his qui biberunt, his ex balnei aniditate & attractione caput repletur. At his qui cibum sumpsere, non modo caput, sed & uniuersum corpus ad se alimentum trahit priusquam concoctum fuerit.

At dices quomodo his qui biberunt caput repletur, cum per potum & aquæ & uini, & melicrati, & oxymelitis potum intelligamus. Nulli uero horum, caput replere conuenire uidetur quàm uino, unde quam reddit rationẽ Galenus uni solum particulari conuenit, quando scilicet uinum bibitur, & non quando alia bibuntur. Respondemus in his qui bibere etiam si non sit uinum id quod ebibitum est, in uapores transire, qui ex balnei calore ad caput trahuntur, & ipsum replent, tamen illa est repletio multo maior quæ fit à vino, uerum si quis comederit, & non biberit, & caput illi repletur, & crudum alimentum per totum corpus trahitur, si simul bibit tanto magis læditur caput.

Sed dices cur & potus, ita ad omnes corporis partes non trahitur ut cibus? videretur facilius ob suam tenuitatem ad illas trahi debere. Respondemus omnino & trahi, sed quia facile euaporat, propterea magis caput lædit potus, & magis replet, quàm ad alias corporis partes trahatur, uel ad principale dicamus cũ dicebatur potum esse aquæ, & melicrati, & oxymelitis, & vini, ideo uino tantum conuenit Galeni ratio. Respondemus Galenum in sanis exemplum dedisse qui uinum bibunt, tamen & illa quæ superius dicta sunt mire conueniunt.

Forte dices à Galeno nonnunquam iuberi balneum post cibum, ut in sexto de sanitate tuenda, igitur & à cibo nonnunquã conuenit balneo uti. Respondemus in hoc sexto de sanitate tuenda loco prope libri initium Galenus de his loquitur qui impense calido temperamento sunt, & qui exercitari prorsus nõ desiderãt, & ex prædictis ab ipso hos macilentos esse supponitur, de his ait Galenus, quòd abunde ipsis satisfaciũt inambulatio, balneũ, & mellis ex oleo frictio, rationẽq; reddit, cur ita agendum, inquiens, acre nãq; & mordax calidum uel est, quod ab his exhalat, non humectans, quale ἀτμῶδες Græci uocant, nec suaue, citráq; morsum, hos uero à cibis quoq; balneum iuuat, quidam uero eorum incredibile est, quantum etiam obesi sunt redditi ex tali uictus ratione. Antiquum autem uinum inimicũ his est, album uero ac tenue idoneum est, hinc igitur deprehenditur acrem calorem habentes, mordacem, & macilentos esse lauandos à prandio, imo deinceps Galenus addit, æstimandũ aũt in omnibus est, qui à cibo lauãtur, nũ in dextera pręcordiorum parte ubi situm iecur est, dolorem aliquem, aut grauitatem, aut tensionem sentiant. Eiusmodi nanque corporum status iecinoris uitijs tentari solet, si balneo post cibum utantur.

Ad rem igitur redeuntes, certum est in talibus Galenum balneum concedere statim post cibum, tamen hi sunt rari, pro quibus raris non est uniuersalis regula corrumpenda, quæ dicit, post prandium statim non esse lauandum, uel his caput repletur & totum corpus alimento crudo, tamen ita crudum non est, ut in alijs qui non habent calorem mordacem, & hic calor in particularibus membris alimenta illa conficit quæ non sunt perfecte cocta, unumque notato, cum prima coctio in uentriculo fiat, credendum nõ est quod à uentriculo trahat balneum nisi modicum. At id trahit quod est sub secunda coctione, & per uenas tendit usque ad meseraicas, secunda uero coctio in iecore fit propterea magis trahit quod in secunda est coctione, & nondum coctum est, nam si traheret, quod in uentriculo est non confectum, opus esset ut cibum traheret, sub forma panis, carnis, & uini, & nondum confectum, propterea melius est intelligere ut illa attrahantur quæ in secunda sunt coctione cruda nondum cocta, aliquaque posse attrahi quæ sunt in prima coctione, sed hæc ita immutata ut speciem iam uariauerint, cum ergo quis calorem habebit mordacem & acrem, & sit macilentus, balnea post cibum ingrediatur, modo iecur dolorem aliquem non habeat, aut grauitatem, aut tensionem, quia calor ille mordax supplet alimento crudo id quod deest coctionis, neque ista attractio fit subito, sed fit & posteaquam exiuerit balneum.

## Hippocrates. Sectio LVI.

Neque confestim a balneo sorbendum, neque bibendum.

BRASAVOLVS. Statim à cibo & potu balneo uti non debemus, imo contrarium seruare oportet, cum quis statim balneum exuerit, neque sorbere debet, neque bibere, ne caput repleatur, & corpus uniuersum turbetur, sed permitte ægrum, imo & sanum quoad commotio illa balnei sedata fuerit.

μήτε ῥοφεῖν, μήτε πίνειν ταχὺ μετὰ τὸ λουτρὸν, id est, neque sorbendum neque bibendum cõfestim post balneum, sed prius sedetur turbatio quæ à balneo facta est.

GALENVS. Sedata quæ ex balneo est turbatione, tum esse tum bibere melius est, uelut & composita ea quæ ab exercitatione oritur. Nam cibum promus uel potum sumere, caput replet, deuoratumque interdum superfluitare facit.

BRASAVOLVS. Galenus notat tum edendum esse tuto post balneum ac bibẽdum, cum turbatio illa, quę ex balneo in corpus inducta est sedata fuerit, quemadmodum & in exercitatione tunc bibendum & edendum, quando homo uehementer exercuerit corpus, cum turbatio illa quæ ab exercitatione facta est, sedata fuerit, quippe si quis statim cibum accipere uoluerit, his non sedatis perturbationibus, caput replet, & id superfluitare facit, quod uoratum est, hęcque ita contingunt si statim post balneum edamus, & bibamus, sicuti si idem faciamus post corporis exercitationem, intellige uero uehementem exercitationem.

At dices uideri Galenum in octauo Methodi, ubi de obstructionibus agit, post balneum dare cibum, cum inquit, deinde si suspectę horę nihil prorsus afferant, & lauare rursus si uelit licet & cibare, igitur à balneo statim cibat. At quia dicere posset intelligere spatio aliquarum horarum interposito, id arguas quia statim superius de spatio inter balneum & febrem loquebatur quod sit trium horarum, iubetque & lauandum & cibandum, uerum non potest interponi spatium inter cibum & balneum, alioqui cibus esset accessioni nimis propinquus. Respõdemus omnino interponi debere spatium, quo illa balnei turbatio cessauerit, sed cum balneum breue fuerit, ubi paucę intersunt horę, ita & cito sedabitur turbatio, nam sedabitur in octaue partis horę spatio.

Forte petes an is pręparãdus sit, qui balneum ingressurus est. Respondemus Galenum in calce quinti de sanitate tuenda dixisse non esse tutum ingredi balneum, nisi prius corpus inanitum sit, & in. x. Methodi idem iudicat, tamen & de hac re posterius agemus.

Sed iterum petes de mora percunctandi in balneo. Respondemus non haberi à Galeno regulam cuius meminerim de abluendi tempore, id est quanto temporis spatio debeat esse ęger in labro, sed hęc sit regula, cum illum molestare incipit, & sit lotus, balneum exeat. Tamen reperitur apud Galenum in. 9. de sanitate tuenda, de his qui lauari debent aqua frigida, quanto tempore in ea permanere debent, ex his quę uidentur, censet quotidiana experientia, hoc tempus sumendum, si frigidam egressus ex frictione coloratior redditur, mediocriter moratũ indicat, sin & tardius ei color redeat & decolor diutius maneat plus ęquo moratum docet, si quis ex his tempus elicere possit cõmorãdi in aqua frigida, eliciat, nos elicere nescimus, sed profecto qñ fuerit immoratus experiri poterimus, an mediocriter uel nimis fuerit immoratus, propterea morę argumentum in balneo ab ipso ęgro accipimus quando ęger ferre inceperit, tunc à balneo eximatur, si nunquam ęgre tulerit, & nihil impediat à semihora usque ad horam in illo manere potest.

Petes quęnam turbatio sit illa, quę à balneo fit, & illa quę fit ab exercitatione. Respondemus ad primam ambiguitatem balneum trahere omnes corporis humores ad circunferentiam, trahi uero non possunt, nisi per uenas moueantur, unde fit commotio in toto corpore, ita quoque & spiritus mouentur, homine à balneo ablato, hic motus cessare incipit, & ita in spatio & breui temporis humores quiescunt & spiritus, & tunc homo comedere potest. Ad secundum de turbatione quando homo uehementer exercetur, & spiritus & humores omnes incalescunt & exagitantur, & pręcordia uisceráque palpitant, omnésque pulsus intenduntur, & omnes arterię motum accelerant, hinc necesse est post exercitationem quiescere, ut omnes hę partes commotę, agitatę, & supercalefactę quiescant, & in pristinam qualitatem sint redactę.

Petes quænam sit maior agitatio an exercitij, an balnei. Respõdemus absque ulla comparatione maior est exercitationis agitatio, quia uiscera omnia concutiuntur, & diu immorantur, antequam exercitationis agitatio fuerit sedata.

Pręterea dices non uideri hanc esse rationem statutam, cur si comedamus & bibamus, caput repleatur, sed alia potius, quia si comedamus & bibamus dum adhuc adest ille motus, cibus ad circunferentiam trahitur, & ad totum corpus crudus. Respondemus, & id quod dicit Galenus esse uerum, & quod nos addidimus, nempe in hac agitatione ad caput effumat, & illud implet, quia & adhuc ille balnei calor agit, antequam sit sedatus, erit uero sedatus, cum balnei calor cessauerit, & per totum corpus quietem persentiat.

Notáque multos perijsse qui statim à balneo uinum bibere, unde & uinum & aqua in balneo ipso, & statim post balneum ab antiquis pręsentanea uenena existimantur, & ualde perniciosa, si quis antiquas etiam legerit historias, in quibus diuersorum exempla sunt, eorum qui ex uino uel in balneo, uel post balneum statim epoto periere.

Nota quod dicit τὸ καταποθὲν, id est, deuoratum & transglutitum quandoque superfluitare facit, hoc intelligitur, quando quis cibum à balneo statim acceperit, quandoque superfluitat, & ad os uentriculi ascendit, à balnei calore adhuc commorantis attractum.

## Hippocrates. Sectio LVII.

Magni autem admodum pendere oportet, si æger cum recte valuit, balneum valde affectauit, & lauari fuerit assuetus. Nempe tales magis appetunt, iuuanturque cum loti fuerint, adeo vt lædantur si non fuerint loti.

BRASAVOLVS. Non est oblitus Hippocrates & in balneis, sicuti & in alijs rebus considerandam esse consuetudinem & mire æstimandam, propterea inquit, id est recte & nõ oscitanter cõsiderãdũ,

si æger

ſi æger cum recte valuit, balnea valde affectabat, & in ipſis geſtiebat, & ob hac affectationem ſæpius lauari aſſuetus eſſet, nam qui ita aſſueti ſunt, magis appetunt, ac iuuantur, cum loti fuerint, imo ſi loti non fuerint, læduntur, tantum aſſuetudo illa fecit.

μέγα μὲν δὴ μέρος χρὴ νέμειν τῷ κάμνοντι ἐν ὑγιαίνοντι εἰ ἦν φιλόλουτρος ἄγαν, καὶ εἰθισμένος λούεσθαι, id eſt, magni autem admodum pendere oportet, ſi æger cum ſanus erat, balneum ualde affectauit, & lauari fuerit aſſuetus. hoc inquam eſt recte perpendendum, quia aſſuetudo eſt altera natura.

At petes ſi hic unus ex illis ſit quibus non conueniunt balnea etiam ſi affectet & deſideret ut plerunque illa deſideramus quæ ſunt nobis contraria, debétne in balneum poni? Reſpondemus ſi hi in balneum ingrediantur, minus illi obeſt ob aſſuetudinẽ, quàm ſi non eſſent aſſueti, tamen cum non conueniat balneũ, illud ingredi non debent.

καὶ γὰρ ποθέουσι μᾶλλον οἱ τοιοῦτοι, καὶ ὠφελέονται λουσάμενοι, καὶ βλάπτονται μὴ λουσάμενοι, id eſt, etenim tales magis appetunt, & cum loti fuerint, iuuantur, & niſi fuerint loti, læduntur. de his uero non intelligas, quibus & cum ſani ſunt non conueniunt balnea. at de illis intelligas, quibus cõueniunt, & ſunt aſſueti & appetunt balnea, hi læduntur niſi lauentur. hoc experientia in multis uidetur, qui capitis lotioni aſſueti ſunt niſi lauentur, capite dolent, nam per lauari intelligit Hippocrates tam de toto corpore, quàm de parte, ut in ſectione. 59. oſtẽdet, & quamuis caput lauari non debeant niſi alicui affectioni occurramus, tamen aſſuetudo illa quæ in naturam tranſiuit, facit ut multum obſit, niſi lauentur.

Scito unum eos qui lauantur, & qui lauari affectant eſſe calidos & ſiccos natura, hoc non dico quia & frigidi, id appetere non poſſint, ſed rarius eſt. Balneum igitur appetentes cum calidi ſint & ſicci, iccirco ipſis prodeſt balneum, & obeſt niſi lauentur, quando fuerint aſſueti.

GALENVS. Demonſtrata ſunt hæc per totum ferè horum commentariorum ſecundum, ubi dictiones expoſuimus, in quibus parte plurima conſuetudinum uires enarrauit.

BRASAVOLVS. Galenus hanc ſententiam breuibus tranſigit, ueluti illam, quam iudicat ſuperius à ſe ipſo in ſecundo horum commentariorum libro eſſe demonſtratam, ubi ſententias illas interpretatus eſt, in quibus parte plurima uires conſuetudinum enarrauit Hippocrates, in illis enim locis multa à Galeno de conſuetudinibus dicta ſunt, & potiſſimum à ſectione. 22. incipiens, & per multas procedens ſententias.

## Hippocrates. Sectio LVIII.

Peripneumoniæ autem magis quam ardenti febri confert. Nam lateris pectoriſque & dorſi mulcet dolorem, ſputum maturat, educitque, & ſpiritum facilem reddit. Laſſitudines tollit, mollit articulos, & cutem per ſumma apparentem. Vrinas ciet, capitis ſoluit grauitatem, & nares humectat. Tot ergo inſunt balneo bona, quibus omnibus eſt opus. Cæterum ſi in apparatu re vna vel pluribus defectum ſit, metus eſt ne non proſit, vnum ſi quidem horum, quodvis fuerit, ſi a miniſtris non vt oportet, præparetur, valde lædit.

BRASAVOLVS. In hoc præſidio quo ægri lauantur ab Hippocrate inter peripneumoniam, & ardentem febrem comparatio fit, Hippocratique placet lauacrum magis conferre peripneumoniæ, quàm faciat ardenti febri. Nempe lateris, & pectoris, & dorſi dolorem mitigat, ſputum & maturat & educit, ſpirationem facilem reddit, laſſitudines tollit, articulos emollit & ſimul ambientem cutem, urinas proritat, capitis grauitatem aufert, & nares humentiores reddit. Vides igitur tot ineſſe balneo bona, quibus omnibus indiget æger ut releuetur, & medicus ut recte curationem moliatur. Verumtamen quia contingere poſſet dum balneum paratur, rem unam deficere aut plures, propterea illis deficientibus omendum eſt, ne non proſit. nam unum horum quæ ad balneum exiguntur ſi à miniſtris non recte præparetur, ſit quodcunque illud, ualde lædit, nec poteſt ſuo fungi officio balneum.

ἁρμόζει δὲ ἐν περιπνευμονίῃσι μᾶλλον ἢ ἐν καύσοισι τὸ ἐπίπαν, id eſt, confert autem in peripneumonijs magis, quàm in ardentibus febribus. En peripneumoniam ardẽti febri in hoc comparat, quòd balneum magis confert peripneumoniæ. Et hoc Hippocrates probat, omnia enarrans, in quibus confert peripneumoniæ, ſed hic non ſolum ueram peripneumoniam intelligere oportet, ſed & ſimul pleuritidem, & morbos alios thoracis, in quibus uero hos iuuet morbos, ſtatim edocet, inquiens.

καὶ γὰρ ὀδύνης τῆς κατὰ πλευρὸν, καὶ στήθεος, καὶ μεταφρένου παρηγορικόν ἐστι τὸ λουτρὸν, id eſt, nam dolorem lateris & pectoris, & dorſi mitigat balneum, mitigat uero tum emolliendo, tum reſoluendo, tum materias in loco abſceſſus contentas ad circunferentiam trahendo, retulit uero & latus, & pectus, & dorſum, ut notaret ſub peripneumonia lateralem dolorem complecti, nam & ſi peripneumonia in latere & dorſo per compaſſionem dolorem inducere poſſit, tamen eſt magis proprium pleuritidi, & grauitas quædam ut plurimum cũ pondere, & anhelitus difficultate in peripneumonia ſentitur, & adde hos ſedare dolores per ea quæ ſequuntur, quia ſputum maturat ac educit, & ſpiritum ob illa quæ dicta ſunt reddit faciliorem, unde ſequitur.

καὶ πτυέλου πεπαντικὸν καὶ ἀναγωγόν, id eſt, & ſputum maturat atque educit. nam ſi ſputa adfuerint quæ glutinoſa ſint & craſſa, illa attenuat & ſecat, ut facile exire poſſint, unde ſputa coquere dicitur & educere, nam coquens facilia reddit ad exitum, iccirco educere dicitur.

Forte dices, non uideri balneum magis conferre peripneumoniæ, quàm febri ardenti, quoniam & ardentem febrem expellit balneum & ſanitatem inducit, ſicuti & in peripneumonia, imo in ardente febre hoc citius facere uidetur quàm in peripneumonia, igitur non magis confert peripneumoniæ, quàm febri ardenti. Reſpondemus & ardentes febres balneo ſanari, modo conditiones adſint de quibus poſterius, & de quibus in. x. Methodi Galenus egit, uerum plura ſunt, quibus confert in peripneumonia, nam omnia illa bona quæ à balneo accipiuntur in febre ardente, illa etiam in peripneumonia accipiuntur, & præterea iſta quæ hic enumerantur ſcilicet demulcere dolorem, ſputum maturare & educere, & ſpiritum facilem reddere, ob hoc dixit magis conferre, iuuamenta ad plura amplians, quæ habentur in peripneumonia bona ex balneo.

καὶ εὔπνοον, id eſt, & ſpiritum facilem reddit. hoc ſequitur ad ſputorum exitum.

καὶ ἄκοπον, id eſt, & laſſitudines tollit. Quiſpiam de laſſitudine, quæ ſit in peripneumonia intelligere poſſet, ſed & intelligi poteſt & debet de laſſitudine ſimpliciter, qui balneum ingrediuntur ſi laſſi ſint, laſſitudo aufertur. Scito uero duplicem eſſe laſſitudinem, ſpontinam, & labore factam, de utraque uerum eſt, quod balneo tolluntur, vnde in ea quæ ob laborem ſit, mos eſt cum quis vel cucurrerit, uel nimis ambulauerit, uel equitauerit, vt balneo vtatur. Et hoſpitibus hanc ob cauſam pedes lauari facimus, ut laſſitudo auferatur. Conuenit & ſpontinæ laſſitudini, quæ tres habet ſpecies, vt ex Galeno apparet in tertio potiſſimum de ſanitate tuenda, tonodem, vlceroſam & phlegmonodem. his omnibus conuenire poteſt, & illas aufert, ut in prænotato loco palam eſt, quas dicit communi uocabulo omnes nuncupari κόπους, unde & hic uocatur balneum ἄκοπον, quaſi ſine copo & laſſitudine ac labore, quia hominem reddit abſque labore, & laſſitudine, ſi illam habuerit.

μαλακτικὸν γὰρ καὶ ἄρθρων.i.articulos preterea emollit ac lenit.nam si fuerint duri, & nerui tensionem patiantur, balneo in pristinum statum reducuntur.

At dices nonne prauum est articulos emollire? Respondemus malum esse cum supra modum emolliuntur, sed si prius duri sint, ut emolliantur bonum est.

καὶ τοῦ ἐπιπολαίου δέρματος.i. & cutem superficiariam emollit scilicet quando fuerit prædura & exiccata, ut in aliquibus fit qui longo tempore æstiuis diebus permansere sub sole.

καὶ οὐρητικὸν δέ.i.& urinas cit, urinæ uias aperiens, & ad illas materias dirigens quæ exire debent, illásque attenuans si crassæ sint.

καὶ καρηβαρίην λύει.i.& capitis grauitatem soluit, materiebus in ipso existentibus partim resolutis, partim attenuatis, vt facile per palatum, & nares exire possint, iccirco statim subiungit.

καὶ ῥῖνας ὑγραίνει.i.& nares humectat, cum materiæ quæ in capite liquefactæ sunt, descendunt, & quæ cum erant in illo compactæ, capitis grauitatem inducebant.

ἀγαθὰ μὲν οὖν λουτρῷ τοσαῦτα πάρεστι, id est, balneo igitur tot insunt bona, quot enarrauimus, & plura forte quàm dicta sint.

ὧν πάντων δεῖ, id est, quibus omnibus est opus, in diuersis scilicet affectibus, & in tot affectibus, quot sunt illa quę numerata sunt.

εἰ μέντοι τῆς παρασκευῆς ἐνδεής τις ἔσται ἑνὸς ἢ πλειόνων, κίνδυνος μὴ λυσιτελέειν τὸ λουτρὸν, ἀλλὰ μᾶλλον βλάπτειν.i. uerum si in præparatione re una uel pluribus defectum sit, periculum est balneum non prodesse, sed potius lædere, vnde neque in vno error fieri debet, neque res minima omittenda est.

ἓν γὰρ ἕκαστον αὐτέων μεγάλην φέρει βλάβην μὴ παρασκευασθὲν ὑπὸ τῶν ὑπουργῶν ὡς δεῖ, id est, unum enim horum, quoduis fuerit, si à ministris non vt oportet præparetur, magnam affert læsionem, vnde in balneo præparando nihil faciendum omitti debet.

Sed petes quænam hæc sint, in quibus deficere possunt. Respondemus, si aqua non fuerit calida, si balneum nimis à loco distabit, ubi æger cubat. Si velum non sit paratum, si detectus sit antequam balneum ingrediatur, uel cum à balneo aufertur. Si locus non sit conuenienter calidus, & alia multa similia, quæ si absint, plurimum lædere possunt.

GALENVS. Quare peripneumonias magis quàm febres ardentes iuuet balneum, ostendit Hippocrates cũ inquit: Nam lateris pectorisque & dorsi mulcet dolorem, sputum maturat, educitque, spiritum facilem reddit. Ob hæc etenim omnia peripneumonicis maximo est præsidio. Sanantur siquidem qui contenta in pulmonibus sputa expuunt. Pleuritici quoque ob doloris mitigationem ualde iuuantur. Quapropter duorum alterum, nempe uel ita scribendum: Peripneumoniæ autem & pleuritidi magis quàm ardenti febri confert. vel in peripneumonia pleuritidem subaudire oportet. Nam pleuritis dolorem in latere habet, peripneumonia non habet. Cæterum cum peripneumonijs magis quàm ardentibus febribus conferre balneum inquit, docet quoque & æstuantibus quibusdam auxilio esse: uerum oratio hæc distinctionem expostulat, quam nondum efficere possumus, quia tempus quo lauari ægrotantes uelit, non definierit. Vbi autem sequenti dictione enarrantem Hippocratem quosnam haudquaquam lauare uelit intellexerimus, ad balnei tempus ita perueniemus.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat ab Hippocrate causam reddi cur balneum peripneumonias magis quàm febres ardentes iuuet. Id vero illis verbis ostendit, quibus inquit, nam lateris, pectorisque & dorsi mulcet dolorem, sputum maturat, educitque, & spiritum facilem reddit, ob hæc omnia peripneumonicos iuuat, nam illi sanantur qui materias expuunt in pulmonibus contentas, & pleuritici ipsi ob doloris mitigationem à balneo valde iuuantur, unde duorum alterum opinari oportet, aut sententiam ita scribi oportere, peripneumoniæ autem, & pleuritidi, magis quàm ardenti febri conuenit, aut Hippocratem sub peripneumonia lateralem morbum subintellexisse, hoc autem ita esse illa uerba testantur, quibus inquit, lateris dolorem mulcere. Constat uero pleuritim lateris dolorem habere, quo caret peripneumonia.

Dices illos non uideri esse sanos qui materiam in pulmone cõtentam expuere, cum adhuc perstet mala qualitas. Respondemus dum materiæ in multis expuuntur, simul & praua qualitas aufertur, propterea simul cum materierum exitu & à praua qualitate sanantur, itaque peripneumonia sanitati restituitur, cum pus abscessus exiuerit, & mundificatum fuerit, quamuis & nonnulli tam cito non sanentur.

Cur dixit pleuriticos iuuari & peripneumonicos sanari? Respondemus sanari hos, quia materia exit, quæ abscessum faciebat, illos iuuari, quia dolor mitigatur, sed materia non exit, vnde ad diuersa referuntur, propterea non mirum si vnum sanatur, aliud iuuetur.

Secundo Galenus notat per comparationem peripneumonię, quam facit Hippocrates ad febres ardentes, & dixit magis conferre peripneumonicis, colligi aliquibus si non omnibus febrem ardentem patientibus conferre, quibus uero conferat nõ est expressum. At quia hæc sententia distinctionem expostulat quam nondum Galenus efficere posse dicit, cum nondum definiuerit tempus, quo lauandi sunt ægrotantes, uerum (addit) ubi intellexerimus ab Hippocrate in sequenti sententia quinam lauandi sint, & qui non lauandi, tunc ad balnei tempus perueniẽmus, & de illo ut conueniet agemus.

Quod legitur æstuantibus, & Græce est καυσουμένων, & si idẽ sit, tamen melius est interpretari febre ardente laborantibus.

## Hippocrates. Sectio LIX.

Qui in morbis aluum plus iusto humidiorem habent, ij non sunt lauandi, neque hi quibus magis quàm decet detinetur, & soluta non sit: neque quibus vires languent, nec cibum fastidientes, nec nauseabundi, nec biliosa ructantes: nec quibus sanguis e naribus profluit, nisi minus quàm decet fluxerit, nec quod decet te latuerit. Nam si minus quam decet fluat, lauabis, & si vniuersum corpus in cæteris, & si caput duntaxat iuuerit. si igitur apparatus hi conuenientes fuerint, ægerque feliciter balneum suscepturus sit, quotidie lauare oportet.

BRASAVOLVS. Nullum est adeo egregium præsidium, quod omnibus prosit, & nullis obesse possit, multa habet balneum commoda, ad multáque valet, tamen & plures sunt affectus ad quos nõ conuenit. ob hoc necessarium fuit Hippocratem affectus omnes in ordinem quendam digerere, quibus balneum potius obest, quàm prodesse possit, idque in præsentiarum facit inquiens illos non esse lauandos, neque balneo immergendos in acutis morbis qui aluum habent plus iusto humidiorem. Adde ex opposito, neque illos lauandos qui magis quàm decet aluum habent adstrictam, & feces continent, plusquam contineri deberent. Tertio qui vires habent imbecillas & languidas lauari non debent cum ex balneo longe imbecilliores reddantur. Quarto qui cibum fastidiunt, & malam habent in ventriculo affectionem non sunt in balneum infundendi. Quinto nausea affectos balnea effugere oportet, & 6. qui biliosa eructant sunt à balneo arcendi. Septimo, quibus è naribus sanguis fluxit, non sunt lauandi, nisi minus profluxerit quàm conueniat, tuque talis esse debes ut cognoscas quantum conueniat, etenim si noueris tantum sanguinis non exiuisse, quantum conueniebat, & quantum exire poterat, lauabis. At quia lotio quę fit nonnunquam fit vniuerso corpori, nonnunquam vni soli corporis parti, si vniuersum

sum corpus lotione indigebit, uniuersum corpus lauato, sin vero caput duntaxat sit lauandum, caput duntaxat lauabis. denique infert Hippocrates si balneorum pręparationes fuerint cõuenientes, & nihil ipsis deerit, & ęger feliciter sit balneum suscepturus, tum quia affectet ipsum, tum quia sit assuetus, tunc quotidie lauare oportet, eo supposito, quod nullus adsit excitatus ab Hippocrate affectibus.

De capitis lotione in sanguinis profluuio, disseruit Galenus in 3. commentario in primum Epidemiorum sectione. 24. & ad suum propositum adducit hanc sententiam, & illam exponit in casu Metonis.

ὅκοσα δὲ λίαν καιρὸς τυγχάνουσιν αἱ κοιλίαι ὑγρότεραι τοῦ καιροῦ ἐν τῇσι νούσοισιν, id est, eos uero qui minime lauare oportet, in his morbis quibus venter humidior est, quàm conueniat. ita interpretandum duco particulam illam τοῦ καιροῦ, quàm opportunum sit. sunt vero ventres magis quàm cõueniat humidi, cum deijciunt, plus quàm deijcere deberent, vt habeant alui profluuium. hos nullo modo lauari censet, nempe quod exit per aluum aliud non est quàm prauus humor aliquis naturę inimicus, balneum quod intus est ad circunferentiam trahit, itaque per vniuersum corpus remitteretur, nam toti corpori noxam inferret, nam talis est ut potius exire debeat, quàm ad membra deduci, quia illo vere nutriri non possunt.

ἀτὰρ οὐδὲ οἷσιν ἐστήκῃ μᾶλλον τοῦ καιροῦ καὶ μὴ προλελύται, id est, neque hi quibus magis quàm decet detinetur & pręsolutus nõ sit. scilicet lauandi sunt, nam qui lauari debent si feces in corpore habuerint, sunt prius auferendæ quàm lauentur, ne per totum corpus trahantur saltem fumi qui ab ipsis eleuantur, vnde qui uehementer habent aluum adstrictam, neq; sit soluta uel non sit pręsoluta antequam fuerit adstricta, in his prohibenda est lauatio, quoniam magis obesset quàm prodesset. Sed inquies balneum deijcere facit, igitur his conuenit qui aluum habent adstrictam. Respondemus hic loqui in morbis in quibus prius debent esse excretę feces, quàm fiat balneum, & licet humectet, tamen quod intus est, ad circunferentiã trahens, humiditatem secum trahit, itaq; magis exiccantur.

οὔτε τοὺς γεγυιωμένους χρὴ λούειν, id est, neque illos lauare oportet quibus vires languent. nam languidę & imbecillę vires languescunt magis & balneo imbecillitantur. Iccirco in. x. Methodi iubet Galenus ob lassitatem quam inducit balneum, illos qui aqua calida loti sunt, in frigidam imponendos. & si petas quomodo balneũ imbecilliter, dicimus id facere, quia multos resoluit spiritus, & multos ad circunferentiam elicit qui corpus exeunt.

οὔτε τοὺς ἀσώδεας, ἢ ἐμετικούς, id est, neque qui cibum fastidiunt uel nauseabundi sunt. s. debẽt lauari. nempe qui cibum fastidiunt parum comedunt, & si simul sint nauseabundi, & cibi partem euomant, hinc necessarium est, vt vires habeant imbecillas, quę adhuc imbecilliores redduntur ex balneo, itaque non lauandi.

At dices cibi fastidium fieri ex materia existente in ventriculo, uel biliosa, uel alterius generis ex his quę appetitum deijcere faciunt, sed amara potissimum est & biliosa materia, quæ nauseam facit, & fastidium nisi sit flatus. At balneum ad materias quę intus sunt, ad circunferentiam educit, igitur & hanc bilem educet, & consequenter iuuabit potius quàm obesse possit, nihil igitur impedit balneum his facere qui stomachi habent fastidium, & nauseabundi sunt. Respondemus peius esse hos humores, ad circunferentiam adducere, quàm in ventriculo dimittere, nam cum in ventriculo sint, facilius educi possunt, quàm cũ sint in alijs corporis partibus, & in ventriculo cum sint, à balneo possunt agitari, possétque induci illa quę à Galeno dicitur syncope stomachica, & cardialgia, pręsertim quando hoc cibi fastidium, & hanc nauseam fecerint biliosi humores, qui ad os ventriculi uergunt, & quòd de his qui bilem habent, hoc facientem loquatur, manifestum est ex uocabulo, quo utitur nam dicit ἀσώδεας, dictum uero est io. aphorismis ἄσῃ esse ventriculi fastidia, & quę in pręgnantibus potissimum contingunt, cum dicebat mulierem utero gerere quę habens ἄσας, & menses defecerint. Adde particulam quæ sequitur, ostendere in bilem in uentriculo habentibus loqui, cum ait.

οὔτε τοὺς ἐπανερευγομένους χολῶδες, id est, neque biliosã ructantes sunt lauandi, ne bilis ori uentriculi infigatur dum agitatur, & cardialgiam pariat. Forte dices, imo hanc particulam ostendere superius de alijs locutum esse, quàm de bilem habentibus, quia hic hos ponit ueluó ab illis distinctos. Respondemus Galenum uelle hoc esse signum adesse bilem, & superioribus cõiungi debere, quia re'uera à bile fiunt illa fastidia & nausea, potius quàm ab alijs humoribus, quanquam (ut diximus) & à flatu, & à pituita, & ab atra bile fieri nihil impediat, nullúmq; sit inconueniens.

At dices quomodo biliosa ructantes deprehenduntur, cum ructus sit flatus qui à uentriculo exit. Respondemus quia flatus ille & spiritus cum sit bile infectus est amarus, & odorẽ quendam bilis refert cum amaritudine mista.

οὔτε τοὺς αἱμοῤῥαγέοντας ἐκ ῥινῶν, id est, neque illos quibus sanguis è naribus fluit, lauabis scilicet si fluat copiose & supra modum, quia uires ab hac sanguinis copia imbecillitantur, & balneum magis imbecillitat, propterea dimittendum.

εἰ μὴ ἔλασσον τοῦ καιροῦ ῥέοι, id est, nisi minus quàm conueniat, fluxerit, quia dixerat non esse lauandos quibus sanguis è naribus fluit. at non determinauerat an de magna intelligeret copia, uel de parua, propterea supponit sanguinem fluere debere, illi à quo fluit, & ad quendam terminum fluere oportere, si sanguinis fluxio magis fuerit, quàm conueniat, non sunt lauandi. At si minus fuerit quàm conueniat, lauari debent. hoc est quod hic dicit, nisi minus quàm conueniat fluxerit. nam in hoc casu lauare opus est, & sępius perfundendi sunt, ut Galenus inquit, quo sanguis qui in capite retentus sit, usque ad statutum terminum exeat, statutus uero terminus sciri debet, propterea addit Hippocrates.

τοὺς δὲ καιροὺς οἶδας. i. neq; quod decet te latuerit, imo scire opus est, quantum exire conuenit.

Petes uero quomodo sciri possit, quantum conuenit. Respondemus hoc quod conuenit non est pondere existimandum, sed symptomatum alleuiatione, nam si capitis dolor cessauerit, aut aliud symptoma quod à sanguine pręsente fiebat, signum est, quantum conuenit exiuisse, si symptoma non cessauerit, nondum, quantum conuenit exiuit, si post symptomatis ablationem, per aliquod spatiũ adhuc fluxerit, tunc plus exiuit quàm conueniret & quàm esset καιρός. i. opportunitas & occasio.

ἢν δὲ ἔλασσον τοῦ καιροῦ ῥέοι λούειν, id est, si quidem minus quàm conueniat fluxerit, lauare scilicet conuenit, ut tantum deinde fluat quantum conuenit. At dices si ut oportebat fluxit, est'ne lauandum. Respondemus, quantum sit pro sanguinis ratione non esse lauandum, nec quantum sit ratione sanguinis à balneo sistendum. nam cum solum fluit quantum fluere conuenit, uires ob hoc non redduntur imbecillę, si alia sint quę balnea exigant, æger lauari potest, neque à sanguine qui effluxerit impeditur. unde, minus effluxisse sanguinis, quàm cõueniat de lotione indicat, magis effluxisse quàm conueniat de abstinentia à balneo, exiuisse quantum conuenit neque fieri oportere indicat neq; debere prohiberi, sed si alia expetierint, fieri poterit, sin minus abstinendum.

ἤν τε ὅλον τὸ σῶμα πρὸς τὰ ἄλλα ἁρμόζῃ, εἴτε τὴν κεφαλὴν μούνην, id est, siue uniuersum corpus pręalijs iuuerit, siue caput solum. Totúmq; ęgrorum corpus abluitur, cum apertio per totum corpus expetitur, & pars etiam aliqua corporis abluitur sola, ut caput in illo casu in quo sanguis non fluxerit quãtum debebat, nam tunc solo capite abluto, quãtum debet exit.

ἢν οὖν αἱ παρασκευαὶ ἐπιτήδειοι, καὶ ὁ κάμνων μέλλοι εὖ δέξασθαι τὸ λουτρόν, λούειν χρὴ ἑκάστης ἡμέρης, id est, si igitur hæ præparationes conuenientes fuerint, ægérq; balneum feliciter suscepturus sit, quotidie lauare oportet. unde non est una uice sola lauandus æger, sed quotidie, modo citra noxam lauetur, & omnia quæ in balneis præparari debent sint præ-

parata, ut nihil deficiat, & præſto ſint ſerui, qui his lauationi ſint aſſueti.

Petes vero an alia ſint quæ balneum impediant, præter hæc quæ in præſentiarum ab Hippocrate enarrata ſunt. Reſpondemus eſſe & alia, de quibus à Galeno .x. &. xj. Methodi agitur, nam neq; in horrore ipſo, neque in his qui horrorem incurrunt balnea fieri debent, præterea cum viſcus aliquod ex his quæ ſunt primæ notæ fuerit imbecillum, balneum fieri non debet. Tertio ſi in primis venis adſit crudorum humorum copia, à balneo abſtinendum eſt. Quarto nec in magna obſtructione balneum conuenit, ut alia ſint quæ balneum prohibeant præter illa quæ ab Hippocrate dicta ſunt.

GALENVS. Quibus complura per uentrem ſubducuntur, his balneũ ſiſtit, ea ad corpus uniuerſum reuellens: atq; hac occaſione detrimentum affert. Quòd autem qui nullo modo deiecerunt, eos antea uetuſtam ſecem euacuaſſe melius ſit, nemo ignorat: ſicuti neq; quòd γεγυμένους, τουτέστι, τοὺς καταλελυμένους, id eſt, quibus iam non uigent ſed ceſſant uires, balneum amplius euertit. Ait præterea & ἀσώδεις, id eſt cibum faſtidientes & nauſeabundos haudquaquam lauãdos. Nempe hos uiribus ita defici metus eſt, ut ſuccedat ea quæ ſtomachica appellatur ſyncope. Succedunt his quibus os uentriculi bile redundat: quos nota indicauit, inquiens: Nec biliosa ructantes. Pari modo neq; eos lauare conuenit quibus profluit abunde è naribus ſanguis. Nam ſi minus fluxerit, lauare eſt conſentaneum. Sunt autem hi qui uehemẽtiore egent balneo, id eſt, qui multa aqua perfundendi ſunt, ut ſanguis, qui poſt caput eſt, uehementius moueatur. Cõſimiliter lauabimus ſi ſanguis nullo pacto erumpat, & erumpere debeat. Ex adiectione autẽ huius ſermonis: Etſi uniuerſum corpus in cæteris, etſi caput duntaxat iuuerit: clarius adhuc ſignificauit quonam pacto ſæpius in domo calfacta ægrum abſq; ſolio collocent, & caput duntaxat citra reliquas corporis partes calida perfundant aqua.

BRASAVOLVS. Primo Galenus primam Hippocratis ſententiæ partem exponit, his balneum inquiens ventrem ſiſtere, quibus multa per uentrem ſubducuntur, hoc autem facit, illa reuellens, quæ ad uniuerſum corpus deijciebantur, & ob hanc cauſam detrimenta parit, quia illa quæ ad nutriendum inepta ſunt, ad membra trahuntur quæ nutrire non poſſunt.

Secundo aliam ſententiæ particulam exponit. Illos qui adſtrictam aluum habent non eſſe lauandos, nam in his qui excrementa habent in uentre, ut prius emittantur, quàm lauentur, ſemper melius eſt, ſicuti neq; quod tertia dicitur particula γεγυμένους, τουτέστι, τοὺς καταλελυμμένους, id eſt, quibus non uigent, ſed ceſſant vires, eas balneum adhuc magis euertit, imo & Hippocrates quarto addidit loco & ἀσώδεις, id eſt, cibum faſtidientes, & nauſeabundos nullo modo lauandos, cum timendum ſit ne viribus deficiant, & ex cõſequenti illa ſuccedat ſyncope quæ ſtomachica nuncupatur, ſequitur uero hæc ſyncope quoties os ventriculi bile redundat, hos uero quinto loco per hanc notam indicauit qua dixit nec biliosa ructantes, cum hi habeant in uentriculo bilem, quæ ipſius ori infigi poteſt, & hãc inducere affectionem quæ ſyncope ſtomachica uocatur.

Scito uero ſtomachicas ſyncopas eſſe & cardialgicas, quæ ex bile fiunt in ore ventriculi exiſtente, quod os antiqui cor vocabant, de quibus Galenus ait in calce libri primi de motu muſculorum, quod in ſtomachicis & cardiacis ſyncopis tunc nec breuem tenſionem ferimus, neque mediam figuram toleramus, quo fit ut quamuis impotentes ſimus ad motus, tamen aliàs alio proijcimus partes, aliquam quidem conſequi figuram dolore carentem optantes, ſed nihil tale prorſus inuenire potentes. Cum vero nonnulli ſint, qui ſtomachicas ſyncopas à cardialgia ſeparent, propterea conueniens eſt, ut ex Galeno idem eſſe oſtendamus, qui in primo de ſymptomatum cauſis, cum de ſymptomatibus circa os uentriculi verba facit, quod dicit & vulgo & à medicis uocari ſtomachũ & cardian, inter ſymptomata uero huius partis ſtomachicas numerat ſyncopas, poſtea addit quemadmodum & cardialgiæ ab altera eius appellatione nomen ſunt ſortitæ ut ſyncopæ ſtomachicæ à ſtomacho ſint dictæ, cardialgiæ à corde, tamen ſint idem, ſed denominationes ſint uariæ. At ſi conſideremus quæ in ſequenti refert folio, utitur nomine cardialgia, poſtea ſyncope cardiaca, & inquit primo cardialgiam eſſe oris uentris infenſum ſymptomata à ſuccis mordentibus proueniens, & poſtea inquit cardiacam ſyncopem fieri, cum quod in corde & arterijs principium habetur cum ſtomacho laborat, forte in hoc ſenſu illi unum ab alio diſtinxere.

Tertio Galenus ſextam Hippocratis particulam interpretatur illos quoq; non eſſe lauandos, quibus abunde è naribus ſanguis profluxerit, nec ab re particula abunde, à Galeno addita eſt, quia ſi minus fluxerit, eos lauare conſentaneum eſt. Et hi, illi ſunt qui uehemẽtiore indigent balneo, id eſt qui multa aqua perfundendi ſunt. in hoc intellige balnei uehementiam in multa aqua, ut ſanguis qui in poſterioribus capitis partibus continetur, & etiam lateralibus ad nares uehementius moueatur, ſimili modo lauabimus ſi ſanguis erumpere debeat, tamen non eruperit, neq; erumpat.

Denique Galenus ultimam Hippocratis ſententiæ particulam interpretatur, ex qua unum elicit, quod ſcitu indignum nõ eſt: nam aliquis putare poſſet totum corpus ſemper eſſe lauandũ, Galenus uero dicit Hippocratem ex huius particulæ adiectione & ſi uniuerſum corpus præ alijs, & ſi caput duntaxat iuuerit, clarius adhuc oſtendiſſe, quod ſæpius in calefacta domo ægrum abſque ſolio in quo eſt aqua collocare ſolent, & ſolum caput aqua perfundunt, omnibus alijs corporis partibus derelictis.

## Hippocrates. Sectio LX.

### Lauandi autem cupidos ſi quotidie bis laueris, nihil peccabis.

BRASAVOLVS. Lauandi cupidi frequenter neceſſario lauantur, unde balneo aſſueti ſunt, iccirco nulla in parte ob aſſuetudinem hos lędere poteſt, unde hic monet Hippocrates, ſi quotidie bis lauabis lauandi cupidum & aſſuetum, nihil peccabis.

τοὺς δὲ φιλολουτρέοντας, οὐδ' εἰ δὶς τῆς ἡμέρας λούοις, οὐδὲν ἂν ἁμάρτοις, id eſt, lauandi autem cupidos, & ſi quotidie bis laueris, nihil peccabis, quia aſſueti ſunt lotionibus, ut illis ferè ſint naturales.

Petes uero qua hora lauandi ſint cum ęgrotent. Reſpondemus per quatuor horas ante acceſſionem, uel quinq;, ut modicum quieſcere poſſint, deinde comedere, & in particulari quotidianæ acceſſionis inclinatione, niſi febris ſit omotena.

Scitóq; Hippocratem forte dixiſſe nihil peccabis, profecto non affirmans hoc eſſe bonum, ſed innuere uolens nõ eſſe malum, ſed in aſſuetis poſſe balnei commoda conſequi, & utilitates etiam ſi bis die lauetur.

GALENVS. Qui Victori Romano principi librum de uictus ratione Hippocratis tradidit medicus, is dictionem hanc & alias quaſdam decurtatas ſcripſit: ſicuti & illam in qua dicit: Non protelentur primi ſorbendi dies. Præterea &, Qui bis die cibum ſumere ſunt aſſueti, his bis dare oportet. Verum utriuſq; harum dictionum dimidiam partem ſubtraxit: ſed præſentis quidem nihil, tempus uero non adiecit, ubi φιλολουτρεῦντας, id eſt lauandi cupidos, eos intelligit, qui cum ſani ſunt, lauari gaudent, atq; ob id ſæpius lauantur. Nempe hi cum lauantur, eum accipiunt qui ex conſuetudine eſt, ſcopum. In ſequentibus autẽ ab Hippocrate tempus quo ægros lauari uelit, audiemus.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat medicum illum qui Hippocratis librũ de uictus ratione in morbis acutis Victori Romano principi donauit, & præſentem ſententiam, & alias multas decurtatas ſcripſiſſe, ſicuti illa eſt, qua dicitur, Nõ protelentur primi ſorbendi dies, & illa etiam ſententia decurtata & breuis eſt, & Qui bis die cibum ſumere ſunt aſſueti, his bis dare oportet, in his duabus ſententijs medicus ille dimidium ſubtraxit. arbitramur illum ita ſcripſiſſe, quia in exemplaribus à quibus deſumpſit

sumpsit mutilatæ erant sententiæ. At in præsenti sententia nihil subtraxit, sed tempus non adiecit, intellige non habuisse τὸν καιρὸν id est, opportunitatem.

Petes uero quinam fuerit ille Victor princeps Romanus. Respondemus nullum imperatorem fuisse nuncupatum Victorem, forte fuit nobilis quispiam in Græciam missus proconsul, uel subconsul, qui præfecturam habebat, nam vtitur vocabulo ὑπάρχου, quod est officij nomen, non autem imperatoris uel principis, ita enim se habet Græce hæc sententia.

καὶ ταύτην μὲν ἔοικεν ὁ δοὺς ἰατρὸς βίκτωρι τῷ ῥώμης ὑπάρχῳ τὸ περὶ τῆς καθ' ἱπποκράτους διαίτης, id est, & hanc quidem sententiam medicus qui dedit Victori Romano Hyparcho librum de ratione Victus Hippocratis. Si Victor non fuisset nomen proprium, quisque intelligere potuisset Marcum Antoniũ Imperatorẽ Græcis & Latinis literis consummatissimum, philosophum cognominatum, in cuius gratiam Galenus theriacem confecit, de quo abunde in libro de Antidotis scriptum est.

Secundo notat φιλολουτρέοντας, id est, lauandi cupidos illos esse intelligendos, qui cum sani sunt, lauari gaudent, & gestiunt dum lauantur, & ob hoc sæpius lauantur. si uero petas vnde accipiant scopum quo se lauant, dicent scopum haberi à lauandi consuetudine, in sequenti uero sententia ab Hippocrate tempus audiemus, quo ægros lauari velit.

Scito Galenum uideri censuisse hos non debere bis lauari, nisi fuerint assueti, & cum sint assueti, à morbo non sumitur indicatio, & scopus, quòd lauari debeant, neque ab alio, præterquam à consuetudine.

## Hippocrates. Sectio LXI.

**Tutius autem longe balneo vti possunt, qui tota vtuntur ptisana, quam qui solo vtuntur cremore, quanquam & hi interdum vti possint, minime autem qui potu solo vtuntur.**

BRASAVOLVS.

Ab Hippocrate nunc tempus edocetur, quo ægros lauare oporteat, id tempus intelligo, quod καιρὸν uocant, id est, occasionem illam abluendi quæ in tempore est, quanto morbus est mitior, tanto tutius balneo uti possunt. Quanto grauior, tanto periculosius. Morbi ita superius sunt distincti penes victus genera. Qui acutissime ægrotant, solo potu utuntur qui minus acute, cremorem accipiunt. Qui adhuc mitius ægrotant, ptisana integra utuntur.

Tutius est, inquit Hippocrates, illos lauari, qui tota & integra vtuntur ptisana, quàm illos, qui cremore solo vtuntur, quamuis & qui cremore vtuntur, nonnunquam balneo vti possint, tamen qui solo vtuntur potu, minime omnium balnea ingredi possunt, nempe rarissimum est, ut illis vti possint absque discrimine, ut in acutissimis morbis eo uti non debeamus nisi rarissime, quando continget, in acutioribus nonnunquam, magis uero in simpliciter acutis, sed ex generibus victus Hippocrates morbi acutiem distinxit.

χρῆσθαι δὲ λουτρῷ εἰ τοῖσιν ὅλῃσι πτισσάνῃσι χρεομένοισι παρὰ πολὺ μᾶλλον ἐνδέχεται, ἢ τοῖσι χυλῷ μούνῳ χρεομένοισι; id est, longe tutius autem balneo vti possunt qui tota vtuntur ptisana, quàm qui solo cremore vtuntur.

Dices videri potius balneo imponendos qui cremore utuntur solo, quia hi acutiorem habent morbum, & ex consequenti materiæ citius resolui debent, & meatus aperiri. Respõdemus qui acutiori morbo detinentur, uires habent imbecilliores, & paucissimi nutrimenti cibo vesci coguntur, vnde sunt imbecilles, balneum vero insuper imbecillitat, propterea euitanda in his balnea.

ἐνδέχεται δὲ καὶ τούτοισιν ἔστιν ὅτε, id est, quanquam & si interdum vti possint, ne quispiam existimaret eos qui solo utuntur cremore, nunquam balneo vti posse, ob hoc ait, & si minus vti possint, & minus tutum sit, quàm in his qui tota vtuntur ptisana, tamen solum uti possunt, cum uires erunt robustæ, ut imbecillitatem illam quæ à balneo inducitur, ferre possint.

ἥκιστα δὲ καὶ τοῖσι ποτῷ μούνῳ χρεομένοισιν, id est, minime autem qui potu solo utuntur. non negat Hippocrates & hos quandoque uti posse balneo, sed hoc rarissimum est, & cũ præmeditatione faciendum, ut uires cum coctione materiæ, sint robustæ.

GALENVS.

Tempus quo lauandum sit hoc in loco patefecit Hippocrates: quod si ab initio pronunciasset, multa sane quæ loco medio dicta sunt, non obscura & ambigua essent. Ptisanam autem totam porrigunt ijs qui minus quietiusque habent: solum uero cremorem his qui deterius degunt: uerum his qui periculosius acutiùsque laborant, potus solos. Quod autem toto in hoc commentario de thoracis pulmonisque affectibus egerit, plurima quidem exempli uice in his morborum partibus, & præsertim pleuritidis uniuersalia præcipiens sæpius est demonstratum. Est expositum quoque quonam pacto coctis morbis ptisana uti uelit: quo tempore & balneum sine periculo concilietur, utpote quod ad sputorum quæ in thorace & pulmone continentur, expurgationem maxime conferat. Qui igitur ita habent, & quæ ex consuetudine est accesserit iudicatio, his lauationem multiplicare nihil prohibet. Ait præterea balneum ἥκιστα, id est, minimum, iuuare eos qui solo utuntur potu: ubi ἥκιστα ἐλάχιστον, id est, minimum significat, & non, ut quidam aiunt, οὐδαμῶς, id est nullo pacto. Nam inferens, inquit.

### BRASAVOLVS.

Primo Galenus notat hoc in loco ab Hippocrate tempus edoceri & occasionem, qua lauandum sit, non quidem tempus diei, sed occasionem lauandi in acutis morbis potissimum thoracis, de quibus in hoc libro semper egit, uerum si ab initio huius partis de balneis hoc prædixisset, multa sunt quæ medio loco huius tractationis obscura & ambigua, quæ neque obscura fuissent neque ambigua, neque interpretatione indiguissent.

Secundo Galenus penes uictus genera morborum acutiem distinguit, cum tamen oppositum fieri debeat ex morbi genere scilicet uictus genus esse sumendum, ptisana tota his datur qui mitius ac quietius se habent, in quibus morbus non est multum acutus, tamen acutus est, illis uero datur ptisanæ cremor qui deterius se habent. At periculosius & acutius laborantibus solus potus exhibetur.

Tertio Galenus notat Hippocratem in toto hoc commentario ab initio libri ad hanc usque partem de thoracis, pulmonisque affectibus egisse, quod frequenter ostensum est, ex plurimis quæ ex his morbis pro exemplo sumpta sunt, & præsertim cum uniuersalia pleuritidis præcepta edocuit.

Quarto Galenus notat præter illa quæ dicta sunt expositum etiam esse quonam pacto coctis morbis uoluerit ægros ptisana uti, in quo tempore facta scilicet coctione, balneum sine periculo exhibetur, nempe plurimum confert ad expurgationem & sputorum eductionem eorum quæ in thorace sunt, & pulmone, qui igitur integra possunt uti ptisana, & materia sit cocta, hi balnea ingredi possunt, & si accedat & lauandi consuetudo, lauari tuto possunt, & possunt lotiones multiplicare, & ex his esse qui bis die lauantur.

Quinto Galenus in his qui solo potu utuntur ambiguitatem remouet, quoniam alicui uideri posset his nunquam lauari debere. At quia Hippocrates iudicat hos & ipsos esse lauandos, sed omnium minime propterea inquit Galenus, Hippocratem dicere balneum ἥκιστα, id est, minimum eos iuuare qui solo utuntur potu, in quo loco ἥκιστα significat ἐλάχιστον, id est, minimum, & non ut quibusdam uisum est οὐδαμῶς, id est, nullo pacto, hoc autem uerum esse statim in sequente sententia ostendit Hippocrates.

### Hippocrates. Sectio LXII.

Est sane & quando uti possint. Ex his autem quæ ante scripta sunt, quosnam in singulis viuendi modis iuuaturum sit balneum, & quos non, conijcere oportet. Nam quibus aliquid eorum quæ balneum & bonum reddere & iuuare possunt, deest, hos lauare non expedit. Quibus vero nihil deest, signumque adest ipsis in quo lauare conueniat, lauare oportet.

BRASAVOLVS. Nequis putaret illorum sententiam esse ueram qui in præcedenti sententia exponunt ἥκιστα, id est οὐδαμῶς, id est, nequaquam, hic addit Hippocrates contingere nonnunquam ut illi qui solo utuntur potu, balneo uti possint, post hæc infert Hippocrates ex his quæ prius scripta sunt conijcere oportere per singula uictuum genera quibus balneum opem ferre debet, & quibus opem ferre non debet, nam in his ægris, in quibus unum ex his deest, quæ balneum solent reddere bonum, & iuuare, hos lauare non expedit, quia illis deficientibus quæ faciunt ut balneum iuuet, amplius non iuuaret, uerum si nihil ex his absit quæ balneum bonum reddunt, & faciunt ut iuuet & præter hæc signa adsint ex quibus accipitur illum esse lauandum, cum lauare oportet, nec intermittendum est balneum, sed recipiendum ueluti undequaque conueniens.

ἔστι δὲ οἷσι καὶ τουτέων μὲν ἐνδέχεται, id est, est sanè & quando uti possunt, hi qui solo utuntur potu, & si balneo frequenter uti non debeant, tamen quandoque uti possunt, cum materia est cocta in morbi inclinatione, & uires constent.

τεκμαίρεσθαι δὲ χρὴ τοῖσι προγεγραμμένοισιν οὕς τε μέλλει λουτρὸν ὠφελέειν ἐν ἑκάστοισι τῶν τρόπων τῆς διαίτης, οὕς τε μή, id est, conijcere uero oportet ex his quæ præscripta sunt, quosnam debeat balneum iuuare in singulis uiuendi modis, & quos non, scilicet debeat balneum iuuare. hoc uero dictum est solum in præcedenti sententia, sed iterum repetit ut alia subiungat pro lotione necessaria, non enim existimare oportet hęc sese perpetuo consequi. Vtitur tota ptisana, igitur balneo uti debet, sed posset tota uti ptisana, tamen & simul habere posset cōditiones quæ balneum prohiberent, ob hoc non immerito prędictis & hæc addit Hippocrates, quę sequuntur.

οἷσι μὲν γὰρ προσδεῖταί τινος πάντα τουτέων, ὁκόσα λουτρὸν ἀγαθὰ ποιέει λούειν, καὶ ὅσα ἂν λουτρῷ ὠφελέεται, id est, & enim quibus deest aliquid eorum quę balneum & bonum reddere, & quæcunque faciunt ut iuuet, hos lauare non expedit. Nihil ergo in balneo deesse debet, nam si aliquid deerit, & si sperares aliquid boni te ex balneo acquisiturum, tamen lauare desistito.

Petes uero quęnam sint hæc quæ deesse possunt, & quæ balneum impediunt ne fiat. Respondemus aliqua esse ex parte balnei, aliqua ex parte ęgri, ex parte balnei si aliquid deerit instrumentorum balnei, & ministri sint inexperti, ex parte ægri si cruditas aderit in primis uenis, si sit imbecillus, si futuros timeamus rigores, & reliqua, de quibus superius dictum est.

οἷσι δὲ τούτων μηδενὸς προσδεῖ, καὶ πρόσεστιν αὐτέοισι τῶν σημείων ἐφ' οἷσι λούεσθαι ξυμφέρει, δεῖ λούειν, id est, quibus uero nihil deest, & ipsis adsint signa in quibus lauare conueniat, lauare oportet. Cū nihil deesse uidemus ex his quę balneum conuenire faciunt, & pręterea adsint signa quæ ostendant balneum esse faciendum, tunc occasio hęc prętermittenda non est, quæ præceps est, sed balneo uti debemus, ut si morbi genus expetierit, & accessionis hora, & reliqua quæ de balneo suadent.

GALENVS. Non adiecit quidem quando his balneo utendum sit, sed nos qui sententiam ipsius sequimur, dicemus. Potum solum his exhibet Hippocrates quos acuti infestant morbi: vbi vires ad morbi vsque vigorem, qui interdum cum ipsa coctione existit, veluti in morbis thoracis pulmonisque, suffecturas sperauerit. Coctis siquidem qui affectum progignunt humoribus, confestim excreabunt. Quòd si qualia oportet solum expuere cœperint, in neutro adhuc modorum neque in affectu, neque in symptomatis morbus augebitur. Nam sæpius affectio ipsa qua laborant, mitior quidem existit, sed symptomata augentur, vt in phlegmone obsessis particulis, quo ipse inquit modo: Cum pus conficitur, tunc dolores & febres fiunt magis, quàm cum factum fuerit. Sæpius autem mutuis exuliant incrementis & decrementis symptomatum magnitudines, & ea quæ affectionis est: fitque id in his phlegmonis in quibus pus effluit quod iam est confectum, vt in vulneribus quibusdam fieri consueuit, & in peripneumonijs pleuritidibusque. Possunt ergo in his morbis & hi quibus potus solus usui est, non inutiliter lauari. Nempe dolorem ipsorum balneum mitigare ait, & sputa maturare. Sed sanè uacuato prius corpore, id factitandum. Scierisque in vniuersum de balneorum viribus, quòd si non antea vacuato corpore exhibeatur, membris affectis fluxionem parit: vacuato autem si exhibeatur, coctionem iuuat. Nempe corpore toto ante vacuato, adhibitum aduacuatoriam obtinet facultatem. Quo fit vt ex febre ardente laborantibus, his tantum opituletur qui sine tumore vel phlegmones vel erysipelatos laborant feruente in ipsis per totum corpus bile. Quòd si coctionis signa habuerint, his multo magis conferre. Verum si ęstuosa febris ob salsam pituitam putrefactam oriatur, aduersissimum illis esse balneum scire oportet. Neque enim pituitosus humor vt biliosus per cutim euacuatur, propterea quod tum crassus tum glutinosus sit: neque extinguitur longa egēns concoctione. Non sum autem immemor verborum Hippocratis, quæ in principio libri huius hoc refert pacto. Quæ autem medicum ante animaduertisse ægro non referente oportet, plurima dimissa sunt. Hæc siquidem qui Hippocratem dogmaticum esse putant, locos affectos esse dixerunt. Sed qui Hippocratem empiricum esse existimant, anni tempora esse, regiones, ætates, & ambientis nos aeris conditiones affirmauerunt. Hæc equidem omnia tum quæ à dogmaticis, tum quę ab empiricis dicuntur, vtilia esse non ignoro. Verum scopos multos hoc in libro recensens Hippocrates, ad quos quis respiciens victus formam inuenire posit, nullius eorum quę dicta sunt, pręter quàm consuetudinis mentionem fecit. Sed sanè nonnulla quę reminiscentiam exigunt, pręposuit. Atque ob id sermonem sum remoratus, vt hac quę breuis sit interpretatione eos, qui totum legerunt librum, habeam sermonis huius per intelligentiam assecutores. Vnus sanè & præcipuus scopus tanquam in exemplio pleuritidis talis in dictione ab Hippocrate enarratur: Si quidem siccior fuerit morbus quàm vt quispiam putauerit, non multum dare oportet, sed ante sorbitionem vel mulsam, vel vinum, vtrum magis auxiliaturum putaueris, propinare conuenit. Post hęc deinceps: At si os madescat, & quę à pulmone expuuntur talia sint qualia esse oportet, sorbitionis quantitatem, vt dicam summatim, augere conuenit. Verum tum hęc, tum quę serie continuata dicuntur, non sunt à Cnidijs sententijs definita. Post hęc & morbi coctionem animaduertendam esse ait Hippocrates, qui sanè scopus totius propemodum est Hippocratici victus instituendi generis, atque earum quę in eo particulariter fiunt permutationum. Alias quoque & subinde apponit definitiones, quę tales sunt: Quibus enim cibus statim inclusus est, si quis non uacuato eo sorbitionem dederit, dolorem si adest adaugebit, & si non adest protinus inducet. Et amplius: Pręterea si lateris dolor assiduus est, calidisque fomentis non remittatur, sputumque non procedit, sed extreme citra coctibilitatem glutinosum sit, nisi quis dolorem vel alui subductione vel secta uena pro utriusuis significatione soluerit, ptisanam autem ita affectis dederit, pręcipitem aget in mortem.

in mortem. Proinde & rursus definiens, ait: Si nuper pasto cuipiam, & alui oneribus haudquaquam purgato febris, uel cum dolore uel sine dolore inceperit, à sorbitione tantisper est temperandum, donec cibum ad infernam intestini partem descendisse coniectum sit. Tum rursus: Si nuper oblato cibus prior non descenderit, virtusque valida fuerit, & floruerit aetas, subluere oportet. Si vero virtus imbecillior fuerit, balano est utendum, nisi aluus sua sponte probe deiecerit. Adiecit ergo in hac dictione eum qui à virtute est scopum, veluti in sequentibus saepenumero, & id considerari praecipiens quaenam causa & affectio sit quae virtutem prosternant: vbi & hoc à medicis ignorari adiecit. Praeterea adiecit, quòd ijs qui dolorem ad hypochondrium pertinentem habent, ea quae per talia medicamenta fiat, auxilio sit purgatio. Caeteris autem quibus dolor vel grauitas ad brachium vel pectus extenditur, venae sectio. Haec autem & reliqua huiusmodi, quae item de consuetudine dicta sunt, à Cnidijs medicis omnino sunt praetermissa, multóque magis naturae & corporum temperamenta, de quibus saepenumero in hoc libro egit: hos picrocholos appellans, alios melancholicos. Scopo autem succedente, de ea quae tum in sanis, tum in aegris fit victus ratione agit, quonam pacto & emendare & corrigere oporteat demonstrans. Praeterea & in eo quem de uino, oxymelite, & aqua facit sermone, scopos recensuit eosdem. Meminit quoque & coctionis morbi saepius, non paruum scopum vniuersae victus formae, earúmque quae in ipsa fiunt, mutationum hunc efficiens. Pari modo & in morbi vigore quippiam dixit, ad quem respiciens neque tanquam ad abiectissimum in uictus ratione scopum alimoniam ministrat. Cuncta haec & reliqua talia à Cnidijs medicis praetermissa sunt, quae medicum ante animaduertisse non dicente aegro oportet.

## BRASAVOLVS.

Primo Galenus notat Hippocratem non adiecisse quando balneo utendum sit. At ipse qui Hippocratis sententiam sequitur promittit se dicturum, hoc igitur modo exorditur. Hippocrates his solum exhibet potum, qui acutis morbis deprehensi sunt, hócque fit quoties sperauerit uires ad morbi usque uigorem suffecturas, qui uigor interdum est cum ipsa coctione, ut in morbis thoracis ac pulmonis contingit, nam cum humores cocti sunt qui affectum faciunt, statim excreabunt, uerum si cocta non expuerint, sed tantum qualia oportet expuere inceperint, tunc morbus neque augebitur in affectu, neque in symptomatibus, idque notare oportet plerunque affectionem ipsam qua laborant aliqui mitiorem esse, symptomata uero augeri, ut in particulis phlegmone affectis, de quibus & ipse met Hippocrates dicit in secundo aphorismorum, cum pus conficitur dolores & febres tunc fiunt magis quàm cum factum est, plerunque simul augetur & affectio & symptoma, hócque contingit in his phlegmonis in quibus paulatim exit pus ut per uices fit, & non fit uniuersum una uice, ut in uulneribus quibusdam fieri consueuit, & in peripneumonijs, ac in pleuritidibus, non continuo pus expuunt quod paulatim fit, in morbis huius generis Galeno placet illos etiam lauari utiliter qui solo potu utuntur, quia à balneo eorum dolor mitigatur, & sputa maturantur.

Galenus inquit morbi uigorem esse interdum cum ipsa coctione, sed uidetur semper non interdum esse cum ipsa coctione, & coctionem in uigore perfici. Respondemus coctionem omnino in ultima uigoris parte esse perfectam, & hoc semper, illa uero ultima pars uigoris, est inclinationis initium, unde & si dicat interdum, id facit quia habet respectum ad alias uigoris partes.

Ambiges an in morbis thoracis & pulmonis, ac pleuritide, statim humoribus coctis excreetur, nam possent esse uires adeo imbecillae ut cocti humores excerni non possint. Respondemus haec non se compati, humores esse coctos, & uires tam imbecillas esse, ut aeger expuere non possit, nam cum materia est cocta, uis est supra materiam, & illam exuperat, propterea & expuere potest, quoniam & si ab Hippocrate dicatur morbos simul expelli, & uires imbecillitari, non tamen adeo imbecillitantur, ut expuere nō possint quod iam coctum est, unde id uerum est quod à Galeno hic dicitur coctis humoribus statim expui.

Petes quomodo si qualia oportet expuere coeperint, neque symptoma neque morbus augebitur. Respondemus quia si expuerint qualia oportet, tunc talia expuent quae ostendunt futuram coctionem uel iam factam, itaque morbus erit saluber, & symptomata minora, quia uel facta est coctio, uel iam coepit, & hoc potissimum in thoracis morbis ac pulmonis.

Dubitatio quaedam contingit non mediocris de symptomatibus & morbo, quia hic Galenus ponit morbum esse mitem, & symptomata augeri, igitur distinctio temporum dabitur, quo ad materiam, uel quo ad morbum, & quo ad symptomata, quam tamen distinctionem dari negant recentes omnes, qui Galenum sequuntur. Id uero sensisse Galenum, non solum ex proprijs patet uerbis, sed & ex exemplo quo refert Hippocratis aphorismum ex secundo libro. Dum pus fit dolores & febres fiunt magis quàm iam confecto, affectio ipsa dum pus fit in aliqua inflammata particula est mitis, imo tendit in maturitatem & in inclinationem, tamen symptomata quae sunt febris & dolor sunt uehementiora & augentur quo ad pus fuerit perfecte confectum, palam igitur est hic Galenum tempora distinguere, & quo ad symptomata & quo ad morbum ipsum. Pro dissolutione scito esse Hippocratis sententiam in primo aphorismorum morbos in principio & fine esse imbecilliores, in uigore autem fortiores, & simpliciter loqui uidetur de morbis ipsis. At fortitudo est penes symptomata & morbi essentiam, ob hoc multi putarunt solum distingui secundum materiam & secundum affectum ipsum. At recentes tempora dupliciter distingui censent, penes materiam, & penes symptomata, penes materiam tunc est initium cum nulla adhuc uidetur coctio, augmentum quando iam incipit uideri coctio. Consistentia cum omnia uigent, & perficitur coctio, inclinatio cum iam perfecta est coctio. Tempora uero quo ad symptomata distinguuntur, quia tunc principium est, cum symptomata remissa sunt, nec multum uehementia apparent, augmentum, quando excellenter magnificantur, status cum sunt in ultimo magnificentiae. Inclinatio cum remitti incipiunt. At si recte consideremus symptomatum tempora coctioni materiae correspondent, cum materia est cruda, neque in illa signum aliquod coctionis apparet, & symptomata sunt mitiora. At dices in pleuritide symptomata esse saeuiora, quia & maior anhelitus difficultas & uehementior in principio dolor, cum materia est cruda. Respondemus nunc sermonem esse in febribus & in alijs morbis, qui non sunt inflammationes, in inflammationibus uero symptomata in initijs debent esse saeuiora, affectus uero ipse mitior, aut illud est affectus initium cum materia colligitur, est augmentum id quod principium existimatur, unde hic à Galeno dicitur, contingere symptomata etiam saeua, & morbum esse mitem, tamen sunt symptomata illi tempori conuenientia, & quae materiae coctionem non sequuntur, unde non est opus ire inficias posse esse symptomata uehementia, & affectum mitem, sed opus est ire inficias symptomata illa distinguere tempora, quia ab ipso affectu distinguuntur tempora, & non à symptomatibus, quamuis in multis symptomata ipsa & affectus tempora doceant & distinguant, pleuritis uero morbus est qui ex symptomatibus tempora habet & omnes inflammationes ut Galenus egregie docuit in libro de

uniuersalibus morbi temporibus.

Vbi legitur sæpius autem mutuis exultant incrementis, in aliquibus codicibus additur, Diminutionibúsq;.

Secundo cum Galenus edocuerit balneum in his fieri posse, in quibus symptomata cum affectionibus crescunt, docet præterea balneum ipsum fieri non debere, nisi corpore prius euacuato, & regulam quandam generalem Galenus proponit, quæ manu tenenda est, si balneum feceris corpore non euacuato, humorum defluxio fit ad membra affecta. At si prius vacuatum sit corpus, coctionem adiuuat, nam cum balneum adhibetur vacuato corpore, facultatem obtinet aduacuatoriam, vnde illis solum ex febre ardente laborantibus opem fert, qui sine tumore laborant, qui fit uel phlegmone, uel erysipelas, in his enim bilis per totum corpus feruescit, & adde ipsis multo magis conferre si coctionis signa habuerint. At si febris hæc æstuosa ob salsam pituitam putrefactam ortum duxerit, balneum est illi aduersissimum, quoniam pituitosus humor per cutim euacuari non potest ut biliosus facit, quoniam & crassius est & glutinosius & longa eget coctione prius quàm extingui possit.

Petes quomodo affectis membris fluxionem pariat. Respondemus humores suapte natura ad loca læsa inclinare. vnde si non uacuato corpore balneum feceris, humores ex ui balnei eliquantur, & fiunt ad cursum aptiores ad illum locum in quem primo fluebant qui erat locus læsus, vnde ex balneo corpore non euacuato humorum fluxus fit ad locum læsum, eo autem euacuato materia non adest quæ transmitti possit, & coctio potius reliquorum humorum qui in corpore sunt adiuuatur, & illorum potissime qui sunt in loco læso, & euacuat etiam per poros, vnde probe à Galeno dicitur euacuato corpore facultatem aduacuatoriam obtinere.

Petes præterea cur non adiuuat causone laborantes cum tumorem habent phlegmonodem, uel erysipelatodem? Respondemus quia materias quæ in corpore sunt ad loca illa læsa discurrere facit. Sed dices, suppono corpus esse euacuatum. Respondemus nunquam esse tam uacuum, quin aliquæ adhuc in corpore adsint materiæ, & quia in illis tumoribus agitatio fit. De causo uero ipso an à salsa pituita fiat, & quomodo & cuius generis, in quarto dicemus libro.

Quod dicit neq; σβέννυται, id est, extinguitur, intelligi debet neq; resoluitur, uel forte febris ipsa non extinguitur quia longa eget coctione.

Tertio Galeno huius voluminis initium in mentem venit, in quo dicebat medicum multa præscire debere, quæ non refert æger, & hæc esse à Cnidijs dimissa. si quis petat quæ nam sint hæc quæ dimissa sunt, varij varia dixere, nam dogmatici per Hippocratem dogmaticum fecere per illa, tunc dimissa locos affectos intelligunt. At empirici, qui empiricum existimarunt Hippocratem dixere hæc esse anni tempora, regiones, ætates, & aeris nos ambientis conditiones, id tamen verum est, hæc omnia quæ & à dogmaticis & ab empiricis dicuntur esse utilia. uerum si scopos consideremus quos Hippocrates posuit in hoc libro, illi quidem sunt multi, sed unus solus est scilicet consuetudo, ad quam rationis uictus ratio haberi possit, tamen nonnulla præposuit quæ reminiscentiam exigunt, & exigunt ut rursus in memoriam adducantur, & ob hoc (inquit Galenus) sermonem suum remoratus ut habeam assecutores per intelligentiam eos qui totum legerunt librum, in hac interpretatione quæ sit breuis.

Vbi legitur locos affectos esse dixerunt, desunt hæc uerba καὶ τὰς διαθέσεις αὐτῶν, καὶ τὰς αἰτίας, id est, & ipsorum dispositiones & causas. quæ particulæ nullo modo erant prætermittendæ.

Vbi legitur regiones ætates deest, ἔθη, consuetudinesque.

Quarto Galenus scopos enumerare incipit, uel illa quæ expetunt ut in memoriam reducantur, unum est scopus qui ab Hippocrate ueluti in exemplo pleuritidis edocetur, libro primo sectione. 22. ubi inquit siquidem siccior fuerit morbus, quàm ut quispiam putauerit, non multum dare oportet, sed ante sorbitionem uel mulsam uel uinum, utrum magis auxiliaturum putaueris propinare conuenit. Sequitur deinde uigesimatertia sectio eiusdem libri in qua ait. At si os madescat, & quæ à pulmone expuuntur talia sint qualia esse oportet, sorbitionis quantitatem ut summatim dicam augere conuenit. hæc omnia & illa quæ continuata serie ab Hippocrate dicuntur, non sunt à Cnidijs sententijs definita.

Quinto Galenus notat, & ab Hippocrate morbi coctionem esse consideratam, quæ sanè scopus est Hippocrati ad rationem uictus instituendã, & earum permutationum quæ in eo particulariter fiunt, unde de hac re definitiones apponit, sicuti illa est in. 32. sectione primi libri. Quibus enim cibus statim inclusus est, si quis non vacuato eo sorbitionem dederit, dolorem si adest adaugebit, & si non adest, protinus inducet. Ad idem facit &. 33. sectio eiusdem libri, qua ait præterea si lateris dolor assiduus est, calidisque fomentis non remittatur, sputúmque non procedit, sed extreme citra coctibilitatem glutinosum sit, nisi quis dolorem, uel alui subductione uel secta uena pro utriusuis exigentia soluerit, ptisanam autem ita affectis dederit, præcipitem aget in mortem. Rursus & adest alia definitio qua dicit quadragesimasecunda sectione primi libri si nuper pasto cuipiam, & alui oneribus haudquaquam purgato febris vel cum dolore uel sine dolore inceperit, à sorbitione tantisper est temperandum, donec cibum ad infernam intestini partem descendisse coniectum sit. Adiecit & aliam sententiam ad hoc propositum, quæ est sectione quadragesimaquinta eiusdem libri, ubi inquit si nuper cibato cibus prior non descenderit, uisque ualida fuerit, & floruerit ætas subluere oportet. si uero uis imbecillior fuerit, balneo est utendum, nisi aluus sua sponte probe deiecerit. uides igitur & in hac sententia Hippocratem posuisse & scopum à uiribus, sicuti & in alijs multis quæ sequuntur facit, & id præcipit considerandum, quænam sit causa & qui affectus quæ uirtutem prosternunt, ubi etiam addebat hoc à medicis ignorari. Addidit & in secundo libro sectione undecima qui dolorem habent ad hypochondrium uergentem debere purgari per medicamenta conuenientia, & in sectione decima eiusdem libri docuit dolorem habentibus vel grauitatem ad brachium uel pectus his uenam esse secandam, hæc similia & huiusmodi reliqua, ut id de consuetudine, de qua sæpe mentionem facit Hippocrates, à Cnidijs medicis sunt prætermissa. Adde & illos prætermisisse corporum naturas & temperamenta, de quibus frequenter in hoc libro agit Hippocrates hos vocans picrocholos & illos melancholicos.

Denique Galenus ut particulam illam sententiæ primæ primi libri exquisite exponat, de his quæ à Cnidijs sunt prætermissa inquit, Hippocratem præterea in his quæ sequuntur in secundo scilicet libro, demonstrauit quonam pacto & in sanis & in ægris, & emendare & corrigere oporteat uictus rationem. Adde in tertio hoc libro ubi de vino, & oxymelite & aqua agit, eosdem scopos recensuisse, imo & frequenter de morbi coctione mentionem facit, quæ vniuersæ formæ victus non est paruus scopus ex his quæ in ipsa fiunt mutationibus, addidit & nonnihil de morbi vigore, ad quem si respiciamus, ad vnum respiciemus, quod in ratione uictus instituenda non erit abiectissimum. Hæc omnia & reliqua similia à Cnidijs medicis sunt prætermissa, quæ opus est medicum prius

animaduertisse

animaduertisse & præuenisse ægro nihil dicente. Itaque Galenus particulam primæ sententiæ exposuit, quam ad hanc vsque partem interpretandam reseruauit, vt Hippocratis scopos, de quibus egit, referre possit. & quia putat hunc esse huius libri de ratione victus finem, & quartum librum non esse Hippocratis legitimum, nisi pro parte, vt in eo interpretando edocebimus, itaque & nos huic interpretationi finem faciamus.

LIB. IIII.

# ANTONII MVSAE BRASAVOLI MEDICI FERRARIENSIS IN QVARTVM DE RATIONE VICTVS IN MORBIS ACVTIS

## Hippocratis & Galeni, Commentaria & Annotationes.

### GALENVS.

QVAE in libro de uictus ratione post eum, qui de balneis est sermonem scribuntur, iure optimo pleriq; medicorum Hippocratis nõ esse sunt suspicati. Nã ab ijs quæ ante scripta sunt, & ui interpretationis & theorematum integritate longo discedũt interuallo. Neque tamen abs re adducti sunt, qui & Hippocratis esse existimauerunt. Nempe eorum quæ scripta sunt sententia, propositum ipsius mentemq; usque adeo redolet, ut discipulum Hippocratis aliquem scripsisse suspicio sit: imo & ex his multa dictionem unà cum sententia ita absolutam inculpatamq; habent, ut rursum & ea ab Hippocrate scripta esse suspicãdum sit, utpote qui librum componere, ubi singulariter morbi cuiusque acuti curationem doceret, ut in libro de uictus ratione in morbis acutis promiserat, sese apparauerit. Preterea & alias in presenti libro reperies dictiones, q̃ Hippocrate ita indignæ sunt, ut legitimis iustisq; adscriptas esse suspicari te oporteat: sicuti & in aphorismis ipsis quidam huiusmodi uisi sunt, partibus libri ultimis adiecti adscriptiq;. Qui enim interserunt, in memoriam multis primas conscriptiones ultimis adscribunt. Quod & in libro de capitis uulneribus factum esse uidetur, & in secũdo de morbis uulgaribus. Nec secus in eo qui nunc nobis proponitur libro reperimus quæ interferuntur, atque adhuc magis partibus ultimis. Cum igitur quatuor, ut quispiam dixerit, in eo reperiantur genera, unum quidem & dictione & sententia Hippocrate dignum, alterum quidem altero solum, uel dictione, uel sententia, nonnulla uero horum neutro: in singulis eorum quæ ad expositionem nobis expromentur dictionibus idipsum declarabimus.

### BRASAVOLVS.

A Galeno hac in præfatione primo annotatur, ea quę in hoc de ratione uictus in acutis libro post expositam de balneis tractationem scripta sunt, iure optimo à plerisq; medicis Hippocratis non esse iudicari. nam si his quæ antea dicta sunt comparentur, & ui interpretationis & theorematum integritate longe dissentiunt. tamen & ex alia parte, quidam Hippocratis esse arbitrati sunt. neque hi abs re, & absq; ratione id sentiunt, quia illarum rerum quæ scriptæ sunt sententia, adeo Hippocratis mentem redolet ac ꝓpositum, ut maxima sit suspicio, si non fuerit Hippocrates, saltem aliquem eius fuisse discipulum, imo si hæc omnia considerentur inter ipsa aliqua sunt, & multa, quę & in uerbis, & in re, ita dictionibus & Hippocratis sententijs, & stilo ꝯueniunt, ut rursus quisq; suspicari posset illa ab Hippocrate scripta esse, præsertim quia Hippocrates ipse superius promisit se librum scripturum, in quo singulariter, uniuscuiusq; acuti morbi curationem edoceret. unde his Galenus probat posse hunc librum Hippocrati attribui, & ab ipso concinnatum esse posse iudicari.

Secundo, Galenus ad illos sermonem uertit, qui librum hunc Hippocratis non esse testati sunt: quos inquit & non ab re loqui, cum in ipso multæ inueniant̃ dictiones, quæ non sunt Hippocrate dignæ ut necesse sit suspicari esse Hippocrati adscriptas, & non iustas, neq; legitimas, ut in postrema Aphoris. parte nonnullæ sententiæ appositæ sunt, quæ Hippocratis mentem & phrasim nõ sapiunt. de q̃bus nos librum. 6. ꝑfecimus, seorsum ab alijs libris scriptum, hiq; Aphorismi qui interserunt̃, & sunt in ultima libri parte, & partim sunt ex prędictis sententijs, partim sunt per se sententiæ, tñ Hippocrate dignæ nõ sunt. neq; opus est illa Hippocrati attribuere, quæ prorsus eius menti oppugnare uident̃. idem factum est & in libello de capitis uulneribus. nam multa adduntur, quæ & Hippocratis phrasim et sententias non sapiunt, & quædam inibi scripta sunt, quæ ad librum de aqua, aere, & locis spectare uidentur. Idem preterea fit in. 2. de morbis popularibus, nam multa adscribunt̃ in hoc libro, quæ ad rem ipsam nihil faciunt. Contingit & in hoc. 4. libro multa dici, quæ non sunt Hippocrate digna, de q̃bus singulatim aget Galenus, cum in particularibus erit sententijs, tamen plura in ultima libri parte scripta sunt.

Tertio, à Galeno notat̃, cum quatuor fuerint in hoc libro sententiarum genera. Aliquæ uerbis solum Hippocrati quadrant, non sententijs, aliæ conueniunt sententia & non uerbis, aliæ neq; uerbis neq; sententia quadrant, alię & uerbis & sententia Hippocratica existimantur. nunc non est opus recensere, quęnam talia sint, & quæ non sint, q̃m singulatim inter particulares sententias à Galeno exponendas, hæc in quo horum quatuor generum sint explicabuntur.

Scito uarijs in locis huius uoluminis à Galeno de hoc. 4. libro, an sit Hippocratis dubitatum esse, ut in Sectione. 3 & 1. lib. ubi inquit Hippocrates, se de oĩbus acutis ægritudinibus esse scripturum, Galenus in illius partis cõmentatione inq̃t, Nempe quæ in hoc libro à balneorum cõsideratione extant, siquis ueluti in typo ab Hippocrate ad futuram memoriam scripta, in domo reperiens post eius mortem deprompsit, forsan ratione quidem hoc fecit. ueruntamen ut liber digna Hippocratis mente non sunt, sicuti neq; ea quæ de morbis & affectibus inscripta sunt, q̃q̃ multa in his bene scripta sint. In hoc etiam loco promittit Galenus se de hac re in sententiarum. 4. libri expositione disceptaturum esse. At in ultima eiusdem. 2. lib. Sectione idem sentire uidetur de toto saltem libro, quo ad ordinem, qa inquit sępius se existimasse hunc librum in typis reptum post mortem Hippocratis fuisse publicatum, non secus etenim q̃ hoc pacto facta ei se uidetur inordinata sermonum compositio, nam quę ab Hippocrate inueniebantur exempla, hæc in libro ad fidem uniuersalem scripta sunt, alia quidem in facie, alia in tergo. Neq; enim unicuiq; tum adscripto tum adscripto, tum addito suum assignare ordinem potuit. Ergo qđ ab Hippocrate in præsentiarum

dicitur, id manifeste tū incōpositū, tū inordinatū existit. Scito tamē ex his nō iudicare secundū librū nō esse Hippocratis, sed iudicat in aliquibus esse inordinatū et incōpositū, uerū de his quæ dicit, de quarto libro tantū loquamur, in quo ambiguitas est an sit Hippocratis. Idemmet Galenus Sectione. 16. tertij libri, ubi Hippocrates morborū acutorū auxilia ꝓmittit se dictur ū. Galenus in cōmentatione īqt, uerū si & quę libro huic post sermonē de balneis adiecta sunt, digna Hippocrate existant, & quæ in libris de morbis uel affectionibus scripta sunt, ea inter exponendum considerabimus.

Hippocratem uero pollicitum esse se de singulis acutis morbis esse scripturum, ex locis præcitatis colligi potest, & ex Sectione. 42. et. 43. libri tertij.

Vnū uero annotatione dignum est, Galenū in libello de libris ꝓprijs dicere se ꝯscripsisse in librū de rōne uict. i. mor. acu. tres qdem cōmentarios in eā partem quę citra ꝯtrouersiam huius est, duos uero in eā partem quę illi attribuit, ut Gal. tria fecerit cōmentaria supra tres libros iā prędictos Hip. duo uero in lib. hunc. 4. tñ si ꝯsideremus, nō est nisi unus cōmentarius. At qa nōnullus dicere posset, hūc librū in duos fuisse distinctū, & ide argūm sumere, qa plures hī Sectiones q̄ duo alij hēant ex prædictis simul, nēpe Sectiones sunt. cxxiij. in hoc libro, prius uero solū cōplectit Sectiones. 47. scd͠s. 55. tertius. 62. ut hic liber sit alijs duplus, ꝓpterea in duas partes sit dissecādus. tñ nullus est uere locus, in quo dici possit, hic initiū est. 5. libri, ut inter exponendū deprehēdi pōt, ꝓpterea nō erit ab re iudicare esse librū unū & cōmētariorū Gal. amissum, & sniarū Hipp. attributarū, hincq̧ ansa colligi pōt ꝓbādi. 5. illū librū esse amissū. primo, qa de acutis particularim oībus Hippocrates locutus nō est, tñ illud in alijs ꝓpōderat libris. uerūtñ dici non pōt hāc partem quæ est de acutis in particulari, esse à Galeno iterpretatam, qa ipsemet fatet hāc partem ad eius manū non ꝓuenisse, sed erāt alia de nōnullis morbis quæ Galenus cōmētatus est, & amissa sunt. & hinc ansa haberi pōt, qa Gal. in calce huius lib. in ultimæ sniæ expōne īqt Hippocratem exponēs, Sunt aūt eorū quæ serie cōtinuata dicta sunt, plurima qdem manifesta, alia nequaq̄ manifesta sunt, de qbus deinceps faciā sermonem, tñ hic finit liber, nec amplius uerbū aliud à Gale. habet, ꝓpterea putādum est, illa quę deinceps dicturus erat, & in libro quodā iā dixerat, esse. 5. librū, qui nō extat. Notat et à Gal. in. 2. cōmē. in. 3. de morb. uulg. hūc librū distingui in duas partes. primam partem ꝓtēdit ad balneorū usq̧ usum, quæ qdem germanissima habet, à qua secundam. nam & hæc multa uidet ex sententia Hippocratis præcepta complecti.

Nota præterea inter Hippocratis libros, aliquos fuisse ab ipso Hipp. ꝯcinnatos & ordinatos ac publicatos, alios fuisse à suis discipulis post eius mortē simul collectos & ordinatos ordine ꝯuenīēti, alios fuisse à suis discipulis collectos, & absq̧ ordine dispositos. Nōnunq̄ præterea multæ adsunt sniæ quæ ordinē hñt, aliquæ quæ non hñt, ut Gal. in. 2. huius Sect. ult. dicebat, imo multa in marginibus erāt scripta & in librorū tergo, quæ in libro scripta sunt ab Hipp. discipulis, & nōnunq̄ ipsi ex sua addidere, nōnunq̄ erant Hipp. sed inordinata, nōnunq̄ erant addita, & nō Hippocratis, ut de qbusdā uidere est in. 7. Apho. & in. 2. epid. & in. 6. & 10 lib. de capi. uulne. & in hoc. 4. libro.

## Hippocrates. Sectio I.

CAVSVS, Id est febris ardēs, fit, cū venulæ tempore æstiuo exiccatæ, acres, & biliosas quæ tenues sint, trahūt ad se humiditates, quas, ἰχῶρας uocant.

BRASAVOLVS. Primū morbi genus, de quo agit Hippocrates, est causus, quem genus febris esse cōstat. ardens uero & ferè ignitū, fit, cū æstiuo tpe uenæ exiccatæ sunt. exiccatæ inquā humidū expetūt, quo humectent, ut bruta & pueri siti affecta, qcqd humidi inuenerint, uel liqdi potabilis id bibūt, ita uenæ exiccatæ naturali quodā impetu tractæ, qcqd in corpore ꝑtinet ad se trahūt. cū uero æstiuo tpe acres generent humores & biliosi, ob id ad se attrahūt humores acres & biliosos tenues, quos Græci ἰχῶρας uocant, hi accenduntur, & uehementem faciunt febrem, quæ causus nuncupatur.

καῦσος δὲ γίνεται ὁκόταν ἀποξηρανθέντα τὰ φλέβια ἐν θέρει ἐπισπάσηται δριμέας, καὶ χολώδεας ἰχῶρας ἐς ἑωυτά. i. causus autem hoc est ardēs febris fit, cum uenulæ æstiuo tempore exiccatæ, acutos & biliosos ichoras, hoc est liquidas aquositates ad seipsas trahunt.

Primo, ꝯsiderare opꝫ ex qua materia fiat causus, hoc est ardēs febris, pro qua re enucleanda scire opꝫ, apud Hippocratem & Galenū duplex ardētis febris genus reperiri: unū ꝓprium & exqsitum: aliud improprium & ꝑ ꝓportionem ad hoc sumptum. De ꝓprio hic agit Hippocrates. de sumpto ꝑ ꝓportionem ab hoc Sectione. 13. huius libri differet. hoc qđ ꝓpriū est, à materia biliosa fit acri & tenui. id qđ ex ꝓportione est, fit à materia salsa pituitosa, ꝓpterea Hippocrates has duas distinguit spēs ꝑ hēre os amarū, qđ fit à bile, & salsum, qđ fit à salsa pituita. At hic petes, an ab alijs humoribus fieri possit. Respōdemus, à sanguine fieri nō posse, qa non dat apud Gal. febris ex putredine sanguinis, neq̧ ex bile uitellina uocata, qa crassa est, neq̧ tā tam pōt efficere accēsionem ut causon nuncupari possit, neq̧ hēt uapores tenues acres, & qui uelut pungāt, ut sunt uapores quos hēre debet ardēs febris. Neq̧ ex atra bile fieri pōt, qm̄ ob suā crassitiem non tam ardenter inflāmat, ut causus dici possit illa accēsio, & uapores hꝫ ualde crassos. In libro introductorio Galeno adscripto dicit oriri ex bile nō nimis sicca, circa uenas quæ ad iecur sunt, q̄uis in alio libro Galeno adscripto sit cōtradictio, qui uocat liber alter de dinamidijs, ubi īqt, causus nascit ex cholera nigra nimiū sicca circa subtiliores uenas hepatis. sed his posthabitis quæ ad rē nihil faciunt, cū authorē uerū nō sequant: duo hic speculemur de huius febris materia: unū apud Græcos, aliud apud Arabes. Vt de Græcis loquamur, Aetiua lib. 5. cap. 76. differētias ponere uidet īter synochū putridā, & ardētem febrem, qm̄ synochus fit à putrescēte sanguine, & una fit solū à principio in finē exacerbatio. ardens uero febris à flaua bile putrescēte incēdit, & alternis diebus excitatā habet quandā febris quietem et uelut remissionē. Hic dispu tare prætermittā, an febris det ex putredine sanguinis, nempe apud Galenū non reperit hæc febris. Id aūt qđ dicit ardētem febrem alternis excitari diebus, & hēre quietem. His repugnare uidet, quæ ab Hippocrate & Galeno deinceps dicent, qui uolūt hanc uexare uehemēter, & non hēre remissionem, nisi cum ultr iclinare incipit, & potissimū, qa materia est in partibus cordi ꝓpinqs. Adde ipsummet Aetiū ca. 77. dicere, à flaua igit bile putrefacta ignit febris ꝯtinua ardētissima, neq̧ medicis, neq̧ ægris inducias præbēs. lingua enim exarescit, nigrescit, exaspat, ac uētriculi erosio, sitis itolerabilis, uigiliæ, sæpe & deliriū infestat, ut ex ipsomet colligere possis ardentē febrē intermissionē non hēre. Forte dicendū Aetiū itelligere ꝑ ardētem, qm̄ illā synochę cōparat, ardētem biliosam ꝯtinuā, non tñ quæ materiā hēat ꝓpe cor, uel in iecore uel uētriculo, alioq̧ sibi ipsi & ueritati opponeret. uel itellexit purā tertianā, quę & ipsa inter ardētes numerat. Forte dices, igit scd͠m Aetiū, imo & scd͠m Paulū dat febris sanguinis, quā negat Galenus. Rñdemus Galenū posse hoc dubiū soluere, qm̄ īqt in. 2. de differē. feb. cap. 9. nō dari febrē sanguinis, qa semp hēt mistā bilem uel pituitā, uñ hi authores uocabāt qdem febrē sanguinis gratia distinctionis, qm̄ adest sanguis cū bile, sed nō est ex puro sanguine. Ambiguitas uero quę est in Arabibus ob id fit, qa Auer. l. 4. collect. cap. 28. cēset causonē fieri à cholera zinaria (ut eius utar uerbis) i. æruginosa, aut prassinea, & cēset accessionem huius esse longam ob illius humoris inobediētiam ad coctionem. At Auer. pace dixerim, me nunq̄ induci posse ut arbitrer ab his bilis generibus posse fieri causonē, quoniā cū abūdant, semper faciūt letales ægritudines. neq̧ induci possum ut arbitrer in mēbris in

quibus

quibus est harũ febriũ minera, quæ à Galeno iudicãtur, iecur stomachus,& partes cordi propinquę tantã huius bilis portionẽ colligi posse,ut febrẽ facere posiit, nã prius q̃ febrẽ hãc incideret homo moreretur. minus uerũ arbitror quod dicit accessionẽ esse lõgã, quia breuissime illi intereũt, qui his generibus bilis abũdãt. Scito pterea ex l. 9. methodi colligi ardẽtes febres per inediã fieri,& in. 10. Methodi mẽtionẽ facit febris ex inedia, quæ trãsit in ardẽtem post in heticã,& in libro de theriaca ad Pisonẽ docet à dipsade morsos ardentem febrem incidere, quoniam habent ardentis febris symptomata.

Forte aũt ob p̃dicta petes, quæ sit minera,& qui ,pprius locus in quo hęc materia putrescit, quæ febrẽ facit ardẽtẽ. Rñdemus Galenũ in huius partis cõmẽtatione uoluisse esse duplicẽ huius materiæ locũ· unũ pticularẽ, alterũ uniuersalẽ· uniuersalis est, cũ in toto est corpore, pticularis cũ in aliqua parte,& p aliquã partẽ, pticularẽ intelligit tã extrinsecã q̃ intrinsecã, in pticularibus partibus facit erysipelas,& non uocat hunc affectum causonẽ, causus uero est, si p totũ fit corpus, uerum & in alijs locis ponit esse ardẽtẽ febrẽ quãdo materia fuerit uel ,ppe cor, uel in uentriculo, uel in iecore, unde post hęc talia edocebis, erit ergo bilis tenuis, quæ putrescens inflãmabit, aut in toto corpore simul cũ sanguine, aut in iecore, aut in locis prope cor, aut in ore uẽtriculi. Et si dicas igitur & tertiana cõtinua erit causus, cũ & ipsa ex bile fiat & tenui. Rñdemus Galenũ. 59. Aphorismo. 4. libri hoc fateri, imo & in intermittente inquiens, tertiana febris ab ea quæ ardens nominatur humore faciẽte nõ differt, utraq; enim à flaua bile fit. differunt aũt, quoniã febris ardẽs habet in uenis unà cũ sanguine bilẽ abundantẽ et ebullientẽ, tertiana uero eãdẽ bilem habet in toto corpore latã & motã. unde & in libro de palpitatione, tremore, rigore,& conuulsione inquit, tertiana est genere ardẽs, postea sequitur, hoc.n. solo distãt ab ardẽte tritæi. Ardentes.n. in uasis bilẽ delatã, tritæi p sensitiua loca extra habent, super quibus dũ fertur acuitate lędens dolorẽ infert. est ea in parte in qua probare intendit rigorẽ fieri à bile. in libro quoq; de morbo℞ tẽporibus inquit, tertiana febriũ deterrima, q̃uis in primo ad Glauconẽ dicat esse oium mitissimã. intellige ob morã longã quietis, quã habet, in secundo de symptomatũ causis ait, quid quod tertianæ febres, q̃ oium febriũ maxime biliosæ calidæq; sunt, omnino maxime horrore infestant. & in secundo de crisibus cõparans ↄtinuas febres interpolatis, exquisitã tertianã compat ardẽti exquisitæ, ponitq; eo loco illa℞ differentiã, simulq; ostendens quæ sint hæ exquisitæ,& de eo℞ genere tractat. quæ & Aetius ↄsiderãs lib. 5. ca. 76. d cebat, cõtinuæ febres eiusdem generis sunt cũ intermittẽtibus. eiusdem generis intelligo, ut tertiana exq̃sita cũ exq̃sito causo. exq̃sita enim febris ardẽs oẽs in se cõtinet notas, quas ẽt exq̃sita tertiana, hoc solũ ab ea differẽs, ꝙ neq; cũ rigore inuadit, neq; in quietem desinit, tñ & differt loco, q̃a tertiana intermittẽs materiã colligit extra uenas, sed causus in uenis est ,ppe cor, uel in uẽtriculi uenis uel iecoris. et Apho. 2. lib. 4. Galenus dicit febrem ardentem & tertianam notare bilem peccare.

Petes uero cũ ab Hipp. dicat fieri tp̃e æstiuo cũ uenulę exiccatæ trahunt ad se biliosos humores tenues, an alijs tp̃ibus fieri possint? Rñdemus Galenũ exponere p æstiuũ tp̃s, nõ q̃dem æstatem, sed tp̃s calidũ & siccũ, uel in autũno fit uel ĩ uere, uel in ipsa æstate, tñ quocũq; tp̃e fieri põt iuxta Aphor. 3. libri oẽs morbi in oibus tp̃ibus fiunt. neq; necessariũ est uenas esse semp exiccatas, quæ ad se biliosos ichores trahãt, sed illi humores põt ex uictu, ex regione, ex exercitio, & ętate paulatim generari, postea accẽdi,& ita absq; ulla attractione fieri, tñ utplurimũ fiet æstiuo tp̃e, in regiõe calida, in hoie uigẽtis ætatis, in corpus exercẽte,& in eo qui cibis biliosis fit usus. raro fit hyemis tp̃e, in sene, in eo qui ociat, in cibos edente pituitam multiplicãtes. At tu Arist. huc adduces oppositũ sentiẽtem. 14. ,pble. Sectio. ,pble. 3. ubi quærit cur potius in frigidissimis terris ardores febriũ fiunt. Rñdet, an ꝙ frigus calorem intus circũ obsistit, cuius rei ↄtrariũ æstiuo tp̃e agit. partes nãq; infernæ frigidiores reddunt. ardor aũt febris est, ergo partibus refrigeratis exterioribus caloris copia interiores redundãt, pfecto si Arist. ita simplr intelligeremus, ut pro maiori parte ardores in frigidissimis fiãt terris, ab illo dissentiremus, sed intelligimus Arist. idem in hoc libro uoluisse, qđ Gal. 34. Aphor. 2. libri docebat. s. dua℞ febriũ magnitudine ęqualiũ illã esse lõge maiorem quę fit hyeme, qm̃ igni similis est qui in aqua accendit. Idem puto Arist. hic uoluisse, nõ ꝙ ,p maiori parte fiãt in frigidissimis terris causones, sed cũ magnæ fiãt febres in frigidissimis locis, illas esse ardores. & qđ de loco dicit ad ætatem applicato, ad anni tp̃s, & ad huius generis reliqua. uñ Arabes oẽs dicunt, nõ fieri in hyeme, nisi ob magnã uiolentiam. & Gal. in. 2. cõment. in. j. epid. Sect. 7. ait, febres ardentes in ortu canis potissimum fieri, qñ suapte ratione corpus excalfacit.

At dices, nõ uideri saltem fieri posse in senioribus, q̃a ætatem iã frigidã ↄtraxere, tñ in Apho. 30. libri. 3. Hipp. inq̃t fieri ardores ĩ illa ętate q̃ est primũ seniũ, nã ut eo loco notat Gal. hi sũt, q̃ post q̃nitã sunt septimanã, ig̃ & ĩ senio fiũt ardores. Rñdemus posse quidẽ fieri, sed potius esse ex ĩordinato regimine, q̃ ex ipsa ętate, uel ardorẽ ĩtelligi fieri post quintã statim septimanã. At hoc dici non debet, quoniã uidimus febre ardente captos sexagenarios,& supuixisse, idq; fuit ob morã sub sole, imo erat septuagenarius, socer meus Mag. Hieronymus Robertus. unde nõ ab re Auer. in. 7. collect. suarũ annotauit, nõ posse fieri tantã in senioribus caliditatẽ nisi ob regimẽ inordinatũ, tñ ĩ senioribus semper periculosior est, minus periculosa in iunioribus. Forte petes an in pueris sit magis uel minus p̃iculosa. Auicẽna lib. 4. fen. j. tract. 2. cap. 61. dicit, in pueris & in infantibus fieri leuiorẽ ob eo℞ humiditatẽ. At tu ex opposito dices fieri uehemẽtiorẽ in infantibus, idq; necessario, quia humidi sunt, humiditas uero ardori repugnat, unde si fiant, à uehementissima causa fieri necessariũ est. Dicere possemus ardorẽ febrẽ esse, quæ potissimũ ĩ caliditate cõsistit, caliditati uero plus resistit senex q̃ infans, quia senex est frigidus, infans calidus, unde si causus in sene cõtingat & puero. est multo maior in sene, q̃ in puero, q̃a seni ĩflãmari repugnat, nõ aũt puero, utpote qui sit calidus. tñ caliditas nõ potest esse ualde acuta in humido. cum ergo causus febris sit et non necessario sicca, sed bñ calida, ,ppterea dicemus posse ĩ ĩfante fieri, esse et minus p̃iculosũ, q̃ ĩ alia ętate. At dices & à causa sicca necessario fieri, cũ & Hippocrates sitim ponat ueluti symptoma ẽentiale. Rñdemus oino si ad ęq̃lẽ siccitatẽ deuenirẽt infans et senex, peior multo esset in infante, quoniã natiua humiditas esset exiccata, quę cũ exiccata est, difficulter restauratur, unde æquali portione facta semp ẽ peior in infante q̃ in sene, raro tamen est ut in infante tã uehemẽs fiat q̃ in sene, ,ppterea in infante mitior est, q̃ in sene, unde Auicẽnæ pace dixerim, si p ęquales causas fiant in infante & sene, in infante longe uehementior est q̃ ĩ sene, ad temperaturas cõparatione facta, sed acceptis causis morbi æqualibus semper infans minus patietur q̃ senex ob humiditatem.

Pro exquisitiori uero huius partis notione, ab re non erit febris definitione supposita quæ est esse calorem p̃ter naturã accensum in corde, & p totũ corpus diffusum per febrium genera cõsiderare in quo sit genere causus. est primo una febriũ differentia, ĩ intermittentẽ,& nõ intermittentẽ. intermittens ex bile fit, et tertiana uocatur, ex pituita quotidiana, ex atra bile quartana, denominant & eisdẽ noibus nõ intermittentes, modo ab eadem dependeãt materia. potest & addi genus aliud febris, febris erratica nũcupatũ, uel ordine carẽs, quoniã neq; habet nõ intermittentis ordinẽ, neq; alicuius ĩtermittentis. & si dicas nõne adsunt & quintanæ & sextanæ & octonę? Rñdemus adesse quidem, sed reduci posse ad quartanã, quia ab eadem fiunt materia, pura atrabilari. p̃termittimus & nunc heticas et ephemeras, quoniã primæ nulli innitunt materiei, scđæ solũ in spiritibus fundãtur,& nõ in humoribus. at necessariũ est causum in humoribus esse, alioq nõ esset ob fuctũ uena℞. cũ ergo ardens febris de genere sit nõ intermittentiũ,& multę sint nõ ĩtermittentiũ species, q̃a uel accessiones habent q̃ à principio unũ modũ seruãt usq; in finem totius febris, et si hoc habẽt uel p̃cise cã-

dem seruāt intēsionē à principio in finem uel semper augentur usq; in finē, uel semp minuūtur usq; in finē, primæ nūcupātur omotenę, secūdæ augmasticæ, tertiæ peraugmasticæ, hæ uocātur febres unū modū seruātes, à recentioribus uniformes dicuntur, tū alter est nō intermittētis febris modus, cū non intermittēs est, tū semp in eodē tenore nō manet, nec semp augeť, uel semp minuitur. Galenus secūdo de differētijs febriū ppe libri calcē inquit, Reliquum est id febriū genus, quæ synochæ uocātur, quarū uniuersum tps una accessione finitur, quæ uel semp in eodē uigore psistit, uel minuitur, uel augeť donec iudiceť, hę uero oēs ex tali causa ortū hñt, qualē Praxagoras existimabat, humorū uz, in caua uena putrefactionē, q̄q̄ absolutior ac uerior sermo hūc ī modū diceretť, q̄cūq; p circuitus aliquos ęgritudinū accessiões fiūt, ex mēbrorū dispōnibus ortū hñt, q̄. s. mēbra uł mittūt, uł suscipiūt, uel generāt, uł attrahūt superfluitates eo quo nup diximus modo, sed quæ circuitū nō hñt, ī his nulla est corporis pars, quæ pręcipue sit offensa, sed q in uenis & arterijs oibus cōtinētur humores, atq; hi p̄sertim q in maximis atq; plurimo calore abūdantibus sunt, aut ob aliam q̄uis cām, quēadmodū in ephemeris, aut ob putrefactionē feruētes, febrē accēdūt synochā appellatā, quæ à principio usq; ad finē nullā hz itermissionē, ac tādiu pseuerat, hoiemq; deuit, donec q ei cām afferūt humores, aut ex toto absumanť, aut coquanť, aut utrūq; patianť. ut hinc colligi possit, cum materia quæ febrem inducit in uenis magnis sit, & ibi putrescat, uel sit ī oibus uenis, uel in his saltē quæ sunt ppe cor, semp febris quæ fit eodē modo procedit, & accessiones habet, quæ eundē perpetuo seruant modum, & uniformis febris à recentibus uocatur, uerū si materia quæ putrida effecta est, non sit in uenis magnis, sed fuerit ad paruas expulsa, ut ad uentriculum & iecur, ad lienē, & intestina, tūc febres quę fiunt, nō seruāt eūdem modum, sed accessiones uocantur difformes, est ergo causa cur febris habeat diuersas excrescētias, materiā à magnis uenis ad alias partes expelli, & est intermittens cū à paruis uenis materia ad extrinseca mitiť, uel ad aliquā cauitatē. ardens uero febris est ex omni genere harū cōtinuarum, tamen potissimum est in habentibus totum causum uniformem.

Forte petes quænā sint illę uenulæ, an sint capillares, quia cū hæ sint uenulæ, reliquæ sunt maiores? Rñdemus nō intelligere uenas capillares, q̄uis dicat τὰ φλεβία .i. uenulas, sed intrinsecas uenas potius intelligit, uel iecoris uel prope cor, uel uentriculi, quę nō sunt magnæ. Et si dicas cur potius extrinsece non trahūt ab intrinsecis de more? Rñdemus qa itrinsecę nihil hñt qd tribuāt, icirco ipsæ ab extrinsecis trahūt, et à capillaribus, & à carne ipsa, pręsertim cū tempus ęstiuum, et regio, et ętas, & anni tempus expetierint, & exercitia.

Petes uero hic qua ui trahant illæ uenæ has materias, nempe est uia communis ab Auicēna sumpta, trahere ratione uacui, ut ingt lib. j. fen. j. doctri. 6. summa prima. ubi ipse ponit attractionem fieri, aut uirtute attractiua, ut magnes trahit ferrum aut ī plēdo uacuū, sicuti aqua trahitur in azaracha. i. fistula per quā ascēdit, uel ui caliditatis ut in lampade attrahiť oleū, q̄uis & hoc reducať ad uacuū, qa exiccato priore oleo quod in lychnio est à lucernæ calore, ne lychnij partes uacuæ maneāt, oleum trahiť. Cōmuniter uero si ab his peteres recentibus, quomodo uenæ istę trahunt, dicunt id facere rōne uacui, nam exiccatæ sunt & uacuæ, ne detur uacuum ad se trahūt? At inquies quomō possunt trahere ob uacuū, si uacuū non est? Rñdemus si intelligas uacuū id esse quod actiue trahat, uacuū attrahere dici nō potest, cū uacuū non sit. si uero intelligas à uacuo finaliter fieri attractionē, hoc duobus modis intelligi potest, uel p se, uel p accñs· p se uacuū finalr attrahere non pōt, qa uacuū dari non pōt, at uacuū pōt pfecto (ut recētiorū more loquar) finalr per accidens trahere, nam ne uacuum sit trahitur.

At dices, nondum scio agētem causam attractionis. Respōdemus sm Auicē. est calor, nam uis attractiua in caliditate cōsistit, uenæ aūt illæ exiccatæ sunt magis calidæ, q̄ prius, ppterea attrahūt quicqd est circūcirca ne sint uacuæ. tū hęc sentētia ad unguem non satisfacit, qm ut illæ sunt uacuæ in qbus fit minera causi, ita aliæ uacuanť, & exiccanť. cur igiť hæ intrinsecæ ab extrinsecis potius trahūt, q̄ extrinsecæ ab intrinsecis, quæ sunt magis assuetæ ab illis trahere? forte dicerent, qa cū corpus est, in indigētia & penuria, tūc per oppositū uenæ intrinsecæ trahunt ab extrinsecis, & lz hoc sit præter naturam, tū fit a natura potius q̄ se ipsam perire dimittat. At sm Gal. Galeniq; sectatores si causam attractionis illarū uenarū inuenire tentemus. s. qūo attrahāt, reperiť duplex uis attractrix· una cū motu locali, altera sine motu locali. cū motu locali est ueluti gula quæ ascēdit mediātibus suis fibris, cū cibum sumere intēdit, & uētriculus mediāte gula. sine motu locali, magnes trahit ferrū applicās uirtutem suā ad ferrū. in nostro ēt corpore reperiť sine motu locali attractio, quæ est in oī membro attrahente ad se nutrimētum, qd' illi conueniēs est, & hoc fit per quādam similitudinem, neq; attrahunť alia q̄ similia, sicuti per similitudinem quādam substātialem magnes trahit ferrū sed'm Gale. & scamoneū trahit bilem. quidam putāt uenulas attrahere per hanc attractionem sine motu ex similitudine, & q̄uis id attrahāt qd neq; est bonū, neq; simile, id est qa nihil aliud adest qd' attrahāt, & ratione carēt, unde illas attrahūt materias ēt si lædātur. alij uolūt attrahere per motū localem, idq; fieri dicūt per suas fibras. nam Gal. 3. de natur. facult. inquit, uenas habere unam tunicam, & tria fibrarū genera, icirco attrahent per fibras rectas. qd' & Gal. sentire cēsemus. ex dictisq; cognoscere ēt potes attractionem à simili fieri sed'm Gal. q̄uis illā neget Auicēna, & qui illū sequunť. unde uenæ per uillos attrahūt, & à similitudine ichoras, & q̄uis obsint, tū illos attrahūt ac si sint sibi ppria, quia absq; ratione attrahunt, & cum nihil aliud adsit, q̄ hoc quod attrahere possint.

Petes, cur potius denominetť causus ab ardore, q̄ à putredine quam habet. Respondemus, putredinem non esse longe uehemētem in his ardētibus, sed multo maior est uehementia caloris, hæcq; caloris uehemētia magis persentiť, q̄ putredo, hinc denominationem potius habuit à calore q̄ à putredine, nam à bile fiūt naturali accensa.

Petes qui pprie sint ichores. Respondemus, nos de re hac in Galeni cōmentatione acturos esse.

Sed inquies, qūo sunt humiditates si sint biliosæ, cum biliosa sicca sint, & non humida. Respondemus, intelligēdum esse p humiditates humores, nā quilibet humor ratione qua humor, est humidus. i. liquidus, & ita hi ichores sunt humidi. i. liquidi et fluxibiles. In quo significato nuncupanť humores, & quatuor sunt, lz duo sint uirtute sicci, tamen actu sunt humidi.

Aestiuū anni tempus dixit calidum & siccum, siue ultimo uere fuerit, siue prima ęstate, siue in horum temporum mediis uel extremis, siue primo autumno. Quòd aūt aeris nos ambiētis temperamentum dispositionem corporis secum mutet, siccum quidem ad picciorem, humidum uero ad humidiorem, in commentarijs epidemiorum morborum est demonstratum. Quòd item & anni tempus mediocre & temperatum naturalem seruet temperaturam, cęteris quæ in uniuersa uictus lege agunt homines modo habentibus simili. Demonstratum præterea, & corpus quod à naturali moderataq; conditione sese alienauit, commutauitq; id, propter quod alienatū est & commutatum, ob illud peculiari egere auxilio, ut arefactum humectatione, humectatū exiccatione, calfactum refrigeratione, & refrigeratum calfactione. Cum igitur ob aliquam rerum quarum exempla dicit Hippocrates, circunstantiam uenulas aliquas qualibet in parte corporis exiccari cōtigerit, à uicinis partibus trahunt hæ humiditates. Si ergo quæ ad arefactas uenas feruntur humiditates, ut substantia humidam naturam, ita & uim humectatoriam habuerint, pars naturalem commoderationem recipit. Verum si humiditas qualitate acris fuerit, & facultate siccatoria, corpus incenditur: ut si ex nobis quispiam siticulosus effectus liberaliter biberit uel uinū, quod quia aqua marina largior mixta sit, tethalassomenon dicunt, purum, uel aquam salsam. Scio equidem me aliquando ex æstiuo itinere

GALENVS.

siticulosum

sitibulosum redditum, bibisse uini ueteris paulo sincerioris calicem unum, atque ex eo sitim magis auxisse, non placasse. Vt igitur nos quanquam mente quę appetitum moderetur prędit interdum quidem neglігentius, interdum autem & incontinentius, atq; etiam cum i promptu melius non sit, ad potum aliquem qui & salsus & acris sit peruenire cogimur, sic & uenarum facultas attractoria perpetuo uicinis ex partibus humiditatem attrahit, substantiā ipsius qualisnam sit, nullo pacto discernens. Ratione etenim caret, qua quippiam ex meliori scrutari possit, sed ut pueri brutaq; ad casu oblatum humidum cū sitiunt irruunt, hoc pacto et illa. Si ergo in una quapiam corporis parte affectio ea fiat, in ea solum qui erysipelas referat, affectus quispiam erit. Verum si uenæ totius corporis supra modum exiccatæ calidas carnosis è partibus humiditates traxerint, in toto corpore fiet quæ causum referet affectio. Causus uero proprie dictus nō caliditatis quę per totū fit corpus præstat modo uehementia, uerum quoque & siti. Nam sitis in eo uehemens est, & incompescibilis. Deest ergo præsenti dictioni de causi generatione sermo de partibus, quē nos nuper adiecimus. Nempe in una corporis parte quæ ius illa fit, interdum causus gignitur, interdum & toto in corpore. Verum cū in toto fit corpore, sitim omnino parit: cum uero in una parte, non de necessitate, nisi pars ipsa sitim pariat. Omnium autem primum & maxime id facit uentriculi: deinde uentriculus, atque ab eo stomachus, post pulmo, et subinde ieiunum intestinum. Vtrum igitur ita tantummodo fit causus ut dixit, cum scilicet acres & biliosas q̃ tenues sunt humiditates ad se traxerint uenulæ? An ne & carne id ferente erit causus? siue in parte una, siue toto in corpore pati eam contigit? Ostendimus etenim eam uim habere eorum quorum indiga est attractoriam. Preterea & fieri potest ut modo altero similis affectio fiat. Modum alterum dico cum ex ualidioribus partibus ad imbecilliorē aliquam mittantur excrementa. Nempe quòd membris singulis ut attractoria, sic & expulsoria insit facultas, est declaratum. Fieri ergo pōt ut interdū quidē ex parte una, interdū ũo & ex pluribus acres & biliosæ quæ tenues sint hūiditates exacte ad dictas fundanī particulas, quæ. s. imbecilliores sunt. Quòd Hippocrates ἰχῶρας, tenues humiditates appellet, liquido constat.

BRASA VOLVS

Primo Galenus notat Hippocratē uocasse ęstiuū anni tempus, quoties cōstitutio fuerit ualida & sicca, siue hoc cōtingat in ultimo uere, siue in prima ęstate, siue in medijs hoꝝ tpm, qa apud Gal. tps q̄llibet i quatuor diuidiī partes, uel sit in hoꝝ tēpoꝝ extremis partibus, uel in primo autūno. imo adde tu & in qualibet autumni parte, & in ipsa hyeme, si caliditas ac siccitas cōtingāt, diciī tempus æstiuū, q̄uis Galenus de hoc nō dicat, quod in nostris regionibus esse nō potest. Sciēdūq; esse differētiā inter tēpus ęstiuū & ęstatē ipsam, quia æstas sua habet statuta tēpora quæ nō fallūt, tēpus uero ęstiuū. i. tēpus quale esse debet i ęstate, potest esse quocūq; anni tempore, quoties fuerit calida et sicca cōstitutio. Ad hoc igitur ut tēpus aliqđ ęstiuū sit, satis est has qualitates habere. Ad hoc aūt ut sit æstas exigitur ut suis fiat statutis temporibus. Sed petes si possit esse & tēpus æstiuū in hyeme, & in fine autumni, & in principio ueris, ut dictū est, cur Galenus de his mētionē non fecit? Rñdemus qa rarissime hoc cōtingit ut haec tēpora sint calida & sicca, uel Galenus iudicauit nunq̄ apud nos posse hoc cōtingere. At dices à recētibus medicis scriptū esse, semp esse æstatē quādo tēpus est calidū & siccū semp hyemē, quādo frigidū & humidū. Rñdemus hos recentes decipi secūdū Galenū, nō enim dicere debent æstatē uel hyemē, sed potius æstiuū tēpus, & hyemale tps, ac si dicaī tēpora æstati & hyemi similia, nō tñ sunt ęstas & hyems, qa re uera nō est æstas i prima autūni parte, licet sit calida & sicca, & bene seruātur ęstatis qualitates, neq; est hyēs i prima parte ueris quādo fuerit frigida & humida, sed hyemis qualitates seruabit, tñ nō erit hyēs, nā si tēpora scđꝫ qualitates denoīarenī, nunq̄ Hipp. in. 2. apho. 3. libri dicere potuisset hyemē australē, & uer aqlonīū, qa cū eēt aqlonīū. i. frigidū & siccū, nō eēt uer, & cū hyems calida esset, non esset hyems. iccirco probe dixit æstiuum tempus, non æstatem.

De anni temporibus.

Veꝝ cū annus apud astronomos in quatuor tēpora diuidaī, et cū unicuiq; tēpori dēt tres mēses, petes an & haec diuisio esse possit apud medicos? Rñdemus et apud medicos eē eodē modo distincta tēpora, ueꝝ scđm qualitates unū plerūq; alterius naturā pticipat, & ipse aliqđ repiri poterit, qđ sm dieꝝ cursuꝫ erit qdē uer, uel æstas, uel autūnus, uel hyems, tñ alterius tpis qualitates habebit. At distictionē tēpoꝝ anni penes regulā petes. Rñdemus, scđm astronomos tūc uer est, cū sol primū Arietis gradū igrediī, æstas cū primū Cācri gradū subit, autūnus cū primū Librę, hyems uero cū primū Capricorni gradū apit. Nostro tēpore iter. 13. & 14. Martij uer icipit. æstas inter. 13. & 14. Iunij. autūnus iter. 13. & 14. Septēbris. hyems iter. 13. & 14. Decēbris. hęc scđm astronomos. unde annū in quatuor partes diuidūt, & unicuiq; parti tres dāt mēses, quos & Varro primo de re rustica secutus est capite. 27. tñ in. 28. capite in tēpoꝝ distinctionibus differre uideī, qa primū ueris diē i Aq̄rio facit, primū æstatis i Tauro, primū autūni i Leone, primū hyemis in Scorpione, cēteꝝq; diē. 23. uniuscuiusq; hoꝝ signoꝝ quatuor eē primū diē quatuor tēpoꝝ, unde hoc mō cōputātes, uer habet dies. 91. ęstas. 94. autumnus. 92. hyems. 89. uerū qa nō loquebaī sm dies ciuiles, ppterea reducēdo ad dies ciuiles, primus dies tēporis uerni extat ad septimū idus Februarij. i. septimo die eiusdē mēsis. primus dies æstatis ad septimū idus Maij, . i. 9. die Maij. Primus dies autumni ad tertiū idus sextilis. i. undecimo die Augusti. primus dies hyemis extat ad tertium idus Nouembris. i. undecimo die Nouēbris. Aliā deinde facit anni diuisionē, quā diligētiorē eē tradit, nā i octo partes annū secat, primā ab Fauonio ad ęqnoctiū uernū dies. 42. hic ad uergiliaꝝ occasum dies. 44. ab hoc ad solstitiū dies. 49. inde ad caniculæ sidus dies. 29. deinde ad æqnoctiū autūnale dies. 67. exinde ad ũgiliaꝝ occasum dies. 32. ab hoc ad brumā dies. 57. inde ad Fauoniū dies. 45. et ita uir diligētissimus scđꝫ hāc sectionē oīa rusticana opera partiī. Plinius & ipse ex sideribus anni tēpora distinguit lib. 18. cap. 25. ubi inqt fidiculæ occasus autūnū inchoat die. 45. at ab ęqnoctio et ad brumā, uergiliaꝝ matutinus occasus hyemē die. 43. inter brumā & ęqnoctiū die. 45. flatus Fauonij, uernū tēpus. ab ęquinoctio uerno initium æstatis die 48. uergiliarum exortus matutinus.

Ad Hippocratem uero, Gal. & alios authores medicos redeamus, qūo ipsi annū partianī cōtēplātes, nā Hippocr. & Gale. scđm anni tēpora, & humores uariari, & diuersas gigni ęgritudines cēsuerūt, et plerūq; cessare, unde i pricipio libelli de aere, aquis & locis iubet Hipp. obseruādas eē & pcauēdas magnas annoꝝ mutationes, & in libello de hominis natura humores p anni tēpora mutari docet, q̄ in plerisq; locis à Gal. lōgius explicata sunt. sed ad rē ipsam redeūtes Hipp. i. 3. de ratione uictus, quē plerūq; Gal. adducit, & nōnūq; sub noīe Hipp. q̄uis aliàs iudicauerit aut Thessali eē, aut Herophili, i frōte ferè huius lib. scriptū est, plerīq; annū in quatuor partes, quas multi norūt diuidūt, hyemē, uer, ęstatē, autumnū. hyemē qdē de uergiliaꝝ occasu usq; ad uernū æquinoctiū. uer aūt ab æquinoctio usq; ad uergiliaꝝ exortū. æstatē ab uergiliaꝝ ad arcturi exortū. autumnū ab arcturi ad uergiliaꝝ occasū. hæc i frōte lib. de aere, aqs, & locis uult psiderāda, & diligētissime solstitia & æquinoctia psiderāda cēset, et potissimū autūnale, qa iqt eē piculosa. Gal. & ipse uarijs i locis de quatuor anni tēpoꝝ distinctione agit, unus est locus i. 3. aphorismoꝝ aphorismo. 14. ubi iquit, ortus pleiadis pricipiū est ęstatis, postq; canis ortus, operā. i. fructuū generationē inchoat, quā & ipsam p scđa ęstatis parte ponūt, post hūc arcturus oriēs initiū facit autūni, deinde occasus pleiadū hyemis pricipiū facit, deinde qđ hyemē sequiī ęquinoctiū principiū ueris habet. ita Gal. pcitato loco anni tpa distinguit, & in medio ferè tertij de diebus decretorijs libri iquit, quatuor anni tpa clarissimoꝝ siderū exortu distingui, sed amplissime de his quatuor anni tpibus ā Gale. agiī in primo cōmētarioꝝ rū supra primū de morbis epidemicis Hipp. sectione scđa, ubi inqt, Atq; est ad oēm ppositā disputationē cū primis necessariū unaquaq; i regiōe, ubi obire medicā artē istituimus, cuiusq;

p̃spexisse sideris emersus occasusq;, q̃a tp̃a anni ab his circũscribunť. sed ut breuibus quę eo loco dicunť repetã, aliàs partẽ illã iterp̃taturus, q̃ lõga et exq̃sita eget iterp̃tatiõe. sibi ipsi igiť p̃ecit in tertio aphor. nã cẽset uer icipere in ęqnoctio uernali. æstatem i ortu pleiadũ uel uergiliarũ, nã q̃ à Græcis pleiades, à Latinis uergiliæ dicunť. Oriẽs arcturus initiũ facit autũni. occasus pleiadũ hyemis principiũ est, autũni uero et uer in alias nõ distiguit partes, sed ęstatẽ i duas partiť, hyemẽ i tres partes. duę æstatis partes sũt, una usq; ad canis ortũ, alia ab ortu canis ad ortũ arcturi, et hęc pars opora nũcupať. hyemis partes sunt, media pars, quã uocãt sub solstitiũ tp̃s, et duæ extremę partes, primã uocãt sementẽ, ultimã φυταλιαν, q̃ est iserẽdi tp̃s. pluraq; à Gal. de his anni partibus eo loco dicũtur, q̃ enarrare non est opus, cũ librũ illũ interp̃tauri simus, & multa indigeat in ea parte & speculatione & correctione. Sed petes quãdo hęc erũt tp̃a, cõputantes scd̃m mẽses. R̃ndemus, in p̃nuarũ uer est iter 13. & 14. Martij diẽ, q̃uis Plin. uer faciat flante Fauonio. Incipit ỹo circa septimũ uel octauũ diẽ Februarij flare Fauonius. cũ uero inq̃t ortũ pleiadũ facere æstatẽ, & Plinius dicat lib. 2. capite. 47. exortũ uergiliarũ esse sex diebus ante maias idus, qđ erit nono die Maij, nã idus p̃prie sunt. 15. die Maij. si uero per idus, iduũ pricipiũ itelligeremus, tũc fuisset die secundo Maij. cũ uero autumnus fit cũ oriť arcturus, & arcturus Plin. teste oriať undecim diebus ante æquinoctiũ autumni, autũni uero æquinoctiũ (nostro tp̃e) fit iter. 13. & 14. septẽbris, icirco inter scd̃m et tertiũ diẽ Septẽbris incipit autũnus. at cũ hyems in uergiliarũ occasu oriať, q occasus Plin. teste præcitato loco est in. 3. idus Nouẽbris, hoc uero est. 11. die Nouẽbris, quo tp̃e hyems inchoabit. itaq; habes secundum nostram computationem dierum mensium, quando hæc tempora incipient.

At difficultas quædã oriť nõ cõtẽnẽda, quæ & Hip. & Gal. & Plin. & cæteros oẽs authores uexare uideť, qui annũ in partes s̃m motũ astrorũ cõuenięter diuidi cẽsuerũt, nã astra mutãtur, & ortus uariant & occasus, q̃m sunt in cœ o stellarũ fixarũ, id uero cœlũ singulis centũ annis unũ ascendit gradũ, p̃pterea diuersitatẽ facit ortus unius gradus. unde posito quod Hipp. tempore sidera illa orientia & decedentia diuersitatẽ facerẽt quatuor temporũ anni, et cõsiderata tẽporũ distãtia uidebimus nõ posse eodẽ tẽpore oriri, & ex ɔ̃ñti uariati illa quatuor anni tẽpora, neq; esse fixa neq; stata. cõtemplemur igiť quo tp̃e fuerit Hipp. & quo Gal. & processus motuũ. Soranus in historijs refert natũ eẽ Hip. primo anno octuagesimæ olympiadis, in magistratu existẽte Abriada die. 27. mẽsis Agrianes. Extat uero Hipp. epistola ad Hystanẽ Hellesponti præfectũ, qua recusat ad Artaxersem Persarũ Regẽ proficisci, putandũ uero esse fuisse uirum perfectum, q̃a uocabatur ut Regi in medico munere inseruiret. de hoc Artaxerse scribũt & Herodotus & Iustinus, fuit ante Christi ortũ quadringẽtis sexaginta quatuor annis, quo tẽpore fuit Hipp. uel ibi circa, demi possunt triginta anni at Gal. fuit tẽpore Adriani, Marci Antonij philosophi nũcupati, q fuit anno ultimo. 234. Olympiadis, p̃pterea fuit post Christũ circa cẽtũ sexaginta annos, quo tempore Gal. uigebat. unde inter Hipp. & Gal. tp̃a cõputatione facta, intersunt ferè sexcenti anni, p̃pterea ab Hipp. ad Gal. sidera illa quæ autumnũ faciũt, hyemẽ, & ęstatẽ, ex motu octaui cœli suum locum spatio sex graduũ immutarunt, p̃pterea necessariũ erat dicere nõ seruare eadẽ tẽpora Gal. æuo quæ p̃currebãt dũ Hipp. aura uitali fruebatur. Cõsidera mõ quę sit astrorũ eleuatio & uarietas à Gal. ad nos, q ab illo distamus p̃ spatiũ. 1400. annorũ, ut inter Gal. tp̃a & nostra. 14. graduũ uarietas intersit, & inter Hip. & nos. 20. gradũ uarietas intersit, q̃ uarietas ẽ ferè. 18. pars totius circuitus cœli, p̃pterea inferre intendimus magnã esse assignationis tẽporũ anni differẽtiã, ab Hipp. tp̃e ad nostra tp̃a, q̃ cũ ita cõstent, mirãdũ est cur Hip. hoc nõ uiderit, et Gal. & alij, et p̃ alios motus magis status ãni p̃tiũ diuersitates nõ edocuerit. Nonnulli huic ambiguitati r̃ndere, nõ posse p̃fecto Hipp. & Gal. in hoc defendi, & ex ɔ̃ñti neq; Plin. neq; alios, qui ita annũ p̃ astrorũ ortus partiti sunt, sed illos excusant, q̃a uariatio nõ fit nisi in lõgo tp̃e, p̃pterea mutationẽ fieri nõ cõsiderarũt, sed illud acceperũt ac si p̃petuũ esset. at nobis hoc cõuenire nõ uideť, q̃a Gal. saltẽ q per sexcẽtos annos fuit post Hipp. hoc p̃notare debuit, nã i. 600. annis est notabilis uariatio. s. sex graduũ.

Alij dixere Hippo. & Gale. motus astrorũ ignorasse, & Astronomiã, icirco nõ distinxere p̃ motus, sed tm̃ p̃ ortus astrorũ. Hi quoq; mihi p̃allucinari uidẽtur, quia uane Hip. persuasisset medico, & iussisset addiscere astronomiam in lib. de aere, aq̃s, & locis, & in. 3. de ratione uictus.

Præterea, Gale. in. j. cõmentario in primũ epid. Sectione. 2. de astronomia disertissime disputat, ostẽditq; se uidisse diuersitates Macedonũ, Atheniensiũ, Romanorũ, & Palæstinorũ, & legisse opera Hipparchi sũmi astronomi, quem Plin. lib. 2. cap. 26. dicit esse unũ nunq̃ satis laudatũ, Galenumq; astronomiã nouisse. 3. de diebus decretorijs liber palàm facit.

Alij dicũt Hippocratẽ & Galenũ cœlũ stellatũ non nouisse, & ideo si stellæ orirenť ut Hipp. tp̃e hẽremus, uñ ex ortu stellarũ annũ diuideremus, p̃p̃ea opus est s̃m solis motũ ut moueť p̃ Zodiacũ, annũ diuidere, p̃p̃ea & si stellæ uarienť, tm̃ nõ uariat solem, q̃n faciat anni diuisionẽ, icirco cũ solis motus sit uniformis nũc, ut erat Galeni tẽpore, p̃pterea anni tp̃a p̃ solis motũ per Zodiacũ diuidemus, hinc cũ erit sol in primo gradu Arietis erit ueris initiũ. nã ut in. 3. de diebus decretorijs à Gal. edocemur, sol est sicuti rex, neq; stella aliqua indiget ad suas agendas operationes. Sed & horũ pace dixerim, si ueris principium esse uolũt cũ sol est in primo Arietis gradu, igiť eũdem incidũt errorẽ, quem illi incidũt qui per ortũ siderũ diuisionem faciũt, q̃a Aries est in octauo cœlo, & ascẽdit in cẽtum annis gradum unũ, itaq; ueris principium uariabit, sicuti aliorũ prædictorũ siderũ ortus, imo circa. 15. Martij diem esse solebat, nunc est inter. 13. & 14. imo aliqui inter. 12. & 13. computant.

Nos igiť dicamus Galenũ omnia hæc cognouisse, & in. j. ẽt de morbis uulgaribus innuisse solem illũ esse qui hæc oĩa distinguat, & qui solstitia faciat & æquinoctia. Intelligimus aũt uer esse in æquinoctio uerno, hoc æquinoctiũ nunquã fallit, sed ex primo Arietis gradu deprehẽdi non debet, q̃a tẽporis spatio uariabit, uerũ ex dierũ & noctium æqualitate post hyemem accipi debet. at si astrũ aliq̃d accipiamus qđ nostro oriať tẽpore, tunc debemus posteriores præmonere id nõ semper accipiẽdum esse, quia tẽporis spatio euariabit.

Putamus ergo Hippocratem hæc cognouisse, sed nõ prænotasse, Gal. ỹo & præmonuisse & innuisse in. j. de morb. uulg. Auicẽ. ỹo distinctionẽ facit. primo, s̃m astronomus p̃ Zodiaci quadras. secũ̃o, s̃m medicos, uer esse cẽset in regione temperata. fen. ij. primi, doctr. ij. summa prima, cap. 3. q̃ñ non indigemus multum calefactione, nec refrigeratione, & in ipso incipiũt arbores florescere, autumnus est oppositus, æstas est totum tempus calidum, & hyems est totum tempus frigidum. Vnde tu percipere potes hãc distinctionem ex solis motu dependere posse, q̃a hæc sequitur ad appropinquationem & remotionem solis ad nos & à nobis, neq; id certitudinẽ hꝫ qđ dicitť de arborũ florescẽtia, q̃a modo citius fit, modo tardius arborũ florescẽtia, ut ueris partes sunt calidiores, uel minus calidæ. Quicquid sit, anni tempora per solis motum determinentur, quæ tempora hãc naturam habere debẽt, cum in regione temperata naturaliter cõstant: uer temperatum calidum & humidũ: æstas calida & sicca: autumnus frigidus & siccus: hyems frigida & humida. cum uero contingit hæc tempora proprias immutare qualitates, & alias acquirere, ut si hyems sit calida & humida, non diciť uer, sed tp̃s uernum. & si æstas sit frigida & sicca, non diciť autumnus, sed tp̃s autumnale, tm̃ semper est æstas. Hoc colligitur ex his Galeni uerbis in hoc loco.

Secundo, Galenus notat se edocuisse in cõmentarijs epidimiorum morborum, aeris temperamentum nos ambiẽtis, corporum hominum dispositionem simul immutare, & in suã qualitatem conuertere, unde sicca aeris dispositio hominem mutat ad habitum sicciorem, humida uero ad humidiorem.

Sed petes, cur potius de his passiuis q̃litatibus locutus sit Hip. q̃ de actiuis, in q̃bus uideť ad sensum manifestior mutatio. R̃ndemus, id fuisse in cã, q̃a oĩbus notũ est actiuas qualitates immutare.

tare. de passiuis v'o ambiguũ esse posset. ut igiẽ & simul exemplum daret & ostenderet passiuas etiam qualitates immutare, propterea de passiuis exemplum præbuit.

Scito Hippocratem in. 3. Apho. lib. rem hanc ample edocere, ab undecimo inchoans Aphor. ubi de sicca & aquilonia hyeme, & de uere pluuioso, & australi, uerba fecit. deinde ꝓsequitur & p alios sequẽtes Aph. in qbus palã deprehẽdiẽ qualitates immutare corpora, & ęgritudines iducere. Et si locũ petas in quo hoc edocuerit Gal. est in cõmẽt. j. epid. à. j. incipiẽs Sectione, et p multas Sectiões ꝓsequẽdo, in qbus refert totũ. 3. libri Aph. ubi de his rebus agit. & simul docet regionẽ et ipsaꝫ multũ adiuuare. itaq; imutabunẽ hoium qualitates ex aeris ꝯstõnũ mutatione, & humores tales gignunẽ, quales erũt tpm qualitates. imo si Gal. ꝯsideremus Sect. 8. j. epid. morborꝫ, nõ solũ humores ipsi mutabunẽ, & corporꝫ qualitates, sꝫ ẽt si aer fuerit simul nubilus in pituitosis naturis nebulosa ac nubilosa (ut ita dicã) gignẽ pituita, in biliosis nebulosa ac nubilosa bilis. etenĩ semp aliqs è corpore nostro uapor emanat, sed in siccis ætatibus plurimus, in humidis paucissimus. atq; cũ in corpore hic aceruatus sit, sistem reddit nebulæ & caligini inatũ nobis spiritũ. ęmulaẽ enĩ in ambiẽte aiantes aere spiritũ exhalatio. ut hinc colligi possit, qñ fuerit nebulosum tpe, sicuti in aere eleuanẽ uapores, ita in humano corpore flatus gñanẽ, q humoribus miscenẽ. uñ unũ annotatione dignũ est, Hipp. in eadẽ ꝯstõne Sect. 10. dixisse, Tubercula v'o multis ẽm alterutrã aurẽ, plurimis ẽm utrãq; exorta sũt, febre carebãt, erãt recti, nõnullis parꝫ accẽdebãt, sed extincta oibus sunt citra incõmodũ, nemini q; suppurarũt cuiq;, uti solẽt quę alijs occasionibus extuberãt. ut dephẽdi possit hos tumores resolutos esse, qa erãt ex flatibus ꝓfectĩ, uel magnã saltẽ hẽbãt flatus partẽ, ppea dolore carebãt, et obscure. i. sine putu in pus euanescebãt. At dices, igiẽ quæ à flatu fiũt ęgritudies & affectus absq; dolore, & puris gñone euanescẽt. Rñdemus, de pure ꝓfecto uerꝫ esse, sed de dolore nõ est uerꝫ, nã flatus hypochõdriacus nõ est absq; dolore qñq;, neq; cito abit, sed est lõgus affectus, quiq; difficulter remouet, oino; flatus ab atra bile dependẽs difficulter resoluiẽ, imo supra modũ multiplicari solet. uñ illi decipiunẽ, q putãt de hũore melãcholico nihil dixisse, qa nõ est ita leuis ut ad supnas ptes eleuari possit · at eleuari expiẽtia oñdit, & symptomata uehemẽtia ex ipso fieri in capite, thorace, nuca, & sĩlibus, quæ sunt ex uaporibus ab atra bile in hypochõdriaca passiõe eleuatis, ppea nos dicimus, ne oia referret, & librꝫ nimis ampliaret exẽpl s, solũ duos humores ponere ꝯtẽtus fuisse, uel epidemicos morbos potius faciũt humiditates & siccitates, q̃ frigiditates et caliditates, imo. I his actiuis affectibus morbi epidemici potius cessare dicunẽ, lꝫ de caliditate in tota Italia uerum non uideatur.

Sed ambiguitas hic oriẽ nõ prætereũda. qa hic Gal. inqt humidũ aerẽ hoiem ducere ad humidiorẽ intẽpiem. at Auicẽ. cẽsuit. lib. j. fen. ij. doctr. ij. sũma. j. ca. 3. aerẽ siccũ esse. Hic unũ notare opꝫ, qđ & aliã parit difficultatẽ, Arist. in libris de gñone, & de coelo, aerẽ humidũ facere. tñ Auic. prædicto loco siccũ esse uoluit. & ꝓfecto si purꝫ aerẽ ꝯsideremus, corpa nõ humectat, qđ aqua facit. & facilius est aerẽ ꝯuerti in ignẽ, q̃ in aq̃, ppea necesse est ut plus hẽat sicci q̃ humidi. Rñdendũ est, aliud esse humidũ & siccũ apud phos, aliud apud medicos. Arist. & phi illa uocãt humida quæ alienis terminis claudunẽ, sicca quę termino ꝓprio. Cũ v'o minime oiuꝫ aer ꝓprio termino claudaẽ, ppea humidus uocaẽ. At medici illa uocãt humida, quę in nostra corpora humiditatẽ inducũt. at aer qñ humidis uaporibus plenus est, corpora humectat, ppea in. 3. Apho. ab Hipp. dicĩẽ Aph. 16. in pluuiarꝫ multitudine magna ex parte fieri febres lõgas, & alui ꝓfluuia, quę ad tpis humiditatẽ sequunẽ. at si aer sit uaporibus uacuus potius exiccat, qa agit ex uirtute ẽt à solis radijs derelicta. uñ fateri opꝫ nos duo hẽre quæ semp exiccãt, naturalẽ calorẽ, & aerẽ extrinsecũ. at aer hoc facit ex uirtute ẽt solis & stellarꝫ fixarꝫ, & erronũ, & luminis ac motus eorꝫ. cum ergo aer fuerit purus exiccabit, potius q̃ humectabit.

Sed inquies, cur ab oibus simplr dictũ nõ est aerẽ exiccare, cũ maior pars dicat aerẽ humectare? Scito exiccationẽ quæ fit ab aere, esse fere insensibilẽ, humectationẽ uero esse euidẽtem, nõ qñ purus est aer, sed cũ mistus est humidis uaporibus, ꝓpterea oẽs aerem accepere uelut humectantẽ, & nõ uelut exiccantẽ.

Sed ambiges uideri aerem hyeme plerũq; madidissimũ, uñ non exiccare, sed potius humectare. Respõdemus, non esse uerꝫ q humectet, nisi in se hẽat uapores humidos. cum enim illis caret exiccat lumine qđ ab astris recipit & sole, uerꝫ hoc fit minus hyeme, tũ qa corpora humana occlusos habent meatus, tũ qa raro est hyeme quin aliqd humidi insit aeri, q̃uis oculis & sensu non decernaẽ. At inquies in uno igitur subiecto duo contraria esse poterunt, ut in aere humidum & siccum. Respõdemus non esse in eodem subiecto, nam in aere est siccitas, in uaporibus commistis est humiditas, sed tanta est uaporum miscella cum aere, et tanta uaporum copia, ut aer ipse, is uideatur esse q humectet. Galenus & tertio aphorismorum, & primo epidimiorum censet & siccum posse esse & humidum aerẽ, & hæc est ueritas. Scito autem Galenum intelligere aerem eẽ siccum, & ex se, & ex siccis uaporibus, & ex receptione caliditatis solis & astrorum, neq; hoc Galeni sententijs repugnat in suis libris, q̃uis in decimo Methodi uelle uideatur aerem esse humidum in febris curatione in squalenti corpore sine putredine, id tñ est ratione humidorum uaporũ, ꝓpterea & in primo de elemẽtis docet aquam, ignẽ, & aerẽ nõ reperiri sincera, & ideo utitur & in libro de natura humana Hippocratis, & in libro de elementis potius his uocabulis calido, frigido, humido, sicco, q̃ elemẽtorum nominibus, q̃q̃ deinceps explicet elemẽta quatuor his qualitatibus correspondentia, tamẽ & aerem siccũ fieri, & hic, & in tertio aphorismorum, & in primo de morbis uulgaribus edocuit. Nullus est locus, in quo ꝑcise de aere ut aer est, loquaẽ . i. sincero. cum uero de eo ut humidus simpliciter loquur, in rerũ cõpositionibus uerba facit, ut philosophus, nõ ut is q corporibus applicet, ut experiatur an humectet uel exiccet, quia cum applicat, si humidus ẽ ob uapores, humectat · si siccus exiccat.

Tertio, Galenus notat se etiam in eodem libro primo epidimiorũ edocuisse tẽpus anni mediocre & tempatum naturalẽ tempaturã seruare, modo reliqua q̃ sunt in uictus ratione humana simili modo se habeãt, sint. s. temperata, ut in cibis, potibus, exercitijs, & eiusdem generis reliquis.

Quarto, Galenus notat, se in eodem epidimiorum libro demõstrasse corpus quod à naturali & moderata cõditione distat, auxilia egere, per quod ad tempiẽ reducaẽ, nã arefactũ debet humectari, et humectatũ exiccari, et calefactũ refrigeratiõe indiget, refrigeratũ calefactione, ut id Galenus dicat qđ frequentissime scripsit, temperatam naturam similibus seruari, contrarijs uero dilapsam reduci.

Sed hic ambiges, cũ una sit solum tempata natura, de qua in libris de sanitate tuenda agere uidetur usq; ad sextũ, reliquę sint intemperatæ, ut natura calidi, natura frigidi, natura humidi, natura sicci · igiẽ omnes hi cõtrarijs regi debebunt, si humidi indigent siccis, frigidi calidis, & è ꝯtrario. Rñdemus has naturales tẽperaturas quæ nõ sunt supra modũ auctæ uel sint simplices uel cõpositæ, similibus potius seruari : ut id scire oporteat, omnẽ tẽperaturã naturalẽ, q̃ extreme non excesserit, similibus seruari debere, nõ qa illa similia, naturalẽ illius tẽperaturæ calorem seruẽt, uel sit calida uel frigida, quia est ipse calor qui se ipsum conseruat his similibus, similia uero hæc non infrigidãt. quantũ sit de se, neq; hanc temperiem calefaciunt. non infrigidant, si sint similia · quia si temperatura sit calida, calidis utimur in suo gradu. neq; calefaciunt, quia non excedunt in caliditate temperaturam quæ accipit. idem est de frigidis iudicium, nam corpus cõseruatur cum non alteratur, nõ alteratur uero cũ similia recipit, quæ non sint magis calida, nec magis frigida, nec magis humida, nec magis sicca.

Sed dices Gal. sententiã eẽ ĩ arte medicinali cap. 86. tẽperaturas omnes ad temperiem reduci debere, & ad exactissimum bonæ tẽperaturæ habitum quãdo hoc carẽt: Rñdemus id à Gal. simpliciter nõ itelligi, nos naturas oẽs ad tẽperiẽ reducere debere. sed modũ docet, quo uti debeamus, cum reducere tẽtauerimus, imo eodẽ cap. docet similibus seruãdas esse, et tẽpaturas,

in eo gradu in quo sunt inuētę, nā dicit, Atq; ut simplr dicā, oium quæ corpori afferunt materias qs noscēs atq; potētias, salubribus uteŕ causis, similia similibus afferēdo. Siquidē eius ꝓpō fuerit eadem in qua accepit corpus seruare temparaturam. qd' si ꝑmutare atq; ad melius traducere statuerit, alterę est hic salubrium causarꝫ genus his quidē quas nuꝑ diximus cōtrarium. æqualiter uero declinans ad alterā partem à bene temparis & medijs, quæ optimis cōuenire naturis dicebamus. calidior siquidem tēperatura, à calidioris ac siccioris uictus rōne ad exactissimū bonæ tempaturæ habitū minime transfereŕ. at talium ait usus necessarius, quæ tm̄ eis quæ bene tempata existunt, frigidiora sint & humidiora, q̄uum & natura naturā in caliditate & siccitate supabat. Vt ex Gal. hinc colligas naturales intempies seruare similibus, si uero illas ad melius, hoc est ad temperiem reducere uoluerimus, id fit cōtrarijs. At si à me petas, an hę naturæ calidiores uel frigidiores ad temperiem reduci debeant. Respondemus, melius esse illas seruare in tali qualitate, qualem illis natura condonauit.

At pro exqsitiori notione dicendū arbitramur, si fuerit tēperatura nimis calida, uel nimis frigida, corrigēda est, idq; fit ꝯtrarijs. at si tēperiem supet, tm̄ non sit supra modū, in suo naturali esse sunt seruādæ, qa primæ ꝑ similia effrenitare possent in suā calidissimā uel frigidissimam naturā ducentes, quicqd deŕ qd' sisse sit. Sed dices, Gal. eodem loco. c. 86. cap. lib. artis medi. scriptū reliqsse, semꝑ esse ad meliora trāsferēdū. igiŕ & tēpaturę q nō multū excedūt, ad melius trāsferri debēt, & ita ad exacte tēꝑatā reducēdæ erūt. Rñdemus, Gal. in eodē loco dicere, id faciēdū, qn̄ plurimū suppetit otij, & hoc in occupatis hoibus fieri nō oꝫ, qui uero sunt occupati circa negotia. ita enim Gal. ingt. nam cū plurimū suppetit otij, corrigere oꝫ, ac sensim ad meliora trāsferre. neq; enim natura patiŕ eas quæ subito fiūt alterationes, hoiem uero necessarijs occupationibus districtum in eodem præstat habitu ꝯseruare. ut uideas Gal. uelle solos otiosos esse ad tēperiem reducēdos, qa id paulatim fieri debet. cum aūt nulli sint otiosi, ꝓpterea illi non sunt reducēdi. & si ēt de otiosis loquamur, qs est calidior tempatura, alioq in sua tempie sanus uel frigidior qui uoluerit reduci, ipse medicum desideret q id illi ꝓponeret, ꝓpterea melius iudicādum qd' dicebat similibus hos esse seruādos. uñ generalr loquendo tempatura mediocris seruāda similibus. Intēperies naturales. i. quæ nobiscū oriunŕ, seruādæ similibus, quæ uero sunt præter naturam, sunt ꝯtrarijs corrigēdæ. & hoc est qd' hic Gal. dicit, arefactū humectatione indigere, humectatū exiccatione, infrigidatum calefactione, calefactū refrigeratiōe in his q lapsi sūt ad has intēpies. Tm̄ multæ sunt ꝓpōnes hincinde apud Gal. sparsæ, quæ nonnunq; hoc ꝓbare uidenŕ, nōnunq; ab hoc dissentiūt. In. j. de sani. tuē. & in. 4. eiusdem uolu. lib. tempatam naturam similibus seruari docet, intempatam cōtrarijs. & in. j. de alimē. facult. in fronte ait, moderatam tempiem indigere tempatis, & imoderatam ꝯtrarijs. & in. 2. Aphor. 3. libri Hippocrates dicit, naturarꝫ hæ qdem ad æstatem, hæ uero ad hyemem bene male' ue se habēt. Gal. in huius partis cōmen. ingt, Vna qdem tempatura bene tempata atq; optima, male aūt tempatæ & uitiosę numero octo, quatuor qdem scd'm qualitatem excedētem, quatuor uero alię scd'm duas. scd'm unam qdem calida et frigida, sicca & humida. scd'm uero duas, calida & sicca, humida et calida, frigida & humida, frigida & sicca. Ad æstatem qdem frigidæ & humidæ naturæ optime afficiunŕ. ad hyemem uero calidæ & siccæ. sicuti & male afficiunŕ calidæ & siccæ ad æstatem, frigidæ & humidæ ad hyemem. In lib. pręterea artis medicinalis cap. 86. Gal. palàm dicit calidas naturas calidis, frigidas frigidis, humidas humidis, siccas siccis seruari, ut hinc colligere possis Gal. nō uideri sibipsi cōstantem. Rñdemus, medicū in his naturis duo agere posse, & ad duas agēdi intētiones moueri posse, uel ut tēperaturam cōseruet, uel ut corrigat et ꝑficiat, et ꝓpterea hāc partem & hāc intētionem cēsuit Gal. prędicto artis medicinalis loco esse appellādam alteratiuā, curatiuam, & naturaliū defectuū correctiuam. si medicus cōseruare intēdat, id semꝑ fieri debet similibus, unde in uarijs locis à Gale. diciŕ simile simili cōseruari, & calidū calido, frgidū frigido, humidū humido, siccū sicco. & in. 8. de usu partiū dicebat simile simili notū esse ac familiare. uñ uero addēdum, has naturas esse similibus seruādas, modo nō multum excedāt, nam cum præter modū excedunt, correctione indigēt, ne incidāt in deteriꝰ, & in prauas intempies ac malos affectus. tempata ēt natura debet similibus seruari, qd' frequētissime à Gal. dictū est. si uero medici intēo sit corrigere (cū nunc in sanis loquamur, qm̄ de ægris nulli dubium est ꝙ sunt corrigēdi) corrigi ỽo nō pōt natura aliqua, nisi ad tempatam naturam deducaŕ, hoc uero fit cōtrarijs, ut Gal. testaŕ cap. 86. artis medicinalis, hocq; solum fieri iubet, ubi hoies in otio sint, in his usus contrariorum conuenit, & in hac intentione.

At dices ex his quæ dicta sunt seq biliosos calidis & siccis esse seruādos. Rñdemus, debere qdeꝫ seruari cū sani sunt calidis & siccis. Sed cōtra hoc adest medicorꝫ nostri tpis mos, qui iubēt biliosos frigida comedere & humida, ut lactucas, endiuiā, cucumeres, & eiusdem gñis alia, aq̄ endiuię bibere, et penitus refrigerātia & humectātia. hic igiŕ usus Gale. sentētijs repugnare uideŕ, dicentis esse sil'ibus seruādos. Rñdemus, qn̄ hi natura biliosi medicū adeūt, ideo adeūt, qa caliditatem aliq̄ intēsam ꝑsentiūt, ob id medici frigida illa et humida sumere iubēt, uerꝫ biliosus nunq; hæc petit à medico, nisi aliqd ꝑsentiat discriminis, uñ medicus in eo casu nō intēdit biliosum in sua natura seruare, sed corrigere intēdit qd' supfluum uideŕ ab æquali tempie. At dices, idem ēt pręcipiūt illis qui nihil sentiūt, sed uolūt pręseruari solū. Rñdemus, ꝓculdubio tūc esse medicorꝫ ita pręcipientiū intētionē reducere ad tempamentū. Cōtra hæc argues qa Gal. in arte medi. ca. 86. docet otiosos esse reducēdos ad tēpamentū, laborātes uero esse conseruādos in suo esse naturali, igiŕ dici non pōt ꝙ illos uelint reducere ad tempamentū, qa hi laborāt ut maior hoium pars facit, ꝓpterea debēt potius i suo statu ꝑ silia cōseruari, q̄; per cōtraria ad tempamentū deduci. Rñdemus, medicus quātū fieri pōt, sanos in suo esse cōseruare oꝫ, idq; sil'bus facit, cū aliqd corrigere nō idiget. idem ỽo medicus semꝑ corrigit lapsus, & hos fm̄ suos gradus modo magnos, mō paruos, mō mediocres, & nō solū hoc facit, sed et studet ut illa euitare faciat quę ad lapsus iducere pñt. In calidis naturis cōtinuis calidorꝫ usus, facere pōt ut in maiorē caliditatē labanŕ, ꝓpterea cū biliosos uidemus, quos in suo gradu seruare intēdimus, nōnunq; iubere dēmus ut frigida comedat, si q fuerit ad calidū lapsus, uel simul misceat frigida calidis, & hoc potissimū qa ignoramus, an eiusmodi calida illius tēpiem in quē agimus parꝫ supent, mista ỽo calida frigidis faciūt ut difficulter errari possit. uñ Auer. in. 6. collect. cap. 11. de calida loquēs tēperie igt nō dēre penitus & ex toto regi ꝑ silia, ut id euitemus qd' cōtingere posset, nā in affectionē icidere possent ad similē qualitatē, ꝓpterea iubet ut io cibis sit aliqd cōtrariū tempamēto, & hoc est, ingt, ꝑꝑ timorē occasionū extrinsecarꝫ, ut uelit esse miscēda oīno cōtraria sil'ibus, ne lapsus errore incidamus in ęgritudinē similē, hocq; ēt merito fit, qa ignoramus tēpiē ipsiꝫ, an pręcise in prīo, scd'o, uel alio gradu calida, pręterea q; nescimus an illa quę applicanŕ, eādē præcise hēant caliditatē, uñ hęc est sūmarꝫ sūma, medicū nunq; hōi suadere dēre, ut ꝑ cōtraria icedat, nisi adsit in caliditatē uel frigiditatē lapsus, tūcq; tute cōtrarijs ꝑ ꝓportionē uti possumus, qa hęc est imoderata iā tēperies. & est Gal. snīa oēm imoderatā tēpiem egere cōtrarijs usu moderato, & lædi à sil'ibus qn̄ fuerint itēsa, cōtraria ỽo sint in usu moderato, debēt ergo sil'ibus cōseruari in gradu siñ, nō in intensiori, corriguntur uero per contraria in gradu intensiori.

At isurges, qd ad Gal. rñdebis in. 2. tertij lib. Apho. qui palā dicit frigidas & humidas naturas bñ se hēre ad æstatē, calidas & siccas ad hyemē, è cōtrario affici. Rñdemus, si caliditas & siccitas æstatis essent siles caliditati & siccitati naturę, & nō excederet, bñ se hēret calida & sicca natura ad ęstatē, & frigida & humida ad hyemē. at ęstas multū excedit tēperaturā calidā io calore, & hyems frigidā in frigore, ꝓpterea ęstates istę calidę et siccę melius se hñt in hyeme, qa nimis alteranŕ ab ęstate, & è cōtrario frigidæ & humidæ in æstate bene se habent, quia nimis

alterantur

alterantur ab hyeme. Qđ uero dicĩ ſiſe cõſeruari à ſimili, hoc intelligiẽ, qñ non exuperat qđ ſiſe eſt, ſed fuerit io æquali gràdu, melius uero ſe haberẽt io præciſe ſimilibus, uerũ cũ non habeanẽ ſimilia, melius in cõtrarijs ſe hñt, q̃ in ſiſibus intẽſis, qa æqualitas intenſa quam hñt ex cõtrarijs quodãmodo corrigiẽ. At forte cõtra hanc Gal. ſñiam adduces Galenum in cõmẽ. libelli Hippocrati attributi, de uictus rõne priuatorũ, ubi in Sectione. 7. Hippocrates inqt, iuuenibus mollior & humidior uictus pducit, quorũ ætas ſicca eſt, ſenibus magna ex parte ſiccior aptus eſt, ſi qdem humidi, molles, & frigidi ſunt. Gal. in cõmẽ. illius partis inqt Hippocratem paꝝ integre diſtinxiſſe ætates, qui nõ quatuor, ſed duas tñ differentes ſtatuerit, ſi traditurus erat rõnem uictus, ab ætatũ indicatione, nã adeſt humida & calida puerorũ ętas, ſicca & calida florẽtium, ſicca & frigida declinãtium, frigida & humida ſenũ. uerũ ſi iuuenibus cõuenit uictus humidus, qa ſicci ſunt, igiẽ cõtrarijs ſeruabunẽ iuuenes, & ſenes ꝯtrarijs, cũ ſint humidi ſi ſiccis nutriri debeãt. Reſpondemus, Galenũ eodem loco ſolutionem innuere, nã ſeqtur de pueris, dicẽs merito eorũ ætatem debere eſſe humidã, qs in alia tempie non põt fieri cremẽtum, cenſetq; eſſe humidos plus q̃ puer ſit, tñ debere nutriri humidis pp cremẽtum, nã non creſcerẽt, ſi ſiccis ueſcerenẽ. De florenti uero ætate inqt, qm̃ impẽdio calida & ſicca eſt, ꝑpterea cõuenit huic uictus rõ ꝯtraria, ut uideas iuuenes eſſe frigidis & humidis cibandos, qa caliditatem habẽt & ſiccitatem intẽſas. At de ſenũ ætate inqt non eſſe mediocrem q̃õnem neglectã ab oĩbus, qa aliq dicunt illos eſſe humidos, aliq ſiccos, utriq; indefinite dixerũt. Diſtinguendũ nobis uenit quatenus ſint ſicci, quatenus humidi, imo id prius oſtẽſum eſt in ope de tempetamẽtis, ipſis enim ſolidis particulis ſiccos eſſe declarauimus, qa uero multis ob tẽperamenti frigiditatem recremẽtis abũdãt humidi nominãtur. ꝑpterea Galenus infert rationẽ eſſe duplicẽ in hac ętate & duplicẽ indicationẽ fieri medicis, tũ ꝑpter tempamẽtũ partiũ ſolidaꝝ quæ humectari cupiunt, tum ob humidorũ ſupfluitatẽ, quæ exiccari poſtulãt. ut hinc colligi poſſit, iuuenes quia ſunt iotenſe calidi & ſicci, humectari debere & frigefieri, nõ tñ multũ, quia correctione indigent. Ad ſenes cũ iã ſint lapſi, & potius refectione indigeãt, q̃ cõſeruatione, nã in peius lapſi ſunt, & cõtinuo dilabũtur, ꝑpterea cõtinua indigẽt refectione & reductione. hæc aũt reductio reſpectu duorũ fieri debet, reſpectu membrorũ ſolidorũ quæ lapſa ſunt ad frigidũ & ad ſiccũ, & ita indigebãt calidis et humidis, uerũ ĩ uẽtriculo pituita abũdãt, & ĩ multis alijs cauitatibus, ꝑpterea huius ratiõe calidis ĩdigẽt atq; ſiccis qa nõ conſeruãtur, ſed ſemp reducũtur, et reſtauranẽ, & præſeruanẽ. At dices cum ſcđm has duas intẽtiones in ſenibus pcedere debeamus, quomodo ſimul & ſicca & humida dari poterantẽ Rñdemus ſimul eſſe miſcenda. tñ potius urget itẽtio ad membra ſolida, q̃ ad pituitã in partibus aggregatam. unde ſenibus dantur optima uina, & optimæ carnes, & illa quæ habent uim calefaciendi & humectandi membra ipſorum ſolida.

Forte & de iuuene ambiges qui ſemp io ſiccitatẽ labitur, ideo & ipſe reduci debet & corrigi ne io hanc deueniat ſiccitatem, ut ſaltẽ illã ꝓroget, quis ut in libro de Maraſmo à Galeno edocemur, ſi ꝓhiberemus hãc ſiccitatẽ, prohiberemus mortẽ, uel ſaltẽ differremus. Rñdemus pculdubio ſi iuuenes cõuenienter ſe regerent, & cibos huic ſiccitati accõmodarent, diutius ſupſtiuerent, & ſenium ꝓrogarent, tamen non effugerent.

Verũtamen unus eſt locus in. 6. de ſanitate tuenda ubi Galenus differentiam facere uidetur inter ſicca, humida, calida, & frigida. nam dicit utiq; ſi ſeruare tempamentum ſtudes, humidis naturis humectante cibo maxime quadrãte, ſiccis uero eo q ſiccet, in eo uero q eſt in calido frigido'ue, cõtrària dare ſemper expedit, ut ferè Galenus dicere uideatur humida & ſicca ſimilibus eſſe ſeruãda, calida et frigida cõtrarijs. Rñdemus ſententiã illam nõ eſſe (ut decet) intellectã. nõ enim ad idẽ refert Galenus, calida frigida, & humida & ſicca, ſed de humidis & ſiccis intelligenda eſt in quibus conſeruare intendimus, poſtea de calidis, et frigidis quãdo reducẽdi ſunt et corrigẽdi. praua huius partis intellectio nõnullos errare fecit, & extortas expõnes inuenire. Gal. aũt uerba hæc ſunt, Fiunt aũt & qualitatibus cõuenięõx utiq; ſi ſeruare tẽperamẽtum ſtudes humidis naturis humectãte cibo maxime quadrãte, ſiccis ỽo eo qui ſiccet, ſin alterare plꝫ ꝯtrarijs. In eo aũt qui eſt in calido frigido'ue ad intẽperantiam lapſu, ꝯtraria dare ſemp expedit, cũ & efficaciſſimæ hmõi iotẽperies ſint, & (ut ita dicam) magis q̃ quæ ex ſiccitate & humiditate conſiſtunt potentes. quippe cum facile ſimilibus nutrimentis in morboſam intemperiem abeant.

At dices, ſicca & humida et ipſa ſunt intẽperies et lapſus, ſicuti calida & frigida. Et adde ſeq in Gal. at ſi ſiccius quodlibet mẽbrũ efficias, nihil manifeſte lędes, pari mõ nec ſi humori ſuam humiditatem ſerues. igiẽ eodem mõ de frigido & calido, ſicuti de ſicco & humido uerba facit, tñ intelligens ſicca & humida ſiccis & humidis ſeruari, frigido & humido ſemp dãda eſſe cõtraria. Rñdemus Gal. aliter intelligi nõ poſſe, q̃ ut hæc ſcđ'a rõ ſuadet, ſed expõnes extortæ inueniẽdæ non ſunt, ut aliq fecere, ſed ſimplr dicẽdum, id non eſſe perpetuo uerũ, calida & frigida cõtrarijs ſemper indigere, & uocabulũ ſemper hic poſitũ notat, ſemper cũ fuerint efficaciſſimæ hæ qualitates, cõtrarijs uti debere, qa facile poſſent ad eaſdem qualitates morbos incidere, tñ nõ ita facile morbos incidũt ad qualitates paſſiuas, ſi eiſdem utanẽ, uñ ſi humida cõſeruare intendis uel ſicca, humidis ꝯſerua uel ſiccis. ſi humida reducere iotẽdis ſiccis, ſicca humidis reducito. at ſi calida uel frigida reducere uel cõſeruare tentes, id cõtrarijs ſemp facito, ſemp. ſ. cũ uel reducere uel conſeruare intendis, qñ illæ qualitates ſunt eminẽtiſſimæ, intellige uero contraria uſu moderato, quia maius periculum imminet in actiuis qualitatibus ſi ſimilibus conſeruentur quando ſunt iotenſæ, quàm qualitatibus paſſiuis.

Sed dices, hęc abſurda uideri conſideratu, qa nullus unq̃, aliog ſanus, ſed una qualitate intempatus reduci uult, nã de exqſite tempatis nulli inueniunẽ. Rñdemus, & ſi nemo reduci tentet, tñ medicus (ſi qs reduci optaret) reducẽdi modũ ſcire debet. imo & Gal. multos fecit libros de tuẽ. ſani. tempati, & ſi nulli inueniantur temperati, ſed ut inde anſam capiamus uictus rationem intemperatorum capiendi.

Præterea dices, cũ oẽs ab ortu ſimus intempati, tñ eoſdem ſerè cibos comedimus, carnes, piſces, caſeũ, oua, carneꝫ, legumina, olera, & reliqua abſq; delectu, & in ſanitate conſeruamur. aliq diutius, aliq breuius. Rñdemus, conſeruaremur uſq; in finem ſi ſeruaremus quæ ſm artem ſeruari debent.

At dices, Hipp. in. 2. Aph. ſcriptum reliqſſe, ad inconſueta eſſe tranſmutandũ, & Gal. hoc ẽt intelligit io cibis. quõ igiẽ poterimus ſeruare ſimilibus, qa ſi primo ſiſ'bus utamur, inconſueta erunt diſſimilia. Rñdemus, aſſuetudinem illã paulatim fieri, & ſimul imutari qualitatem. Qđ' igiẽ à Gal. dictum eſt, uerũ eſſe conſtat, naturalem tempaturam tempatis ſeruari, intempatam ꝯtrarijs reduci et corrigi ſm modos ſupius determinatos.

Quinto, Gale. ad ſententiæ Hippocratis expõnem ſe accingit. Inquiens, cum igiẽ ob aliq̃ circuoſtãtiam reꝝ quaꝝ exẽpla ab Hipp. ponunẽ, aliquæ uenulæ in quacunq; ſint corporis parte exiccenẽ, neceſſariũ eſt uenulas has à uicinis partibus trahere ut impleanẽ, humiditatem ỽo attrahũt, quæ ſi actu & potentia humida ſit, & humectatoriã uim habuerit, tũc uenulæ illę exiccatæ in ſuã naturalem redeunt cõmoderationem. at ſi humiditas illa quæ attrahiẽ, acris ſit & facultate exiccatoria, tunc corpus incendiẽ, nec uenularũ ſiccitas corrigiẽ, ſed augeẽ, quẽadmodũ ſi qs ſiti uehemẽti affectus uinũ bibat thalaſſomenon ex aqua marina cõmiſtum paꝝ abſq; aquę dulcis miſtione, uel biberit puram aquã ſalſam, refertq; exẽplum in ſeipſo Gal. nam cũ per æſtum equitaſſet, ſitim incidit, qua coactus, calicem bibit uini ueteris ſincerioris, ob hocq; ſitis non ceſſauit, ſed magis aucta eſt.

Sed petes quænam exempla huius rei ab Hippocrate dicanẽ. Reſpondemus, dicenẽ Sectione. 3. ubi inquit exiccari ob longum iter, uel ob ꝑpeſſam diu ſitim, uel ob curſum. adde tu, uel ob eſum reꝝ ualde calidaꝝ & ſiccaꝝ uel ob exercitiũ in caminis, ut hi qui ęſtiuo tpe uitreos cyathos conficiũt, uel ob aliam q̃cunq; cauſam uehemẽter exiccãtem & calefacientem.

Petes nunqd ex qbuscũq; uenulis corporis ardens febris fieri possit. Rñdemus, nõ posse fieri si pedis uenulæ traherent ad se ichores illos, sed sunt uenulę uel in iecore, uel in uentriculo, uel ꝓpe cor (ut supius dictũ est) quæ ardẽtem febrem excitãt, tñ apud Gal. si nõ fiat ardens febris in illis partibus, fit saltem in illo loco erysipelas ex hac acerrima materia, quæ ad cutem accensa & ueluti ardens transmittitur.

Nota uocabulum humiditas, qđ græce est ὑγρότης, hic ligdas significare materias, qa est cõe nomen tam ad humidas, q̃ ad siccas, imo & siccæ sunt materiæ liquidæ, propterea dicuntur humidæ, & græce ὑγρότητες.

Dubiũ uero hic iducere poteris, cũ in. j. de sympto. cau. à Gal. dictũ sit, aĩal unũquodq; cute tenus in ambiẽtem aerẽ digerẽ, uñ prima mẽbra, quæ euacuanẽ, sunt cutis, & cuti ꝓpinqua, et cũ euacuata sunt, trahunt à ꝓpinqs partibus quoad refecerint qđ uacuatũ est. uñ contingit & illas ꝓpinquas euacuari, ꝑpea & ipsæ trahũt à uicinis, & illæ ab alijs quoad ueniãt ad iecur, iecur à meseraicis trahit, & deniq; res succedit, quousq; ad uentriculũ deueniaẽ, qui uẽtriculus à nullo trahere põt, sed extrinsece cibũ expetit, hæcq; ab extrinseco cibi appetentia, fames uocaẽ, uñ uẽtriculus ab extriseco trahit. si ergo supponamus exiccatas esse uentriculi uenas, uñ attrahẽt? A' uẽtriculo ꝓfecto attrahere nõ poterunt. igiẽ opus erit ꝑ oppositũ trahãt ordinem, q̃ à Gal. dictũ sit, supposito hoiem nihil uel cibi, uel potus isumere. Rñdemus, trahere oĩno à ꝓpinqs, & lʒ tractionis ordo oppositus uideaẽ in hac penuria & summa indigentia, nihil refert, imo semꝑ uentriculus qñ est inanitus, à propinquis trahit partibus, & à iecore, etiam si non adsit multa siccitas, quia eius actio non potest esse absq; fomite.

Nota fieri uinũ tethalassomenon uarijs modis, ut Diosco. lib. 5. ostendit. alij statim à uindemia maris aquã miscent, alij sole prius uuas urunt, ita calcatis marinã inferũt. qdam uuas passas demũ in cadis mari ꝑfundunt, deinde prælo subijciunt, ita dulce ꝑficiẽtes. Notatq; Diosco. stomachũ lædi ijs qui hoc uini genus potãt, & spiritũ cõtrahi, uñ in febribus dat ad uentrẽ educẽdũ, sed uim hẽt exiccãdi rõne aquę marinę, & calefaciẽdi, nõ tãtũ, q̃tam hẽt pura aqua marina, sed ꝓ ꝓportione aquę in uinũ receptæ. Gal. ostẽdit in. j. de simp. medi. facul. ca. 4. mirã aquæ maris adustionem ingens, si illã admoueas, usq; adeo hoiem offenderis, ut partem ipsã sis adusturus. adurit ergo salsa aq̃. Intelligit ṽo si erysipelati admoueas, ita si sitienti salsam aquam admoueris, aut uinum tethalassomenon quodãmodo adures, prẽserim si largiorem aquã marinã accepit tethalassomenon. Scito q̃ à Gal. diciẽ se bibisse exit. nere defessum æstiuo & siticulosum, uini ueteris sinceri calicẽ, & maiorem icurrisse sitim. est ueꝝ supponẽtes ẜm ipsum in. 5. de sani. tu. in. 12. Methodi, & in libel. de cibis boni & mali succi, uinum uetustate fieri potentius, sed id tñ ueꝝ est ẜm quandam ꝑatem. at cum uere uetus est, tunc frigidum efficitur.

Petes forte quænam mensura sit calix, quã græce uocat κύλιξ. Scito Gal. hoc loco intellexisse uas, quo cõiter bibiẽ, cyathũ à nobis, & coppa uel bichieri nuncupatũ. Athenęus de cylice lib. xi. Dipnosophist. ubi aures hẽre ostendit ingens, ἡ κύλιξ αὕτη ἐγκάθηται περὶ τὰς λαγόνας, ἱκανῶς βαθυνομένη, ὦτα τε ἔχει βραχία ὡς ἂν κύλιξ οὖσα. i. poculus hic isidet circa latera, satis ꝓfundus, auresq; habet breues utpote calix. et paulo deĩde ꝓbãs cotylã nõ esse cylicẽ inqt ἣν, κύλικα μὲν οὐκ εἶναι, οὐ γὰρ ἔχειν ὦτα. i. quẽ (.s. pymon uel cotylã, nã de hoc prius locutus erat) cylicẽ, ꝓfecto nõ esse, nõ enim hẽre aures. deinceps ṽo de cylice qd sit edocẽs ait ταῦτα δέ ἐστι κεράμια ποτήρια, καὶ λέγεται ἀπὸ τοῦ κυλίεσθαι τῷ τροχῷ. i. hęc ṽo sunt pocula fictilia, & dicunẽ eo q̃ assidue uoluunẽ i rota. Pollux quoq; ubi de uinarijs uasculis mẽtionem facit, calicis meminit lib. 10. ca. 20. neq; hi authores ponũt determinatã hẽre mensurã, sed uas esse solũ, quo bibiẽ. itaq; in Gal. ꝓposito accipiẽ. tñ nõ desunt recẽtes qui uoluerint capere unc. iiij. et semis. hocq; potius ex Rasi colligũt. 4. ꝯtinẽ. in. 2. pilaꝝ ad asthma descrip. sunt duę descriptiones eędẽ ferè in una dicit post pilulas dandã esse aquã mellis ad phialã mediã in alia aquã mellis ad modũ unius calicis. cõputãt ṽo phialã ꝯtinere unc. ix. semiphialã unc. iiij. & semis, quę idẽ uidenẽ, jõ & calix cõplecteẽ unc. iiij. & semis, phialã ṽo ꝯtinere unc. ix. ex hoc ꝓbãt, qa Auic. 3. lib. fen. 10. tract. j. ca. 40. de curatio. asthma. ubi ponit easdẽ pilulas cũ Rasi, dat postea semicotulã aq̃ mellis, uñ erũt idẽ phiala cũ cotyla, et cotyla capit unc. ix. ꝓpterea & phiala unc. ix. cõtinebit. In his ṽo q̃tũ hallucinenẽ et à uero aberrent scopo, tu ipse cõsiderato, ne nos in tam manifestis erroribus tempus conteramus.

Sexto, qa qspiam mirari posset q̃uo hæ uenæ id attraherẽt qđ obest, præsertim cũ hẽant appetitũ, qui tñ eligere dẽret qđ cõpetit, & alibi à Gal. dictũ sit in libel. de potẽ. natur. & in lib. de sympt. cau. q̃ attrahũt quæ sunt ꝓba, & quæ nõ cõueniũt derelinquũt. de qua attractione supius dictũ est iter exponẽdum Hipp. sñiam, ne qs hac ambiguitate detẽtus discrutieẽ, Gal. inqt nõ esse miꝝ si uenulæ aretactę trahãt materias acres & calidas, cũ mẽtem nõ hẽant & rõnem, quæ appetitũ moderaẽ, nã nos qui mẽtem hẽmus quę appetitũ regere põt atq; cõpescere, qñq; incõtinentius, & qñq; negligentius ab appetitu in ea quę nõ cõueniunt trahimur, & qñq; cum qs sitiuerit, & nõ hẽat in prõptu meliorẽ potum, cõuertit se ad illũ quẽ hʒ, q̃uis sit acris uel salsus. idẽ faciunt attractorię uenaꝝ facultates, semꝑ ex uicinis partibus humiditatẽ attrahuũt. at huius humiditatis substãtiã nullo mõ discernunt, nã rõne carẽt, qua qppiã ex melioribus scrutari possint, sed ut pueri uel bruta faciunt cũ sitiunt, statim irruũt ad humidũ casu oblatũ. eodẽ mõ faciunt & uenę exiccatę, exugunt ex ꝓpinqs partibus quoscunq; liqdos humores inuenerint, nullo habito qualitatis discrimine.

Qđ legiẽ mẽtem, græce λογισμὸν, nos potius iterpretaremur rõnẽ, & illã ꝓprie qua rõcinamur. At dices uideri Gal. mẽtem in. j. de sympt. cau. & in lib. de facul. natur. partes hẽre uim attrahendi ad se qđ sibi cõuenit. q̃uo igiẽ hic dicere q̃ attrahunt ẽt acria et salsa? Rñdemus id intelligi qñ talia adfuerint quę attrahi possint. nam & si hoc sit naturale opus & nõ aliter, tñ sua quadã naturali notione, malum à bono distinguit, uñ cum non adest nisi malum, nec suum opus ꝑeat, id trahit, qa aĩal postea cognitione caret, qua hæc exquisite discernere possit.

Septimo, qa possent solæ alicuius particulæ uenulę hoc agere, tñ febris causus nuncupata nõ induceretẽ, ꝓpterea Gale. Hippocratia uerbis determinationem quandã addere uult, qua effugi nõ possit qn sit causus febris. uocabulũ eñi causus accensionem significat, quæ & in aliqua ẽt parte esse põt, q̃uis non adsit febris, ꝓpterea à Gal. notaẽ, si in aliqua corporis parte indigna & ignobili fiat hæc affectio, ut ibi uenulę exiccenẽ, & attrahãt à carne, & à uicinis partibus humiditates, quę sint acres & tenues, in hac solum parte erit causus. i. intensus calor, nã hę acutæ materiæ in hac parte quendã facient affectum, qui referet & repñtabit erysipelã, & erit hic causus particularis & absq; febre, uel saltem nõ faciet uehemẽtem febrem. at si uenæ totius corporis supra modũ exiccatę calidas humiditates et acres à partibus carnosis traxerint, fiet in toto corpore affectio quæ referet et repñtabit causum totius corporis. i. in toto corpore faciet accessionẽ. ueꝝ uocabiẽ uñs causus, tñ nõ erit uere causus, nisi oẽs hẽat causi ꝯditiones, quos si petas, Gal. stati illas affert ingẽs causũ ꝓprie dictũ debere nõ solũ ꝑstare caliditate uehemẽti, q̃ ꝑ totũ corpus sit sparsa, sed & debet ꝑstare siti, ut hæc sint duo signa causi insepabilia, calor uehementissimus ꝑ totũ corpus, & uehemẽtissima sitis, nã i ardẽte febre sitis ẽ uehemẽtissima, et icõpescibilis. unde si Hipp. sentẽtiã ꝯsideremus, qđ illi desit de causi generatiõe singularis sermo noscemus, quem Gal. addidit, qm̃ i unaquaq; corporis parte gigniẽ causus, qñq; fit et i toto corpore. et tũc necessariũ ẽ ut siti pariat, nisi i tali sit parte, q̃ necessariũ sit ex ꝑte ipsa affecta ꝯseq sitim. Et si petas q̃nã sint hę ꝑtes, i qbus si fiat talis attractio, sitim pariũt. Gal. dicit primũ & maxime oĩuʒ id facere os uẽtriculi, postea uẽtriculus ipse, postea pulmo, & deinde ieiunũ itestinũ. hæ omnes partes tales sunt q̃ si exiccentur & ad ipsas acres trahanẽ ichores qui accendanẽ, inducitur & calor uehementissimus per to-

tum

tum corpus, & sitis uehementissima sit, ut ex hac Galeni parte colligi possit, causum ꝓprium et exquisitum fieri posse q̄n materia erit in toto corpore, q̄n in uenis uentriculi, uel oris uentriculi, uel gulæ uel pulmonis uel ieiuni intestini, q̄a ad huius materię putredinem, & accessionem, sit in harũ quacunq; partium, totius corporis ardor sequitur, & uehementissima sitis. Notaq; Galenum in. 3. prorrhitici Sectione. 18. dixisse & ardẽtem fieri ob cerebri inflãmationem, tñ hoc rarissime contingere arbitramur, & maximas uidimus cerebri inflammationes cum remississima febre, neq; istud præter rationem est.

Quod legitur, in ea solum qui erysipelas referat affectus quispiam erit, grece est κατὰ ταῦτα μόνον ἐρυσιπελατῶδές τι πάθος ἔσται. i. in ea solum affectio quædam erit erysipelatodes, quia materia illa circa cutem ardorem faciet, nam tenuis est, & facile ꝓdit. Et si petas, nunquid inflãmationem facere posset, dicimus haud facere posse, quia est tam tenuis materia ut tumorem eleuare non possit. Est uero necessarium, ut in. 2. ꝓgnost. habetur, inflãmationem habere tumorem. imo Hippocrates ibidem inflãmationem definit esse tumorem durũ dolentem, tñ posset hi esse nuncupata à Græcis φλόγωσις. i. accensio, q̄a pars illa erit rubertima et ueluti igne accensa, tamen & hoc ad affectionem erysipelatodes reducetur.

Petes q̃uo à carnosis partibus trahentur humiditates calidæ. Respondemus, carnem quæ ultimum est, ad quam tendũt humores ut corpus nutriant, habere uenas capillares, quarũ capita finiũt in carnem, & ab ipsis & per ora & per resudationem exeunt humores, qui in carnem conuertunt, & qui sunt humores mixti, uel sanguis biliosus, uel pituitosus, uel atrabilaris. At si biliosus sit uel effectus etiam biliosus & calidus ob æstum, uel ob ꝑpessam sitim, et à totius corporis uenis attrahat, in toto corpore inq̄t græcus ꝯtextus, fiet καυσώδης διάθεσις. i. affectio causodica, ac si nollet adhuc hãc uocari uere causum Gal. prius q̃ addiderit sitim hẽre uehemẽtem, uel ostenderit ad hanc affectionem necessario sitim seq uehemẽtem, cũ totius corporis uenę ad se humiditates istas calidas à partibus traxerint carnosis.

Petes q̃uo intelligi oporteat sitim esse ἀπαυστον. i. incessabilem si qs etiam opp̃ime biberit. Respondemus, nisi cesset ipsa febris neq; febris cessabit, propterea incessabilis nuncupatur.

Dices, si Hippocratis sentẽtiæ id desit, qđ hic scribit Galenus, igit̃ fuit diminutus. Respondemus potuisse subintelligi ab his qui febrium naturam cognoscunt. non enim scripsit Hippocrates ignaris penitus. Adde Sectione. 4. Hippocratem addere & sitim & linguæ ariditatem.

Qđ legitur, deest ergo præsenti dictioni singularis de causi generatione sermo quem nos nup adiecimus, græce est, ἐλλείπει τοίνυν τῇ προκειμένῃ ῥήσει, περὶ τῆς τοῦ καύσου γενέσεως ὁ περὶ τῶν μορίων λόγος. i. deest ergo præsenti dictioni, in causi generatione, de partibus sermo. nõ enim legi debet sermo singularis, nã illa particula de partibus ad id referri oꝫ, qđ supius de causi gñatione in partibus Gal. dixerat, cũ dicebat esse similem affectionẽ erysipelati, hoc deerat in Hippocratis sentẽtia.

At petes nunqd febris sequet̃, q̃n erit in una parte uel erysipelas, uel erysipelati sitis affectio. Respõdemus posse esse partem tã longinquã cordi, qđ in illa qdem ardor aderit, sed nõ aderit febris, poterit & febris adesse, sed caliditatem uehementissimã non faciet, neq; uehementem sitim. At dices, q̃uo causus uocabit̃ si febris non aderit? Respondemus, q̃uis dici posset nõ esse causum nisi adsit febris, at cũ est in partibus cordi remotis, febrẽ necessario non facit, tñ et calore & ab illius partis caumate causus sine febre uocari põt. at uel febrem hẽat uel nõ hẽat, sitim necessario nõ parit, nisi sit in tali parte ĩ qua sitim ĩducat.

Petes q̃uo intelligendum sit fieri in una corporis parte, & fieri in toto corpore? Respõdemus intellige fieri causon, & una sola parte affecta & exiccata, quæ biliosos attraxerit ichores, & toto corpore ita affecto. Et si petas si totũ corpus sit exiccatũ, unde trahat? Respõdemus, iam dictũ esse à Galeno à carnosis trahi partibus, & adde tu si etiã sint exiccatæ carnosæ partes à nulla trahi, & illum mori.

Nota ſm Galenum fieri causum & à quacunq; parte, & à toto. si à toto fiat est uerus causus quia necessario uehementẽ habet caliditatẽ cũ siti uehemẽti, si à parte fiat, aut est pars quæ sitim non inducit. itaq; dici non potest uere causus. si uero sit in parte quæ sitim facit, est uere causus. enumerat uero Galenus has partes quæ sitim faciunt. primam partem inquiens esse τὸ στόμα τῆς γαστρός. i. os uẽtriculi. in quo cũ sit hęc biliosa materia, & primo, pars ipsa fuerit exiccata, sitis intẽsissima gignitur, & ꝓpinquitatẽ habet ad cor, imo secũ cõmunicat cor. In secũdo loco generationis sitis est ἡ γαστήρ. i. uentriculus ipse, cum in uenis uẽtriculi non tñ ipsius tris fuerit primo siccitas in uenis, postea materię biliosę attractio, nã & in hoc casu fit uehemẽs sitis, sed hæc pars non est tã tn̄ propinqua in quo relucet sitis, neq; cordi tã propinqua ut os uentriculi, in tertio loco est στόμαχος. i. stomachus. Sunt qui per στόμαχον in hoc loco uiam ad pulmonem intelligant, q̄ mire decipiuntur, cum uia hæc sit guttur, uel aspera arteria. nunq̃ uero apud probos authores repentur ut stomachus uucet̃, sed ne ad alios libros trãseamus, Galenus in primo huius sectionc. 18. p stomachũ intelligit ut etiã homines sui tẽporibus intelligebãt, non meatũ uentriculi tantũmodo, sed & os ipsius, & libro. 8. de composi. medicamẽtorũ ſm locos prope capitis primi finẽ uocat os uentriculi stomachũ æquiuoce, cũ ꝑticula quæ ex ore cibum in ipsam defert, hocq; apud Galenũ infinities ferè dictũ reperitur, ut in calce libelli de pulsibus ad tyrones, ubi loquitur de stomachi affecti pulsu, ut colligi possit stomachũ ꝓprie Galeni tempore uocatũ esse uiã ab ore ad uentriculũ, quã Aristoteles in tertio de partibus animalium οἰσοφάγον uocauit, Latini uero gulã, & Auicenna ac Arabũ schola Merin. Apud antiquos uero, qui ante Galenũ scripsere & ipsum uentriculi os stomachus est dictus, quo noĩe et utit̃ plerũq; ipse Galenus. Celsus cap. j. lib. 4. inq̄t, Stomachus interior ad uentriculũ fert̃. Nota tñ in eodẽ. 4. lib. cap. 5. uti uocabulo stomachus Celsum ꝓ cauitate ipsa, ubi docet si stomachus implet̃ pituita, necessarius modo in ieiuno, modo post cibũ uomitus est. Plinius & pro cauitate accipit, & forte simul ꝓ uentriculi ore, cum inq̄t lib. 11. cap. 37. summũ gulæ fauces uocant̃. postremũ stomachus, hoc nomine est sub arteria iã carnosa inanitas adnexa spinę, ad latitudinẽ ac lõgitudinẽ lagenę mõ fusa. et apud Galenũ nõnunq̃ ꝓ cauitate, i qua fit coctio accipit̃. Ad ꝓpositũ redeũtes, hic p stomachũ itelligi nõ potest uia ad pulmonẽ, ut q̄dã fecere, q̄a nunq̃ reperit̃ hoc uocabulũ ita ab antiquis usurpatũ, neq; ꝓ uentriculi ore accipi põt, q̄a iã illđ noĩauerat Galenus τὸ στόμα τῆς γαστρός. i. os uentriculi, neq; cauitas intelligi potest, quia illã intellexit cũ dicebat, ἡ γαστήρ. i. uẽtriculus, ꝓpterea necessariũ est intelligere gulã, hoc est uiam ipsam ad uentriculũ, quã οἰσοφάγον noĩauit Aristoteles. sed tũc dubiũ emergit, cũ sitis in ore potissimũ reluceat, quodcunq; erit ori magis propinquũ, id sitim magis inducet, ꝓpterea nõ uidebit̃ Galenũ cõuenientẽ ordinẽ dedisse, ut primũ & pręcipuũ mẽbrũ, quod sitim inducat sit os uẽtriculi, nã potius erit stomachus. i. gula, q̃ est ori ꝓpinquior. Rñdemus & si gula sit ori ꝓpinquior, q̃ uentriculi os, tñ cũ ab ore uẽtriculi pellis nascat̃ q̃ liguã tegit et palatũ, uel saltẽ sint ꝯtinua, ꝓpterea uẽtriculi oris affectio magis ꝑsentiet̃ et uehemẽtius, q̃ illa gulę. et adde os uẽtriculi magis sentire et maiorẽ habere cũ corde cõnexionẽ ob q̃ sitis fit uehemẽtior, & caliditas etiã putredinis magis participat̃ à corde. in quarto ordine ponit̃ πνεύμων. i. pulmo. At dices uideri debere poni ante os uẽtriculi, ante gulã, et ante uẽtriculũ, q̄a ẽ cordi ꝓpinquus. Rñdemus hęc eẽ mẽbra magis sẽsibilia et magis sicca, et p q̃ facilius sensus sitis ĩducit̃ ĩ liguã. deniq; ponit̃ νῆστις. i. ieiunũ itestinũ, nã et hoc iflãmatũ et exiccatũ sitim ĩducit, et caliditas fit uehemẽtissima. de aliis mẽbris nullũ ponit ordinẽ Galenus, tñ et ĩ his bene fit iflãmatio, ad quam aliàs uoluit ardẽtem seq febrẽ, ut in. 3. cõmẽtario in sextum epidemiorum sectione. 9. et in primo prorrhetici sectione. 18. ardentem febrẽ facit ob cerebri inflãmationẽ. Respondemus nõ existimare has esse exquisite ardentes, ꝓpterea nullã illarũ mẽtionẽ fecit, neq; membrorũ à quibus dependẽt.

At hic oritur ambiguitas, quia Galenus in. 5. de locis affectis, ubi agit de erysipelatis in iecore symptomatibus inquit, Eas enim febres quas antiqui ardentes uocabant, magna ex parte aduenire uidemus, iecoris aut uentriculi flãmeis dispositionibus, atq; in pulmonis inflãmatione erysipelatis percipe (Græci phlegmonem erysipelatoden appellant) ardẽtes febres excitantur, quemadmodum multi in uniuerso quoq; corpore biliosi humores ad immoderatum feruorem peruenunt. uerũ hæ quæ aut iecoris, aut uentriculi occasione eueniunt, oĩum sunt uehementissimæ. ut colligi possit hic Galenum locos omnes enumerare, quibus erysipelate affectis fiant febres ardentes, tñ non numerat intestinum ieiunum. In hoc autem loco non numerat iecur, tñ iecoris febres dicit esse uehemẽtissimas. Respondemus ut in. 5. de locis affectis sub uentriculo, intelligit & stomachum & os ipsius ita per iecur, & iecur ipsum & intestinũ ieiunum à quo iecur per meseraicas uenas quæ in ipso sunt plures, alimentum trahit. hic uero intelligit per intestinum ieiunum & ipsum iecur.

At dices, qñ fuerit in solo intestino eritne ardens? Respondemus, ardentem esse, & maximam induci sitim hoc intestino affecto. In tertio uero commentario supra. 3. epidimiorum Sectione. 12. &. 34. febrem ardentem ex materia in iecore & uentre fieri dicit.

Sed inquies, éstne opus semp in loco esse erysipelam? Respondemus, necesse est semp esse erysipelam, uel materiam flammeam, ut in. 5. de locis affectis, dicebat, tamen uult & ex inflammatione quæ in iecore sit fieri ardentem febrem. at inflammatio materiam exigit crassiorem, propterea est rarius ex ipsa uera ardens.

Forte ambiges inueniri posse ardentem febrem absq; siti. Si quis Galenum legat in. 2. cõmentario in. 3. epidimiorũ Sectione. 3. ubi casum refert filię Euryanactis, inquit, hæc per totum morbum nihil sitiebat, nec quicquam sustinebat gustare. Respondendum est, uel illam ardẽtem fuisse moderatam, de qua in. 2. cõmentario in. 3. epidimiorũ Sectione. 19. & de qua in Sectione. 61. uel fuisse prope mortem. nam Galenus ostendit in 3. cõmentario in. 3. epid. Sectione. 5. & Sectione. 11. linguam aridam habere, & non sentire sitim ardentem, in ardente esse signum letale, nam cum sit siticulosa affectio febris ardens facultas eam tñ emoriens non sentiebat. Notaturq; à Galeno in 2. cõmen. in. 6. epid. Sectione. 25. sitim in ardentibus febribus cum tussi esse minorem, qđ & ab Hippocrate in Aphorismis uniuersaliter notaẽ, minus sitire in febribus qui tussicula quadam afficiuntur. & in. 3. cõmen. in. 3. epid. Sectione. 35. ostendit, cum ꝓprium sit ardentium sitire, febres ardentes quæ in illa tempestate uigebant, non faciebant multam sitim, tñ hi habebant caput humiditate plenum. Nota quoq; in. 3. cõment. in. 3. epid. Sectione. 23. Cleonactidem qui erat non siticulosus in febre ardente. & Sectione. 29. eiusdem libri ponit casum calescentis qui linguam habuit aridam sine siti. Notandum uero est esse ꝓprium ardentium habere sitim, cum siti carẽt, id semper contingit ob aliquod impedimentum non bonum.

Octauo, Galenus Hippocratem quodãmodo latenter reprehendit, & ostendit illum hic esse ualde decurtatum, nam Hippocrates censuit ardentem fieri, cum uenulę exiccatæ trahunt ad se acres & biliosos humores. Petit uero Galenus an tãtum hoc modo fiat causus. petitq; iterũ nunquid & carne ipsa id ferente siue in una parte, siue in toto corpore erit causus, nam fieri potest, ut exiccata carne trahat ad se acres humiditates propinquas, imo si consideremus uidebitur extrinsecam carnem facilius exiccari intrinsecis particulis, quę cum erit exiccata, trahet ad se per capillares uenas acrem humiditatem, quia & in carne est uis attractoria, hæc autem uis illa attrahit, quorũ ipsa pars est indiga, unde & si Galenus interrogatiue procedere uideatur, tñ ita interrogat, ut inferre uelit his modis posse fieri, ut intelligat non solum Hippocratis modo fieri causum, sed et fieri qñ caro ipsa exiccata uel tota uel pars humiditates ad se traxerit, quanq; dici possit attrahi quidem, sed esse per uenulas, & ideo sunt uenulæ, quæ in carne attrahunt, uel sunt musculi, qui per uenulas attrahunt, nam nisi essent uenæ per quas attraherentur, non fieret attractio. at saltem non fecit mentionem Hippocrates de causo in parte aliquã.

Quod legitur, ostendimus enim eam uim habere, intellige eã .i. carnem uim habere attractoriam quorũ est indiga, nam caro est musculo implicita, fit uero attractoria uis à musculis.

Nono, Galenus modum alterũ docet, quo ardens febris fieri possit, tñ non fiet per attractionem à uenulis, sed potius erit ꝑ oppositum. modus autem talis est, qñ in aliquibus ualidis nostri corporis partibus materia biliosa tenuis fuerit genita, postea ab illa parte ad aliam transmittatur imbecilliorem, et ibi putrescat, ardentem febrem inducere potest, quippe unũquodq; membrum (qđ superius dictum est) ut uim habet attractoriam, ita uim habet expulsoriam, qua is se exonerat. quæ abesse possunt. et si membrũ sit robustum, mittit ad magis imbecillum, supponamus uentriculi os, aut uentriculum, aut iecur, aut pulmonem, aut ieiunum intestinum esse magis imbecillum, tunc materię hę tenues acres biliosę huc transmittunt, & putrescentes, ac inflammatę ardentem, cum uehementissimo calore & uehementissima siti inducent febrem. imo cum particula aliqua est imbecilla, & alię multæ sint robustæ, quandoq; ab una particula trãsmittuntur materię, quãdoq; à pluribus, et ita hic collectæ, cum sint acres & exacte biliosæ, hoc genus febris excitabunt, tamen non erunt uenulæ quæ attrahant, sed fiet per transmissionẽ, & hic alter est modus, quo per uim expultricem fit causus, & non per attractricem, ut hinc Galenus innuat esse longe diminutum Hippocratem, qui unum solum huius febris posuerit modum, cũ sint multo plures, & nõ semper ex illo modo fiant quem retulit. & si huius rei exemplum petas, en contingere poterit magnam uenam biliosa materia tenui ac acri esse plenam, quam ad iecoris uenulas uel uentriculi transmittet, & ita accensa hanc febrem inducet. Petes forte si hæcmet materia quę à uena magna ad paruas transmittitur in magna uena putresceret & accenderetur, an maiorem excitaret ardentem febrem? Respondemus Galenũ in quinto de locis affectis iudicasse quidem & hanc esse ardentem, sed minus ardẽtem, q; si materia sit in uenis paruis iecoris, uel oris uentriculi, nam tales putat uehementissimas, quæ sunt in paruis iecoris & oris uentriculi uenis. In uena enim magna nõ potest esse tam uehemens caliditas & siccitas, & quia etiã lata est potest melius perflari. Imo hoc supposito biliosam materiam in magnis uenis putrescere, habet simul sanguinis miscellã, unde minor efficitur. Imo eodem loco Galenus dicere uidetur similem esse ardenti febri, ac si nolit uere ardentem esse.

At cum superius de ardente febre semper loqueremur, illam ex materia biliosa factam esse diximus acrem & tenuẽ, ut semper à materia factam esse iudicatum sit. Aliquis petere poterit nunquid absq; materia fieri possit ardens febris, hoc est multo humore putrefacto & accenso. Auerrois Libro. 3. capite. 45. collectionum suarũ inquit, Non est ex necessitate ut omnis calor extraneus, aut omnis febris sit putredinalis, & maxime causon, ut hinc apud Auerroim colligatur, ardentem febrem fieri posse absq; putredine, idq; est quoties humores biliosi aduruntur, & tempore æstiuo uehementer se exercent, nam et membris superuenit assatio uel combustio, sed non putrefactio, petit hæc caliditas & adustio cor, & causon gignitur absq; putredine.

Nos induci nõ possumus ut arbitremur causum fieri absq; materia putrente, quia apud Hippocratem & Galenũ hoc nunq; reperitur, imo iudicant causum fieri à materia in uenis contẽta, cum sit febris continua, & fieri à materiebus, quas uel uenulę attrahunt, uel ab alijs partibus transmittuntur. Tamen nõ it inficias Galenus, posse fieri febrem ex adustione tali. nam. x. Methodi fatetur fieri febrem in biliosis ex labore, & ex mora sub sole, sed diarias uocat has febres non ardentes, imo in eiusmodi febribus dat cibum in initio, quia sunt spiritus accensi, & à cibo uaporũ acuitas remittitur. At si fuisset febris ex materia

putrente,

putrente, Galenus in accensionis principio cibum non dedisset. vnde dicere oportet, si Auerrois voluit illam esse febrem ephemeram, & in speciebus non autem in humoribus, tamen posse nuncupari causum, quia aliis ephemeris longe calidior sit, ab eo non dissentimus: si vero intellexerit esse verum causum, ob illa quæ superius dicta sunt, ab eo sponte dissentimus.

Denique Galenus infert liquido constare hic intelligere tenues humiditates, intellige vero quæ sunt biliosæ & calidæ. vbertim & libro primo, & in aphorismis ex Hippocratis sententia, atque Diodis edocuimus, ichor plerunque accipi pro quocunque humore ex quatuor, plerunque pro humorum aquositatibus. propterea iussimus interpretandum esse ichoras, idest liquidas humiditates, nonnulli saniem interpretati sunt, & re vera apud Celsum sanies dicitur, & in hoc loco quidam interpretati sunt ichoras, idest sanies, quia Galenus in fronte tertij libri Methodi docet in vlceribus esse duplicem quandam substantiam excrementosam, vnam crassam quæ ῥύπος dicitur, alterã tenuem quæ ἰχὼρ. ab aliquibus sanies, à nobis aquosa sanies dicitur, in hoc autem loco Hippocrates intelligit biliosas aquositates tenues & acres, quæ accensæ faciunt causum.

## Hippocrates. Sectio II.

Febris quoque vehemens habet, corpusq; veluti ab ossearia lassitudine habitum laborat, doletq;.

### BRASAVOLVS.

Ab Hippocrate dictum est ardentem febrem fieri, quando venulæ exiccatæ trahunt ad se humiditates acres biliosas. At quamuis vocabulum causus ex se vehementem febrem significet, tamen ab re non fuit & Hippocratem illius febris intensionem exprimere, & symptoma quoddam simul apponere, quod hanc febrem concomitatur, propterea inquit eos qui ita affecti sunt, vehementem habere febrem, quæ à prædictis ortum habet humiditatibus biliosis accensis, & corpus defatigatum ac oppressum laborat ac dolet, veluti si ab ossearia lassitudine deprehensum sit.

καὶ πυρετὸς πολὺς ἴσχει, idest et febris vehemens habet, quamuis dicat multa, tamen melius exprimitur per vehementem, quoniam attraxit ichores biliosos ad exiccatas venas, qui cum putruerint, vehemens fit febris.

τό τε σῶμα, ὥσπερ ὑπὸ ὀστεοκόπου ἰσχόμενον κοπᾷ καὶ ἀλγέει, idest corpusq; veluti ab ossearia lassitudine habitum laborat, doletq;, videtur fere is qui habet hanc febrem vt lassitudine ossearia sit affectus, Galeno placuit potius intelligere affectum esse à lassitudine vlcerosa, quàm ab ossearia, quia materia quæ causum facit, est in partibus prope cor, in quibus non sunt musculi, vt est pulmo. At de hac re in commentatione dicemus. Scito tamen posse hoc contingere in febre ardente, sed opus non est vt sit signum necessarium, sine quo causus esse non possit.

### GALENVS.

Febris ergo uehemens habet, propter naturam tenuiũ humiditatum, quas & acres & biliosas ait nempe his superueniunt febres uehementissimæ, id est quæ multam & acerrimam habẽt qualitatem: sicuti & pituitosos sequũtur succos quæ & minorem & minus acrẽ habent. Laborat aũt corpus totum lassitudine ulcerosa propter tenuium humiditatum acrimoniam. Sed de lassitudinum omnium differentijs absolute in libris de tuenda ualetudine est tractatũ.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat hunc virum febrem vehementem habere ob naturam tenuium humiditatum, quas & acres esse & biliosas natura esse dixit, in quibus cum ignis accenditur, est ferè igneus, vnde istis fiunt febres vehementissimæ, hoc est quæ multam habent & acerrimam qualitatem, sicuti febres illæ per oppositum, quæ fiũt ex pituitosis succis, minorem habent & minus acrem qualitatem.

At dices pituitosas febres nullam habere acrem qualitatem. Respondemus ratione accensionis adesse aliquam acredinem, sed paucum, & quæ in numerum non ponit, vt calida biliosæ qualitas acerrima est.

Secundo Galenus docet in his ob tenuium humiditatum acrimoniam, quæ sensum vlceris faciunt, lassitudine vlcerosa laborare. At ne librum libro commisceat Galenus, lectorem ad libros de tuenda sanitate remittit, in quibus de lassitudinibus vbertim egit.

Verum pro ampliori huius partis notione ab re non erit lassitudinis species considerare, vt palam cognoscatur, an de lassitudine ossearia intelligi possit, an (vt Galenus intelligere videtur) per ipsam lassitudo vlcerosa intelligenda sit. At nullus est qui de ipsis lassitudinibus exquisitius locutus sit ipso Galeno in tertio de sanitate tuenda, generali vocabulo apud Græcos κόπος dicitur, à nobis lassitudo. Quid lassitudo sit, apud antiquos satis ambiguum fuit, idest qua notione definiri deberet, quanquam Theophrastus de lassitudine librum fecerit. Nonnulliq; fassi sunt esse indicibilem lassitudinis notionem. Tamen quicquid sit, à Galeno fiunt tres primæ species & simplices lassitudinis, & quatuor compositæ, & vna quæ dicitur ὀστεόκοπος, idest ossium lassitudo, vel ossium dolor. Omnes has species, quanto breuius fieri poterit edocebimus. Tres primæ & simplices species his nominibus nuncupantur τονώδης, ἑλκώδης, φλεγμονώδης, idest tensiua, vlcerosa, & quæ sensum habet phlegmonis, idest inflammationis. Tensiua lassitudo fit, quando nullum excrementum, de qua ratio sit habenda in corpore continetur, sed residet in musculis & neruis ex nimia tensione, quam exercitanda admiserunt, affectus quidem effectricis causę potestatem testificans, nam accidit in vehementi tensione, omnes musculorum fibras tendi, non tamen simpliciter omnes lassari, sed eas maxime quę per longitudinem tensionis porriguntur, quippe quæ obliquiores quodammodo iacent, minus indirectum agunt, quare his nullum instat periculum, in his vero quæ immoderatius sunt extensæ, ita vt parum à rumpendo absint, relinquitur affectio quædam ei similis, quæ inter agendum fiebat, quippe tendi adhuc videntur, cum tamen nulla iam tensione vrgeantur. hæc Galenus de tensiua lassitudine.

Vlcerosa lassitudo fit ab excrementorum copia simul tenuium & acrium, quę nimirum inter exercitandum prouenisse duplici de causa, aut excremẽto quod crassius erat fuso & attenuato, non tamen expulso, aut adipe, mollive carne liquata, necesse enim est abs tali humore ceu tenui atq; acri pungi, & quasi vulnerari, cum cutem, tum ipsam carnem sic vt etiam horror interim oboriatur. Imo etiam quadantenus concussio commotioq; totius corporis inęqualis, quod Gręci ῥῖγος vocant, si modo admodum cum copiosus humor is, tũ acer sit, ac talis quidem est vlcerosa lassitudo.

Phlegmonodes & inflammatiua lassitudo, qua partes videntur obesse phlegmone, fit cum musculi nimium excalfacti attraxere quippiam ex circũfusis sibi excrementis. de qua Galenus in septimo de compositione medicamentorũ secundum locos egit. ὀστεόκοπος. i. ossium dolor vel lassitudo, eodem ferè modo fit, quo phlegmonodes, quando tendones & nerui nimium supercalefacti attraxere quippiam ex circũfusis ibi excrementis, quia sensus est penitior, quàm quando est in musculis, & vocatur lassitudo phlegmonodes. propterea dicta est hæc lassitudo ossearia, quoniam est posita in partibus quę in alto maxime corpore sunt positę, nam cutis summum locum occupat, secundũ ab ea musculi habent, vtpote circum ossa positi. At tendones ipsis ossibus adhęrẽt quo magis rõnabile est, cum hi quicquã prędictorũ patiuntur, videri in imo ac circa ipsa ossa affectionem hęrere, & si dicas

igitur quatuor erunt lassitudinum species. Respondemus hãc ossicanam deduc ad phlegmonodẽ, nam sentitur & in ipsa sensus phlegmonis, tamen in loco videtur penitiori, vnde hic Hippocratem considerantes, an de hac ossearia lassitudine intelligi possit, dicimus posse quidem intelligi, & in hac ardente febre contingere posse, vno modo vere, quia sit lassitudo phlegmonodes facta ab illa materia, quæ sit imbibita in tendonibus ac neruis, & ita erit ossearia lassitudo, quæ est species phlegmonodes. vt etiam in secundo de symptomatum causis notat Galenus, adde cum illa materia sit in locis penitioribus prope cor, forte Hippocrates intelligit ob loci profunditatem dici ossceariam, ac si dicatur lassitudo talis quæ in profundo sentitur, tamen necessarium non est vt hæ lassitudines cum hac febre sint. At dices quid ad Galenum respondebis, qui pro ossearia vlcerosam exponere videtur. Respondemus & vlcerosa esse potest, & facile in hac febre, & pluribus forte vicibus, quia ex febris vehementia vel humores crassi liquabuntur & attenuabuntur, vel caro ipsa, aut adeps. At quia Hippocrates dixit osseosum, arbitror Galenum in suo codice habuisse ὑπὸ ἑλκώδους ab vlcerosa lassitudine, quia videretur mirum Galenum mentionem non facere de ossearia lassitudine, si in suo codice illam habuisset. Potes & de ostocopis doloribus ea legere quæ in secundo de locis affectis à Galeno dicuntur, & de sensu ac dolore vlceroso. Tribus lassitudinis speciebus visis & annotatis simplicibus ac primis, scire oportet quatuor esse compositas scilicet tensiua vlcerosa, tensiua phlegmonodes, vlcerosa phlegmonodes & tensiua vlcerosa & phlegmonodes simul.

Adest & altera affectio, quam multi iudicarunt esse lassitudinem, cum non sit, tamẽ est lassitudinibus affinis, quando supra iustum musculi siccantur, sic vt squalens contractumq; corpus appareat, atque ad motus quodammodo pigrum, non tamen ei quicquam eorum quæ modo diximus inest, neque is qui veluti vlceris, aut tensionis est, multoq; minus qui veluti phlegmones est sensus, vnde in hac affectione quæ similis est lassitudini & non est lassitudo, corpus fit squalens & contractum, & musculi siccantur.

Scito tamen Galenum de omnibus lassitudinibus mentionem facere ratione qua ab exercitatione fiunt, sed & absq; aliqua exercitatione ex humoribus ipsis modis prædictis impactis fieri possunt, & tunc sunt spontinæ lassitudines, quas morbos prædicere in secundo aphorismorũ libro docuit Hippocrates, vnde & Galenus in secundo de symptomatum causis, ab exercitatione factas à spontinis distinguit, & illas facilius edocet, tu Galenum eodem loco legito. habetur & lassitudinum sermo apud Galenum in libro de plenitudine ad dimidias libri partes, & in septimo de compositione medicamentorum secundum locos.

## Hippocrates. Sectio III.

**Fit autem magna ex parte lõgum ob iter. longamq; sitim, cũ venulæ arefactæ, acres calidasq; fluxiones ad se traxerint.**

### BRASAVOLVS.

In prima sententia antecedens causa febris ardentis ab Hippocrate posita est, quæ erat cum venæ exiccatæ materias biliosas ad se trahunt: nunc duas causas refert ex primitiuis, & simul causam antecedentem prius positam refert, fit (inquit) ardens febris magna ex parte, ob longum iter, fit & quandoque ob longam sitim quando exiccatæ venulæ acres materias & calidas, ad se fluentes traxerint.

γίγνεται δὲ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ ἐκ πορίης μακρῆς. i. fit vero magna ex parte & ex longo itinere, quando quis vel pedester vel equester diu per solem incesserit æstiuo tempore, & magno sit vsus motu & vehementi: nam si hyeme incederet & motu tardo, febrem hanc ardentem non incideret. Hippocrates atque Galenus in libro de victus ratione priuatorum, vel de salubri diæta docent quomodo iter hyeme faciendum, & quomodo æstate, nam regula in omnibus seruanda est, ne ægritudines incurramus, adsunt & casus in octauo Methodi de his qui ex itinere febrem incurrere, quos volebant diatritarij per tres dies absque cibo seruare, sed Galenus illico illos sanitati restituit, diatritariosq; simul reprehendit.

καὶ δίψης μακρῆς. i. & ex longa siti, quam quis passus sit, vel quia nihil habuerit bibendum, vel sponte perpessa, nam contingere potest aliquem salsa comedisse, & nihil habere quod bibat, exiccantur tunc venulę, & à partibus propinquis biliosas humiditates, si adsint, trahunt.

At petes nunquid sint aliæ causæ ab his duabus? Respondemus & si hæ duæ solum ab Hippocrate referantur, tamen multo sunt plures: quot enim inueniuntur quæ simul & calefacere supra modum & exiccare possint, illa sunt ardentis febris causæ. Vitrearium curauimus ex ardente febre, ob continuam in fornacis igne moram, & pistorem ex igne clibani, & coquum ex igne coquinæ. & si dicas Hippocratem ex hoc esse diminutum. Respondemus secundum Galenum non esse diminutum, quia omnia referre non statuerat, sed illi satis visum fuit hæc duo pro exemplo explicare.

ὁκόταν ἀναξηρανθέντα τὰ φλέβια ἕλκῃ δριμέα καὶ θερμὰ ῥεύματα ἐπισπάσηται πρὸς ἑαυτά. i. Quando exiccatæ venulæ, acres & calidas fluxiones ad se traxerint, vocat nunc ῥεύματα, & fluxiones, ea quæ ἰχῶρας in prima sententia vocabat. quoniam de ipsis loquitur vt sunt in actu dilabendi & fluendi, in quo actu fluxiones vocantur, vt attrahuntur, & in via iam sunt.

### GALENVS.

Tum in principio dixit, tum rursum hoc in loco adiecit uerbum hoc arefactæ: procatarcticas appellatas causas ueluti exemplo manifestãs, primitiuas nunc dicunt. Siquidem calidæ omnes, & siccæ causos progignere possunt. Scio equidem nonnullos ob liberalem uini, quod tethalassomenon uocant, potionem, causo fuisse correptos: uelut & alios ob salsamentum salsarumq; carnium, atque aliorum quorundam salsorum usum immoderatum. Alius ex ambulatione & æstu ueniens, primum quidem lauit se deinde domum perductus, uini mixti plus bibit, cœpitq; protinus affici causo. Alius aũt ob iram, & alius ob uigilias causum incurrerunt.

### BRASAVOLVS.

Primo Galenus notat, & in prima huius quarti libri sententia, & nunc rursum addidisse Hippocratem particulam arefactæ, nam voluit veluti per exemplum procatarcticas huius febris causas manifestare, & bene veluti per exemplum, quia multæ sunt aliæ procatarcticę causę, idest (vt recentiorum verbis vtar) primitiuę, nam communes causę calidę & siccę causum inducere possunt.

Secundo Galenus notat quosdã ab aliis procatarcticis causis causum incidisse, quàm à duabus causis ab Hippocrate positis, nempe quosdam vidit, qui ob liberalem vini potum, quod tethalassomenon vocant, causo fuisse correptos, nempe hoc vinũ ob aquam salsam, quã recipit est valde exiccatiuum. alios vidit Galenus ex carnium salsarum vsu, & salsamentorum & aliorum salsorum vsum immoderatũ ardentem incidisse febrem: aliumq; vidit Galenus, qui ex ambulatione & æstu veniens primum lauit se, postea domum profectus vini misti plus bibit quàm conueniret, vnde cœpit

protinus cauſo affici, alium vidit ob iram incidiſſe cauſum, alium ob vigilias.

Scito ob iram fieri ephemeram febrem, opus vero eſt illum perſeueraſſe in ira per magnum ſpatium, qui hanc incidit febrem, tanto magis ſi incidit ardentem, nam longe indiget tempore, vt inareſcant venulæ ob ebullitionem circa cor, pari modo opus eſt vt vigilias diutinas habuerit, is qui ob vigilias cauſum incidit, quia ob hæc homo breui febrem incidere non poſſet, nos quendam ex potu vini Peloponneſiaci hac febre breuiſſime correptum vidimus.

Nota quod dicit ſalſamentorum, ſalſarumq; carnium, Græce eſſe ἀπὸ ταρίχων καὶ ταριχηρῶν κρεῶν. τάριχος vero apud Paulum libro ſeptimo, eſt thynni caro, dicitq; tarichorum caro acris eſt, & exiccatoriæ facultatis, tamen nonnulli Paulum interpretantur tarichorum caro, ideſt ſalſamentorum, nam Dioſcorides thynni carnem ſalſam vocat ὠμοτάριχον, Nos vulgo à thynno tunninam dicimus. de his hic intelligit Galenus, nam poſtea non vtitur vocabulo ταρίχου quando dicit atque aliorum ſalſorum, ſed inquit καὶ τινῶν ἄλλων ἁλιστῶν, ideſt & quorūdam aliorum ſalſorum, vtitur verbo ἁλιστῶν, tamen vocabulum id τάριχος commune eſt apud Græcos ad ſalſamenta.

Scito etiam quod dicit vini miſti plus bibit, Græce eſt καὶ πιὼν οἴνου κατὰ τὴν κρᾶσιν ἔχοντος τὸ πλεῖον, idēſt & bibit vinum ſecundum miſturam plus habens: hoc eſt vinū miſtum, plus habens vini in miſtura quàm aquæ, eſt corrupta illa particula, πιὼ, nam legi debet πιὼν.

## Hippocrates. Sectio. IIII.

**Fit quoque & lingua aſpera, ſicca & valde nigra, ventriſq; morſu dolet: deiectioneſq; & liquidæ & pallidæ fiunt, vrgetq; ſitis vehemēs & vigiliæ, atque interdum mentis aberratio.**

BRASAVOLVS. In vnum veluti catalogum ſigna omnia ardentis febris neceſſaria & non neceſſaria ab Hippocrate proponuntur, quę συνεδρεύοντα. i. conſidentia à Græcis dicuntur. ſunt vero iſta, qui cauſone laborant, linguam habent aſperam, ſiccam, & valde nigram, & circa ventrem morſus dolet, habent præterea deiectiones pallidas, & liquidas, & ſiti vehementi infeſtantur, vigilias quoque habent, imo plerūque mente aberrant. ita igitur ſigna omnia propoſuit quæ febres iſtas ardentes ſequuntur, & vt omnia ſimul eſſent ſigna, ſitim ipſam repetere voluit.

γίγνεται δὲ ἡ γλῶσσα τραχεῖα. i. fit autē lingua aſpera. Duo ſunt quæ exiſtimantur ſigna παθογνωμονικά. i. paſſionem indicantia, color, & ſitis. Reliqua ſunt συνεδρεύοντα. i. conſidentia, ſitim in enumeratione horum ſignorum conſidentium miſcet, quamuis ſit παθογνωμονικὸν, tamen & ex his eſt quæ ſequuntur, ſed ad rem ipſam febrem ardentem habentibus lingua ob intenſum calorem & ſiccitatem quæ a febre inducta ſunt aſpera ſit.

καὶ ξηρή. i. & ſicca, nam materiæ ſiccitas, & febris caliditas, linguæ ariditatem inducunt.

καὶ μέλαινα κάρτα. i. & valde nigra, & hoc ſequitur ad intenſiſſimam caliditatem & febris ſiccitatem, in primo de locis affectis inquit, linguam nigricantem ardentem febrem portendere, imo hoc ponit tanquam ſignum proprium.

At ſi recte hæc ſymptomata perpendamus, videntur præpoſtere dicta, & hoc Galenus in calce cōmentationis notat. nam ad intenſam febris caliditatem & ſiccitatem primo linguæ ſiccitas conſequitur, ad quam ſequitur & nigrities & aſperitas, cum enim caliditas in linguæ carnem egerit, primo humiditates adfluentes exiccat, poſtea humiditatem innatam deinde ex ſiccitate ſit nigra, quoniam caro & quæ humida ſunt mollia nimia ſiccitate fiunt nigra, quæ vero non ſunt ſicca, fiunt alba, vt ex carbone cinis, inducta nigredine, quæ ob intenſum calorem qui in linguam agit, eſt intenſa, cum humiditas quæ in lingua eſt, inæqualiter reſoluatur, ob hoc inæqualem habet ariditatem, quæ nihil aliud eſt quàm aſperitas, quæ ſecundum magis & minus linguam exaſperat, vnde experientia videtur, linguam quandoque ſiccam eſſe & non nigram neque aſperam. at cum eſt inæqualis ſiccitas per linguę corpus eſt ſimul aſpera, tamen cum ſicca eſt dura eſt. poteſt vero eſſe ſicca & alba quando pituita ſupra ipſam excocta fuerit, ſed non tanta coctione, vt denigrata ſit, poteſt eſſe & ſicca & carnis fetorem ſeruare, tamen non erit adeo floridus ſi adſit ſiccitas.

Sed hic vna oritur ambiguitas non videri neceſſarium linguam eſſe nigram, quia cum à bile fiat hæc febris, & potiſſimum quando erit in ore ventriculi materia, vel in ſtomacho, lingua fiet potius lutea ex bile quæ ſupra linguam exiccabitur. Reſpondemus & ſi ex bile ſit, tamen in bile poteſt fieri tanta exiccatio vt in nigrum tranſeat, propterea cum adeſt ſupra linguam bilis, prius ſit intenſe lutea, poſtea nigreſcit, cumq; hæc febris ardens ſit, omnia adurit, iccirco non mirum ſi Hippocrates ſolum mentionē fecit cum nigra ſit. Adde & linguę corpus nigrum fieri, etiam ſi non adſit aliqua bilis vel alter humor ſupra ipſam, ſed exiccatur ipſa linguæ caro, & nigredo inducitur, vnde quidam Arabes vt Auicenna dicunt fieri labia lutea & nigra, qui illa animaduerterunt quæ à nobis iam dicta ſunt, verum Hippocrates & Galenus, qui caloris intenſionem cōſiderarunt, nigram ſolum dixere, vtpote qualitatem habente & colorem, qui magnam ſequitur aduſtionem, nam vt Galenus dicit tota corporis affectio calida eſt & ſicca.

Aetius libro quinto capite. 77. huius rei meminit inquiens, à flaua igitur bile putrefacta ignitur febris continua ardentiſſima, neque medicis, neque ægris inducias præbens, lingua enim horum exareſcit, nigreſcit, exaſperatur. Vide quo ordine hæc tria diſponat ſymptomata, vt vnum ad aliud ſequitur, primum exareſcit, poſtea nigreſcit, denique exaſperatur. Paulus vero Aegineta lib. 2. capite. 28. ſecundum græcum codicem, eſt vero in latino caput. 29. vbi loquitur de ardentium febrium dignotione inquit γλῶσσα μὲν ξηρὰ καὶ παχεῖα καὶ μέλαινα. ideſt lingua quidem ſicca, & craſſa & nigra. vt colligi poſſit quod ab Hippocrate & Galeno dictum eſt τραχεῖα, à Paulo dictum eſſe παχεῖα. At ſi recte perpendamus ob ſiccitatem non ſit lingua craſſa, niſi intelligamus vt vulgus dicit, cum aliquis æger ob linguæ ſiccitatem loqui non poteſt, dicunt habere linguam craſſam, cum tamen hoc eſſe poſſit abſque linguæ craſſitie, tamen & nonnunquam in ægris intumeſcit ac craſſeſcit, ſed in hoc caſu non videtur hoc indicium craſſeſcere, eſſe neceſſarium, propterea arbitramur mendoſum eſſe Pauli codicem, & legendum τραχεῖα, eſt vero parua tranſmutatio ex τραχεῖα in παχεῖα. tamen Hippocrates in fronte tertii libri de morbis inquit, in cauſone proceſſu temporis linguam dureſcere, aſperam, craſſeſcere, nigreſcere. At Alexander Trallianus libro quinto, capite quarto, febris ardentis exquiſitæ notas enumerans inquit, linguam non aſperam modo ac aridam verum etiam atram, ac ſi plus ſit habere atram linguam quàm aſperam, quod ſi recte conſideremus, & ſi plerūque nigredo aſperitatem præcedat, tamen & aſpera fieri poteſt abſque intenſa nigredine, non tamen fiet abſque omnimoda mutatione ad aliquam nigredinem.

καὶ τὰ περὶ τὴν κοιλίην δακνόμενος ἀλγέει. ideſt & circa ventrem commorſus dolet. materia biloſa, quæ ardentem febrem facit, morſus facit circa ventrem. Paulus dicit δῆξις δὲ τῆς γαστρὸς. ideſt ventris autem morſus.

Similiter Aetius dicebat ac ventriculi erosio. Hic vero notare debes hoc non esse perpetuum signum huius febris, quoniam solum habebitur haec erosio & hic morsus in illis febribus, in quibus materia erit in ore ventriculi, vel in stomacho, vel in ieiuno intestino, & per ventrem inferiorem totum intellige ventrem, nam ita amplari poterit. & ad illam quae fit in iecore, quoniam biliosa materia & in iecore facit morsus, propterea non est opus determinare se ad γαστέρα, idest ventriculum, vt fecere Paulus & Aetius, sed conuenientius est dicere vt Hippocrates κοιλίην, idest ventrem, per quem inferiorem intelligamus, in quo & ventriculus & iecur & intestina continentur. At si haec biliosa materia in pulmone fuerit, non facit hos morsus. Videtur autẽ bilem mordere partes, veluti si quispiam dentibus eandem partem apprehenderet, vel exertis vnguibus, & statim dimitteret, & sunt veluti puncturae quae fiunt secundum Galenũ ob humoris biliosissimi accensi acredinem.

Τὰ δ᾽ ὑποχωρήματα ὑγρὰ καὶ ὠχρὰ γίγνεται. idest deiectio nesque liquidae, & pallidae fiunt. Galenus iudicat hoc esse vnum ex indicijs quae perpetuo non sunt. nam solum humida & pallida deijcient, cũ erunt affecta ventriculus aut iecur, per liquida vero excrementa Galenus intelligit excremẽta cruda, quae nullam acceperint coctionem, & per pallida intelligit biliosa. At inquies si cruda sunt quomodo poterunt esse biliosa? quia bilis nimis cocta est. Scito excrementa illa esse quae eduntur et bibũtur, & quae sunt cruda, nec ob malam ventriculi affectionem aut iecoris coqui possunt, vnde exeunt liquida, sed illis miscetur haec bilis ardens, quae in transitu morsus efficit & illa colorat excremẽta. At cum ipsa sit flaua, vel etiam rubra cum valde ardens est. calorem ex miscella simul cum excrementis remittit, itaque totum quod eijcitur pallidum fit. Sunt vero liquida, quia omne quod coquitur incrassando coquitur, de qua re in Galeni commentatione agemus, vel dicamus esse ipsam bilem cum his quae sumuntur, quae tamen sunt paucissima in febre ardente, & bilis est multa, & idem pleriũque est flaua bilis, pallida, amara, russa, vt varijs libitum est dicere, quod colligi potest .2. de iudicationibus capite. 12. hoc igitur tantum est signum quando ventriculus fuerit affectus, & nõ perpetuum, quia fieri potest. Imo de facto experientia videtur, quoties adest ardens febris, & non fit ex materia infestãte, aut os ventriculi, aut ventriculum, aut iecur reddi aegros, stipticos & valde adstrictos, & si nonnunquam egerant, sunt oleta aridissima veluti lapides, tamen & in iecore si sit affectio, non est necesse excrementa esse liquida, modo meseraicae non sint affectae. At si meseraicae sint affectae, pari modo si ieiunum intestinum sit affectum, quia ex affectione meseraicarum nihil attrahitur, & ex affectione ieiuni intestini omnia deorsum mittuntur, neque sistunt vt coqui possint. Paulus Aegineta eodem modo scriptum reliquit καὶ ὑποχωρήματα ὠχρά, idest, deiectiones pallidae, ad verbum accepit hinc ab Hippocrate. at cum Hippocrates liquidos dicat, Aegineta de liquidis nihil meminit, pari modo Trallianus dicens oleta ac bilea, nescio quo Graeco vocabulo vtatur Trallianus, neque interpreti fido. Aetius forte cõsiderans non esse necessariũ in omni ardente febre habere vel liquida vel pallida excremẽta. hoc signum reiicuit veluti innecessarium, quia in aliquibus solum inueniuntur, in alijs minime. Notaque Galenum in tertio commentario in tertium Epidemiorum sectione. 35. edocere febrem ardentem non cognosci ab excremẽtis. Neque enim mera in solis ardoribus febribus biliosa alui reddunt, neque his solis syntexis. i. colliquatio accidit, verum sunt haec quidem in symptomatibus malis & exurentium febrium, addit que illos qui tali febre ardente detinebantur, de qua Hippocrates in contextu, deiecisse cruda, & in sectione. 41. eiusdem libri dicit, vel hinc liquet non attendere Hippocratem in dignoscendis ardentibus morbis speciem excrementorum, tamen quia in illa febre ardente ab Hippocrate dictum est, hos deiecisse cruda tenuia, ob id à Galeno additur cruda itaque dicit & tenuia, qui cum tenebantur febre ardente deiecisse, nec verbum fecit de veris biliosis vel syntexi, quas quidam notas esse febrium ardentium maximas existimant. vt colligi facile possit, secundum aliquos à deiectionibus accipi ardentium notas, & non secundum ipsum.

καὶ δίψαι σφοδραὶ ἴσχει. idest, & vehemens sitis cruciat. Post multa indicia hoc ponit παθογνωμονικόν, id est quod affectum demonstrat scilicet habere sitim. nempe omnes authores in hoc conueniunt adesse sitim in febre ardente, & non modo sitim, sed & vehementem sitim. propterea Aetius dicit sitim intolerabilem & Paulus καὶ δίψα σφοδρά, idest sitim vehementem, Trallianus vero dicebat ardentem sitim. Et Galenus in secundo commentario libri tertij morborum Epidemiorum sectione septima, de acuta febre ardente loquens inquit, lingua torrida sitibunda. Et in trigesimaquarta sectione eiusdem libri, vbi loquitur de ardentibus febribus illius tempestatis Hippocratis inquit, videtur autem Hippocrates febrem ardentem assiduitate cognoscere sitis, caloreque exurente. Infertque Galenus hoc loco palam non posse ardentem febrem nuncupari, nisi habeat haec duo simul iuncta, ardentem ac fastidiosum calorem & sitim perpetuã. hoc idem asseritur ab eodem Galeno in tertio commentario in tertium Epidemiorum sectione trigesimaquinta. Sunt ergo duo signa, quae ardentem febrem significant, quae ab authoribus inseparabilia dicuntur, sitis scilicet & ardoris vehementia. At hic ambiges videri fieri posse ardentem febrem absque siti, vel absque vehementi siti, cum tamen omnes sitim in hac febre vehementem faciant, id vero esse ex Hippocrate colligi potest quarto aphorismorum aphorismo. 54. vbi docet non semper vehementi siti infestari qui febre ardente detinentur, nam dicit, quibus plurimum siccae tusses leuiter irritantes in febribus ardentibus, non multum siti infestantur. igitur ardentem febrem non semper concomitatur sitis vehemens. nunc praetereo sententias superius adductas ex epidemicis, quibus probabatur absque siti esse aliquas ardentes, & ad Hippocratis aphorismum respondemus, quantum sit de natura ardentis febris cum materiam habeat in iecore, ventriculo, vel pulmone, necesse est vt sitim faciat, ob materiam calefacientem in his partibus cordi propinquis, & exiccantem, potest tamen casus quispiam contingere, in quo partes illae humectabuntur, vt cum febre hac detentus, tussicula quadam deprehensus sit, quae ad has partes humiditatem aliquam inducat: nam vt Galenus in illius aphorismi commentatione ostendit, fiunt illae tusses aliquando ab intemperie instrumentorum quae respirationi deseruiunt, aliquando vero in faucium asperitate, vel aliquo tenui & pauco humore destillante. quicquid horum acciderit, loca aliquo modo madescunt, quae ad asperam pertinent arteriam, & ideo minus siticulosi fiunt. nam si asperitas sola fuerit ob motum in tussi factum, ex locis vicinis humor aliquis trahitur, sic autem & si sola fuerit intemperies, vnde in hoc casu erit febris ardens sine magna siti, tamen nec Hippocrates nec quisquam alter infert posse esse sine siti. Imo quando non sitiunt, vel sunt prope mortem, & non sentiunt, vel non est exquisita ardens. Notaque ab Hippocrate non ab re dictum esse, tussim debere esse paruam. quia si vehemens esset, ob motus vehementiam incalescerent partes, & exiccarentur, & ita sitis augeretur. At si forte petas nunquid tussis parua in alijs febribus eodem pacto sitim sedare, & remittere posset, vt in ardentibus. Respondemus posse quidem, & Hippocratem veluti à maiori argumentum fecisse, & de ardente solum locutum esse, quoniam si in ardenti remittitur sitis, in alijs etiam non ardentibus remittetur, & multo magis.

Verũ cũ sitis fiat vel ob materiã in pulmone existentẽ, vel in iecore, vel in vẽtriculo, & ibi ebullientẽ, quispiã petere posset qui

nam

nam locus maiorem faciat fitim, nonnulli respondent cum in pulmone est materia efferuescens, tunc sitis fit vehementior, quàm quando est in ventriculo vel in iecore, tamen de hac re est non parua dubitatio, quia & ex ventriculi & iecoris efferuescentia magnæ fiunt sites, & sitis per potum corrigitur, qui in ventriculum transitat quicquid sit, semper est vehemẽs sitis, nisi adsit tussicula parua, & Galenus dat primum locum sitis in prima sectione ori ventriculi.

At iterum dubitabis, in tertio Epidemiorum libro in sectione 34. secundi libri commentariorum Galeni cum ab Hippocrate refertur ardens febris quæ in illa fiebat constitutione, inquit febrium ardentium quæ vigebant, hæc erat natura, initio sopore erant oppressi fastidiosi inhorrescebantq;, febris non acuta, neq; magnopere erant sitibundi vel deliri, vt hinc colligi possit esse ardentem febrem, & tamen febrem ipsam & calorem non esse multum, vehementem, imo dicit non acutam, neque sitim esse vehementem. Respondemus Galenum in illius partis commentatione notasse, ardentis febris propriũ esse æstuare, & sitim perpetuo habere. propterea aliqui erant, qui quod legitur febris non acuta, absq; negatione intelligebãt febris acuta. verum cum dicat non magnopere sitire, icciro dicendum esse febris non acuta, tamen quicquid sit, Galenus in illius partis commentatione deniq; inferre videtur, febrem ardentẽ sui ratione habentes intensissima siti infestari, & feruidissimo calore ac febre, tamen contingere põt vt hæc febris nonnunquam sit absq; tã vehemẽti siti, & absq; tanto febris ardore, vt in illa Hippocratis constitutione, nempe & in his febribus sicuti & in omnibus aliis, gradus dantur, & magis ac minus, vnde erit etiã febris ardens modo sic continua ex materia in pulmone, iecore, vel ventriculo, & si tam vehemens sitis non adsit, modo sit perpetua, neq; tantus ardor, tamẽ pro maiori parte, & in exquisite ardente debet esse sitis intensissima, cum linguam faciat aridam, nigram, & asperam, forte in constitutione illa de qua Hippocrates loquitur, materiæ à capite descendebant, quæ tussiculam incitabant, & quæ sitim extinguebant. propterea addit nõ esse etiam magnopere deliros ob materiam humidiorem, quæ erat in capite forte bili mista.

καὶ ἀγρυπνίαι. i. & vigiliæ, fiunt vigiliç ob siccitatem, quæ inducitur à materia calida & sicca hanc febrem faciente, & sequuntur etiam ad tot huius febris incommoda, ad linguæ ariditatem atq; asperitatem, ad sitim, ad vehementissimum calorẽ, & breuibus ad omnia incommoda quæ æger patitur in ipsa febre, à Paulo dicitur καὶ ἀγρυπνία, & ab Aetio vigiliæ.

ἐνίοτε δὲ καὶ παραλλάξιες φρενῶν. i. Quãdoq; vero & mẽtis perturbationes, vel desipiẽtias. nam Galenus interpretatur τὸ παραφρονεῖν desipientiam. fiunt & hæ vel ob biliosæ materiæ vapores, vel ob illammet bilem quæ caput petit. Aetius inquit sæpe & delirium infestat, Paulusq; ποτὲ δὲ καὶ παραφρονίη. i. nonnunquam vero & desipientia. vt hinc colligi videatur, omnia alia signa prædicta ardentem febrem semp comitari, sed hoc de mentis aberratione & alienatione non semper febrem hanc ardentem comitatur, sed hoc nonnunquam est, quando scilicet materiæ istæ biliosæ caput tentarent. vnus vero hic est scrupus discutiendus in his desipientiis, quia Hippocrates. 16. sexti libri Aphorismo ait quibuscunq; in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio solui, vnde non solum tremores delirio soluuntur, sed & febres ipsæ. Hoc igitur non videbitur signum præsentis febris scilicet delirare & desipere, sed potius erit signum salutis ardentis febris. Respondemus cum Galenus hæc Hippocratis verba contemplatus est, an essent Hippocratis suspicatus est, quia consueuit Hippocrates illa nominare superuenientia quæcunque hominem liberant, non quæ alteram generent passionem, quæ nihil minus sit prima periculosior, vnde ardens febris à materia fit in venis contenta quæ omnino exire potest & tremores sanare. Postea compatiente principio deliria excitare, & ardens febris cessabit, quia materia non erit amplius in venis. Galenus igitur non iudicat hunc aphorismum esse Hippocratis, sed esse adiunctum, vel si Hippocratis sit, censet potius esse exemplum generalium atque vniuersalium sermonum.

Auicenna vero duobus in locis nititur Galenum reprehendere libro quarto, fen. prima, tractatu secundo, capite. 61. vbi Hippocratis sententiam adducit, suoq; modo illam interpretatur, neque vllam facit Galeni mentionem, censetq; Hippocratem hoc modo intelligendum esse. Si in febre ardente tremor fiat, tremorem ipsum solui à desipientia. non autem febrem ardentem, in tertio autem libro fen. 11. tractatu primo capite. 11. vbi loquitur de tremore, Hippocratis aphorismum adducit & Galeni interpretationem. aitq; & si à Galeno hic aphorismus non concedatur, tamen non est ex eis qui modum non habent. At quæ ab Auicenna in quarto libro præcitato dicuntur à diuersis vario modo intelliguntur. quippe nonnulli ita illa quæ sequuntur intelligunt, fieri posse vt quispiam ob superfluam cerebri humiditatem tremorem patiatur, deinde ardentem febrem, quodq; ex hac febre multi vapores in cerebrum ascèndant, & deliria inducant. Interim vero cerebri humiditas resoluatur, hocq; modo deliria tremorem soluunt, vt hinc habeas Auicennam de tremore intelligere, qui est neruorum affectus, non de facto ex materia quæ causonem facit, vt Galenus intelligit. Alii intelligunt fieri tremores in causone, quando materia transmittitur extra venas, vt ad membra sensibilia, ad quæ cum peruenit, tremores facit. At materiam integre esse transmissum indicium est delirium, quia nisi essent multa deliria non induceret. At hæc si recte perpendantur, fatue dicta esse videntur, esse scilicet signum manifestum totam materiam exiuisse, quia deliria sequuntur: nam posset tanta esse materiæ copia, ut simul febrem induceret, & tremores atq; deliria. propterea non ab re Galenus suspectum habuit illum aphorismum, quem tamen non negat esse posse, sed inquit non consueuisse ita Hippocratem loqui de superuenientibus, quando illa quæ superueniunt priora sunt, quàm illa quibus superueniunt, non dicit illa solui. propterea maligno potius quodam animo Auicenna Galenum nominauit, quàm vt in ipsum rationem haberet. Tamen mirus est recentiorum error, qui longis ambagibus Oribasii sententiam in hoc loco interpretari voluerunt, & denique inferant, Oribasium voluisse si in febre ardente fiat delirium, per tremorem sanari, Auicennamq; idem sensisse fatentur: cum tamen constet Oribasium illud non somniasse, imo septimo suorum aphorismorum libro, vel commentarionis quam facit in Hippocratem (si tamen illa sint Oribasii commentaria) aphorismo. 24. dicit qui per ardores contremiscunt, iis delirium adfert solutionem, & in expositione neque gri quidem à Galeno dissentit.

Deliria vero esse in febre ardente ex Galeno etiam colligi potest, tertio de locis affectis, vbi simul edocemur à quo fiant, imo in quarto de locis affectis refert Galenus dum esset puer, quod ardente febre laborauit & simul delirauit, & quomodo delirauerit.

At petes an sint alia signa præter ista. Respondemus post Galeni commentationem de omnibus agemus, quæ ab aliis authoribus ponuntur, quippe constat Paulum, Aetium, Trallianum, & Galenum plus his non posuisse, uno Græci alii forte pauciora.

## GALENVS.

Percurrit hoc in loco quæ causum subsequuntur, quæ & συνεδρεύοντα, idest confidentia siue consistentia vocant. Sunt autem hæc: lingua sicca, aspera & nigra, ventris morsus, deiectiones pallidæ, vehemens sitis, & vigiliç, interdum quoq; & desipientia. Lingua sanè arescit, quòd tota corporis affectio sicca sit & calida, febrisq; talis. Ventris vero morsus propter tenuium humiditatum, quæ illuc confluunt, oritur. Deiectiones autem pro flucci redundantia. Liquidasq; eas dixit, nullo pacto concoctas exprimens. Coctio enim omnia cogit

incrassatque. Qui autem ita habent, vigilant ob siccitatē. Nempe humiditatem immoderatam profundas ad somnum delationes, multam vero siccitatem vigilias procreare est demonstratum. Accedit quoque & ab alijs symptomatis fatigatio quę ob vigilias efficitur. Desipientiam autē fieri scimus ob eam quæ ad caput recurrit bilem, & ob temperaturæ caliditatem siccitatemque. Quòd autem vbi quispiam bilem simpliciter dixerit, amara significetur, antea est enunciatum: quòd item bilem eandem & pallidam & flauā appellent. Vt ergo nihil eorum quæ ad causum biliosum spectāt prætermissum videtur, nisi quod non solum fit per attractionem, sed & per tenuium humiditatum effluuium, sic abunde sufeque scripta quędā sunt. Nempe ex his quæ dicta sunt, quędam sunt symptomata causum indicantia, quę παθογνωμονικὰ dicunt: alia vero συνεδρεύοντα, idest consident. Verum quæ causos procreant, alia quidem προηγούμενα, idest antegredientia, alia uero προκατάρχοντα, idest præincipientia à medicis appellantur. Omnium autē quę dixi prægredientium symptomatū, potes tibi vt lubet catalogum facere. Sed qui librum hunc scripsit, à pręgredientibus fecit exordium. Venulas etenim exiccari pręgrediens causa est. Deinceps autem cum pręincipientia, ut ambulationem longam & sitim dicere cū deberet, non ea dixit, sed ex his quæ affectum indicant quippiam dixit, vt febrem vehementē. Debuit & hic sitim vehementem adijcere, quā postea simul cum alijs quę confidentia vocantur symptomatis dixit: quorū quędam aliquando, alia perpetuo causis insunt, quod & ipse ostendit, inquiens: Interdum autem & mentis aberratio. Nam interdum perpetuo opponitur. Ego autem dico, & ventrē morderi, & biliosa deijcere, non esse ex his quę pperuo insunt. Nempe quod vehemens morbus sit, motusque acrium & tenuium humiditatum ad interna sit, propterea hęc cōtingunt, his quidem qui ventrem heparque causi veluti sedem habent. Verum his qui pulmonem veluti sedem habent, hęc non admodum contingunt, sed quę de lingua dicuntur & desipientia magis. Difficulter etiam & hi spirant, ea scilicet quę densa & magna est spirandi difficultate, efflantque continenter os aperientes, igneique spiritus effusione leuantur. Verum totā spirandi difficultatem pretermisit, quam in prognostico dictā ostendimus. Cęterum incōposite atque inordinate symptomata linguę recensuit. Nempe debuit primum siccam dixisse, deinde asperā. Nam ob immoderatam siccitatem lingua aspera redditur: vt si aspera sit, omnino & sicca existat. Quòd autem ob caliditatem immoderatam nigrescat, vt his quibus cutis sole vsta sit, iam ante diximus.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat Hippocratem hoc in loco, signa illa febris ardentis pcurrere, quę causum subsequuntur, quę & συνεδρεύοντα. i. confidentia vel consistentia vocantur, sunt vero ista in summam adducta, lingua sicca, aspera, & nigra. Ventris morsus, deiectiones pallidę, vehemens sitis, & vigilię, non nunquā vero & desipientia. Hęc est signorum summa ab Hippocrate positorum, nunc vniuscuiusque rationes aggrediamur. Secundo Galenus docet linguam arescere, quia tota corporis affectio calida est & sicca, & febris ipsa est eiusdem naturę. At dices nonne affectio illa corporis calida & sicca est febris? Cur igitur addere & febris talis? Respondemus affectionem corporis esse siccitatem & caliditatem ob longum iter contractam, vel ob perpessam sitim, qua venulæ arefactæ, ad se biliosos liquores trahunt, qui postea accensi ardentem febrem induxere, vnde ab re non fuit affectionem ipsam calidā & siccam, iam cōtractam a febre ipsa quæ calida & sicca est distinguere, vt notaretur non esse ab re si lingua sit arida, quoniam & absque febre, ex sola corporis affectione arida esse poterat: at cum febris sit talis, tanto magis sicca erit lingua, potissimum etiam quia materia quæ febrem facit est in ventriculi aut pulmonis aut iecoris partibus, has partes potissimum elegit Galenus pro hac febre instituenda, quāuis in secundo Commentario in primum librum Epidemiorum sectione. 20. differētiam ponens inter tertianam & febrem ardentem dicat ardentes febres abundare potissimum in venis iecoris & ventris, non tamen it inficias in pulmone etiam esse posse, vnde in eodem libro sectione. 14. tertiæ tempestatis inquit, nam cū in vasorum capedinibus vnà cum sanguine contineatur flaua bilis, vtrunque accendatur contingit febres ardentes prodire. præcipue vero vbi in ventris, aut iecinoris, aut pulmonis venis bilis efferuescat, Et in. 9. sectione primi commentarij in primū Epidemiorum Galenus inquit spirante aquilone præter morem, qui impellebat humores in intrinsecas corporis partes tenuissimus primus fluebat, ita quod febrem ardentē induxit. Neque enim in quibuslibet corrivatis partibus corporis febrem potest humor hic excitare ardentem, verum circa ventriculum, & eius præcipue os, circaque iecinoris partes simas. vt videas & hęc nullam fecisse pulmonis mentionem, quāuis & valde ardens sit cū in ipso est, de illo tamen mentionem sępe non facit, quia in eo rarius contingit putrescere materiā quæ ardentem faciat febrē. Non mirum igitur si arida sit lingua, cum tam prope sit ignis accensus, præter corporis affectionem calidā & siccam. Græcus codex magis exprimit inquiens, καὶ ὁ πυρετὸς αὐτὸς τοιοῦτος. i. febris ipsa talis, qualis. s. corporis affectio, & Hippocrates ipse in libello de morbis qui extra inquit febris ardens cum habet, vehementer feruet, sititque lingua aspera & nigra fit spiritus caliditate, & in. 3. lib. de morbis Hippocrates ait lingua sicca valde est, tempore vero procedente durescit, asperatur, crassescit, nigrescitque.

Tertio Galenus particulam illam declarat, qua Hippocrates dixit. vētris morsum inesse in causone. dicitque id fieri ob tenues humiditates, quæ illuc cōfluunt ad ventrem. s. & quæ simul acres sunt, & partes quas tangunt conuertentes. Si vero petas an in alijs febribus tales morsus contingere possunt. Respondemus posse contingere cum à biliosa fiunt materia, & ibi sit minera. Notaque hoc symptomata solum esse quando sit febris à materia existente in ventriculo, vel in eius partibus, quia in alijs partibus ventris morsum facere non potest, nisi esset in iecore, & ad ventrem portio aliqua transmitteretur. Difficile vero esset si in pulmone contineretur, vt ad ventrem transmitteretur.

Vbi legitur propter tenuiū humiditatum, deest particula δριμύτητα. i. acredinem, quę particula cōuenienter addita est, quia & si sint tenues humiditates, tamē nisi sint acres id non efficiūt. Quarto cum ab Hippocrate dictum sit deiectiones esse liquidas, & de earum quantitate nihil sit dictum, propterea hic Galenus dicit debere esse deiectiones redundantię succorum & humorum in corpore existentium proportionatos. Si multi sint, deiectiones multę esse debent. Si pauci paucę, & addit cū Hippocrates illas vocauit liquidas, ostēdit nullo pacto esse coctas, quoniam coctionis natura est omnia cogere & incrassare. Galenus in commentario secūdo tertij libri de morbis vulgaribus, de ardente febre illius temporis agens dicit, non fieri vera in solis febribus ardentibus biliosa, & sequitur his aluus turbata erat, atque excrementa cruda excernebāt, & multa & tenuia. vt notetur in febribus ardentibus illius constitutionis excrementa etiam fuisse cruda, vnde hic non immerito Galenus exponit per excrementa liquida, cruda. Sed hic vna oritur dubitatio, quomodo possibile sit excrementa esse cruda cum sint pallida, nam pallida excrementa, quæ & flaua dici possunt, videntur potius supra modum cocta. Respondemus quāuis dici posset & bilem esse crudam, tamen quia Galenum hoc modo non intelligimus & Hippocratem, sed potius intelligimus esse vere cruda excrementa, nam si aliter essent, nō posset Galenus liquida. i. cruda interpretari, quia si essent biliosa, & non cruda predicto modo essent etiam liquida, nam talis bilis est liquida. propterea intelliges deiectiones ipsas esse vere crudas. Et si petas quomodo erunt pallidę. i. biliosę? Respōdemus posse esse pro parte pallidas, & pro parte crudas, id vero ita esse ex Galeno probari potest ex secūdo commentario in primum Epidemiorum, sectione. 7. vbi exemplū ponit de muliere causone apprehensa Hippocrates, & inquit habere aluū turbatam

multis tenuibus & crudis. In Galeni commentatione admiratur, cur dixerit cruda deijcere, cum ardens febris ex biliosis humoribus nascatur. At Galenus soluit 1 tota mole corporis huic mulieri biliosum fuisse aceruatum humorem, in primis autem venis lactium & simis iecinoris cruda contenta. Ut vides simul posse & cruda quę erant in primis venis, & biliosa etiam quę in toto corpore deijcere. Ita in proposito hi deijciebant liquida .i. cruda & pallida .i. biliosa. Cruda continebantur in primis venis, biliosa erant illa quę a materia febrem faciente decidebantur. At si dicas cur etiam intelligere non possemus cruda illa quę sumuntur, quandó erit materia faciens febrē in ventriculo vel bene? Respondemus posse quidem dici, sed esse rarum febrem ardentem habentes comedere, sed potu solo vtitur vel sorbitione. Hippocrates vero in libro de morbis qui extra de crudis excrementis mentionem nō facit. Sed dici solum fieri biliosa, tamen & si loquatur sub nomine causi, postea loqui videtur de Empiala.

At ambiguitas hic oritur non despicienda, quia inquit semper coctionem procedere incrassando. nam inquit coctionem omnia cogere incrassareq́, cum tamen & in primo Aphorismorum, & alijs multis in locis dicat coctionem fieri attenuando & pro coctione procuranda, origanum prebeat. tragoriganum, hyssopumq́, quę incidunt ac attenuāt. Respondemus aliud esse loqui de humoribus crudis, aliud de excrementis & cibis. Cibi & excrementa semper incrassando coquuntur, quoniam nullus pręduras res transglutit, sed liquida duris simul miscens corpus liquidum facit, quod incrassando coquitur, & ad vnum corpus reducendo. At humores crassi qui in venis sunt per incisionem solum & attenuationem sequuntur. Imo Galenus in libello de vniuersalibus quatuor morborum temporibus, & sputa & pus. & alia multa enumerat, quę incrassando coquuntur, sed hoc potissimum in cibis verum est. In his enim necesse est omnia cogere in vnum corpus & incrassare, ac veluti in grumum reducere.

Quinto Galenus notat eos qui ita se habent .s. aridā linguam habentes quę ex tota corporis affectione calida & sicca & ex febre ipsa tali effecta sit. Et ventris morsus habētes, & vniuersum corpus siccum, ob siccitatem ipsam vigilare, nempe demonstratum est immoderatam humiditatem τὰς καταφορὰς .i. in somnum delationes progignere sicuti multæ siccitates vigilias inducunt.

At petes quo in loco de humiditate mentionem fecerit Galenus, quæ profundos faciat somnos, & de siccitate quæ longas vigilias. Respondemus esse prope finē primi libri de symptomatum causis.

Sexto Galenus notat sequi in hac febre laborem & defatigationem & ob alia symptomata & ob ipsas vigilias. nam & vigilię miram ægro defatigationem inducunt, quia homo præter naturam vigil mente delassatur, & corpore, lassitudinem quoq; faciunt ventris morsus & sitis, tamen de hoc signo non agit Hippocrates, veluti de eo quod ex alijs sequitur.

Septimo Galenus notat fieri desipientiam ob eam bilem quæ ad caput recurrit, imo fit ob temperaturæ caliditatem & siccitatem, in primo de Symptomatum causis docet fieri & vigilias, & desipientias ex siccitate.

Octauo Galenus notat id quod & superius, non semel dictū est, quoties bilis simplex .i. absq; aliquo addito profertur, bilem amaram significari, imo & dictum est eandem bilem et pallidam & flauam nūncupari. Quod & primo de iudicationibus. 12. capite edocuit.

Nono à Galeno notatur, & ab Hippocrate nihil prætermissum est. quod ad morsum spectat biliosum, quia omnia recensuit biliosi causi signa. nam postea de causo pituitoso ex salsa pituita loquetur, & alia signa enarrabit. Ita edocere dereliquit, non solum fieri per attractionem à venulis exiccatis, sed etiam fieri per effluuium & destillationem tenuium & aquosarū humiditatum ad loca, de qua re abunde & fuse quędam scripta sunt .s. sectione prima huius libri, quam Galenus authoris huius libri diminutionem ostendebat.

Est ergo Galeni sensus. Hippocratem esse omnia causi biliosi indicia prosecutum. At inquies non posuisse id signū quod à Galeno dicitur fatigatio. Respondemus id signum ex alijs sequi, vel forte in Galeni codicibus aderat, in nostris non adest, nam Galenus id refert ac si in Hippocratis cōtextu repositum esset, ob idq; vnde originē habeat edocuit. At dices multa statim à Galeno ex his signis reprehendentur. Respondemus non reprehendi quia non adsint in aliquibus ardentibus febribus, sed reprehendi tanquam sint in ipsis perpetua, & non possit febris ardens reperiri quin illa adsint.

Præterijt quoq; insita signa prognostica de quibus partim in libello de Coacis prędictionibus, partim in libro prognosticorum agitur, & in aphorismis quędam.

Præterea signa critica prætermisit, de quibus in calce primi libri de morbis agit. Adde prætermisisse & indicia ab vrinis, de quibus Hippocrates ipse mentionem facit in principio tertij libri de morbis, vbi inquit lotiū biliosum significare grauius, lotium vero flauum significare remissius, & Galenus in secundo Commentario in primum Epidemiorum in muliere febrem ardentem habente dixit vrinas fuisse crudas, quoniam non solum in primis venis, sed & in gibbo iecinoris crudis humoribus abundantibus, & idem Galenus in. 3. cōmentario in tertium Epidemiorum sectione. 42. de ardente febre laborantium vrinis differit, & eadem de re differit in primo commentario in primum Prorrhetici, sectione. 4. Et in libello de vrinis Galeno adscripto inquit in causonide & vrente febre vrina tenuis & alba, phrenitim significat.

Adde prætermissum esse Auicennæ signum, & Razes .s. non apparere sudores, nisi cum recedit, & de extremorū frigiditate. Respondemus signa quæ ab Hippocrate posita sunt satis esse pro hoc loco & febre ipsa indicanda. Reliqua vero non erat necessariū in hac parte referre. aut nullā habēt necessitatē.

Ad primum, Signa prognostica prætermisit, supponēs ab ipso iam esse relata in libris prognosticorum & de prædictionibus Coacis.

Ad secundum de signis iudicatoriis ordinem dedit in libris de iudicationibus, & in his quæ sequuntur aliqua dicet.

De indicijs ab vrinis supposuit intelligendum esse in deiectionibus, nam sicuti deiectiones sunt liquidę .i. crudæ, & pallidæ, ita & vrinæ esse debent. tamen possunt esse quandoq; pallidæ .i. flauæ, & quandoq; crudæ. Nos in causone vidimus vrinas ferè ardētes, & quæ maximam præ se ferrent caliditatem, & vbi vrinæ fuere crudæ pro maiori parte obiere. nam vrina cruda in hoc morbo signum est letale. Iccirco mulier illa tertij Epidemiorum, de qua superius secundum Galenum egimus, vrinas habens crudas septimo die obijt. Melius ergo est habere vrinas flauas & crassas, q̄ alterius generis, & quæ ægritudinis genus ostendant potius q̄ non ostendant.

Illud Auicennæ signum de sudore vanum est, quia nihil ostēdit in ipso morbo, sed solum morbum iam finiri, & est potius signum prognosticum q̄ morbi ostensiuum, quāquam & de vrina ita dici potuisset. Habetur & in tertio de Crisibus quomodo febris ardens finiat per crisim, & in primo de arte curatiua ad Glauconē docet ardētes febres iudicari p excretiones. Præterit & signa à pulsu quia possunt & hæc esse cum alijs febribus. In secundo libro de præsagatione ex pulsibus ardentes febres pulsum habere crebrum docet Galenus, & in quarto de locis affectis docet in his ardentibus thoracem dilatari cum adhuc valent vires, & modum dilatandi ostendit, imo & in eodem libro de inspiratione ardentis febris differit.

In tertio commentario in tertium Epidemiorum sectione 76. ostendit vomitum virulentum sequi ardētes febres, tamen non est necessarium signum & in alijs etiam febribus inueniri potest. propterea à Galeno merito dicitur hunc authorē nihil prætermisisse ex his quæ ad causum spectare videntur.

Verum omnibus his symptomatibus consideratis videntur præcise & ad vnguē inueniri in febre tertiana pura. Adest lin-

gua aspera, sicca, nigra, venter commordetur, & mire in aliquibus deiectiones, in aliquibus sunt liquidæ & flauæ, sitis est vehementissima & febris ardor vehementissimus vt aliquos viderim præ ardore per terram volutari, & omnibus frigidis inhærere, & vigiliis inquietantur, & plerũq; delirant, vnde in febre tertiana pura omnes conditiones inueniuntur, quæ sunt in febre ardente. Respondemus ardentem febrem, & tertianam vt superius dictum est, in materia conuenire, in loco vero differre in quo putrent, vnde & Galenus .4. Aphorismorũ aphorismo .59. inquit tertianam febrem & ardentem, humore faciẽte non differre, vtraq; enim à flaua bile fit, differunt autẽ quoniam febris ardẽs habet in venis vnà cum sanguine bilẽ abundantem & ebullientem. Tertiana vero eãdem bilem habet in toto corpore latam ac acutam. Idem præterea docuit Galenus in libris de differentiis febrium, quæ & abunde repetiuit in secundis commentariis in primum de morbis vulgaribus, vbi Hippocrates dicit, tertianas febres fuisse in illa cõstitutione numerosiores ardentibus. Galenus inquit in commentariis de differentiis febrium & de iudiciis tum alia, tum hoc declarauimus propter flauæ bilis exuperantiam febres & ardentes & tertianas oriri, atq; hoc conuenire inter illas, locis vero, in quibus superfluus contrahitur humor, distare, etenim si ardentes febres sint, in venis abundat præcipue iecinoris & ventris, tertianæ fiunt cum totius corporis carnes affluant bile flaua, vnde cum materia conueniant, licet loco differant, non est inconueniens eadem esse in tertiana, & ardente symptomata, tamen in ardente sunt vehementiora, præsertim sitis, & huius genera, sed in tertiana plerũq; adest vomitus, qui non est necessario in ardente, & tertiana alternis diebus affligit, continuo vero ardens, superius quoq; in principio ostendimus & tertianam à Galeno vocari ardentẽ sectione prima, multasq; de hac re adduximus Galeni variis in locis authoritates.

Deniq; symptomata omnia ardentis febris quæ apud Galenũ sunt, in vnũ reducemus, ne quis illa desideret. ponitur in initio quarti de differentiis pulsuum libri symptoma febrium ardentium, quod est tempora pulsare. in primo de præsagatione ex pulsibus, vbi loquitur de essentia facultatis ponit siccitatem in pulsu in ardentibus febribus. In secundo de crisibus ardentes semper grauiores & modestiores sunt, quanto magis ꝑdurant, in tertio de crisibus adducitur à Galeno contextus Hippocratis in primo Epidemiorum vbi inquit in febribus autem ardentibus atq; aliis quibus adest colli dolor, & temporum grauitas, & tenebræ oculis oboriuntur, vel præcordia intendũtur absq; dolore, his profluuia sanguinis è naribus, in secũdo de crisibus inquit calida atq; deurens febris accẽditur stomachi fastidium afferens ac siubunda atq; ad statum celeriter properet, pulsus æquales habens. magnos atq; veloces vehementesq; atq; frequentes, & in eodem libro eadẽ dat deurenti symptomata quę vexant tertianam & in eodem libro probat illam esse deurentem, quæ semper in eodem ordine vsq; in finem perseuerat, & in eodem libro vocat malignam ardentem, quæ habet vel pulmonis, vel hepatis, vel ventriculi erysipelas, in tertio de difficultate respirationis, ardentibus febribus cõtingit densum spiritum habere & simul, thoracem multũ distendi: & in cõmentario secundo in primum Epidemiorum sectione .30. febrẽ ardentem facit sine siti, & in secundo commentario in sextũ Epidemiorum sectione .25. tusses aridas parum irritantes in ardentibus esse dicit: & in secundo cõmẽtario in primum de morbis vulgaribus sectione .63. febribus ardentibus propriũ esse profluere sanguinem è naribus, in febre ardẽte cur phrenitis facta in eodem libro sectione .73. & in sectione .75. In ardentibus in initio rigent, vigilant, fastidiosi sunt, in fronte & clauiculis parũ sudantes. Ad febrem ardentem multa habes in tertio de medicamentis facile parandis, & in primo de arte curatiua ad Glauconem inquit febres ardentes per excretiones iudicari consueuisse. In decimo Methodi inediam in ardentem ducere ostendit In .11. Methodi de eo sperandum non est qui in ambiente frigido viuit. In secundo commentario in primum Prorrheti-ci Hippocratis signum malum esse dicit in ardẽtibus febribus cum aliquãtula perfrictione, deiectionibusq; aquosæ bilis multisq; oculorum peruersio signum malum tum aliàs, tum si catochi fiãt, in quarto aphorismorum dicit Hippocrates, A' febre ardente habito rigore superueniẽte solutio. Galenus huius causam reddit in cõmentatione: & in libris secretorum Galeno adscriptis trochisci habentur ad febrem ardentẽ. & in octauo de decretis Hippocratis & Platonis docet ardentem febrẽ ex flaua bile oriri, & tertianam esse ex genere ardentium, & in tertio aphorismorum iuuenibus ardentes febres supraueniire ostẽdit, q͛d & in .9. de decretis Hippocratis & Platonis repetitur. Hæc confuse adducta sint de locis Galeni, in quibus febris ardentis meminit.

Decimo Galenus iterum sententiam repetit, & eius partes, vt ostendat huius libri authorem in hac sententia in multis defecisse. Scito vero alia esse symptomata & signa causi, alia esse signa causum facientia & procreantia. quæ sunt causi signa in duplici sunt differentia: nam alia sunt determinate & exquisite causum indicantia, alia quæ consident, & simul sunt cum causo, indicantia causum παθογνωμονικά, quæ vero simul sunt cum causo συνεδρεύοντα, idest causo assidentia, vel confidentia nuncupantur. At ex his quæ causonem procreant quædã sunt causum προηγούμενα .i. quæ causum antegrediuntur, antecedentia à recentibus dicta, quædam προκατάρχοντα, idest præincipientia à medicis dicuntur, à recentibus primitiuæ causæ. Tu potes nbi prægradientium symptomatum, vel secundũ recentes antecedentium catalogũ facere vt tibi lubet, ex his quæ diximus. ille vero author qui hunc librum fecit, à prægradientibus exorditus est: nam venulas exiccari causa est prægradiens & antecedens.

Sunt vero signa παθογνωμονικά, idest passionis indicatiua in causone duo, febris ardor & sitis, quæ febrem semper comitatur. At dices cum in .3. sectione causonem à siti fieri ostendent, igitur sitis non erit παθογνωμονικὸν, signum, idest passionis indicatiuum, sed erit potius προκατάρχον .i. præincipiens signum & primitiuum, vt postea dicet & ipse Galenus. Respondemus duplicem esse sitim, vnam antequam homo causum ingrediatur, sed paulatim homo exarescit, & sitim ingreditur, hæc sitis profecto est causi primitiua causa. At sitis quæ ipsum sequitur ardorem, & quæ ex eius caliditate & siccitate fit, est signum παθογνωμονικὸν, idest quod passionem ipsam .i. causum indicat, vnde hæc est diuersa sitis ab illa quæ morbum fecit. At de signis παθογνωμονικοῖς differentias habes in primo commentario in primum Prorrhetici sectione .4.

Scito præterea προκατάρχοντας vocatas causas in secundo libro de symptomatum causis nuncupari & προκαταρκτικὰς hoc est preincipientes & præcedentes. idem in secundo cõmẽtario libelli de natura humana sectione prima habetur. Sũt vero præcedentes illæ, quæ extrinsecus adueniunt, & ita alterant ac immutant corpora vt morbi causæ sint, nam mouent προηγουμένας .i. præincipientes, primæ à recentibus primitiuæ nuncupantur, secundæ antecedentes.

### De causarum numero.

At hic vna occurrit nõ mediocris de causis disputatio, quæ nostro tempore per hominum ora vagatur, an tantum sint duo causarum genera apud medicos, præcedentes, & præincipientes, vel προηγουμένας, & προκατάρχοντας, hoc est si velimus secundum recentes loqui, vt quisq; etiam ex Auicennæ schola intelligere possit, antecedentes & primitiuas. qui nostro hoc tempore de re medica tractant, videntur de hac re differere ac si de nouo quodam loquantur, & prius non audito, conanturq; ostendere apud Galenum esse tantum hæc duo causarũ genera. Neq; adesse tertium illud genus quod συνεκτικὸν, idest cõtinens, vel (vt verbis recentiorum vtar) coniuncta causa nũcupatur. propterea hic de hac re dubitationem faciemus, cuius titulus erit.

Nunquid apud Galenum in morbis detur hæc causa συνεκτικὴ .i. continens, sed vt melius intelligar, coniuncta, verum pro

potiori

potiori huius rei intellectione, opus est primum hunc titulum interpretari, quàm ad quæstionis examen descendam. Primo dictur apud Galenum in hac inscriptione, quia nullus ambigit apud Auicennam dari hanc causam coniunctã, vt ipse met libro primo, fen secunda, doctrina secunda, summa prima, capite primo ostendit, quippe tres enumerat ægritudinum causas, primitiuas, antecedentes, & coniunctas, imo & sanorũ & neutrorum antecedentes & coniunctas ait in hoc communicare, quòd sunt res corporeæ, primitiuæ vero sunt extra corporis substantiam. & si harum causarum exempla petas, antecedentium causarum in febre exemplum, est ipsa repletio, quæ est causa febris antecedens, putredo vero est causa febri coniuncta. At ambulatio per solem est causa febris primitiua. Auicennam secuti sunt recentes omnes qui Auicennæ dogma erexere. Tamen non defuere & Græci sectatores qui hãc sententiam secuti sunt ob Ioannitium Monachum Cretensem, qui Isagogicum libellum confecit ad artem Galeni medicinalem, in quo de causis; quas ipse vocat occasiones sanitatis & ægritudinis agens, tres illas enumerat causas. nam dicit modi occasionum infirmitatem facientium tres sunt: nam aliæ sunt quæ vocantur primitiuæ, quæ exterius accidũt corpori, vt calor & frigus, sunt & accidentia quæ admouentur intrinsecus in corpore, vt repletio & inanitio, sunt & aliæ quæ vocantur coniunctæ. quæ cum adsunt, adest infirmitas, & abeuntibus his, infirmitas abest, vt putredo in febribus. Multi potius ex hoc authore decepti, quàm ex Auicennæ authoritate, cum esset Græcus, causas has coniunctas esse putarunt. At authorem hunc aberrare facile deprehendi potest, si eius verba contemplemur: nam censet causam hanc coniunctam simul remouere affectum, & simul ponere. idemq; sensit Auicenna, vnde inquiunt putredo est causa coniuncta febris: nam remota putredine febrem remoueri dicunt: quod absurdissimum esse quisque qui Galeni dogma sapit; aperte nouit, vnde apud Galenum remota putredine adhuc remanet febris, idest calor. Id vero apud Galenum constare ex hoc apparet, quia Galenus semper iudicat primo remouendam causam, postea insistendum circa affectum: lege in vndecimo Methodi: vbi manifestissime ostendit in intentione febrẽ esse primam, quæ debet fugari & expelli, tamen in inueniendorum auxiliorum ordine est vltima, censet primo putredinem extinguendam, & succos coquendos, post febrem expellendam, quod indicium est & febrem superesse post oblatam putredinem, & expressionem, in octauo Methodi ait si iam præsens febris est, & causa quæ eam excitauit, iam desiit, hanc tantum sanandæ eius consilium diriges, vt refrigeretur. Certum vero est causam ablatam esse putredinem, & quod relictum erat esse calorem febrilem qui sola refrigeratione expellitur. in libro præterea artis medicinalis capite. 59. docet primo semper rescindendam causam: deinde accedendum esse, ad suam ægritudinem, quæ ab eadem causa facta erat. sed quid verbis indigemus? si in vndecimo Methodi adest apertissima sententia hoc edocens, cum inquit fieri non potest vt febris sanetur nisi inhibita prius putredo sit. vt palam sit submouendam esse prius putredinem, deinde febrem ipsam esse curandam & extinguendam: & in tertio de locis affectis Galenus inquit, causa efficiente morbum remota adhuc morbus remanet.

Ad rem igitur redeuntes, in quæstionis titulo dictum est apud Galenum, quia certi sumus authores alios causam hanc coniunctam posuisse.

Addidimus in morbis: quoniam nullus ambigit apud Galenum aliis in rebus causam inueniri συνεκτικὸν. idest contentiuam vel coniunctam: constat enim in trigesimo Aphorismo septimi libri, vbi Hippocrates dicit, quibus in alui profluuiis excrementa spumosa sunt, iis ex capite pituita descendit: Galenum in commento docere, huius pituitæ spumosæ causam continentem esse spiritum flatuosum, nulli vero dubium est existente spiritu flatuoso cum pituita excrementa esse spumosa. vt intelligi possit, Galenum hic non ponere causam coniunctam in ægritudine aliqua, sed solum in spuma, quia causa spumæ coniuncta qua ablata aufertur spuma, & econtrario est spiritus flatuosus. Habetur & alter locus, in quo Galenus huius causæ mentionem facit, in principio primi libri de causis pulsuum. Primo antecedentium causarũ mentione facta & extremarum, idest primitiuarum addit. Nam tertium quidem esse causarũ genus non in pulsibus modo, sed in aliis cunctis. vnum quod primum est & præcipuum, quod quidem continens appellant, cuius inde appellatio deducta est, quod illorum essentiam contineat, quæ vt modo diximus generationis est causa. vt videas Galenum in pulsibus coniunctam causam posuisse. Et quamuis dicat in aliis cunctis, id potest referri ad ægritudinem. Cum ergo deprehendi possit Galenum in aliis rebus causam coniunctam posuisse, propterea disputatio tantum erit in morbis, & profecto disputatio hæc de causa coniuncta originem habuit à Stoicis, quod vbertim Galenus in libello contra Iulianum edocet, cum inquit diximus porro alibi quoque de continentibus causis: vbi ostendimus tam nomen ipsum, quàm rem, cui nomen impositum sit, ex Stoica esse secta. & si petas vbi sit alter ille Galeni locus, vbi de hac egerit causa, prætermisso libello de hac re proprio, qui desideratur, dicimus & esse in libello de plenitudine: in quo ostẽditur & à Stoicis & ab Herophiliis emanasse αἴτιον συνεκτικόν. idest contentiuam causam, à Zenone ipso primo originem habuit, cum de rerum causis suis cum discipulis disceptaret. Nam Zeno duas posuit rerum causas materiam & deum per omnia penetrantem & omnia permeãtem, & qui res omnes contineat & gignat, augeat & perficiat. hoc ab Alexandro in libello de mixtione inuenitur. vt colligi possit Stoicos & Zenonem primum omnium posuisse nomen τοῦ αἰτίου συνεκτικοῦ. idest contentiuæ causæ, quoniam omnia contineat, sicuti & in morbis contentiua causa esset, quæ morbum contineret & qua remota morbus penitus remoueretur, ipsaq; esset quæ morbum conseruaret. Causa vero ista Zenonis, vt Cicero in libris de natura deorum definit, est vt ignis artificiosus ad gignendum progrediens via. à Zenone & Stoicis non discessit Virgilius, qui deo omnia plena esse testatus est, cum sit causa omniũ continens. idem censuit Aratus. idem visus est sentire Hippocrates in libello de carnis natura. At ipse vocat æthera: vultq; esse calorem, qui sit immortalis, & intelligat ac videat omnia & audiat, quin & cognoscat & futura & præsentia vniuersa. Vides igitur Stoicos in vniuerso mundo causam posuisse continentem, & de ipsa apud philosophos disputatum esse. Leonicenusq; ostendit Athenæum Attaleũ propter illam quam habuit cum Posidonio philosopho consuetudinem. Primum cœpisse de causis contentiuis, quas coniunctas vocant in medicina loqui, vt ex philosophis ad medicos emanauerit, & si petas quonã modo illam definierint medici illi primi. Alia profecto definitio non constat, quàm illa quæ à Galeno ponitur in libello contra Iulianum, cum inquit, καὶ μὴν οὐδ' ἄλλην τινὰ ἔννοιαν αἰτίου ἔχει τοῦ συνέχοντος αἴτιον παρὰ τὸ γίνεσθαι τι πρὸς αὐτοῦ, καὶ παύεσθαι σὺν αὐτῷ. idest, equidem non aliam quandam notionem quispiam dicere habeat, continentis causæ, quàm aliquid fieri ab ea, & cum ea cessare. Quam proculdubio sententiam secuti sunt & Auicenna & Ioanniculus, & omnes in ordinem recentes. Ad rem vero redeuntes disputatio erit de continente causa, vel coniuncta solum in morbis, non in aliis rebus, vt si breuibus quæstionis titulum referre velimus, ita dicamus, an secundum Galeni sententiam, & non Auicennæ, vel Stoicorum detur causa contentiua in morbis, & non simpliciter.

Si Galenum optime contemplemur, apud ipsum (vt Leonicenus primus omnium censuit) non datur hæc causa, nempe mirum videretur, & profecto mirum, Galenum illam prætermisisse in illis locis, in quibus loquitur de causis, & in quibus est determinata intentio loquendi de illis. Imo, si in

aliquo Galeni loco inueniretur, is locus mihi suspectus esset, putaremq; aut in illa parte fuisse adiectum, aut librum illum non esse Galeni, cum in locis proprijs, ubi de causis loquitur, nulla fiat huius causę mentio. Vnus est proprius de his causis pertractandi locus, & de hac (si illam in morbis esse iudicasset) in libro de morborum causis, tamen in illo nullam facit huius contentiuę causę mentionem, sed antecedentis tantum & primitiuę meminit, alter est proprius locus in primo Methodi medendi, vbi de morborum causis agit, tamen nullā facit de contentiua mentionem, quā tamen debuisset saltē nominare & in libello de plenitudine reprehēdit cōtentiuā causam, ostenditq; in libello cōtra Iulianum non conuenienter antiquos vsos esse vocabulo συνεκτικοῦ, adest & Galeni liber de causis procatarcticis, in quo fit quidem mentio de causa antecedente, non tamen de coniuncta, quam si dari voluisset, illam saltem nominasset. Ob hæc & similia procul dubio tenemus apud Galenum non reperiri hanc causam in morbis, vel illam neglexisse, imo neque in hac commentatione illius meminit, imo si recte perpendamus causa hæc Galeni dogmati in morbis repugnare videtur. nam in libro de symptomatum differētiis censet, cum morbus sit præter naturā, affectio quæ actionē vitiat, & fieri possit vt morbus aliū præcedat affectū, qui & ipse sit præter naturam, nec tamē per se, sed morbo interueniente actionem lædat, hic affectus nō morbus, sed antecedens causa à Galeno vocatur, vnde apud ipsum colligitur inter antecedentem causam & morbum nullam aliam interponi causam, idcirco apud Galenum in primo & secundo Methodi, & in libello de differentiis symptomatum colligitur illum affectum à quo fit morbus (hic autem affectus nihil aliud est quàm affectus à quo primo actio læditur) vocari causam antecedentem, inter morbum vero & causam antecedentem nihil interseritur, vnde differentia est inter Galenum & methodicos in hoc, quia Galenus putat morbum esse affectum, qui actionem primo lædit. propterea nec potest, nec dicere debet causam intrinsecam esse causam coniunctam, putandumq; secundum Galenum actionem læsam esse symptoma, quod à morbo dependet. At secundum methodicos causa coniuncta poni posset. quoniam ipsi putant morbum esse actionem læsam, & non esse affectum qui lædat actionem, propterea ipsi dicere poterunt actionem læsam esse morbum, affectum qui lædit esse causam coniunctam, plenitudinem vero & alia similia esse causam antecedentem. sed Galenus qui hoc non censet, sed censet affectum qui lædit esse morbum, non potest ponere nisi causam antecedentem, imo velit nolit, si causam poneret coniunctam, opus esset, vt diceret actionem læsam esse morbum, vnde id quod ab aliis dicitur causa coniuncta, apud Galenum est morbus. nàm ipsa necessario est affectus qui lædit operationem, idcirco necesse est dicere secundum Galenum, affectum illum, qui id gignit à quo actio impeditur, semper esse causam antecedentem, quod vero actionem impedit, esse ipsum morbum. At si tergiuerseris, quod de illo loqueris, quo remoto morbus remouetur, & quo posito ponitur morbus, profecto hoc nihil aliud est, quàm ipse morbus, quia posito morbo, statim actio læsa consequitur, remoto morbo actio læsa remouetur, posita causa coniuncta, actio læsa ponitur, illa remota actio læsa remouetur, propterea idem est causa illa vocata coniuncta cum morbo ipso, & est ipse morbus. Hæc confirmari possunt. quoniam. 33. capite artis medicinalis fit causarum mentio, & non continentis, verūtamen hi qui secundum Galenum causam coniunctam posuere, suos habent locos quibus innituntur ex Galeno desumptos, adest primo locus in trigesimo aphorismo septimi libri, de quo superius egimus, & in illo meminit causæ coniunctæ.

Adest & locus adductus ex primo de causis pulsuum in fronte, vbi expresse tres ponit causas in pulsibus antecedentem, procatarcticam, & coniunctam, addidiq; & has in omnibus aliis rebus inueniri, igitur & in febribus inuehitur.

Præterea Galenus in introductorio ita de causa coniuncta agit: causa coniuncta est illa, quæ cum adest, & morbus ipse adest, cum vero aufertur, morbus etiam aufertur, vt spina & telum, cum hæc adsunt, adest & morbus, cum auferuntur & morbus aufertur.

Adde eundem Galenum in definitionum libris, de eadem causa coniuncta hæc dicere, est illa quæ cum præsens est, morbus quoque est præsens: cum vero aufertur, simul & ipse morbus aufertur, vt lapis in vesica.

Præterea Galenus causam coniunctam in primo de causis symptomatum ponere videtur cum inquit molesta est pupilla præter naturam exigua, quæ vero suapte naturalis est, vtilis esse censetur. Mox addit, amplitudo natiua quidem vitiosa est, neque vitio caret non naturalis, sed in hoc ab angusta vincitur, quippe continens causa, vt ita dixerim, quæ ipsam inducit, rhagoidis vel vueæ tunicæ tensio est, cuius laxitas pupillam reddit minorem, amplitudo vero & angustia sunt morbi, tensio vero est causa, amplitudinem vero & angustiam morbos esse ex hoc patet, quia primo lædunt operationem, videmus enim amplitudinem & angustiam oculi, actionem quæ est visio primo lædere.

Præterea à quibusdam additur stuporem esse morbum, & habere causam coniunctam vt ex eodem primo de symptomatum causis colligi potest, imo addi potest, & additur horror ac rigor, quæ ex Galeno coniunctam causam habere videntur, est motus citatior excrementorum rodentium, confertim actorum.

Amplius in libris contra Iulianum Galenus coniunctam causam recepit, & de illa ample mentionem fecit.

Adde in libro de plenitudine fieri amplissimam huius coniunctæ causæ mentionem, quam tam accurate non fecisset, nisi & ipse coniunctam causam approbaret.

Præterea dicunt fumum ab humore putrescente ortum, esse causam coniunctam, quia eo posito, ponitur febris, eo ablato febris aufertur, causa vero antecedens est ipsa putredo, igitur necessarium est apud Galenum coniunctam causam fateri. Quin & Galenus hanc causam in libro de historia philosophica palàm proposuit, vbi de principii & causæ differentia agens, inquit: Principium & causam aliqui inter se differre putant, alii qui principium quidem rerū omnium originem præcedere volunt, non tamen ipsum euentus huiusce causam esse dicunt, sed id quo secundum vnumquenque modum res fiunt, causarum genera itidem statuunt: præcedens, quod ab euentu separari potest: idque quod iam effecit permanet continens, quod rem quam facit non deserit: nam eo præsente res gignitur, absente desinit, vrgente crescit, desistente minuitur. vt hinc palam videas, Galenum hanc continentem causam hic posuisse.

Adest & locus in libello de natura humana in secundo cōmentario sectione prima, vbi ait non esse idem dicere morborum esse continentem causam repletionem & vacuationem. & ex repletione oriri nonnullis interiectis verbis addit. At prauum est morbi repletionem causam esse continentem, igitur continentem causam esse censuit.

Præterea in secundo medendi methodi continentis causæ ter mentio fit, quod non effecisset, nisi illam iudicaret.

Adde in primo commentario in tertium epidemiorum sectione secunda à Galeno dici tremorem causam continentem virium imbecillitatem: igitur apud ipsum adest causa continens. Præter hæc & in decimo Methodi causæ continentis meminit, & alibi de illa mentionem facit Galenus. Hæc sunt argumenta, quæ fieri posse videntur, & ex Galeno educi, & quæ hinc inde à variis fiunt, vt contentiuam causam apud Galenum inueniri probent, quam nos non inueniri in morbis dicimus, neque apud Galenum in aliquo præcipuo loco, & non spurio inueniri, quoniā si vbiq; illam consideremus, vbi statuit de morborum causis agit,

de ca

de ea nihil locutum esse proculdubio constat, vnde causa intrinseca, & (vt recentes vocant, corporalis, solum est vna, illa scilicet quæ vocatur antecedens. causa dicta coniuncta est morbus ipse, & qui dicunt humores putrentes esse causam antecedentem, corruptos vero vapores esse causam coniunctam, decipiuntur, quoniam & hi vapores corrupti sunt causa antecedens, quia illis remotis adhuc permanet febris, & adhuc permanet calor ille præter naturam, qui refrigerantibus auferri debet, vnde apud Galenum inter causam antecedentem & morbum nihil adest medii. est vero morbus affectus ille qui lædit operationem, operatio læsa symptoma est sequens ad morbum, vt putridi humores & eorum fumi sunt antecedentes febris causæ & immediatæ, febris ipsa, idest calor extraneus accensus in corde, & procedens per totum corpus est affectus & morbus, corporis immobilitas vel actiones corporis læsæ sunt symptomata à febre dependentia, hic nulla adest coniuncta causa, & ita in aliis morbis apud Galenum non adest coniuncta causa, & si quandoque nonnihil inueniant, quod illis videatur esse causa coniuncta, vel est antecedens vt fumi prædicti putridi, vel est ipse morbus, quia hoc immediate lædit operationes. hæc secundum Galenum dicta sint, nunc reliquum esse videtur vt argumenta omnia dissoluamus, quæ suadere videbantur apud Galenum causam coniunctam inueniri.

Primo autem in genere fatemur in aliis rebus præterquam in morbis contentiuam causam concessisse Galenum, imo in calce nonnulla addemus de aliquibus morbis secundum eundem, nunc argumenta singulatim soluere aggrediamur.

Ad primum ex septimo aphorismorum iam dictum est Galenum in aliis rebus ponere causam continentem, non tamen in morbis, vnde palam est pituitam habere causam coniunctam cum spuma fiat, & coniuncta causa est spiritus flatuosus, qui cum pituitæ commiscetur, quendam habet vehementem motum & inæqualem, vnde & ipsemet flatus confringitur, & pituitam ipsam in multas paruas partes confringit & extendit, hoc spiritu remoto spuma remouetur, & illo posito ponitur spuma, intellige illo posito in pituita: & ideo in hoc casu coniunctam causam concedebat. imo vnum adnotato, vbicunque Galenus de causa coniuncta exemplum dedit, semper spumæ exemplum recepit, vt palam est si quis Galenum legerit.

Ad secundum in primo de causis pulsuum, Galenus causam coniunctam in pulsibus posuit. & si dicas, addidisse & in omnibus esse rebus. Respondemus Galenum hoc modo intelligendum esse, causam coniunctam esse in pulsibus, & in omnibus aliis operationibus pulsui similibus. vnde si Galenum ibi consideremus quando quærit continentē causam dicit aliquos dixisse esse natiuum calorem, alios contentionem, alios temperamenti proprietatem, & alios alia, tamen ipse ponit tres causas, quas vocat pulsuum contentiuas, vna est vis quædam in arteriis, qua arteria ipsa quæ instrumentum est, dilatatur, & ipsæ arteriæ, vel ipsum corpus arteriæ quod dilatatur & constringitur, & vis euentandi ac perflandi, nempe vis ipsa vt conuenit agit, Galenus multa in illo loco enarrauit, sed hæc pro exemplo nunc satis sint. his tribus contentiuis causis positis ponitur pulsus, his remotis vel vna sola, remouetur pulsus: itaque pulsus causas habet contentiuas, & vnumquodque actionē agens, vt pulsus habet contentiuam causam. hæc est Galeni sententia in hoc loco, sed tamen ob hoc nō ponit causam contentiuam, vel coniunctam in morbis.

Ad tertium constat librum illum non esse Galeni, & apertissime à probis viris confirmatur, nempe neque in phrasi neque in rebus ipsis Galeno conuenit, quippe qui in multis Galeni sententiæ aduersetur, neque in librorum Galeni catalogo reperitur, & non esse Galeni palam ostendit, exemplum quod ponit causæ coniunctæ, cum inquit vt spina ac telum, nam spina ac telum sunt causæ primitiuæ, ipsisque positis non ponitur vulnus, ipsisque à vulnere remotis vulnus non remouetur. id vero mire absurdum est, quod nonnulli dicunt remoto telo remanere quidem vulnus factum, sed desinere esse quod fit, ac si id quod erat, quando iam telum erat infixum, illud non esset, postquam telum est extractum. sed cum hæc futilia sint, dimittantur, asserentes librum illum non esse Galeni.

Ad quartum æqua ratio est, nam neque definitionum liber est Galeni vtpote qui multa aduersus Galeni dogmata cōtineat, nec eius phrasim sapit, & definitionis exemplum est absurdum, quo dicit vt lapis in vesica, nempe censet lapidem in vesica esse causam coniunctam, verum vt manifestissimum est lapis in vesica est morbus in numero, & morbus vocatur ab Hippocrate aphorismo vigesimosexto tertij libri, quamuis posset morbum alium facere scilicet vesicæ excoriationem, & tunc est causa, de qua nolo in præsentiarum disputare, an vocari debeat antecedens vel primitiua & extrinseca exulcerationis, nam certum est non posse esse causam coniunctam, quia remoto lapide adhuc permanet vlceratio.

Ad quintum, & pupillæ amplitudo, & angustia, sunt symptomata non morbi, nam pupillę amplitudo sequitur rhagoidis, idest vueæ extensionem, & pupillæ angustia sequitur eiusdem vueæ laxitatem, vnde si recte perpendamus, vueæ extensio est morbus, quia ipsa extensio est, quæ pupillæ lædit actionem. At ipsa amplitudo est actio læsa, quæ læsa actio apud Galenum symptoma est, idem dico de vueæ laxitate, quæ morbus est, qui pupillæ actionem lædit, angustia vero est ipsa actio læsa. At actio læsa symptoma est & non morbus, hoc potest manifestissime deprehendi ex intentione quam Galenus habet in illo libro scilicet qui est de causis symptomatum, nam horum symptomatum amplitudinis & angustiæ pupillæ causas Galenus reddit: sunt vero symptomata de quibus ibi agit, illa quæ in actionis offensione consistunt. At forte dices Galenum expresse ponere coniunctam causam, & illam nominare. Respondemus posuisse quidem, neque hoc imus inficias, sed dicimus hæc non esse morbos, sed esse actiones læsas, quæ sunt symptomata quæ & Galenus & nos cum illo fatemur causam coniunctam habere posse, imo semper morsus est causa coniuncta actionis læsæ, vnde dicimus morbum nō habere causam coniunctam, est vero morbus id quod actionem lædit, actionem vero læsam dicimus habere causam coniunctam, quia habet affectum illam lædentem, est vero is affectus qui illam lædit morbus ipse. vnde & à Galeno in primo Methodi dicitur, affectum vnà cum actione consistere, nec posse vnquam, aut probam actionem esse sine corporis naturali affectu, aut vitiosam, nisi corpus vitio aliquo affectum sit. Vides igitur illa esse symptomata quæ in argumento adducuntur, & non morbum, & propterea posse habere causam coniunctam: quanquam quispiam facile dicere posset, ibi Galenum non asserere causam coniunctam, sed dicere, quippe continens causa (vt ita dixerim) quæ ipsam inducit, rhagoidis tunicæ tentio est. vt videas dicere esse continentem causam, vt ita dicat, ac si velit, vt ita nunc vocet, non tamen vt ita sit. & ne fugias dicens hoc esse additum ab interprete, in Græco etiam codice ita habetur, ἡ μὲν γὰρ ὡς ἂν εἴποι τις αἰτία συνεκτικὴ τῆς γενέσεως αὐτῆς, τάσις ἐστὶ τοῦ ῥαγοειδοῦς χιτῶνος. idest causa quidem contentiua (vt quispiam dixerit) generationis ipsius est tensio vueæ tunicæ. Verūtamen & si Galenus vtatur illo loquendi modo, nos putamus esse suam causam continentem, & symptoma id quod est actio læsa, habere causam continentem, quæ est ipse affectus, morbus nuncupatus: vnde extensio profecto & laxitas sunt morbi, ampli-

tudo & angustia sunt actiones læsæ & prædictorum morborum symptomata. Illos autem fuisse suos morbos in eodem libro palam ostendit Galenus, cum dicebat, Itaque affectus ad solam tunicam spectans extensio quædam est & laxitas. vt ex ipso proculdubio colligatur affectus & morbos in hoc casu esse extensionem & laxitatem, vnde quod argumentum asserebat amplitudinem, & angustiam primo lædere, est absurdum, quoniam hæc primo non lædunt, sed sunt actiones læsæ, primo autem lædunt extensio & laxitas.

Ad aliud & ipse stupor est symptoma, nam est actio læsa, quæ refrigerationem, vel obstructionem sequitur, refrigeratio vero, & obstructio sunt morbi, quia actionem ipsam vitiare possunt.

Ad septimum, & horror & rigor sunt symptomata, & actiones læsæ non autem morbi, quæ fatemur coniunctam causam habere posse, qua posita ponuntur, & remota remouebuntur.

Ad octauum Thessalum reprehendit & Thessalios asinos, atque Iulianum, quia in plenitudine perperam hanc causam intellexere, non quòd illam ponat in morbis.

Ad nonum & in libro de plenitudine reprehendit Stoicos, & eos qui perperam de tali causa locuti sunt, tamen illam non ponit in morbis, vt palam est, si librum illum contempleris.

Ad decimum, vanum est dicere fumum ab humore putrescente ortum, fieri causam coniunctam, nec verum est eo posito febrem poni, & eo remoto febrem remoueri, quia fumi omnes auferri possunt, & extranea per totum corpus extensa caliditas adhuc remanebit, quæ alteratione per frigida remouebitur. adde nunquam inueniri apud Galenum vaporem & fumum à putrescente materia eleuatum esse putridæ febris causam: quàuis de diaria forte dici posset fumum aut vapores esse eius causam.

Ad vndecimum liber is de philosophica historia Galeni non est, sed est spurius, neque in doctrina Galeno conuenit, neque in phrasi. adde & si coniunctæ causæ mentionem fecerit, id fecit vt philosophus: nam vt dictum est, Stoici ponebant in rebus humanis continentem causam: neq; illam negat Galenus, sed nunquam illam posuit in morbis.

Ad duodecimum non negamus Galenum ponere causam continentem, sed tantum dicimus non esse in morbis, & quæ de plenitudine dicit quę non sit causa continens, eadem ad idem propositum in libro contra Iulianum refert, & in libro de plenitudine.

Ad tertiumdecimum mentionem facit illius causę primo secundum antiquos, non secundum propriā sententiam, imo addit se ignorare quicquam esse coctionis continentem causam, adde & videri deinceps in eodem libro velle primam ipsam curationem, quam nonnulli continentem appellant, affectum esse qui actioni incommodat.

Ad quartumdecimum dictum iam est tremorem non esse morbum, sed symptoma, propterea nec negari posse habere coniunctam causam.

Ad aliud vero non imus inficias Galenum causam cōiunctam posuisse, sed illam non posuit in morbis. Ex his igitur nemo aperte probabit Galenum in morbis coniunctam causam posuisse: vt hinc habeatur, & absque dubio in morbis nullam esse causam continentem.

Tamen quia de hac re aliàs loquentes dicere solebamus duplex esse morbi genus, vnum quod fit & permanet, aliud quod solum est, dum fit, in morbis qui fiunt, & consistunt nullo modo dari potest coniuncta causa, sed in morbis qui fiunt dum fiunt, & postea cum non fiunt esse desinunt, reperitur causa coniuncta. hocq; colligi posse videtur ex libello contra Iulianum, imo prope libri calcem videtur velle Galenus, si febris fiat ex bubone, bubonem esse febris coniunctam causam, quia illó posito ponitur febris, bubone remoto remouetur febris.

At forte contra hęc dices morbum qui fit dum fit nō esse morbum, nam vt Galenus secundo Methodi docet, morbus ex permanentium & constantium numero est, verum qui fiunt non constant nec permanent, igitur non sunt morbi, igitur neque dici poterit etiam in his morbis qui fiunt dum fiunt esse causam continentem, & consequenter esse in aliquibus morbis, quia hi morbi non sunt: vnde in eodem secundo Methodi vocat hunc affectum qui fit non morbum sed pathos, idem quoque facit in libello de differentijs symptomatū, dum sunt in motu pathos vocantur. Ideo & si in his esset causa coniuncta, tamen non esset dicendū esse causam morbi, & in morbis esse causam coniunctam, sed pathos causam coniunctam.

Et in libro de differentijs symptomatū à Galeno dicitur morbum esse affectum, atque affectum esse in corpore subiecto, & manere ac seruari. Si ergo morbus permanet, igitur morbus qui adhuc fit, & in fieri cōsistit, non est morbus, cōsequenter non aderit cā coniuncta alicuius morbi, sed forte πάθους.

Præterea quod fit nondum est. At si morbi fiunt, igitur non sunt morbi: & vocabulum apud Gręcos τὰ γινόμενα νοσήματα manifesta ostendit non esse, quia fiunt.

At re vera & si pathos appelletur morbus qui in fieri est à Galeno in secundo Methodi, & in libello de symptomatum causis, & morbum esse ex genere permanentium, & hęc appellari τὰ γινόμενα νοσήματα, & morbum esse affectum: tamen penitus negari non potest, & hos qui fiunt esse morbos, nam & actiones lędunt ac impediunt. Imo in libris methodi censet morbos ad quos sola venę sectione curari, quia nondum sunt confirmati, cum vero non sint confirmati, sunt in fieri & nondum facti. Illosq; morbos vocat & dicit curationem nō solum esse factorum morborum, sed etiam esse causarū morbos efficientium, vt videas cum causa morbum efficit, esse adhuc in fieri. At hac de re quicquid sit, vel morbi in fieri nominentur, vel pathos, & non sint morbi, cum tamen à nomine morbi penitus auferri non posint. et ne de nominibus litigemus, dicimus, in his morbis qui sunt dum fiunt, apud Galenum datur causa contentiua, neq; ipsa in his neganda est, nam in secundo Methodi et in libro de symptomatum causis etiam si pathos appellet, tamen inquit pathos esse motum ab efficiente procedentem circa materiam. vnde sicut actio quæ nihil aliud est q̄ motus efficientis est ex his quæ adhuc fiunt et non permanent: eodem modo morbus qui à Gręcis dicitur τὸ γινόμενον νόσημα. i. morbus qui fit, uel morbus (vt ita loquar) fiēs, et à Galeno pathos, et sicut actio habet cōiunctam causam. i. affectum illum qui cum illa perpetuo cōsistit, eodem modo et hic morbus qui fit, vel dictus pathos habet cām coniunctam, hocq; nullo modo Galeno repugnat. si uero quis cōtendat nō esse morbum, sed pathos, quantum lubet contendat, vnū est actionē lędere, et hęc omnia Galeno cōueniunt, et in. 1. cōmētario in. 3. epid. sectiōe. 4. enumerat affectus qui dū fiunt sunt.

Non defuere tamen recentes qui putarint antecedentem cām illam esse quę intrinseca est, sed nondum facit morbum, vt humor in corpore corruptioni aptus: cum vero corrumpitur, tūc esse causam coniunctam. neq; definitionem illam coniunctæ causæ recipiunt, illam esse, qua posita morbus ponatur, et qua remota morbus remoueatur. sed hi possunt quicqd voluerint imaginari, vnum est eorum cām antecedentem non esse cām, et loqui de causa coniuncta præter ordinē, et ipsius causæ coniunctæ modum, quę à Stoicis vsq; in sensu et definitione Galeni in libro contra Iulianū enarrauit. poterant et hi simul cum Methodicis ponere ęgritudinē actionem læsam, et dicere affectum illum lędentem operationē esse eius cām coniunctam, et actionem illam lęsam esse morbū, tamen Galenus censet morbum esse affectum illum qui immediate lędit operationem, & lęsam actionem esse symptoma.

Vnde inferre licet Galenum non Herophili modo, neq; Thessali, neq; Iuliani posuisse causam coniunctam, neq; Methodicorum morā, intelligendo actionem lęsam esse morbū, tamen hanc causam quodammodo posuit, et illa secūdum proprium commodum vsus est, neq; illam penitus repudiat.

Vndecimo

Vndecimo, Galenus notat, postq; huius libri author à prægradientibus causis initium fecit, dicens uenulas exiccari, ad præincipientes transire debebat, propterea debuit longam ambulationem annotare, atq; sitim, tamen hæc non annotauit, sed potius ad illa transiuit quæ affectum ostēdunt, ut est febris uehemens, de qua statim mentionem fecit in secūda Sectione. propterea hic author in his enumerandis aberrauit, & quæ erant simul coniungenda non coniunxit, simulq; posuit quæ non erant ponenda: neq; in his statuendis atque ordinandis ordinem seruauit. ut credendum non sit huius libri authorem fuisse Hippocratem.

Sed hic ambiges, cur inter præincipientes.i. primitiuas causas sitim ponat, cum & supius, & deinceps, & statim cū uult post febrem ardētem esse addendam sitim, quæ est & ipsa signum pathognomicum: ergo non est inter primitiuas & præincipientes causas. Respondemus, sitim esse duplicem: unam ante causum, qū homo sitim uel sponte uel inuito patitur, ex qua deinde uenæ exiccantur, & biliosos trahunt ichoras: & hęc sitis nō est signum quo affectio ostendatur, sed est causa præincipiens uel primitiua.

Et si dicas, qūo est causa primitiua si est intrinseca? Respondemus, est extrinseca ratione affectus, & ratione causarum antecedentium, quæ sunt uenarum exiccatio. Est alia sitis, quæ ad febris ardorem sequitur, & ad uehementem eius caliditatem, & hæc illa est quæ est signum pathognomicum, de quo statim loquetur.

Duodecimo, alium ostēdit huius authoris errorem, imo & duos, nam post ardentem febrem, quæ est signum passionem ostendēs, addere debuit sitim uehementem, quæ est aliud signū passionem ostendens, tñ non apposuit, sed errorem errori addidit, qa simul posuit sitim cum aliis signis et symptomatibus, quæ consideranda sunt, in qbus etiam enarrandis aberrauit, qa dicit mētis aberrationem huic febri inesse: alia uero signa ppetuo inesse, idq; ostēdit per illam particulam, interdum uero mētis aberratio: ꝗ mentis aberratio est interdum, alia erunt ppetuo, qa interdum opponitur ppetuo. uerum ipse Galenus fatetur uentrem morderi, & biliosa deijcere ex his non esse, quæ ppetuo insunt. nam ꝗ morbus sit uehemēs, & ꝗ motus acrium & tenuium humiditatum ad interna sit, unde hæc cōtingant, non est ita ppetuo, sed illis solum inest, in qbus ardens febris habet in uentre, uel in iecore, uelut sedem & mineram (ut recentiorum uerbo utar) sed his in quibus causus sedem habet in pulmone, hæc non admodum contingunt, quāuis nonnunq; contingere possint: sed in his qñ est minera in pulmone, potius alia symptomata sequunt, ut illa quæ sunt in lingua, quæ sit aspera, sicca, & nigra, & desipientia. imo adde hos difficulter spirare: intellige uero de illa spirādi difficultate quæ densa est & magna: & hi conuenienter efflant os apertum habētes, exeuntq; spiritus ignei & calidissimi, quos si qspiam manum apponens sentiat, calore quodam uelut fumi è camino exeuntis afficit, ut multi possint huius authoris errores in hac re pcipi. Adde & prætermisisse totam spirādi difficultatem, de qua in pgnosticis dictū est: unde & in hoc est ualde diminutus & decurtatus. Galenus in. 3. de spirādi difficultate inqt, in ardētibus febribus fiūt anhelosi.i. habentes densum spiritum, & simul thoracem multum distendentes.

Vbi legit, quæ ppetuo insunt, addi debet τοῖς καύσοις.i. ardentibus febribus, ut in græco contextu adest.

Quod legitur, igneiq; spiritus effusione lauant, græce est καὶ τῇ τοῦ πυρώδεος πνεύματος ἀποχύσει κουφιζόμενοι.i. & ignei spiritus effusione eleuantur. fuit error Impressoris, qui pro eleuantur, lauantur impressit.

Scito cum materia quę causum facit, in iecore est, uētrem morderi, & biliosa deijci.

Petes uero qd hic per uentrem intelligit. Respondemus, uentrem inferiorem intelligere, in quo sunt intestina, nam utitur uocabulo κοιλίης, postea cum dicit uentrem, heparq; per uētrem intelligit uentriculum, & utitur uocabulo γαστέρος. sunt ergo intestina quæ mordentur, & non uentriculus: nec immerito, quādo sit in iecore materia quæ causum facit. Verūtamen ab hac ambiguitate abstinere non possum, qa inquit, qñ iecur erit sedes causi, deijci biliosa, & intestina morderi. uerum quando ita erit ꝗ ardens febris habeat sedem in iecore, tunc in ipso iecore aderit inflammatio, ex qua inflammatione biliosa deijcientur. & cum textum exponat, opus est dicere deijci & liquida: unde ad iecoris inflāmationem deijcientur liquida, biliosa, pallida, uentrem inferiorem commordentia.

At uidetur hic mira in Galeno contradictio, quoniam in. 2. prognosticorum Sectione. 2. ubi Hippocrates hydropis signa docet ex parte inani, & iecoris. Intellige uero per inanem partem (ut Galenus prius in prima Sectione eiusdem libri docebat) ieiunum, lactes, & intestina tenuiora.

In. 2. Sectione Hippocrates signa docet qñ ex ieiuno fit hydrops, & lacte, & intestinis tenuioribus: interq; signa hoc unū est, ꝗ hi habent diuturnum alui fluorem.

At Galenus in commentatione docet hydropem fieri, quando ieiunum & lactes inflāmatione uexentur, nam uenæ his fiunt debiles, per quas iecur ad se alimentum trahit: unde iecori non subseruiunt ad diductionem, neq; id alimentum manet in ieiuno, & tenuioribus intestinis. cum igitur ab eo grauentur, cum debiles sint, statim id omne deorsum pellunt. & hæc est fluoris alui causa, & ob partium calorem alimentum in bilem conuertitur. & hęc est causa cur intestina mordeantur. postea Sectione. 3. cum Hippocrates hydropis idicia ponit, ex iecore inquit uentrem non deijcere nisi dura & ex necessitate.

Galenus in commentatione ait, esse dura quæ deijciūtur, tum quia morantur in intestinis, & ab eis non aggrauantur cum sana sint, & nihil sint passa intestina, partim iecoris inflāmatione torrentur. ut hic palàm deprehendi possit, Galenum uoluisse iecoris inflammatione dura facere excrementa, & non liquida, ut hic uisus est Galenus in prælecta commentatione censuisse. Respondemus, aliud esse loqui in hydrope ex iecoris inflammatione: aliud in febre ardente ex eadem inflammatione: nam in hydrope ex iecoris inflammatione, supposito quòd intestina sint sana, illa quæ sunt liquida inter abdomen extra recipiuntur & intestina: reliqua crassiora quæ à iecoris calore aduruntur, & per intestina meant, in ipsis morantur, & duriora semper efficiuntur: sed in febre ardente ex iecoris inflammatione materia ad iecur trahitur, quæ & ibi inflammatur, & in bilem conuertitur. at non adest locus in quo reseruetur, sicuti in hydrope, propterea exit, & per intestina transiens, illa mordicat. nempe locus non habetur in quo contineatur.

At dices, nonne continetur in intestinis? Respondemus, non contineri in ipsis, sed mordentur, & ad expulsionem excitant.

### De ui intestinorum contentrice.

Dices uero, nonne & intestina uim habent contentiuam, qua possint hanc materiam continere? Respondemus, hanc esse unam maximam in re medica difficultatem, an omne membrum quatuor habeat uires, attractricem, contentricem, concoctricem, & expultricem. & hæc difficultas ob intestina contingit, in quibus non uidetur esse uis contentiua. tamen Galenus ubiq; hoc fatetur, quatuor has uires omni inesse membro, & omni etiam minimæ corporis particulæ, & Galenus profecto non errat.

Est uero in. 3. libro de uirtutibus naturalibus, nam omne mēbrum ad se nutrimentum trahit, ut magnes attrahit ferrum, postea id nutrimentum retinet. uis hæc retentrix eademmet est quæ attraxit, sicuti eadem ui magnes ferrum attrahit, & retinet, deinde suo calore concoquit, assimilat, & superfluum expellit, & in hoc sensu intestina & ipsa uim habent contentricem, qua nutrimentum attractum continent, & eadem est uis qua attrahebant, & qua etiam retinent. uerum hoc in loco de ui hac ꝯtentrice loq non est opus, sed tm̄ sermo est de ui excrementorumq; expultrice, an in intestinis sit hæc uis, & pfecto inesse

uidetur, q̃m frustra fecisset Galenus in. 9. de composi. medicamen. fm locos, nonnulla antiquorum scribit medicamenta, quibus in dysenterijs, & in alui ꝓfluuijs, ad aluum sistendam extrinsece corpori apponebant. & oẽs recentiores medici multis utunť emplastris ad uim intestinorũ cõcoctricem roborandam. quæ oĩa frustra fierẽt, nisi hæc uis in intestinis adesset. experientiaq; ostẽdit hæc proficere. Præterea, multi sunt hoies adstrictę alui, cuius adstrictionis causa à multis et probis medicis ad uim intestinorũ contentricem refertur, quæ robusta sit.

Huc. 20. scdi lib. Aph. adducas, ubi inqt. Quibus iuuenibus adhuc aluus humecta est, ijs senescẽtibus exsiccať. Gale. in cõmentatione rõnem reddẽs inqt, inter alias dicit nõnunq̃ cõtingere, retẽtiua alui facta imbecilliori, consequenter aluus & intestina uim habent retentricem.

Adde Galenum Aph. 22. tertij lib. dicere liẽteriam fieri ex imbecillitate intestinorũ cõtentiua. cõfirmatur ex eodem Galeno 12. Aph. quarti lib. ubi & lienteriæ causam refert, inquiens esse imbecillitatem contentiuæ intestinorum.

Cõfirmať & ex Apho. j. sexti lib. ubi idem Galenus de eadem agẽs lienteria, ponit esse imbecillam intestinorũ contentiuam, & stomachi, eius causam.

Præterea, Galenus in libel. de medicinis expertis, ponit medicamẽtum quoddam cõstipans, ad uẽtris fluxum ualens, q̃ñ fit ex imbecillitate uirtutis retẽtricis, intestina confortat, & membra interiora. igitur uim contentricem habent intestina.

Adde, si nõ adesset, in cõtinuo essemus egerẽdi motu᷑ q̃d miserrimũ esset hoi incõmodum. At nõ sumus in hoc continuo motu᷑ igiť uis quædam adest in intestinis, quæ ad quoddam tp̃s retinet. hæc uero nihil aliud est, q̃ uis contentiua intestinorum.

Præterea, in. 3. huius uol. lib. Sectione. 32. ubi Hippocrates dicit oxymeli reddere partem intestini imam humectiorem, Galenus in cõmentatione ait, collectis supioribus cũctis humiditatibus, in intestinis ipsis, & potissimũ inferius ob multitudinem humiditas nasciť præter naturam, ob qualitatem uero intestini abrasio. At tãta humiditatum copia, nõ potuisset colligi in intestinis, nisi uim haberẽt, qua hanc retinerẽt᷑ nempe defluxissent, & potissimum in tãta copia cum sint, ut Galenus inqt. igiť uis hæc retentrix in intestinis dari debet.

Forte & hoc uteris argumẽto, Galenus in. 3. de natu. facul. docet retẽtricem uim inesse uẽtriculo, utero, utrisq; uesicis, & q̃d amplectũtur ea quæ intus sunt, uel sint pauca, uel multa, ac si rõne tali utať, ut probet prędicta retẽtricem habere, q̃a illa amplectunť quæ cõtinent. uerũ de intestinis eodem loco hæc habet uerba. Ego tñ in uiuenti adhuc aĩali diuiso eius peritonæo sexcẽties deprehẽdi intestina cõplexu suo, ijs quæ cõtinerẽt applicata, igitur & ipsa uim habebunt retentricem, q̃a his applicantur quæ continent uel plura sint uel pauciora.

Neq; istud prætereũdum, intestina uim hñt cõstrictoriam, & actionem cõstrictoriam, ut in hoc cõmen. in. 6. epid. Sectione 27. colligi potest᷑ igitur intestina uim habent contentricem. q̃d & habetur Sectione. 28.

Præterea, in. 3. de sympt. cau. uno añ lib. calcem fol. ubi docet pueros habere retẽtricem & expultricem ĩbecilliorem uigẽtibus, inqt q̃ppe, pueri tũ uomunt, tũ deijciũt sæpius q̃ ętate florẽtes, nõ utiq; ob expultricis robur, sed retẽtricis debilitatem. at cũ illa quæ deijciunť sint in intestinis, igiť cẽset habere imbecillam contentricem. igitur in intestinis adest uis retentrix.

Imo hoc uideť necessariũ, q̃m in calce. j. de locis affectis lib. à Galeno diciť, ut magneti lapidi uis iest quo ferrũ attrahere põt, ita naturalia quoq; instrumẽta oĩa facultatem habẽt, qua actionem suam pficiunt. uerũ inter actiones una est retentrix᷑ igitur & uim habent retentricem.

Deniq; in. 6. de locis affectis lib. uidetur colligi posse uis cõtentiua in intestinis. tñ quicq̃d sit, Galenũ ad unguem considerãtes, nõ uidetur fm ipsum inueniri posse uim retẽtiuam uel retẽtricem uel contẽtricem in intestinis, nõ loquimur de contentiua ꝓprij nutrimẽti, q̃a etiamsi intestina ꝓpriũ trahũt alimẽtum, & retinẽt, sed de ea ui loquimur, qua feces & excremẽta retinentur, & qua homines stiptici uocantur.

Hic uero notare opz, intestina feces continere, non tñ retinere. eo aũt modo cõtinent intestina, quo & uas aliq̃d cõtinet, & ut si rem ponas supra tabulã, quæ ab illa cõtinetur, nõ ut p aliq̃ uim tabula contineat, sed q̃a res ibi pstat, ut in intestinis feces, quæ ab intestinis circũdanť. uis aũt hæc retẽtrix in fibris consistit trãsuersis, ut à Galeno edocemur. 3. de facul. natu. nã de stipticitate loquẽs, quæ uideť quædam intestinorũ retẽtio, quæ feces retinet. Dicimus nõ posse esse in intestinis hãc uim cõtentiuam & retẽtricem apud Galenũ, q̃a intestina nõ habẽt uillos, neq; fibras, p quas possint retinere. Sunt multa mẽbra, ut docet eodem loco Galenus, quæ diuersas hñt tunicas, uesica fellis, uesica urinæ, uenę, matrix, unam hñt solam tunicã᷑ gula, uẽtriculus, arteriæ, & intestina, duas hñt tunicas, q̃d & docet in 6. de aggressibus anatomicis lib. Sciẽdum uero actiones oẽm, quæ in mẽbris fit, fieri per uillos. Est uero triplex uillorũ uel fibrarũ genus᷑ uilli recti, uilli trãsuersi, & uilli oblią. rectorũ uillorũ officiũ est attrahere, ut Galenus docet in. 3. de uirtutibus naturalibus. & in. 4. de usu partiũ, uilli expultricem hñtes facultatem sunt trãsuersi, uilli hñtes uim retẽtricem sunt oblią. Repiunť uero in humanis mẽbris fm opus ꝓprium diuersa uillorum genera, ut in mẽbris loquẽtes, uel uasis unam hñtibus tunicam, ut sunt uesicæ, uterus, uenæ. hæc mẽbra ad nutritiuam uim spectãtia tria hñt uillorũ genera. ut uesica oblongos habet ut attrahat, obliquos ut retineat, q̃a urina in uesica retineri debet, & colligi᷑ transuersos, ut expellat, nã urinam expellere debet. ita in fellis uesica eadem uillorũ genera esse debẽt, & in utero, ut semen attrahat in coitu, retineat᷑ & cum foetus fuerit pfectus, expellat. idem in uenis cõtingere nemo dubitet. in membris uero duas tunicas habẽtibus, tot sunt uillorũ genera, quot sunt exigunt & proprię operationes, ut exempli gratia, in. 3. de facul. natur. in. 4. de usu partium, in. 6. de aggressibus anatomicis docetur esse gulę officium attrahere, & expellere, nam cibum attrahit, & in uentriculum transmittit, propterea duo habet uillorũ genera. s. uillos rectos qui attrahunt, & uillos transuersos qui expellunt᷑ uillis caret obliquis, quia non est opus ut contineat. uentriculus tria habet uillorũ genera, quia continere debet. & mirabile illud opus à Galeno edocetur, & in. 3. de facult. natu. & in. 6. de aggressibus anatomicis, & in. 4. de usu partium, naturam, cum cibus in uentriculum recipitur, claudere pyloron. habet uentriculus in inferiori tunica uillos rectos, in superiori per longum incedentes, & per obliquum. De arterijs idem est sumendum iudicium.

At ad intestina descẽdentes, quę sunt membra duas habentes tunicas, & solum unum uillorũ genus, q̃a solum expellere debet, propterea solos habent uillos trãsuersos. At quia uilli per transuersum possunt esse per transuersum & rotundi, & per transuersum & non rotundi᷑ dicimus intestina solum habere uillos per transuersum & rotundos.

Et si petas, cur duas habeant tunicas, & solum habent unum genus uillorũ eodem modo se habentium in utraq; tunica, id enim supfluum uideretur᷑ Galenus in. 4. de usu partium respõdet, ubi docet habuisse duas tunicas intestina cum illis uillis, partim ut facultas ipsorũ expultrix esset ualẽtior, partim ut ipsa instrumenta ab iniurijs omnibus essent tutiora, ut enim in uentriculo manere diutius cibaria ut exacte coquerentur, ita hic (.s. in intestinis) non manere è re magis fuit᷑ nã dum per uiam longam ac strictam feruntur, pfecta simul ac celer fit ad iecur distributio. Quòd autem ad securitatem summam & patiendi difficultatem non paruum intestinis momentum duę tunicæ conferant, iudicant uel maxime morbi dysenterici.

Multos sanè ac sępe uidimus, quibus cum morbis grauibus atque diuturnis essent conflictati, maxima intestinorum pars putredine erat tentata, adeo ut compluribus locis, tunica omnis interior esset excesa, attamen uixerunt ij, & superstites fuerunt, quod non fecissent, nisi secũda quædam alia extrinsecus corruptę tunicę accessisset. hęc Galenus. q̃bus uides et reddi causam cur sint factę duæ tunicę, & cur in utraq; idẽ genus

uillorum

uillorum. sunt ergo sm Galenum, in. 3. de facul. natu. in intestinis solū uilli per trāsuersum decurrētes & circulo, quorum officium est expellere solū uel à sursum in deorsum, qđ est magis cōnaturale, uel è contrario, qđ est ferè contra naturam. hoc testať et Galenus expresse in. 4. de usu partium intestinorum. s. uim tm̄ expultricem habere, ubi inqt, Et intestinum quoque unam speciem motus, cū habeat expultricem unam pariter tunicæ speciem in trāsuersos & rotundos uillos dissoluēdum obtinuit. Dicēdum igiť est apud Galenum, intestina nullam habere uim retentricem, imo ipsius dogmati mire repugnat. qđ dogma & in. j. de crisibus censet docens uim expultricem inesse intestinis. sed ut Galenum à præscriptis argumentis liberemus, illa singulatim dissoluere conuenit.

Ad primum qđ est in lienterijs, & dysenterijs emplastra et inunctiones & alia eiusdem generis supra intestinorum regionem apponi: dicimus nō apponi in uis retentrix roboreť, quę nulla est in intestinis, neque ut ipsa adstringerēt intestina. & qui ob hūc finem hæc poneret, profecto erraret: sed hęc emplastra poni possunt ad uim retētricem roborādam, quæ in uenis est, per quas materiæ ad intestina transmittunť: & forte ut materiæ incrassent, & ut materierum partes exiccenť: & siq adsint flatus, dissoluanť. sed nunquam apponunť à probis uiris, & ueris Galeni sectatoribus, ut uis intestinorum retētrix roboreť, uel apponunť ob musculos abdominis, qui ad excernēdum plurimū adiumēti præstant, & ad retinendum, atque attrahendum.

Ad scđm, stipticitatis cā à probis uiris nunq̄ referri debet in retētricem uim intestinorum, quam nō hñt: sed opus est Galenum contēplari in. 3. de sympt. cau. ubi docet stipticitatis causas, neque refert retētricem uim intestinorum fortem. sed causas quærēs citæ & tardę deiectionis primo de cita inqt eductione qđ fit, uel ob pōdus eorum quæ sumunť, ut uēter degraueť, uel ob morsus & cōpunctionem, qñ cōmordenť intestina, & compungunť à mordacibus, ob humida quæ prōptius dilabunť. Et addit Galenus humores illos qui in intestinorum spiris continenť, ab ipsis intestinis detrudi, ipsis nimirum repellendi quæ se contristēt uim insitam habētibus. Postea causas reddēs tardæ deiectionis inqt esse uel propter intestinorum imbecillitatem. s. in sua ui expultrice, tñ nihil dixit de retētrice, quod uim haberet retinēdi qñ esset robusta: qđ dicere debuisset, si illam in intestinis posuisset: nā fuisset una & sufficiens cā tardæ deiectionis, uel pp hebetem intestinorum sensum. unde statim nō contristanť ab his quæ debēt expelli, uel pp ciborum paucitatem, qa pauciores partes hñt excremēti, uel ob qualitatem, ut sunt cibi crassi & acerbi, imo & pp imbecillitatem musculorum abdominis deiectio tardať, potissimum qñ fuerint excrementa dura. uides igiť in his stipticitatis causis nō apponi uirtutem intestinorum retentricem.

Ad snam, 20. Aphoris. 2. libri, dicimus Galenum loq de ui retētrice alui, non intestinorum. nam deinceps ponit expultricem alui fortem & intestinorum: iccirco loqtur de uentriculi expultrice, & non de intestinorum expultrice, quam intestina non habent.

Ad tertiū, Galenus auti'ni morbos exponēs in illo. 22. tertij li. Apho. inter alios inqt Hippocrates fieri intestinorum leuitates. Galenus causam reddit, & inqt fieri uel pp exulcerationem in superficie uētriculi, aut intestinorum, uel ob potētiæ retinētis imbecillitatem: quorum primū ex mordacibus & substātiam tenuem habētibus humoribus fit. scđm uero, ex magna uētriculi, atque intestinorum prouenit intēperie. uñ in hoc loco itelligimus esse ibecillitatem uirtutis retentricis uentriculi, non autem intestinorum. Et si dicas, reddēs causam imbecillitata retētricis dicit esse ob magnā uentriculi & intestinorum intēperiem: igiť & ipsa intestina ob intēperiem uult retentricem uim habere ibecillam: Respōdemus, & si intēperies possit ēt esse in intestinis, tñ non habent uim retētricem, quæ possit imbecillitari, sed dubio procul uis uētriculi retētrix ex intēperie simul intestinorum fiet imbecilla, imo qñque ex mala intestinorum tēperie per sympathiam posset, & uentriculi uis retentrix male affici.

Ad primam confirmationem Hippocrates. 12. Aphor. quarti li. dicebat esse malum suprapurgari hyberno tpe, intestinorum leuitate laborantes. Galenus in cōmentatione dicit, fit igiť ex potentiæ contētiuæ debilitate. consequtur aūt ad oium quæ ad aluum ptinent instrumentorum tēperaturas, hoc est ipsius uētriculi in quem cibos deuoramus, & eorum quæ ex hoc suscipiūt atque transmittūt intestinorum. hoc qđ à Galeno hic diciť de cōtētiuæ imbecillitate, de uētriculi cōtentiua intelligere oportet, quæ ab intēperatura propria, & ab intestinorum tēperatura afficiť. nam intestina nullo modo retinēt, propterea à Galeno probe dictū est, & eorum quæ ex hoc suscipiūt atque trāsmittunt intestinorum, ut notet intestina à uentriculo suscipere, & transmittere. De retentione uero, nihil dicit.

Ad secūdam confirmationem, cū Hippocrates in. j. 6. lib. Apho. dixerit, Ructū acidum in longis leuitatibus intestinorum esse bonum: Galenus nōnullos reprehēdit, qui dicebāt dictam esse leuitatem intestinorum, qa prius fuerint aspa intestina, & ob aspitatem retinuerint, postea in intrinseca supficie fuerint reddita leuia: uñ cibi, qui in intestinis contineť, amplius nō apprehendūtur, ut quod asperitatem suam seruabant.

At Galenus dicit hos errare, qa uētriculi proprium est cibos amplecti, & se cōstringendo certo tpe retinere, & rursum ad inferiora demittere, ut uideas uētriculum esse qui retinet, & nō intestina. & cū ait deinde esse in cā uentriculi, qui retinet, & iam intestina. & cū dicit esse in cā uentriculi, & intestinorum debilitatem: intellige hoc semp esse præcipue in uētriculo, & intestina uentriculum afficere, non qa ipsa habeant uim illam retentricem quæ sit imbecillitata.

At dices, Galenū statim imbecillitates ab exulceratione factæ ex humorum acredine curationem ponere, & dicere, cessante humorum malignitate statim sananť cibis ac potibus, qui uim densandi habēt uel stipticam. Græcus enim codex dicit στ. φ. ιτων. censet igiť & in intestinis reddere stipticitatem. Respōdemus, nō adesse in intestinis uim hāc stipticam pro ui retētrice, sed est uel ex cibis, uel ex his quæ Galenus dicit in. 3. de sympto. cau. hæc uero stiptica, inquantum stiptica & sicca uētriculo cōueniūt, & eius uim roborāt retētricem, exulcerationemque exiccādo sanant, in intestinis uero exiccādo exulceratio sanať, non tñ roborať eorum uis retētrix, quam non habēt. tñ dici pōt intestina acria illa ferre nō posse, qñ sunt exulcerata, non qa si nō essent exulcerata illa retinerent & ferrent, sed semper intestina uim habēt expellēdi, & nunquam retinendi, tñ ferunt aliqua quæ non ferrent, si essent exulcerata, ut deinde in quinti argumenti solutione dicemus.

Ad quartum, is liber spurius est, & nō Galeni, imo & si Galeni esset, id de uirtute retētrice imbecillitata referēdum esset ad uētriculum, & non ad intestina, quis statim subiungat, confortat intestina & membra interiora.

Ad qntum, quātum sit rōne intestinorum sumus in cōtinuo egerēdi motu, hoc est de intestino ad intestinum trāsmutandi. Galenus huius motus celeritatem notat in. 5. de usu partiū, in frōte, ubi inqt, qñ igitur alimētum quidem deducēs intestinum ualēter agit, uiscus uero recipiēs prompte adsumat, celeriter alimētum pmeet est necesse, ut nihil ea rōne in eo subsideat, neque moreť, ut trāsitus sit solū, isque celer. ut hic notare possimus, cū uiscus recipiēs prompte adsumit, tūc fieri celeres deiectiones, uiscus uero qđ adsumit est iecur p meseraicas: unde cū cibus trāsit p intestina, à meseraicis quodāmodo retineť, ut pro alimēto attrahāt, & ad iecur deferāt: hæc est quædam retētio. & in hoc sensu dici pñt intestina uim quādam habere à meseraicis retētricem: sed impropriè erit, qa solum sunt causę ut cibus cōmoretur, nō quod in intestinis ipsis adsu hæc uis. at si meseraicæ celeriter trahant, fiet etiam celeris trāsmissio ab intestinis. Possemus hoc modo authoritates illas ex Apho. libris desumptas intelligere ut intestina hoc modo uim haberēt retētricem imbecillitatam, quando meseraicam non trahunt, & cibos in intestinis relinquunt, qui in uentriculo non cōfecti, & in iecore non conficiuntur. tamen non est opus semper excernere, quia si feces non male afficiant, & non compungant intestina, & ipsæ immorantur, non quia ab aliqua vi retineantur, sed

qa ita ferunẽ & toleranẽ, ac si essent supra tabulam, et rem aliq̃ inaiatam. hæc tolerantia põt dici retẽtio, sed nõ est illa quã negat Galenus, quæ fit p uillos obliquos. qñq; uero itestina sunt exulcerata, neq; feces ferre poterũt, ob id retẽtricem imbecillitatam hẽre dicunẽ. i. hoc qđ feces ferebãt, & nõ amplius ferũt, imo qa itestina uisi excitenẽ, hoc modo retinẽt, qa ferũt illa potissimũ qñ sunt crassa & sicca. iccirco natura fellis uesicã parauit, quæ ad pyloron portionem ppetuo mitteret, ut itestina inficerenẽ, & uim illã excitarẽt, quam solã hñt expultricem. Idq; notandũ est, q in. 4. de usu partiũ ait Gal. in itestinis facta esse inuolucra, quæ excremẽta retardẽt, ut in testiculis uenę & arteriæ multipliciter inuoluunẽ, ut retardẽt semen, & in capite sub dura miringa adest plexus arteriarũ retiformis, quo retinenẽ spiritus. ut in hoc ẽt sensu dicere possemus, in intestinis adesse aliqua quæ retineant, q̃uis non sit uis facta p uillos, sed solũ sic lõgus trãsitus. Adde præterea musculos abdominis dare intestinis ut retineãt, ppterea & p hos musculos in qbus adsunt oẽs uires poterũt retinere intestina, & expellere, ac trahere. hocq; colligi potest ex Galeno in. 2. de motu musculorum.

Ad sextũ, respondemus, illa humiditatũ copia, cũ qualitatem aliq̃ mordẽtem nõ haberet, in itestinis psistit, & illa humectatio, uim q; expultricem hebetiorem reddidit, nõ q uis aliqua retẽtrix humiditatem talem retineret. At diceres, addit deinceps q ob qualitatem sequit intestini abrasio. igiẽ illa materia erat qualitatis acris, nõ retinebaẽ. Respõdemus, id qđ de qualitate dicitur referri debere de oxymeli, & non ad humorem.

Ad septimũ, uesica uterus, uentriculus, & eiusdem generis reliqua his inhærẽt, quæ cõplectunẽ, p uillos obliquos quos hñt, & retinẽt. sed intestina, cum his careãt uillis, non amplectunẽ p uim aliquam illa quæ ipsis insunt, sed solum amplectunẽ, qa illa continẽt, & sunt circum ipsa. & hoc modo debet in præsentiarũ Galenus intelligi, ne sibi in eomet libro contradicat.

Ad aliud, nõ colligiẽ ex illis epidemicis locis adesse in itestinis uim retẽtricem, sed in Sectione. 27. qnti cõmen. in. 6. epid. loquitur de retẽtione quæ fit ab ano, & à musculo extremo rotũdo itestini recti, qui restringiẽ non solũ à medicamentis, sed et spõte. ad id de Sectione. 26. totum referendum est ad uẽtriculum, cuius uis contentrix roboratur.

Ad nonum, intellige in uẽtriculo adesse hãc uim, & nõ in itestinis, qa Gal. nõ se refert ad itestina, sz sicuti uomitus fit p uẽtriculi expultricis robur, ita et deiectio p uẽtriculi expultricis robur.

Ad aliud, & si dicat materias mordaces ob uim mordẽdi itestina ad excretionem excitare, ita nõ mordaces intestinorũ imbecillitatem seq, qa retinere pt̃ẽta ne exiguo qdem tpe pñt, tñ ex his nõ habetur habere uim aliam contentiuam intestina, q̃ illam qua in ipsis res continentur, ut in uase continentur.

Hoc igiẽ modo arbitror defendẽdam esse Galeni sñiam, q itestina uim retẽtricem nõ hñt. uerũ cũ de hac re sermo inciderit, nõ erit ab re de alijs uiribus parump ptẽplari. nempe intestina uim hñt solũ expultricem, Galeno teste. At quærẽdum est an habeãt uim attractricem. loqtur uero de attractione excremẽtorũ, nõ de sui ppriũ nutrimẽti attractrice, qa hãc necessario hñ, & simul retẽtricem. uidebiẽ & hãc habere debere, ut excremẽta à uẽtriculo trahãt. Rñdemus, apud Gal. intestina nõ habere uim attractricem, qa neq; habẽt uillos rectos, p quos fit attractio. uñ in. 3. de facult. natu. à Galeno dicebaẽ. itaq; ẽt singulis itestinis circulares in utraq; tunica fibrę sunt. cõtrahunẽ enim dũtaxat, nec quicq̃ trahũt, ut ostẽdat non trahere intestina, qa habent tñ circulares fibras & trãsuersas scilicet. Adde & in. 6. de locis affectis scriptum reliquisse intestina non trahere à uentriculo, sed uentriculum transmittere in ieiunum.

Forte dices, ubi repiunẽ fibræ & uilli recti, ibi est motus attractiuus. hoc à Galeno edocemur. 3. de natu. facul. sed in intestinis sunt fibræ rectæ, si nõ uniuersim, saltem in aliqbus, ut Gal. ostẽdit. 6. de aggressibus anatomicis, cũ ait, atq itestinis plerẽq; circulares insunt fibrę, qbus pauculę rectæ ipsis suppositę sũt, Adde in. 4. lib. de usu partiũ, idem cõfirmare, in aliqbus. s. itestinis esse uillos rectos. Quid ꝟo hoc maius in eodem lib. & in. 6. de aggressibus anatomicis, & in. 3. de natu. facul. cẽset intestinum rectũ uillos habere rectos. igiẽ attractricem uim hñt intestina. Respõdemus, Galenũ pculdubio fateri in intestinis nõnunq̃ esse uillos rectos, sed attrahẽdi gratia facti nõ sunt, neq; eorũ finis est hic ut attrahãt, sed ut pbe nectãt simul uillos obliquos et textura sit pfectior. uñ in. 4. de usu ptiũ, iqt, nõnullis ꝟo itestinorũ qdam uilli recti fm lõgitudinẽ obiicẽdunẽ ad trãsuersorũ tutelã, idq; aialibus tenues hñtibus intestinorũ tunicas, aut actiones potẽtiores, potẽtissimum inest. piculum enim erat ne transuersi uilli à sese mutuo auellerenẽ nisi extrinsecus à rectis, ueluti uinculo quodã fuissent deuincti. & cũ pauci sint, ui attrahente uti non pñt. nempe opus est esse multos ad attrahẽdum. Eodem loco soluit argumentũ facto de recto itestino inquiẽs, quo fit ut in recto intestino cõplures eiusmodi fuerint, q multis & duris alimẽti sicci illic cõgestis excremẽtis, eius itestini tunicas adprime ualide oportuit. extrinsecus igiẽ trãsuersis, ceu ligamẽtum uilli qdam recti iniecti sunt. In pluribus uero aialibus totũ κῶλον ualidis uinculis fm longitudinem, supne deorsum utrinq; porrectis cõstrictum est, uñ per hos rectos uillos nõ attrahũt, sed tota eius substãtia cõnectiẽ & roboraẽ, ne secũ multitudo illuc currens qñq; intestinũ disrumpet. Enq; signũ nõ esse factos uillos oblongos in intestinis ut attrahãt, qa si ob hũc finem facti essent, debuisset natura uillos illos in itestinis fecisse supioribus, & nõ in iferioribus. nẽpe attractio esset ab intestinis supioribus à uẽtriculo. at cũ non adsint in intestinis supioribus, sed in inferioribus potius, & in intestino recto, signũ est nõ esse uillos illos effectos ut attrahãt, sed tñ ut intestina illa roborẽt, quæ sunt latiora & capaciora, ne copia & excremẽtorũ põdere disrumpanẽ. uñ in. 5. de usu partiũ ostendit nõ debere hos rectos uillos habere. intellige ad hunc finem ut attrahant. nam dicit, At intestina (qbus neq; attrahere, neq; retinere erat necesse, sed cõtractis undiq; prorsum pellere) cũ simplici egerent motu, simplices quoq; fibras habuerunt.

Forte petes, qd ergo in intestina trahet excremẽta? Galenus eodem loco indicet. s. 5. de usu partiũ, & in. 4. prius, & in. 3. de natu. facul. docet in uẽtriculo esse triplex fibrarũ genus. rectũ qđ attrahit. obliquũ qđ retinet. trãsuersum qđ expellit. coctione facta uẽtriculus expellit ad intestina. ipsa uero uim solam hñt expellẽdi. uñ in alio. 4. de usu partiũ loco à Galeno diciẽ habere uẽtriculum fibras trãsuersas in utraq; tunica, idq; merito. si qdem uẽtriculus trahat, oportet ad seipsum p stomachũ cibũ & potum tanq̃ manibus rectis his uillis, ppellat uero transuersis. intestinis aũt (attractrice enim nõ indigebãt facultate) soli ad ppellẽdum idonei sunt facti uilli. ut ex his palàm fit nõ esse necessariã uim attractricem in intestinis, neq; intestina habere uillos alios à trãsuersis, uñ rotũdis. Cũ uero de intestinorũ facultatibus sermo inciderit, & dictũ sit tñ habere uim expultricem, retẽtrice aũt carere & attractrice. At cũ sit quarta quędã uis, quę cõcoctrix uocaẽ, petẽdum est an in intestinis sit hęc uis. nõ intelligimus uero uim illã qua intestina coquunt ppria nutrimẽta, qa unũquodq; membrũ nutrimẽta ppria sibi parat coquẽs & assimilãs. sed intelligo de ui cõcoctrice excremẽtorũ, qualis est uis uẽtriculi cõcoctrix. Certũ enim est qđ à uentriculo prima coctione coctũ est, ad intestina trãsmitti, & partim à meseraicis exugi, partim ad anũ trãsire. Petiẽ nunqd itestina aliq̃ dẽt coctionẽ his quę recipiũt. quæ coctio nõ fiat ob incessũ uillorũ, sed potius ex calore. iccirco à Gal. uocaẽ alteratio. 4. de usu partiũ, & 3. de nat. facul. petendũ igiẽ est de hac ui cõcoctrice & alteratrice, an itestina fm illã coquãt. Rñdemus apud Galenũ in. 4. de usu partiũ haberi intestina nõ esse facta ut coquãt alimentũ, tñ in alimẽti trãsitu p intestina aliquo modo coqtur. hæc sunt Galeni uerba eo loco, siqdem coqtur adhuc alimentum, & in ipso p intestina transitu, ut in uenis & omnibus sanguis. cum tñ neq; intestinorum quòd uis coquendi alimenti, neq; uenæ sanguinis gignendi gratia extiterint. sed ut antea dictum est, natura aliàs quidem organorũ quoq; in melius abutitur, aliàs aũt id necessario seqtur, omnia quæ alicuius gratia extiterunt. Et si petas, ubi adsit illa coquẽdi facultas, statim

tim

tum Galenus addit. quẽadmodum igiẽ (cum eas distributionis instrumenta fecisset) facultatem sanguinis generatricem indidit, ne dum per eas ferẽ, rẽs ipsi alimento frustra periret. Ad eundem modũ & intestinis distributionis in uenas gratia institutis facultas quædam ꝯcoctrix ciborꝫ inest. qđ fieri omnino non poterat (ut in cõmentarijs de facultatibus naturalibus demonstratum est) qn singulæ animalis particulæ uirtutem quãdam haberẽt alteratricem. & ꝓsequir Galenus, Cum intestina habeant substãtiam uentriculo similem, unde opus est ut habeãt & uim alteratricem similem uẽtriculo, ꝓpterea infert & in intestinis cibũ coq. Deinceps tñ ꝓbat intestina per hoc non esse facta ut coquant, neqꝫ ut excrementa deferant, sed solum ut oẽ qđ in uentriculo in chylũ est mutatum, adsumaẽ in uenas. hæc oia & in libris de natur. facul. abũde legi possunt. intestina igiẽ uim hñt solam excernẽdi & coquẽdi. A Galeno diciẽ, interdũ, ꝑpetuo opponi, imo potius uideẽ, nunq̃ qđ opponaẽ ꝑpetuo, imo & ꝑpetuo sub se continet interdum. Respõdemus, si hæc ad oppositionem reducantur, interdum, & ꝑpetuo magis opponunẽ, q̃ꝫ ꝑpetuo & nunquam, quanuñ & ꝑpetuo modo cõtrarietatis, interdum & perpetuo modo contradictionis opponunẽ. quippe totum qđ auferẽ à nunquam, poniẽ à perpetuo. hæc uero est contrariarꝫ oppositionum natura, ut id totum negeẽ, qđ prius totum erat affirmatum, & ẽ ꝯtrario. at interdum negat ꝑpetuo, & id non negat penitus, sed pro parte, ꝓpterea naturam sapit ꝓpositionis particularis negatiuę, et ꝑpetuo uniuersalis affirmatiuæ, ut magis opponanẽ interdum & ꝑpetuo, q̃ꝫ nunq̃ & ꝑpetuo. & cum sint ita opposita, necesse est uno posito aliud auferri & uno remoto aliud poni. unde cũ mentis aberratio sit interdum, alia igiẽ erunt ꝑpetuo, quia alia non erunt interdum, & qđ non est interdum & est, ꝑpetuo esse necesse est. Notaqꝫ prædictas ꝓpositiones uim quãdam sapere modalium. hæc uero ad rem medicam nihil faciunt.

Petes an lingua sit magis nigra sicca & aspa in his qui habent inflãmationem in pulmone, q̃ꝫ in iecore, quia in his uidereẽ esse magis nigra sicca & aspa qui habent in uẽtriculo, uel eius ore, uel gula inflãmationem ob compassionem. nam ab intrinseca uẽtriculi tunica pellicula linguam tegens oriẽ, unde ꝑ sympathiam si inflãmatio sit in prædictis partibus, caliditas & ignis in os ac in linguã respondet. hoc in pulmone non est, quia talem non hꝫ continuationem cũ his partium ad os. & Galenus hoc supius dixit in. j. Sectione de siti, quæ primo sit ab oris uentriculi affectione. Respõdemus, oino & adesse siccitatem & asperitatem & nigritiem in lingua (nisi adfuerit parua tussis & distillatio) qñ inflãmatio erit in partibus uentriculi, tñ hæc lõge sunt intensiora qñ erit in pulmonis partibus, quia & si caliditas in os correspõdeat per uẽtriculum, tñ id est solũ per cõpassionem, & nõ per aliqđ ꝯtinuum, qđ semꝑ actu caliditatem in os afferat & linguam. at hoc fit si in pulmone adfuerit inflãmatio & ebullitio, quia ꝑpetuo spũs igniti ab inflãmatione exeũt, & anhelitus igniẽ, qui ꝑ os transit, & supra linguam & actu exiccant. corrñdet quoqꝫ & ad os caliditatis uis. ut hinc pateat esse longe uehemẽtiora hęc de lingua in pulmonis inflãmatione, q̃ aliarum partium. At dictum sit supius quõcunqꝫ et à Galeno & à nobis forte remota actione spiritus qui ꝯtinuo ascẽdit ignitus, alię partes magis sitim inferũt, uel Ga. itelligimus ordinẽ dedisse prioritatis, nõ tñ intẽsionis, quia reuera est res satis ambigua. Qui in pulmone inflãmationem hñt, difficulter spirãt, indigent enim multa refrigeratione & quæ affatim fiat, ꝓpterea dẽse & pleno haustu spirãt, & magna fit, cõculcanẽ enim aeris partes inter se, & in hac uehementi attractione quodammodo densantur, ut ignis totus accensus refrigeretur.

Sciꝫ oqꝫ aperto ore permanere, sitim inducere, linguæ nigritiem, & asperitatem.

Si uero petas, in quo ꝓgnosticorꝫ loco de hac spirãdi difficultate locutus sit. Respondemus, in. j. lib. Sect. 23. ubi docet spirituũ crebrũ, delirium significare, uel inflãmationem supra septum trãsuersum & spiritum magnum, multoqꝫ interposito tpe, delirium significare, uerꝫ huius libri author cũ hæc prętermiserit, est multũ diminutus. In his uero ardentibus febribus ob ardorem fit spirandi difficultas uniuersim. i. in oi spiritus ductu, ut inspiremus, uel expiremus. hoc uocat Galenus præcitato loco uniuersum spiritum.

Deniqꝫ Galenus ostẽdit huius lib. authorem nõ recte ordinasse linguæ symptomata. nã primo dicere debuit linguã siccam, postea aspam, qm̃ si aspera sit, necessario sicca est, at ñ põt esse, sicca, & nõ erit aspa. iccirco siccum debebat pręcedere asperꝫ, uelut id à quo non ꝯuertiẽ subsistẽdi ꝯña. primo igiẽ dicẽdum erat lingua arida, postea aspa, qm̃ lingua aspa ob imoderatã reddiẽ siccitatem. Adde linguã ipsam ob imoderatam nigrescere caliditatem. ut iã antea dictũ est. cuius rei argumentũ ex his sumi põt, qbus cutis sole exusta est, nã sol cutim exiccat, et denigrat. ita & ardẽs febris linguam desiccat & simul denigrat. Forte dubitabis, cur Hippocrates capitis dolore, nõ posuerit, neqꝫ illius meminerit Galenus ut Auicẽna facit. præterea, cur nihil de sudore, cũ & ipse Auicẽna sudorem enumeret. Rñdemus, dolorẽ capitis ꝯtineri sub desipiẽtia, sudorẽ uero non fuisse ponẽdũ, quia solũ in fine sudãt, & nõ in pricipio, neqꝫ i augmẽto.

## Hippocrates. Sectio V.

### Huic aquæ mulsæqꝫ coctæ & aquosæ quantum uoluerit bibendum dabis.

Ardentis febris signis expeditis, ad eius curationem uel Hippocrates, uel huius libri author descẽdit, iubetqꝫ dãdam aquam q̃tum uoluerit, & dãdam mulsam coctã & aquosam, quãtum uoluerit in potu, ut in ꝯtextu duo potus genera esse uideanẽ, aq̃. s. simplex fontana optima, & aqua mulsa diluta, tñ ut in Galeni cõmentatione uidebimus, ipse intelligit solum aq̃ mulsam aquosam, qm̃ aquam usus est damnasse Hippocrates. BRASAVOLVS

τῷ τοιῷδε πίνειν ὕδωρ τε καὶ μελίκρητον ἑφθὸν διδοὺς ὑδαρὲς ὁκόσον ἐθέλει. i. huic & aquæ, & aq̃ mulsæ coctę, & aquosę potui dabis q̃tũ uoluerit. intelligit in potu quotidiano, nõ in potu aquæ uniuersim et affatim facto. Cẽset uero aq̃ mulsam debere esse coctã, tũ quia minus flatuosa, tũ quia minus nutrit. in hoc casu nutritione nõ indigemus, & dat aquosam ob eandem rationem, ne. s. mel copiosum in bilem conuertatur & accendatur, ac febrem augeat.

### De intentionibus curatiuis in ardente febre, & alijs.

Doleo non haberi ordinem quẽdam ab Hippocrate descriptũ, qui ꝑ curatiuas intẽtiones huius febris incederet. tñ ne in huius febris mẽtione qcq̃ prætermittamus necessariũ, scito Galenũ in. 9. Meth. dixisse quatuor esse, à qbus faciẽdorꝫ intẽtiones accipianẽ, quas uocãt intẽtiones curatiuas. pria indicatio sumiẽ à morbo, qđ ꝑ multa uerba ostẽdit Gal. scđa indicatio sumiẽ à morbi cã. tertia à corporis tẽꝑamẽto. quarta ab ambiẽte nos aere. Nota uero Gal. dicere tres esse solũ indicationes, uel tria solũ esse à qbus indicationes sumunẽ, morbus, temꝑatura, & aer ambiẽs, quia sub morbo & morbi cãm cõplectebaẽ, tñ supius edocuerat unã esse cõem indicationem & pręcipuã, quæ affectũ ægrotãtis amouendũ suadet. imo accipiebat & à ꝯsuetudine, ab anni tpe, à regione, à cœli statu, quæ postea nõ numerauit in his tribus, uñ coactus est se excusare, iquiẽs q̃ si alię quędam antea sunt positæ, rursusqꝫ nõ hę modo, ueriũ etiam alię dicenẽ, oẽs tñ ex his in partes diductis, narę uidebunẽ. & hoc egregie docet ibi Gal. & deniqꝫ ifert nõ posse esse plura idicationũ genera, q̃ꝫ tria pręd cta, à morbo, à corporis temꝑamẽto, et ab aere nos ambiẽte. hocqꝫ ꝓbat ex ipsa rerꝫ substãtia, quia morbus & sanitas corporis sunt affectus, ille se tollendũ, hęc se tuẽdam indicat. ambiẽs uero aer is est, sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas põt. uñ rõnem causæ tenet sine qua nõ. at uero cũ id qđ ęgrotat alteramus, nisi cõstet quousqꝫ sit mutandũ, utiqꝫ qñ sit ab alterãdo desistẽdum nõ intelligemus. Postea Gal. docet has intẽtiones si mẽbratim cõsidereẽ esse multas. tu illum contemplens, ut deniqꝫ in unã solam intẽtionem deducat, quę est cõtrarietas. At quatuor intẽtiones nũc statuamus, causam

à morbo diuidētes, morbus, causa morbi, corporis temperamentum, aer ambiens. uires nunc praetermittemus, quia ut Galenus eodem loco docet, prima quidem indicatio est à uiribus, tamen non est sic prima ut curationem doceat, cum ex numero curatricum intentionum non sit, sed potius est ex his quae spectant ad uitā. Eadē praeterea ab eodē Galeno in libello de constitutione artis ad dimidias libri partes referunē, censetque medicum primo intētiones agendorum inuenire debere, atque elicere, quas recētes curatiuas intentiones uocant. postea experiūdum an possimus sua intentionem illas prosequi, & impleri possint. Denique sunt quaerenda media, & apta instrumenta ad has intentiones implendas, quod uarijs sit uijs, ut hae intentiones exigunt. unde & Gale. in. 9. Methodi cognita febre, cum omnis febris ratione qua febris humectatione indigeat, & refrigeratione: nihil est quod praeterea desideretur, nisi ut materiae inueniantur, quae huic proposito sint idoneae. has materie nihil aliud sunt, quam agendi instrumenta. Vt autem de hac re exemplum habeamus, ecce. Medicus ad aegrum accitur, quem cum inuisit, primo aegritudinis genus quo uexetur inuenire debet, & aegritudinis causas. idque fit ut in libello de constitutione artis edocemur per symptomata. cognitoque morbi genere, & causa morbi, medicus aegri temperiem contemplari debet, & aerem ambientem, & ex his omnibus indicationes curatiuas accipere, quas hoc modo accipiat. morbo cognito, morbus ut morbus est, de sui indicat remotione: si morbus sit ex multitudine, euacuatione solum indiget & intentio curatiua est euacuare. si ex praua qualitate, praua haec qualitas per contrariam qualitatem, quietari indiget. si ex utroque sit, debet euacuari & alterari. Supposito intentionem curatiuam esse euacuandi, considerādum an id fieri possit, uel non possit. hoc ex uiribus considerat, ex aetate, ex anni tempore, ex coeli temperie, & similibus. & cum euacuatio fieri possit per medicamentum, & per uenae sectionem, idcirco cōsiderandum, per quod instrumentum fieri debeat: nam si sit plethora, fit per uenae sectionem: si cacochymia, per medicamētum. & in utroque considerandum an fieri possit, & quibus instrumentis. & haec est intentio curatiua à morbo, & consideratio, an illam exequi possimus, & quibus instrumentis, & quantitas euacuandorum, & illa omnia consideranda quae. 9. Methodi longo incessu explicauit Galenus.

A' causa morbi indicatio sumitur sicuti à morbo: nam ut morbus de sui indicat remotione, cum sit res praeter naturam, ita et causa, cum & ipsa rea sit praeter naturam. at quia contingit morbum esse sine causa, & cum causa, intelligimus hoc modo: nam nullus est morbus sine causa, sed dicitur morbus sine causa is, qui quidem causam habuit à qua sit factus, causaque abijt, & morbus adhuc praestat, ut in febribus quae ab aliqua fiunt causa: qua remota, adhuc perstat febris: si causam habeat semper causa primo remouenda est, postea morbo uacandum, ut. 88. cap. artis medicinalis edocemur. at si morbus causam, non habebit, soli morbo uacandum erit: unaque sola habeē indicatio, per contrarium remouere morbum: haecque intelligenda sunt, quando morbi sunt simplices, & causae simplices: nam ut in libro de optima secta ad Thrasibulum Galenus docet, si ijdem affectus sint, & causae differant, non eandem curationem admittunt. at affectus diuersi ab una causa dependentes eodem modo curantur.

At cum uisum sit quomodo à morbo, & à causa intentiones sumantur curatiuae, uidendum quomodo à naturali temperie. Medicus cum morbum cognoscit, statim de sui remotione indicationem habet: uerum morbi remotio est, aegrum qui extra suam temperiem lapsus est ad propriam temperiem reducere: si febre correptus sit, & eius naturalis temperies sit minus calida, caliditatem illam ad naturae gradū reducere debet, & ita de alijs. & si naturalis temperies sit calida, debet minus infrigidare: si esset frigida, debet magis infrigidare. De naturali uero temperie quomodo inuenienda sit, Galenus in. 9. Methodi abunde ostendit, edocens praeter ea quae dicta sunt in libris de temperamentis, etiam considerandam esse aetatem, uitam pactam, quae in exercitio & uictus ratione cōsistit, & regionem, & anni tempus, & praesentem statū. quae omnia tu eodem loco legere poteris.

De intentionibus uero curatiuis ab aere ambiente sumptis in eodem. 9. Galenus tractat, ostēdens nos non posse fugere praesentem coeli statum: unde posse contingere ut aer sit unū praesidiū, ut si sit calidus, & aegritudo sit frigida, uel ut sit causa aegritudinis, ut si aegritudo sit calida, & aer sit calidus. Intentio uero curatiua ab aere sumitur, quia si medicus debet calefacere, et aer sit calidus, id exhibebit quod erit minus calidum, quia aeris caliditas est praesidium. si uero calefacere debet, & aer sit frigidus, magis calefacere, ut hoc modo colligere possimus, à morbi causa, & à morbo indicationem accipi quid agendum sit, à naturali temperie quoad agendum sit, ab aere nos ambiēte qualis medicamento uti debeamus. His ita constitutis omnia ad propositum reducamus.

Sit medicus qui ad aegrum uocetur ardente febre correptum, cum statim aegri cubiculum ingreditur interrogare debet de calore: si aeger dicat maximo discrucior calore & uehementissimo, tunc de siti interroget: si hac etiam prematur & uehemēti, causum esse inferat, quoniam haec sunt duo pathognomonica signa causi: de alijsque multis interrogare debet, quae huc referre non est opus. morbo per symptomata cognito, statim causam quaerere debet, quam scit esse bilem putrefactam & accēsam in pulmonis uenis, uel uentriculi, uel iecoris. unde febris causa est bilis in uno praedictorum locorum putrescens: si in pulmone sit, ardentissimam habet perpetuo linguam, nigerrimam, asperrimam, & deliria concomitantur, ac anhelitus difficultas: si in iecore aut uentriculo deiectiones habebit liquidas & pallentes. inflāmatio uero iecoris ab illa uentriculi distinguitur, quoniam in illa iecoris affectio adest, circa iecoris regionem, et tussicula sicca: in illa uentriculi circa uentriculum sentitur affectio, & tussi caret: putridus ergo humor est causa ardentis febris. at quia putredo non fit nisi ob aliquam causam, & putredinis causae sunt obstructiones, propterea dicendum obstructionem esse causam putredinis. uerum cum obstructio esse non possit quin ab humoribus fiat, aut crassis, aut multis, aut glutinosis, aut omnibus simul: propterea quispiam dubitare posset à quo incipienda sit curatio. Respondemus, duas esse apud Galenum pro hac re normas: una dicens ab illa causa primo incipiēdum esse, quae ultimo per resolutionem inuenta sit, sicuti in scientijs per inuētionem factis à notione finis, semper incipimus componentes ab eo quod ultimum fuit in resolutione: & hoc ex Galeno colligitur in. 11. Methodi. & secundum hanc regulam cum febris curanda sit, & causam habeat putrefactionem, & putrefactio obstructionem, & obstructio causam habeat, humorum multitudinem, glutinositatem & crassitiem: curatio ipsa ab hac multitudine, glutinositate, & crassitie exordienda est. unde primo multitudo euacuanda, quod fit uenae sectione: reliquum incidendum & attenuandum. semper igitur à prima causa incipiendum est, nisi aliquid impediat: nam multitudine euacuata, incisis ac attenuatis crassis & glutinosis, obstructio cessat: obstructione cessante, facile humores putrefacti euacuantur, aut per sudorem, aut per urinam, aut per secessum, aut per uomitum: illis uero euacuatis facillimum erit calidam illam febrilem qualitatem derelictam auferre, quae nullum habet fomitem, & hoc frigida tantum applicantes & humida assequimur. At diceres, quomodo possibile est, quod semper à causa prima non incipiamus? Respondemus, quoniam causae propinquiores magis urgent, illae ad se curationem trahunt, sicuti apud Galenum casus reperitur de eo cui destillatio à capite ad os uentriculi descendat & syncopen pariat: in hoc casu non est opus incipere curationem à capite, sed ab humore existente in ore uentriculi, & illum remouere. Et haec est alia regula de curationis inceptione apud Galenum, quam ponit in. 7. Methodi prope libri calcem, ubi monet curationem incipiēdam esse ab eo quod habet magis rationem causae, uel ab eo quod magis urget: unde in proposito febris ardentis, & obstructionis, quae est causa putredinis, uidētur haberi

tur haberi contrariæ indicationes, à febre, & ab obstructione nam febris indicat ut frigida adhibeamus, obstructio de calida indicat. Dicimus in hoc loco, ab eo incipiendum qđ magis urget. si febris sit uehementissima, ut de uirium defectu timeatur, à febre curatio incipienda est. at si febris ab ægro ferri posset, rationabile esset ab obstructione curationem potius exordiri. At supponamus nihil impedire, prima causa erit obstructionis causa, quæ dabit intentionem exordiendi curationem est uero hæc cã multitudo, crassities, glutinositas. ab his igiť incipientes, primo, in hac ardente febre, euacuatione indigemus, attenuatione, & incisione. at cũ euacuatio fiat, & per medicamẽta, & per uenæ sectionem, cum hic adsit multitudo ex plethoræ, regula apud Galenum, & materiæ inuenis ebullierit, indicationem de educendo sanguine habemus. hoc igiť in ardentis febris curatione primo occurrit faciendum secare uenam. uerũ Hippocrates ab his curatiuis intentionibus non incẽpit, sed potius incipit à particulari potu, propterea nos & qui Hippocratem interpretamur, & qui omnia dicturi sumus, quę ad huius febris curationem spectabũt, in hoc loco de potu tantum loquemur. In alijs contextibus, de omnibus agendis per ordinem intentionum loquemur, ut ad propositum erunt, tamen tota eorum ratio quæ dicẽntur ad prædictas intentiones semper deducentur.

Ad rem igitur redeuntes, Hippocrates in hac febre ardente dat aquam, & dat aquam mulsam coctam dilutam. & quãuis Galenus illum intelligere uideatur solum de aqua mulsa, tñ Hippocratis contextus distincte aquam exprimit ab aqua mulsa per particulam τε, ꝓpterea cum ardens febris gradus habeat ut aliqua sit intensior, aliqua remissior, in intensiori nihil opus est dare qđ uel tenuiter nutriat usq; ad iudicationem sed in remissiori dari potest aqua mulsa, & nihil aliud usq; ad iudicationem. nempe, ut deinceps edocebit Sectione. 9. nõ dabis sorbitionem, nisi dies iudicatorij trãsiuerint, sed usq; ad iudicationem solum sunt potu regendi. & hic solum duos potus enumerat Hippocrates aquam, & aquam mulsam. uerũ cum apud recentes, sint plura potionum genera, q̃ ista, quibus in his febribus ardentibus & tertianis utuntur, & quorũ apud diuersas gentes est usus, propterea non erit ab re, imo utilissimum erit de singulis agere, & examinare an conueniant, an non conueniant.

## De uarijs potibus in ardente febre.

Sunt uero potus genera, q̃bus recentes utuntur, hæc, aqua, aqua ex aceto, aqua ex uino, aqua hordei, aq̃ ex endiuiæ, aqua boraginis, aqua acetosæ, aqua cicorij, uinum granatorum, uinum de ribes, oxyzachara, oxymeli, aqua mulsa, aqua ex zucharo, arantia in aqua, limones in aqua, uinum omphacium in aqua, birra, zitum, succus anguriæ, syrupi clarificati, syrupi lõgi, ceruisiæ, medones, decoctio tricoccorũ, decoctio tamarindorũ, decoctio pomorũ, decoctio berberorũ. Nos in uarijs regionibus uidimus horum potuum usum, qui uno utuntur, qui alio, & qui pluribus. iccirco de omnibus his agendum est, & edocendum, an illorum sit conueniens usus, & qua sint qualitate insignita. primo igitur de aqua incipiamus.

De aqua ubertim in. 3. lib. à nobis dictum est, q̃bus notis ꝓbetur, quam in eodem loco dãnauit Hippo. penitus, & in cõmen. præsentis sententiæ iterum damnat Galenus, neq; dandã censet, quia cum natura frigida sit, tarde penetrat, & q̃ plurimo tẽpore in hypochondrijs manẽs bilescit & corrumpitur, & omnia alia, quæ prædicto loco dicta sunt. At diceres, si tot habet incõmoda, cur datur in potu affatim & uniuersim in acutis & ardẽtibus febribus, & aliqui sanãtur? imo Galenus dicit, nemini illam dedisse qui nõ sit sanitati restitutus. imo & in undecimo Methodi docet q̃n in ardentissima febre sit aqua frigida dãda, & quando aquæ frigidæ balneum administrandum. & in nono Methodi docet quando aqua frigidã sanata sit febris ardẽs. Rñdemus q̃ñ datur in tanta copia præ pondere descẽdit, & cito transit ac facile ad infernas partes. quòd si non descenderet, maxime læderet, tamen tot conditiones exiguntur pro huius aquæ potu, ut difficilimũ sit in uno omnes inuenire. unde nos habemus, & semper habuimus id præsidiũ suspectum, de quo & in aphorismis egimus, & in secundo libro huius uoluminis. secundum Hippocratem igitur & Galenũ hic aqua in acutis & caussis dari non debet, neq; in tertianis. & tota ratio est, quia frigida, & cum frigida sit non penetrat, nam si huic soli rationi innixerentur quia frigida, non esset ratio cõueniens, quoniã cum frigida sit, ardenti febri conuenit, sed tantum ob id quia nõ penetrat, reprobatur. aliqui mellis parum cõmiscent, aliqui parum zuchari, aliqui parum albanæ, quidam paulũ aceti. at nobis uidentur qui cõmiscent parum uini facere mulsam dilutã, propterea, idem erit de aqua loqui secundum illos ac si loquamur de diluta mulsa. Adde esse si non mulsam saltem propinquam mulsæ, potio illa quæ fit ex aqua & zucharo, ut uidebitur. eos magis laudamus qui parum addunt albanæ. at dices, albana est acerba, acerba uero adstringũt. Rñdemus adstringere quidem, sed in tam pauca debere poni quantitate, ut sua stipticitate obesse non possit, solum dat uim penetrandi aquę. At dices quomodo dabit uim penetrãdi, si & ipsa est stiptica? Rñdemus, esse quidem stipticam, sed & habere partes calidas penetratiuas, nam & si ratione tẽperiei humanæ sit frigida, habet tñ partes calidas. aliqui uero addere uolunt uinum potens, sed in pauca copia. Et reuera nihil uidi egregius sudorem prouocare, q̃ nostra uocata aqua hordei cum pauco uino cretico, aut uocato greco, ut duo cochlearia nostraria in cyathum cõmunem aquæ hordei. Neque illos despicio qui aceti parum addunt, imo hos acceptandos esse iudicat Galenus primo de simplicium medicamentorũ facultatibus libro, capite 30. ubi duas sitis causas refert, unam ex humoris inopia, aliam ex caloris copia, cum edocuit acetũ non sedare has sites, in calce ferè capitis addit, at qui aliter siti premunť, puta in febribus ardentibus, & adustis omnibus quiq; ęstate laborant, ac in graui æstu. composita ijs est affectio, ex caliditate uidelicet & siccitate, quare non iniuria composita illis medela est acetum, ut quod strenue refrigeret, & quouis expedite permeet, & aqua, quæ supra q̃ qđ refrigeret, omnium sit uel humidissima. nihil est enim aqua humidius. & idem à Galeno edocetur cap. 29. aquæ. f. ꝑmiscendum esse uel uinum, uel acetum, ut facile per corpus possit ꝑmeare. & quamuis de quantitate nihil dicat, tñ opus est intelligere aceti parũ. unde & illi qui aqua utuntur & aceto in his acutis morbis, non sunt despiciendi, sed secundum Galenum acceptandi modo in pauca sit copia acetum. At cũ de sola aqua loquamur, duo nobis occurrunt enarranda. cum in acutis & ardentibus febribus aliq; comedant, & non possint esse sine cibo, in his, q̃a aqua uentriculo obesse non potest, sed cibo ꝑmiscetur, propterea his pura aqua danda est. Aliud occurrit etiam notandum, q̃a Hippocrates & Galenus in illis locis de aqua pura ut à fontibus accipitur loquuntur. at qui dãt aquam, decoctam dant & reuera nõ uident tot noxæ in aqua, quot illi attribuit Hippocrates modo non sit ex crudissimis aquis. Non uererer igitur in his etiam q; nihil aliud accipere debent, q̃ aquam, aquam puram dare decoctam, ad extinguendam sitim, & febrilem calorem mitigandum. nam in. 3. libro Sectione. 19. dicebat Hippocrates aquam hoc modo nutrire, quia non sinit calorem adeo exiccare, ut faceret, si aquam non bibisset æger.

De aqua & aceto id satis uideretur dictum, quod superius additum est in aquæ exhibitione. nam cum Galenus addat acetum, ut aqua facile penetret, ꝓpterea conuenit potus in acutis & caussis ex aqua, & parum aceti, ut aqua penetret, sed acetum debet esse in pauca quantitate, nisi uelimus id effici quod Hippocrates dicit in. 3. huius, Sectione. 32. s. ramenta, & intestinorum rasuram.

At ambigere non uidere cõuenire acetum, q̃a stipticum, stiptica uero in acutis non conueniant, nisi intentio sit adstringere, & in febre syncopali. acetum uero stipticum esse ex hoc apparet, q̃a frigidum, & q̃a repercutit. nempe aceto plerunq;

utimur ad repercutiendum. idcirco in acutis acetum conuenire non uidetur. nam hęc est generalis regula, in omni acuta febre euitanda esse stiptica. Respõdemus, acetum esse quidem repercussiuum, tñ non est stipticum. nam id uniuersaliter non sequitur. est repercussiuum, igitur est stipticum, qm̃ aqua inter repercussiua reponitur, tñ non est stiptica, sed tñ sunt frigida. unde Galenus. 5. Methodi cap. 16. docet calidum perpetuo attrahere, & frigidum repercutere. Differentiam uero adesse ex hoc apparet, qa Galenus docet stipticum saporem in substantia fundari crassa & terrea: acetum uero fundatur in substantia tenui. hæc referunt in. 4. de simpli. medicamẽ. facul. cap. 6. ubi differentiam ponit inter acidum saporem, & stipticum. non fuisset autem opus horũ differentiam ponere, si acidus sapor esset simul & stipticus, & si omne repercutiens esset stipticum. At dices, omne frigidum est adstringens, astringentia uero sunt stiptica, igitur frigida sunt stiptica. at acetum est frigidum, igitur & stipticum erit. Respondemus, acetum partes aliquas habere calidas. uel dicamus ex alio considerari stipticitatem, ex alio adstringentiam frigiditatis. nam omnẽ frigidum ut frigidum, aliquam profecto habet adstringentiam, tñ non dicĩ stipticum nisi partes correspondeant, hoc est, nisi sit crassarũ & terrestrium partium: acetum & aqua ratione qua frigida, habent planẽ aliquam adstringentiam, & repercutiunt. uerũ non sunt stiptica dicenda, qa tenues habent partes, & tenuioris sunt substantiæ, imo ob hanc substantiæ tenuitatem multum repercutiunt, qa magis penetrant. Iccirco colligere potes, usum alicuius portionis aceti in aqua conuenire posse, & tñ stipticitatem non inducet, sed potius aperiet, & per totum corpus permeabit.

De aqua uero cum uino, id sufficit qđ superius de aqua dictũ est. si illud addamus esse duplex uini genus: aquosum unum, alterũ uinosum. si uinosum recipiatur in tam pauca copia sumi debet, ut aquam tantum penetrare faciat, quia in acutis morbis uinum non conuenit.

At uina aquosa sunt in duplici differentia: quædam aquosa colore sunt, & nullum habent, nisi aquæ saporem, uel aquę propinquum. & hæc forte in maiori copia possent aquæ misceri, qa non effumant, & sunt in comparatione humanæ naturæ frigida. Sed qđ ambiguitatem magnam facit, est de medicis nõnullis Ferrariensibus, qui in acutis febribus nostris utunĩ Ferrariensibus albanis dilutis, & infrigidare dicũt, ac ad febris causas penetrare. iccirco nũc dubitãdum est, an tales albanę conueniãt in acutis. Scito esse duplex harũ albanarũ genus: nã aliquæ sunt acerbæ, quæ & ex uuis sui generis acerbis factæ sunt: aliquæ sunt austerę. uerũ cum austera sint stiptica, ut. 1. de simpli. medicamẽ. facul. à Galeno probatum est: & acerba adhuc sint magis stiptica, propterea ab his albanis penitus abstinẽdum est: neq; illorũ usum laudo, nisi in modicissima copia ex aqua, & nisi esset in aliquo alui profluuio, aut in aliqua affectione, in qua opus esset adstringere.

At dices multos uideri ex albanæ usu alui profluuium incidere. Respondemus, id uerũ esse qñ uentriculum infrigidauerint, sed id non est ex propria albanæ qualitate, quæ ex se est stiptica. posset etiam conuenire in febre uocata syncopali, nam ut Gal. docet in. 12. Methodi, in hac stiptica conueniunt. in hoc igitur casu sunt euitandæ albanæ, qa stipticæ, nisi in paucissima acciperentur quantitate, sm̃ quam obesse non possent.

At dices, cur stiptica sunt euitanda cum frigida sint? Respondemus, in acutis febribus intẽtionem esse aperire, sudorem prouocare, atq; urinam. stiptica uero sunt his intentionibus opposita, propterea conuenire non possunt. In hoc igiĩ casu nullo modo uino uterer. at si nonnunq; ex ægri fastidio & incontinentia, præbere cogerer, acciperem potius uina alba tenuia aquosa, & preterea illa diluerem, dimitterem uero austera atq; acerba, ut illa etiam accipiebat Hippocrates in. 5. huius Sectione 41. ubi iubebat sumendum uinum aquosum, flauum, inodorũ.

De aqua autem hordei nostra, an conueniat, an non. Duo tantum loci habentur, ubi de hac hordei aqua fit mentio: unus est libro. 5. Sectione. 45. ubi mẽtionem facit potuum hordeaceorum. Certum uero est, non esse ptisanam, neq; ptisanæ cremorem, qa ab Hippocrate et Galeno semp uocantur sorbitiones, propterea de aqua hordei nostra intelligendus uidetur. & siqui alij sint loci qui hoc probent, in illa sententia à uobis positi sunt. Alter locus est in. 4. huius uolu. lib. Sectione. 71. ubi de singultuosa loquẽs febre ait, q; si supra modum singultuosi fuerint, hordei aquam bibãt. Galenus in huius loci cõmentatione, ignorãs ferè quonã modo conficeretĩ aqua hordei, inqt: Melius fecisset Hippocrates, si prius quonam pacto parare hordeum oporteat enunciasset, utrum' ne simplr̃ madefacere, uel ex eo zythum ut huius temporis homines conficere, uel quouis alio parare modo. ut Galenus ignorare uideatur, quonam modo pro hordei aqua conficienda hordeum præparetur, ut nullus sit alius locus, quo conficiendi hanc aquam rationem habere possimus, neq; apud Hippocratem, neq; apud Galenum, neq; apud aliquem antiquum. & Galenus ipse modum non refert, quia illum ignorabat, ut Hippocratis tempore concinnabatur. At de hac re ibidem loquemur, quęrentes an possit aliqs conficiendi modus inueniri apud antiquos. In præsentiarũ uero dicimus hordei aquam multis modis hoc tempore fieri. Nonnulli accipiũt hordei excorticati pateram, & in aquæ phialam imponunt, & ebullire sinunt quoad hordei grana scindanĩ, postea aquam illam exhibent. Hi dupliciter errant. primo, qa modicum aquæ in illa decoctione relinquitur: deinde est flatuosa, quia partem flatus ab hordeo recipit, neq; exiuisse potuit. Alij accipiunt hordei mundi pugillum, & in phialam ponunt aquæ plenam, & ebullire faciunt quoad & grana scindantur. Et si in eo errant, qa flatuosa, & non satis cocta: iudicandum igiĩ est hanc hordei aquam ita præparandam, ut ptisanæ uim fere habeat, propterea opus est ut maxime ebulliat, ne aliqd in ea flatuosi relinquatĩ: nam & ptisana ex ebullitione quicquid habet flatuosi amittit. Nos igitur iubendum ducimus, ut duę unciæ hordei mundi in uas decem librarũ aquæ ponerentur, & per tantum spatium ebullire permitterenĩ, ut hordeum amplius hordei formam non haberet. hæc aqua omnes ptisanæ conditiones haberet, tribus demptis: unam ptisana est lenis, tñ non exasperat. secundo, uiscositatem non habet, sicuti ptisana: & hæc causa est cur non ita leniat. tertio differt, quia in ptisana est mediocris humectatio, sed in aqua hordei est aquea humectatio. unde in multis hominibus uentriculum relaxat, & eius os, ut aquosa facere solẽt. In reliquis si consideres ptisanæ conditiones, aquæ hordei bene coctæ conueniunt. propterea inferendum est hanc aquam esse dandam, & potissimum qñ adest sitis. & qa os uentriculi supinat, propterea optima est, qñ uomitum prouocamus. Aliqui ne nauseam cõmoueat, mastichen cõmiscent: ab Auerroe in. 7. collectionum accipientes, tñ hoc nũquam probarem, sed potius illum euomere sinerem.

Scitoq; minus coctam nauseam non inducere, sed postea est flatuosa. Idq; notato, qñ non est adeo cocta, & si flatuosa sit, tñ experientia colligitur, sudorem magis inducere, q; qñ est adeo cocta, qa tunc uidetur esse substantiæ crassioris, & in coctione absumitur quicqd abstersiui recipiebat à cortice tenui hordei derelicto. nam cortex ille sm̃ suam uirtutem, magnam decoctionem non patiĩ. ita igitur hordei aqua in hac febre danda conficiatur: & quæ aliquo modo nutriet, sed multo minus, q; ptisana, uel eius cremor.

De aqua uero endiuiæ, boraginis, cicorei, & acetosæ conuenire dicimus, & potissimum si sint per decoctionem factæ. nam quæ alambico ui ignis extrudantur, frigiditatem amittere uidentur & humiditatem, ut in. 3. libro dictum est.

De aqua uero acetosæ ex decoctione idem contingeret dubiũ qđ de aceto, an stiptica sit. Nos autem dicimus non esse stipticam, sed esse tenuium partium, & penetrare, sed hoc non tam uehementer facit ut acetum, quia ipsa acetositatem habet ab ortu, non per transmutationem à calore.

De granatorũ uino & in. 3. dictum est lib. in his febribus non conuenire, tñ cum multa aqua his dare non ueremur, qui puram aquam renuunt. In præsentiarũ uero dicamus, omnia pu-

nica esse frigida. at cum aliqua sint dulcia, hæc sunt minus frigida, imo partes habent calidas, quarum ratione ardenti febri non conueniunt, neq; dulcedinis ratione conueniunt, quæ in bilem facillime uerti potest. alia præterea sunt acerba, & alia austera, quæ cum stiptica sint crassarum partium & terrearum, ut Galenus notat. 6. cap. 4. de simpli. medicamẽ. facul. iccirco expressa potui dari non conueniunt. Sunt uero & aliqua acida, quæ & aliquo modo nõ conueniunt, non tñ simpliciter, cum aciditatem habeant ab ortu, quę esse nõ potest nisi cum aliqua adstrictione, unde his cum magna aquę portione uti possumus. Et ne quis putet non inueniri punica acida, nos inueniri testamur, licet rariora sint. & Galenus hoc testatur. 2. lib. de composi. medica. secundum locos, ubi loquitur de capitis dolore, ex perfrictione cõtracto, & inquit potiorem esse succum granatorum, ut qui magis refrigeret, loquitur de acetoso. postea Galenus sequitur, huius autem penuria ego quoq; in agro cucurbitæ ramentum exuccatum uuæ immaturę succo misceri, ut colligi possit punica quidem acida extare, sed in modica copia. tñ si hæc desint acida, in renuentibus alios potus, darem & acerba ac austera in paucissima copia, cum ampla aquæ quantitate & zucharo, quia maius afferũt ex infrigidatione iuuamentum, quam ex stipticitate nocumẽtum, quam stipticitatem illi aufert aqua, quæ tenuium est partium, & zucharum quod est parumper calidum. si uero ab his potibus abstinere potuerim, ab illis penitus abstinerem, & iuberem, ut alij potus aperientes & incidentes acciperentur.

De uino ex rhibes facto loq uolentes, dicimus non esse in usu, nisi apud quosdam. Nonnulli Brixiæ hoc succo utebantur in acutis febribus, sed potissimum rustici eo utuntur, ad refrigerandum in acutis febribus, sed potius obest quam prosit, nam obstruit, cum acerbissimus sit succus & stipticissimus, ut in profundum penetret linguæ, conuenit solum cum adest alui profluuium, aut aliquod simile. Quid sit rhibes, in nostro simplicium examine scriptum est.

De oxyzachara, quam oxysachar nuncupare possumus, in syruporum examine tractauimus.

Addamus hic oxyzacharę usum conuenire, cum diluta fuerit, sicuti conuenit & oxymelitis usus, nam ut oxymeli aqua melle & aceto constat, ita oxyzachara, aqua zucharo & aceto, & adest meracior, aquosior, & temperata. Oxyzachara aquosa illa est quæ dari debet, similiter conuenit et oxymeli, ut superius dictum est: tñ differentia est in oxyzachara & oxymelite, quod oxyzachara est minus calida, ut zucharum minus calidum est quam mel, at in reliquis omnes habet mellis proprietates, quamquam & minus flatuosum sit.

De aqua mulsa, & aqua zuchari idem iudicium est. Semper uero hæc intelligenda sunt diluta. nam in acutis & ardentibus quanto minus aderit mellis & zuchari, tanto melius. sicuti ergo ab Hippocrate datur aqua mulsa cocta diluta, ita dari debet, & dari potest, aqua zucharata cocta diluta, tñ in zucharo nõ exigitur tanta coctio, quia non est flatuosum, uel est parum flatuosum ob ebullitionem quam habuit, dum è canna educeretur, et postea, mel uero est multum flatuosum. Si Hippocrates & Galenus zucharum cognouissent, non dubitamus illos præposuisse aquam zuchari, aquæ mellis, sed hoc nobilissimum edulium ignorarunt.

Aliqui arantiorum succo ex aqua in his morbis in potu utuntur. Scito autem esse uaria pomorum medicorum uel arantiorum genera, quædam dulcia sunt, quædã acida, quædam acerba. quæ dulcia sunt, non conueniunt, quia facile in bilem uertuntur. acerba & immatura sunt ualde stiptica & adstringentia. iccirco neq; ista conueniunt, cum intentio sit in ardore aperire, sudorem prouocare, atq; urinam. quæ uero acetosa sunt, sunt & tenuium partium, & cũ aqua copiosa exhiberi possunt, sicuti & punicis malis acidis uti licet.

Et si dicas, cur dulcia sumi non debent, cum tñ mel dulcissimum sit, & in mulsa exhibeatur? Respondemus, nos intelligere per se, sed cũ aqua dulcibus arantijs uti possumus, & etiam dulcibus punicis ex aqua multa, sicuti et melle utimur ex aqua multa in mulsa, neq; mulsa meraciori uteremur. & quamuis Galenus iudicet mala punica dulcia frigida, tamen sunt minus frigida cæteris. omnibus ergo his uti possumus cum multa aquæ miscella.

At potius abstinerem à limonum succo, quo tñ multi utuntur, ueluti eo qui magis adstringit. Neapol uero reperiuntur limones inter dulces & acidos, succo horum uterer ex aqua in his febribus sine aliquo discrimine, et his frequentissime utũtur medici Neapol tam ac Salernitani in his febribus, quanquam & in illa regione omni fere fructuum genere in febribus utũtur.

De omphacio uino, quod ab acerbitate acrestũ uocãt, nihil aliud dicam, quam nullo modo dandum, nisi adstringere uelimus, quia cum acerbum sit, uehementer adstringit, imo acerbissimum est ob uuæ immaturitatem, ex qua fit, tñ multi exhibẽt, & ęgri sanantur ob frigiditatem: sed citius fuissent sanitati restituti, nisi fuisset potus stipticus, tamen hoc omphacio uino & uua omphacia cum cucurbitis decocta æstiuo tempore in febribus concedimus.

Birra non est communis per totam Italiam potus, imo nullus est in Italia birræ usus, in Gallia magnifice hoc potu utuntur. Lutetiæ Parisiorum singulis annis uenduntur plus quam quinquaginta millium solidorum birræ, & pro sanis & pro ægris. rari sunt qui birra non utantur in morbis acutis, fit ex siligine aqua macerata quoad acescat, postea addunt lupulorum flores, & ad quandam mensuram ebullire sinunt, postea in dolia seruant. aliqui ex hordeo, alij ex tritico ita macerato ac decocto cum lupulorum floribus parant, oĩa hæc praua sunt, nam potus hic ex hordeo factus à Dioscoride zythum nũcupatur, licet à Gallis birra. Nullus in morbis acutis his potibus uti debet. nam (ut Dioscorides docet, qui licet de zytho loquatur, tñ de omnibus intelligi debet) renes lædit & neruos, cerebri membranis pręcipue noxius, inflationes idem excitat, malosq; in corpore humores, quin etiam elephãtiasim facit. imo fit aliud genus potus ex hordeo, quod Dioscorides curmi uocat barbara uoce, quo pro uino utuntur, capitis dolores, & malos corporis humores facit, neruisq; nocet. Refertq; Dioscorides & ex tritico tales potus fieri, ut in Hiberia occidentali, & Britãnia. In Gallia hos potus potissimum ex siligine in morbis exhibent, & habẽt hi potus suos laudatores. Scire autem oportet in regionibus, in quibus uina desunt, fieri potus ex fructibus, ex herbis, ex radicibus, & ex omni frugum genere, ut quisq; genus potus sibi excogitauit ne aquam bibat, habentq; diuersa secundum regiones nomina. unde à Plinio in calce libri. 22. cum de frugibus locutus esset, ut in usu medico sunt, addit, ex eisdem fiunt & potus zythum in Aegypto, celia & ceria in Hispania, ceruisia & plura genera in Gallia, alijsq; prouincijs. Adde apud Pãnones, & quosdam Germanos nuncupari medones, ex aromaticis pulueribus & potus conficiuntur, pulueres uero sunt ex cinamomo, uel gariophyllis, uel gingibere, uel casia, uel similibus, aut ex pluribus simul. uidimus in Gallia ebrios uehementissime ex birræ potu, nempe non minus ebriat, quam uinum.

De zytho & Columella in suis carminibus, & Diodorus Siculus in historia gentium. Nullum ex his potibus in febribus acutis, nedũ in febre ardente exhiberem. Nõnullos uidimus in Gallia in pleuritide qui potui dedere uinum potẽtissimum, in quo erant ebullita piper, gingiber, cariophylla, melegette uocatæ, & alia calidissima, postea æger tegebatur ut sudaret, ante quam detegeretur, obierat. nempe medicus iusserat, ut ui sudaret, si spõte sudare non posset. sed de his potibus satis apud uarias gentes, apud quas potissimum non nascitur uinum.

Duo præterea sunt potus, quibus Neapoli præcipue utuntur in febribus acutis, unus est ex fructu nũcupato lazarolo, tricoccus græce dicitur & mespilus, de quo in simplicium examine egimus. hunc fructum in aqua decoquunt, & hoc potui præbent decoctum. alij exprimunt succum, quem nunquam pręberem, decoctionem uero præberem, si multa sumpta aqua, paucissima mespila imponantur, imo in febribus sinerem ęgrum masticare, & ejcere tricoccos. Alter potus est succus cucume.

ris, quem uulgo anguriã dicunt, & Neapolitani melone de aqua. Est praeterea huius anguriae usus Venetijs, Romae, Ferrariae, Florentiae, Bononiae, & per totam Italiam. quam peponem uisus est nominare Galenus in. 2. de alimẽ. facul. quamuis dicat partem intimam carnis, semen inclusum tangentem cum in peponibus edendo non sit, in melopeponibus passim ab hominibus manditur. quae uerba ostendere uidentur peponem non esse anguriam, quia proprie id manditur ex anguria, in quo sunt semina. Nos uero dicimus non mandi, sed exprimi succũ. mandi uero in melopeponibus, seminibus abiectis, licet extremae partes non mandantur. Melopepon uero est noster uocatus melone. unde ait censuisse aliquos non peponem hunc fructum, sed syciopeponem uocandum. Et qđ addunt aliqui ex praecitato loco probantes non esse anguriam peponem, quia pepon habeat semina in carne, anguria uero non. dicimus absurdum esse, tum quia Galeni locum non intelligunt, tum quia est ueluti caro id cui inhaerent semina in anguria, tñ & cucumis uocatur, quam in uentrem crescere in Georgicis dixit Virgilius. De hoc succo quaeres, an conueniat in ardẽtibus febribus. profecto si Galenum consideremus libro praecitato, inquit habere naturam frigidiorem cum larga humiditate, et habere uim adstringendi, & urinam ciendi. propter has proprietates conuenire posset, quia haec omnia in acuta febre expetuntur. At illa quae deinceps addit, hunc potum prohibere uidentur. quippe sequitur gignere in corpore uitiosum humorem, praecipue si rectam coctionem non assequetur, tum etiam morbum, qui cholera dicitur, inducere solere. haec uero pessima sunt in acuto morbo .s. gignere uitiosum humorem, & induci cholerã, quae est morbus fatis letalis. dicimus dandam esse his qui illam cõficere possunt, in quibus choleram inferre non potest, quae potius ex cruditatibus fit. & praebetur aqua, quae facilius coquitur, q̃ caro. & si quis carnem masticauerit, crassum qđ in ore ueluti filosum remanet, ejcere debet, solumq́ tenue & aquosum deglutire. Sed ut parumper à Graecis digrediamur, & ad Arabes accedamus, Auerr. 7. collectionum, cap. 12. in ardẽte febre potius dat anguriae succum, q̃ aquam niue refrigeratam. rationemq́ reddit, quia aqua niue refrigerata & si multum frigida sit, tñ cito recipit caliditatem. & adhuc magis, quia aqua cum simplex sit, nihil restaurat, neq́ aliud praestat corpori, q̃ frigidam qualitatem. at anguriae aqua restaurat, & addit in sanguinem, substantiam frigidam, & qualitatem faciens. Iudicatq́ Auerr. illo in loco, satius esse aegritudinem prorogare, q̃ aegrum in necem deducere. referitq́ Auẽzoaris casum, qui puerũ sanauit, illi solum singulis diebus aquam anguriae praebens. ita uero praebebat, non ut penitus febrem extingueret, sed potius ut illam ex intensa remissiorem faceret. itaq́ in lentam & chronicam febrem illum induxit. qđ melius iudicauit, q̃ mori. Ad rem uero redeũtes in his qui conficiunt, & qui in uentriculo bilem non habẽt, praeberi potest. Id dico, quoniam ipsa facillime in bilem uertitur, potissimum cum bili miscetur. Si uero non conficitur, facile putrescit, & febres auget. praeberi igitur potest si non timeamus ne in bilem conuertatur, uel in humores putridos. neq́ ex eo moueor q̃ Auerrois dicit dare nutrimentum frigidum & humidum, quoniam id quidem uerum est quando conficitur, sed non est simpliciter uerum.

De clarificatis syrupis, atq́ longis uocatis differendum est. Cũ bi syrupi ex aquis fiant igne eliquatis. id qđ de talibus aquis iam dictum est, & nunc repetatur, potius accipiẽdas esse aquarum decoctiones, q̃ aquas illas eliquatas igne, tamen non negamus dari posse & hos syrupos, & potissimum uocatos lõgos, nam syrupi longi ex pauco fiunt syrupo & aqua multa. Syrupi uero accipiunt aut mel, aut zucharum. antiquitus ex melle conficiebantur, nunc omnes ferè qui in ardente febre adhibentur syrupi, potius ex zucharo sunt, tamen adest aquae magna portio, zuchari parua, ut mulsae dilutae uim habeas, nam si adesset & multa zuchari copia, non conuenirent, unde minus cõueniũt, clarificati, quia maiorem hñt syrupi & zuchari copiam. Forte autem de hac clarificatione in syrupis petes, an conueniat, an non conueniat. Respondemus syrupos aut alterandi causa dari tñ, aut concoquendi. s. incidendi, attenuandi. si alterandi gratia dentur, parũ refert uel sint clarificati uel non clarificati, q̃uis ob ebullitionem non clarificare melius sit. at si digerendi causa exhibeantur, melius est non clarificare, quia magna attenuandi & incidendi uis syrupo aufertur. nam clarificatio ex oui albumine, qđ stypticum est, & adstringens, iccirco partes omnes syrupi crassiores, qui factus est ex succis auferet. itaq́ minor relinquitur succorũ uis. & qui zucharum deferri dicunt, decipiuntur. nempe zucharum partes habet satis tenues, quamuis non negarim & crassioris partis zuchari portionem auferri.

Et si petas quinam sint syrupi. Respõdemus, esse syrupum de endiuia, syrupum uiolatum, syrupum de nenuphare, syrupũ de portulaca, syrupum de pomis. alij accipiũt syrupum de acetositate citri. quem undequaq́ nõ laudarem ob stypticitatem, tñ cum multa aqua conuenit. syrupus acetosus simplex sumi potest. quamuis nonnulli sint nolentes hunc posse dari, q̃ñ materia fuerit multum tenuis, quia magis attenuat, tñ non considerant debere esse paucissimae acetositatis, ut idem ferè sit cum mulsa diluta. Vnum uero notare oportet, esse hos syrupos dulces quãtum possibile est euitandos, nisi multa aqua misceant. Aliqui pro syrupo oxymeli accipiunt. Et si dicas, nonne oxymeli est calidum, quia recipit mellis duas partes, & unam aceti. Respondemus, accipere duas aceti q̃ñ sit acerrimum, ut. 4. de sani. tuẽ. edocemur, quamuis eo loco aegri gustum sequatur. uerũ de oxymelitis caliditate atq́ frigiditate ratio ex Galeno haberi potest. 4. de simpli. medic. facul. cap. 12. ubi de aceto agit. & edocere uolens calorem & frigus aceti inquit hoc facile comprehendi, si mel illi miscueris. nam si parũ mellis plurimo aceto miscueris, statim & calorem, & frigus manifeste percipies. nam si paulum mellis aceto pmisceas, magis frigidum, qđ fuerit mixtum, q̃ calidum uidebitur. sin multo melli pauxillum misceas aceti, plus calefacere, q̃ refrigerare conspicietur. & si pari melle uti aq́ miscueris, acetum tñ etiam uiribus superare comperies. quod si ut est dictum, plus sit multo mellis q̃ aceti, aequalia rursum frigus ac calorem in ea mistura conspicies. multis enim numeris acetum plus ab ijs quae moderate sunt calida, ad frigiditatem recessit, q̃ mel ad caliditatem. unde si id oxymeli accipiamus, qđ mordacitatem seruare uidetur. 4. de sani. tuẽ. ex quatuor aquae partibus duabus mellis, & una aceti, dicimus adhuc esse frigidum ratione aceti & aquae. at si magis aquae addamus, tanto magis erit frigidum, ita ut sit oxymeli dilutissimum, de quo in. 3. lib. dictum est.

Forte dices, si oxymeli mediocre id sit, q̃đ ex. 4. de sani. tuẽ. relatum est, unam aceti habens partem, & duas mellis, igitur erit in Galeno contradictio. quippe in consilio pro puero in morbo comitiali inquit, oxymeli autem si sit acutissimum quartam habet acrimoniae partem, ad mel collatum. si dulcissimũ, octauam obtinet. Respondemus, contradictionem hãc alio modo solui non posse, nisi dixerimus, in consilio pro morbo comitiali, qui est morbus frigidus, in quo multa indigemus calefactione, opus esse addere plus mellis, & minus aceti, ut compositio sit calida. unde ibi non loquitur de oxymelite simpliciter, ut in. 4. de sani. tuẽ. sed de illo loquitur ut comitiali morbo conuenit, in quo semp calidum quadrare uidetur, propterea acutissimum erit, in quo sit pars quarta aceti, & nunquam in hoc casu acetum augeri debet, quia ad hunc terminum acutissimum est oxymeli. secus est in morbis acutis loqui, in quibus frigido indigemus, propterea in ipsis dimidium ponitur aceti, & q̃nq́ aequa portio, q̃ñ maxima incisione indigemus. conueniunt igitur & oxymeli, sed dilutum, & syrupus acetosus, de quo in nostro syruporũ examine egimus. Sunt & alij syrupi à praedictis, quibus utuntur & simpliciter & mixtim recentes, tñ omnes uim habent infrigidandi, & humectandi. sed potissimum euitandi qui parũ aperiunt, ut de endiuia, de portulaca, qui tñ ualent in refrigerando. Alij sunt medici, qui decoctionibus potissimum utũtur, ut decoctione sebasten, prunorũ, berberis, tamarindorum,

ab his

ab his decoctis non abstinerem. nam & dari possunt. solum berberis decoctionem euitarem, tanq̃ illam quæ adstringit. Nonnulli Ferrariæ cum uident uires in ardente febre esse imbecillas, stillatum exhibent ex carnibus. imo & in omni imbecillitate peteres an conueniat, scito non dari stillatum, hoc est carnis aqua ui ignis per alambicũ extrusa, nisi pro roborandis uiribus. uires autẽ roborãtur, quia sanguis augetur & spiritus. hoc stillatũ parum potest efficere sanguinis, sed profecto multos gignit spũs, hinc uires roborantur. at nõ est robusta uis, sed quæ facile resoluitur ut spũs ipsi facile resoluuntur. Sed de hoc stillato quæres an ex crudis carnibus fieri debeat, uel ex coctis, cõmuniter enim fit ex crudis, tñ si fiat ex coctis erit potus magis saluber, & qui non accipiet uirus & ichores carnium.

Petes uero quodnã genus potus magis cõueniat. Rñdemus, id quod ab Hippocrate hic refertur, aqua mulsa cocta diluta, q̃uis & oxymeli ꝯueniat qñ aperire opus est, incidere, attenuare, & abstergere reliquis potibus, ut superius dictũ est utaris. & si qui alij afferãtur, de quibus mentionẽ nõ fecerim, de ipsis eodẽ mõ iudiciũ facito, ut de pdictis nos fecimus. nẽpe nullus erit potus, q aliqbus ex prædictis nõ cõueniat & nõ assimilet. Tamen ad perfectiorẽ potuum intellectionẽ prætermittendũ non est, an possit in hac febre ardẽte dari aqua frigida affatim & uniuersim in potu. Rñdemus posse profecto, & unum eẽ ex summis præsidijs qbus hęc febris expellitur. Nam à Galeno. 9. Metho. notatur, hęc duo esse maxima febris ardentis pręsidia, sanguinis missionẽ, & aquæ frigidæ potum. Notat tñ Galenus non debere esse factã hãc febrẽ ex materia glutinosa quæ obstruat. nam si quis ita affectus hanc frigidã aquã ebiberit, obstructionẽ augebit. & si tunc febris diminuta uideatur, tamen sequenti die augebitur, quia & causa ipsa augebitur. hæc est igitur una cõditio quæ in febribus ardentibus apud Galenũ prohibet aquam frigidã dari. Alia cõditio quæ prohibet est abscessus aliquis in intrinsecis partibus, cum aliqs aderit cum hac febre abscessus. si aquã dederis, mirifice oberis. nam crudior redderur abscessus. Tertium quod ab hoc impedit potu, est si uentriculus aut pars alia ex naturalibus instrumẽtis læsionẽ aliquã uel prauæ qualitatis, uel imbecillitatis habeat, tũc enim frigida euitanda. Forte diceres quonam modo cognoscendũ erit, uirũ quempiã in naturalibus mẽbris læsionẽ habere? Rñdemus id Galenũ edocere ex assuetudine potãdi absq; nocumẽto. unde cum quispiã in sanitate frigidã aquã bibere assuetus est, neq; illi obest, neq; mẽbrum aliquod naturale læsionẽ sentit, hic ardente febre correptus, facilius hunc potũ feret nõ assueto, nam & calor febrilis resistit, & aquã cito calefacit. Quartum quod impedit ne dari debeat, est materiæ cruditas. Hæc. 9. Methodi colliguntur. Tamen & aliæ conditiones in alijs locis à Galeno positæ reperiuntur, de qbus & ipse in aphorismis mentionẽ facit, & nos illas in nostris cõmẽtarijs contẽplati sumus. ut sit iuuenis, bene carnosus, ętate media, uires cõstẽt, hypochondria sint robusta. Tamen oẽs hę cõditiones ad quatuor reduci pñt. Is in ardente febre frigidã aquã bibere põt, qui nõ habet materiã glutinosam, neq; abscessum aliquẽ intrinsecũ, nec mẽbrũ aliquod naturale sit affectũ uel imbecillũ, & signa adsint coctionis. Quibus addit, si sit assuetus illã absq; icõmodo potare tutissime posse dari, & in maxia copia, ut calor febris extinguat. Sed Auerrois Galeno aduersatur. 7. collectionũ cap. 8. qui cũ Galeni cõditiones adduxerit ut nos fecimus de danda aqua frigida, in una cõditione Galenũ reprehẽdit in illa. s. quod sit expectãda coctio: quippe Auerrois inquit, qñ oẽs cõditiones adfuerint, & æger multũ desiderat aquã frigidã, nõ est expectãda coctio, quia ęger ante coctionẽ cõsumetur & fiet hecticus. imo si sitim patiatur & ardorẽ usq; ad coctionẽ, coctio erit mala ueluti nebula nigra, aut hypostasis nigra, ob nimiam cõbustionẽ. unde si tunc frigidã aquã exhibere uolueris, nihil ages. Iccirco iubet, in initio absq; coctione esse dandã. neq; aduertẽda uerba aliquorũ hoc est Galeni & sequaciũ, qa (inquit Auerrois) hęc est res ueracissime probata, nam materia quę hanc facit febrem cum sit extreme calida, coctione priuata nõ est, nisi ob malam qualitatẽ acutam, & non propter crassitiẽ & glutinositatẽ. ut inferat cum infrigidabis in hac febre, statim materia erit cocta. Vnde melius est reducere hanc febrẽ ad febrem lentã & longã, quę curari põt, q̃ ęgrum obire. Imo Auerrois censet in his in quibus põt expectari coctio si detur aqua frigida, citius curari, si uis sit fortis, q̃uis ęgritudo sit lõga. Casumq; refert apud Rasim de duobus iuuenibus, q sub cane iter facientes ardentẽ febrẽ incidere unus erat seruus, alter dñs: dño fuit data aqua, & euasit seruo nõ fuit data, & obijt. ex quibus Galenum reprehẽdere tentat, qui coctionẽ expectet in hac febre.

At Auerrois interrogãdus est, nunqd & ex his febribus aliquę sint salubres. imo ipse met hoc fatetur differre per magis, et minus. Verum si sit salubris, cur infrigidare & incrudare materiã crudã, & prolõgare ęgritudinẽ, quę prolõgatio posset esse causa deueniendi in aliã ęgritudinẽ, quę demũ ęgrũ necaret. propterea in hoc errat Auerrois, qui cẽset in ardore semp dandã esse aquã in principio, qñ conditiones adessent, nulla expectata coctione. nec ualet dicere quod in cõsumptionẽ cadat, quia est salubris, neq; coctionẽ malã habebit ueluti nebulã nigrã. unde dicimus Galenũ intelligendũ esse in salubri febre ardente, de qua. 9. Meth. loquebatur. Iccirco nõ erat ita temere accusandus Galenus, sed potius recte, et in alijs locis cõsiderãdus imo addã Galenũ (ubi adesset mortis periculũ) & inflãmationẽ negligere, & obstructionẽ, & dare aquã, quia id ueluti oraculum est ab Hippocrate & Galeno sępius prędicatũ, potius prolongandã esse ęgritudinẽ, q̃ sinendũ ęgrũ mori. Idemq; Galenus faceret si hecticę periculũ immineret. Si Auerrois Galenũ legisset in. 10. Medẽdi Methodi lib. non tã temere illũ culpasset. nẽpe Galenus eo loco casum refert iuuenis cuiusdã biliosi, qui febre correptus, cum uehemẽti calore & uigilijs, & cum periculo adustionis & hecticę febris, in hoc casu multo melius esse iudicauit in principio, cũ materia erat adhuc cruda, dare aquã frigidã copiosam, quę adustionẽ prohiberet, & hecticã, q̃ illũ dimittere aduri, & in hecticã transire. nec ueretur idẽ facere in iflãmatione Galenus. ꝑpterea nõ erat culpãdus Galenus, sed potius in suã sniãs deducẽdus, cũ hi authores idẽ pcise itelligãt. At dices iã habemus aquã frigidã in potu dari posse in febre ardẽte, uerũ nõdũ notũ est, quãta pręberi debeat copia. profecto si Galenus uarijs in locis cõsideretur, ambiguus uidetur. Cõis medicorũ usus est nõ solũ dare q̃tũ uoluerit ęger, sed eundẽ cogere ut in maiori copia sumat q̃ sumere possit. unus adest apud Galenũ locus in. 1. huius uolum. lib. sectione. 4 3. ubi Methodi medẽdi librũ refert, in quo de aquę frigidę potu locutus est, & inquit. Cum febris adfuerit cõstante uirtute, tunc nõ solũ non offendet uerum & iuuabis abunde. potio autem frigidę huiõi tanta sit, q̃tũ frigidæ aquæ æger inspirando haurire possit. Vt quantitas in hoc loco desumendæ aquæ sit tantum uno haustu bibere quantum homo possit.

In nono uero Methodi, ubi de synocho agit, qñ fuerit prætermissa uenæ sectio, quæ fieri debebat, inquit, eo casu trãseundũ esse ad aquã frigidã. & eius ferè quãtitatẽ annotare uidetur, cũ ait offerendã potui aquã quæ prorsus sit calida quantũ bibere ægro libet. ut uelit ægrũ posse tantũ insumere frigidæ aquæ, q̃tũ uoluerit. ut uideatur in hoc loco cum recẽtibus concors. Sed in. 10. Metho. ubi de iuuene loquitur biboso sicco & calido, qui sub canicula ira febricitauit, & ei duas frigidæ heminas dedit, post prãdiũ dedit & heminã. Tamẽ prius dederat cuidã mulieri, quæ autũno ex tristitia & uigilijs febricitare cœpit: cũ deprehẽdisset quarta die esse hecticã putridæ cõiũctã, hinc dedit frigidã moderate. Cuipiã qui eo tpe ægrotabat dedit fontanæ gelidæ interim binos cyathos, interim ternos, quoties nutritus est, prætereã regulã quandã generalẽ Galenus dicit utilissimũ esse ubi febris ideã prospexeris, in prima statim accessione, minore cum periculo, copiosiore frigida uti, corporibus ad ualidã sanitatẽ nondũ perductis. ut hinc uideas Galenũ esse satis ambiguũ, in huius aquæ sumẽdæ quãtitate. nam dat q̃tũ potest uno haustu exorbere, dat quantũ libet ægro, dat duas heminas, dat duos cyathos, dat moderate, ut non habeatur qd

certe faciendum sit. tamen si uarias Galeni intentiones consideremus, dari debet quandoq; magis, quãdoq; minus, ubi aderit febris ardens, & nihil impediat, imo omnes adsint cõditiones, per quas aqua frigida exhiberi põt, tunc dari debet quantum uoluerit. & hoc est quod. 9. Methodi dicebat dandã esse, quantum ęger uoluerit, supposito nullam adesse suspicionem, neq; de abscessu, neq; de imbecillitate. sed si ambiguus es, an adsit abscessus, uel non adsit, tunc minus dare debes, & praesertim cum in initio praebes nulla expectata coctione, ut fuit in casu iuuenis in. 10. Methodi, in hoc casu dedit solum duas heminas ante prandium, postea unam post prandium, & mulieri dedit moderate, quia non adeo intensa erat affectio, alteri duos solum dedit cyathos. putamus uero id quod dicit de duabus heminis in. 10. Methodi cum eo cõuenire quod dicit uno haustu in. 1. huius uolu. lib. nam duae cotylae & duae heminae quae idem sunt, uno haustu possent hauriri.

Et si dicas aeger est acuta febre captus, in qua spiritus est frequentior, igitur non poterit multum haurire uno spiritu. Respondemus & si simpliciter non possit multum haurire, quia spiritus est frequentior, tamen in illo bibendi actu, quo rem frigidam haurit, quae & in thoracis partes imprimit, eo tempore tam frequenti inspiratione non indiget, sed illam potest ex frigiditate actuali ingrediente seruare longiorem. uides igitur secundum diuersas intentiones dare, & maiorem, & minorem aquae quãtitatem. at si nihil impediat talem dare copiam qualem uoluerit, & si heminae quantitatem petas, ut cõsideremus an duae possint heminae uno haustu hauriri. Respondemus & si de hemina atq; cotyla, non nihil diximus in. 3. huius uolu. lib. sectione. 4 1. tamen & nunc ad ampliorem doctrinam addamus Galenum lib. 6. de cõpositione medicamentorum secundum genera in compositione Aegyptia, diuersarum heminarum mentionem fecisse, Atticarũ, Alexandrinarũ, & Ephesianum, referetq; esse alias secundũ uarias gentes heminas. nonnulli existimarunt heminã esse nouẽ unciarũ librę Romanorũ. alij duodecim unciarum, alij sexdecim unciarum. idemq; Galenus censet primo de compositione medicamentorum secundum locos libro, ubi loquitur de alijs emplastris albis dicit minam à nonnullis fieri uiginti unciarum, ab alijs sexdecim. at cũ hemina sit semimina, erit decem, uel octo unciarum, in. 4. autẽ eiusdẽ Catageni in emplastro Hygieni mulo coloris, at. quoniam autem minae & heminae meminit, dictum nãq; est etiam in superioribus cõmentarijs nõnullos uiginti uncijs, quosdam sexdecim minam extimare, ut heminã, alios uncijs octo, alios duodecim. in quinto autem eiusdem uolu. libro ponit Atticam heminam nouem Italicas uncias conficere, & primo Catageni libro de alijs emplastris albis docet non fuisse in usu Romano heminam, sed libram, sextarium unciam in usu habuisse, tamen & ibi docet heminam esse aequalem uncijs nouem Romanis. quicquid tamen sit, cum uaria sint diuersorũ liquorum pondera, id probo quod à Paulo scriptum est, heminam capere olei uncias nouẽ, uini decem, mellis undecim cum dimidia. cum uero hic de aquę potu sermo fiat, & aqua cum uino idem habeat pondus, iccirco hemina uncias decem complectetur, quod Galeno conuenit in. 6. Catageni, ubi Romanam libram per duodecim dissecta cornua põderauit, & inquit esse in pondere decem unciarum, unde duae heminae erunt uiginti unciae, quam aquae quantitatem quisque uno haustu bibere poterit, quamuis in primo huius uoluminis libro, postea addat in potu fieri debere saturem.

At dices, si febris non extinguatur hoc haustu & duabus heminis, debet'ne praeberi copiosius? Respondemus debere quidẽ copiosius exhiberi, modo non adsit quod impediat. id non est praetermittendum quod ab Arabibus dicitur, tantum aquae potandum, quanta aeger pallidus efficiatur, & tumeat. ita Auicenna dicit & Razes quos recentes omnes secuti sunt. Nos autem dicimus hoc esse absurdum, non oporteret & naturalem calorem iam esse ferè exhaustum, nisi id fieri uelimus ut Galenus in. 10. Methodi ostendit, cum inquit aliquem ęgrum adeo copiose potare aquam frigidam ut in rigores incidat, in quibus rigoribus necessarium est calorem intus contrahi, itaque homo pallidus efficitur. sed quicquid sit, non debet sumi pro termino quantitatis aquae hic pallor, sed potius caloris extinctio & sitis, & febris remissio, quando nihil obstat ad aquam frigidam epotandam.

At medici recentiores dubitationem quandam ingerunt quae simpliciter & de se non esset facienda, nempe in huius aquae exhibitione quidam accipiunt aquam Padanam per cisternas transcolatam, alij aquam puteorum, alij aquam fontis, qua Ferrariae non utimur, quia fontibus caremus, alij hordei aquã accipiunt, alij aquã endiuiae, alij aquam nymphaeae, alij aquam portulacae. ob haec petes, cum tanta sit in quotidiano usu uarietas, quam ego opinionem secuturus sum. Respondemus, tu qui Ferrariae degis, & Ferrariae medicam artem obis, puteorum aquam euitato, non quia aliqui non sint probi, sed quia ignoras quinam sint, & accipe Padanã aquam omnium perfectissimam quando exquisite fuerit per sabulum percolata. sunt tamen aliqui putei in quibus Padanae aquae per subterraneas uias depurantur, & hae probae sunt. semper uero suspectas habeto aquas alambico in ignis eliquatas, quae suae herbę frigiditatem non referunt, & à plumbeo alambico aliquid mali acquisiuerint. potissimum si harum aquarum feces accipiantur, aqua hordei praebenda non est, tum quia & ipsa aliquo modo nutrit. in hoc autẽ casu alteratione sola indigemus: & quamuis infrigidet & humectet, forte quis diceret minus infrigidare in tanta copia, quoniã ut in. 9. Methodi Galenus docet, in hectica in qua infrigidare debemus, cibi debent esse & potentia & actu frigidi, sed exquisite frigidi esse non debere, sicuti potus, & ratio est quia aqua frigida citius calefit, q̃ cibus, & citius à uentriculo abijcitur q̃ cibus. scitoq; hanc aquam frigidam, quãdo in uentriculo calefacta est, amplius non infrigidare, propterea non multũ laedere potest. at hordei aqua actu frigida habet etiam uirtualem frigiditatem, unde & si actu fiat calida, tamen quanto magis incalescit, tanto magis sua agit frigiditate, itaq; magis infrigidare poterit, q̃ sit opus, tamen potissima causa cur non sit danda, est quia nutrit, nihil uero nutriens in tanta copia dari debet. At hic unum consideratione dignum est, Hippocratem hunc aquae potum uel mulsę in febre ardente pro potu & pro cibo praebuisse, nam ad quartum usq; diem uel ad septimũ, si tunc debeat fieri iudicatio, ab Hippocrate sine cibo aegri seruantur, si uires habeant robustas, imo Hippocrates. 44. primi libri sectione, etiam usq; ad nonũ diem procedit. si ergo aegritudo debeat quarto die terminari, uel septimo, uel nono, & uires constent, neq; cibus dandus est, neq; potus, sed de nona, imo & de septima rarissimum est, quòd possint tandiu uires perseuerare. propterea Galenus mulsam praebet, & etiam ptisanae cremorem ante hos dies. unde haec una est generalis regula, quantum aeger ferre potest, tantum & cibi & potus inediam perferre debet. si perferre non possit, detur mulsa in hoc casu. In hac enim curatione duae sunt contrarietates, uis scilicet uitalis, & morbus. morbus cibum prohibet, atq; potum, quia intentio medici penes morbum est illum remouere. non potest autem remoueri, si uis quae illum remouet, impediatur. cibis uero impeditur, propterea morbus indicat ne cibi exhibeantur. at uis semper cibos expetit, nam et semp resoluitur, iccirco & semper eget refectione, semperq; uirtũ ratione cibum dare debemus. tñ si sciremus q̃ũ uis ferre posfit, usq; ad id tẽpus aegrũ absq; cibo seruaremus. hoc autẽ est ualde difficile. ꝓpterea Galenus praecitato loco, primo huius uol. li. sectione. 44. iubet ut ꝓprij ipsius libri assidue legantꝰ nam si experiẽtia hoc scire tẽtes in hoibus diuersis, deprehẽdes prorsus aliquos ad septimũ usq; cibo & potu posse perire, sꝫ rarissimi sunt, imo nostro tpe rari p̃it absq; cibo & potu diẽ 4. ꝑtingere, & ꝑfecto regionũ diuersitas in hac cibi sumptione diuersitatẽ facit, unde & Auerrois lib. 7. collectionũ suarũ ca. 10. de cibatione loquens, fricatione & balneatione febricitantium inquit, si uirtus mediocris fuerit, & aetas fuerit iuuenum,

cibabis

cibabis ipsum aqua hordei et mica panis lota etiam cum aqua calida ad duas vsque ad quatuor vncias. Additq; hanc esse tenuiorem victus rationem quæ fiat in sua regione secundũ consuetudinem suam, quamuis antiqua uictus ratio fuerit tenuior quia nihil dabant per hebdomadam vnam, & quando augere volebant solam mellis aquam propinabant. Sed sui climatis homines hoc ferre non possunt, ob aeris temperaturam & consuetudinem. Sed in climate illorum corpora habent minorem resolutionem, & cum hoc bibunt vinum non in modica quantitate, & comedunt carnes porcinas, quæ duo sunt plurimi nutrimenti, & generaliter consideranda est consuetudo, quia ter in die comedere assueti prædicta ferre non possunt. præsertim si temperaturas habeant calidas & facile resolubiles, vnde secundum Auerroim, qui vinũ bibunt, carnes edũt, & in regione sunt frigida, inediam magis ferre possunt qui uero sunt in regione calida, & carnes non comedunt, neque vinum bibunt, si tantam inediam ferre non possunt. Auerrois fuit Cordubensis, quæ vrbs calida est & non mediocriter, & ex consuetudine, loci nihil vel parum carnis comedunt, imo hoc est toti Hispaniæ peculiare, & Auerrois tempore ob legem vinum non bibebant. Hippocrates vero Cous fuit in regione satis temperata. Coiq; assueti sunt potentia bibere vina, & pergræcari, & suillas etiam edere carnes. vnde apud Homerum maxima fit suillę carnis in conuiuijs mentio. Cum ergo hi vires haberent robustiores, ob id inediam illam ferre poterant. Et si dicas, assueti sunt multum comedere, assuetudoq; seruanda est, igitur inediam ferre non debent: Respondemus hic duo esse, & ex multis cibis plenitudinem, & consuetudinem. Consuetudinis ratione comedere deberent, quia sunt assueti, plenitudinis vero ratione in tenuissimo victu seruari deberent. At vtrorunq; horum intentionibus considerata, maior est intentio & magis facienda de plenitudine q̃ de consuetudine. Et si dicas consuetudinem esse alteram naturam, plenitudinem vero non esse naturam. Respondemus verum quidem esse consuetudinem esse alteram naturam, sed non esse ita alteram quin possit immutari, sed plenitudo & si natura non sit, tamen semper habet coniuncta incommoda & pericula, quæ ex ipsa prouenire possunt. secundum Auerroim ergo quia sumus in regione frigida, multum vini potamus, plures edimus carnes, propterea victu exquisite tenui vti deberemus. tamen nullus est medicus qui nostro tempore in his ardentibus febribus absque cibo & potu septimum diem pertranseat, imo neque quartum, neque ægri id permitterent, nec assidentes, vnde in ardente febre cogimur & ante quartum diem cibare. In angina profecto vsque ad quartum cibationem prohibuimus, sed aquæ potum aquæ hordei & similium prohibere non potuimus.

De cibis in febre ardente.

At quia à varijs medicis in ardente febre varij dantur cibi, propterea ab re non erit in summam quandam cibos hos qui in vsu sunt referre, & singulatim examinare an conueniant. Alij qui vtuntur panatella vocata, alij pane contrito, & hi in seminum peponum expresso, illi in iure pulli, alij ex oleo, alij ex butyro, alij ex amygdalarum dulcium expresso, alij ex amygdalarum dulcium & seminum peponum simul expresso, alij ptisanam exhibent, alij farinam hordei, in pultis modum decoctam, alij oryzam, alij far, alij ex varijs herbis minutalia, quidam ex blito, alij ex beta, alij ex vocatis spinachijs, alij ex lactuca, alij ex atriplice, malua, lapatho, alij ex cucurbita, alij ex cucumere, alij vtuntur acetarijs ex lactuca ex cicoreo, ex capparibus, ex cucurbitarum cimis, & earum asparagis, alij dant pira cocta, alij poma, alij alios fructus modo sint austeri, alij cotonea, alij pruna, alij dant ouorum vitellos, alij etiam à contusa carne non abstinent, & iure liquefacta, vt sit mira & maxima in exhibendis cibis in hac ardente febre, & in acutis morbis diuersitas. propterea ab re non erit ad amplam huius curationis doctrinã, de omnibus singulatim quærere. Forte dices cur nostri temporis medici victus rationẽ Hippocratis & Galeni per septem diem, vel saltem per quatuor nõ seruant? Respondemus aliud profecto dici non posse, quàm hoc eorũ inscitiæ, & prauæ ægrorum consuetudini attribuendũ esse, Idq; in causa esse arbitramur, quia nostri temporis medici non audent neque confidunt se cognoscere, quãdo ægritudo sit quarto vel septimo die terminatura, timentes vero si diutius perduraret, ne deinceps in ipsa cõsistentia, quæ tempus est omnium ad suscipiendos cibos pessimum, vt in secundo huius voluminis dictum est, ægrum cibare cogerentur, ob id in principio exhibent, vt deinde possint in cõsistentia abstinere, sed proh pudor, nulli etiam in vniuersali consistentia ægros abstinere iubent. At dices, quomodo ignorant an quarto, an septimo debeat terminari ægritudo, cum Galenus hoc egregie edocuerit? Respondemus & si id edocuerit, tamen & ægri vitio, & assistentium tempora sæpe mutantur, ut ipse met docet Galenus. Iccirco ob hanc suspicionem aliquid forte præbent, neque antiquum morem seruant, qui tamen seruari deberet, nec probus medicus debet deuiare à recto calle, vel forte ægri multũ comedere assueti, quamuis pleni sint, ob assuetudinem abstinere non possunt. Nunc ad cibos quos exhibẽt descendamus, et vnumquenque singulatim examinemus.

Maior medicorum pars panatella vocata vtitur, aut pane in micas contrito & in modum panatellæ decocto. Differũt panis contritus & panatella, quia panatella fit ex bucellis panis decoctis, panis contritus ex micis tyrocneste factus, hoc est ex pane in micas tyrocneste redacto. facilius coqui potest quàm panatella, quia minutior est, tamen sunt eiusdem virtutis et ex eadem confecta materia. Nota tamen nonnunquam fieri ex pane eloto, nam aqua macerant molliorem panis partem, & lauant ac exprimunt ter vel quater mutata aqua, & ita per setaceum cribrum demittunt, & coquunt, vel in simplici aqua, vel in expresso seminum peponum vel in iure pulli. De eloto pane mentio fit à Galeno in primo de alimentorum facultatibus vbi de hordeo tractat. Censetq; esse medium inter calidum & frigidum, quia tritici ratione calidus est, aquæ vero ratione frigidus. de eodem eloto pane fit & mentio à Galeno in secundo de simplicium medicamentorum facultatibus capitibus. 18. & 14. Eandem rationem habebunt panatella et contritus panis, tamen crassius est & glutinosius nutrimentũ id quod ex his gignitur, quàm quod ex ptisana, si decoquantur in expresso seminum peponum, magis infrigidabunt, quàm si in pura aqua decoquentur, in iure pulli decoqui non iuberem, vel tunc iuberem quando vires deficerent. expressum præterea amygdalarum dulcium libenter prohibeo, quia amygdalæ capiti obsunt, tamen cum Galeno non vererer obsonij gratia & condimenti, nonnihil addere probi olei, vt ipse in suo iure albo in primo huius voluminis libro fecit sectione 27. cum in pleuritide ius hoc præbet, ex oleo, anetho, porro, & sale conditum in quo pisciculos coquit, & pleuriticis patienti præstat, præsertim cum alia abhorret æger. possemus et butyri modicum addere pro condimento, tamen hoc minus placet, quia butyrum facilius inflammatur, quàm oleum, verum posset esse tam pauca quantitas, quæ tantum pro condimento esset posita vt nihil obesse posit. De sale vero ambiguitas est, quia recentes iubent fieri panatellam absque sale, tamen Galenus salem adhibet in ptisana, etiam in morbo laterali, vt præcitato apparet loco, imo sal in multis cõuenit ægritudinibus, & materias digerit ac exiccat. Verũtamen quia sitim mouet, in modicissima copia apponi debet, pro cõdimento. Vnumq; notato, quod in primo de alimentorum facultatibus accipitur, vbi de hordeo tractat, salem debere poni in ptisanam cum fuerit exquisite decocta, sub edendi tempus, atq; superadijciendum friamentum salis, ita in contrito pane in hoc casu & in pane eloto, in fine cocturæ addantur friamentum salis pro condimento, ne si in principio apponeres, salsa fieret, & humectationem amitteret, in hac autem febre sitis potissimum viget. Imo vnum est ex indicijs pathognomonicis, quod febrem hanc nunquam deserit, nisi

& ipsa ægrum deseras, pôtest et colligi ex primo de arte curatiua ad Glauconem de pane in aqua cocto, vbi de curatione agit febrium continuarum absq; accidentibus, notat primo humidum victum in febribus acutis omnes iuuare, dudũ iam dictum esse, vnde his dat ptisanæ succum quibus non acescit, & melicratum quibus non bilescit, & sorbitionem ex alica & panem ex aqua, intellige panem ex aqua esse vocatam panatellam, vel panem contritum, et censet hunc panem esse victũ humidũ, vnde panis cõtritus vel in bucellas incisus, in aquaq; decoctus vel seminum peponum expresse conuenit. & si condimenti gratia oleum apponere volueris, nihil impediet, sed vt de ptisana Galenus notat, debet poni in principio ebullitionis, & in principio ipso cum igni apponitur & in pauca quantitate, tamen ptisana & eius succus omnibus præferenda sunt, in secundo loco est panis contritus ex aqua, vel expresso seminum peponum, alijs vel nunquam vel raro vterer.

De ptisana, ptisanæq; succo, quæ sunt in acutissimis morbis cibi conuenientissimi, illa satis sint quæ primo libro edocuimus sectione. 19. vbi suasimus ex Galeno fieri debere ex integro hordeo, & non ex farina.

Oryzam vero non conuenire in febribus illud ostendit, quod Galenus octauo de simplicium medicamentorum facultatibus docet habere adstrictorium quippiam, quare mediocriter ventrem sistit. In his autem febribus totis viribus niti debet medicus, vt venter sit laxus & lubricus, neq; adstringentibus vti debet. & in primo de alimentorũ facultatibus de oryza loquens ait, omnes vti hoc semine in sistenda aluo ipsum eodem modo quo alicam coquentes, difficilius tamen q̃; alica conficitur, & minus alit, ceu vtiq; & in edendi suauitate ab ea quãplurimum relinquitur. Oryza igitur in his febribus dimittatur, nam & loca, in quibus nascitur & in quibus seminatur, aerem contrahunt pestilentem.

De farre vero siue alica, quia nos ex farre conficimus alicam, an in febribus conueniat quispiam ambigere poterit, quia Galenus primo de alimentis inquit valenter nutrire, & succũ lentum facere, & vbiq; valẽter nutrire dicit, vt in octauo de simplicium medicamentorum facultatibus, ob hanc igitur valentem nutritionem in hac febre non cõuenit, & quia glutinosum est, propterea in quarto de sanitate tuenda, farri ptisanam præfert Galenus: quãuis eodem loco far' laudet qd' sit boni succi, tamen si cui placeret ne far vel alica tantum nutrirent. & vim illam glutinosam amittere Galenus modum docet præcitato quarto de sanitate tuenda libro, vbi inquit. Cæterum nisi lentor eius corrigatur adiectis aceto & porri modico, non solum obstruet, sed etiam nutriet plenius, quàm propositis sit ex vsu. Hæc igitur est via apud Galenum, qua nõ tantum nutriet far. Addere parum aceti & porri, nisi à porro in febribus abstinere volueris, tamen Galenus & in pleuritide dat porrum. Forte tibi mirum videbitur, acetum farri nutritionem remouere. sed de hoc non admireris, quoniam primo huius voluminis libro sectione. 49. à Galeno dictum est oxymeli nihil nutrire, tamen mel quod ingreditur nutrit, quod autẽ non nutriat ab aceto acquirit. propterea in farre duo facit acetũ, et id aufert quod obstruit, & facit vt minus nutriat, quia in causone tanta nutritione non indigemus.

Adde tertium quod ex aceto infrigidat', vnde & cũ panis contritus satis nutriat, vt id auferatur quod multum nutrit, acetũ addere ab re non erit. Si vero in aliquo casu nutricatione indigeamus, non esset addendum acetum, forte petes ob quid acetum facit vt hæc minus nutriant. Respondemus, quia acetum illa attenuat, & postea tenuius est nutrimentum quod ab his fit, quàm esset si absque aceto essent sumpta, vnde ex his quæ dicta sunt, cæteris melior cibus est ptisana, quia & cibi rationẽ habet & medicinæ, vt Galenus docuit primo huius voluminis libro sectione. 44. far vero solum nutrit, pari modo contritus panis, quãuis & humectet, tamen non habet vim aperiendi, neque prouocandi sudorem aut vrinam, aut alia faciendi, quæ à ptisana fiunt, de quibus libro primo vberius diximus sectione. 18. tamen hæc non sunt danda, si æger vel ptisanam vel eius cremorem nõ renuerit: cum vero æger ptisanã abhorret, vel eius succum, ad alia venire cogimur. vnum vero animaduersione dignum est, quod à Galeno primo libro sectione. 27. innuitur, si quis ptisanam fastidierit, et mulsam, alia danda, sed quia alia incidendi vim nõ habent aperiendi, attenuandi, humectandi, sudorem prouocãdi, vrinam, atq; sputa, propterea ibi notat Galenus, quando alia dare cogeris, vt pisciculos & ius album. adde tu & far & contritum panem, tunc iubet prius propinãdum oxymeli. Et si petas, intelligit ne ante. i. statim ante cibum? Respondemus intelligendũ esse ante per al quod tempus, vt per tres aut quatuor horas, vt nos in dandis syrupis obseruare debemus, nẽpe hoc quod erit ueluti syrupus id efficiet, quod ptisana efficere deberet: nam ĩcidet, aperiet, attenuabit, sudorem, vrinam, & sputa prouocabit. et ne arbitreris Galenum voluisse, semper dandum esse syrupum illum ex oxymelite, quia ibidem addit, si medicamentũ aliud oxymelitis loco dare volueris, dabis eam quæ marrubio & inde fit confectionem. tamen & alios dare potest, vt syrupum acetosum, modo prædictas habeat vires. At si ptisanam sumpsisset syrupo non indiguisset, vel oxymelite.

Verum quia nonnulli medici ex herbis minutalia præbent, propterea & de condiendi modo & de herbis ipsis loqui opus est. De condiendi modo aliqui in pulli iure præbent, alij ex oleo aptant, alij ex butyro, hæc profecto si pro condimento ponantur, aduersus Galenum non faciunt, qui & hęc ponit in ptisanam, modo Galeni mos seruetur, vt oleum vel butyrum in principio imponantur, sal in fine, de herbis autem ipsis aliqui blitum accipiunt, alij betam. differunt vero blitũ & beta, q̃m blitum illa herba est, quã vulgo nuncupamus bidoni. Beta vero & vulgo bieta dicitur, de his in nostro simplicium examine egimus. Blitum substantiam habet lentam ac perhumidam, ideo celerius subsidet, vt Galenus ait in præfatione primi de alimentorum facultatibus, & libro secundo dicit esse ἄποιον .i. qualitatis expers, & inquit esse aqueæ naturæ, & obesse ventriculo, nisi ex oleo, garo, & aceto mandatur, & exiguum præbere alimentum, neque censet aliquid habere acris aut nitrosæ qualitatis, in sexto de simplicium medicamentorum facultatibus illud facit frigidum & humidum in secũdo, & in primo de arte curatiua ad Glauconem dat blitum in febris tertianæ curatione, propterea non vererer in hoc casu blito vti pro minutali, tamen garum non adderem, sed oleum in principio, postea acetum, in calce aliquid salis.

De beta si Galenum primo de alimentorum facultatibus in præfatione consideremus, inquit liberasse quendam ab aceruata pituita in ore ventriculi ex beta, cum sinapi & porro, & addit horum ope pituitã fuisse incisam, & largiter per aluum demissam, quod ostendit betam & calidam esse & aperientẽ, & ventrem subducentem. Idem in secundo libro confirmat, vbi de beta agens dicit, betarum succum tergendi vim habere, adeo vt ventrem ad excernendam excitet, & stomachum interdum mordicet. Ibidemq; vnum à Galeno notatur. Betam nullam esse agrestem: nisi lapathon ita nominare velis. sed ego vnum hic addam, nisi blitum agrestis beta sit, blitum satiuum nunquam vidimus. De beta in octauo de simplicium medicamentorum facultatibus inquit esse nitrosæ facultatis participem, quæ digerit, extergit, & per nares purgat, sed cocta nitrositatem exuit. Betam profecto non exhiberem, vbi adesset vehementissima febris, quamuis Galenus dicat ex coctura nitrositatem omnem amittere. At si febris non esset adeo intensa, illam præberem eodem modo paratam vt de blito dictum est.

Alij sunt medici, qui spinachia exhibent, quæ vero herba sint spinachia, nondum potui apud antiquos inuenire. nonnulli blitum esse voluere. alij atriplicem, sed longe decipiuntur, apud nos constat herbam esse frigidam & humidam in secundo ordine, & tertium ferè attingere pauci nutrimenti. In febre acuta spinachia dari non ꝓhibemus, sicuti neq; blitũ dari nega

mus,

mus, nam refrigerat & humectat, & ex ea illa deijciuntur, quae in hoc morbo deijcienda sunt.

Alij lactuca vtuntur in minutali in his febribus, et Galenus eã mire laudat, & ea vsus est in primo de arte curatiua ad Glauconem in purae tertianae curatione, quae ex eadem fit materia cum causo, & erat olus familiare Galeno, vt in secundo de alimentorum facultatibus videre licet, vbi refert quòd lactuca vtebatur cruda cum esset iuuenis, & bile in ventriculo abundabat. Postea in declinante aetate ea vsus est cocta, & qđ illi somnum inducebat refert, & quod sanguinem generat nõ praui succi, tamen neq; etiã laudabilis, in. 4. de sanitate tuenda inquit inter olera sola lactuca apta ad detergendum. in. 7. de simplicium medicamentorum facultatibus facit illam frigidam et humidam velut & aqua fontana, docetq; esse edulium sitis aduersum, vnde in hoc casu mire confert, nam infrigidat, humectat, & detergit, neq; est multi nutrimenti, id vero quod praebet non est prauum nutrimentum, forte dices cum tot habeat bona lactuca, cur omnibus alijs cibis qui in acuta febre exhibentur non praefertur? Respondemus ex Galeno rationẽ sumi posse primo de facultatibus naturalibus cap. 10. vbi docet cur multa sint ad alterationẽ nutrimenti instituta organa primo docet, carnem ex sanguine nõ magno negotio fieri. At vero vt sanguis fiat os, longo huic etiam opere ac mutatione est opus. Quòd autẽ & pani & multo magis lactucae & betae, & similibus quo sanguis ex ijs fiat, permulta alteratio requiritur, vt videas maiorem alterationẽ requiri in lactuca, q̃ in pane. at maior etiã in pane requiritur, q̃ in ptisana & chondro. propterea lactuca his difficilius coquetur. In febribus vero ardentibus praeter alia requiritur etiam cibus qui facilis sit coctionis, propterea in vno deficit ab alijs edulijs refrigerantibus & humectantibus, & haec est causa cur lactuca caeteris omnibus edulijs non praeferatur, imo vt in. 2. de alimentorum facultatibus refertur, Galenus in iuuentute lactucam crudam conficiebat, in declinante aetate illam edere coctam coactus est.

Alij medici dant atriplicem, praedicto modo in minutali conditum. nec desunt qui huic herbae plurimum faueant. Galenus ea vtitur in tertiana exquisita primo de arte curatiua ad Glauconem, & in praefatione primi libri de alimentorum facultatibus facit atriplicem per humidum lentum, & propterea celerius subducere, & in secundo libro atriplicem & blitum alijs oleribus aquosiora facit, vnde vult esse mãdenda praeter oleum & garum etiam cum aceto, in. 4. de sanitate tuenda cũ lactuca, & malua, et cucurbita simul ponit atriplicem Galenus in. 6. de simplicium medicamentorum facultatibus facit illam humidam in secundo ordine à medijs & frigidam in primo: vnde et haec herba dari potest, nec inconuenit.

Alij maluam dant, quam & ipse Galenus in tertiana febre primo de arte curatiua ad Glauconem praebet, uentrem emollit, & humida est, vt praecitatis dicitur locis. tamen cum frigiditate careat, vt in secundo de alimentorũ facultatibus à Galeno dicitur, propterea ea non vterer nisi febris esset remissior. Id boni habet vt ventrem subducat, icciro à multis non despicitur, praesertim quia calor, quem habet est moderatus & tepidus, humiditatem vero habet magnam & lentorem. At dices Galenum in. 7. de simpliciũ medic. facult. scriptum reliquisse, maluam habere aqueã humiditatem, quomodo igitur est lenta? Respondemus id simpliciter non dixisse, aqueã habere humiditatem, sed agresti maluae satiuam comparat, & de satiua inquit, quanto maiorem habet aquae humiditatem, tanto est facultate imbecillior, vt notet satiuae lentorem esse magis aquosum lentore agrestis.

De lapatho cum Galenus eo vtatur in tertiana febre simplici & pura, primo de arte curatiua ad Glauconẽ, ob id despiciendum non est, Galenus in secundo de alimentorum facultatibus vocat & ipsum syluestrem betam. Aliàs suspicatus sum, neq; ab illa sententia dimoueor, quoad meliora inuenerim, vocata spinachia esse lapathum, nam & syluestris beta dici possunt, quamuis spinachia sint satiua, forte ex vsu effecta sunt satiua nostro tempore, betae vires habet, tamen non habet partes illas nitrosas, icciro in his febribus eius vsus est accommodatior. At alia herba est, quae & lapathũ nuncupatur, sed cum particulae oxy adiectione, oxylapathũ, haec vulgo dicitur herba brusca, quae in acutis parum conuenit quia adstringit; et in octauo de simplicium medicamentorum facultatibus dicit illam repercutere, quod in his febribus non requiritur.

Aestiuo tempore quo potissimum oriuntur, & crescunt cucurbitae, medici in ardentibus cucurbita vtũtur, & eius est per totam Italiam frequentissimus vsus, in tertiana pura illam praebet Galenus in primo de arte curatiua ad Glauconem, in. 7. de simplicium medicamentorum facultatibus illam frigidam facit & humidam in secundo ordine, in praefatione primi de alimentorum facultatibus dicit esse lentam & praehumidã. propterea celeriter subsidere. In secundo de alimentorum facultatibus illam facit ἄποιον. i. saporis expertem, & coquitur non aegre, si modo prius corrupta nõ fuerit. corrumpitur vero cucurbita, si quis sit natura stipticus, vt cogatur diu in ventriculo morari. corrumpitur etiam si quis habeat in vẽtriculo prauos humores, nam in illos facile conuertitur, propterea qui aegris cucurbitam dant aestiuo tẽpore, haec considerare debent, ob hoc multi recentiores medici cucurbitã negligunt, & damnant, neq; in febribus exhibere volunt. & si dicas Galenum in quarto de sanitate tuenda, ponere illam immediate post lactucam? Rñdemus Galenum laudasse qdẽ cucurbitam, sed nõ in febre, & in illo loco de lassitudine tonode. i. tensiua sine febre locutum esse. Tamen quicquid dixerint aut fecerint recentes, cum Galenus illam det in tertiana, in primo de arte curatiua ad Glauconem, & illam enumeret post lactucam, & dicat in secundo de alimẽtorum facultatibus coctam facile coqui, vel non aegre coqui, dareq; frigidum nutrimentum, & humidũ, ac facile descendere, ex his censemus tutum esse cucurbitã praebere in his febribus, imusq; inficias cucurbitam facile corrumpi, nam & in stipticis non tantum in ventriculo manet, ut corrumpi possit, & si fuerint in ventriculo praui succi, non tantũ cucurbita, sed & omnes alij cibi corrumpentur, imo si nonnihil vini omphacij cum illa coquetur, acqrit vt difficilime corrumpatur, quod fit aestiuo tempore frequenter, & nos frequenter aestiuo tempore, hoc minutalis genere vtimur ex cucurbita cum pauca vini omphacij quantitate. & si dices vinum omphacium esse stipticum, stiptica vero in febribus ratione qua febres sunt nõ cõuenire. Respondemus esse tam modicã quantitatem, vt potius posita sit ad gulae incitamẽtum, quàm pro medicamento, tamen & hoc omphacium vinũ cucurbitae praestat vt difficilius corrumpi possit, aegrisq; placet, & sitim extinguit. Alij qui acetum imponunt loco vini omphacij, quos magis probo, sed aegris non adeo placet, neq; adeo sapit, neque opus est medicum tyrãnide vti in aegrum, sed opus est in his in quibus non est magnum momentum, aegro blandiri.

Non desunt medici qui ex cucumeribus nostratibus, quos sicyos Galenus vocat, minutalia procurari iubeant, vtpote (ut inquiunt) frigidioribus cucurbita. At hi non legere Galenum qui in octauo de simplicium medicamentorum facultatibus inquit, in eis superare frigidam & humidam temperiem, non tamen magnopere, sed quasi in secundo censetur ordine, si probe consideremus quae eo loco à Galeno de cucumere dicantur, nullus in his febribus illos damnabit, nam abstergendi & incidendi facultatem habent, vrinam mouent, infrigidant ac humectant, quae omnia ad acutas febres requirũtur. At dices experientiam ostendere ab esu cucumerum aestiuo tempore cruditates nasci, & ventriculos frigidiores euadere. Respondemus, id esse quando crudi manduntur, cocti vero id non faciunt, imo & si Galenus notet in secundo de alimentorum facultatibus ventriculos aliquos, illos conficere, tamen in calce illius partis, de his inquit, qui cucumeres belle coquant, cum eo ipso tũ affatim ijs se impleuerint, ijs tamen longo temporis tractu accidit vt succus frigidus ac mediocriter crassus in venis coaceruetur, qui in ea co-

ctione quæ fit in venis haud facile mutationem in probũ sanguinem recipiat, propterea cocti cucumeres in febre ardente æstiuo tempore edi possunt, modo parẽtur vt cucurbita, neq; in hoc paruo spatio crudum succum in venis coaceruare possunt, vel in alio quocunq; loco, præsertim quia hac febre affectus valde tenui vtitur victu.

Adde præterea vsus acetariorum ex pane apud multos in acutis febribus, nam multi sunt qui panem communem triticeum dant alia cum re, sed de acetariis in hac febre diuersitas adest, imo & in aliis quoniam nonnulli acetaria parant ex vino omphacio, alii ex sapa, alii ex aceto, profecto iuberem semper acetum esse accipiendum, nam vinum omphacium adstringit, sapa vero facilime in bilem conuertitur, & crassum affert corpori alimentum. hæc uero acetaria sunt ex lactuca, ex endiuia, ex cicoreo, ex capparibus, ex cucurbitæ cimis, & maluæ, ac eorum asparagis, hæc omnia acetaria probamus. Mediolani maxime vtuntur ex asparagis & turionibus maluæ, quos etiã probo, modo ex aceto condiantur, non autem ex omphacio et sapa. Aliqui tamen sunt casus, in quibus & vinum omphacium adhiberi poterit & sapa vinum omphacium quãdo adstringere indigemus, sapa vero quando in pectoris affectibus emollire debemus.

Nonnulli pira præbent decocta, et hic est ferè communis medicorum vsus, vt in secũda mensa pira decocta ægris tribuãt, tamen recentes propositionem quandam vniuersalem contra hos adducunt, ex Auicenna sumptam quarto canone scilicet fructus omnes obesse febricitantibus, cum vero pira sint fructus, febricitantibus oberunt, ex hoc nonnulli penitus auferunt pirorum esum in febre, alii omne pirorum genus exhibẽt in secunda mẽsa in febribus. Alii nil aliud præbent quàm vel vnum uel duo pira ex pane decocta, scito autem idem in pomis intelligendum esse quod de piris dicitur, nam Galenus in secundo de alimentorum facultatibus, quod de vno dicitur, id de omnibus intelligendum esse censet, hoc est, quod de pomis dicitur, id in piris intelligendum monet. Notat vero adesse pira & poma austera, acerba, acida, dulcia, aquea, & ex mistione saporum composita, scito igitur qui in omni febre omni pirorum genere vtuntur iudicio nostro aberrare, & qui penitus ab omni pirorum genere abstinendum censent, aberrant. Nos igitur dicimus austera, acerba, & acida in febribus accipienda non esse, quoniam adstringunt, sed dulcia & saporis expertia, sunt accipienda, modo sint cocta, intellige adstringentia illa non esse accipienda, quando adstrictione non indigemus, & quamuis illa dulcia sint, tamen cocta amittunt & flatuosum quoddam, & vt possint facile in bilem verti, nec mirũ quod hoc illis præbeat ignis, quoniam & illis præbet maiorem cõsistentiam. tamen & hoc addam coctionem de austeris, & acidis, & acerbis, id in piris remittere quòd adstringentia sint, sed non penitus auferre. iccirco si ex multo pane mandantur, vel obesse nõ poterunt, vel parum obesse, quia modica piri & pomi substantia accipitur, & hæc est causa cur mulieres iubeant pueris vt fructus cum multo pane edant, nam & minus fructuum comedunt, & miscella illa facilem à fructibus remouet corruptionem, quoniam ex panis & fructus masticatione, corpus vnum efficitur, quod non adeo facile corrumpitur, vt fructus ipsi corrumpuntur. In acuta igitur febre si piris vtaris, elige non austera, non acerba, & non acida. Forte dices cur acidis fructibus vti non possumus, si aceto vti liceat? Respondemus differentiam esse inter acetum, & acidos fructus: nam acetum ex vino fit acidum: at fructus ab initio acidi sunt, nec acquirunt vel à caliditate vel ab alia qualitate aciditatem, vt habetur in quarto de simplicium medicamentorum facultatibus capite septimo quòd aliqui processu fiãt acidi, tamen naturam non mutant, at solum stipticitatem remittunt. Possumus vero vti quia sunt tenuium partium, sed hoc, habere ab initio aciditatem, est simul habere & stipticitatem, neque aliter fieri potest, ea vero stipticitate caret acetum, vt superius dictum est, vnde quantum sit ratione qualitatum neque poma, neque pira, neque fructus alii austeri, acidi, & acerbi cõueniunt, in febribus ubi adstrictione non indigemus. Sed vna oritur in pestilentiali febre difficultas, in qua secundum Galenum conueniunt stiptica et adstringentia, nam ipse libro nono de simplicium medicamentorum facultatibus, ubi de terra lemnia, & bolo armeno verba facit, ait omnes sanitati restitutos esse, quibus in pestilenti morbo datus fuit armenus bolus, iubebatq; dari ex vinò tenui albo, modice diluto, si febre carebant, vel esset remissa, si esset vehemẽtior ex vino admodum aqueo, tamẽ ibidem vnum notat Galenus animaduersione dignum, febres scilicet pestilentes non esse calore vehementes, quod in aliquibus profecto verum est, in aliis vero sunt vehementissimæ, & quamuis aliquæ non videantur vehementes, idest extrinsece non intrinsece. Sed ad rem redeuntes, curatio differt febrium pestilentium, ab aliarum febrium non pestilentium curatione, nam aliæ febres ex obstructione fiunt, sed in pestilenti morbo & absque obstructione putrescunt humores, quamuis & id fieri etiam possit cum obstructione, tamen pro maiori parte sunt absque obstructione, vel non est illis necessaria obstructio, adde in pestilentibus auferri oportere quicquid est aptũ putrescere, hoc vero est humiditas, propterea corpus est exiccandum. non enim de obstructione verendum est, vt in febribus pestilentibus illam semper euitare conamur. Ob hoc in primis de differentiis febrium capite sexto à Galeno notatur, in febribus pestilentibus conuenire acetosa quæ stiptica sunt, & quę sunt corruptioni obnoxia, vnde stipticorum fructuum vsus in pestilenti febre conuenit, qui in non pestilentibus non conuenit, hic vero vsus non conueniret, si simul haberet obstructionem febris pestilens. vel minus conueniret, quia ratione prohibitionis putrefactionis conueniunt. Nota præterea roborare ventriculum poma, pira, & punica, vt Galenus secundo de alimentorum facultatibus docet, & sexto de sanitate tuenda. hoc igitur modo de his fructibus distinguendum est. coctis tamen cum pane in modica quantitate quisque vti potest pro condimento. Neque ex Arabum opinione commoueor, nam Auicenna libro quarto, & Auerrois in quinto suarum collectionum à fructibus penitus abstinendum esse censent. At qui dicunt dandos esse (ne quicquam prætermittamus) & stipticos ex Galeno fundamentum accipiunt in duodecimo Methodi, vbi hos fructus dat scilicet austeros. sed hi solum verba considerant, & non ad quem finem tendant, neque Galenum considerarunt in primo huius voluminis libro sectione. 13. vbi Hippocrates dicebat ptisanam esse valde lenem, Galenus in commento ait, lene exasperanti opponi, notauitq; exasperantia esse acria, acida, & adstringentia, verum in ardentibus febribus, exasperantibus non indigemus, et deinde Galenus particulam illam exponens, neque adstringit, notat neminem vti adstringentibus cibis in acutis, nisi alter ex his casibus contingat, aut symptoma quod animi deliquium inducat, aut immoderatum ventris profluuium, si isti hæc Galeni verba considerassent, & eiusdem intentionem in 12. Methodi, planè vidissent in eo casu, in quo dat fructus austeros, contingere symptoma, quod animi deliquium inducit: nam loquitur de syncopali febre, in qua spiritus ob humorum tenuitatem, & ob nimium meatuum insensibilium apertionẽ resoluuntur. vnde in hoc casu stipticis vtitur. At dices videri secundum Galenum & stiptica ipsa conuenire, quia in febribus aperientibus vti debemus, sed stiptica aperiunt, igitur stiptica conueniunt, stiptica vero aperire, hoc modo probari potest, nam Galenus in tertio de simplicium medicamentorum facultatibus capite. 26. vbi de illis agit mistis, quæ partem habent aperientem, & partẽ quæ adstringit, de oleo rosaceo ait, quod magis penetrat ob partem illam quam habet quæ stiptica est, vbi propositionem illam refert. Oleum rosaceũ in profundum magis penetrare, et corpora magis humectare, quàm oleum simplex, & addit oleum rosaceum magis penetrare, quia pauculam habet adstrictionem, quæ non parum confert

penetrationi,

penetrationi, ex his ergo colligi poteſt. Id quod ſtipticum eſt eo quod ſtipticum eſt, magis penetrare, & penetrationis cauſam eſſe ſtipticitatem. idẽ dici poterit in auſteris fructibus, q ratione ſuę ſtipticitatis magis penetrabunt, idemq; erit de acidis & acerbis iudicium, quia ſtipticitas illa iuuabit ad aperiendum & penetrandum, ſi id verum ſit quod ex Galeno dictum eſt de oleo roſaceo, quod ob ſuam ſtipticitatem magis penetret, iccirco abſurde dictum eſt non conuenire in acutis. Pręterea in octauo de ſimplicium medicamentorum facultatibus, vbi de rheo loquitur, illud facit aereę ſubſtantiæ, & tenuis, per quas qualitates aperit & penetrat, vt in conuulſis apparet, ruptis, & orthopnœa, in quibus effectibus ſuam apertionem & penetrationem oſtendit, tamen ponit & illud eſſe terreſtre, & frigidum, & conſequenter adſtringens, quod ex hoc probat, quia ſanguinem expuentibus confert, cœliacis & diſentericis, & deniq; docet, frigidũ terreſtre, tenui aereo non reluctari, poſtea addit imo eo quod deducat, & in altum perducat, valentioris effectus cauſa exiſtit, iſtud quod deducat & in altum perducat, & quod cauſa ſit valentioris effectus, & ſi videatur referri debere ad tenue aereum hoc eſt ad partem aperientem quę frigidam partem terreſtrẽ altius deducat & ob hoc effectum faciat valentiorem, tamen poteſt & è cõtrario hoc ad frigidam partem terream referri, quæ tenuẽ partẽ et aereã, in altũ deducat, ut ſibi cõcors ſit, in illo loco de oleo roſaceo & in hoc de rheo, partem ſtipticam facere penetrare, et adiuuare partem aperientẽ, et cõſequẽter fructus omnes adſtringẽtes erunt aperiẽtes, neq; erunt in his febribus dãnandi. Reſpondemus hos fructus nullo modo conuenire in acutis febribus, quia neq; vrinam prouocant, neq; ſudorem, neq; aperiunt, quãuis nonnulli ex his fructibus partẽ habeant aperientem. Ad id vero quod ex Galeno adducitur de oleo roſaceo. Scito Galenum loqui in his rebus, quæ paucam habent ſtipticitatem, non in illis quæ magnam habent, iccirco in illo loco propoſitionem hanc notatu dignam refert, nã quæ magnopere auſtera, acerbaq; ſunt, primo ſtatim contactu ſuperficiem condenſantia, humorem ingredi, imbibiq; prohibent. At quæ paulum quidem adſtringunt, cæterum in ſe plurimum continent eſſentiæ tum tenuis, tum tepidæ, tantum abeſt, vt præ adſtrictione ingredi altius corpora admota prohibeãtur, vt etiã ab ea, magis. ſ. impellente iuuentur, vt ex Galeno hoc colligi poſſit in olei roſacei actione id quod tenue eſt penetrare, tamẽ pars illa quæ eſt ſtiptica modica eſt, propterea non eſt apta ut meatus illos inſenſibiles claudat, ob id quòd modica eſt: neq; ſuam impedire poteſt penetrationem, quia ipſa eſt magis actiua, vnde tenuis pars penetrat, poſt tenuem partem quæ aperiens eſt, ſequitur pars ſtiptica, quæ & ſi nõ aperiat, tamẽ quia poros claudit, quos poſt ſe habet, & conſtringens aperientem partem impellit vt procedat vlterius, & prohibet ne exire poſſit, & hęc eſt cauſa cur ſtipticitatis ratione penetrare dicatur. & hæc eadem eſt cauſa, cur oleum roſaceum plus humectet quàm oleum purum, quia ob aperientem partem penetrat, & pars ſtiptica ſequens et conſtringens partes, illud magis penetrare facit, & remorari in loco, propterea magis humectat. hęc eſt Galeni ſententia in illa parte. At prædicti fructus auſteri acidi & acerbi ſunt plus ſtiptici quàm aperientes. Iccirco non mirum ſi in hac febre non conueniant, in qua aperire mẽs eſt, vrinam prouocare & ſudorẽ, & materias ad inteſtina, vt exeant, tranſmittere. Poſſemus & addere hanc olei ſtipticitatem & apertionem poni extra corpus, nam extrinſece corpori applicatur, ſed fructus illi per os dantur & intrinſece recipiuntur, propterea non erit par ratio, quia intrinſecas partes adſtringent. Forte dices hoc non uideri conueniens dictum, quia difficilius eſt intrinſecas partes obſtruere, quàm extrinſecas, hoc probatur ex Galeno quinto de ſimplicium medicamentorum facultatibus capite vndecimo, vbi de his loquitur quæ in poroſitatibus infarctos humores repurgant, & de nonnullis quæ vires habent adſtringentes & aperientes. De abſinthio inquit, proin intus abſinthium repurgare poteſt, foris non poteſt, quippe compoſitum eſt vt ſupra dixi ex amara, acerbaq; facultate, cum ergo voluerit abſinthium, etſi adſtringat, tamen repurgare intus. Igitur & illi fructus, & ſi extra adſtringant, tamen intus repurgabunt. Reſpondemus totam rationem cur Galenus voluerit abſinthium per os dari poſſe, quamuis ſit ſtipticum, eſt quia venæ per quas tranſit, ſunt latæ, & ab illo claudi non poſſunt, ſicuti exterius cutis poroſitates quæ erant tenues & anguſtæ claudebantur, verum amara pars quæ eſt aperiens tendit ad iecur, & pars ſtiptica quæ eſt acerba impellit, & plerũque ad lienem vſque penetrare facit. & ſi dicas neceſſarium eſſe vt aliqua fiat ſtipticitas in partibus: Galenus reſpondet & ſi forte aliqua fiat ſtipticitas in partibus paruis, & paruis oſculis, tamen quia maiora vaſcula adſtringere non poſſunt, maius accipiunt commodum ex vaſorum corroboratione, quàm læſionem ex paruorum vaſculorum obſtructione, tamen ad rem redeuntes fructibus illis vti non debemus, quia non habent partem aperientem, quæ vim ſtipticam ſuperet, & quia opus eſt ſudorem prouocare qui per vaſa tranſit minima, & per poroſitates, quæ in hoc caſu occluduntur, & præterea in maioribus venis aliquam relinquunt ſtipticitatem, quę in ardentibus febribus prorſus abeſſe debet.

Ad illud vero de rheo dicimus Galenum in eadem parte expreſſe Voluiſſe, vim illam aperientem vim ſtipticam roborare & penetrare facere, & è contrario vim ſtipticam aperientem adiuuare, vt magis penetrare faciat, neque illam regredi ſinit, propterea dicendum eſt, ſi ſtiptica pars à penetrante vincatur, tum ſtiptica penetrantem adiuuat, & illam magis penetrare facit, ſi penetrans ſit minor, & ſtiptica maior, penetrans ſtipticam adiuuat, vt magis adſtringat, ſi æqualia ſint vna qualitas aliam adiuuat. quòd autem ob aperientem partem ſtiptica vehementius agat: exemplũ haberi poteſt ex Galeno in ſeptimo de ſimplicium medicamẽtorum facultatibus, vbi de cupreſſo agit, primo enim facit cupreſſum cũ leui acrimonia & plurima amaritudine, & multo plus acerbitatis in tota planta eſſe, & prope illius partis calcem ait enterocelas iuuare, quoniam exiccat, et robur addit corporis partibus præ humiditate laxis, poſtea ſequitur, vtpote quam adſtrictio in altum ſubeat, deducẽte ipſa caliditate quæ admiſta eſt, eum ſeruante modum, vt deducere quidem valeat non tamen mordicare queat, vt hinc exemplum colligi poſſit aperientem partem, adſtringentem penetrare facere. Sed et ipſa adſtringens, magis penetrare facit aperientem, id vero adſtringendo facit, itaque Galenus viſus eſt inferre voluiſſe, partem aperientem dare cupreſſo adſtringentiam. Ad idem igitur redeuntes, fructus illi ſtiptici, acerbi, acetoſi non ſunt dandi, quia adſtringũt. et forte pars in ipſis aperiens partes adſtringentes ad loca deducit, itaq; febri acutæ obſunt, in qua ſemp aperire debemus, modo non adſit vel ſyncope, vel alui profluuium.

Forte dices: cum acetoſarum rerum natura, incidere ſit, et attenuare quæ in hac febre exiguntur, cur ergo non conueniunt? Reſpondemus quia et ſi hæc duo bona quæ prædicta ſunt efficiant, habẽt poſtea tria peſſima mala ſcilicet adſtringere, exiccare, et exaſperare, quæ quantũ fieri poteſt euitare debemus, ob hoc Hippocrati ptiſana placet, quia lenis, aperiens, humectans, et emolliens. At dices cur oxymelite vtitur, quòd vim eandem habere videtur? Reſpondemus cum multa aqua lenit, emollit, et aperit, et vt ſuperius dictum eſt acetum nõ eſt ſtipticum, licet ſit repercuſſiuum.

Aliqui vtuntur in his febribus melopepone, qui eſt noſter vocatus melon. nos vero eo uti non auderemus, quoniam crudo illo veſcuntur, neque mos eſt illum coquendi: iccirco non eſt mirum, ſi et Auicenna libro quarto noluerit etiam eius aquã ſumendam, niſi poſt euacuationem, et Galenus in ſecundo de alimentorum facultatibus dicit tarde deſcendere, vomitum excitare. hos igitur non probo, neque melopeponis vſum in febribus, niſi puſillum quid præberem ad incitandum alicui appetentiam, qui illam amiſerit.

In hoc casu sunt qui à contusa pulli carne & expressa non abstineant, quam non prohiberem si alia exhibere nõ possem & vires essent imbecillæ, de alis vero, cecusculis, pedibus, testiculis, ac similibus plura à nobis dicta sunt libro. 1. sectione. 27.

Vnum est, nos horum aliquo non vti, quando ægri ptisana vesci cupiunt vel eius cremore, cum vero breui ardẽs febris iudicetur, nõ mirum si cum pauco cibo ægrum seruemus qui plerũq; absq; cibo, sed solo potu in sanitatem restituitur, hoc intellige nostro tempore, quia absque potu nullus medicus posset ægrum perducere ad iudicationẽ, vt Hippocratis tempore fiebat, forte ob nostram incontinentiam.

Nonnulli dant ouorum vitellos, quando ægri alia renuerint, & virium adsit imbecillitas, de vitellis, & toto ouo libro primo disputauimus sectione. 27. Tamen ambigendum est, quid potius dandum sit, an pulli contusum, an vitellus oui, vel quid magis conueniat ouum an caro. Respondent recentiores carnes potius esse dandas, q̃ oua, quia inquiunt oua corrũpi, carnes vero non tam facile corrumpi. sed hi profecto & contra experientiam loquuntur, & contra Galenum, nam palàm est æstiuo tempore carnẽ tertio, aut quarto die putrescere, ouum vero diutius perdurare, vel extra testam, vel in testa conditũ. contra Galenum esse ex hoc probatur, quia. 12. Methodi, vbi de febre in qua sit syncope sermonem habet, docet esse curationem oppositam, q̃ sit in aliis febribus. nam in aliis febribus vrinam prouocamus, sudorem, & obstructioni vacamus. At in ista cibis vtimur qui non facile resoluantur, vnde stipticis oleis inungit, ouorum vitellos præbet, & fructus stipticos, et inquit hæc nõ esse corruptibilia, cõsideraq; magis facere oua, quàm carnes, quia ante quartum diem ouorum vitellos præbet, & post consistentiam ac quartum diem carnes, imo in primo de arte curandi ad Glauconem, in tertiana febre exquisita ouorum vitellos præbet, tamen vt in primo libro ostẽdimus, in bilem facile vertuntur. Dicimus igitur, si aliter fieri posset, danda non essent, & si viderentur in aliquibus ventriculis corrumpi, causa est, quia sunt facilis coctionis, & vt inquit Galenus in secundo de alimentorum facultatibus, vbi de cucumeribus agit, hi qui ventriculi caliditatem igneã habent, illa corrumpunt, quæ facile coquuntur, vnde contingit vt in his corrumpantur. propterea nonnullis visa sunt esse corruptibilia. in acutis quantum fieri posset oua euitarem. tamẽ illa potius præbenda vidẽtur secundum Galenum, quàm caro, quãdo æger omnia renuit.

Aliqui vtuntur cotoneis, quæ non conueniunt, nisi stipticitate indigeamus.

Alii vtuntur primis, si in damascenorum genere sint, quæ nihil adstringunt, vel catalonicorum, quod genus Ibericũ à Galeno vocatur, his vti possumus. reliquis acidis, austeris, vel alterius saporis ex adstringentibus non vterer.

Alii mespilis vtuntur, & Neapoli tricoccis. i. azarolis dictis, cũ hi fructus sint stiptici, ab ipsis abstinendum.

Neapolitani suis ægris persica præbẽt, quę profecto facile corrumpuntur, sed nos illis vtimur in nostris ęgris coctis ex pane.

Hæc igitur satis sint de cibis & potibus, quorum in acutis morbis & ardentibus febribus est vsus, verũ prius quàm ad Galeni commentationem descendamus. Id consideratione dignũ est, cum rarissimi sint qui edãt, & bibere nolint, supposito qđ ptisanam ederint, vel alicam, vel panem contritum, si sitierint, vt bibant est opus, petendũ est an mulsam bibere possint simul cum illo cibo sit cuiuscunq; generis, vel aquam ex zucharo, vel oxymeli. nec mireris de hac re nos ambigere, quia in Hippocrate & Galeno contradictiones esse videntur, quippe Hippocrates in tertio huius voluminis libro sectiõe. 22. inquit mulsa post ptisanæ sorbitionem epota valde replet, inflat, & hypochondriorum visceribus est inutilis, Galenusq; in commentatione causam reddit, quia perpetuo prius ingerẽda sunt, quæ & facilius corrumpuntur, & magis subducunt, posterius vero contraria: ptisana autem q̃ mulsa difficilius corrũpitur, & descendit tardius. Si ergo primo sumpta fuerit ptisana, subduci mulsa prohibetur, inflabit hypochondria, atq; tandem in bilem conuersa ptisanæ detrimentum afferet. si vero rationem hanc consideremus, valet & in contrito pane, & in alica, & in similibus omnibus, mulsam scilicet post illam ebibitã potius obesse, & quod de mulsa dictum est. in zuchari aqua, in oxymelite, & in aliis similibus intelligere oportet, id autem esse verum Galenus in commẽtationis initio ostendit, inquiens verum vno mulsæ, ptisanæq; edoctus exemplo, vniuersalem hunc accipe sermonem scilicet in omni alia re simili.

Præterea & in eodem tertio de ratione victus in acutis libro sectione. 35. vbi de oxymelite loquitur, & dicit dandum exiguum huius sorbitionis noctu, & ante sorbitionẽ, sed post sorbitionem non potest dari. tamen si post sorbitionem dare volueris, sit longo tempore post sorbitionem: Galenus in cõmentatione tunc dandum esse monet cum cremor & sorbitio ipsa cocta fuerit, antequam vero sit cocta, non est dandus potus, et ideo si hæc probe cõsideremus, cum ptisana, vel cremore, vel contrito pane, vel re simili potus mulsæ, vel oxymelitis, vel alterius similis dari non debet.

Præterea quando ptisanam damus, postea mulsam bibimus, cum in mulsa sit mel, simul mel cum ptisana commiscemus. At Galenus hoc fieri prohibet in libello de victus ratione attenuante, vbi dicit, mel vero ptisanæ immiscere non est opus, nisi quis ea quæ in thorace & pulmonibus continentur, expectorare studeat, in hepatis vero, & lienis affectibus, ipsum admiscere non conuenit, nam horum viscerum tumores à sorbitionibus ipsis solis ex alica adaugentur, & multo magis si cum melle vas paraueris, igitur non est ponendum cum alica, vel ptisana, stel pane contrito mel, & ex consequenti aqua mellis non est post hæc potanda.

Potest & id confirmari, mel. s. in ptisana pessimum esse, ex his quæ Galenus dicit primo de alimentorũ facultatibus, vbi de hordeo loquitur, & dicit pessimum esse ptisanæ confectionem quæ recipit sapam, ceu à nonnullis mel quoque & cuminum, quæ cinnus verius, q̃ ptisana dici meretur, has compositiones ex dulcibus rebus vt ex sapa vel melle damnat, mel igitur miscendum non est. Respondemus potus hos. s. mulsam, aquam zuchari, oxymeli considerari posse vt meraciora sunt, & vt potus medici ad nutriendum, si hoc modo considerentur, nec possunt, nec debent cũ ptisana bibi, & alica, & sorbitione, possunt item considerari vt diluta, & vt accipiuntur ad extinguẽdam sitim, & ad aquæ frigiditatem remouendam, & vt aquæ penetrandi modum præbeant. Itaq; pro potu in prædictis cibis dari possunt, addeq; cibis misceri, nam inter comedendum bibimus, & primo non comedimus postea bibimus. adde id parum mellis, vel zuchari, vel mellis & aceti efficere ut sumptum cibum facilius penetret, inferimus ergo licere hæc diluta bibere, aut simul cũ cibo, qui accipitur aut post, sed statim post vt cibo misceantur, tamen in his casibus puram aquam bibere licet, & quãuis Hippocrates aquam reprehenderit, intelligit quando nõ fuerit epota post cibum vel in cibo, sed fuerit stomacho vacuo epota, cum cibis vero mista, malitia illa caret. Ad primum argumentum in oppositum, quod post ptisanam non sit mulsa bibenda, scito apud Hippocratem & Galenum vniuersalem hanc regulam reperiri, cum cibi varii & distincti exhibentur, is qui facilius corrũpitur, & in bilem vertitur, & qui facilius coquitur ac descendit, prius accipi debet, Hippocrates vero & Galenus eo loco ptisanam & mulsam pro cibis accipiunt, idcirco Galenus notat, si ptisana primo sumatur, postea mulsa, mulsam retineri à ptisana, & in ventriculo corrumpi, ac in bilem conuerti. propterea non est post bibenda tanquam cibus & meracior. At si mista simul essent ptisana & mulsa, cum vnum corpus efficerent, & vnum ab alio non impediretur, tunc simul se compaterẽtur, vt vnum aliud non corrumperet.

Ad secundum oxymelitis exiguum ante sorbitionem per tres etiam & quatuor horas dandum censet, quia syrupi loco præbetur, censet ob eandem causam dandum esse post sorbitio-

nem,

nem, post longum tempus, quia & pro syrupo præbet, neque sorbitioni misceri vult, non exhibetur vero vt potus ad extinguendam sitim.

Ad tertium Galenus simpliciter non prohibet mel ptisanæ miscendum, sed solum prohibet, quando aderunt aut iecoris aut lienis inflammationes, tunc enim inflammatio augetur. nam mel ob humorem & inflammationem facile non penetrat, sed diutius ibidem immoratur, & à calore, tum loci, tum inflãmationis in bilem vertitur, & tunc ptisana quoque corrumpitur, quoniam facilem non habet & apertum trãsitum, sed ob vias arctas ex inflammatione, cogitur & ipse retardare, & simul corrumpitur, tamen argumentum hoc aliam petit difficultatem, nempe petit de miscella mellis aut zuchari cum ptisana et similibus, idem facit aliud argumentum de ptisana cum melle quam cinnum vocari dicit Galenus primo de alimentorũ facultatibus. Dicimus enim nos, non esse pessimam illã ex melle, sed illam ex sapa, quãuis & in tumoribus & in inflãmationibus iecoris & lienis ex melle sit pessima ptisana, vt in libro de victus ratione attenuante & de alica idem dicit. At in thoracis affectibus cum melle conuenit. adest & alter locus apud Galenum, in quo mel cum cibis Galenus miscet in quinto de sanitate tuenda ad tertias libri partes, vbi dicit, ac nisi placentis quæ ex butyro & similagine fiunt, mel assatum esset admistum, nullus cibus omnibus hominibus ne dum senibus magis erat aduersus, nam placenta illa est valde glutinosa, quicquid vero habet glutini melle attenuabitur, qđ & si dulce sit, tamen non obstruit, quoniam abstergit, & attenuat, & aperit. Ad propositum igitur huius secundæ ambiguitatis mel cum ptisana misceri potest, & quod de melle dico, idem in zucharo intelligo, nos etenim zucharo potius vtimur quàm melle, modo in visceribus inflammatio non adsit, vel aliquod mel prohibens, & potissimum si natura sint calidi, & Galenus in quinto de sanitate tuenda in sanis loquitur, quando placentæ ex butyro & similagine mel commiscet, nam ægris placentam illam non præberet etiam cum melle, imo ibidem in senioribus loquitur, quãuis et ad omnes ampliet, quod absque melle obsit, quod autem in sanis melle vterentur, quando cibi erant crassi & glutinosi possunt apud Galenum multi inueniri loci, sed satis est vnum vel alterum adduxisse, in primo de alimentorum facultatibus vbi de bellariis agit & placentis, panis genus ex oleo solo conficere docet, aitq; gignere succum crassum et crudum, & ventrem constringere, quapropter et à quibusdã mel admiscetur. mulieres Ferrarienses hoc edulij genus parant, & vocant leuadelli. deinceps de itriis & libis agẽs dicit iecur obstruere, lienem vrgere, calculos in renibus gignere, addit quæ cum melle parantur, mistam acquirunt facultatẽ, nempe cum mel ipsum tenui humore constet, admotaq; sibi omnia possit extenuare, vnde itria ex multo melle probat, quia de se crassi succi, & glutinosa sunt. habes igitur, licere mulsam bibere dilutam, & aquam zucharatã dilutam cum ptisana, & aliis cibis, idq; ad sitim extinguendam, vel potius mitigandam in his febribus, vel ex vino granatorum dilutissimo, & posse etiã mel cum ptisana misceri in aliquibus casibus, vel potius zucharũ vt nostro tempore est communis & publicus vsus in contrito pane semper zucharum superaddere.

Et si petas an possit stillatum vocatum bibi. Dicimus nihil impedire, potissimum, quando vires sunt imbecilliores, idq; potius laudandũ est, quod ex carne fit decocta, licet sit vehementioris nutrimenti, quod est ex cruda.

Denique de cõfectione manuschristi vocata, qua multi vtuntur, profecto si compositionem consideremus, videtur nonnihil habere adstringentis, propterea non conuenire, tamen est adeo paruum, vt sit negligendum. solent medici prębere cum vires sunt imbecillæ. At nos dicimus tam parum vires roborare, vt res ferè sit modici momenti, de manuschristi perlato idem est iudiciũ quòd modici sit nutrimenti, vocant istud diamargaritonem. An vero margaritæ cordi conueniant, & illud roborent, aliàs disputãdum promittimus, quoniam modicam adhibemus his margaritis fidem.

GALENVS. Liber hic etsi Hippocratis non sit, eum tamen legitimo operi iam temporibus Erasistrati adiectum esse, vetus res est. Quapropter mirandum quonam pacto Erasistratus calices cereos in Apollonium & Dexippum retorsisse ausus sit. Nam qui librum hunc scripsit, mẽtem Hippocratis Erasistrato melius intelligens, causo laborantibus quantum placet bibere cõcedit. Demonstrauitq; & in legitima voluminis huius parte ita sentire Hippocratem. Sed de Erasistrati malitia satis hæc sint: & iam scrutemur quæ in oratione dicũtur. Præcipit siquidem neq; aquam solam, neq; mulsam solam, his propinandam qui causo laborant. Scis etenim aquam quòd natura frigida sit, tarde penetrare, & quamplurimo tempore in hypochondrijs manentem corrumpi in acutis morbis, mel autem facile bilescere. Ob id mulsam aquosam dari iubet, ut aqua, nulla in superiore ventre facta mora, à mixto melle ad distributionem trahatur. Ob eas causas & coctam ipsam exhibent. Nempe quàm cruda sitim magis arcet, et flatu magis vacat, urinasq; magis ciet, vt quæ cruda est, deiectionem. Minus siquidem acris quæ cocta est, non solum quòd in coctura peragatur cõficiaturq; verum quòd & spumosum ipsius omne tollitur. Nẽpe quod acre & flatuosum existit, in mulsæ est substantia. Cocta autẽ, tum morsu caret, tum flatu vacat, distribuiturq; melius q̃ per intestina descendat: quo fit, vt eam ob causam magis alat q̃ cruda. Cæterum qui ita laborant, citra ptisanæ succum mulsa nutriendi sunt. Sed quomodo in acutis morbis solos exhibere potus oporteat, in libri huius non spuria parte est prædictũ. Hæc omnia quæ ad præsentis orationis expositionem pertinẽt, his qui & ante legerunt, & meminerunt eas quæ in illis factæ sunt expositiones, ad hunc modum & dicta sunt & dicentur.

BRASAVOLVS. Nullus est locus in Galeni uoluminibus, in quo habuerit ansam reprehendendi Erasistratum, & non reprehenderit, in illo præsertim, quod ipse Erasistratus, Hippocratis discipulos Dexippum & Apollonium arguerat, vtpote qui ægros siti cruciarent, ob hoc in præsentiarum à Galeno notatur, & si hic liber non sit Hippocratis, tamen rem esse veterem ipsum esse acceptum ab authoribus pro opere legitimo & tempore Erasistrati, & fuisse probatum. propterea mirandũ est quomodo Erasistratus in Hippocratis discipulos cereos calices intorserit, de quibus & primo & tertio libro nos vbertim locuti sumus: etenim qui hunc librum scripsit, Hippocratis mentem melius cognouit Erasistrato, nam ardenti febre laborantibus, quantum bibere voluerint, concedit. & Galenus ipse in illa huius voluminis parte, quæ est legitima & Hippocratis propria, hoc declarauit, idq; fuit libro tertio sectione. 44. Declarauit vero Hippocratem in acutis dedisse potum, quantum ægri voluerint, vnde hæc satis sint de Erasistrati malitia, & iam illa perscrutemur quæ in sententia hac dicuntur, vel Hippocratica sit, vel alterius cuiusque.

Nota vbi Galenus de Erasistrato mentionem facit, qui Hippocratis discipulos reprehenderit, semper vti hoc loquẽdi modo, Erasistrati malitia, hic enim dicit περὶ τῆς τοῦ Ἐρασιστράτου κακοηθείας. i. de Erasistrati malitia, & superius libro tertio dicebat κακοήθως. idest, maliciose. reprehendebat Hippocratis discipulos, & in primo libro eodem loquẽdi modo vsus est, & in libro de optima secta ad Trasibulum, ita forte dicẽs quia sciebat Erasistratum talem fuisse virum, quẽ Hippocratis sententia non fugiebat, iccirco cum aduersus Hippocratem loqueretur, id potius ex malitia & odio quodam quo Hippocratem prosequebatur efficiebat, quàm ex ignorãtia veræ opinionis Hippocratis, nam si Hippocratẽ in tertio huius sectione 42. considerasset, vbi docet in quibus maxime aqua vtẽdum sit, & quando valde multa, & quando modica, vbi manifeste deprehenditur & Hippocratem dare valde multam aquam, & Galenus in commentatione multos adducit locos, in quibus Hippocrates non cruciat ægros siti.

Secundo Galenus notat Hippocratem pręcipere, neq; aquam solam, neq; solam mulsam his propinandam esse, qui ardente

febre laborant, scis etenim aquam tarde penetrare, vt in tertio libro sectione.40.docuit, causamq; esse quia frigida est, & in morbis acutis corrumpi cum in hypochondriis manet, & mel ipsum facile in bilem conuerti, iccirco, quia vtrūque de se vitiosum est, aquosam mulsam dari iubet, quoniam hoc modo cum aqua mel habeat admixtum, non manet in ventre superiore, sed à melle ipso ad distributionem trahitur, vnde ob has causas mulsam coctam exhibet, quoniam sitim magis arcet q̃ cruda, & flatu magis vacat, & vrinas magis cit, sicuti illa quæ est cruda deiectiones magis eijcit, ratioq; in promptu est, quoniam cocta est minus acris, cum acredinem ex ebullitione amiserit, nempe in coctione, non solum ipsa conficitur, sed & spumosa pars vniuersa aufertur, vnde quod acre est & flatuosum in ipsa, est in mulsæ substantia, dum est cruda, cum vero coquitur id totum amittitur, propterea cocta mulsa & morsu caret & flatu vacat, hincq; per corpus & uenas magis distribuitur, quàm per intestina descendat, propterea hæc cocta magis alit, quàm cruda.

Quod legitur his propinandam qui causo laborant, illa particula propinandam græce est διαιτᾶν .i. In victu dandam.

Quod legitur in acutis morbis, græce est κατὰ τοὺς ὀξέας πυρετούς .i. in acutis febribus, quoniam in aliquibus acutis morbis sine febre, vt in apoplexia mel conuenit, iccirco conuenientius est legere febribus, vt contextus habet græcus.

Forte dices ab Hippocrate oppositum dici, quàm à Galeno interpretetur. nam Galenus ait Hippocratem præcipere, neq; solam aquam, neque mulsam solam esse propinandam. At si Hippocratem consideremus, vtrūq; præcipit, cum dicit, nam huic aquæ & mulsæ coctæ. Respondemus opus esse hoc modo interpretari Hippocratem, aquæ.i. mulsæ coctæ & aquosæ. nam opus est vt sibi consentiat. damnauit vero libro tertio sectione.40. puram in acutis aquam, propterea opus est vt neque hic illam concedat, dicens saltem te habere intentum in mulsa quia dat mulsam solam. Respondemus hunc contextū esse mendosum, nam legi non debet neq; mulsam solam, sed neque mel solum, quoniam non censet mel solū esse accipiendum, iudicamus ergo & antiquos contextus & recentes esse mendosos, & legi oportere μήτ' ἐπὶ μέλιτος μόνου .i. neq; mel solum, nam de mulsa esset absurde dictum, quoniam solā mulsam præbet, & præterea illa quæ sequuntur ostendunt legendum esse mel, nam statim causam reddit, cur solam aquam, et cur mel solū propinare nō debemus, & inquit, scis enim aquā, quod natura frigida sit, tarde penetrare, & quāplurimo tempore in hypochondriis manentem corrumpi in acutis morbis mel autem facile bilescere. vt videas ibi necessario legendum esse mel. imo statim de mulsa sequitur, ob id mulsam aquosam dari iubet, vt aqua mulsa in superiore ventre facta mora à mixto melle, ad distributionem trahatur, nam si ubi legendū censuimus τοῦ μέλιτος scriptum sit τοῦ μελικράτου, illa quæ sequuntur dictis non corresponderent, & tunc si legamus mel, non conuenit interpretari id verbum διαιτᾶν propinandam, sed in victo dandam, quia mel purum in potu nō damus, imo & antiquæ translationis contextus ita legit, iubet enim neque in aqua sola, neque in melle solo nutrimur. & postea q̃ hæc scriptis dedimus, Græcum quendam antiquum contextū incidimus, qui legebat τοῦ μέλιτος, vt nos corrigendum existimaueramus, nisi quis per mulsam illā intelligere voluerit quæ habet plurimum mellis, sed conuenientius est legere mel.

De mulsa lib. 3. vbertim locuti sumus, quantum vero ad propositum spectat, mel acre est, dulce, flatuosum, si mulsa aqua cruda sumatur, in qua mel non ebullierit, mel suas seruat qualitates. At si cocta accipiatur, acredinē in coctura amittit, dulcedinem remittit ac flatus, nempe spuma illa quæ aufertur has ad se trahit qualitates, vt in tertio de alimentorum facultatibus edocuit, quando erat cruda, acredinis rōne intestina mordicabat, & ad excernendū prouocabat. At cocta non prouocat, propterea aperit potius vrinæ vias, in hocq; casu mel caliditatem remittit, qm̄ cum in secundo ordine calidū sit, ex ebullitione, & acredinis remotiōe ad primū ferè ordinē reducitur.

Forte dices non videri verū mel plus nutrire coctum q̃ crudum, qd' & Galenus testatus est tertio de alimentorū facultatibus, qm̄ cum ebullierit, vel fuit cū aqua, vel sine aqua, si cum aqua non nutrit vt sincerum, si absq; aqua partes in ebulliēdo auferuntur. Respondemus id totū quod aufertur esse prauum, & esse id quod est cā cur non nutriat, nā in coctura acredo aufertur, quæ cum in corpus recipitur intestina mordicat, & ad exitū prouocat, itaq; non moratur, vt nutriat, sed quādo coctū est moratur, & penetrat p venas, eiusq; nutrimentū p corpus distribuitur. Sed dices si mel coctum magis nutriret q̃ crudū, igitur mulsa cocta magis nutriret, q̃ mel ipsum crudū, tamen in. 3. de alimentoꝝ facultatibus ait mulsam parū nutrire. Respondemus & mulsam coctā magis nutrire q̃ mel crudū, secundum hanc rōnem, quia mel sua acredine stimulans deijcere facit, & ipsum met deijcitur. Tamen si rem ipsam consideremus melle (vt in historiis legitur) multi vitæ spatium transegere, forte ante assuetudinē deijciebāt, sed deinceps assueti retinere cœperunt. At dices in. 3. libro huius voluminis dicebat aquā mulsam nutrire plus in duplo q̃ vinū aquosum, cur ergo in. 3. de alimentorū facultatibus parū nutrire dicebat. Respōdemus ex hoc simplr non haberi qd̄ multū nutriat, sed habetur tm̄ q plus nutriat, q̃ vinū aquosum, & hoc verum est, quia aquosum vinum forte totum per vrinæ vias permeabit.

Quod legitur nempe quod acre & flatuosum existit in mulsæ substantia. hæc particula, in mulsæ substantia, in quodam Græco contextu legitur ἐν τῇ τοῦ μέλιτος οὐσίᾳ .i. In mellis substantia, vtrūq; dici potest.

Tertio Galenus notat eos qui acuta febre laborant esse sola mulsa nutriendos, neq; dandum esse & ptisanę succum. tamē quomodo ęgri sint regendi qui solo potu vti debent, Galenus in tertio edocuit libro, qui est pars libri legitima & nō spuria qualis ista, & hæc omnia (nam in Gręco adest particula καί) quę ad presenti sententię expositionem pertinent his qui & illa legerunt, quæ superius in. 3. libro dicta sunt, & expositiones illas memorię mandarunt, ad hunc modum & dicta sunt, & etiam dicentur.

## Hippocrates. Sectio VI.

### Quod si os amarum fuerit, vomere cōfert, & ventrem subluere.

Si in his qui causone laborant os amarum fuerit, indicium est bilem in ventriculo abundare, tunc igitur opus est, & vomitum prouocare vt exeat, & ventrem clysteri subluere, q bilem per Inferiora educat, si forte ad illas vergeret partes, nā Hippocrati minime placet sinēdā esse hāc materiā in vētriculo, ne qcqd insumitur, totū fiat bilis, itaq; morbus augeatur. BRASAVOLVS.

καὶ ἢν πικρὸν τὸ στόμα γίγνεται, ἐμέειν συμφέρει. idest & si amarum os fuerit vomere confert. Amarum os esse non potest, nisi sit in ventriculo bilis quæ ob intrinsecę ventriculi pelliculę continuitatem, quę per totum os continuatur, ad os usque correspondet, & hęc bilis est in cauitate, iccirco facile p vomitum educi potest, & natura ad superiora vergere uidetur, quoniam illa reddit amara, & bilis etiam natura est ascendere, propterea non ab re iubet vomitum prouocari, quia ex eo materia hęc biliosa euacuabitur, quę os amarum reddit. & forte hęc amaritudo signum est in vētriculo materiam esse faciētem ardentem febrem & inflāmationem, & quamuis sit in ventriculi venis, tamē aliqua portio est in cauitate, q̃q; & bilis in ventriculi venis, oris amaritudinem gignere posset, & nonnunquam biliosa materia à capite descendit, quæ & ipsa oris amaritudinem parit, quæ tamē diu non moratur, imo eiusmodi amaritudo cito recedit.

Petes vero quando hic vomitus fieri debeat. Respondemus duo esse cōsideranda, & tēpus quo fieri debet, & quo modo.i. quo ingenio fieri debeat, cum superius ostēderimus ex eadem

materia

materia fieri ardentē febrem, & tertianam puram, & solo differre loco, imo & nonnunquam appellare febrem tertianā, ardentem febrem, si tertianam curaremus, potissimum in initijs accessionum hi vomitus fiunt cum sponte mouentur. At in ardente febre, quæ perpetuo uexat, & quæ vt plurimum vel semper crescit, vel semper decrescit, vel in eodem pmanet statu, & quæ accessionum principia non habet, nisi aliud sit quod impediat, vomitus tunc fieri debet, cum amaritudo perseruare videtur, neque inclinatio expectanda est, vel aliud tempus, nam materia non educitur quæ est in venis per hunc vomitum, sed illa educitur quæ est in cauitate, & quamuis vomitu careat, tamen ad vomitum incitari debet, sed leuiter, in hac potissimum febre, si vero adesset aliquis vomitus vel aliqua nausea, tāto melius esset, & facilius educeretur quicquid debet educi, tantumq; excitari debet, vt bilis ea exeat, vel saltem eius pars.

Q uibus uero hic vomitus prouocari debeat, cum ab Hippocrate dictum non sit, neque hic à Galeno explicatum, propterea intelligamus Hippocratē illum prouocasse ex aqua mulsa, non quia mulsa aqua vomitum prouocet si non habeatur sed quia in ventriculum descendit, & biliosæ illi materiæ commiscetur, & cum vel digito, vel penna, vel re simili prouocamur ac vomitum, tunc facilius educitur. Nostra hordei aqua vomitum prouocare videtur, sed hoc in illis solum efficit, quibus displicet, aqua mulsa ex modico aceto, vel oxymelite diluto, vel aqua hordei ex aceto, vel ex syrupo acetoso, hæc acetosa tepida nauseam inducere videntur, tamen præbentur quia materias incidunt crassas, vt facilius exire possint. sciendum illa semper quæ in hac febre vomitum excitant, debere esse leuia, quia mens nostra non est per vomitum materiā in venis existentem educere, sed illam solā quæ est extra venas, & quæ amaritudinem fecit, quæ proprie est in ventriculi ore, vel in fundo & cauitate ventriculi, ad quam educendam parua exigitur prouocatio, & minor adhuc si natura uomitum tentabit, quāuis & vomitu materiæ educi possint, quæ in venis continentur, sed fortiori indigent medicamento. Dantur igitur prædicti syrupi pro vomitu vt si aliquid esset qđ incisione indigeret incidatur, & facilius exeat.

At forte diceres cum vomitus plerūq; prohibeatur, fore optarim quæ sint conditiones quæ illum prohibeant, & quæ illum fieri suadeant. Respondemus multa esse cōsideranda quæ uomitum prohibent, & quæ illum exercendū suadent, quæ si cōtemplari voluerimus ab re non erit ab hominis habitudine incipere qui euomere debet, nam si is qui euomere debet macilentus sit, vel nimis pinguis, prohibendus est vomitus, si vero inter has habitudines fuerit medius nō est prohibendus. sed audacter prouocandus, nam pinguiores vt in. 4. aphoris. dicitur, arctas habent venas, & vasa arcta, vt ex his in eiusmodi periculum sit de venæ fractione in hoc vehemēti vomitus motu, neq; prouocari debet in nimis extenuatis, ne vena in thorace disrumpatur. & hoc potissimum si arctum habuerit pectus, id ex eo cognoscitur, quod praue respirat. Non debet etiā prouocari in his qui sunt parati ad sanguinis sputum, & iam expuere cœpere. Intellige vero sanguinem è thorace emanare, quoniā hi facile in tabem vertuntur, nempe & in his vena facile in pectore disrumpitur, vnde Hippocrates in. 4. aphoris. iubet tabidos à vomitu euitandos. Non sunt etiam prouocandi qui habent humeros altiores collo, & qui longum ac tenue collū habent, hoc Galenus dicit esse inclinatos ad phthisim in. 1. commentario in primum epidemiorum sectione. 18. & hi vocātur alati qui habent scapulas altas, vocantur πτερυγώδεις à Galeno quasi habentes scapulas in modum alarum, in. 2. cōmentario in. 3. epid. sectione. 71. & in. 3. cōmentario in. 6. epid. sectione. 13. inquit alati à medicis dicuntur, qui scapulas eminentes, auium alarum instar, retrorsumq; productas habēt, & sectione. 18. primi libri in primum epidemiorum alatos ad phthisim expositos dicit, neque qui ventriculum habent imbecillum sunt ad vomitum incitandi, præsertim quando est eius fundum, nam hi syncopem facile incidunt. Illis præterea prohibendus est vomitus, qui partes habent gutturis imbecillas, & qui gulam habent affectam, hoc est partem proprie vocatam ab antiquis stomachum, vnde qui assueti sunt anginam pati, aut gulæ affectus, non sunt ad vomitum prouocandi, quia materia in illis firmatur partibus, prauosq; inducit affectus: & qui habent oculos imbecillos non sunt ad vomitū inducendi, & qui cerebrum imbecille, & qui aures imbecillas, omnes hi sunt à vomitu arcendi, quoniam in vomitu materiæ in caput ascendunt, & cerebrū, vel alias eius partes ad patiendum pronas facile lædunt. Hæc illa sunt, quæ vomitum fieri prohibent, quæ si in his adfuerint, vel vnum, vel duo, vel plura qui ardente febre correpti sunt, tūc probe considerandum, quomodo vomitus in his prouocetur, qui tamen si lenissime fiat, non lædet, in multis potissimum. addiq; potest facile illos lædi qui difficulter euomunt, & qui vomitui non sunt assueti, & è contrario non lædi, qui facile vomunt, & vomitui sunt assueti. Hæc igitur de vomitu dicta satis sint, si addamus Galenum in. 11. Methodi nolle vomitum prouocandum in synochis, nisi ad os ventriculi aliquando sua sponte impetum faciant scilicet materiæ febrem facientes, quæ cum reddunt os amarum, indicium est os ventriculi petere.

καὶ τὴν κοιλίην ὑποκλύσαι. i. Et ventrē subducere vel subluere. quod fit clysterijs, si quid sit reliςtum materiæ, & vergere ad intestina, vt deducatur, fiant vero clysteres in hoc casu ad alterandum solum, & ad educendum. Ad alterandum fiūt ex aqua hordei sola, ex succo cucurbitæ, ex succo cucumeris; ex decoctionibus herbarum frigidarum & oleis frigidis. sed in hoc loco Hippocrates clysterem imponit vt educat. Forte petes quodnam genus clysteris accipi debeat, si hoc intentū considerenus, Hippocratem velle educere id quod est in ventriculo, & quod oris amaritudinem facit, videbitur exhibendum esse vehemēs aliquod & attrahens. at hoc febri non cōueniet. propterea arbitramur, cum Hippocrates nō retulerit quid accipiendum sit, opus sit intelligere aquam mulsam, quæ & ipsa iniecta per partem post partem id educet quod in ventriculo continetur, & potissimum quia supponitur oleū aliquod semper addendum, nempe antiqui oēs semper in clysteris oleum ponūt, vel pro maiori parte. et si hoc modo fiat clyster ex oleo & mulsa quinque habebit, quæ à clysteri exiguntur intentiones. nam intestina parabit, vt excrementa, quæ in ipsis continentur, exire possint. hæc vero præparatio erat; quia intestina lubrica reddentur. Secundo excrementa ipsa si erūt dura mollia efficientur. Tertio cum intestina solam habeant vim expultricem, excitabitur ad expellendū. Q uarto vt his eductis quę sunt in intestinis, illa quæ in stomacho continentur, in loca vacua descendant. Q uinto, ne sitim augeat, posset addi et sexto, ne calor febrilis magis accendatur, sed potius vt vim habeat si non refrigerandi, saltem non calefaciendi, si clysterem consideremus ex oleo & mulsa factum, has omnes habet intentiones. vnde Galenus in vndecimo Methodi in synocho inquit, si venter nihil reddat inijcienda per clysterē aqua mulsa cum oleo est. Sed recentes clysterijs communibus vocatis vtūtur, vt ex maluæ ac violarum decoctione oleo & sale, alij in decoctione hordeum addunt, alij florem nymphęę, alij addunt sempervivi folia, alij betam, alij betæ succum, alij alia adijciunt. Sunt & qui recipiant oleum violaceum, & qui oleum ex nymphea, & nonnulli addunt cassiam. i. oblongam siliquam, alij mel violaceum & alia plura, ut illis uidetur. Nos uero in hoc casu consideremus quid Auicenna dicat, quē multi recētes secuti sunt, lib. 4. fen prima, tract. 2. cap. 40. vbi agit de curatione puræ tertianæ. cum enim de causone tractat ad hanc curationem se refert censet vero leues clysteres esse adhibendos, et talem describit clysterem, fiat clyster cum decoctione althææ & iuiubarū, & sebastē, & radicis lilij, & oleo violaceo, & succo sclæ, & baurach secundum modum quem scis. Vides hic posuisse althæam, iuiubas, & sebastē, & radicē lilij gratia emolliēdi & lubricandi intestina, et baurach. i. salem

gratia proritandi vim expultricem intestinorũ,& ficlæ.i.betæ succum eadem ratione ut proritet,quoniam nescio quid habet salsuginei & attrahentis.

Addit oleum violaceum ne calefaciat, & ne sitis accendatur, tamen est alter clyster apud Auicennã,qui & in vsu cõmuni est in ardentibus,in quo præter cõmunem decoctionẽ addunt oleum violaceum,betæ succũ,zucharum,et salem,& oui vitellum,quæ omnia vires habent iam dictas. Si vero petas ob quid additur oui vitellus,alia causa reddi non põt,q̃ vitellum illum prohibere ne sal mordicans intestina,& succus betæ ratione suæ curiositatis illa corrodãt.In oui enim uitello uis quędam adest roboratiua qua salis,& succi betæ morsus corrigitur,tamen quicquid alĳ dixerint,nos potius pręscriptũ Hippocratis clysterẽ laudamus,& Galeni in.11.Methodi,nam nihil habet,quod obesse posit,neq; aliquid recipit, q̃d correctione indigeat.Illaq; est perẽnis regula:semper cũ per simplicia intentiones aliquas perficere possumus,melius esse ut illas p simplicia perficiamus,q̃ per cõposita,est vero simplicissimus clyster ex mulsa & oleo,intellige vero per mulsam dilutam mulsam,nam si consideres rõne olei & mulsæ emollire habet intestina,et lubrica reddere , feces tenellas facere,& educere,neq; calefacere põt,neq; sitim augere,et uis mellis mordicat intestina,atq; oleum ipsum,de melle nulli dubiũ est,oleũ vero mordicare manifeste apparet si in oculũ ponatur,eodẽ pacto intestina ipsa mordicat.Et si dicas oleũ esse calidum,et mulsam calidam, igitur & sitim & febrem augere posse,oleum igitur uiolaceum potius accipiendum est:Respondemus nos nõ multũ dissentire an oleum violaceũ accipi debeat. Tamen & oleum oliuarum frigidũ fieri põt,juxta Galeni sententiã in.2.de simplicium medic.facultatibus cap.7.tu frigidũ accipere poteris.

Adest alter clyster ab Auicẽna lib.3.positus, vbi loquitur de curatione phrenitidis,quẽ dicit esse valde leuẽ,fit uero ex aqua hordei,uel ex aqua simplici et oleo.At p̃dictus Hippocratis et Gal.præstantior est,quia mel habet,quod ad exitũ prouocat.

Forte petes quænam sit clysteris imponẽdi & in anũ injiciendi quantitas.Respondemus hoc non reperiri apud Hippocratem vel Galenũ,vel alium antiquum fidedignum. Solus Rasis in nono continentis ita ait,& quantitas quidem medicaminis injiciendi per clysterem,maior esse non debet vnciarũ vigintiseptem,& minor esse non debet vnciarum nouem , & si minor fuerit quantitas non perueniet ad locum,& maior si fuerit,infert hebetudinem & inflationem,& quod est inter prædictas quantitates variari debet,secundũ magnitudinẽ corpoꝝ, & alioꝝ particulariũ cõsiderandoꝝ,tamen nobis uidetur quãtitatem illam.27.vnciaꝝ esse nimiã. Quippe nunq̃ transeundum putarem libram cum dimidia,vt decoctio sit libra , reliquum sit oleum , & alia quæ à medicis apponuntur . Nonnulli ex Paulo libro primo, capite.44.hanc clysteris quantitatem elicere voluere, cum dicit, & nonnunquam olei per se dimidiati acetabuli quãtitate per inferna in aluum immissam, id quod desiderabatur, adamussim (vt dicitur ) absoluit . At hoc dici non potest,quia vt apparet olei acetabulum complectitur drachmas decem & octo, dimidium acetabuli complectitur drachmas nouem . at hoc est adeo exiguum , vt nihil boni efficere posit.propterea dicamus ex hoc loco non colligi quantitas vniuersa clysteris imponendi,sed solius olei,quia ibi loqtur de ariditate non mediocri quę molestet,& iubet clysterem fieri ex althæa,fœnugræco,chamæmalo, adiecto oleo,& melle non multo, postea addit & nõnunquam olei per se dimidiati acetabuli quantitate, vt hoc oleum per se accipiatur . i. sine melle,sed bene in decoctiõe accipiatur.Forte aliquis clysteris quãtitatem accipiet ex Tralliano libro . 3 . capite . 21 . qui varia clysteriorũ genera ponẽs,inter alia dicit duabus acaciæ partibus adĳce succi oryzæ partes tres , cum quibus myrrha decoquatur , inductaq; mellis spissitudine ex omnibus mistis denarium põdo quatuor inĳce.At credere nõ possumus Trallianum tam paucam clysteris quantitatẽ imposuisse,nam denarĳ quatuor,sunt quatuor drachmę Atticæ,quoniam drachma Attica denarĳ argentei habet põdus. hoc à Plinio refertur libro . 21 .unde et Scribonius Largus in fine suę pręfationis ait, æque enim in libra denarĳ .84. apud nos sunt,sicut drachmæ apud Gręcos incurrũt.vnde Trallianũ intelligimus vt illa ponat quæ decoctionem ingrediuntur,& non totum clysterem, tamen adest deinceps alter clyster apud eundem authorem , qui posset nobis quãtitatis clysteriorum inuestigandæ ansam præbere,cum dicit,lactis caprini cyathis septẽ vel octo amyli denarĳs quatuor licĳ denarĳs duobus , quæ simul mixta injiciantur,si hãc quãtitatem cõsideremus,lactis cyathus complectitur drachmas.13.& scrupulum vnum,vnde septem cyathi erunt vnciæ undecim drachmæ quinque & scrupulum vnũ, & reliqua erunt quantitatis drachmarum sex , quæ est conueniens clysteris mensura,si vero acciperẽtur cyathi octo lactis, tunc fuisset clyster vnciarum tredecim drachmarum duarum & duorum scrupulorum simul omnia miscentes.possemus & ex eodem authoꝛe capite .41. eiusdem libri tertĳ aliàs clysteris quantitates accipere,sed re uera expressa non sunt,nam de rebus quæ ingeruntur præter decoctum loqui videtur .

Possemus tamẽ & ex Scribonio Largo clysteris quantitatem accipere, vbi medicamenta ponit ad ἰλεόν,et inquit hoc facere per anũ inmissum (est enumeratione.113.) fœnugræcũ aqua bene coquere oportet,atq; inde sumere heminam,item in oleo domestico incoquere rutam q̃ plurimam, & hinc calidam heminam adĳcere priori aquæ quibus utriusq; aphronitri triti sescunciam,et ita per clysterẽ calidum immittere, aquæ hemina decem complectitur uncias,olei hemina nouẽ, sescũcia aphronitri, est vncia et semis.vñ in hoc clysteri erũt uncię uiginti & semis . Potest tamẽ ex Aetio libro . 12. capite . 1. colligi clysteris quantitas, vbi de ischiadicis loquens,ponit clysterẽ quẽdã acriorem hoc modo,mellis sesquicyathum,olei tãtundẽ,aquæ cyathos duos,nitri drachmas octo,terebẽthinę drachmas quatuor,hæc vnita & calefacta infundito. Sed huius clysteris quãtitatẽ metiamur,primo ponit mellis sesquicyathum .i. cyathũ unum et semis,cyathus uero mellis complectitur duas uncias & duas drachmas,vnde sesquicyathus tres uncias complectetur,et tres drachmas, postea olei sesquicyathũ addit.olei cyathus est uncia et semis.propterea sesquicyathus complectetur vncias duas,& drachmas duas .addit deinde duas aquæ cyathos,idem vero est aquę cyathus cum vini cyatho: nã drachmas duodecim & scrupulos quatuor cõplectitur, vnde aquæ quantitas erit, vnciæ tres, drachmæ duæ & scrupuli duo.deinceps distincte ponit nitri drachmas octo,terebenthinę drachmas quatuor,quam summã si in vnum colligamus , erit quantitas vnciarum decem,drachmarum trium, & duorum scrupulorum .

Apud Galenum nunquam inueni quantitatem clysteriorum, quod nũc memoria habeam :apud Oribasium Sardianum uariæ reperiuntur clysteriorum mensuræ , si descriptiones quas facit considerentur, verumtamen in medicinæ compendio de clysteriorum mensura agens inquit, Mensuræ autem iniectionis sunt heminæ tres, media duæ, minima vna , sæpius autem duas injicimus heminas, aut tres, quibus maximæ inflammationes & ulcerationes in intestino sunt longanonis,& reprimit quæ superposita sunt squibula, erunt vero tres heminæ si intelligamus in decoctione aliqua vnciæ triginta, si in oleo vnciæ. 27. si in melle vnciæ quadraginta et semis, sed opus est intelligere esse multa simul mista,& nũquam mel injici purum. vnum vero notato eundem Oribasium eodem loco, vbi tractat de clysterĳs ex Ruffo , dicere leues clysteres fieri ex aqua tepida & oleo.Notanq; tales clysteres esse necessarios vt prouocent ventrem stercoris gratia in synochis febribus, & causis malignis,& ĳs qui sunt ex diuturna ægritudine detenti , vt reciperentur,& infundantur . Nos igitur laudamus quantitatem vnius libræ & semis, vel vnciarum viginti,& hæc de clysteriorum quantitate satis sint, nam de ascensu clysteris alibi disputauimus , ostendentes Galenum velle ascendere posse vsque ad hepatis simam, quod & testatur in secundo de com

positione medicamentorum secundũ locos & quomodo vsq; ad ventriculum ascendere possit.

GALENVS.

Bilis amaritudo amarum os reddit. Nempe communem unamq; efficiunt tunicam & quæ uentri interna est, & omnis ea quæ os subiũgit. Non ergo sine ratiõe sermonis huius scriptor bilem tum per vomitum, tum per clysterem euacuat.

BRASAVOLVS.

A Galeno in hac breui commentatione notatur bilis amaritudinem, amarum os reddere quoniam cõmunis est & unica tunica illa quæ est in ventriculo interna, & quæ ascendit per gulam ad os, & os ipsum circundat, propterea non sine ratione Hipocrates vel huius libri author dixit bilẽ esse euacuandã tum per vomitum, tum per clysterem, nam ex illa tunicæ continuitate, si bilis est in vẽtriculo, persentitur in ore amaritudo, quæ cum persentitur, significatur in cauitate adesse bilem, & ad os vergere, propterea bonum est tunc per vomitum euacuare quod repit ad partes supernas, & per clysterem si quid relictum sit.

## Hippocrates. Sectio VII.

Verum si ad hæc non aperiatur, lacte asinæ cocto purgabis.

BRASAVOLVS.

Profecto huius libri auctor bilem euacuandam esse censet quæ in ventre continetur, & ita euacuandum vt nulla fiat noxa, propterea si uel vomitu, uel clysteri non fuerit euacuata, tu illam purgare debes lacte asinæ cocto, vtpote quo nulla sequatur noxa sed absque aliquo incommodo bilis educetur.

ἢν δὲ πρὸς ταῦτα μὴ λύηται. i. si uero ex his non soluitur, & per hæc non aperiatur nec descendat neque exeat bilis.

γάλα ὄνου ἑψήσας κάθαιρε. i. lacte asinæ cocto purgato. lac istud est lenitiuum, tamẽ & habet aliquid abstergentis. potius uero lac asinæ accepit q̃ alterius animalis, quoniam caeterorum liquidissimum est & minime pingue, vnde ex omnibus alijs lactis generibus magis abundat sero vt Galenus docet in tertio de alimentorum facultatibus, unde infert perraro in ventriculo coagulari, sed hoc potissimum, quando calidum ut è mamillis excidit haustum fuerit, & in illa parte inter vẽtrem emollientia potissimum ponit serum, vnde ad aluum exonerandam antiqui sero potissimum vsi sunt, et docet lactis usum debere esse lactis sero abundantis, quo (inquit) si iugiter utare, quàm minimum periculi affert. Scito autem Hippocratem, forte cocto lacte vti, quoniam ex coctura si quid in illo sit casei, totum aufertur, reliquumq; est serum. Id vero quod proprie accipitur est serum, quamuis Galenus in commentatione videatur censere, huius lactis serum id esse quod lacte melius educat, & intelligit authorem hunc de puro lacte intelligere, tamen & in hoc casu accipitur nonnunquam & lac capræ, quod & educit si coctum sit, & pars crassa sit ablata, aufertur vero per cocturam, nam simul coit etiam sine coagulo. imo si de sero loquamur, & vaccæ serum purgat, & Mediolanenses sero vtuntur & copiose. in hoc met libro sectione. 109. vbi de præsidijs ad choleram agit, inquit verum si dolor non cessauerit, lac asinæ bibendum donec purgetur, dabis. Galenus in commentatione de hoc asinæ lacte tractans inquit, inter medicamenta omnia mitius, tranquilliusq; existit, id quoque & lacte omni humidius est, & ventrem magis subducet, hoc vero est ob suam humiditatem & aquositatẽ, quãquam & aliqua in ipso adsit acrimonia, quãuis parua.

Forte petes quanta debeat esse huius lactis exhibendi quantitas. Respondemus, si illa considerentur quæ præcitato loco à Galeno dicta sunt, tanta debet sumi quantitas, quanta satis est vt educat. vnde Mediolani vidimus dari phialam vnam integram seri, quæ nõ erat minus septem vel octo librarum, nonnunquam vidimus dari tres, quandoq; quatuor cyathos. At si Hippocratẽ in hoc libro consideremus sectione. 59. exhibet heminas duodecim non minus, & si virtus tolerauerit, sexdecim magis, & Galenus in commẽtatione dicit non esse admirandũ de lactis copia, cum antiquis omnibus ita fuerit assuetum, postea sequitur quod autem lac asinæ propter humiditatem exhibeant superius est dictum, atque amplius quod nõ spissetur epotum veluti quæ crassa sunt.

Forte petes an solum lac istud præberetur, vel nõnihil illi misceretur. Respondemus non inueniri apud antiquos aliquid huic lacti misceri. tamen Galenus præcitato loco inquit, quippiam mellis & salis esse miscendũ, & in tertio de medicamentorum facultatibus simpliciter in lacte voluit misceri mel; cũ vero aquæ hemina vncias decem complectatur, puto lactis heminam tantũdem continere, itaq; lactis quantitas erit centum viginti vnciarum. i. librarum decem, si vero sint heminæ sexdecim, erunt centum sexaginta vnciæ, & libræ tredecim, ac vnciæ quatuor, quam quantitatem nonnunquam in sero sumunt Mediolanenses.

Nunc vero ab re non erit, de his lenientibus loqui, quæ à recentibus in hac febre exhibentur, cõsiderandumq; an conueniant, an non conueniant. his vero scire oportet non fieri mentionem de medicamẽtis catharticis, nam certum est illa in initijs non esse exhibenda, nisi materia turgeat, verũ cum in hac febre (vt suo dicemus loco) potissimum fiat venæ sectio, & regula sit generalis, ante venæ sectionem esse ventrem leniendum vel clysteri, vel re leniente aliqua & non educente carthartice, supposito nobis potius placere ventrem lenire ex re quæ per os sumatur, nam hoc fieri posse & debere fatemur, neque in initio ante venæ sectionẽ à lenientibus abhorremus, quæ ad caliditatẽ non alterant, sed potius vim habent pro maiori parte refrigerandi, neque materiam educunt facientẽ morbum, nisi in vijs sit, sed tantum communes feces, & si qui humores sint in meseraicis, & partibus propinquis. cũ ergo hæc fieri posse concedamus, & Hippocrates & Galenus hic vnũ lenitiui genus referant, omnia, quæ in vsu sunt recensere oportet, & considerare, & quæ antiquitus in vsu fuere, quippe nostro tempore multa habentur, quæ in antiquo vsu non erant. in summa vero sunt hæc simplicia, ius galli, ius sebastẽ, violę, serum, mercurialis, ius vuæ passæ, ius prunorum damascenorum & cathalonicorum, cassia, manna, tamarindi, syrupus rosatus solutiuus, rhabarbarum: composita vero sunt infusio senæ, electuarium lenitiuum, diaprunis non solutiuum, electuarium de sebesten. his omnibus recẽtiores medici vtuntur pro leniendo ventre, & nonnulla quandoq; simul miscent ex his simplicibus vt illis videtur: quod tamen fieri nõ est opus, si consideremus viam solam esse leniendam, & illa educenda quæ in via continebantur. At horum singulum contemplemur à galli iure incipientes, Galenus fatetur galli ius ventrẽ subducere, vnde libro vndecimo de simplicium medicamentorum facultatibus, inquit. At gallinarum ius simplex retinendi vim possidet, vti gallorum subducendi, deest in hac parte in vulgatis codicibus τῶν παλαιῶν. idest antiquorum, quod in græcis codicibus adest. coquendi autem sunt ex sale prolixissime, sed horum ipsi fecimus periculum. vt inde colligi possit, Galenum experientiam sumpsisse de iure galli, quod educat, & de iure gallinæ, quod adstringat, sed nos locum hunc probe considerantes, rationem inuenire nescimus, cur gallinæ ius adstringat, gallorum veterum educat, nisi dixerimus, fecisse comparationem gallinarum iuniorum ad veteres gallos. habent vero galli veteres, ut inquit Mesue, nitrositatem quandam & salsuginem, quam neque gallinę neq; galli iuniores habent & forte cũ in sale debeant prolixissime coqui, à sale vim educendi acquirit. At comparatio à Galeno fuisset incõmode facta, quoniam opus erat gallinas antiquas, antiquis gallis comparare, & non iunioribus. propterea græcum contextum considerantes in illa parte, qui ita prorsus habet ὅ γε μὴν τῶν ἀλεκτορίδων ἁπλοῦς ζωμὸς ἐπισχετικῆς ἐστὶ δυνάμεως, ὥσπερ ὁ τῶν παλαιῶν ἀλεκτρυόνων ὑπακτικῆς. i. Gallinarũ qui-

dem ius simplex retinendi vim habet, sicuti antiquorum gallorum subducendi, cogitare cœpimus particulam illam ἐπικρατητικῆς δυνάμεως ἐστί .i. retinendi vim habet legendã esse ἐπικεραστικῆς δυνάμεως ἐστί .i. vim habet cõtemperandi vitia. vt vero hoc sentiam Dioscorides me mouit, qui libro secundo, capite. 43. de gallinaceis loquens ita dicit. ὁ δὲ ζωμὸς τοῦ νέοσσακος μάλιστα δίδοται ἐπικεραστικῶς χάριν φαυλότητος, καὶ ἐπὶ τῶν στόμαχον περικαιομένων λιτῶς σκευασθείς. postea sequitur ὁ δὲ τῶν παλαιῶν ἀλεκτρυόνων, δίδοται πρὸς κάθαρσιν κοιλίας. Primam partẽ Marcellus in Dioscoridis serie non est interpretatus, sed in commentatione multis dictis censet à Dioscoride comparari iuniorem pullum gallinaceũ antiquo gallo, itaque interpretatur, daturq; esculentum ius pulluli ad emendanda in homine temperamenti sui vitia, & in ardoribus stomachi simpliciter confectum, postea aliud addatur, gallorum vero in senectute, ad purgandam aluum datur. Hermolaus vel sententiam illam in suo Dioscoridis codice nõ habebat, vel non habere dissimulauit, nam secundam tantũ partem hoc modo interpretatur. Ius est vetere gallinaceo aluum soluit, hic locus mihi satis suspectus est, & arbitror legendum esse loco illius particolæ τοῦ νέοσσακος, particulam illam τῆς ἀλεκτορίδος. i. gallinæ, vt & à Dioscoride dicatur ius gallinę, & ad galli ius comparetur. Arbitramur ergo esse in Dioscoridis contextu mendum, & legendum esse vt superius dictum est. In eo vero quod dicit, dari ius Gallinæ gratia temperandi humores vitiosos, in hoc recte loquitur Dioscorides, & arbitramur Galeni contextum esse deprauatum. vnde vbi legit ἐπικρατητικῆς, legere oportet ἐπικεραστικῆς δυνάμεως ἐστί .i. vim habet temperandi vitia. Tamen pro illa Marcelli interpretatione, quod intelligi possit ius pulli parui, Serapio facit, qui libro de simplicibus capite. 423. vbi Dioscoridis verba refert, inquit, ius vero pullorum gallinarum solum acceptũ confert proprie ad rectificandam complexionem corporum ægrotantium & maxime habentium inflammationem in stomacho, sed ius galli decrepiti administratur ad laxandũ ventrem. hic author scilicet Serapio Dioscoridem prorsus referre videtur, ac si id velit quod Marcellus retulit fieri, scilicet cõparationem ad iuniorem, tamen quando in illius partis initio Galenum adducit, ita adducit, ac si in Galeni codice legisset ἐπικεραστικῆς, nempe dicit secundum Galenum gallinæ decoctæ virtus rectificat multum corporis complexionem, sed galli decrepiti ius laxat ventrem. vt videas non dixisse, ius gallinæ ventrem adstringere, sed corporis complexionem rectificare. profecto Galenum (ut diximus) emendandũ esse putaremus, quia videre nescimus, quomodo gallinarũ ius adstringat, quãquam dici possit, quia fœmina, est gallo frigidior, nisi Paulum Aeginetam vidissemus, qui libro septimo idem quod Galenus refert gallinarum ius adstringere, gallorum vero antiquorum educere, & vtitur verbo ἐπικρατητικῆς. vnde hac in re quid dicendum sit, tibi considerandum relinquo. vnum est galli ius ex sale & aqua optime decocti ventrẽ subducere, idemq; facere gallinæ ius, vt experientia ostendit. tamen vnus est Galeni locus in tertio de simpliciũ medicamentorum facultatibus cap. 15. In quo non comparat ius galli ad gallinæ ius, sed comparat ius galli ad carnem galli, & inquit gallorum veterum ius ventrem soluere, carnem ventrem reprimere.

Aliquis vero de iuris accipiendi quantitate peteret. Respõdemus non reperiri apud Galenum statutam huius iuris quantitatem, & recentes qui pateram vnam præbent, ventrem non educunt, propterea non immerito Mesue censet potionem ipsius esse circiter duas libras, Dioscorides (qui nõ probe à Serapione adducitur) de alui purgatione à iure gallorum inquit, in quem usum oportet exemptis interaneis omnibus pro his salẽ indere, consutumq; gallum in aquę sextarijs viginti, vsq; dum ad heminas tres decrescat, coquere, post quod tempus datur bibẽdum totũ sub dio antea refrigeratũ, quę à Mesue dicũtur, ab Auicẽna ac Serapione parum à Dioscoride, parum à Tralliano accepta sunt, si uero ad nostrã mensuram & pondus Dioscoridis quantitas trahatur, aquę sextarius vncias habet viginti, vnde erunt vnciæ quadringẽtę, hoc est librę trigintatres, & vnciæ quatuor, quę ebulliri debẽt, quo ad resoluantur ad tres heminas, quæ sunt vncię triginta .i. librę duę & semis, & hoc est quod Galenus dicebat esse prolixissime coquendum. nulli dubium esse debet hanc quãtitatem educere, sed hodiernus usus est in pauca quantitate, & medici nonnunq; dant per tres aut quatuor horas à sumpto medicamento, quo magis impediunt medicamentum q̃ iuuent, ut ostẽdemus. At petes nunquid cũ re aliqua coquetur hic gallus. Respondemus apud Galenum reperiri solum ex sale coctum, Dioscorides uero inquit quidam cocturę eius adijciunt marinam brassicã, aut mercurialem herbam, aut cnicum, aut polypodium, quæ filicula est trahit hoc ius crassa, cruda glutinosa, & nigra, unde idem diutinis febribus, suspirijs, articulorum doloribus, & stomachi inflãmationibus. nos in acutis febribus, huius iuris usum semper prohibẽdum suaderemus, nunc in doloribus exhibẽt hoc ius, & arctioris ac laxioris intestini, quod colon uocant. unde Trallianus libro quarto cap. 46. ubi loquitur de laxioris intestini dolore ex obturatione duri stercoris proueniente, inquit, ius quoque gallinacei euiscerati exhibitum magnam cõmoditatem affert, oportet uero gallum illum exenteratum sale infarcire, & consuere, atque ita cum anetho in aqua multa elixare, neque inter elixandum alia infundatur aqua, usque dum longa multaq; decoctione caro ipsius quasi exossis reddatur, quod si polypodij unciam unam pariter cum gallo decoxeris, longe ampliorẽ deducendi uim habebit elixatio, si uinum, uel œnomeli admisceas, maiorem saporis authoritatem, uehementioremq; alui deijciendi potentiam habebit. At hæc non sunt simplicis iuris acceptiones, sed compositæ. In ardentibus ergo febribus iure galli antiqui non utaris, ne accendatur, & febris uehementior euadat, si uero in alijs febribus eo uti uolueris, semper in copia sumatur, ut nunquam sit minor quantitas duarum librarum.

Ius sebasten succedit, hoc est in usu apud particulares medicos, qui iubent in iure coq; sebasten, & in potu præbent, educit uentrem emolliendo, sed & opus est copiam quãdam huius iuris accipere. quid sit sebasten dictum est à nobis in nostro simplicium examine, sed alij simul cum sebasten passulas decoquunt. Si hęc ebullirent in aqua, nõ uererer et i febre acuta hoc decoctum præbere. At si fiat in carnium iure, non exhiberem in ardente. aliqui exhibent electuarium ex sebesten, cuius quãtitas est usq; ad drachmas decem, de quo ample locuti sumus in examine compositorum medicamẽtorum. violę & ipsæ vẽtrem leniunt, sed potissimum violarum succus, ex quo syrupus conficitur ventrem leniens, hoc syrupo uterer in ardentibus febribus q̃uis non sit multũ in vsu. Mesue inquit posse sumi ab vncijs duabus usq; ad quatuor. At siquis succum violarũ acciperet solum, in iure eliquatum, accipitur ab vncia una usque ad duas hoc leniens in febre ardente probamus.

De sero nihil aliud dicendum, q̃ id quod superius dictum est, non esse sumendam modicam quãtitatem. Dioscorides tribuit usq; ad heminas quinq; quę sunt vnciæ quinquaginta hoc est librę quatuor & unciæ duę. tamen unum iubet quod in febre ardente agendum non est, ut à potu eius bibentes spatientur g intervalla illa temporis quo accipiũt, nam non iubet vna uice potandum, sed per interualla, vt nunc bibuntur aquę thermarum. Galenus in tertio de alimentorum facultatibus vt magis educat, iubet adijciendum esse aliquid salis. Paulus Aegineta libro septimo dicit esse abstersoria vi præditum, propterea aluum subducere. de sumendi quantitate secundum Hippocratem, iam superius dictum est.

De mercuriali herba in simplicium examine locuti sumus. Paulus libro septimo inquit mercuriali quidem herbæ præcipua ferè in deijcienda aluo naturæ vis inest. Illam Græci linozostin vocant, & Galenus in octauo de simplicium medicamentorum facultatibus inquit. Linozostide vtuntur

omnes ad uentris purgationes duntaxat. in tertiodecimo Methodi, in iecoris inflammatione, ſi caua pars afficiatur, iubet euacuandum uentrem, & cibis mercurialem immiſcendam. & in eodem libro iterum dicit, in inclinatione phlegmonis aloen adhibendam eſſe. poſtea inquit, ſatius eſſe id mercuriali efficere.

Scito præterea exprimi & mercurialis ſuccum & ſyrupum ex zucharo confici, qui uentrem ſubducit. decoquitur & in iure ab aliquibus, & manditur pro minutali. aliqui coquunt ex aqua, oleo, & ſale, & cibi loco præbent. ſi liber alter de dinamidijs Galeni eſſet, in illo ſcriptum eſt. Linozoſtia ſi elixetur, & ſola folia comederis, ſufficienter ſtercus expellit. ſed id mirum eſt, quod paulopoſt adiecit, mercurialem. ſ. ſanguinem purgare, cum nullum ſit medicamentum ſanguinem euacuans quin ſit uenenum, uel uenenoſum. forte intelligit purificare, non educere. Dioſcorides libro quarto capite centeſimo octuageſimotertio de mercuriali agens, & duas ponens ſpecies, marem. ſ. & fœminam, inquit, ſoluit aluum utraque olerum modo in cibo ſumpta. in aqua indem el xa ſi ea bibatur aqua, bilem & aquoſa trahit. Cato in libro de re ruſtica, prope calcem capite centeſimo quinquageſimooctauo, ubi de his loquitur quæ aluum deijciunt, inter alia ponit herbam mercurialem. Plinius libro quintodecimo, capite quinto de ipſa inquit. Aluo quidem ſoluendæ uel in febri decoquitur quãtum manus capiat in duobus ſextarijs aquę ad dimidias bibitur ſale & melle admiſto. paulopoſt addit, purgationis cauſa putauere aliqui utranque dandam, ſiue cum malua decoctum. Neque deſunt noſtro tempore qui ad eundem uſum maluam decoctam exhibeant.

Ad rem uero noſtram redeuntes, de eius temperie primo loquamur. Græci nullo in loco linozoſtis temperiẽ exprimũt. Auerrois in ſuis collectionibus illam calidam facit & ſiccam in principio. Nos iudicamus eſſe prope ſecũdum ordinem calidam, imo & in ipſo ſecundo. propterea in febre ardente mercuriali non uterer, præſertim ſi in iure coquatur. imo & ſi coquatur in aqua debet etiam eſſe ſuſpecta, neque danda ſi eſſet intenſiſſima febris, ut Galenus dat in quarto de ſanitate tuenda, ex ſale & oleo cocta. nam Galenus ſanis dat in eo loco, & non ægris. hic eſt communis modus, quo non ſolum ruſtici noſtrates, ſed & ciues ad aluum deijciendam ex oleo multo et ſale ea utuntur cocta in minutali. & profecto feces ducit quæ in urijs reperiuntur, & aquoſos humores, illos præſertim qui in meſeraicis ſunt, & in urijs tranſitus. ſiquis ergo ſanus ſit, illa uti poterit. At illam non darem cauſone laboranti, niſi eſſet mitior.

Sequitur de uuæ paſſæ iure, & hoc ius eporum aluum emollit & lubricat, tamen multi accepere, & nihil deiecere, quia ſolum uuam paſſam decoxere, & non expreſſere intraneum ſuccum. hic eſt unus error, qui ab omnibus etiam ſit pharmacopolis in uuæ paſſæ decoctione, & in pectoralibus decoctionibus non exprimunt uuam paſſam, ſed in aqua coquunt, poſtea non exprimẽtes abijciunt. ipſa enim intumeſcit, & nihil extra mittit. ex decoctione habetur tantum color in aqua, uel in iure, qui à cortice recipitur, ſed uis intrinſeca adhuc ſub cortice remanet, unde uuæ paſſæ decoctio ita fieri debet. Coquatur, & poſtquam intumuerit exprimatur, ut uuæ ſuccus in aquam uel in ius recipiatur. In ardente febre hac uterer decoctione in aqua. quandoq; ſimul adduntur ſebeſten, quandoque adduntur pruna. De uua paſſa in ſimplicium examine alia habentur.

Damaſcena pruna & Cathalonica, quæ dulcia ſunt, conuenire aſtruimus, ſi in aqua decoquantur, nam uentrem emolliunt. At medici noſtro tempore iubent fieri decoctum, in quo ſint pruna, neque prunorum genera determinant. mulieres communia pruna accipiunt, quæ auguſtana uocantur, & quę deijcere non faciunt, ſed aluum potius adſtringunt, nam auſtera ſunt, & dum guſtantur adſtringunt. Debent uero in decoctione & ipſa exprimi, ſicut de uua paſſa dictum eſt. & de his quoq; in ſimplicium examine locuti ſumus. pruna guſtu iudicare potes ad hoc officium proba. nam quæ dulcia ſunt, proba quidem ſunt reliqua quæ alijs ſaporibus ſunt inſignita, inepta ſunt, adſtringentia potiſſimum. tute igitur hac decoctione in cauſone utaris, ut Cathalonica ſunt, & Damaſcena, & euſdem generis reliqua.

Noſtro tempore maximus eſt caſſiæ uſus. quid uero ſit caſſia in ſimplicium examine longius diſſeruimus. res fuit ignota antiquis, & Mauritanorum inuentum. Medici adſunt, qui in quocunq; morbo, nullo conſiderato diſcrimine, ſtatim prima die exhibent. quod nos fieri oportere negamus, niſi uentris lenitione ſit opus, caſſiam non exprobramus, ſed ualde extollimus, quamuis nonnulli in caſſiam immerito calamum exercuerint, illamq; reprehenderint, quos reprehendendos eſſe iudicamus, cum & in uentris lenitione plurimum præſtet, & ſit temperamento propinqua. uel ſi ad aliquas qualitates inclinet, ad calidum & humidum inclinat. nam cum Galenus & antiqui de illa locuti non ſint, neque illam non cognouerint, de ea ſecundum Arabes loqui opus eſt. Serapio in libro aggregationum capite duodecimo, illam facit æqualis temperaturæ. Meſue quoque dicit illam eſſe æqualis temperaturæ, tamen declinare ad latus caliditatis, & eſſe humidam in primo. Auicenna libro ſecundo facit & ipſam illam æqualem in caliditate, frigiditate, humiditate, ac ſiccitate, tamen cum dulcis ſit, calidam eſſe cenſemus, ſed mediocriter. Illi, qui caſſiam damnant, huic rationi tantum innituntur quod flatuoſa ſit, & ob dulcedinem, in bilem facile uertatur, & tormina efficiat. profecto abſurde loquuntur, de facili in bilem conuerſione, quoniam & ſi calida ſit & dulcis, paucam habet caliditatem, humiditatemq; habet ut facilius in ſanguinem conuertatur, q̃ in bilem. De eo autem qđ tormina faciat, & ſit flatuoſa, dicimus aliquibus profecto inferre tormina, neque eſt à flatu remota, ſed maior hominum pars illam accipiet abſque noxa. Nos illi aniſum ſæpe miſcemus, aut cinnamomum, & corrigitur. In bolo dari poteſt, & ex aqua endiuiæ, uel altera ſimili, quæ febri ardenti conueniat bibi. Aliqui dant ex ſero, qui nullo modo deſpiciendi ſunt. nam egregie uentrem emollit ex ſero. quod & Meſue annotauit. De quantitate uero ſumptionis caſſiæ ſolus Serapio ait dari à drachmis ſex uſque ad decem. tamen ſi experientia conſideremus, multi ſunt, qui & à decem drachmis non ſoluentur, propterea uſque ad duodecim drachmas plerunque exhibuimus, & faciliime tulere.

Neque obſtat Serapionem poſuiſſe ultimam doſim decem drachmarum, quia ille ita expertus erat. ſed in noſtra hac alma patria infiniti non ſoluuntur à decem drachmis, à duodecim uero ſoluuntur, ut experientia oſtendit. neque obſtet Serapionem poſuiſſe ultimam doſim decem drachmarum, quia ita expertus ſum. Quiſque uero debet ſuæ patriæ mores, & particularium quos curat cognoſcere. Multi ab octo drachmis utuntur, & aliqui à ſex, nonnulli ferè à quatuor. quicquid in urijs inuenit educit, & etiam puenit uſque ad iecur, imo cum dulcis ſit, à uiſceribus etiam attrahitur, flauam bilem in illis partibus exiſtentem educit, & pituitam. In cauſone, quãdo uenam ſecaturi ſumus, & uentris lenitione indigemus, caſſiam exhibendam eſſe cenſemus.

At quia apud medicos de exhibitionis hora eſt diuerſitas, propterea conſiderare oportet qua hora exhiberi debeat. In illis cauſonibus in quibus uſque ad declinationem abſque cibo tranſigitur, Aetius cenſet ſiquid dandum ſit, in hora minoris affictionis detur. at cum cauſon ſit omotenus, quandoque in eo caſu nulla eſt hora. ſed in illis caſibus in quibus ægri comedunt. nonnulli recentes qui praxi utuntur, dant per duas horas ante prandium, alij per tres horas. alij dant per ſemihoram ante cœnam, uel per horam ante cœnam.

At, niſi fallat nos iudiciũ noſtrũ, hi omnes in hoc caſu errãt, ſi Hippocratis documẽtũ ꝯſideremus in. 2. li. huius uol. Sect. 12. ubi ait, Vbi aũt qs medicamentũ ebibit, ptiſanã ꝑrius ſorbẽdã dato. uñ melius eſt accipe caſſiam ante cibũ, & edere, modica

interposita mora, id quod edi debebat, & non comedere post tres, uel quatuor, uel duas horas. qm̃ in hoc casu forte erit cassia in actum agendi redacta, & actio à cibo impedietur. Hippocratia sententia hoc indicare uidetur, tñ in his lenientibus semper mihi magis placet ut ieiune præbeantur, & homo non comedat (qñ tp̃s habetur) nisi postq̃ suas actiones in educendo pfecerit. in fortibus autem medicamentis illico comedendum uoluerim, & hæc est Hippocratia regula. unde Galenus in illius partis cõmentatione inquit, medicamentum qd' sumitur, esse modicum quantitate, qa forte & uijs inhærere per quas transit gulæ inquam & ori uentriculi, & illas offendere, & ad uẽtriculi fundũ non puenire. quæ omnia praua sunt, & partibus quibus inhæret caliditatem imprimit, unde male afficiuntur. ppterea aliquid præbere bonum est, & potissimum ptisanam, quæ partes à medicamẽto abstergit & refrigerat, & medicamentum ducit in fundum. idq; cito fieri debet, hoc est statim post sumptum medicamentum. Si enim edulij genus considerabis, nihil est ptisana melius, quamuis & multa alia dari possint.

At dices, si statim dabitur cibus, igitur & à medicamento corrumpetur. Respondemus, hoc esse uerũ, sed tñ nihil referre, qm̃ simul exit cum medicamento. neque nutriendi gratia præbetur, sed cibus pro nutrimento dari debet, postq̃ medicamentum pro sui ratione euacuauerit.

At cum hæc in uehementi medicamento intelligantur, sunt' ne uera & in imbecilli medicamento? Respondemus, profecto si aliqd repugnans non haberetur, uideretur eandem esse rationem, non qa cassia uentriculum calefacit, nec qa in copia gulæ partibus inhærere possit, sed tñ ut eius gustus, qui multis displicet, supprimatur quamuis & nonnulli sint qbus placeat. Id uero qd' repugnat est Galeni sententia in. 2. de alimẽ. facul. ubi de prunis loqtur. nam & ipsa inter leniẽtia computat probatq; Damascena & Iberica, quæ nos Catalonica uocamus, supra omnia Iberica pbat, atq; in melicrato meliore decocta, abunde emollire, etiam si sola comedantur & multo magis si melicratum ipsum subsorbeatur. perspicuum uero est si uinum dulce post assumptionem s̃upbibatur. siq; prandium non statim, sed aliquanto post interuallo inchoetur, id ad alui solutionem profuturũ. Et ne qs putet, hoc esse solum in prunis uerũ, & non in alijs quæ leniunt aluum, ppterea Galenus generalem quandam regulam ponit, qua ostendit hoc esse uerũ in omnibus lenientibus. inqt enim, quæ cõmunia omnium laxantium præcepta meminisse op3, ceu & alia quæ de pluribus speciebus cõmuniter dicuntur ac identidem quæq; de ijsdem repetenda sint. ppterea non est regula solum in prunis, sed & in alijs laxantibus. cum uero cassia unum sit ex laxantibus, idcirco & in ipsa illa regula erit uera.

At quæres causam diuersitatis laxantium à soluentibus uehementioribus in hoc. Respondemus, nos arbitrari hãc esse causam, qa uehementiora soluentia ex cibo non impediuntur statim sumpto, sed id boni habent, qd' si nõnihil in uijs adsit, totum in fundo colligitur. nam id parũ qd' in alia fuisset parte, & non in fundo uentriculi actionem impediuisset, qa in pauca datur quantitate, & ideo uel minimum qd in uijs immorari non debet. in lenientibus uero datur magna quantitas, ppterea id qd' in uijs remanet, nõ eget ut deorsum trahatur, neq; ullam in gula, uel in ore uentriculi impressionem facit, quam corrigere oporteat. imo si statim cibum daremus, cibo misceri posset. & ita leniens à cibo in nutrimẽtum traheretur, neq; aliq uapores à cassia eleuarentur, qui eleuantur, si per pusillum tp̃is absq; cibis pmaneat, & hi attrahuntur materiæ, quæ educi debẽt, uel qualitatem imprimit in uẽtriculum, qua lubricus efficitur, & intestina lubrica reddit. qd' non efficiet, si cibus statim insumatur, qui simul mistus, non sineret eleuari uapores ab ea, neque lubricitatem dari uentriculo. Et adde, posse ad os uentriculi ascendere, & inducere nauseam.

Forte petes, quantum sit hoc spatium, uel quãtum esse debeat inter lenitiuum & cibum. Respondemus, Galenum dicere, si prandium nõ statim, sed aliq̃to post interuallo sumatur. hoc interuallum uidetur debere eẽ parũ, uel semihoram, uel horam. qd' aliqui obseruant. tñ si uñ intelligeremus ut cassia exiret à uentriculo qd' fit spatio quatuor, aut quinq; horarum, preter rem non uideretur. uel intelligamus tantum temporis, quanto medicamenta lenientia in fundo uentriculi congregentur, & ebullire incipiant; ac in uapores resolui. Quicqd de hac re sit, expresse uidemus in usu quotidiano, & in experientia, multos accipere statim ante cibum, tñ egregie educunt. ueruntamen si qs conueniens tempus à me petat, ego semp ieiune darem, juberemq; ut esset sine cibo quoad eduxerit. Sũt uero qui simul cum iure exhibent, & qui cum aqua hordei exhibẽt. Mediolanensia ex sero. quos omnes non reprehendo. nam his omnibus modis educit, & satis egregie. Hæc sunt quæ de cassia & alijs lenientibus s̃m Galenum nobis uidentur dicenda, quæ tamen magnam considerationem non habent, cum solum exhibeantur, ut id auferant, quod in uijs inuenitur, neq; à uenia educunt, nisi aliqua à meseraicis.

At hic ambigere poteris de contradictione, quæ in Paulo uidetur atq; Galeno. Galenus regulam dedit uniuersalem in. 2. de alimẽ. facul. quam superius retulimus, ubi de prunis loquebatur. hæc lenientia sumenda, & post aliqd' interuallum prandendum.

Sed Paulus Aegineta libro primo capite. 43. exhibendam iubet pilulam instar oliuæ in somnum, quod est post coenam, qñ homo it dormitum. Respondemus, hanc non esse contradictionem, qa & Galenus non ire inficias qñq; posse dari post cibum, neq; Paulus negaret ante cibum posse dari tamen Galeni modus est magis approbandus. uerũ recentes de catharticis medicamentis agentes dicunt, si ante coenam accipiantur, uentriculo cõuenire, si post coenam capiti, si in diluculo capiti & uentriculo. sed de his in pilularũ examine disseruimus.

Mãna & ipsa in usu est, & pro lenienti accipitur medicamento & medici, nobilibus illam præcipue præbent, quoniam in pretio cariori est q̃ cassia. De manna, & triplici eius genere in simplicium examine egimus. Authores qui de illa locuti sunt, uidentur in eius temperie aliquo modo differre. nam Mesue inquit esse equalis temperiei, & ad caliditatem inclinare. Serapio uero cap. 45. ex sententia Mesarugiæ inquit esse calidam in primo, temperatam in humido & sicco.

At temperare non possum quin obiter errorem quendam in Serapione in hoc capite de mãna referam & errorem notatu dignum. nam inquit ex Haly sententia, esse calidam in fine secundi gradus, siccitate proximam caliditati. postea sequitur, & melior est illa, cuius color est clarus appropinquans albedini, & habet parum ruboris sine admistione alicuius ligni. confert relaxationi stomachi, & stringit uentrem. confert aquæ citrinæ, quando bibitur de ea, & emplastratur uenter, & ingreditur medicinas apostematum, & exiccat catarrhum, quando fit caputpurgium cum. ʒ. i. de ipsa, & mundificat cerebrum, & expellit ab eo uẽtositatem grossam, & fortificat medicinas, cũ miscetur cum eis in potionibus & caputpurgijs, & delet apostemata phlegmatica, & miscetur in confectionibus magnis propter excellens iuuamentum qd' est in ea. Vide quãta ignorantia in hoc ducatur Serapio, qui nõ nouerit Haly authorem de thuris, mãna loqui, & non de mãna, quæ ros est, quisq; ex seipso hoc deprehendere potest. Cum Serapione infiniti recentes in hunc errorem lapsi sunt. sed hoc nõ est mirum, cum Petrus Crinitus sua ętate grauissimus uir in quadam epistola glorietur se inuenisse mannam apud antiquos. tamen quicquid adducit, id totum est de manna thuria.

Ad rem nostram redeuntes, est ferè temperata manna cum dulcedinem habeat, nec insuauem. & Galenus in tertio de alimentorum facultatibus inquit, philosophos hanc rationem reddere. halitus qui è terra, & aquis prodeunt, solia calore exacte attenuantur, ac coquuntur, postea consequente frigore, aliqua in nocte coagulantur, & in unum condensantur, & descendunt. unde Galenus semel mannam uidit, & erat

aestiuum

æstiuum tempus satis calidum, postea consecuta est nox frigida supra naturam temporis, unde uapores illi coagulao descendere in mānam. Addimus quoq; si passiuas qualitates cōsideremus, ad humidam potius uergere. Tñ ex hoc Galeni loco non defuere qui censuerūt, mānam calidam esse & siccam ordine secūdo, cum Galenus uoluerit ex eadem materia fieri mānā atq; mel. At hæc ratio absurda est, qa multa ex eadem fiūt materia, tñ alijs in diuersis sunt qualitatibus. At hi replicāt apes nihil facere ad mel, sed rorem solum colligere, & in aluearia cōferre. igitur eiusdem est naturę cum rore, & ros cum illo. hi uero unum supponūt qd' discussione indiget. An ad conficiēdum mel apes aliqd agāt. Aristoteles expressissime sentire uidetur, apes solum colligere mel, & non conficere. nam in 5. de historia animalium cap. 22. de apibus loquens inqt, construūt fauos è floribus, ceram ex lacryma arborū figunt, mella ex rore aeris. & paulopost addit, Mel autem nō ipsas facere apes, sed rorem cadētem deferre. argumēto est, q uno, aut altero die cellas melle repletas inueniunt apiarij. ꝓpterea & ibi addit, Initio ut aqua dilutum est, & primis diebus sine crassitudine cernit, tum uicesimo maxime die spissatur. ut hinc colligi possit, Aristotelis sententiam esse mel factum colligi, & apes nihil ad mel facere, præter id quòd rorem in cellas portant. Galenus de hac re nihil penitus dicit. Auicēna. 2. lib. cap. 500. inqt, Et existimo q apum labor in ipso aliquam habet impressionem. unde apud ipsum apes aliqd agere uidentur in mellificatione. tñ nullam affert rationem Auicēna, sed ut illi forte in mētem uenit locutus est. Nos arbitramur id qd' ab Aristotele dictum est, esse uerū. s. apes ad mel nihil agere, sed in aere cōfici. nam apes solum cellas faciūt ex floribus, & cœli rorem colligunt, qui est mel. cum uero ros liqdissimus sit, in cellas repositus, tum ex aeris constitutione, tum ex floris siccitate incrassatur, & in illam mellis cōsistentiam tendit, & caliditatem à floribus acqrit, colorem, & odorem, ꝓpterea dici non potest esse eiusdem naturę cum rore, qa uim habet floris, & siccitatem ac caliditatem, quam à cellis acqrit. Eiusdem sententiæ uisus est fuisse Plinius, qui apes occupare uidetur, solum circa cellarū fabricationem, & circa roris collectionem.

Et si petas, ad quem finem rorem colligāt, est ut hyeme uiuere possint. Vt autem ad rem redeamus, recentes qdam mānam in una quātitate educere uidentes in qua mel nō educit, decepti sunt, uolentes mānam esse melle calidiorem. in eo uero decipiuntur, qa putant mānam educere ob caliditatem, & non considerant educere potius, qa uentrem emollit, sicuti & alia multa, quæ sunt frigida potius uētrem emolliunt, & educunt, non tñ sua caliditate. ob hoc tñ non dicimus mānam esse frigidam, sed calidam, & in primo ordine, in siccitate & humiditate tēpatam. unde in ardente febre pro uentre leniendo māna exhiberi potest, quæ stercora quæ in uijs sunt, educit, & materias biliosas in meseraicis, & forte in iecore existentes. amplius uero non ascēdit ad trahēdas materias ab alijs partibus. De eius uero quantitate exhibenda Mesue prębet à drachmis vj. usq; ad. xvj. & ꝑfecto in nostra urbe nō educit, si in minori copia sit, q̃. xij uel. xvj. drachmæ. s. iij. mānæ unciæ insumātur, egregie educūt. quam quātitatem non excederemus. tñ ad hāc summā nōnunq̃; accedimus in stipocis, & optime educit. Dedimus plerunq; Illustriss. Herculi II. Ferrariæ Duci IIII. drachmas. xx. et nonnunq̃. xxiiij. egregie pręter molestiam aliquam solutus est. quam quātitatem suadet dandam Auicēna. Illos uero aberrare putamus, qui cum non habeant probam mānam, prauam in maiori exhibeant quātitate. at cum proba non est, tanto magis lædit, qm̃ improba medicamēta in uenenum transeūt. Nunq̃; igitur quispiam exhibeat medicamenta aut nimis inueterata, aut aliqua affectione male affecta. exhibetur uero & per se sola, & ex iure, & ex aqua endiuię, aut ex aqua hordei, aut ex alia simili. In ardēte febre cum iure dandam esse non probamus.

Ad tamarindos descendētes, qui & ipsi pro leniendo uentre in publico sunt usu, decoquūtur, & eorū decoctum potui prębetur qd' educit. & ipsimet si edantur, uentrem soluūt. Serapio cap. 348. ait illos esse frigidos & siccos ordine tertio, & bilem educere, ac eius acuitatem reprimere. Vocat illos Mesue dactylos acetosos, quos ait frigidos & siccos esse ordine secūdo. tñ de illa siccitate multum ambigimus, de qua in simpliciū examine iterum acturi sumus. De eorū temperamento idem Auicēna sentit cum Mesue. decoctum eorū fieri potest & in aqua, & in sero. Mesue nāq; in sero etiam decoqt. Serapio huius decoctionis semilibram præbet. Mesue præbet ab uncijs. ij. ad v. tñ parū educunt, & biliosam materiam. his quoq; in ardētibus febribus uti conuenit, quoties uētris lenitione indigemus, & potissimum eius decocto in aqua, ne siccitas tamarindorū febri obesse possit, cui magis competunt humida. Auerrois. 5. collectionum cap. 55. à. xiij. uncijs dat usq; ad. xv. quæ quantitas uidetur profecto nimis ampla, nisi essent pauci in decoctione tamarindi.

Et syrupus rosatus solutiuus exhiberi solet, qui ex rosis fit, quas Galenus. 6. de simpli. medica. fac. adstringere dicit, tñ adstringendo soluūt, uel potius cum hic syrupus fiat per nouem infusiones, & rosæ accipiātur rore plenæ mane, ꝓpterea ratione illius roris uim leniendi habentis educunt.

Adde Galenum ponere in rosa substātiam quandam aqueam duabus alijs mixtam qualitatibus, adstringēti. s. & amaræ. forte ratione amaræ qualitatis soluit. At quicqd sit, expientia ostēdit, q aquositates educit, & parū stercoris, ꝓpterea nō uidetur lenire, sed potius ut cathartica aliqua educere. An uero in ardentibus febribus ꝯueniat, si ageret ob rorem, supra folia acceptum, qui uim habet mānæ, uentrem emollit, & lenit. at si cōprimendo ageret, non conueniret, qa non emolliret, tñ non magnifacerem. & si qs hunc syrupum præberet, eius quātitas est ab uncijs. ij. usq; ad. iiij. qm̃ si hanc quātitatem excesseris, symptomata facit praua, ut omnia faciunt medicamēta, quæ supra modum & suam statutam dosim exhibentur.

Et ipsa infusio senæ in hoc usu est. educit ob quādam nitrositatem, quæ est supra folia & senæ folliculos: quæ nitrosa pars si sena ebulliat, amittitur. iccirco solum infundit ne euanescat. materias atrabilares educit, & biliosas adustas. De hac senæ infusione & syrupo solutiuo abunde à nobis in syruporū examine scriptum est. ob id breui in præsentiarū pertransimus. In hac ardente febre neq; senam, neq; syrupum rosatum solutiuum præbendum suaderem. tamen si quispiam prębuisset, de hac re digladiari noluerim.

Rhabarbarum non conuenit, quia calidum & siccum: comprimendo præterea educit, non emollit, neq; lenit.

Simplicibus lenientibus expeditis, quæ in usu sunt, ad composita accedere oportet, q̃uis & senæ infusio inter composita numeranda uideatur. uagatur per medicorū ora, & in publicis fit officinis electuarium quoddam lenitiuum uocatum, de quo in compositorū medicamentorū examine egimus. varijs fit modis sm̃ diuersarū urbiū mores. Ferrarię multi hoc modo parāt.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| ℞ | Passularum, | | unc. | ij. |
| | Capillorū veneris, Violarum, Hordei, | añ. | M. | s. |
| | Iuiubarum, Sebesten, | añ. | nu. | xx. |
| | Glycyrizæ, | | unc. | s. |
| | Prunorum, Tamarindorum, | añ. | ℥. | vj. |
| | Foliculorū senæ, Polypodij, | añ. | unc. | ij. |

Misceantur hæc, & fiat decoctio in aqua secundum artem ad consumptionem tertiæ partis, deinde addatur,

Mercurialis M. ℥. ß.

Bulliant ebullitione una, & colentur, & in eo quod percolatum sit dissoluantur hæc quæ statim sequuntur.

| | |
|---|---|
| Pulpæ cassiæ, Tamarindorum, Prunorum, Zuchari fini, Zuchari uiolati, | añ. unc. vj. |

Coquantur lento igne semper spatula cõmouendo. in fine adde pro qualibet electuarij libra unciam unam & drachmas tres folliculorum senæ, & fiat electuarium secundum artem. Hoc est electuarium lenitiuum, quo Ferrariæ & Venetijs plurimi utuntur, tñ hoc non uteremur in febre ardente, nisi adesset bilis atra educenda. huius tñ electuarij quantitas (si qs exhibere uoluerit) est à drachmis octo usq; ad duodecim. Alij parant lenitiuum quoddam ex paucioribus rebus, tamen & senam addunt & polypodium. Alij utuntur diaprune non solutiuo, de quo & in compositorum examine egimus. Multa illum ingrediuntur, quæ & in electuario lenitiuo recipiuntur. ut & apud authores & in nostro examine eius compositionem considerato, nam eo potius in ardentibus uterer febribus, q̃ leniente electuario pro uentre leniendo.

Inter hæc præterea computatur, & electuarinm de sebesten. hoc minus alijs in usu sit, qm̃ recipit diagridium, licet in modica quantitate. in reliquis inter lenientia numerari potest. si quis igitur hoc utatur, non probarem quidem, sed neque multum reprobarem.

Nonnulli uero sunt qui cum statim primus uice ad ægrum accedunt, catharticum præbent medicamentum, in forma pilularum, uel potionum, uel eclegmatis, ut aureas pilulas, uel cochias, uel aggregatiuas, uel electuarium de dactylis, uel aliqđ simile, quos proculdubio errare arbitramur, quia uim habent trahendi peccantem materiam, quæ nondum est cocta, hicq; aduersus Hippocratis dogma, & Galeni agunt, qui nunquam præbent medicamentum, nisi materia sit cocta, quando non turget.

Præscripta igitur sunt lenientia medicamenta, quæ in cõmuni sunt usu, & qbus hincinde uarij medici utuntur. habetisq; modum usus, & eorum quantitatem sumendam. uerum nonnullis horum utimur & in sanis, qui aluum habent adstrictam.

De lenientibus in sanis Paulus lib. j. cap. 43. sermonem habet, ubi præter enumerata addit & sambuci folia, aloen à cœna, quæ trium cicerum magnitudinem æquet, epithymum cum uino post frugalem cœnam epotum. & multa alia ibi referũtur à Paulo, quæ uentrem soluunt in sanis.

Sed de quotidiano usu in sanis ambiguitas est, nam quidam sunt qui quotidie pilulam unam masticinam dictam, sumunt. alij pilulam assaiaret uocatam. alij pilulam de hiera simplici. alij pilulam de aloe. alij pilulam auream. alij pilulam aggregatiuam. alij pilulam de agarico, & ita de alijs, ut ipsis institutum est à medicis, uel ut sibi finxere.

Ambiguitas inquam hæc discutienda est, an hic usus ꝓueniat. Respondemus, de fortioribus pilulis ut aureæ sunt, aggregatiuæ, & similes, dicimus esse magnum erratum singulis diebus una uti, qm̃ corpora exiccãt, & plus educunt, q̃ conueniat, et alui ꝓfluuium inducere possunt. tñ si quis sanus pituita abundet, & bile, non damno (præsertim si in uijs sit) unius pilulæ aureæ usum per uices, ut singulis quindecim diebus, uel uiginti, uel triginta, uel singulis hebdomadibus. ęque si atra bile abũdet, catapotium sumat ex fœtidis pilulis, uel ex alijs atram bilem educentibus. hoc enim modo ꝓuidebitur ne materia crescat, & ne deinde aliqua pariat incõmoda. Quotidianum uero usum nõ ꝓbo, sed bene ꝓbo hũc usum per circuitus. De leuioribus uero pilulis, ut sunt enumeratæ, nõ est tantũ periculum. Sciendum uero est, pilulas illas masticinas, & alefangi nas esse nothas pilularum de hiera simplici Galeni, & ideo de hiera simplici loquentes, de omnibus alijs dictum sit. At quia in simplici hiera, aloe illud est qđ educit, propterea de aloe loqui satis erit. at cum & rhabarbarum calidum & siccum sit, de rhabarbaro loquentes, aut de aloe, de utroq; nos locutos esse existimari oportebit. ut de uno loquentes, de omni alio intelligere conueniat.

De aloe uero loquemur ob usum cõmuniorem, qui à Mesue receptus est. Nempe hunc usum inde emanasse arbitramur, qđ Mesue ait cap. j. de simplicibus, & qui assiduat acceptionem eius diebus continuis, non uidet in corpore suo, neque in instrumentis sensuum suorum ægritudinem, quæ non sit habilis sanari, & praeseruat à putrefactione, ita q; etiam cadauera, & ꝓprie mixtum cum myrrha. ob hæc Mesue uerba aloe in maximum uenit usum. & medici, qui ante ducentos, & trecentos annos artem exercuere, & illam scriptis mandauere, aloen in continuum usum deduxere. Galenus in. 6. de simpl. medi. fac. inquit aloen exiccare usq; in tertiũ ordinem, ꝓpterea & nõnulli recentes dãnant hunc ꝑpetuum usum, dicentes & à Galeno damnari. Sed ꝓfecto nos in sanis non uereremur singulis diebus pilulam ex aloe semiscrupuli quantitate exhibere, neq; timeremus posse aliqd incõmodi inferre. primo, qa uentriculus in Ferrariensibus, qui lurcones sunt, est ferè semꝑ pituita & bile plenus, deinde qa ad iecur nõ ꝑtingit, nisi in magna q̃titate. Forte dices, usum continuum efficere ut ad iecur ꝑueniat. Respondemus, & cõtinuum habere usum ciborum, & cõtinuo multiplicatur pituita in uentriculo, & plerunq; bilis.

At dices, Galenum in. 5. Method. aloes usum ꝓhibere, & non ob aliam causam, nisi qa exiccat. Respondemus, Galenum in senibus loqui, qui siccum habent uentriculum. at nostro tempore habent nimis humectum, nam adeo copiose comedunt, ut inepte concoquant.

Dices uero, uisos esse exiccatos in extremã maciem ob aloen. Respondemus, nos hoc non uidisse, sed ꝓfecto antiquissimos uidimus senes qui in tam longã ætatem deuenere ex hoc aloes usu, unde singulis diebus nõ uererer, potissimum qñ non sunt uehementissimi calores una uti pilula ex aloe. imo & ab eius usu non est abstinendum in profunda æstate, si pituita in uentriculo abundet.

Forte dices, & aloen in ardentibus conuenire febribus, qa Galenus in. 6. de simplicium medicamentorum facultatibus inquit, aloen inter illa numerari quæ ἐκκοπρωτικὰ. i. stercoris eductiua sunt. sed in talium morborum initijs stercorum eductione indigemus, & non alia nisi materia turgeat. aloe igitur cõueniet. Respondemus, conuenire quidem ex hac ratione qua stercora educit, sed caliditate, ac siccitate non conuenire, quæ pro augenda febre è directo sunt qualitates, & quãuis non penetret ad iecur, tamen esset exquisitissimum medicamentum, nisi esset calidum & siccum.

Aliud preterea est, quod eius usum prohibet, quia. s. aluum adstrictam relinquit. At in febribus illa potius dari debent, quæ lubricam seruent.

Ad rem uero redeuntes, pro sanis multa alia sunt quæ adhibentur ut lubrica sit aluus, de quibus pro parte agit Galenus in. 5. de sani. tuẽ. lib. pro ægris uero sit prædictorum usus & simplicium, & compositorum pro uentre leniendo. hi uero qui catharticis uehementioribus in morborũ initijs utuntur, aberrãt. imo neq; in sanis secundum Galenum eorum usus conuenit, nisi cum ualde indiguerint.

Quòd omnino qdem eam quæ in uentre est bilem uacuare præcipiat, timeat aũt purgantia medicamenta, q; & acria & calida prorsus exstant, ob id ad lac asinæ diuertit, utpote qđ nullam ut non aliud ullum habeat acrimoniam, sed præ omnibus unum humiditate exuperat, atq; ob id solũ uentrem subit. Præcoquit autem ipsum ob flatus. Sed sanè solo uti sero potens, ꝑ oxymeli ipsum ubi lac ante coxeris, separans. Vas quoq; æneũ frigida plenum aqua continenter in lac demittes. Nam & hæc si probe fiat demissio, serum à caseo separat. GALENVS.

Primo,

BRASAVOLVS

Primo, Galenus notat Hippocratem penitus nolle bilem quæ os amaricabat, in uentre permanere, propterea iubet educendam. At multa sunt purgantia medicamenta, quibus uti possumus ad eam euacuandam, uerum timet ne lædant, qm̄ sunt & acria & prorsus calida. ob hoc ad asinæ lac descendit, qđ & uim habet bilem educendi, ueruntamen nullam habet acrimoniã, uel nihil est qđ minus habeat acrimoniæ illo, imo superat oĩa alia lactis genera humiditate. cæteris eniꝫ generibus serosius est, & ideo minus coagulaẗ. imo ex eo nunq̃ fit caseus. unde hoc tm̄ lactis genus uẽtrem soluit, & qcqd in eo est educit. Scito uero asinæ lac à ꝓprietate non educere, sed uentrem lubricans educere, & intestina. unde & si non adesset bilis, stercora educeret, & illa omnia quæ continentur in uijs. udeẗ uero & bilem educere, ob quãdam lubricitatem, quam partibus præbet, & qa bili in uentriculo misceẗ, & illam secum ducit, potissimum qm̄ copiose exhibetur, ut superius dictum est in sententiæ Hippocratis expositione. Adde & Paulum Aeginetam exhibere serum in mẽsura trium aut quatuor heminaꝝ, libro. j. cap. 43. quæ sunt triginta aut quadraginta unciæ.

Secundo, Galenus notat, cur Hippocrates lac præcoquẽdum iusserit, inquiens ob flatus præcoqui. nam omne humidum flatuosum est. cum hoc lac omnium sit humidissimum, qa & serosissimum, ꝓpterea est flatuosissimum. ob hoc coquendum iubet. Aliud preterea est in causa, qm̄ ex coctura caseus coadunatur, & butyꝝ supernatat, ut id qđ bibitur sit ueluo seꝝ. & à Dioscoride dicitur, minore inflandi ui est, quod semel decoctum fuerit lac.

Tertio, Galenus monet, te posse uti sero et nõ lacte, qm̄ et mos erat antiquus sero uti, & asinino. simulq; duos refert modos qbus poteſt serum à caseo separari. unus est modus, si lac præcoquens per oxymeli serum à lacte separes. alter est modus, si uas æneum acceperis frigida aqua plenum, qđ in lac continenter demittatur. nam si hæc demissio probe fiat, serum à caseo, egregie separat, tñ caseus in asinino lacte est paucissimus.

At dices, cur serum à lacte nõ separat communi coagulo? Respondemus, quia acre est. omnia uero acria & calida in hac febre sunt euitanda.

Cum igitur in febre ardente serum præbere oportebit, caseum à sero uno prædictoꝝ modoꝝ separare debemus, quos separandi modos edocere optimum erit. Si in primis illud annotabimus, Galenum in. 3. de alimẽ. facul. scriptum reliquisse, ueteres creberrime, ad aluum exonerãdam sero usos fuisse. idemq; in. 10. de simpl. medi. fac. asserit. Dioscorides ex his duobus Galeni modis serum à caseo separandi, unum facere uidetur. nam dicit, Secernit autem omne lac, & fit qđ Græci schiston .i. scissile nominant, in nouo fictili feruens. cuius rei causa sup cæso à sua arbore ficulneo ramo miscetur. cũq; bis ter ue inferbuerit, quot erunt lactis heminæ, totidem aceti mulsi cyathi supinfunduntur. sic enim discedit à lacte serum. oportet tñ ne dum coquitur, feruore redundet lac, spongia ex frigida aqua continue fictilis labra perfricare, argenteumq; sextarium frigida aqua plenum in lac demittere. Datur bibẽdum hoc serum heminis per interualla temporis usq; ad quinas. uerum à potu eius spatiari bibentes per interualla illa temporis oportet. Vt uideas & in separatione seri à caseo uti oxymelite, & argenteo uel æneo uase aqua frigida pleno. at hic modus ob multa non placet. primo, qa integrum serum non habeẗ, sed pro quibuscunq; decem lactis uncijs unciam unam, & drachmas goqj, & scrupulum unum oxymelitis apponit.

Adde ficulnen uti ramulo, qui in se caliditatem habet, ut necesse sit, genus hoc seri caliditatem quandam contrahere. utitur uero ramusculo illo ficulneo, qa uim quandam habet coagulandi, ut Columella lib. 7. testatur cap. 8. imo ait & coagulare, & iocundissimum reddere gustu caseum. hic igitur Dioscoridis modus non placet. Paulus Aegineta de lacte fissili tractãs libro. j. cap. 88. breuius conficit, & separat lac. inqt enim, si lac iuxta fumum frequentem, ad extremum decoquatur, serosum eius à caseo discernitur, mox deinde à fecibus exactum, per linteum colatur. cõfunditur uero seroso, uel mellis, uel aceti mulsi, uel salis modicum, & alui subducendæ gratia exhibetur. addit quidem usq; ad duoꝝ sextarioꝝ mensuram. minoribus uero natu, non minus sextarij pondere. Facilior est hic Pauli, qui extrahit serum linteo. At iuxta Galenum, per oxymeli tm̄ separatur. uerum misceri debet qm̄ ebullit.

De oxymelitis uero quantitate, & si Dioscorides locutus sit, nos tñ putamus minorem copiam esse exhibendam, ut in singula lactis libra oxymelitis semiuncia sit satis, qm̄ lac ebullit. nempe sola ebullitio separationem aliquam facit.

Alter modus est, si uas æneum, uel argenteum, ut Dioscorides dicebat, aqua frigida plenum in lac ponatur. non dicit uero an hoc fieri debeat qm̄ lac ebullit, uel etiam si non ebulliat. sed intelligere oportet qm̄ ebullit, nec debet semel imponi, sed bis & ter, quoad uideatur separatio. non poteſt serum qualitatem aliquam acqrere ab hoc uase aqua frigida pleno, quę febri obesse possit, tamen & ex oxymelite et uasis impositione, fit eiusmodi separatio.

Columella præcitato loco lac etiam coagulat, & serum separat ex agrestis cardui flore, & seminibus gneci, & lacte ficulneo. Constantinus Cæsar lib. 18. de agricultura inquit, lac ad ignem si tepefiat, & fici ramulo moueatur, coagulatur. in hoc casu dici posset aliqd recipi caliditatis à ficulneo ramo, tñ cum illo tm̄ moueatur lac, & in frustula non incidatur. Putaremus minimam caliditatem accipere, & tute posse in ardentibus febribus exhiberi, nisi maioris cautelæ gratia, id uelimus potius exhibere quod ex se frigida secretum est.

Vt autem huius cõmentationis expositionem finiamus, considera ex hac parte colligi humores existentes in uentriculo, & in uijs esse educẽdos nulla expectata coctione. tñ hoc fieri debet ex talibus medicamentis, quæ non sint calida, neq; acuitatem habeant, sed tm̄ leniant, qualia inter interpretandam sententiam enarrata sunt. unde aliquod illoꝝ exhibendum est, qđ à uenia non educat.

Antiqui, ut Galenus, & deinceps Paulus, sero utebantur, clysterijs, uel uomitu, cum erat in uentriculo materia ad exitum per uomitum parata.

## Hippocrates. Sectio VIII.

### Salsum autem nihil, neq; acre exhibẽdum. non enim descendet.

Cum Hippocrates, uel quisquis sit qui hunc libꝝ collegerit author, pro educenda bile, quæ in uentriculo erat, iusserit fieri uomitum, & sublutionem, cum uero illa etiam conferebant, iusserit etiam præbendum lac asininum. Si uero asininum lac non conferat, petes an ad fortiora transeundũ sit, ut ad acria, & salsa. Suadet hic author, hæc esse relinquenda. iccirco dicit, nihil salsum esse exhibendum, ut bilis illa educatur, & nihil acre, qm̄ ob hæc non descendet, licet in sanis forte descenderet, & quæ sunt in uentriculo, atq; uijs secum educeret. BRASAVOLVS

ἁλμυρὸν δὲ μηδὲν μήτε δριμὺ προσφέρειν. i. salsum uero nihil, neq; acre exhibẽdum. cuius ratione bilis illa educatur, quãuis & in cibis intelligi possit, & uerꝰ sit, in febre ardente salsos cibos, utpote exiccantes & acres, utpote calidos & exiccantes non esse exhibendos.

οὐ γὰρ ὑποχωρεῖ. i. neq; enim descendet. qm̄ hæc exiccant & inflãmant magis in febre ardente, q̃ prius inflãmatum sit. ob hoc non mirꝰ si illa non descendant, quæ tñ alioqui non erant consueta descendere, qm̄ homo sanus erat, nam salsa & acria uentrem subducunt & stimulant in sanis. in febre ardente capite magis exiccãt. & ita ipsamet cum alijs, uijs ac partibus inhærent, per quas descendere deberent.

Forte dices, hinc accipi in ratione uictus, febris acutæ, non esse adhibendum salem. unde neq; in ptisana, neq; in contrito pane erit apponendus sal. Respondemus, hic Hippocratem intelligere de re in qua super salsedo, non de granulo salis posito in minutali ad ꝓdimentũ, mõ salsedinem nõ ꝓtrahat, sed tm̄ egro

sapiat, neq; uideatur cibus insulsus qui nauseam inducat.

GALENVS. Salsus succus qualisnam sit, ex sale apparet. De acris autẽ tum substantia, tum facultate, dictũ est in .4. simpl. medicamẽt. Piper siquidẽ, sinapi, pyrethrũ & quæcũq; uiribus calida sunt, acria quoq; gustantibus apparent. Quo sit, ut tam acria tum salsa, tanq; causum augentia uitare iubeat. Hæc autẽ acribus magis siccant, quanq; illis non similiter, sed minus calefaciant.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat quid intelligendũ sit p salsa & acria, de salso succo inquiẽs nõ esse dicendũ qd sit, qm ex sale re cõi manifestissime deprehenditur, & quo oẽs passim utuntur. de acris rei præterea substantia & facultate non est opus quicq; dicere, cũ in .4. lib. de simp. medic. facul. uberrim dictũ sit sæpe dictũ ẽ hæc eẽ acria, piper, pyrethrũ, sinapi, & quæq; hñt facultates calidas. imo adde et hęc met gustãtibus acria apparere. Secundo Galenus notat ob ea quæ dicta sunt authorem hunc iubere, & acria, & salsa uitanda ueluti ea quæ ardentẽ febrem augeant. at scire oportet, hæc. s. salsa magis siccare, q̃ acria, q̃uis non similiter calefaciant, nam salsa acribus minus calefaciunt, sed multum exiccant, acria uero non adeo quidẽ exiccant, sed multum calefaciunt.

At dices absurdum uideri, salsa esse magis sicca acribus, nam acria præter siccitatẽ habent caliditatẽ, quæ siccitatẽ adaugeat eiusmodi uero caliditas non est tam intensa in salsa re, igitur acria erunt magis sicca. Rñdemus iuxta Galeni dogma salsa esse acribus sicciora, nam .4. de simpl. medica. facul. lib. ca. 19. ubi differentiã ponit inter saporem acrem & amarum, probat amarum saporẽ esse calidum & siccum, acrem uero (si non sit simul amarus) esse calidiorem salso, & multam habere humiditatem. postea idem author cap. 20. probat. salsum saporem esse amaro propinquũ, & esse terrenum, & calidum et siccum, tamen amarus est magis siccus. unde & hic merito dixit Galenus, salsum magis siccare q̃ acre, & præterea non similiter calefacere salsa, sed minus calefacere acribus, ut unum altero magis exiccet, alterum magis calefaciat. tamen si probe contemplemur, & acre ualde exiccat.

## Hippocrates. Sectio IX.

**Sorbitionem vero, nisi dies iudicatorij transierint, non dabis.**

BRASAVOLVS. Superius iussit præbendam esse mulsam aquam bibendã, ardentẽ febrem patienti, ad satietatẽ, & aliud nihil penitus esse dandum, idq; fieri debet si uires constent. at si sorbitionẽ præbere uolueris, illam præbere non oportet nisi dies iudicatorij pertransierint. hic fuit Hippocratis mos. tamen nostro tpe nullum diem uolũt pertrãsire ægri absq; cibo, iccirco ad superius enarratos cibos recurre, quorum apud recentes usus est.

ῥόφημα δ' ἢν ἐξ ἴῃ τῶν κρίσιμων γένηται, μὴ δίδου. i. sorbitionẽ uero, nisi dies iudicatorij transierint, ne dato, cito uero accedunt in ardẽtibus febribus iudicatorij dies. in quarto etenim fiunt uel in septimo, si usq; ad hos dies uires cõstent. esto aqua mulsa contentus, si uires non constent, sorbitionẽ dato, uel ptisanam, uel alia ex his quæ superius sunt dicta. unde morbi ratione nihil penitus præbendum esset. uirium autẽ imbecillitas, ut aliquid præbeatur indicat, quia uis semper (ut .9. Methodi dictum est) de sui conseruatione indicat.

GALENVS. Sermonem ita ut robustam esse uirtutem subaudiendũ sit, intellige. Nempe hoc pacto Hippocrates doctrinam facit, magna ex parte quæ singulis in scopis præcipiuntur scribẽs. Quo pacto cum semel dixit, comparare inter se quæ demonstrata sunt considerans ipsorum uiribus oportet. Quod sorbitio ante iudicationem danda non sit in prima huius libri, quæ legitima est parte, est demonstratum.

BRASAVOLVS Primo Galenus notat hãc Hippocratis sententiã esse uerã, si uires cõstare supponamus. & si petas cum Hippocrates hoc non explicauerit, Galenus notat Hippocratẽ magna ex parte talem doctrinã facere q̃ illa scribit quę in singulis scopis præcipiuntur, nam aliqua prætermittit quæ uult uniuersaliter esse intelligẽda. quo modo, qñ semel dixit, cõparare inter se oportere, quæ demonstrata sunt, uiribus ipsorũ consideratis, tunc notat uires esse cõsiderandas, & ex cõsequenti in oĩbus alijs scopis, uis semper est cõsiderãda, à qua de cibo indicatio sumitur, à morbo uero de abstinẽtia indicatio habetur, quia pugnante cum uiribus morbo non sunt uires re alia onerandæ.

Secundo Galenus notat demonstratũ esse in primo huius uolum. ius libro non esse dandã sorbitionẽ ante iudicationẽ, & ista illa pars est legitima Hippocratis, id uero est sectione .44. sed ibi dicit post septimam uel nonam si ualidus fuerit.

## Hippocrates Sectio X.

**Et si e naribus fluxerit sanguis, soluitur ægritudo, atq; si sudores superuenerint, iudicatorij legitimi cum vrinis albis crassisq; & leuibus subsidentijs.**

BRASAVOLVS His expeditis quæ ad ardentis febris symptomata dicenda uidebantur, & quæ ad ipsius genus uictus, nunc de modis quo sanetur pertractat author, inquiens ægritudinẽ solui si sanguis è naribus fluxerit, quia hic sanguis est biliosus, & is qui febrem faciebat, soluitur etiam si sudores superuenerĩt, & tam ampli ut per illam uiam exeant materiæ febrem facientes. uerum cum & in illis febribus nonnunq; fiant sudores diaphoretici, & qui praue potius indicant, q̃ recte, propterea hi sudores debẽt esse iudicatorij et legitimi. tu uero iudicare poteris an sint iudicatorij & legitimi ex urinis quæ subsidẽtiã habebũt albã, crassam, & lenem. cum enim eiusmodi urinæ apparent, oĩa signa quæ fiunt sunt bona, quia notant materiã esse coctã, & si exeat, esse à natura regulatam per quãcunq; exeat partem, uel per nares, uel per sudorem, uel per alias partes.

καὶ ἢν αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῇ, λύεται τὸ πάθος. i. & si sanguis ex naribus fluxerit, soluitur morbus, hic est unus modus, quo hęc ardens febris sanatur, si sanguis è naribus profluxerit. Galenus in .1. cõmen. lib. primi libri epidemiorũ sectio. 9. inquit proprium esse ardentiũ habere profluuium sanguinis narium, & in .2. cõmen. sectio. 17. & sectio. 63. inquit esse peculiare ardentium habere profluuium sanguinis è naribus, quod sectio. 35. repetit, notans esse familiarissimũ ardentium, & sectio. 55. causam reddit, quia calor capitis sursum trahit sanguinẽ, eandem causam reddit sectio. 66. uolens potissimum fieri, qñ bilis fuerit sanguini mista. redditurq; causa & à Galeno cur fiant sanguinis eruptiones in ardentibus. 3. prorrhetici sectio. 72. nõ est uero credendũ exeuntẽ sanguinẽ semper sanare, nam tunc solum sanitati restituit, cum per iudicationis uiam defluit, & tota simul exit materia, quæ morbũ facit. at si pars solum exit, morbus saltem minuitur, & natura supra reliquum potentior efficitur, tamen & fit hoc profluuiũ absq; die iudicatorio, propterea illa particula iudicatorij, determinare non debet profluuiũ sanguinis narium, sed debet determinare illam particulã sudorem. ut hinc accipi possit, sicuti natura ante coctionem, quandoq; per fluxum sanguinis narium hoiem liberat, ita nos uenæ sectionem ante coctionẽ exercere debemus, & ægros liberabimus, mediate saltem, si non immediate. de sanguinis profluuio Hippocrates uerba facit in primo Epidemiorũ. & Galenus in primo cõmentario primi libri sectio. 9. superius adducta, docet Hippocratẽ per sanguinis profluuiũ illud intelligere quod fit per nares, neq; inquit mirum est si disrumpantur huius regionis uenæ à sanguine, qui sursum incitatus calore effertur, à quo non põt nõ inflari ac tum reserari uenæ ac rumpi ob spũs copiam qui dirumpit, uel utres ac dolia, cum in musto efferuescente accumulatur. & in eodẽ libro Galenus inquit sane proprium est si quid aliud sinceris febribus ardẽtibus per sanguinis eruptionẽ iudicari. ex quo dici põt pñtaneũ eẽ presidiũ sanguinis emissionẽ in his febribus, de qua deinceps differemus.

καὶ ἢν ἱδρῶτες ἐπιγένωνται κρίσιμοι. i. & si sudores

supuenerint

superuenerint iudicatorij legitimi uel proprij. hic est secundus modus quo haec febris iudicatur, & soluitur, per sudores. s. totius corporis uniuersales, quia ex maioribus uenis ad minores, & ad capillares usq; materia transmittitur, quæ attenuata per uiam sudoris emanat. idq; facile fieri pōt, q̄m ut superius dictū est, materia quæ hanc febrem facit, fit ἰχὼρ tenuis, qui facilime usq; ad cutim penetrat, & illam per uiam roris penetrat. & forte addidit iudicatorij, q̄m adsunt et sudores non iudicatorij, q̄uis Galenus censeat ex his quæ sequuntur. s. ex urinis subintelligendū esse sudores illos esse iudicatorios, & ideo hanc particula secundū ipsum est superflue posita. addidit q; particulā illā γνήσιοι. i. legitimi, non esse positam secundū nois rationem, q̄m sudores non dicuntur legitimi, sed sunt morbi qui dicuntur legitimi, ut causon legitimus, tertiana legitima & propria. sudores uero legitimos nunq̄ inuenietur ab aliquo alio authore uel dictum, uel scriptum, & forte nunq̄ excogitatum.

μετ' οὔρων λευκῶν καὶ παχέων καὶ λείων ὑφισταμένων. i. cū urinis albis & crassis, & lenibus subsidentiā habētibus, hoc ad sudores referri debet. soluitur inquam morbus iudicatorijs sudoribus superuenientibus, modo simul sint cum urinis albis crassisq; & lenibus subsidentijs. si Galenum legeris lib. 3. de iudicationibus, proculdubio deprehendes quomodo febris ardēs per crisim finiat, tamen in primo de arte curandi ad Glauconē edocuit ardentes febres solere per excretionem iudicari.

At dices urinas albas ab Actuario reprehēdi, quas hic Hippocrates dicit esse bonas. Rñdemus illam particulā albū non debere referri ad urinę substantiā, sed ad subsidentiā quæ in urina est. Hippocratemq; in secundo prognosticoꝝ considerato sectione. 36. ubi de optima tractat urina, quā non dicit habere oportere subsidentiā crassam, q̄m id uinosum est, sed loco huius particulæ crassum habet æquale, ubi inquit, urina optima est, si candidū sedimentū fuerit, leueq; & æquale, per oē tēpus, dum morbus iudicetur. securitatē enim ac morbum fore breuem significat, imo in proposito superueniente sudore iā finitur, quia erit iudicatorie. uel intellige urinā albam ut superius uno in loco exposuimus lib. 3. ibi enim flauam & pallidam interpretati sumus, itaq; referetur ad urinam, et non ad sedimētum. intelligeq; crassam respectu tenuiorum, & non simpliciter.

De uenæ sectione in causone, & de uenæ sectionis conditionibus.

Cum uero ansa educēdi sanguinē in causone ex hoc sumatur, quia spontaneum sanguinis profluuium causonē sanat, propterea non erit ab re contēplari, an in hac ardente febre uenæ sectio conueniat. plures ex recentibus de hac re uerba faciētes inquiunt in ardente febre nō esse uenā secandā, q̄m inquiunt, materiā, quæ facit hanc febrem esse bilem tenuem puram: si uenam secueris, bilis illa non educetur, sed sanguis qui est bilis frenum. imo & Auicenna lib. 4. Fen prima tract. 2. cap. 41. de causonis curatione loquens inquit, & non phlebotometur. fortassis enim īflāmabit eos, et fortasse iuuabit eos, si fuerit ibi turbiditas & rubedo. unde oberit secundū Auicēnā, si ex pura fit bile, q̄a eius frenū educetur. at si sit sanguini mixta, non oberit, sed proderit. ex hoc uero bilem esse sanguini mixtam deprehēditur, quia urinæ sunt turbulentæ & rubræ. adde febres illas ardētes mitiores esse, cum quibus sanguis est bili mistus. unde simpliciter apud Auicennā & recentiores, q̄ñ ex pura bile fit causus, sanguis mitti nō debet. itaq; in hoc Hippocratis causone sanguis mitti non debet.

Veruntamen si optimos sequamur uiros, in ardēte febre sanguinem mittere oportet, nam & si Paulus, si Aetius, si Trallianus, nullam fecerint de uenæ sectione in hac febre mentionē, ex Galeno tñ fieri debere colligitur, quod facile suaderi poterit, si apud Galenum contēplemur ob quas causas sanguinis missio fiat, & ob quas impediatur. primo adest Hippocratis sententia in hoc libro sectio. 19. ubi inquit in acutis morbis sanguinē detrahes, si uehemēs morbus uideatur, florueritq; ęgrotanti ætas, & uiriū adfuerit robur. in illius partis cōmentatione Galenus Hippocratē laudat, inquiens sermonē illum esse Hippocrate dignum, & censet tantum esse hos tres scopos, mittēdi sanguinē. s. morbi magnitudinē, ætatem conuenientē, & uiriū robur. adde Galenum in. 4. Metho. lib. uno ante calcem folio Thessalos reprehendere, & de Hippocrate admirari, qui nihil omiserit in omni morbo de his quæ faciunt ad indicationē. & de sanguinis missionis indicationibus loquens, has tres refert indicationes, à morbi magnitudine, à uiriū robore, & ab ętate, tamen solos excipit pueros. de senibus hoc loco nihil dicit. sunt ergo tres sanguinis mittēdi indicationes apud Galenū, quas & in libello de curatione per sanguinis missionem refert.

Forte dices, nonne est & conditio illa sectanda, quam oēs recētiores secuti sunt. s. morbi diuturnitas: Nempe non secarē uenam recentes decimaquarta die peracta. Rñdemus hanc non esse indicationē, quia Galenus semper uenam secabit, & quocunq; morbi tpe, si adfuerit intēsus morbus, uis cōstet, & ætas floruerit: forte in processu morbus nō est amplius uehemens, aut uires erunt effectæ imbecillæ, idcirco non est mittēdus sanguis: sed hoc non erit ob tpis diuturnitatē, sed potius ob prædictos scopos, uel quia uires imbecillæ sunt redditæ, uel q̄a morbus est redditus mitior. at si tria illa adsint, in quocunq; fuerimus morbi tpe, uenam secare perpetuo licebit. imo & Galenus in. 4. Metho. ubi de ulceribus pertractat, in omni morbo, à tpe nullam indicationē accipiēdā esse censet. Ambiges uero de regione, & de anni tpe, à quibus uideatur de sanguinis missione indicationē sumi debere. imo Galenus ipse in libello de sectis ad introducēdos huius rei auctor est, ubi proprie de uenæ sectione loquēs inquit, in regione quæ frigore algeat, qualis Scythia est, aut calore exusta sit, qualis est, quā Aethiopes incolunt, anniq; tēpus uehementer uel frigidum sit, uel incalescat: nemo est qui uenam descindere audeat: adde sectio. 19. prītis libri, posteaq̄ tres prædictos posuit scopos, addidit uerū ut nihil desit, adijciam & eum qui ab ambiente nos aere desumitur, scopum, cum fuerit abunde calidus & siccus ita ut cito ab eo corpus euaporetur. nēpe tunc à sanguinis missione abstinemus, etiam si morbus magnus fuerit, florēsq; ætate homo. adde in. 1. de arte curandi ad Glauconē, ubi de febrium continuarū curatione loquitur, quæ accidentibus carent, censet accidentis loco habendū esse, aeris qui nos ambit temperaturā, q̄ñ exquisite calida ac sicca fuerit, qualis est tpe medio inter canis ortum & arcturi. atq; ideo (inquit) oēs, quibus medici nihil omnino de tēporum statu cogitantes sanguinē abstulerūt, interierunt, si etiam ualde frigida fuerit, tunc quidē sanguinē mittere est formidandū. addit q; nōnullis mox infert, ob hæc igitur neq; in locis supra modū calidis aut frigidis sanguinē mittere audemus. Igitur & magni scopi sunt ad sanguinē mittendū & regio, & tēpus. tamen Galenus in libello de curandi ratione per sanguinis missionē, illis tribus scopis tantū fidere uidetur. Rñdemus & tēpus & regionē proculdubio aliquid facere ad uenæ sectionē, & esse à medico considerāda. imo & addi posset is aeris status qui de die in diem fit, q̄m nō solum possumus esse in regione calida & tpe calido, sed poterit esse die illo aeris cōstitutio ualde calida. tamen unum à Galeno notatur in loco præcitato ad Glauconē, si hæc simul conueniant, regio calida et sicca, & tēpus, sanguinē non esse mittendū. at si regio sola sit calida non autē tēpus, uel è contrario, mittēdus est sanguis, sed minus q̄ si nullum illoꝝ haberet qualitatē quæ sectioni uenæ non repugnarent. at de nobis loquētes, qui potius sumus in regione frigida q̄ calida, sed tamen non extreme frigida, nihil erit quod impediat nos à uenæ sectione in æstate, in aliqua saltem quantitate, si in magna copia educere noluerimus, propterea hæ indicationes non uidētur esse exquisitæ ut illæ tres sunt superius enumeratæ. Galenus uero in calce noni libri Methodi medendi causam refert cur non sit uena secanda in intenso calore, quia nimis difflātur spiritus & exeunt per cutaneos meatus, & per hanc uiam fit notabilis euacuatio.

Addi potest & ægri habitus, quem ipse met Galenus addidit in. 19. sectione, sed & hoc cōprehendere pōt ætatū differētias,

ut eo loco monet Galenus, quod mentionem fecit habitus, qui & aetatis differentias in se comprehendere potest.

Ad id ex libello de sectis ad introducendos, est quoniam & regio & tempus anni conueniunt. exemplumque ponit, quo uult omnes indicationes complecti pro secanda uena: à morbo, à uiribus laborantis, ab aetate, ab aegri natura, à loci natura, à uitae studijs, ab assuetudinibus. uerum haec omnia, & si aliquid faciant ad exquisitam cognitionem an uena secari debeat, an non debeat, tamen à nullo exquisitius accipitur, quam à tribus superius enarratis, quae & in sexcentis alijs refert locis, & sola enumerat, ut in. 3. commentario in 3. epidimiorum Sectione. 3. ubi dicit, in magnis morbis Hippocratem sanguinem mittere, aetate considerata, & aegri uiribus. tamen in ultima Sectione eiusdem libri ait, uires, anni tempus, & aetatem consideranda. & in. 2. de arte curandi ad Glauconem in calce sermonis de cancro inquit, in elephantte (qui est magnus morbus) sanguis mittendus, si aetas & uirtus permiserint.

Forte dices, uideri unum praetermissum, quod est ualde necessarium, & à quo exquisita sumitur indicatio, & de quo in libello de sectis ad introducendos agit. Id uero est plenitudo, quae ex corpore cognoscitur tumidiori, & suffuso pleniori rubore, & uenas habeat magis intumentes. ex sanguinis igitur abundantia uidetur indicatio sumi posse de sanguine mittendo. propterea recentes hanc regulam habent: cum sanguis dominatur, uel alij humores dominantur modo sanguis non sit diminutus, sectione uenae uti debemus: at si sanguis diminutus sit, cum aliorum humorum copia, quam cacochymiam uocant, tunc sanguinem mittere non debemus, sed potius uti medicamento. Respondemus, non esse prorsus sumendam indicationem de mittendo sanguine à plethora, & sanguinis abundantia secundum Galenum, nam in. 4. Methodi post dimidias libri partes inquit, non statim esse necessarium mittere sanguinem, etiam si homo in sanguinis redundantis concursu sit positus: imo (inquit) alijs satisfacit inedia, alijs cibi parcitas, alijs soluta aluus, uel purgatio, uel frequentius balneum, alijs sola exercitatio, uel multa frictio abunde fuit. ut hinc colligere possis, sanguinis abundantiam non esse indicium necessarium de uena secanda, cum multis alijs modis prouideri possit. & deinceps Sectione. 19. huius libri quem interpretamur, idem confirmat inquiens, neque etiam plethorica facta syndrome sanguinem semper mittimus, sed & frictione, & balneis multis, & abstinentia, quae tribus aut quatuor diebus fiat, ad id quod naturale est reuocamus, ut inferre liceat non esse certam indicationem de uena secanda ex sanguinis plenitudine & abundantia.

Ad rem igitur redeuntes, in causone florente aetate, & robore uirium, uenae sectio fieri debet, quia morbus est uehemens, unde sumpta indicatione à morbi magnitudine, uenae sectio fieri debet.

Neque obstat quod Auicenna dicit, & à recentibus confirmatur, tunc bilem effrenitare, quia tanta copia non educitur, quin adhuc alia supersit. Id forte uerum est, sumpta indicatione, ab humore peccante, sanguinem non esse mittendum, sed indicatione à morbi uehementia sumpta, esse mittendum. At uehementia morbi in hoc casu multum attendenda est, propterea in ardente febre mittendus est sanguis: imo aeque in materia frigida non esset mittendus sanguis. tamen Galenus in materia frigida peccante sanguinem mittit. nam in. 13. Methodi uenam secat in lethargia, & apoplexia, cum illa materia fiat pituitosa & frigida. In hoc etiam casu fatebimur, sumpta indicatione ab humore peccante, sanguinem non esse mittendum, sed ob morbi magnitudinem esse mittendum. Cum enim morbus est magnus, ut in. 4. Methodi habetur, indigemus uel medicamento, uel uenae sectione: & si unum sanitati non restituerit, alio indigemus.

Forte ambiges, cur in lethargia & apoplexia sanguis mittatur quamuis sint magni morbi, cum non euacuetur materia peccans? Respondemus, hos morbos esse magnos, & lethargiam esse abscessum, qui facit aliquem dolorem, saltem offendit partem, ad quam fluunt aliae materiae, quae sunt in corpore: propterea ut firmentur, & prohibeantur, ne in locum illum congregentur, fit uenae sectio. pari modo in biliosa materia etiam pura, quae in ardente febre in iecore & uentriculo mineram habet, uel in partibus cordi propinquis, ne aliae materiae ad illarum partium feruorem transmittantur, fit uenae sectio. ut inferendum sit fieri oportere uenae sectionem in ardenti febre ob morbi magnitudinem. & quod Auicenna dicit forte iuuabit, & forte oberit. uerum est, si sic intelligatur: oberit, si uires sint imbecillae: iuuabit, si sint robustae.

Sed dices, hanc sententiam apud Auicennam simpliciter intelligendam esse. s. non esse secandam uenam abundante bile, quia in. 4. fen primi libri, ubi agit de uenae sectione, ait cauendum esse à uenae sectione in abundantia bilis, ne humores biliosi accendantur, & deducantur ad ebullitionem, & materia euadat furiosa. sed haec apud Galenum sunt uana: nam cum uires sunt robustae, nullam adhibet mentem ad bilem, uel ad pituitam, si morbus sit uehemens, & aetas conueniens. Ad rem igitur redeuntes, in ardente febre sanguis mittendus est, à morbi magnitudine indicatione sumpta, si uires sint robustae, & aetas florens.

Forte dices, non uideri hanc regulam apud Galenum simpliciter ueram, quod indicatione sumpta à magnitudine morbi uenae sectio fieri debeat. nam Galenus in. 4. Methodi, ubi loquitur de erysipelate, & illud phlegmoni prius comparauerat, postea addit, non esse repercutiendam materiam. deinceps addit, tanquam igitur in illa (. s. phlegmone) post totius corporis uacuationem reprimentibus auxilijs usi sumus, ita nunc quoque faciamus, sed pro sanguinis missione medicamento quod bilem trahat purgantes. Vides igitur in hoc casu, qui est magnus morbus, Galenum docuisse loco missionis sanguinis esse dandum medicamentum: quam missionem exercuit in phlegmone. à morbi igitur magnitudine non semper indicatur de uenae sectione. Respondemus, erysipelas, de quo in illo loco tractat Galenus, esse extrinsecum, propterea non esse magnum morbum. & quod de extrinseco loquatur apparet, quia inquit purum erysipelas esse refrigerandum quoad fiat coloris mutatio. & statim cum hoc quiescat. at non purum, sed iam quodammodo phlegmones, si refrigeres plusculum, liuidam cutim praefert. En quomodo de extrinseco loquatur, & etiam de particulari unius partis loquitur erysipelate. unde in summa non debet inter magnos morbos numerari. at si simul corpus multo abundaret sanguine, in hoc etiam erysipelate & sanguinem mitteres, & medicamentum praeberes, sed interposito tempore.

Nunc uero tres has conditiones consideremus, quomodo intelligi debeant. primo, opus est uires esse robustas, quoniam si imbecillae sint, sanguinem auferre, est id auferre, in quo uis naturalis fundamenta iecit, in quo uires euadent imbecilliores. cum uero imbecillae sunt uires, non est mittendus sanguis. non est autem opus per uires imbecillas, uires intelligere defatigatas, sed quae defecerunt. deficiunt autem cum spiritus resoluti sunt, & sanguis, quae materia sunt, & naturalis caloris fundamentum. hic uero calor, est uis corporis & natura.

At dices, Hippocratem in hoc libro Sectione. 23. ubi de illo tractat qui repente obmutuerit: in eo casu Galenus dicit uirtutem premi & grauari. tamen Hippocrates iubet (& si uires sint pressae & grauatae) uenae sectionem fieri, & inquit, internam brachij uenam secandam. igitur uena secanda, ubi uires fuerint imbecillae, quia Hippocrates in illa obmutescentia secat, in qua uires sunt imbecillae. Respondemus, Hippocratem in illo casu intelligere obmutescentiam illam fieri ob materiae copiam opplentem. in quo casu uires sunt aggrauatae, & non extinctae. uerum cum possint uires & spiritus ex copia materiae extingui, si spiritus sunt extincti, uenae sectio fieri non debet, etiam si quis per aggrauationem suffocetur. sed si tamen ob materiae copiam uis aggrauetur, & non dissoluatur, uenam secare licet. Ut duplicem esse uirium imbecillitatem fateri oporteat: unam ex materiae copia per aggrauationem: aliam per resolutionem, cum spiritus resoluuntur. In prima imbecillitate sanguis mitti potest, quia uires eo misso releuantur, & supra materiae reliquum

fortiores

fortiores reddunt. at in imbecillitate per resolutionem, sanguinem mittere non licet, quia adhuc fiunt imbecilliores.

Forte petes quonam modo cognosci possit an uis defecta sit per aggrauationē, uel per resolutionē. Respondemus ex Galeno facile sciri posse, in secundo de causis pulsuum, ex ipso pulsu, nam qui per aggrauationem est imbecillus, hoc est qui ex copia materiæ uitalem uim habet oppressam, pulsus ita habet uarios, ut aliquos habeat fortes, & aliquos imbecillos, aliquos eleuatos, & aliquos depressos. cuius rei exemplum in hoīe robusto tribuitur, qui graue pondus per aliquod spatium exportet, quod citius pertrāsire nō poterit, q̄ imbecillus homo absq; pondere pertranseat. uerum hic homo robustus, nōnunq̄ motus facit uehementiores, nonnunq̄ imbecilliores· ita uis uitalis onerata, nonnunq̄ pulsus uehementiā efficit, nōnunq̄ deficit in uehemētia. at cū uis est ꝑ resolutionē aggrauata, pulsationes sunt ībecilles & ęquales. hęc de indicatione quæ à uiribus fit.

Nunc de indicatione agamus quę ab ætate prodit, pro qua indicanda, scito duplicem esse ætatē in qua sanguis mitti non debet, senium, & pueritia. in multis locis nullam facit de senibus mentionē Galenus, nam in. 4. Methodi, ubi de hac re agit, inquit esse magnitudinē morbi & uirium robur, exceptis tamen à sermone pueris, nihilq; penitus seniorum meminit, q̄m in oī senili ætate, si uires sint robustæ, semper debet mitti sanguis, q̄uis in libello de sectis ad introducendos, de ualde senibus dicat non esse mittendū sanguinē, tamen & in. 19. sectione huius libri, & in libello de curandi ratione per sanguinis missionem, senes etiam à sanguinis missione arceat. & in hoc libello notat Galenus tria esse quæ de sanguinis indicant missione· magnitudo morbi, uirium robur, & florida ętas, ut pueros excipiat ac senes. at de senioribus notat, eorū ætatem in uirium uerbo comprehēdi posse. nulli enim qui ea ætate est, robur inest. ut innuat senioribus semper sanguinē detrahi posse, si uires constiterint. at quia omnibus senioribus uires desunt, propterea non mittendus· & ideo seniores sub uiribus contineri possunt. At de his petes ad quantam ætatem senes nuncupari debent. Rñdemus non esse considerandā ætatem, sed uirium robur. Nos etenim in pleuritide non semel, neq; bis, sed pluries senioribus sexaginta, septuaginta, & octuaginta annorū uenam secari iussimus, et conualuere, quia uires habebant robustas. Forte Galenus non putasset hos esse senes, quia uires habebant robustas. unde in libello de sectis ad introducendos, non uult secandam esse uenam senis in senium longe prouecti. quo in loco notanda est particula in senium longe prouecti.

An uero in pueritia sit mittendus sanguis nunq̄ dubitat Galenus, sed pro cōperto habet puero nūq̄ esse sanguinē mittendū, & si rationē petieris, à Galeno refertur in libello de curandi ratione per sanguinis missionem, q̄m, inquit, carnem habent facile transpirabilē. Forte petes quam ætatem per pueritiā Galenus intelligat. Rñdemus intelligere usq; ad. 14. annū, ante hāc ætatem mitti non debet, quia molles sunt, & trāspirabiles. unde & in hoc. 4. lib. sectione. 25. docens, cur pueris non sint secandæ uenæ, non reddit rationē, quia sint pueri, sed rationem reddit ex habitus mollitie. quippe dicit, nam pueris propter habitus mollitiem succi perspirabili cute facile digeruntur, senibus uero non facile propter siccitatē, & frigiditatē. unde infert satis esse hos tres scopos magnitudo morbi, habitus, & uirtus. nempe ætas ut ætas uenæ sectionē non prohibet, sed habitus mollis, qualis est in pueritia, ante. 14. annum. si qui igitur sint pueri, qui durioris sint habitus, & non facile perspirabiles, his citius mittendus est sanguis. dices uero si in puero nouem aut decem annorū adsit magnitudo morbi cum uiriū robore, quid agendum est? Profecto nos sanguinē mitteremus uisa plenitudine, & plerūq; hoc fecimus, egregieq; successit, tamen si puer esset trium, aut quatuor annorū, non mitteremus, q̄q̄ Abenzoar in puero trium annorū educere ausus sit, quod & nos per cucurbitulas fecimus. de pueris uero quid dicat audias in. 11. Methodi, ait, at si in puerum incidat, qui. 14. annum hactenus non attingit, mitti illi sanguis nō debebit, propterea quod tantillis cum præsertim calidi ac humidi sint, plurimum corporis substantiæ quotidie defluat ac digeratur. ita quod ex incidēda uena moliendum nobis fuerit, id ultro nobis ex curati corporis natura præstatur. quod si. 14. annum excesserit, æstimandum est, qualisnam eius corporis natura sit, num gracilis et spissa, & dura, & copiosi sanguinis, an contra, atq; ita in prioribus missionem sanguinis adhibebis, in secunda nequaq̄. Et si petas an possit in infantia educi sanguis per cucurbitulas: fatemur educi posse, quia diuertendi gratia ut plurimum fit, nos in puellulis prorsus infantibus cucurbitulas exercuimus, & feliciter successit. Scito tamen ante. 14. annum non excederemus in sanguinis missione trium, aut quatuor unciarū quantitatē. at Galenus in libro de curandi ratione per sanguinis missionem prima uice qua educit, ad summū educit, ad cotylā usq;. nos hoc tpe non educimus nisi tres uel quatuor uncias. cotyla uero decē uncias cōplectitur. unde suspicatus sum Galenum in pueris ante. 14. annum prohibere uenæ sectionē pleniorem. at non prohibuisset trium uel quatuor unciarū eductionē, ubi adesset uehemens morbus, qui uenæ sectionē expeteret, simul cum uiriū robore, ob hoc in præcitato libro, duo solum esse potissimū ostendit à quibus indicatio sumitur de uenæ sectione, uirium. s. robur, & morbi magnitudo. ætas uero cōsideratur non tanq̄ pręcipuū. quo igitur ad ętates nisi cogaris ante. 14. annum uenam ne secato. in puellulis ante. 12. ne secato, quo anno pubertatē ingredi solēt. at si ægritudo sit sæua cum uiriū robore, educ à puero octo, nouem, decē, undecim, duodecim, tredecim, & quatuordecim annorū, sed in pauca quantitate, in minori etiam, q̄ educat Galenus post. 14. annum. nam cum educit prima uice non ascendit usq; ad cotylā. mollities igitur & durities, & facile & difficulter resolui quæ ad corporis habitum pertinent, illa sunt, quæ proprie de uenæ sectione indicant, & non ætas. uerū quia in puerili ætate cōtingit & facile resolui & esse molle, ꝓpterea in hac ętate uenę sectio fieri non debet. Nota uero in illis citius fieri posse qui difficulter resoluuntur & molles non sunt in illis tardius qui facile resoluuntur & molles sunt.

Nūc de morbi magnitudine iuxta Galeni dogma differamus, qui censet in libello de curādi ratione per sanguinis missionē, non esse necesse morbum esse uehementē in actu, si uenarum sectio fieri debeat, sed satis est incipere uel imminere, nam & dicit in sanis ipsis mittendū sanguinē, ubi magni alicuius morbi metus imminet, imo & si ad magnū morbum sit habilis, debet uena secari. Galenus uero particulariter morbos enumerans in quibus sanguis mittendus est, podagricos refert, arthritim patientes, morbo comitiali obnoxios, melancholicos, sanguinem expuentes, uertiginosos, anginam incidere consuetos, peripneumonicē, pleuritidē, hepaticos morbos, ophthalmias uehementes, &, ut in summa dicam, magnos morbos. in paruis autem morbis non est mittēdus sanguis, & ideo superius Hippocrates in pleuritide fomenta fecerat, si morbus remittebat erat paruus, propterea uenę sectionē fieri nolebat· si uero crescebat dolor, uena erat secanda, id autē uoluisse Galenū non tantum in præcitato habetur loco, sed & in. 19. huius libri sectione, & in. 4. Methodi medendi. sed potest etiā ex Galeno colligi in. 5. Aphorismo sexti libri, ubi Hippocrates inquit. dolores qui sunt in lateribus, & pectoribus, atq; aliis partibus, si ualde differant perdiscendū, Galenus in cōmētatione dicit, si ergo in lateribus magnus fuerit dolor, hic esse non pōt quin mēbrana, quæ subcingens uocatur, patiatur, non est sine periculo, & maiore indiget curatione, nam opus est uenā secare. at si dolor fuerit mediocris, neq; est periculosus, neq; magno indiget auxilio. ex quo colligi pōt non indigere uenæ sectione, idcirco uenæ sectio nō fit nisi in magnis morbis. in magnis enim morbis, & in magnis doloribus duo sunt generosa præsidia, medicamentū purgās, & uenæ sectio, ut in. 1. Aphor. edocemur Aphorismo. 23. at uenæ sectio longe præstantius est præsidium, q̄m sistimus q̄n nobis lubet, ut loco præcitato ostēdit Galenus, & in libello de curandi ratione per sanguinis missionē. at dices si paruus nunc sit morbus, et timeā ne magnus fiat, debeóne sanguinē mittere?

Respondemus, mitti debere ſm Galenum, ſed in hoc caſu reſpectus habetur ad magnum morbum futurum, & nõ ad paruum præſentem.

At petes, ſi mulier ſit, cui menſes immineant, & uehementi febre deprehenſa ſit, cum uirium robore, & florenti ætate, debet'ne mitti ſanguis? Reſpondemus, ſi copioſos menſes habere deberet, non eſſet ſanguis mittendus. uerũ quia raro in febre mulieres habent plenos mẽſes, ꝓpterea mittendus eſt, tñ non eſt ſecanda brachij uena, ne natura impediretur, quę deorſum mittit materias menſtruas. ſed uenæ ſectio fieri debet in talo in ſaphena, paucaq; ſanguinis quantitas educenda, ut natura ſolum quodãmodo incitetur ad ſolitas materias per ſuam cõſuetam uiam & conuenientem tranſmittendas.

Petes præterea, ſi cui ſit per uiam iudicatoriis ſanguis è naribus cito fluxurus, morbusq; ſit magnus, florida ætas & uires conſtent, eſt'ne uena ſecanda? Reſpondemus, non eſſe ſecandam, ne opus naturæ impediatur. unde hæc ſit tibi regula uniuerſalis, ſanguinem ſemp eſſe ſubtrahẽdum, prædictis ſtantibus conditionibus modo natura euacuationem aliam nõ moliatur. unde dicimus, & ſi ſanguis non eſſet fluxurus, ſed ſudor, uel alui excrementa, non debet ſecari uena. & ideo in alui ꝓfluuio cũ febre Galenus in .j. de arte curatiua ad Glauconem, ſecandam uenam prohibet.

Sed dices, quomodo ſciuero ſanguinem fluxurũ, uel alias euacuationes ſecuturas? Reſpondemus, de iudicatorio ſanguinis ꝓfluuio Galenum in calce .j. lib. de arte curatiua ad Glauconem loq, cum ait illos medicos eſſe ignaros, qui hoc non prӕuiderint. de alijs & hoc ſimul in lib. de iudicationibus tractat, tu hos libros legito, & præcognoſcendi modum inuenies.

Sed dices, licet'ne qñq; in alui ꝓfluuio uenam ſecare? Reſpondemus, licere potiſſimum qñ ex redundantia ſanguinis à iecore ad inteſtina fit ſanguinis ꝓfluuium. imo hoc eſſe debet initium curationis huius profluuij. Nota uero in magnis morbis qñq; mitti ſanguinem ob diuerſionem, ut in lethargia, & apoplexia, in .13. Methodi. in aliquibus gratia euacuandi, in alijs gratia utrunq; faciendi.

Sed pro exquiſita huius rei notione illud prætereundum non eſt, quærere in quo conſiſtat morbi magnitudo, cum in omni magno morbo, ratione qua magnus, ſit mittendus ſanguis. Sed pro hac re enucleanda audias quæ à Galeno dicuntur in 4. Methodi cum ita exorditur.

Cum enim trifariam non hæc modo uilia, uerũetiam reliqua omnia grauia, magnaq; reddantur, nempe uel propter affictę partis præſtantiam, uel ꝓpter affectus magnitudinem, uel ꝓpterea q; ſunt cacoethe. unde tripliciter morbus eſt magnus penes eſſentiam morbi, penes ſymptomata, & penes partis nobilitatem. Simpliciter magnus dicitur morbus, qui de uita periculum facit, ꝓpterea ſi aliquod principale membrum læſum eſt, morbus eſt magnus, ut in libello de capitis uulneribus habetur. eſt magnus morbus, quoties uentriculi ſunt pforati. qñq; eſt in membro, ad qđ ſequuntur uaria ſymptomata, & tunc etiam dicitur magnus. dicuntur & uulnera magna quo ad quantitatem, quia longa, lata, & profunda. & Galenus iudicat ulcera ſerpentia eſſe magna, & minari de morbi longitudine. igitur magno exiſtente morbo, & uiribus conſtantibus, ac habitu conuenienti, uena ſecanda eſt. Adde, niſi indicationes de medicamento ſint fortiores, quia magni morbi, uel medicamento, uel uenæ ſectione ſanantur. & in cacochymia potius euacuamus, quam uenam ſecemus.

His igitur expeditis, de quantitate ſanguinis trahendi conſiderare oportet, & per quas regulas incidere debeamus. Ad hãc quantitatem inueniendam ſcito morbi magnitudinem eſſe cõſiderandam, & ſymptomata, & potiſſimum dolorum uehementiam. nam quanto ſunt ſæuiora ſymptomata, & dolores uehementiores, & morbus maior, tanto plus ſanguinis eſt auferendum. ſi uero hæc mitiora ſint, tãto minus ſanguinis eſt mittendum. unde Galenus Aphoriſmo. 23. primi libri cenſet menſuram euacuationis ſanguinis in magnis uulneribus eſſe uſq; ad animi defectionem.

Forte dices, quomodo ſanguis uſq; ad animi defectum mitti poteſt, cum in hoc defectu uires fiant imbecillæ. cum uero imbecilles ſunt, ſanguis duci non poteſt? Reſpondemus, ab ægritudine ſimul liberari per hanc ſanguinis miſſionem, tñ effici imbecilliorem, ſed prius quam educeret, erat fortis. nam & ſi maximus fuiſſet dolor, ſi uires non fuiſſent ſatis, non ſolum non educeretur uſq; ad ſyncopin, ſed neq; educeretur.

Petes, quomodo cognoſcatur eſſe factam uenæ ſectionem uſq; ad animi defectum. Reſpondemus, hoc deprehendi, quia ille iam incipit animo deficere, & palleſcit, ac plumbei euadit coloris, & robuſtum corpus ex hac ſanguinis copia deinceps facile releuabitur. qđ non faciet imbecillum, ſi in tanta copia auferatur, non releuabitur. indicatione igitur ex morbi uehementia & ſymptomatum ſumpta, quantitas ſanguinis debet trahi magna in uehementibus, parua in non uehementibus. tñ alia conſideranda ſunt, & huic applicanda pro ſanguinis detrahendi quantitate, ſi plenitudo ſit maior, plus ſanguinis educendum, ſi minor, minus ſanguinis. & hominum diſpoſitio cõſideranda quia nonnulli facile imbecilliãtur ex ſanguinis miſſione, alij difficulter. qui facile imbecillitantur, his minus ſanguinis detrahendum. qui difficulter, plus detrahendum. Tpe æſtiuo minus ſanguinis auferendũ, & minus in regione calida, & in cœli cõſtitutione calida. Ex conſuetudine præterea ſumẽda indicatio. aſſueto plus, inaſſueto minus auferendum. Si hõ facile reſoluat, parũ ſanguinis mittam, ſi difficulter, plus mittã. temperaturæ biliosæ & pituitoſæ minus emittam. & plenis cruditatibus, tñ non penitus abſtinebo, ut Galenus docet in libello de curandi ratione per ſanguinis miſſionem.

Aliud præterea conſiderãdum eſt circa ſanguinis miſſionem, de tempore. ſ. quo mitti debeat. Auicẽna etenim, quem omnes recentes ſecuti ſunt, cenſet horam electam eſſe horam matutinam. quam ſentẽtiam & multi ante Galenum ſecuti ſunt. ſed ipſe in libello de curandi ratione, per ſanguinis miſſionem inquit. Quamobrem nec per noctem ſanguinem mittere uerearis. ſiquidem ridiculum eſt qđ quidam factitant à ſecũda diei hora, ad quintam, aut ſextam ſolũmodo ſanguinem mittẽtes, haud alio quouis tempore. propterea de hora loquentes, qua ſanguis educi debeat, ſimpliciter reſpondendum eſt, in ſanis ꝓfecto eligendam eſſe potius horam matutinam, ante prandium, quam aliam. ſed in ægris illa accipienda eſt, quæ eſt magis cõmoda ſm ęgritudinis exigentiam. nam ſi alicui acceſſio matutina hora apprehendere debeat, uenę ſectio fiat hora ueſpertina. & ſi uſq; ad noctis dimidium ꝓrogaretur, in eadem noctis parte fieri deberet. tempus igitur non eſt id qđ uenæ ſectionem in ægris determinare debeat, ſed ſunt ægritudinis tempora.

Verũtamen, quia & in Hippocratis ſententia dictum eſt, ægritudinem ſolui, ſi ſudores iudicatorij ſupuenerint: ſcito cum ab humoribus fiat tenuibus acribus, facile per ſudorem exire poſſunt. & ideo unus modus liberandi ægrum ab hac febre eſt, ſudorem prouocare.

Petes uero, quot modis poſſit ſudor ꝓuocari. Scito & intrinſece & extrinſece prouocari poſſe. extrinſece, aut pãnis & ſtragulis, aut ſuffumigijs, aut inunctionibus. intrinſece, per potiones. De extrinſeca ꝓuocatione primo loquamur. Galenus in 11. Methodi oleo utitur, qđ uim habet inſenſibiles meatus rarefaciendi, quale eſt apud ipſum oleum chamomelinum. hoc enim modice calido uel tepido partes inungũtur, deinde ęgro tecto ſudor prouocatur. Ad hoc uehementius eſt oleum anethinum. per extrinſeca etiam calidis pannis ægrum tegimus.

Forte petes, an conueniens ſit tantum tegere ut ui ſudet. Reſpondemus, hoc non conuenire, quia nimis inflãmatur æger, & plerũq; ex nimio tegumento in ſyncopen decidit, animoq; deficit. unde non laudamus ut multis pãnis ægri tegantur, ſed tñ aliquid plus adhiberi debet, quam ſit æger conſuetus habere. at multum non ſit, ne æger eo praue afficiatur, ꝓpterea tegi leuiter pãnis ſudorem non ꝓuocat, niſi ſi alterius per os ſumpti,

uel

uel alicuius inunctionis ex oleo rarefaciente.

At dices, omnia olea meatus obstruere, igitur aperire non poterunt. Respondemus, olea inquantum olea id quidem efficere, sed inquantum qualitate calida prædita potius aperiunt.

At petes de cõmuni usu quorundam medicorum, qui ex pane statim è furno erepto sudorem prouocant, aliqui ex lateribus ignitis circumpositis, alij ex stupha (ut dicunt) sicca & humida. sicca, cum nihil aliud adsit q̃ fumus uel ligni simplicis, uel cyparissi, uel alterius pulueris. Respondemus, nullum ex his fieri debere in febre ardente, qm̃ nimis calefaciunt. in alijs uero febribus, ut in pituitosis & atrabilarijs, idem iudicium facio, quale fieri debet de balneis in his febribus, in quibus crudi adsunt humores: nam in illis fieri non debent balnea. uerũ si cocti iam fuerint humores, fieri debent. ita cum adhuc pseuerant cruditates, æger nullo modo cogi debet ut sudet. at cruditatibus percoctis si in cute adhuc fuerit obstructio, quæ materias per uiam sudoris exire non sinat, hæc fieri possunt. neq; sunt damnanda, sed eo modo fieri debent, ne æger accendatur.

Petes uero, quid dicendum sit de calido furno, in quem nõnulli ægros imponunt ut sudent. Respõdemus, profecto mira uideri in rusticis ex impositione in furnum cum quis febre quartana aut quotidiana correptus est, mire sanatur. Verũtamen hoc præsidium potius improbo, neque uti bonum recipio, qm̃ ardorem incidere possent. Famulum superioribus annis habebam rustici cuiusdam filium, qui erat quartana febre correptus, & uehementissimos habebat rigores: mater eius putans furnos urbanos in quibus quotidie coquuntur panes, non esse plus calidos rusticanis, in quibus semel in hebdomada tm̃ coquitur panis, illum imposuit ante os furni urbani, ille ob rigores non sentiebat calorem. deniq; abeuntibus rigoribus, mater illum à furno remouit: edepol abijt quartana febris, sed tota dorsi spina à ceruice ad caudam erat exusta, tota excissa, & rimæ hinc inde dehiscebãt. à quartana, pfecto liberatus fuit sed per sexaginta dies iacuit ante q̃ esset exquisite ab exustione liber. hæc de extrinsecis.

Verũ scire oportet, & hæc quæ ita uehementer prouocant, & à summis medicis fuisse iussa, potissimum cum omnibus alijs adhibitis, sudorem prouocare non potuere. Ad hæc etiam balnea referuntur, quia & ipsa extrinsece applicantur. De his uero in. 3. libri calce scriptum est. Nunc de intrinsecis sudorem prouocantibus agamus.

Scito omnia quæ & urinam mediocriter prouocant, & secessum, sudorem quoq; prouocare. unde Galenus in. 11. Methodi, ubi de synocho agens, dicit, A' corporibus quæ sic afficiuntur expellenda quæ putruerunt per urinas & aluum & sudorem sunt. postea illa enumerans quæ supradictas euacuationes præstant, inquit esse cremorem ptisanæ, aquam mulsam, oxymeli, apomeli, & apij radicem in aqua quæ potui datur, incoctam. Vnum uero notandum est quod à Galeno eodem loco dicitur, hoc. s. non esse faciendum, nisi prius q̃ sit corpus euacuatum. hæc enim sunt Galeni uerba, sanè totum corpus prius q̃ id uacuaueris, rarefacere non expedit. at illa rarefaciunt omnia quæ prædicta sunt, & sudorem prouocant. iccirco post euacuationem sunt adhibenda, si Galenum ita intelligamus ut uerba innuunt. sed Galenum non ita intelligimus. nã ab ardentis febris initio statim syrupos damus aperientes & infrigidantes, qui uim habent sudorem prouocandi & incidendi, siquid sit qđ incisione indigeat, idq; fit ante euacuationem. propterea de his Galenum intelligimus quæ extrinsece rarefaciunt, qualia sunt illa quæ uim tepidam habent, cuiusmodi est qđ ex chamæmalo conficitur medicamẽtum. tamen & dicto modo intelligi posset, nõ esse uehemẽtem rarefactionem exercendam, nisi post euacuationem. unde & in initijs, & ante euacuationem imbecillioribus sudorem ꝓuocantibus uti possumus, & quæ non uehementer calefaciant, quia medicus ante euacuationem talia dare debet quæ naturam non impediant. nam si sudorem prouocares, & natura materiam disponeret per urinam, tu naturam impedires. Nos præter ea quæ à Galeno dicta sunt, aquam ex zucharo habemus, aquam ex petroselini decoctione, apij, & multorũ similium. sed & Galenus præcitato. 11. Methodi loco sudorem prouocat, & euacuationes omnes uino aquoso. & profecto quãdo homo sudare non potest, & est sudandi tempus, si quis ponat album uinum in hordei aquam, sudor mire proritatur. & nisi uexet febris ardẽs laudamus eiusmodi uinum esse flauum, & potens in paucissima quãtitate, ut semuncia uini in quinq; aquæ hordei uncias. ex huiusmodi aquæ hordei potu sudor uehementissime prouocatur. Si uero quispiam certus esset ardentem febrem per sudorem terminaturam esse, sic ab initio illa dare posset, quæ sudorem prouocare sunt apta, & satis etiam uehementer.

At dices, Aetium lib. 3. cap. 166. de sudorem prouocantibus locutum esse, & multa posuisse longe his quæ dicta sunt fortiora & uehementiora. Respondemus, Aetium eo loco simpliciter illa omnia referre quæ sudorem prouocare possunt, tamen non dicit q his uti possimus, uel non possimus, uel ante uel post coctionem, neque in febre ardente, neque in alia qualibet.

Verũ cum de sudore locuti simus, & illa quæ sudorem ꝓuocant, urinam etiam prouocare possint. de urinæ prouocatione loqui ab hac re non erit, qm̃ & hæc in ardente febre est cõueniens, sicuti & illa in ardente febre Galenus utitur. ueruntamen Aetius libro. 3. cap. 159. omnia in unum enumerat quæ urinam prouocare possunt. At tu semꝑ illis uti non debes, q̃ q̃ aliqua sint, quibus & in morbi initio uti possimus, alia quibus deinceps eius conueniat usus. nam antiquus mos fuit, in initijs ante iudicationem, non esse in usu prouocantia urinam. & hoc in. 11. Galenus innuere uidetur, quia nescimus an natura per urinã, uel per intestina materiam emittere debeat. quippe si per secessum emittere deberet, nosq; illam ad urinæ uias disponeremus, naturæ opus impediri oporteret. iccirco in initijs pro urinæ prouocatione facillima exhibẽtur, quæ simul infrigidandi uim habent, & ad urinæ uias permeandi, tamen & simul habent educendi uim per secessum & per sudorem, ut illa quæ superius enumerata sunt ex. 11. Methodi de sudorem prouocantibus. cum ergo hæc uim ducendi habeant per quãcunq; partem, natura eo utitur ueluti instrumento ad educendum per illam partem, per quam ipsa materias morbum facientes deducere disponit. Illa uero quæ à Galeno ponuntur, sunt cremor ptisanæ, aqua mulsa, oxymeli, apomeli, & aqua in qua decocta sit apii radix.

Vna uero ambiguitas est in febre ardente, an in ea debeant dari urinam prouocantia, quia eiusmodi omnia sunt calida. at in febre ardente calida euitare debemus. calida uero esse urinam prouocantia manifeste apparet, si illa cõsideres quę ab Aetio lib. 3. cap. 159. dicuntur. & Galenus. 5. de simplicium medicamentorũ facultatibus cap. 12. inquit, prouocantia urinam esse acria, & cõsequenter calida & sicca, & sanguinem serosum segregant, atq; crassum cogunt. urinam ergo ꝓuocantia calida sunt. Et si illa omnia consideres quæ à Galeno referuntur, omnia sunt calida. Respondemus, uarios esse modos urinam ꝓuocandi, & ideo aliquis ex his modis febri ardẽti conueniet, aliqs non conueniet, aliquis conueniet in principio, alius nõ nisi in inclinatione, & iudicatione pfecta, atq; euacuatione. Aliquæ sunt medicinæ urinam ꝓuocantes, quia materias ad renes expellunt, & renes calefaciunt, ut in problematum libro Aristoteles de pipere dixit, q in pauca quãtitate urinam prouocat, in magna etiam secessum: & hæc non possunt esse nisi calida. & si urinam prouocãt, id sua faciunt caliditate. Aliqua sunt quæ urinam ꝓuocant sua proprietate, sicuti cantharides, quæ & sanguinem & omnia quæ sunt in meatibus ad urinæ uias trahunt, illasq; partes exulcerare solent. tantaq; est cantharidum uis, ut de quodam legatur, qui cum in crumena cantharides haberet, sanguinem minxit. Galenus in. 3. de simpli. medic. facul. cap. 12. iudicat esse letales canthar: des, ubi docet in alexipharmacis nonnunq; letalia misceri, ita in medicamen

tis urinam cientibus miscentur cantharides, quoniam ueluti manus medicamentum ad urinæ uias ducunt, tamen debet ſ ſe modiciſſima quantitas, &, ut Galenus inquit, centeſima drachmæ pars. eſt igitur quædam proprietas hæc educendi per urinas, & partes urinarias ulcerandi, ſed in modica quantitate prius minguntur, quàm obeſſe poſſint. Mirum eſt ſiquis mulieri annoquæ, cui ſuppreſſi ſint menſes ſuadere uoluerit, poſſe impleri, & menſes redire poſſe, illi præbens medicamentum ex cantharidibus, ſanguinem prouocat, ut menſes habere uideatur, ſed is ſanguis exit per ueſicam, & non per uterum. Aliqua ſunt quæ urinam prouocant, de quibus in. 5. de ſimpl. medica. facul. cap. 12. Galenus agit, taliaque agunt in ſanguinem, ſicuti coagulum in lac agit, & ſeroſam partem à caſeo ſegregat. illa quæ cantharides recipiunt in ardente febre, nullo modo præbenda. quæ uero agunt ut coagulum in lac, ſicuti petroſelinum, fœniculum, & huius generis reliqua, præberi non debent, niſi in declinatione, & poſt criſim. nam hæc ſunt acria ſm Galenum, & calida ac ſicca. Sunt deinceps alia quæ urinam prouocant, eo quod abſterſiua ſunt, & ex conſequenti partes aliquas habent, ratione quarum urinam prouocant. nam ut in. 2. de al mẽ. facul. à Galeno de peponibus dicitur. & in genere talia ſunt omnia quæ ſunt dulcia, & aqueam habent ſubſtantiam, nam eiuſmodi leniter etiam abſtergunt. & his etiam uti poſſumus in ardentis febris initio. ſcitoteque hæc urinam prouocare, non ſolum ob abſterſionem, ſed & quia ipſa urinam multiplicãt. eodem modo quo & uinum album aquoſum urinam prouocare à Galeno dicitur, cum tñ ratione humani caloris ſit frigidum, ſed tamẽ aliquam habet caloris ſcintillam, his uti poſſumus, etiam in initijs quæ modice prouocant, & quæ non ſunt calida, uel ſunt parum calida, & non excedũt humanum calorem, uel parum excedant.

Petes uero, cur in hac febrium initijs urinam prouocantibus ſua caliditate & ſiccitate uti nõ licet, qualia ſunt petroſelinum, fœniculum, quæ aquoſitatem à ſanguine ſeparant, ut coagulum ſerum à lacte ſeparat. Reſpondemus, non licere his uti, quia humores agitant & corpus, ut faciunt medicamenta, nam uis coquere intendit, & hoc medicus procurare debet. coctio uero fit per quietem. unde his quæ cum motu urinam prouocant in initijs uti non debemus, ſed materia cocta debent adhiberi. ut hæc fit reſolutio, in initijs urinam leniter prouocantibus uti debemus, & non calidis, niſi pro portione modica, & hoc non ſolum in ardente febre, ſed & in alijs multis.

Sed una oritur ambiguitas, an recentes decenter faciant, ut urinam prouocent, præbentes ſemina cõmunia frigida, quæ in iure præbent, & urinam prouocare uidentur. Scito eſſe duplex genus ſeminum communium frigidorum. nam aliqua uocantur ſemina cõmunia frigida minora, aliqua maiora. maiora ſunt ſemen cucumeris, cucurbitæ, peponis, citruli. ſemina communia minora frigida ſunt, ſemen endiuæ, lactucæ, portulacæ, ſcariolæ. ſemina minora dari poſſunt in iure, uel in hordei aqua in febris ardentis initio, nam & frigida ſunt, & coctione non indigent, ſed in puluerem rediguntur.

At dices, quomodo urinam prouocant ſi frigida ſunt? Reſpondemus aliquid habere abſtergentis naturæ, & caliditatis ratione qua hæc agunt. Semina uero maiora licet à nõnullis dicantur eſſe difficilioris coctionis, tñ non prohibemus illa dari in cibis in febre ardente. ſed uidentur apud Galenum nimis abſterſiua, iccirco uidentur potius danda eſſe in potu. nam. 2. de alimẽ. facul. libro, ubi Galenus docuit peponem abſtergere, quia ſi ſordidam cutem defricueris ſolares maculas ἐφήλεις dictas, & leuces faciem occupantes, atque ſummã uliginem extergere poſſunt. poſtea de ſemine loquitur inquiens, ſed ſemen quod in eorum ueluti carne continetur, ad hoc efficacius, adeo ut renibus etiam calculo laborãtibus infeſtans ſit accommodatum. Vides igitur quantam habeat abſterſionem, ut dicere cogamur neceſſarium eſſe, facere motum in urinæ prouocatione quam faciet. tñ res hæc de his ſeminibus non magnifacienda, cum ſemper alijs miſta præbeantur, uel in cibo ſumantur, uel ex aliqua aqua aut iure bibantur. nempe id boni habent, quòd refrigerant, humectant, & ſomnum conciliant.

Forte dices, igitur nihil erit urinam prouocans qd' frigidum ſit, ſi hæc quæ abſtergunt, prouocant? Reſpondemus, id ſimpliciter uerũ eſſe, nullum frigidum urinam prouocare, ſed hæc quæ frigida ſunt natura, ratione alicuius caliditatis miſtæ abſtergunt, & urinam prouocant.

In acutis febribus qd' ex ſanguine feruet, ad caput fertur. GALENVS. Cum igitur reſciſſis ruptisque uenis natura idipſum unà cum aceruatis uaporibus effuderit, cæteris promptius dominatur & imperat. Pari modo & cũ per ſudores eas quæ tenues ſunt humiditates expulerit, morbum ſanat, ſi utrique morbo iam cocto ſuperuenerint. Nam de re huiuſmodi iam ſæpius in alijs explanatorijs cõmentarijs eſt dictum, atque in his qui de iudicationibus ſunt confecti. Vt igitur in prima libri huius parte, quam omnes legitimam fatentur, cum qui à morbi coctione eſt ſcopum ad uictus rationem cõmodiſſimam accepi, ſic & nunc ad prædictionem. Subocuit quidem coctionis nomen, ſed conſtantiſſimam ipſius notam ſcripſit. Optima igitur urina eſt, quæ albam & leuem habet ſubſidentiam, ut in prognoſtico eſt demonſtratum. Neque tamen ad ſpem ſalutis ſem per apparere expoſtulabis, cum ſi enæorema naturali tum colore tum ſubſtantia commodum uideris, ſatis tibi erit. Et iam his ita habentibus, in interpretatione exuberabit dictio. Nam ob dictas urinas conſtat & ſudores iudicatorios eſſe, quapropter & fruſtra adiectum. Legitimi præterea non proprie in ipſis dicuntur. Nam pro morborum genere talem inferre conſuetudinem appellationem, cum alij medicorum probatiſſimi, tum Hippocrates ipſe.

Primo, Galenus notat hoc in acutis febribus contingere, ut id omne in caput feratur, quod ex ſanguine feruet. unde cum natura ruptis capitis uenis, quæ ad nares feruntur, & reſciſſis, idipſum unà cum uaporibus ibi coadunatis effuderit, cæteris promptius dominatur & imperat, & homo ſanitati reſtituitur, eodem modo cum natura tenues humiditates per ſudores expulerit, morbus ſanatur. ſed intelligere oportet ſudores iſtos ſuperueniſſe morbo iam cocto. nam de tali re ſæpius in alijs expoſitionibus commentarij dictum eſt, & præterea in his commentarijs, qui à nobis (inquit Galenus) ſunt confecti de iudicationibus. BRASAVOLVS

Quod legitur, quæ tenues ſunt humiditates, græce eſt, τοὺς ζέοντας ἰχῶρας. i. quæ feruefcentes & tenues ſunt humiditates. nam & quæ per ſudorem exeunt, ſunt ichores ferueſcẽtes, ſicuti & illa quæ exeunt per profluuium ſanguinis narium.

Secundo, Galenus notat, ſicuti in prima huius libri parte, de qua nemo dubitat an Hippocratis ſit. ſed omnes concedunt eſſe legitimam. i. Hippocratis propriam. cõmodiſſimum accepit ad uictus rationem ſcopum à morbi coctione. ita & in preſentiarum ſcopum accepit ad prædictionem à morbi coctione. Et ſi quis dicat ab Hippocrate de morbi coctione mentionem non fieri? Galenus dicit, ſubticuiſſe quidem coctionis nomen, tamen conſtantiſſimam ſcripſiſſe coctionis notam, quæ ab urinis accipitur.

Quomodo eſt conſtantiſſima coctionis nota urina alba, & leuis, cum ab Auicenna dicatur urinam bonam, pulſum bonum, & ægrum mori? Reſpondemus, hoc eſſe impoſſibile, præterquã in febribus peſtilentibus, in quarum initijs hæc contingunt, urinas habent bonas, & ægri moriuntur, quia natura non audet materiam illam peſtilentem aggredi, & per urinæ uias expellere, iccirco pulchra exit urina, idque eſt in initio, ſed in proceſſu & ipſæ urinæ morbi prauitatem, et malignitatem oſtendunt, niſi mors præueniat, ante quàm hoc prædici poſſit ex urinis. uerum in morbis alijs urinæ modo cruditatem, modo coctionem oſtẽdunt. cum albam & leuem habent hypoſtaſin, coctionem oſtendunt. cum uero urinæ tenues ſunt cum tenuibus hypoſtaſibus, cruditatem ſignificant.

Tertio, illa refert quæ in prognoſticis de optima urina enarrauerat. id uero erat urinam optimam eſſe, quæ albam & leuem habet

habet subsidentiam, tamen non est necessarium ad spem salutis semper eiusmodi urinas expectare. nempe satis erit si urinæ spem salutis ostendere debeant, ut enæorema habeant commodum & colore & substantia, licet non sit hypostasis.
Hoc de optimis urinis est in ultima Sectione primi prognosticorum libri, ubi ostendit urinas optimas & coctionem ostendentes habere hypostasin albam & æqualem, ubi etiam de hypostasis generatione uerba facit, simul demonstrans à quo fiat colore.
Scito nos in Aphorismorum commentarijs de hypostasi, enæoremate, & nebula ubertim locutos esse, in urinis hypostasim inesse, melior conditio est, quæ ipsis inesse possit. in secundo loco est enæorema · in tertio, nebula. hypostasis à fundo incipit, & eleuatur. enæorema, est in medio · nebula, in superficie.
Hic Galenus dixerat, subsidentiam uel hypostasin albam & leuem esse optimam. uerum ne quis putaret semper hypostasin talem esse oportere, si morbus sanari debeat· iccirco Galenus docet, etiam si non adsit hypostasis, sed sit enæorema, futuram sanitatem significari, modo & substantiam naturaliter dispositam habeat, & colorem naturaliter dispositum.
Quarto, his ita constitutis de huius libri urinis, Galenus notat hanc sententiam aliquid habere superflui. nam cum urinæ eiusmodi sint, impossibile est fieri quin sudores sint iudicatorij. ut frustra sit adiecta illa particula, iudicatorij sudores.
Adde, hunc authorem non solum fuisse superfluum, quia particulam posuit, quæ nihil usus faciebat, sed & improprie locutus est, inquiens, in urinis legitimum, quoniam hæc dictio / legitimum / consueta est dici pro morborum genere, & non pro sudore. & hunc morem seruarunt & probatissimi medici, & Hippocrates ipse. tamen si sudores consideremus, qui fiunt in diebus iudicatorijs, & qui non, illi possunt uocari legitimi · hi, non legitimi.

## Hippocrates. Sectio XI.

### Et si abscessus aliquis factus fuerit.

### BRASAVOLVS.

Febres ardentes nonnunquam abscessus sanantur, qui ad aliquam corporis partem prodit, nonnunquam pluribus in partibus fiunt hi abscessus, & non in una sola.
*ἢν ἀπόστημά τι γένηται.* id est, & si abscessus aliquis factus fuerit, soluitur scilicet ægritudo, quia materia quæ febrem faciebat, ad abscessum conuertitur.
Scito tamen in ardentibus febribus rarissime fieri abscessus. nam hi potius fiunt in morbis longis, ut in tertio prognosticorum Sectione uigesimaquinta, & in pluribus sequentibus edocemur, quæ ample à Galeno in suis commentarijs amplantur.

### GALENVS.

Rarissime per abscessum iudicatur causus, atque adhuc magis si citra partis corporis adiectionem, recensionem quis fecerit. Nempe parotidibus, id est, abscessibus, qui post aures fiunt, causos scio iudicatos, sed non legitimos. Id autem paulo post condisces per expositionem.

### BRASAVOLVS.

A' Galeno notatur, rarissime causum per abscessum iudicari, & adhuc minus per abscessum iudicatur. Siquis abscessum fieri recensuerit, tamen corporis partem circa quam fieri debeat, non addiderit. Nouit enim Galenus, causos per abscessus post aures iudicatos esse. uerum non fuere causi legitimi & proprij, cum hi fiant à materia tenui biliosa, sed fuere causi illegitimi, à materia pituitosa & salsa facti. sed hoc post expositionem condisces. Tamen & si longæ ut plurimum sint febres, quæ abscessum faciunt, in acutis fieri nihil impedit. & plerunque in pestilentibus febribus fiunt abscessus circa alas & coxas, in inguinibus & anthraces nonnunquam fiunt, materia ad aliquem locum erumpente. materia uero tenuis biliosa, per abscessum exire non potest, sed potius uel per sudorem exit, uel insensibiliter consumitur.
Nota uero in febre ardente æstuante nonnunquam fieri conuulsionem, ut Galenus notat in tertio de locis affectis. erit uero ex siccitate conuulsio.
Notaturque à Galeno in primo de arte curandi ad Glauconem, febres urentes solere per excretionem iudicari. unde non est proprium ardentium iudicium iudicari per abscessum.

## Hippocrates. Sectio XII.

### Verum si absque his soluatur, reuertetur ægritudo, uel coxa, uel crus dolebit, expuetque crassa, si sanus est futurus.

### BRASAVOLVS.

Iudicatur ab hoc authore, aut fluxu sanguinis narium, aut sudore, aut abscessu causonem solui. uerum si contingat absque his nonnunquam solui, iudica non esse exquisite solutum, sed deinceps reuersurum, uel coxa, uel crus dolebit, & crassa expuet, si sanus est futurus.
*ἢν δ᾽ ἄνευ τούτων λυθῇ, ὑποστροφὴ πάλιν ἔσται τῆς ἀῤῥωστίης.* id est, si uero absque his soluatur, reuertetur ægritudo. nam putat hic author, per prædictos solum modos posse solui.
Et si dicas, quomodo erit soluta absque illis? Respondemus, apparenter solutam esse febrem ardentem, tamen causam adhuc latitare, quæ non est à natura expulsa, neque expurgata, iccirco reuertetur.
Sed inquies, si materia adhuc aderat, cur febrem interim non faciebat? Respondemus, fuisse partim resolutam, propterea febrem inducere non potuisse, sed deinceps ex his quæ eduntur, aucta fuit. nam facile est cibos in materiam illam conuerti, quæ febrem faciebat, & iterum accendi, febremque inducere, quam prius non faciebat, quia pars materiæ erat resoluta, & tanta pars, ut reliquum non esset sufficiens febrem excitare, nisi alia adderetur materia, quæ ex conuersione eorum, quæ sumuntur fit, in eiusdem speciei materiam cum illa, quæ non est euacuata.
*ἢ ἰσχίων, ἢ σκελέων ἄλγημα συμβήσεται.* id est, uel coxæ, uel crurum dolor continget. Galenus ita intelligit quod in hac recidiua fiet crurum dolor, uel coxæ, si sit sanus futurus. Tamen hanc partem alio modo intelligere possemus, ut hæc non sequantur recidiuam, sed potius si sanitati restitui debeant, quando absque sanguinis profluuio, uel sudore, uel abscessu sani uidentur, reuertetur ægritudo · uel si non reuertetur, si sani fieri debebant, opus est uel coxæ dolorem, uel crurum patiantur. nam hi dolores notant, hanc materiam esse à natura ad has partes transmissam, & non esse in tanta copia, ut abscessum facere possit, qui oculis percipiatur. ueque has partes

extendit,& dolorem inducit,postea paulatim resoluitur,quãuis et dici posset sua acri et praua qualitate in coxa uel cruribus hos dolores facere. Si hoc modo intelligere non placuerit, refer ut Galenus facit ad recidiuam.

καὶ πτύσεται παχέα ἢν μέλλῃ ὑγιὴς ἔσεσθαι .i. & expuet crassa si sanus est futurus. Galenus notat crassa expui solum, cum febris ardens mineram in pulmone habuerit. Dicereq; possemus coxam, uel crus dolere, quando in iecore fuerit illa minera,nam coxæ,& crura iecoris emunctorium (ut hoc utar nomine ) esse uidentur,pectoris uero emunctorium alæ sunt, & capitis emũctorium sunt partes post aures.Sed & quę sunt in pectore per sputa expurgantur.

At dices, si futurum abscessum præuideamus, quid à nobis agendum erit?Respondemus abscessus quandoq; repente fieri & affatim. In quo casu nihil aliud agendum, q̃ ad coctionem perducendum,& expurgandum ac consolidandum,non nunq̃ abscessus paulatim fiunt, tuncq; naturam adiuuare debemus cataplasmatibus uim emplasticam habentibus, & attrahentibus,ut citius ad exituram ueniat, q̃ fieri possit abscessus & expurgetur,ac cicatrix deniq; (sed q̃ tardius fieri possit) inducatur.

Hæc de uero causo proprioq; ab hoc authore dicta sunt. Sed alia à nobis. in præsentiarum consideranda occurrunt, quæ ab hoc authore neq; relata sunt, neq; à longe adumbrata, sed & ab antiquis partim exercebantur, & partim à recentibus exercentur. Primo scito in libro de medicamentis facile parandis Galeno adscripto nonnulla haberi ad ardentem febrem, sed non sunt per uiam methodi. Cum uero plerumq; in hac febre multa sint symptomata,ut dorsi dolor,sitis,uigiliæ, uehemens circa hypochondria & totum corpus caliditas, os amarum,uentris morsus,cordis anxietas,quæ uidetur quędam constrictio,anhelitus frequens,capitis dolor,atq; calor. Quæ omnia symptomata ægrum multum perturbant ac uexant, propterea opus est medicum eisdem occurrere, & prouidere ne tam uehementer uexetur. Vt autem de ipsis commode loquamur,à primo exordiri non ab re erit. Si in febrem ardentem patiente adsit dorsi dolor, considerandum est quomodo fiat, fit hic dolor tum ob uapores ad illam partem accedentes,tum ob febrilem caliditatem,quæ renes supra modum calefacit,ob id recentes pro hoc renum dolore Galeni infrigidante utuntur, utuntur & linteis in aqua rosacea frigida imbutis & supra dorsum positis, utuntur & nymphæ folijs aqua etiam frigida refrigeratis. Vtuntur & alio quodam unguento (ut dicunt) magis refrigerante & magis humectante, quod constat ex oleo uiolaceo & cera & muccillagine psilij,& medulla uituli,dicũt quæ magis refrigerare & humectare q̃ faciat Galeni infrigidans uocatum.Sed pro exquisita harum rerum doctrina. Infrigidantis Galeni compositio consideranda est.recentes omnes ita illam conficiunt.

Recipe ceræ albæ unciam j. olei rosati omphacij, uncias iiij. aquæ fontis claræ & proprie uehementis frigoris quantum sufficit oleum pluries bene lauetur,nam lotiones faciunt illud excellentius. deniq; conquassetur addito pauco aceto albo claro.uocatur & unguentum album Galeni, & cerotum album Galeni. Ita illud conficiunt omnes pharmacopolæ tum Ferrariæ,tum per totam Italiam. Galenus in decimo Methodi de medicamentis loquens quæ extrinsecus applicata refrigerant & humectant,de hoc egit unguento, neq; illud uocat album cerotum, sed simpliciter medicamentum refrigerans & humectans. decipiunturq; recentes qui uolunt dici album,quia ceram albam recipiat. Constat uero apud Galenum non fuisse usum albæ ceræ,nisi naturalis,nam cum Tyrrhenam albam uocat ita naturaliter est alba.nullusq; fuit antiquus, qui modum nouerit dealbandi ceram ut nunc dealbatur.tamen Albucasis tempore iam erant noti modi exquisite dealbandi ceram.propterea de illis egit.

Modum uero conficiendi id medicamentum quod infrigidans dicitur Galenus hoc modo edocuit, neq; ipse intelligit ceram albam arte factam, sed natura ita constantem, nam dicit esse pro hoc medicamento præparandam ceram q̃ optimam & elotam. Sanè optima fuerit uel alba pontica,uel quæ ex Atticia sit fauis, ut uideas non magni fecisse differentiam ceræ in colore,tamen non negamus ceram nostram albam esse bonam quoniam & optima est & probe lota, postea rosaceum accipit, quod ex oleo confectum sit omphacino à nonnullis, ab alijs crudo dicto, quod citra salem sit confectum.censetq; multum conferre si oleum sit tenuium partium quale sabinum,cera,& oleum mista liquentur in duplici uase, & fiat humidum ceratum. Sit uero rosaceum triplum uel quadruplum ad ceram.postq̃ ipsum est refrigeratum, miscetur ei paulatim in mortario tantum aquæ,quantum in se dum cum ea emollitur accipere possit,& aqua hæc sit frigidissima. abunde refrigeratur, si cum modice coiuit, totum uas in quo continentur, in aquam frigidissimam demittas. Quòd si aceti quoq; admodum tenuis ac clari paululum adijcere uelis, unq; magis adhuc tum refrigerans,tum humectans medicamentum efficies, hoc est medicamentum & refrigerans & humectans Galeni. itaq; fieri debet,q̃uis recentes modice dissentiant. Nunc hoc medicamentum soli dorso apponunt, & in partibus circa renes. sed Galenus apponebat & cordi,& iecori, & uentriculo, & dorso, & pudendis aduersus erysipelata & phlegmones. An uero inungendæ tantum sint laterales dorsi partes, & non spina ut recentes fieri iubent,ambigendum est. Dicimus profecto,in hac ardente febre,& spinam & omnes illas partes dolentes & inflammatas eo esse delinendas. Notatq; Galenus non esse relinquendum supra dorsum hoc medicamentum dum manifeste incaleat,sed assidue subinde mutari debet.melius est linteum eo madefactum supraponere,& cum calescere incipit linteum mutare,nunc dorso tantum applicatur, sed unicuiq; parti humani corporis apponi potest quæ refrigeratione & humectatione indigeat. Scitote Galenum hoc unguentum inuenisse non solum ut infrigidet & humectet,sed etiam ut penetret,ob id ex prædictis composuit, nam inueniri non potest (ut præcitato ostendit loco) simplex unum quod simul sit tenuium partium & frigidum, & cum hoc medicamentum sit applicandum actu frigidum,nisi esset ex penetrantibus compositum non infrigidaret nec humectaret intrinsece. Ob hoc composuit illud Galenus ex rebus penetrare facientibus.Rosa inter simplicia pure frigida est cæteris tenuior, ob hoc rosaceum accepit oleum,ut penetret magis,nam & in tertio de simplicium medicamẽtorum facultatibus docet oleum rosaceum magis humectare q̃ oleum purum. Sed profecto non humectat ratione olei, quia utrunq; oleum est, neq; ratione rosæ, quia ipsa non est humida, sed hoc est ratione penetrationis quam rosa oleo tribuit,unde humectat magis partes intrinsecas,ad quas simplex oleum penetrare non potest. Additur cera ut bene inhæreat,& penetret. Additur acetum ad penetrandum,& aliquo modo infrigidandum. Additur aqua ad humectãdum,nihil enim apud Galenum magis humectat q̃ aqua. itaq; ex uarijs composuit unguentum Galenus, ut simul faceret infrigidatiuum unguentum humectatiuum & penetratiuũ. In febre ardente in qua calore infrigidare animo est, possunt cor, iecur, renes, & uentriculus hoc inungi, uel etiam totum corpus,nam calori huius febris obsistendum totis uiribus est, & recentes ablutionibus utuntur.

At dices posset ne poni in aquam frigidam?Respondemus Galenum prorsus in aquam frigidam posuisse in decimo Methodi,febrem ardentem patientes,si uis erat fortis, & materia cocta,corpusq; bene carnosum. Ad rem igitur redeuntes,ad dorsum adhibetur unguentum hoc Galeni infrigidans uocatum, quod supra alia omnia optimum est. De linteis uero in aqua rosacea madefactis,an supra dorsum poni debeãt,profecto poni non debere arbitramur,q̃a humectare intẽdimus & infrigidare. at aqua rosacea exiccat, & potissimũ ui ignis alambico eliquata.solẽt uero recẽtes uel supraponere inũctioni infrigidanti uel per se apponere absque aliqua inunctione. siquis ita lin-

teo suprapo sito infrigidare uoluerit, & humectare, suaderem potius ut aqua simplici uteref, qua nihil est æque humectans & infrigidans. tamen si indigeremus adstrictione aliqua & infrigidatione, ut in his qui habent dorsum relaxatum in febre, & aqua rosacea conuenit, & simul etiam oui albumen.

An uero nymphex fol a conueniant dorso suprapositaː latemur conuenire, quando infrigidare & humectare indigemus. debent uero aqua ablui. nam Galenus in decimo Methodi, post medicamentum infrigidans uocatum, multa alia ponit, ut oxylapathi succum, portulacæ, semperuiui, uuæ immaturæ, lentis palustris, uiridis, tribuli, polygoni, lactucæ, intybi. sed omnia hæc accipit cum tenui polenta. unde & accipi poterunt nymphex folia. imo inter illa Galeni enumerata, nonnulla exiccant, & non habent uim penetrandi tam egregie, sicuti ista. Nos tum in ardēte febre iussimus supra dorsum imponi cucumerꝫ laminas, & cucurbitarum ad infrigidandum & humectandum, & mire conferebat. sed prędictum unguentum cæteris præstat, licet aliqua forte sint magis frigida & humida, tamen non æque penetrant.

At ad illos redeuntes, qui uolūt infrigidantia loco nos uti debere unguento ex oleo uiolaceo, muccillagine, psilij, medulla uitulina, & cera, dicuntq; magis infrigidare & humectare, ꝙ Galeni infrigidans. & alij eo utuntur in uarijs corporis partibus. alij in dorso utuntur. sed hi longe decipiuntur, quoniam neque magis infrigidat, neque magis humectat, quàm Galeni Infrigidans uocatum ex oleo rosaceo. idq; facile ostendemus, per omnia simplicia discurrentes, quibus componuntur.

De cera, quæ utrāq; compositionem ingredit, nihil dicemus. De oleis uero, uiolatum esse qdem humidius rosaceo fatemur, tñ & minus penetrat rosaceo, & ideo uiolaceum magis humectat extrinsece, sed minus humectat intrinsece, qa nō penetrat. Adde requiri semper in his unguentis aliquid, quod membra roboret, quale reperitur in rosa, quæ infrigidans simul roborat. id uero non facit uiola. Habet & hæc compositio psilij muccillaginem, quæ & ipsa frigida est & humida, sed nihil habet penetrationis, imo est satis glutinosa, quo prohibetur penetratio. Recipitur & in hac compositione uituli medulla. est uero crurum medulla. quam si consideremus cum sit res pinguis, calida est, ut Dioscorides libro secundo notat, qui de omnibus medullis dicit quòd excalfaciunt, imo & exiccant, licet minus cæteris uitulina, ut Galenus undecimo de simplicium medicamentorum facultatibus ostendit. hæ uero qualitates ad rem non faciunt. sed in prædicto Galeni infrigidante adest oleum rosaceum, quod penetrat· adest acetum, quod eandem habet uim· adest oleum, quod humectat. adest aqua, quæ super omnia humectat. iccirco ad infrigidanda & humectanda omnia membra, quæ infrigidatione & humectatione indigent, nihil est egregius. hoc igitur semper utamur in dorso, si lubet, & in illa parte in qua est minera febrem ardentem faciens, uel sit iecur, uel stomachus, uel cor, uel totum corpus infrigidare & humectare uelimus. sed cum intentio nostra hic sit, ut dorsi dolorem feramus ex caliditate febrili orto, & uaporibus calidis & siccis, propterea dorso satis erit id unguentum apponere.

Quomodo in hac febre sitis sedari debeat superius dictum est, & quibus, & de potu aquæ frigidæ. Ad uigilias accedentes, si uehementes sint, eis succurrere debemus, & non sinere tantum exiccari, ut deinceps succurri non possit. at quia uigiliæ fieri possunt, & ex aliorum symptomatum incommodis, & ex uaporꝫ siccitate à materia faciente febrem eleuatorum, propterea si sint ex symptomatum incommodis, symptomata ut fieri potest amouenda sunt. itaq; uigilijs obstabitur, causa remota. at si uigiliæ ob siccitatem fiant, humectandum est, & infrigidandum. Auicenna in his uigilijs libro quarto Fen prima tractatu secundo capite quadragesimoquarto iubet dandum esse in potu syrupum de papauere, etiam si sit de nigro. prius uero dixerat conueniens esse ut bibat super aquā tamarindorum, & quandoq; additur parum camphoræ. syrupus de papauere est in usu communi. & profecto ab re factum nō esse arbitramur, nam cum ægri, qui uigilijs sunt obnoxij, ut dormiant se accommodant, illis duæ unciæ syrupi de papauere exhiberi possunt. aliqui præbent expressum seminum peponum. quod parum probo, præsertim in febre ardente, cum in ipsis aliqua adsit caliditas. aliqui lactucam præbent in acetario post cœnam. hos probo, nam & ratione qualitatis ardenti febri conuenit, alij alia exercēt pro inducendo somno. sunt & qui ad opiaca deueniāt, & qui extremitatū lotiones præiubeāt, & qui capiti aliqua adhibeant, & qui aquā ab alto stillatim cadere faciant. de quibus omnibus considerandum est, cum huius febris uigiliæ non possint esse longæ, quia nec febris ipsa diu prorogari potest. propterea nisi adfuerit dolor, aut aliud quod cogat exhibere opiata, ab ipsis abstinendum est, sed alijs potius procedendum præsidijs. An uero conueniat camphora, quam Auicenna pro uigilijs ponit in syrupo de papauere, dicimus camphoram esse ualde siccam, iccirco in hoc casu non conuenire. Ita forte excusandus est Auicenna quòd modicum posuerit camphoræ, parua uero quantitas conferre uidetur, quia odorata est, & ad caput medicamenta somnifera adducit, & præterea est roboratiua. at si magna camphoræ quantitas præberetur, nimia exiccaret, & uigilias induceret. extremarum partium uero lotio, fit ex aqua, in qua sint ebullitæ herbæ. at uarij medici uaria utuntur compositione. nam aliqui flores nymphææ, uiolarum, salicis, uitium, persicorum, rosarum, chamæmali, & similium in aqua ebullire faciunt, deinde extremas proluunt partes leniter perfricantes. hocq; faciunt ut somnum inducant.

Sed hic dubitatio contingit non contemnenda, quoniam eædem met extremorum, hoc est brachiorum & crurum lotiones, communiter fiunt, quando somnum inducere uolumus, & quando uehementem somnum prohibere conamur. fiunt ergo & in profundo somno, & in uigilijs profundis. idem igitur præsidium ad duo ualet contraria, ad inducendum. s. somnum, & ad inducendas uigilias. Respondemus, has lotiones diuersionis gratia fieri. unde si uapores calidi & sicci caput petierint, & uigilias induxerint ab his lotionibus diuertuntur. si autē uapores frigidi & humidi somnū induxerint, & ipsi ab his lotionibus diuertunt. & ita lotiones hæ unum solum faciunt. s. diuertunt, & ad se uapores retrahunt, ad quam retractionem uigiliæ sequunt, quando materiæ sunt frigidæ & humidæ quę retrahuntur & somnum faciebant. Inferunt deinceps somnum quando materiæ quæ retrahuntur uigilias inducebant, ut hæ lotiones, neque somnum faciant, neque uigilias. sed ad lotiones hi affectus secundario consequuntur. Scito autem lotiones semper esse oportere actu calidas, quia calidi est attrahere. & præterea cum frigidam materiam somnum facientem retrahere uolumus herbis calidioribus uti debemus. cum uero somnum conciliare animo est, calidis uaporibus & siccis qui impediunt remotis, non est necesse tam calidas herbas recipere, sed satis est habeāt chamæmali caliditatem. nec opus est uti solum frigidis, quia non attraherent, sed repercuterent, hæ debent esse lotiones pro inducendo somno, & pro uigilijs inducendis. nonnunquam tamen fiunt hæ extremarum partium lotiones quando post morbos relinquitur in hominibus caliditas quædam mordax, quæ hominem uexat, tunc debent esse lotiones uirtute frigidæ, hoc est ex herbis frigidis, tamen aqua sit calida quando fiunt ut penetret, ut caliditas illa & siccitas derelicta extinguantur. neque in hoc casu ab re nonnihil addere aceti ad penetrationem. Ad rem igitur, in lotionibus extremorum pro somno conciliando semper recipiendæ sunt herbæ aliquæ moderate calidæ, propterea rosæ nunquam prætermittantur & chamæmalus. Multa proculdubio & capiti adhibentur pro somno conciliando. nonnulli linteo madefacto aquam rosaceam apponunt, qui aberrāt, quoniam & si infrigidet, tamen exiccat. alij accipiunt lactucæ succum. alij cucumeria frustra æstiuo tempore. sed hęc & si qualitatibus illis ꝯueniant frigida inquam & humida, tñ sua pene-

tratione non conueniunt. nempe nihil penetrant, propterea ad conciliandum ſomnum nihil melius Galeni oxyrhodino, ex pauco aceto & pluri oleo roſaceo omphacio quippe infrigidat, humectat, & penetrat, caputq; roborat. unde omnibus præfero oxyrhodinum.

Aliqui aquas ab alto guttatim decidere faciunt, ut pluere uideatur, nam hoc ſonitu ſomnum conciliari poſſe iudicant. alij murmur aquarum inducunt. hæc uero ideo ſomnum conciliant, quia continens humectant & infrigidant: niſi dicere uelimus ſomnum conciliari ſuaui quodam cõcentu ex illo aquarum ſonitu facto, ſicuti ex muſicis cantilenis conciliari ſolet. propterea Aetius libro quinto capite ſeptuageſimoſeptimo uult riuulos molendos aquarum, quæ ex propinquo ſuauiter inſtrepant. hi uero aquarum ſtrepitus aut fiunt ut continens humectetur & infrigidetur, & ita febri è directo conueniunt, aut ob delectationem & concentum quendam naturæ affinem, & ita ſomnum inducunt, ut faciunt inſtrumenta muſica, & cantus.

De frictione pedum ac manuum in præſentiarum nihil dicemus, & de ſcalpendi modis, quoniam ad lotiones deducuntur, nam & ipſæ ſunt diuerſiones quædam. nõnullis ſomnum conciliare uidentur. nos autem ſi quiſpiam pedes, uel ſemel ſcalperet, extra lectum prohiberemus.

Nec illud pro ſomno conciliando prætereundum eſt, quo mulieres utuntur in puerulis, incunabula. ſ. quorum nonnulla per terram quatiuntur. aliqua modo caput eleuantia, modo pedes, alia in latus: nonnulla trabibus ſuſpenſa ſunt, quæ uocantur pengola. in uehementibus doloribus mire ſedare uidentur. arbitror ſomnum conciliare, cerebrum potius concutientes & hominem hebetiorem reddentes, quàm qualitate aliqua, uel ex illa iugi aeris mutatione capita infrigidantur, ex quo ſomnus inducitur. in doloribus uero cum potiſſimum à flatu fiant, ex incunabulis motu flatus cõmouentur, & qui erãt in uno loco collecti, ad multa loca diſperguntur. itaque dolor remitti uidetur. Nonnulli præterea unguento populeone utuntur, quod in unguentorum examine non conuenire oſtendimus, ſimulq; docuimus parum opij adhibito conuenire.

Inter alia ardentis febris ſymptomata, quibus medica manus adhibenda eſt, & adhibent authores, eſt uehemens circa hypochondria caliditas, & totum corpus materia cocta. Galenus in decimo Methodi in aquam frigidam inijcit. Paulus & Aetius frigidarum herbarum ſuccos ex oleo roſaceo & polenta adhibent, adhibent & uinum omphacium. ſed ex his quę applicantur nihil melius eſt infrigidante Galeni, ut ſuperius dictum eſt, quo Galenus utitur in omni membro ad refrigerandum & humectandum. Scito autem ubi adeſt materiæ minera, ibi intenſiorem adeſſe caliditatem, propterea illi parti frigida eſſe adhibenda. unde ſi in pulmone ſit minera circa thoracem, frigida ſunt admouenda & humida extrinſece, ut Paulus, Aetius, & cæteri antiquiores teſtantur, ſi in iecore, circa iecur eædem frigida & humida admouendaſi, in uentriculo ſit, & uentriculus ipſe eſt frigido & humido deliniendus. tñ & ſi in alijs partibus febris minera non adſit, ſunt frigidis & humidis fouendæ, ſed nõ tam uehementer ut pars illa in qua adeſt minera febris, & materia quæ illam facit.

Vna uero maxima oritur hic ambiguitas de contradictione inter Galenum & Auerroim. nam Galenus uentriculo pure frigida applicanda eſſe teſtatur, quando in eo adfuerit eiuſmodi caliditas & ſiccitas. ſed Auerrois ſeptimo collectionum capite uigeſimoquarto in hoc Galenum reprehendit. eſt ubi loquitur de caliditatis & ſiccitatis ſtomachi curatione. iubetq; res frigidas calidis admiſcendas eſſe. poſtea in uigeſimoſexto capite de curatione malæ temperiei calidæ ſtomachi uerba faciens, cẽſet & ſi hæc calida temperatura, frigidis ſolum curari debere uideatur, tñ hoc membrum ex toto infrigidari non debet. hoc probat primo, quia membrum iſtud natura frigidum eſt, ergo ex toto infrigidari non debet. antecedens & à Galeno ipſo conceditur. conſequentia probatur, quia frigidum affectum incurrere poſſet per illam regulam, unaquæq; res, quę alterationem recipit, illam potius recipit ad quam eius complexio naturaliter inclinat. unde uentriculi ægritudines, ut plurimum à frigiditate fiunt.

Secundo, probat nos frigidis uti non debere, quoniam uentriculus operationem habet toti corpori communicantem, nam princeps communicans appellatur. membra uero, quæ tale officium habent, nimis infrigidari non debent, ne eorum uires lædantur. unde præceptum habemus, ne ſupra ſtomachum oleum ponamus actu frigidum, licet calidum uirtute. cenſetq; Auerrois hoc eſſe ei ſimile quod in euacuatione facimus, quia cum celeriter purgantibus medicinas commiſcemus ſtipticas, alioqui conueniens non uideretur. Auerroiſq; in alio Galenum reprehendit, quoniam à Galeno dicitur, in læſione operationis membri magis timendum eſſe in euacuando, quàm in alterando. Auerrois autem dicit Galenum non ſane loqui, quia ſicuti timenda eſt euacuatio ne uirtutem lædamus, ita timenda eſt alteratio, & maxime in alteratione frigiditatis. nam hic modus eſt maioris damni in membris nutritiuis. unde innuere uidetur, cum cibum coquere debeat, pure frigida illi applicare non debemus. imo neque cordi pure frigida applicanda uidentur. Galenus uero in decimo Methodi oppoſitum ſentit, quippe qui pure frigida & ſtomacho & cordi applicat, & ardentem febrem aquæ frigidæ potu curat, & ingreſſu in aquam frigidam, qua nihil eſt quod magis infrigidet & humectet, ex his quæ ſumuntur. nam neq; aqua roſacea ita infrigidat ut aqua fontis. Notandum igitur eſt regulam eſſe apud Galenum in calce ſeptimi Methodi, malam temperiem ſemper remouendam eſſe contrario quod æquale ſit. eo etenim loco curatiuas refert intentiones, ut calida, in primo frigidis in primo curentur: humida in primo ſiccis in primo. & ſuperius dixerat frigida & uirtute & actu frigida applicanda eſſe ſupra locum. & Sectione octaua quinti commentarij in ſextum epidimiorum dicit, frigidum frigidis affectibus opitulatur, & calidos morbos tollit. & in uigeſimaquarta Sectione eiuſdem libri inquit, naturas nanque omni labe carentes iuuari à ſimilibus, intemperatas uero quẽadmodum & morbos ab ijs quæ eorum temperamentis aduerſantur, iuuari ſæpius alibi didiciſtis.

Tamen ut exquiſitius res hæc cognoſcat, ſciendum eſt in calce 7. lib. Methodi huius ambiguitatis diſſolutionẽ colligi, ubi Galenus à læſis partibus curatiuis intẽtiones ſumit, & quinq; refert, à qbus curatiuæ intẽtiones à partibus læſis ſumunt. Prima quidem indicatio à partis laborantis temperie ſumitur, quæ calefaciendi, refrigerandi, ſiccandi, uel humectandi, uel aliquid horum coniuncte cum alio faciendi menſuram præſcribit. Secunda indicatio ſumitur, eo quòd actio particulæ eſt communis omnibus animalis partibus, aut quòd communem uirtutem nunc ſubminiſtret. Tertia indicatio ſumitur à natura partis. Quarta indicatio ſumitur à partis poſitura, cuius portio eſt ad uicinas animalis partes ſocietas. Quinta indicatio ſumitur à ſentiendi acrimonia uel hebetudine. poſtea infert, omnia ſuis contrarijs ſimpliciter reducenda, ut calida frigidis, frigida calidis, humida ſiccis, ſicca humidis. infert quoque partes calidas calore laborantes facile reduci, & frigidas frigore laborantes facile reduci, & ita de alijs. unde maxima illa infertur propoſitio, minus periclitari quicunque cognato naturæ ſuæ morbo laborant. hæc omnia à prima indicatione ſumuntur, quæ à partis temperie accipiebatur. at de indicatione ſecunda, quæ à partis actione ſumitur, quia actio eius omnibus animalis partibus utilis ſit, aut paucis quibuſdam, aut uni ſoli. notat uero in his intemperiei generibus, quæ abſque humore infeſtant, nihil ex indicatione ſumi. nam frigidæ particulæ pro morbi ratione calefieri requirunt, infrigidari, ſiccari, & humectari, & per coniugationem quoduis horum pati. tamen in his quæ ex humoribus ortæ ſunt, ſi particula ſibi ſoli inſeruiat, audacter euacuato, ut affectus ſuadebit, tamen & uirtuti attentus. Si uero particulæ opus

omnibus

animalis partibus necessarium sit, ut uentris & iocinoris magna est habenda solicitudo, de uirtutis robore ne hunc dissoluas semel magna euacuatione usus. si uero communia opera, & illa quae sunt à uenis, ab arterijs, à corde, à thorace, à renibus, ab utraque uesica, & à uasculis, quae ab utraque procedunt. At cerebri opus, cum sani sumus, ad actiones uoluntarias proprijs instrumentis necessarium est. cum aegrotamus necessarium est opus uoluntarium, quod ad respirationem pertinet. opera uero reliquorum organorum necessaria non sunt, sed bene eorum ministerium est necessarium ad uitam, ueluti pulmonis, asperae arteriae, & faucium. Galenus infert ex his particulis quamprimum redundantiam uacuare licere. at ex uentriculo & iecore, utranque uacuare non licet, sed cum cautione, ne quid uirtuti officias. & cum non sit aequalis actionum dignitas ad aegros seruandos, sed aliquae actiones sunt magis salutares, aliquae minus, propterea secundum dignitatis gradum roborari cuiusque partis perspiciendum est. officij cordis est maxima dignitas, atque aegrotantibus maxime omnium necessaria. officij uero cerebri ad uitam est par momentum. tamen non requirimus par robur eius in aegrotis, quoniam non est necessarium omnibus neruorum ac musculorum opera uti. unde in cerebro abunde fuerit, si tantum eius seruatum sit, quo respirationis munus sit obeundum. iocinoris autem opus omnibus particulis pernecessarium est, tamen nō habet saltem tantam perpetuam necessitatem, sicuti cor habet, & uenter se habet ad modum iocinoris. Deniq; infert, si cognoueris omnium particularum perfectiones & usus, facile inuenies quatenus cuiusque robur custodiri oportet. partes uero quę alijs sunt authores facultatum eodem modo se habent, quoniam eorum robur seruari debet pro portione facultatis eius, ut illis animalis particulis subministrent. Haec Galenus. ex quibus colligi potest, in quibus tuto euacuandum, & in quibus non. sed de uiribus timendum, qa semper sint seruandae. De alteratione autem ita dicendum uidetur, si membrum aliquod praua temperie calida affectum sit, considerādum, an cum materia, an sine materia. uel est membrum principale toti corpori deseruiens, uel tantum sibiipsi deseruiens.

Et si petas, unum assignari membrum quod sibiipsi deseruiat, est, exempli gratia, musculus. si membrum sit principale sine materia, tute potes illud alterare ad frigidum. si membrum sit minus principale, eadem est ratio. at si sit principale mēbrum cum materia, illi pręsidia frigida applicamus quidem, sed illis calida aqua permiscentes. at si minus principale sit, illi applicamus frigida in aequali gradu. Notaq; hanc esse unam generalem regulam, contraria in aequali gradu applicata lędere non posse. at si superarent, proculdubio laederent. unde si alicui membro in tertio ordine supercalefacto frigida in tertio ordine applicemus, & è contrario, laedere non possumus. Addeq; Galenum in calce secundi libri de locis affectis, de cerebro loquentem dixisse, calidum infrigidandum, frigidum calefaciendum. & ita de alijs qualitatibus, & si sint compositae, ex compositis oppositis curari.

Ad primum Auerrois argumentum in Galenum, quo dicit stomachus est frigidus, ergo infrigidari non debet. Rńdemus, non debere qdem infrigidari frigore caliditatem, qua est affectus, superante, sed bene infrigidari potest, in aequali gradu caliditatis, imo haec frigiditas stomachum roborat, quia illum adducit ad suam naturam. illud tamen inficias ire non potest, si ultra eius naturalem frigiditatem infrigidaretur, proculdubio laedi.

Ad aliud quo dicebat, operationem habet toti corpori communicantem, ergo infrigidari non debet. Respondemus, si intelligat infrigidari non debere per aequalem frigiditatem caliditati, consequentiam negamus, & absurdam esse dicimus. si uero dicat infrigidari non debere frigiditate supra suae temperiei excessum, id uerum esse censemus. sed & Galenus idem fatetur.

Quod uero addit Galenum errare, cum uoluit laesionem fieri maiorem in euacuando, quàm alterando. Respondemus, Auerroim ipsum errare, quoniam in euacuatione, quando & euacuātia minora dantur, euacuationis modum exquisite nescimus. sed in alteratione, secundum qualitatis inductae gradum alteramus, sed alteratio quae in membro fit ad calidum lapso, semper membrum illud roborando procedit, quousq; in proprium statum fuerit redactum.

Apud Galenum igitur in uentriculo supra modum calido, per aequalem frigoris gradum infrigidare debemus, neq; miscenda sunt calida, quia semper roborando procedimus, cum semper remittatur caliditas, & membrum ad suam naturalem tēperiem semper tendat. nam cum lassa membra ad naturalem temperiem reducuntur, semper roborantur, & gaudent, & delectationem persentiunt, ut in syncopin patientibus manifestum est. qui cum ad naturalem statum reducuntur, delectationem semper persentiunt. eo supposito quòd frigidum in aequali caloris gradu, ad uentriculum ad calidum lapsum applicari possit.

Ob id peti posset, an secundum Galenum actu frigidum applicari debeat. nam si actu frigidum applicaretur, materiam coagulare posset. Respondemus, secundum Galenum actu frigidum applicari posse, & applicari debere, ut in. 10. Methodi deprehenditur, ubi actu frigida applicat.

Forte dices, hunc locum ad propositum non facere, quoniam loquimur ubi adsit materia. sed Galenus in praecitato loco de hectica loquitur, in qua non adest materia. Respondemus, & praesente materia frigida etiam actu applicare, quia in febre ardente adest materia. tamen in aquae frigidae balneum imponit, & aquae frigidae potum praebet, tamen & adest materia.

Sed unus hic oritur scrupus non dissimulandus, quoniam Galenus in septimo Methodi cuiuspiam casum refert, qui uentris caliditatem & siccitatem habebat. sitiebat, & nullus frigidam illi praebere nolebat. mori potius elegit, quàm in cruciatu uiuere. supra cibum multam aquam frigidam bibit, protinus sitire destitit, postea in toto corpore horrorem sensit, uestimenta poposcit, & quieuit. postero die effectus est coloratior & firmior, ut medici deliberarent an hominem lauare expediret. alij suadentes, alij dissuadentes. uicere qui suadebant. lauatus est citra offensam, ac modice cibatus. tum melius ei, quàm pridie uenter concoxit. questus autem est quòd difficulter transglutiret. omnibus uisum est fuisse propter uomitum inconsuetum, uellicatam illi gulam fuisse, ac proinde male se habere. Vnde cum hoc symptoma ꝓsequeretur constauit nobis (inquit Galenus) uentriculi imbecillitatem fuisse sanatam, gulam autem fuisse perfrigeratam. caeterum gulam eius nemo potuit sanare, sed uitio in uitium mutato, tempore interposito moritur. ut decerpi possit in calida & sicca uentriculi intemperie, non fuisse actu frigida applicanda, & copiose, quia gula offendi poterit. Respondemus, hoc argumentum nullius esse momenti, quia in hoc à Galeno citato casu, is qui erat affectus habebat solum uentriculi partes calefactas & exiccatas, reliquas uero in suo naturali habebat esse. unde Galenus in loco citato septimi Methodi sentētiam hanc pulchram enarrat. Nec sanè mirandum erat sicut potione illa, quod immodice calefactum erat, ad mediocritatem est reuersum, sic quòd mediocriter se habebát, fuisse refrigeratum. cum ergo gula caliditatem praeter naturam non haberet, fuit à frigida supra modum refrigerata. uentriculus uero quia erat supra modum calidus, ad mediocritatem deductus est. unde frigida illa aqua stomacho conueniebat, non gulae. At aliud est in febre ardente loqui, & in hectica, & in similibus, in quibus uentriculus sit supra modum calefactus. frigida obesse non pōt, qa non solū uentriculus, sed & ipsa gula est in febre ardente calida, in qua febre & oēs partes calidas esse constat, atq; siccas, ut à frigida laedi non possint. in hectica & omnes corporis partes sunt calidae & siccae, propterea à frigidis laedi non possunt. ut palàm sit lōge distare Galeni casum ex. 7. Meth. de caliditate & siccitate

uentriculi, in quo aliæ partes naturaliter se habebant, & febrem, ob quam partes omnes sunt calidæ & siccæ, & hæc est diuersitatis ratio.

Item dubitare poteris, Galenum in hac calida & sicca uentriculi intemperie, frigida calidis pmiscuisse, ut idem cum Auerroi sentire uidetur, qui semp iubeat calida frigidis miscenda. lege. 13. Methodi ad dimidias libri partes, ubi Theagenis philosophi casum refert, quem Attalus medicus curabat, unus ex Sorani discipulis, in iecoris inflãmatione solis utebatur relaxãtibus. nempe iecori cataplasma supraponebat ex pane & melle. Galenus uero Attalum admonuit, ut cataplasmati aliquid adderet comę absinthij bene tonsi, imo & ipsum addebat in hoc casu in alio cataplasmate, & nardi radicem, & uino cõficiebat. Adde in. 8. de compo. medic. sm locos, à Galeno multas compositiones pro stomacho describi. & pro iocinoris inflammatione, quæ multa calida recipiunt, non est opus ut unum uel alterum enarrem medicamentum, cum multa eiusmodi enarrent. Respondemus, medicum in suis actionibus non semp una uti intentione, sed qñq una, qñq duabus, qñq pluribus. Si infrigidare solum intendamus, semp uti debemus puris frigidis, modo calorem non excedant præter naturam inductum. At si tãtum resoluere intendamus, uel membrum roborare, uel obstructiones aperire, tunc calida frigidis coniungimus sm quãtitatem qua conuenit, & qua indigemus. unde in casu Theagenis philosophi non solum intendebat Galenus infrigidare, sed & addidit quæ attenuent, ne inflãmatio duresceret. Et qa in iecoris medicamentis semp addi debet aliquid adstringẽs, neq solis relaxantibus uti debemus, qualibus Attalus utebatur, ut hinc haberi possit intentionem in illo casu non fuisse tantum infrigidandi.

Ad illud de. 8. de composi. medic. sm locos, dicimus uerũ esse multas inueniri eiusmodi compositiones, sed non esse cum sola infrigidandi intentione, sed uel simul roborandi, uel resoluendi, & ita non ponuntur in simplici qualitate, qua infrigidatione solum indigemus.

At de his frigidis petes in quo ordine esse debeant. Rñdemus, obseruandum esse caloris ordinem, & secundum eius proportionem infrigidare, tñ nunquam excedere debemus ordinem tertium. Et secundum Galenum intelligendum est qñ patientis temperatura sit calidior, qm̃ si frigida esset, tunc calida nõnulla frigidis permisceret. neq in his uti debemus actu frigidis, sed hæc quæ applicantur debent esse tepida, uel parumper calida.

Cõmunis est medicoꝝ usus & Ferrarię & per totam Italiam, In calore qui fit circa hypochõdria in latere dextero, in iecoris parte unguentum applicare sandalinum uocatum. propterea quærendum est, an hoc unguentum conueniat. Sed eius compositionem primo adducamus, quo facilius an conueniat contemplari possimus. hæc uero est quæ subsequitur.

| | | | |
|---|---|---|---|
| ℞ Rosarum rubraꝝ, | | ʒ. | xij. |
| Sandaloꝝ rubroꝝ, | | ʒ. | x. |
| Sandalorum alboꝝ, citrinoꝝ, | añ. | ʒ. | vj. |
| Boli armeni, | | ʒ. | vij. |
| Spodij, | | unc. | iiij. |
| Camphoræ, | | ʒ. | ij. |
| Ceræ albę, | | ʒ. | xxx. |
| Olei rosati, | | lib. | j. |

Conficiatur & administretur. Sunt qui lauant oleum & ceram, & deinde alijs pmiscent. Si unumquodq singulatim contemplemur, qđ hanc compositionem ingredit, singulum siccum esse constabit. nam & rosę, & sandali, & bolus armenus & spodium, & camphora exiccant. In febre uero ardente frigiditate & humiditate indigemus, ob hoc non conuenit huius unguenti usus in hac febre. tñ si infrigidare uelimus & exiccare, optimum est unguentum. sed nũquam in ardente febre infrigidare intendimus, quin etiam humectare uelimus.

At dices, à Galeno &. 13. Methodi & alibi dictum esse, stipitica medicamenta iecori esse adhibenda. Respondemus, intelligere Galenum nonnulla esse adhibenda stiptica, non omnia, neq in omni sunt adhibenda casu, nam in iecore, & in his quæ infrigidari debent comam absinthij addẽdam iubet, qa unicus hoc huius est naturæ. tñ omnia quæ compositionem ingrediũtur non debent esse exiccantia. unde in hoc casu potius Galeni infrigidans uocatum, pbarem. cui posset addi nonnihil, sed parum absinthij, ut aliqđ stipticum in iecoris medicamento apponamus. Et si simul gibbæ partis iecoris inflãmationem timeremus, illa adderemus, quæ Galenus addit in. 13. Methodi educentia per urinam. tempore uero pcedente ubi inflãmatio iam cocta sit, asaꝝ adderemus, celticam nardum, phu, petroselinum, smirnium, mium. Et si esset in caua iecoris parte, illa adderemus, quæ à Galeno referuntur per aluum educẽtia, cnicum, urticam, mercurialem, epithymum, filiculam. quãuis Galenus in cibis hæc misceat, tamen & si in his quæ extrinsecus apponuntur, misceantur, & simul applicentur, nihil mali est.

In lienis uero parte, medicis consuetum non est ob calorem aliquid apponere, tñ prodesset potius q̃ obesset si idem infrigidans supraponeretur, quod tamen non est ualde necessarium.

Aliud sympeoma, cui occurrere oportet, est uentris morsus cum res sit ualde molesta fit à biliosa materia, quæ in uentriculo est, & cor illa affici uidetur. si hæc materia superiora petat, per uomitum euacuari debet, uomitu ex præscriptis rebus puocato. si ad inferiora tendat, & aluus incitanda, tñ & uentriculo id unguentum infrigidans uocatum, applicandum. Vtuntur recentes frigidis epithematibus supra uentriculum, quos non reprehendo, modo non sint sicca.

Adest & cordis anxietas quædam. nempe multos interrogaui ægros, qd circa cor sentirent. respondere, se constrictionem quandam sentire, ac si cor inter duos orbes esset adstrictum. Sunt fumi qui id efficiunt è materia febrem faciente eleuati. Nos frictiones fieri iubemus, & alia diuersionum genera. Recentes duo habent instrumenta, quibus huic incõmodo occurrere solent epithemata, & unguenta. sed cum multi epithemata faciant, quæ nonnihil habent calidi, ppterea illa simpliciter dimittenda iuberem. imo & in hoc casu, & unguentum infrigidans conuenit, uel in usu sit hoc epithema, de quo mentionem faciemus in examine compositoꝝ medicamentoꝝ.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| ℞ Aquarum rosaꝝ, Acetosæ, Melissæ, | añ. | lib. | ß. |
| Pulueris cordialis frigidi, Vini cretici, Aceti, | añ. | unc. | j. |
| Croci, | | gra. | iij. |

Misce.

Et nos hoc epithemate utimur.

Forte petes, cur calida apposuerim. Respondemus, ad spirituum roborationem, tñ si tantum habuerim respectum ad caliditatem, & non ad spiritus, frigida solum accipem. & hæc est uniuersalis Galeni intentio. tñ Auicẽna lib. 3. Fen. xj. tract. j. cap. 6. ubi ponit canones uniuersales in curatione cordis, inquit, qñ uolumus infrigidare. f. in corde, non sumus ausi uti solum infrigidantibus, qa substantia propter quam creatum est, est calida. hæc uero substantia sunt spiritus, qui sunt effusi per ipsum, qui sunt calidi caliditate innata. unde Auicẽna infert se non inuenisse apud antiquos sapientes curasse intemperiem calidam in corde, cum puris frigidis, sed miscuisse calida frigidis. Confidentes q natura fortis discernet inter id qđ calefacit & quod infrigidat,

infrigidat,& cordi afferet quod infrigidabit. calidum uero cordiale afferet spiritum, ut in hoc uelit calida frigidis miscenda, qñ .s. uis est fortis. Hoc probe notat. nam si uis non sit fortis, non censet miscenda calida frigidis. sed potius accipiendum est cordiale temperatum, ut est borago. frigidis praeterea uti possumus, quae uim habent roborandi spiritus, ut rosa, nymphea, & similia.

Notat deinceps aliam causam, cur calida frigidis sint miscenda, qñ frigida obstruunt & non penetrant. calida propterea adhibentur ut penetrare faciant. tñ quicqd Auicēna scriptum reliquerit, possumus iuxta Galeni dogma infrigidare cor, nulla adhibita re calida. & multa sunt frigida odorata, quibus uti possumus. & in his epithematibus frigidis semp odorata addimus, & acetum pp̄terea qd' penetrare facit. dicimusq; spiritus semp roborari, & uim cordis à frigidis, donec fuerit sedata caliditas, & semp roborando procedimus, & spiritus roborantur, quia & ipsi in hoc casu sunt igniti. unde cum sola indigemus refrigeratione hoc epithemate uteremur, cuius descriptio sequitur.

| | | | |
|---|---|---|---|
| ℞ Aquarum rosa℞, Acetosae, Nympheae, | añ. | lib. | s. |
| Pulueris cordialis frigidi, Aceti, | añ. | unc. | j. |

Misce. uel adde frigida aliqua odorata, praeter illa quae pulueri insunt cordiali uocato.

Ve℞ & recentes unguentum quoddam habent, quo in cordis caliditatibus, & in ipsis anxietatibus utuntur, uocantq; unguentum nenupharinum, uel de nenuphare citrino, cuius haec est compositio.

| | | | |
|---|---|---|---|
| ℞ Olei de nenuphare citrino, | | unc. | iij. |
| Pulueris flo℞ nenupharis citrini | | ʒ. | ß. |
| Sandalo℞ rubro℞, Seminis acetosae, Coralo℞ rubro℞, | añ. | scrup. | j. |
| Ossis de corde cerui, Margaritarum recentium, | añ. | scrup. | s. |
| Camphorae, | | gra. | iij. |

Misce, omnia pulerizando, & cum modico cerae nouae ablutae in aqua rosacea, uel in aqua nenupharis citrini, & fiat unguentum, de quo inungatur cordis regio ante cibum per horam. tñ qualibet hora inungi potest. Hoc unguentum neq; est apud Mesuen, neq; apud alium ex Arabibus. sed inter recentio℞ antidotaria (ut uocãt) scriptum est. & est in maximo usu apud medicos totius Italiae, & totius Europae. Qui de eo scribunt, inquiunt ita mirabiliter agere contra febrilem calorem, ut uenenum agit aduersus cor, & proculdubio iuuare inquiũt ad omnes curandas febres, & praesertim cum post debitas & uniuersales purgationes applicatur. ue℞ unguẽtum hoc apud me suspectum est ob siccitatem, qñ sicca multa illud ingrediuntur, ob frigiditatem conuenit. neq; ab re est frigida illa recipere. unum uero est quo ostenditur recentissimam esse hanc compositionem. s. os de corde cerui. nam apud antiquos huius ossis mentio non fit. neq; ulla ratio est, cur debeat hoc os, uel haec ossea chartilago cor roborare.

De margaritis forte idem iudicium facimus. sed tu illa considera, quae in nostro simplicium examine scripta reliquimus. Nos in hoc casu infrigidante unguento Galeni potius uteremur, qd' efficacius omnia facit quae in hac febre intenduntur. Si probe cōpositionem consideres, nihil repicit qd' siccitate careat, praeter nympheam. In ardente autem febre humiditate indigemus, qa caliditas est & siccitas uehementissima. quando cordi adhiberetur, pulueres addi possent & nympheae, & rosa℞, & sandalo℞ luteo℞, & aliarum rerum odorata℞, quae & cor roborarent, & spirituales partes. in summa igitur unguentum hoc nenupharinum, & si ferri posset, tñ nobis magis displicet eius usus, q̃ infrigidantis usus.

Anhelitus frequens est aliud symptoma huic febri contingẽs, imo & simul est magnus, qa multa euentatione indigent qui tali febre uexantur, & multa refrigeratione. huic succurritur epithematibus, & unguento Galeni infrigidante, quo thorax uniuersim inungatur. Recentes oleo uiolaceo utuntur, & psilij mucilagine, tamẽ oleum rosaceum omphacium magis penetrat, pp̄terea huius penetrationis ratione magis infrigidat. Notatq; in hac febre thoracis musculos ob caliditatem et siccitatẽ conuelli, nisi praedictis modis ꝓhibeatur, adeo enim exiccantur, ut moueri nō possint. unde primo fit anhelitus difficultas, deinceps motus penitus amittitur, & pereunt.

Aliud symptoma est in febre ardente contingens, capitis dolor, & calor. dolor uero sequitur ad uapores calidos à materia faciente febre eleuatos, & qui mala qualitate, & nō solum extensione dolorem ingerunt. non est necessarium symptoma in omnibus ardentibus. Cōmunis est usus & uulgarium frontem aqua rosacea madefacere uel simplici, uel ex aceto. ꝑfecto simplici aqua rosacea non est caput in tali febre madefaciendum, nisi forte oculos lippos madefaceres, potissimum si simul humectatione indigeamus. qa, ut superius dictum est, aqua rosacea nō humectat, sed exiccat, & adstringit. unde Galenus in. 2. de composi. medic. sm locos, iubet assumēda esse illa frigida in capitis refrigeratione, quae non adstringãt. in hoc casu nos potius oxyrhodino uteremur, primo ex pauco aceto, & pluri oleo, postea paulatim augeremus acetum ut res succedent, uel uteremur oleo rosaceo simplici, ut Galenus praecitato loco facit.

Petere autem poteris, an calidũ applicari debeat, an frigidum. Respondemus, Galenum praeadducto loco applicare frigidissimũ oleum rosaceum omphacium, in his u'o loquitur qui caput habent ui solis calidum. iccirco & his conueniet qui ex ardente febre caput habent calidum, & etiam oxyrhodinum applicat frigidissimum. & multa eodem loco docet, infrigidãtia quae capiti conueniunt, & quę applicari possunt. mulieres nōnunquam cucumerum frustula dissecta applicant, & statim conferre uidentur. alij apponunt aquam frigidam. nos uel oleum rosaceum solũ, uel oxyrhodinum apponimus primo cum pauco aceto, deinde augemus si penetrare non uideatur.

Alia quoq; in hoc morbo ꝓtingere possent symptomata, quibus secũdum ꝓpria genera occurrendum est. sed supra omnia solutio morbi symptomata omnia soluit. haecq; de symptomatibus satis sint.

GALENVS

Vbi de sanguinis eruptione sudoreq; egit, si absq; his causus defierit, suspectam ait esse solutionem: nam paulopost reuertetur. Erit siquidem, ait, in recidiua crurum dolor, uel coxae, sputaq; crassa. Nempe q iudicandus, sanguinis eruptione uel sudore uel abscessu opus habeat, potest quis arbitrari ad sanitatem dictum esse, si dictis adiecerit quae curationi intendens ipse scripsit, uomere. s. praecipiens, atq; aluum subducere, potumq; aquam & mulsam aquosam coctam ministrans. Quare si cum his quidem & sanguinis eruptionem, & sudores, & abscessum causum soluere qs dixerit, aliàs autem solui non posse, sermonem fortasse iustum aequumq; dicere uidebitur. Iustum autem aequumq; dico, quasi mediocriter uera loquentem atq; priore magis, non tñ integrum absolutumq; prorsus. Neq; enim uerus est sermo. Nempe qd' in aphorismis

dicitur: A' causo habito rigore superueniente solutio. uerissimum existit. Rigorem autem hunc de necessitate sequitur interdum quidem sudor solus, interdum uero & biliosorum uomitus solus, atque interdum deiectio sola: sed plerunque ex dictis tribus duo fiunt, & rursum quandoque tria. Nempe horum duorum de necessitate alterum in causo fit, si ad integritatem desinere debeat. Nam biliosi humores uel perfecte uacuabuntur uel extinguentur. Praetermissa itaque uidebitur praecipua causorum sanatio: frigidae. s. potus, quo causos prorsus curauimus, nullo ex his moriente, quibus frigidam tempestiue propinauimus: cuius expositionem priore quidem libri huius parte paucis percurrimus: at in caetera tum commentarijs, tum operibus fusius. Sed forte quispiam me asserere putabit, nullum ex his qui causo laborant moriturum, qui aquam tempestiue biberit: quod quidem id non asseram, sed quod omnibus quibus propinaui, cum adeo multi extiterunt, ut numeri non meminerim successit auxilium & salus: quod idem non est, ut si diceres causo laborantes si frigidam biberint seruandos. Nam qui perniciose insalubriterque habent, eos neque per aliud quippiam, neque per aquam seruari est possibile: quibus neque ministrare sum conatus. Quod autem in fine dictionis narratur: Expuetque crassa si sanus est futurus: in his tantum causis obseruare debes, qui passo pulmone oriuntur.

BRASAVOLVS. Primo, Galenus notat cum Hippocrates de sanguinis missione in ardente febre, & sudore egerit, dixeritque his solui debere. nunc uero monet si absque his soluatur, ut si alio soluatur modo, solutionem esse suspectam. nam paucae horae non transibunt, quod febris reuertetur. in hac uero recidiua praeter alia symptomata haec contingunt, crurum dolor, uel coxarum, & crassa expuet. perfecto aliquis arbitrari poterit illud dictum esse ad solutionem, quod iudicandus opus habeat sanguinis eruptione, uel sudore, uel abscessu. & hoc potissimum intelligi poterit, si dictis illa addideris, quae ipse supius scripsit Sect. 6. curationi intendens. s. uomendum esse, & aluum subducendam, & aquam in potu acceptam esse, & mulsam aquosam coctam. unde si quispiam praedictis adhibitis praesidijs causum solui dicat, uel sanguinis fluxione, uel deiectione, uel abscessu, & aliter solui non posse forte uidebitur sermonem aequum & iustum dicere. Intellige uero per iustum & aequum, ac si dicamus sermonem mediocriter uera loquentem, & non in uniuersum. tamen cum his conditionibus est magis uerus, quàm absque conditionibus. nempe neque est integer, neque penitus absolutus sermo. imo est falsus, si id uerum est quod in Aphorismis dicitur. A' causo habito rigore superueniente solutio. cum autem hoc sit uerum, alter ergo erit modus sanandi febrem ardentem, quam uel per sanguinis eruptionem, uel per sudorem, uel per abscessum. Scito autem ad hunc rigorem quandoque sequi tantum sudorem, quandoque uomitum tantum biliosorum humorum, quandoque deiectionem solam. nonnunquam ex tribus dictis duo fiunt, & quandoque ipsa tria. nempe in causone alterum duorum fieri necesse est, si ad integritatem deuenire debeat, aut humores biliosos exquisite euacuari, aut extingui.

Forte petes, quomodo illa sequantur ad rigorem. Respondemus, quia causus est febris, cuius materia est in uenis, quae cum uenas exit, si per totum corpus fit sparsa, & à maioribus ad minores uenas expellatur quoad ueniat ad capillares & exeat corpus, tunc fit sudor. at si ad uentriculum transmittatur, uomitum facit. si ad intestina, deiectiones excitat, quandoque adest tanta materiae copia, ut possit per duo exire loca, uel per tria. itaque haec ad rigorem sequuntur.

Secundo, cum dixerit humores biliosos euacuandos uel extinguendos, si causus sanari debeat. De extinctione nihil dictum est ab hoc authore. propterea praetermissa uidebitur praecipua febrium ardentium curatio, per potum. s. aquae frigidae. Notatque Galenus se causum curasse ex aquae frigidae potu, tamen neminem unquam obijsse, cui frigidam tempestiue praebuerit, & ut conueniebat, & quando conueniebat. uerum de aquae frigidae potu nonnulla dixit in praecedente huius libri parte, hoc est in 3. libro. & probe dixit aliqua, quia de his imperfectissime agit. in alijs autem commentarijs, ut in Methodi libris, de hac re abundantius pertractauit. & à nobis superius ad hoc propositum nonnulla disputata sunt. Post haec, Galenus ambiguitatem remouet. nam quispiam ex Galeni uerbis intelligere posset nullum qui causo laboret moriturum esse, si aquam frigidam tempestiue ebiberit. sed Galenus hoc non asserit. quippe dicit neminem ex his esse mortuum quibus aquam frigidam exhibuerit, quamuis multi fuerint, & tot, ut numeri eorum non recordetur. unde non dicit Galenus, si quis causo laborans frigidam biberit, seruabitur, quoniam qui & perniciose & insalubriter se habent, eos neque per aliquod aliud, neque per aquam seruari est possibile. imo in his casibus Galenus aquam frigidam nunquam exhibuit, ne generosum praesidium diffamaret.

Nota Galenum dicere, nullo ex his moriente, quia & suo tempore erat suspecta haec curatio.

Denique Galenus notat id quod in fine sententiae ab Hippocrate dicitur. s. expuetque crassa si sanus est futurus. in illis solum ardentibus febribus intelligendum esse, quae fiunt patiente pulmone.

Pro perfectiori autem curationis causi notione aliquis petere posset, pro huius materiae coctione quae hanc febrem facit, quibus syrupis uti debeamus. Respondemus, recentiores praebere syrupum de endiuia, uiolaceum, acetosum simplicem, atque similes. tamen non est opus syrupos praebere, quia id quod bibitur est ueluti syrupus sit modo uel aqua mulsa, uel aliquod simile. unde id quod pro nutrimento utimur, est ueluti syrupus, neque opus est coquere hanc materiam, quae tenuis est, sed satis est his potibus alterare.

At hac de syrupis disputatione praetermissa, de syruporum quantitate in omnibus aegritudinibus quaerendum est. Respondemus, recentiores ad summum dare septem uel octo uncias, ad minimum quatuor uel quinque. sed Galenus primo huius uoluminis libro Sectione. 45. uisus est praebuisse oxymelitis oxybaphsim. i. quatuor unciarum quantitatem. aliqui heminam intelligunt, quae uncias decem complectitur. tamen quicquid sit ad octo & nouem syruporum uncias praeberi possunt, praesertim quando infrigidare intendimus. Haec de syrupis dicta sint.

At de medicamentis nondum quicquam dictum est, praeterquam de lenientibus. ob id quaeritur, an facta coctione medicamentum dari debeat, & quodnam. Respondemus, cum ardens febris ut plurimum per iudicationem sanetur, medicamento non indigemus, quia natura cum recte agit, impediri non debet, sed sinenda est ut ad libitum agat. unde si naturam in causone expellere uidebis, considera an id faciat quantum satis sit, uel non. si primum, nihil est dandum. si secundum, tu illam adiuuato. debesque per illam uiam ducere, per quam tendit natura. Forte dices, si materia sit cocta, & nihil à natura moueatur, quid agendum est? Putamus hoc fieri non posse, quia natura quae fuit apta coquere, est etiam apta expellere, saltem imperfecte, & uiam ostendere, per quam talis materia deduci debeat, quamuis materiam expellere non uideantur. Medicamentorum uero genera, illa esse debent, quae tenues materias biliosas euacuant, recentes multi electuarium de succo rosarum accipiunt. quod posse accipi non negamus. tamen illa accipienda quae & refrigerent, & simul miscenda.

At in huius febris curatione considerare oportet, & locum in quo aeger moratur, propterea dicimus locum frigidum & humidum esse oportere, ut aegritudini sit oppositus. Aetius libro 5. capite. 77. ex philomeno inquit, inter prima praesidia esse ut decumbant in frigido loco ad suauem auram exposito, à qua purus diffletur aer. Galenus. 9. Methodi censet parandas aestate domus subterraneas, & ad septentrionem uersas, ac pauimenta earum assiduo humore aspergentes. tum ut Euripo aliquo aura inspiret machinantes, & flores praeterea ac germina quae frigidae & humidae facultatis sint per aerem proijcientes. ut Galenus locum sub terra eligat atque refrigeret. Forte domus

illæ subterraneæ, quæ sint salubres in Galeni patria inueniri poterunt. sed apud nos, præsertim Ferrariæ pessimæ sunt subterraneæ domus, neque euentari possunt. capita lædunt, nec à sanis, nec ab ægris incoli debent. nam loci humiditas ad putredinem facile disponit. Forte in Galeni patria subterraneæ domus uento perflantur, & tunc ægris conueniunt, sed Ferrariæ non perflantur, nec opus est ut aqua madescerent, & refrigerarentur, quia satis frigida essent atque humida. melius est Ferrariæ tabulata habitare, quàm cubicula ad quæ per gradus non ascenditur. quid uero per terram sternendum sit ab Aetio libro quinto refertur capite septuagesimoseptimo, ubi inquit uirentibus myrthi, uitis, rosarumque folijs solum sternendo, & aquam sæpius irrigando, riuulosque moliendo aquarum, quæ ex propinquo suauiter instrepant. Ferrarienses medici salicum folia spargunt, uitium, persicorum, iuncos, papyrum, nymphææ folia, & aqua abluunt.

Sed petes, an odoratos flores spargere conueniat, cum Galenus nono Methodi flores spargendos iubeat. profecto uiderentur odorati flores non conuenire, quia odorata omnia calida sunt, ut in quarto de simplicium medicamentorum facultatibus, capite uigesimoprimo habetur, & in uigesimooctauo quinti libri Aphorismo, omnia odorata facit calida. & in secundo de alimentorum facultatibus, ubi de iunipero agit, & alibi sæpius. igitur odorata non uidentur esse sternenda ne caput lædant, & quia magis calefacerent, quàm infrigidarent, hoc uero in hac febre requiritur. Respondemus, Galenum de floribus prorsus intelligere, qui gratum habent odorem, ut spiritus roborentur & cor, sed illi sumendi sunt qui frigidi existimantur. unde fit decoctum ex sandalis, aceto, aqua rosacea, & camphora, & similibus, & terra illo aspergitur.

Forte dices, uapores eleuari à re odorata, qui cerebrum petunt. cum uero odor ratione qua odor, sit calidus, igitur illi uapores erunt calidi. & consequenter quod pertinget ad caput, & ad nares erit calidum. igitur odorata sternenda non sunt, quoniam & si frigida, tamen ratione odoris, qui ad caput ascendit sunt calida. imo prope calcem tertij de locis affectis libri, ubi de his loquitur quæ capitis dolorem inferunt, inquit, illum facere calidos odores omnes, ut styracis, & cyphecos. postea addit, atque in totum odorata omnia capitis dolorem pariunt, adeo, ut nonnulli, ne thuris quidem odorem ferre possint. Tamen uidemus Galenũ sternere rosas & nono & decimo Methodi. Respondemus, ex Galeno colligi in calce quarti de simplicium medicamentorum facultatibus, in rosa esse partem quandam aquosam. nam censet rosæ succum ex tribus constare, fece, flore, & substãtia aquosa. hæc aquosa substantia est frigida, propterea ab Auicenna in secundo libro dicitur, substantiam frigidam uirtualiter associare quosdam odores. unde & si calida adhibeantur, semper infrigidant, & ideo uapores qui odores ferunt, quando à frigida floribus eleuantur, licet odoris ratione sint calidi, tamen sua ui sunt frigidi. Nunc uero de frigidis loquor odoribus. i. qui sunt in substantia frigida. secus est de aromatibus loqui. nam aromata sunt calida, & substantiam habent calidam. Ab Auicenna maxima quædam proponitur, omnia odorata esse calida, præter nenupharem, & camphoram. sed hæc quoque ratione odoris sunt calida. ideo melius fuisset si ꝓpositionem uniuersaliter retulisset. Scito tamen & si aliqua odorata sint calida, & nõ multum, potest esse tãta & cerebri & cordis roboratio ex tali odore, quòd melius erit illum spargere, & si nonnihil calefaciat, quàm non spargere.

Sed & de uestibus ac culcitris quærendum est, qualia esse debeant. Aetius libro quinto capite septuagesimoseptimo inquit culcitram debere esse mollem, quæ frequenter sternenda est, & stragula tenuissima sit & minime sordida, quæ assidue mutẽt, habeatque lectus insignem latitudinem, ut ad diuersas subinde partes membra calefacta traduci commode queant. sed nullus est qui plenius de hac re loquatur, quàm Raze, qui tertio ad Almansorem libro caput determinatum facit de linteis & uestibus febricitantium, aitque eas quæ ex lino fiunt magis infrigidare, postea quæ ex seta, tertio loco quæ ex bombice, deinde quæ ex lana, denique quæ ex pennis. profecto lintea linea tenuia cæteris, uidentur esse frigidiora & præstãtiora, quę ægrum quodammodo lætum reddunt, cum alba sunt & non sordida. Vt autem in summam unam omnia colligantur, quæ de ardente febre dicta sunt, quæ sequuntur audito. Cum medicus ad ægrum uocatur febre ardente correptum, illam cognoscere nititur symptomatibus pathognomonicis, quę sunt, uehemens calor, & sitis, cognoscit esse continuam febrem & uehementem, & in uenis materia contineri. ob id primo iubet uenę sectionem fieri, si ætas non impediat & uis corporis, sed prius uentrem leniri, aut clystere ex prędictis, aut aliqua re ex lenientibus enumeratis.

Forte petes, si uires sint robustę cum humorum multitudine, an sanguis prius mittendus, an uenter euacuandus. Respondemus, si Galenum nono Methodi contemplemur, sanguinem primo mittit, solo hoc expectato, cibũ. s. esse coctũ, & uentrem solutum. intellige per se, uel clystere, non autem medicamento aliquo, imo satis est cibum esse coctum, & excrementa descendisse, licet nondum exierint, nam & post uenę sectionem educi possunt. & hoc Auicenna notat libro quarto post uenæ sectionem leniendum esse uẽtrem. & in quarta primi illos reprehendere uidetur, qui nunquam sanguinem mitterent, quin prius cassiam prębuissent, quanquam in prima primi aperte edocuerit, ante missionem sanguinis uentrem esse leniendum. & in uigesimo capite quartę primi inquit, non esse mittẽdum sanguinem in eo in quo cibus sit incoctus, nisi prius feces eductę sint. Nos igitur iuxta Galeni dogma inferamus, non esse necessarium euacuare etiam leniente medicamento ante uenę sectionem, sed satis est chylum exiuisse uẽtriculum, & feces deorsum descendisse, quamuis nondum exierint, modo exeant post uenę sectionem, uel sponte, uel clystere, uel quacũque alia uia. uena igitur secta attenuantia sunt prębenda, & dissecantia, & sudorem ꝓuocantia, atque urinam. primo tenuiter postea uehemẽtius, & frigida sunt membris applicanda. & si horam petas qua applicari debẽt, Aetius illam docet lib. 5. capite septuagesimoseptimo inquiens esse in uigore exacerbationis. & denique pręberida aqua frigida secundum Galenum, quę robustiorem faciet naturam, illamque ad materias coctas expellendas iuuabit. hęc de ueri causi ac proprij curatione satis sint.

## Hippocrates. Sectio XIII.

### Causi genus aliud, aluus soluta, sitis magna, lingua aspera, sicca, salsa.

His expeditisque de exquisito causo dicenda uidebantur, quod ex tenuibus & acribus constat humoribus, nunc ad imperfectum & inexquisitum descendamus, quod hic Hippocrates uocat aliud causi genus, in quo aluus soluta est, & sitim habet magnam, linguamque asperam, siccam, & salsam is qui correptus est. in hoc igitur spurio causone & improprio, necesse est adesse ꝓprij causonis indicia, sed modo remisso. cum enim sit causus, caliditatem adesse opus est, & sitim, tamen non sunt adeo uehementia, quia est causus mendosus. BRASAVOLVS

καύσου γένος ἄλλο. i. causi genus aliud à prędicto genere distinctum, quia symptomata in hoc ratione qua causus, sunt minora. nam sitis & calor, quę sunt ueri causi symptomata, non sunt in hoc improprio tam uehementia. reliqua uero symptomata insunt ratione materię & loci, tamen non sunt necessario in omni causo.

κοιλίη καθυγρή. i. aluus soluta. in uero causo quãdo in uentriculo & iecore aderat sedes, tunc liquida deijciebant & pallida. in hoc uero causo est quidem aluus soluta, sed neque sunt pallida, neque necessario liquida. nam cũ hic sit à pituita morbus, pituita uero sit crassa & glutinosa, quę exeunt erunt & pituita, & quę eduntur ac bibuntur, parũ immutata. cumque hoc causi genus sedem possit habere in uentriculo, iecore, & pulmone,

si eius sedes sit in pulmone, non est necesse aluum esse solutam. si in uentriculo uel iecore, est necesse, quia materia hæc pituitosa, male afficit has partes, unde non probe concoquunt, & id quod insumitur ex cibo uelut crudum. Addecque salsedinem ipsam pituitæ causam esse ue deijciātur. nam salsedo intestina commordet, imo plerunque materiæ salsedo dysenteriam parit, quæ tamen est cæteris curatu facilior.

Trallianus dicit alui excrementa minime biliosa, sed pituitosa, instar salsedinis induci, tamen neque hoc necessarium est, nisi in iecore uel in uentriculo sedem habuerit.

δίψα μετρίη. i. sitis magna, non tamen adeo intensa, ut in exquisito causo, tamen & materiæ salsedo sitim inducere potest, & inducit, sed longe maior est sitis, cum acres & biliosi humores accenduntur, quàm cum pituita salsa, quæ neque magnam habet accēsionem, quæ ius hoc salsum sitim magnam inducere possit. Forte dices, maiorem in hac febre sitim induci, quàm in uero causo, quia cum sit à materia salsa, sitim necessario inducit, ut experimento haberi potest in his qui salsa ederint. Respōdemus, salsum ut salsum non inducere sitim, sed sapere. at quia salsum exiccat, propterea sitim inducit. ueruntamen longe maior est siccitas, quæ fit à re sicca, ut à materia biliosa calefaciente & exiccante, quàm à salsa materia, quæ solum hoc facit ratione qua salsum exiccat. at nulla est cōparatio siccitatis, quæ à salso fit, & quæ à bile tenui acri. & ex consequenti sitis, quæ fit in proprio causo est uehemētior, tamen & in improprio causo magnam sitim non negamus. Trallianus tamen notat esse quidem in hac febre sitim, sed non ualde intensam.

γλῶσσα τρηχεῖα. i. lingua aspera eandem ob causam, quia exiccatur lingua exiccatione inæquali. hæc uero inæqualis exiccatio nihil aliud est quàm asperitas.

Trallianus notat nullum linguæ nigrorem inesse huic febri. tamen hoc dici non potest, quia ex huius febris calore facile posset lingua denigrari, potissimum quando fuerit circa cor accēsio, & uehementer inspirare cogamur & expirare, idque quod expiratur, fuliginosum sit.

καὶ ξηρή. i. & sicca. hoc erat præponendum, quia prius fit sicca, quàm aspera. hoc quod de siccitate dicit manifeste ostēdit, posse esse & nigram linguam, quia nigredo ad siccitatem sequitur.

ἁλυκώδης. i. salsa. prætermisit nigra, & apposuit salsa. hoc est huius ardentis mendosæ signum, quæ à pituita fit salsa, salsum habere os, sicuti exquisiti causi signū est linguam habere amaram. ueruntamen non sunt perpetua signa. non enim necesse est in mendoso salsam habere linguam, neque in uero amaram, nisi materiæ uergant ad os, & ad propinquas partes.

Sed aliquis ambigere posset de huius salsi humoris generatione, qui hoc ardentis febris genus efficit. Respondemus Auicēnam lib. j. Fen. j. doct. 4. cap. j. iudicasse fieri hunc salsum humorem quoties phlegmati tenui quod saporem nō habet, uel si habet, est adeo modicus ut non superet, quando huic phlegmati cholera sicca natura se miscuerit adusta, æqualitatis admistione ipsum faciet salsum & calefaciet. interque Auicēna, hoc igitur phlegma est cholericum. unde Auicenna de generatione salsedinis simpliciter dicit, salsedinem gigni cum aquosæ humiditati pauci saporis, aut nullius partes terreæ adustæ cōplexionum siccarum, & saporis amari æquali temperamento misceantur, unde cum amaro conuenit, & est sapor amaro propinquus, quod & Galenus lib. 4. de simplicium medicamentorum facultatibus capite. 20. tradit, omne amarum & omne salsum esse calida. & Aristoteles in. 2. Meteororum facit salsum ex terreo sicco mixto humido. Notaque terreum amarum siccum esse magis refractum in humido aqueo, quàm sit amarum. unde uidemus salsa cum magis exiccantur & crassiora redduntur, fieri amara. necesse igitur est in salso ut id quod amarum est, ab aqueo humore refrangatur. Forte dices, quomodo possibile est ut salsum fiat, quia modicum amarum, humorem multum, cui miscetur amarum reddit, & nō salsum. ut si quis aloes drachmam 10. xx. aquæ libras miscuerit, non fiunt salsæ, sed amaræ, imo & si melli addatur, fit amarum mel. Respondemus, si aquæ copia augeatur, & rei dulcis amarum denique refrangetur, & utrunque corrumpetur, & fiet salsum. in sale uero siccum esse & humidum ex hoc apparet. primo, quia exiccat. secundo, quia fit fluidus. & ratio redditur cur sal crepitet in ignem proiectus, quia calor humido occurrens crustam facit, & humidum illud intus euaporat, nam crustam frangit, itaque fit crepitus.

Forte de salso petes sapore, an sit calidus sicuti & amarus. Respondemus simpliciter apud Galenum. 4. de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 18. 19. 20. sunt calida. At Auerrois duobus in locis Galenū reprehēdere uidetur. primo in. 5. collectionum capi. 27. ubi dicit fieri amarum ex calore & etiam ex frigore, & ex consequenti salsum. imo illius amari, quod est à frigido differentiam ponit, ab eo quod est à calido. nam amarum à frigore primo est amarum, postea dulce efficitur, ut sunt glādes, & siliquæ, & aliqua ex cucurbitis. & amaritudo quæ fit à calore & terrestritate reuertitur ad amarum, postea quàm sunt dulce. & hoc est inquit, quia amaritudo sequitur duas species complexionis, aut frigidam & siccam, aut calidam & siccam. probatque hoc exēplo amara aliqua esse frigida, quia opium est in fine amaritudinis, & ob suam frigiditatem paralysin inducit. tamen quia Galenus dicere posset amaritudinem non prouenire à parte frigida. ob id replicat Auerrois, quia illa est amaritudo dominans in suo sapore, & sapor fortis est in iudicio super naturam ibi. alter locus Auerrois est in. 2. de anima Sectione. 105. ubi & in proposito Galenum reprehendit, quia sapores amari, qui sunt in fructibus sunt ex frigore, sed qui sunt ex adustione sunt ex calore.

At Galenus oppositam sequitur sententiam, & profecto censet omnia amara esse calida. imo lib. 4. de simplicium medicamētorum facultatibus cap. 18. id probat. & in calce. 6. cap. ponit & calida quædam cucumeris semina, quia amara, & amygdalæ quædam sunt calidæ quia amaræ, & lupini, & semen mali medici. & si Galenum interrogares de fructibus, ut de glandibus, & siliquis, ipse fatetur esse calida, imo amaritudo quæ in opio est, inest ratione partis calidæ & siccæ.

Ad salsum saporem redeuntes, Galenus. 2. de differentijs febrium, inquit, pituitam salsam fieri aut ob putredinem, aut ob salsæ serosæ humiditatis mistiones, ubi hinc duæ habentur causæ salsæ pituitæ. una est putredo. alia est salsa humiditas serosa. At Auicēna lib. j. Fen. j. doctr. 4. cap. j. Galenum reprehendere uidetur. primo, quia putredo non est causa salsedinis. sed Galenus potius dicere debuit putredinem facere cinereitatem, deinde cinereitas pituitæ mista salsedinem facit. itaque non erit putredo quæ salsam pituitam immediate conficiat.

Præterea, à recentioribus additur, si pituita salsa per putredinem fieret, igitur quælibet pituitosa febris esset ex pituita salsa, quod absurdum est. consequentis probatur, quia semper pituita putrescit, si febris pituitosa fieri debeat. igitur semper salsedinem faciet.

Secundo, Auicēna Galenum reprehendit, quia sola aquositas pituitæ admista salsedinem inducere non potest, nisi alia adfuerit causa. putatque ipse fieri salsam pituitam quando phlegmati tenui insipido sicca cholera miscetur.

Nos igitur cum Galeno dicamus salsam pituitam fieri aut ex putredine, aut ex miscella aquositatis salsæ. Scito uero in putredine non fieri salsum, ob cinereitatem quæ primo fiat, deinde misceatur. sed fit hoc modo, cum pituita putrescit, possunt aquosiores partes exiccari, & magis terrestres tunc misceri cum relictis aquosioribus, atque inducere salsedinem. id tamen nō semper fit, sed quādoque. propterea non est necesse omnem febrem pituitosam fieri ex pituita salsa, ut imaginantur recentes, si per putredinem inducatur salsedo, quia nō per omnem inducitur putredinem, sed tamen per putredinem, quæ multum exiccet.

Ad alium modum. scito in iecore non solum gigni humores, qui corpus nutrire debent, sed & aquositates, quæ humorum serositates uocantur, quæ per corpus meant, & sanguinem ac humores comitantur, deinde ad urinam regrediuntur, & quisque humor suas habet serositates. si quando bilis serositas sit copiosior, bilis saporem non habet. f. amaritudinem, tamen non erit

libera ab aliquo sapore ad amarum tendente, unde erit salsa. nam erat in tanta copia, ut amara reddi non posset, q̃m hæc serositas pituitæ miscetur. ob rei salsæ miscellam fit salsa, q̃q̃ dici posset aquositatem illam esse amaram, sed ob pituitæ miscellam refrangi amaritudinem, & salsedinem induci, sed tunc cum Auicēna conuenire uideretur. hi igitur sunt modi generationis pituitę salsæ iuxta Galenum, neq; fit per bilis miscellam. Forte petes, quo tempore fiant hæ spuriæ ardentes. Respōdemus, quocunq; tempore fieri posse uel per pituitæ putrefactionem, uel per aquositatis salsæ miscellam, sed potissime fiunt æstate & autumno.

At dices, hæc salsa aquositas nōne potest alijs humoribus misceri, & ita humores alij efficientur salsi? Respondemus, humores alios suos habere peculiares sapores, sm̄ quos denominantur. pituita uero quæ fit salsa, aut nullum, aut modicum habet saporem. Adde, cum sit amara aquositas illa cum alio humore refrangi non potest & fieri salsa, q̃ cum pituita.

At dices, hanc salsam pituitam non esse inter species pituitę numerandam, quia calida est. pituita uero est frigida. Respondemus, esse prorsus pituitam, & habere partes frigidas, sed & calidas simul habere, siue sit facta per putrefactionem, siue per miscellam aquositates salsæ. & Galenus notat in. 2. de differentijs febrium, nō omnem pituitæ speciem esse frigidam. est una species, inquit, frigida, quæ cum loco calido obstruitur dolores maximos excitat, & uitri liquefacti similitudinem habet. Est alia pituitæ species, quam plerinq; cum screatu expuunt, sensibilem habens dulcedinem, hęc non est exquisite frigida. Est alia quæ expuentibus acida uidetur, minus frigida, q̃ uitrea magis q̃ dulcis. Alia species est salsa, aut ob putredinem, aut ob salsæ serosæ humiditatis mistionem, ex qua siquem febricitare cōtingat, superueniente accessione non riget, sed tantūmodo horret, ut hinc colligi possit, omnes pituitæ species non esse frigidas, sed aliquas esse calidas. eadem ferè referuntur in. 3. de locis affectis libro.

**GALENUS.** Veteres Græcos reperio nomen generis interdum in homonymis usurpare: homonymis inquam, quę unum quidem, habent significatum, sed ex ipsius diuisione ad plures deducūtur differentias. In quo sæpius dicere consueuimus genericas rei huius differētias esse uel duas, uel tres, uel quatuor, uel quot quot esse possunt. Sed cum homonyma duplicia sint, aliqua quidem nullo pacto inter se cōmunicantia, ut cum canem dicimus & terrestrem & marinum: alia uero, quæ cum synonymis aliquatenus cōmunia existant, cum ab uno factam appellationem habuerint, ad quam interdum referantur: considerādum, ut dictum est, duo esse causorum genera: qd' exacte quidem cognoscetur, si substantiæ utriusq; ratio quæ in appellatione est, ostensa fuerit. Sed quoniam à mentis conceptu ratio iudicium accipit, pscrutandum si mentis conceptum causi ita consonum habemus, ut hominis, bouis, & equi. At cum oratio cōmentario prolixior futura sit, tum ipsam, tum cęteras ad breuem contrahere summam conabimur, hoc exorsi modo. Febrem causum medicos reperio appellantes, cum urens caliditas, sitisq; incompescibilis hominem torquet. Quòd si ita habet, eum in quo corpus non uritur, sitisq; leuis sit, causum quidem simpliciter, exquisitum autem legitimumq; non dicemus: cumq; pro dimidia parte talis sit, breuioris doctrinæ gratia causum nothum appellare, haud perperam fuerit. Quo autem modo tertianis in febribus appellatione huiusmodi uti cōsueuimus, ita duo causorum genera esse intelligemus, ut tertianarum genera duo esse quispiam dixerit, unum exquisitum legitimumq;, alterum uero nothum spuriumq;, cui uidelicet ex legitimi quidem symptomatis nonnulla insunt, aliqua uero non. Quòd autem secundus causus de quo hac parte docere instituimus, tanquam diminutus quidam sit, atq; non exacte absolutus, certior fies si mentem ad ea symptomata, quę à scriptore ipso in eo fieri dicuntur, conuerteris. Nempe principio ait: Aluus soluta, sitis magna, lingua aspera, sicca, salsa. nō eo adiecto quod in priore adiecit. Nothus siquidem causus ex legitimi symptomatis alterum quidem habet, alterum non. Deinceps autem linguam asperam esse loquens & siccam, non adiecit nigram, quo modo in priore: sed pro hoc symptomate salsam dixit. Nempe ut cum lingua amarulenta redditur, flauam redūdare bilem ostendit: ita cum salsa, salsum salsuginosumq; appellatum humorem, qui ex pituitæ generibus, quæ tria sunt, unum existit, ut tibi innotuit, acido. s. dulci, & salso. Quo modo igitur prior causus ex amara bile constans, pallidas geminam ob causam parit excretiones, tum quòd tenuis fuerit, tum q febris urens augeatur, prænata in eo quæ flaua est bile: sic pituitosus humor neq; facile excernitur, neq; febrem auget, neq; sitim ardentem habet, neq; in spiritum uertitur, uanescitq;, atq; ob id de eo dixit: aluus soluta, excernere, ipsam solam ostendens, quòd ipsi non excernere aduersatur: subit siquidem his uenter non tamen sm̄ humoris cuiuspiam formam speciemq;, sed his quæ in alimentum ministrata sunt, corruptis. Nō enim hi potu reguntur, ut quamplurimi eorum qui priore infestantur causo. Nempe hi etiam habent excretionem, tenuem. s. & feruentem assecuti humorem: seram uero alij ob frigidam glutinosamq; & crassam pituitę substantiam. Fieri ergo nequit ut qui ita laborant solo utantur potu. Id siquidem didicimus in his morbis, qui in quinta uel septima die ualida existente uirtute coctionem sunt recepturi. Verum si morbus ad nonum uel decimumquartum uel uigesimum sese prorogaturus sit, in eo circa initia ptisanæ cremore utimur.

**BRASAVOLUS.** Primo, ut Galenus exponat particulam genus in principio sententiæ positam, ait se inuenisse, apud antiquos Græcos reperiri nomen generis in homonymis. i. æquiuocis plerūq; usurpatum esse in ipso æquiuocato uno. s. ut canis est homonymū, tn̄ hoc nomen canis sine aliquo addito significat latrabile animal. declarat uero quæ sint æquiuoca, inquiens illa esse, quæ unum habent significatum, qd' diuisum in multas partitur differentias. unde secundum hoc sæpius dicere solemus huius rei esse genericas differentias, uel duas, uel tres, uel quatuor, uel quotquot sunt. Verum hæc homonyma sunt duplicia. quædam nullo pacto inter se communicant, quæ simpliciter ęquiuoca dicuntur, ut cum canem dicimus, & coelestem & marinum intelligimus, quæ distincta intelliguntur, & in nullo penitus communicantia. aliqua uero sunt æquiuoca, quæ similitudinem quandam habent cum uniuocis, quando secundum alterius appellationem denominantur, ad qd' ea referuntur quæ dicunt analoga, quia per proportionem dicuntur, ut sanum dicitur de homine, primo dicitur de urina & de medicina. secundario & per quandam similitudinem, qa hoc sanitatem significat, illud sanitatem inducit. hæc ad rem reducentes, duo sunt causorum genera. quod notum fiet si ratio substantiæ utrorūq;, quæ in appellatione est, declaretur. uerum quia ratio ipsa (inquit Galenus) à mentis conceptu iudicium accipit, considerādum est si conceptum mentis causi habeamus, ita consonum ut habemus mentis conceptum hominis, bouis, & equi. Verum si hęc considerare uelimus, oratio fiet prolixior commentario, propterea conabimur & ipsam & cæteras ad breuem summam deducere. itaq; de causo aggrediemur, & quod dicit, homonymus inquam, quæ unum quidem habent significatum, intelligēdum est, unum habere nomen, & multa significata, licet & unum sit principale significatum in æquiuocis analogis. Cōmentationis initium est antiquos usurpasse nomen generis in æquiuocis. hoc dicit, q̃m sola uniuoca proculdubio genera dici possunt. unde cum nomen causus sit æquiuocum, ab antiq̃s etiam dicetur genus. est uero æquocum analogum. s. per proportionem dictum. hoc est, primo dici de uero causo, secundario, de causo mendoso.

Secundo, uerum causum describere uidetur Galenus, cum dicit, q̃n urens caliditas & sitis incompescibilis hominem torquet, uocatur à medicis causus. ppterea si contingat (ut contingit) aliquem habere causum, tn̄ non uri, & sitim habere leuem, nō erit ille causus exquisitus nuncupandus, neq; legitimus. unde hic causus, qui solum in dimidio causus est, breuioris doctrinæ

graria, causus nothus nũcupari poterit. Sicuti etiam in tertianis febribus consueuimus eodem nomine, & eadem appellatione uti. Vnde ut dicuntur duo esse tertianarũ genera, ita dicemus duo esse causorum genera· unum exquisitum atq; legitimum· aliud nothum & spurium, cui legitimi causi aliqua insunt symptomata, aliqua non insunt. Verum hunc causum, de quo sermo nunc fit, causum esse diminutum & nõ exacte absolutum certior fies, si ad illa symptomata mentem adhibueris, quæ ab ipso authore in tali causo fieri referuntur.

Tertio, Galenus causi nothi & spurij symptomata omnia percurrit. in principio enim dixit. s. Hippocrates (ut Galenus refert) aluus soluta, sitis magna, lingua aspera, sicca, salsa. & illa hic nõ refert, quæ in p̄cedẽti causo posuerat, & ideo causus nothus unũ habet ex symptomatibus ueri causi, & aliud non hẽt. Sunt uero exquisiti causi duo uehementissima symptomata, caliditas, & inextinguibilis sitis. In notho causo adest quidem sitis, sed non uehementissima caliditas, unde unũ symptoma seruat, aliud non seruat. q̃uis dici posset nullum exquisite seruari, quia neq; sitis est adeo intensa, tamen non est opus negare in hac febre caliditatem uel sitim, sed neganda est uehementissima caliditas & uehementissima sitis. Iccirco & si dicat alterũ habet ex duobus symptomatibus. & alterum non habet, intellige utrunq; remisse habere. At quia caliditas est remissior q̃ sitis, propterea caliditatem ponit ueluti id quod non habet, sitim ueluti id quod habet.

Quarto, Galenus notat ab hoc authore dictum esse, linguam asperam & siccam, non adiecisse uero nigram, sicuti fecit in uero causone, sed loco particulæ nigra, posuit particulam salsa. nam cum lingua amara redditur, flauam bilem abundare significatur· cum salsa, pituitam, & humorem salsugineum uocatum, qui est inter pituitæ genera abundare ostẽditur. sunt uero pituitæ genera tria, acidum, dulce, salsum.

Quinto, Galenus notat, sicuti exquisitus causus, qui ex amara bile constabat duplici de causa pallidas excretiones gignit, tum quia tenuis, tum quia febris ardẽs augetur. nam bilis flaua prænoscitur in hoc causo, & quæ insumuntur in illam conuertuntur. ita humor pituitosus neq; facile excernitur, neq; febrem auget, neq; sitim ardentem habet, neq; in spiritum uertitur uanescitq;. ob hanc causam simpliciter dixit aluus soluta, & non adiecit uel pallida, uel aliquod aliud, ostendens ipsam solam excerni pituitam, uel ostendẽs solum excernere id quod aduersatur huic, quod est non excernere. nam in his hominibus qui hoc spurio causo laborant, uenter deijcit, sed non secũdum humoris cuiuspiam formam & speciem. solum illa excernũtur quæ in alimentum ministrata sunt, & prius etiam sunt corrupta q̃ excernantur. nam hi non regũtur solo potu, ut illi qui legitimo causo deprehensi erant. nam qui hoc causo laborant, edunt & bibunt, quia morbus est longior. qui uero legitimum habebãt causum antiquitus solum bibebant. Nota uero Galenum dicere, ut q̃plurimi eorum qui priori causo infestantur, quia aliqui etiam in priori causo non bibebant, sed uel sorbebant, uel comedebant quando uires erant imbecillæ. quippe si considerentur qui legitimo causo deprehensi sunt, excretionem habent citam, quia tenuem & feruentem humorem habent, qui humor mordicat intestina, & citam facit deiectionem. at qui habent causum nothum, seram habent excretionem, ob frigidam glutinosam & crassam pituitæ substantiam, unde qui hoc secundo causi genere laborant, solo uti potu non possunt. hoc etenim in illis morbis fieri didicimus, qui in quinta uel septima die uirtute constante coctionem recepturi sunt. nam in his satis est potus, imo & nihil dare. At si morbus ad nonum diem prorogaturus sit, uel ad. 14. uel ad. 20. in tali morbo circa initia, ptisanæ cremore utimur, ut in febre hac ardente pituitosa ptisanæ cremore utimur, quia morbus est qui non finitur ante quartumdecimum diem, imo plerunq; quadragesimum attingit. ita mos erat antiquo tempore ptisanæ cremorem præbere, sed nostro tempore in hoc casu dant & partem ex iure pulli, & eiusdẽ carnes, neq; uinum exhibere uerentur, dilutum tamen.

In eo autem ambigere poteris quod à Galeno dicitur, pallidas excretiones ob duplicem causam haberi in priori causo. causæ uero hæ sunt, & quia tenuis, & quia febris ardens augeatur, sed hæc non uidetur esse excretionum pallidarum causa, quia humor sit tenuis. Respondemus, non probare Galenum esse pallidas excretiones, quia tenues. sed probare intendit quòd excernentur, & cito. hoc uero probat, quia tenuia excremẽta. & licet dicat pallidas, id est quia in præcedente causo dicebat esse excretiones pallidas. hic uero causam reddere uolens cur in præcedenti causo excernebantur, iterum repetit excretiones pallidas, & inquit excerni supple cito, quia tenues. unde quod de pituita in secundo excernitur causo, ostendit ipsum loqui de facili excretione. Iccirco addit pituitosum humorẽ, neq; facile excerni, neq; febrem augere, neq; sitim ardentem habere, neq; in spiritum uerti. hoc apertissime ostendit in hac parte de facili excretione, intelligendum fuisse.

Sed esto loquatur de facili excretione, quid facit febris augmentum ad facilem excretionem? Respondemus, multum facere, quia & materia magis acuitur, & intestina magis mordicat, excitatq; ad expellendum.

Petes, an alimenta in hoc causo subministrata corrumpantur. Respondemus, si minera in uentriculo sit, uel in iecore, uel in intestinis gracilibus proculdubio corrumpi. at si in alia sit parte, corrumpi necessarium non est.

Sed ambiges, an hæc salsa pituita frigida sit glutinosa & crassa, cum alibi à Galeno calida dicatur, & profecto effectus facit calidos. Respondemus cum, apud Galenum hæc pituita dupliciter fiat, uel ob putredinem, uel ob miscellam aquositatis salsæ, iccirco dicendum est materiam illam & substantiam pituitosam esse crassam frigidam & glutinosam. quod uero illi miscetur salsum est calidum, & quãdo putrescit, ex putredine caliditatẽ acquirit. p̄pea p̄be dicit pituitæ substãtiã esse frigidã crassam & glutinosam, quia pituitę substãtiã simpliciter intelligit. Hoc quoq; speculatione dignum est, an in causi initio, qui ad uigesimum usq; diem pertingere debeat, ptisanę cremore uti debeamus. Respondemus, talem fuisse morem Galeni tempore, sed nostro tempore à pullorum carne nõabstinent. sed hac de re postea loquemur cum de cibis uerba fient qui sunt consueti dari in hoc causo.

## Hippocrates. Sectio XIIII.

### Vrinæ defectus.

In hac ardente febre hoc aliud habetur indicium, urinam deficere. i. uel non emitti, uel cum difficultate emitti.

BRASAVOLVS

οὔρων ἀπόληψις. i. urinæ defectus fit, quia materia est crassa & glutinosa, quæ hunc facit causum. ne uero intelligas urinam penitus deficere, sed respectu eius quod bibitur in parua exire copia· hoc non est huius febris perpetuum signum· quia si materia in gibba iecoris parte putreat, profecto aderit urinæ defectus, uel in meseraicis. sed in alijs partibus nõ est necesse urinã deficere, nisi intellexerimus materierum defectum quæ à materia peccante in urina decisę exeunt: cum uero sit materia crassa & cruda, non tam facile per urinæ uias exit. potuit & in præcedente causo adesse urinæ defectus, sed et pręter id q; loci essent affecti, per quos urina meat. uehemẽs etiam febris caliditas humiditates exiccare potuit, quæ per urinam exire debuissent, & ex cõsequenti urina defecisset. imo inter alia quæ in curãdis his febribus agere debemus est urinam prouocare. propterea hic author debuit & hoc indicium posuisse in præcedente causi genere, & ideo non est perpetuum hoc indiciũ in aliqua causi specie. Scito autem si hi renum inflammationibus essent obnoxij, urinæ suppressio facile fieri posset. quod Galenus in libello de pulsibus ad tyrones notat, ubi de pulsuum causis uerba facit. Si uero petas, quænam pro hoc urinæ defectu sint exhibenda? Respondemus, plura à Galeno referri in uarijs locis, nam in libello de remedijs paratu facilibus censet hoc præstare apij decoctum in febre ex aqua, & decoctum ciceri, quæ à similitudine

dine

dine κρίου. idest ariedna uocantur. multa quoq; in libello Galeno ascripto de medicinis facile parabilibus edocentur, sed plura q̃ aliis in locis in methodo medendi referuntur, quorum tu summã uidere potes. Optimus potus in hac pituitosa est oxymeli, in quo sit decoctum petroselinum uel apium, uel aliud simile ex his quae aperiunt & incidunt, ac attenuant crassam & glutinosam materiam.

GALENVS. Dici id ab ipsis consueuit, uel cum non effatu digna, uel nullo pacto emittitur urina. Fit autem in instituto praesenti sermoni causo propter humoris crassitiem.

BRASAVOLVS. Quoties antiqui medici particula hac, urinae defectus utuntur, quandoq; illam intelligunt in ęgro tunc esse, quando uel nõ emittitur copia effatu digna, uel nihil penitus emittitur. In presenti causo fit ob humoris crassitiem. nam humor hic pituitosus est crassus, & difficulter exit. Imo impedit ne alia exeant: hoc autem est quoties fuerit in loco aliquo haec materia, in quo possit impedire.

## Hippocrates. Sectio XV.

Vigilia.

BRASAVOLVS. Hoc signum est & praecedenti causo cõmune: nam sectione 4. inter praecedentis causi signa uigilias posuerat: fiebant uero in praecedente causo, ob materiam illam biliosam capitis partes calefacientem & exiccantem.

ἀγρυπνίη. i. uigilia, quę in hoc fit causo ob calidos fumos qui à materia hac putrente & salsa corporis partes exiccante & calefaciente eleuantur.

Scito uero uigilias non esse in hac febre necessarias, quoniam fieri potest, ut nulli uapores in caput ascendant, & capitis partes non incalescant neq; exiccentur.

GALENVS. Causo utriq; commune, id est, atq; ob id in priore mentionem huius fecit: fit siquidem in illo magis quod caput accendatur, inflammeturq; magis.

BRASAVOLVS. A Galeno notatur hoc symptoma cõmune esse utriq; causo, propterea & in praecedente causo uigiliarum meminit: imo adde esse magis in illo causo exquisito, quàm in hoc mendoso quoniam et in illo causo caput magis accenditur & inflammatur, cum materia sit calidior, acrior, & tenuior, & quae facilius ascendat, quàm haec pituitosa salsa.

## Hippocrates. Sectio XVI.

Et refrigerata extrema.

BRASAVOLVS. Cum exquisitus causus duo habeat symptomata pathognomonica sitim iotensam, & ardentẽ calorem. hoc symptoma scilicet extremorum frigiditas secundum Galenum non potest esse in primo causo, sed profecto erit secundi causi symptoma, in quo praeter alia, extrema quoq; infrigidantur.

ἀκρωτήρια ἐψυγμένα. i. extrema refrigerata, hoc multis modis intelligi potest primo de refrigeratione quae in accessionũ initiis fiet nam & si febris continua sit, quia materia est in uenis. tamen cum quotidie augeatur & decrescat, in initio cum crescere incipit, & à pituita fiat, aliqua extremorum frigiditas persentitur, quae profecto non est uera frigiditas, sed est (ut recensiores inquiunt) frigiditas quaedam priuatiua, quę in primo causo non reperitur, quia caliditas semper intensa est, & raro habet quotidianas excrescentias, hic est unus intelligendi modus hoc extremorum frigus: tamen hic modus non est Galeno consuetus, qui potius censet esse frigiditatem ob uirium imbecillitatem, & ideo in tertio prorrhetici sectione 61. Galenus dicebat Ardens maligna, cuius supremae partes non calescũt, & in secundo cõmẽtario in primum Prorrethici sectione 49. inquit refrigeratio in febre ardente pessimum signum. Icirco dicere oportet hoc iudiciũ non esse perpetuum, sed inesse nonnunq̃, quando scilicet hic causus fuerit uehementissimus, & malignus: tunc enim uires deijciet, & extrema fient frigida, quoniam in uirium defectu sanguis & spiritus intus ad arcem contrahuntur, & extrema ipsis priuata derelinquunt: iccirco frigida fieri necessarium est.

GALENVS. Symptoma hoc secundi est causi. Verum sermonem non simpliciter efferre conuenit, sed cum definitione aliqua. Neq; enim perpetuo talis existit, at cum malignus fuerit. Nempe in biliosis urentibusq; febribus, caliditatem ad extrema usq; corporis extendit, etsi non non malignus causus fuerit. At in pituitosis fumosa est caliditatis substantia, cum scilicet uel in uentre uel hepate uel pulmone salsus homor putruerit, ob quam quidem caliditas ignea redditur. Verũ si malignus fuerit morbus, refrigerantur extrema ob uirtutis imbecillitatẽ, phlegmonesq; totum ad se sanguinem trahentis magnitudinem. Nam absq; his nunquam letalis efficitur morbus.

BRASAVOLVS. Primo à Galeno notatur hoc symptoma esse secundi causi quoniam primi causi symptoma proprium est habere uehementissimam caliditatem. At dices nonne & in hoc causo necessarium erit cum uires deficient, extrema infrigidari? Respondemus infrigidari profecto in exquisito causo extrema cũ uires deficiunt, tamen non fiet tam cito ut in secundo causo, ob acrem caliditatem, quae per totum corpus sparsa est, unde dici poterit esse secundi causi symptoma proprium, quia citius in eo fit.

Secundo Galenus notat non debere simpliciter pronunciari illum sermonem, sed cum aliqua definitione. nam hic causus perpetuo frigida extrema non habet, sed tunc erunt frigida, cũ fuerit malignus.

Tertio Galenus notat in ardentibus febribus & biliosis, quae primum faciunt causi genus caliditatẽ extendi usque ad extremas corporis partes, quamuis non sit causus malignus. Verum in pituitosis causis, quale est hoc secundum genus, caliditatis substantia fumosa est, & crassa, cum scilicet uel in pulmone, uel in uentre, uel in hepate salsus humor putruerit. ob quam substãtiam fumosam, naturalis caliditas efficitur ignea. Et hoc est etiam in causis non malignis. At si morbus fuerit malignus, extrema refrigerãtur ob uirtutis imbecillitatem: uis uero fit imbecilla ob inflammationis magnitudinem, ad se totum sanguinem trahentis: nam hic morbus absque his nunq̃ efficitur letalis.

Scito in hoc causo ex materia salsa fieri inflammationem in membro in quo est morbi radix. At cum inflammatio ex sanguine fiat, opus est hic inflammationem latiuscule intelligere ad eam ampliantes quae ex sangule fit pituitoso, & praeterea sanguis in locum currit: nam cum inflammatio fit tumor dolens durus, ob dolorem sanguis & spiritus illuc currunt, & maiorem faciunt inflammationem, & ex consequenti dolor magis crescit, ita ut extrema sanguine ac spiritibus denudata relinquantur, itaq; frigescunt, cum id non habeant, quod est caloris fons & uehiculum, tamen & hoc idem potest cõtingere in exquisito causo, et ita extremorũ frigiditas illi contingere poterit. Tibi forte uidebitur morbum hunc absque inflammatione posse esse letalem, si in pulmone sit accensio, et non talis ut inflammationem faciat. Respondemus impossibile esse hunc causum esse letalem, nisi materia in membro in quo radices iecit, inflammationem fecerit. Cum enim absq; inflammatione in hoc fit membro, non meretur etiam ut causus nũcupari debeat, propterea opus est ut semper uel inflammatio fiat, uel nonnihil inflammationi simile.

Sed petes an sint alia huius causi signa praeter dicta? Respondemus posse & alia symptomata cõcomitari. ut capitis dolorem, & urinas albicãtes: sed haec non sunt certa & perpetua signa, haec tantum sunt propria, sitis magna, lingua aspera & sicca, sed haec non sunt tam uehementia ut in causo. Ratione sedis, cui materia innititur symptomata adsunt indicantia, quia materia potest esse uel in pulmone, uel in uentriculo, uel in iecore ut etiam in exquisito causo dictum est.

## Hippocrates. Sectio XVII.

Causus hic, nisi sanguis e naribus fluxerit, uel

circa collũ abſceſſus fiat, uel crus doluerit, & ęger ſputa craſſa excreauerit, (hæc autem aſtricta aluo fiunt) uel coxæ dolor, uel pudendi liuor ſuperuenerit, non iudicatur. teſtis quoque intenſus iudicatorius exiſtit.

## BRASAVOLVS.

Nunc ab Hippocrate, uel ab huius libri authore modi quibus hic cauſus curatur edocentur, ut ex his medicus anſam agendi accipere poſsit. Idq́ ſingulatim explicabitur. Dicit ergo hoc cauſi genus non iudicari niſi ſanguis è naribus fluxerit, uel niſi abſceſſus quidam circa collum erumpat, uel crus dolore afficiatur, & ęger craſſa excreet ſputa (nota uero hæc omnia fieri cum alui ſimul adſtrictione) uel niſi coxæ dolor incidat, uel liuor quidam circa pudendum innaſcatur. imo notat & ſi teſticulus intendatur, poſſe eſſe ſignum iudicatorium. hi ſunt oẽs modi, quibus hic cauſus in ſanitatem perducitur, quando natura ipſa agit, & à medico nõ incitatur, neq; adiuuatur, nam medicus poterit & uenæ ſectionibus & medicamentis hæc prohibere, & tandem ſanitatem inducere ac probe.

Τῷ τοιούτῳ ἢν μὴ αἷμα ἐκ ῥινῶν ῥυῇ. hic cauſus niſi ſanguis è naribus fluxerit, adde uerbum quod eſt in calce fere ſententiæ, non iudicatur, hic eſt unus hunc cauſum ſanãdi modus, ex profluuio ſanguinis narium, quando fiat in die iudicatorio, nam in alijs diebus non conuenit, tamen hoc ſolum contingere in illis cauſis iudicat Galenus, qui in pulmone ſedem habent, quoniam in hac affectione caput incaleſcit, quo calefacto ſurſum attrahitur ſanguis & ſimul ſpiritus attrahuntur, unde neceſſe eſt uenas quæ in capite ſunt, uel aperiri uel diſrumpi, itaq; per nares ſanguis exit, Galenus in. 29. primi libri commẽtariorum in primum epidemiorum ſectione inquit, profluuium ſanguinis narium eſſe peculiare febrium ardentium. Sed contra hoc ambiges, quoniam febris de qua hic agit Hipppocrates, eſt mitis, tamen Galenus præcitato loco dicit ſanguinis profluuium non eſſe in ardentibus mitibus, igitur hic fruſtra dictum eſt, ſanguinem è naribus fluere. Reſpõdemus Galenum intelligere in mitibus non eſſe neceſſarium adeſſe, tamẽ non it inficias adeſſe poſſe, & intelligit in mitibus à bile non à pituita, & pituitoſę omnes non ſunt mites, nam & in hoc genere ſunt aliquæ fortiores.

At dices cum materia quæ hanc febrem facit, ſit pituita ſalſa, quomodo liberabitur æger ſanguine abeunte? Reſpondemus liberari, quia exeunte ſanguine ſimul exit & pituita, quæ in uenis eſt, & quæ facit cauſum. Adde exeunte ſanguine neceſſarium eſſe materiam in pulmone exiſtentem diffundi, & ita ceſſabit affectio, quia facilius poterit à natura regi & reſolui quod eſt in partes diſtributum.

Scito hinc colligi hoc cauſi genus per uenæ ſectionem expelli. & ſi dicas uenam ſecari non debere, quia ſanguis eſt pituitę frenum, & ideo ſanguine ablato pituita uehementius moleſtare poterit. Reſpõdemus ſectionem uenæ (ut ſuperius dictum eſt) ſemper fieri cum magnus eſt morbus, & adſint conditiones quæ non impediant, ut ſit in uigenti ætate cum uirium robore, hic morbus non eſt paruum magnus, & materiæ ad præcipua membra diſcurrunt, nempe aut ad pulmonem aut ad uentriculum, aut ad iecur, propterea neceſſarium eſt uenam ſecare, tamen & abſq; uenæ ſectione ſanantur, ſed per euacuationem, cum in pulmone eſſe deprehendes, & circa caput caliditatem perſentiat æger, uenam tute ſecato, niſi uideris naturam per nares iam emittere cœpiſſe, uel ſigna oſtendiſſe, ex quibus oſtendatur per nares fluxurum eſſe ſanguinem, tunc enim naturæ potius adiuuanda eſt per illam uiam, quæ eſt conueniens regio, quàm brachij uenam ſecando, naturam à ſuo opere diuertere.

Sed petes ex quo loco ſit uena ſecanda in hoc caſu? Reſpondemus ſi in pulmone ſit & intentio ſit euacuandi à loco, aſillaris uena accipienda eſt. at ſi caput tantum reſpexerim, quia uideřim ob caliditatem ſanguinis copiam in capite eſſe collectam, humeralis uena accipienda eſt. at ſi utrunque ſimul efficere uoluerim, communis uena ſumenda eſt, quamuis quælibet uena à toto abducat, & euacuet. at ſi affectionis ſedes in uentriculo ſit, uel in iecore, aſillarẽ uenã ſemp̃ diſſecandã iubebimus.

ἢ ἀπόστημα περὶ τὸν τράχηλον γένηται. i. uel circa collũ abſceſſus fiat, per collum uero & partem poſt aures, & ceruicem intelligito, plerũq; enim hi abſceſſus poſt aures emergũt, quia pars illa eſt capitis emunctorium, quãdo ob calorem qui in caput concipitur, propter uapores à pulmone aſcendentes, materia fuerit in capite collecta, abſceſſus poſt aures & parotides plerunq; fiunt, quandoque non ſunt immediate poſt aures, ſed in colli partibus innaſcuntur, ut hinc colligi poſſit, materiam in pulmone eſſe, & caput calefacere, & ob id ſanguinem in capite colligi poſtea uel ad nares apertis uenis, uel ruptis trãſmitti, uel poſt aures uel circa collum, & materia quæ circa collum abſceſſus gignit, uel poſt aures, in capite eſt, quamuis poſſet & materia quæ eſt in pulmone, ad has tranſmitti partes, uerum tamẽ materia quæ in pulmone uel in thorace eſt, ſi in proprio loco abſceſſus facere debeat, ut plurimum illũ ſub alis facit.

Scitoq; febres has, quæ ex putreſcente fiunt pituita per abſceſſus ut plurimum ſanari, ut ab Hippocrate & Galeno in ſecundo prognoſticorum declaratum eſt.

Petes uero quodnam genus abſceſſus illud ſit. Reſpõdemus ſi ex ſanguine ſit ob caliditatem in capite collecto, quam pulmo capiti communicat, inflammatio erit, ſi eſſet pituita ſalſa, eſſet œdema, & ſub alis fieri poſſet, quamuis hic ab Hippocrate non exprimatur, & tunc haberet hanc naturam, quia eſſet materia à pulmone ad alas tranſmiſſa, & cum illa materia pituita ſit, eius generis tumoris efficiet, neq; erit uera inflammatio, quis ſuperius ex hac materia abſceſſus inflammatio nuncupatus ſit. at dices quomodo ſi à ſanguine fiat pituita ſalſa remouebitur? Reſpondemus, quia deinceps ad dolentem locum atque læſum tranſmittetur.

Petes uero an liceat prouocare hos abſceſſus. Reſpondemus, ſi à medico uideatur, naturam abſceſſum iam cœpiſſe, & deinceps ſiſtere, tunc emplaſtris uti debet attrahentibus. forte hoc reprehendes, quia in abſceſſuũ initijs repercutere oportet, cũ ergo in initio, nũc ſimus, potius repcutere oportebit, q̃ attrahere. Rñdemus differentiã eẽ inter abſceſſus iudicatorios, & alios nõ iudicatorios, qppe in non iudicatorijs primo repcutere debemus, potiſsimũ cum ſunt in præcipuis partibus. At abſceſſus iudicatorios iuuare debemus, ut exeant, quando ęgre prodeunt, & prouocare, idcirco attrahẽtibus potius utamur, quàm repercutientibus, præſertim cum in loco ſunt ad exitum conuenienti & emunctorio, abſceſſu extra attracto maturamus.

At dices cum hic abſceſſus à ſanguine ſit, erit inflammatio, in qua frigidis uti debemus, attrahentia uero ſunt calida, propterea non recte curabimus, ſi attrahemus, quia calidis utemur. Reſpondemus, nos calidis tempore uti, & oleum roſaceum apponere, & eiuſdem generis alia, quæ non multum calefaciant, tamen & in hoc caſu nihil referet calida apponere quoad materia fuiſſet plene extracta, etiam ſi augeretur inflammatio, poſtea adhibenda ſunt emplaſtica, ut abſceſſus ad maturam perueniat, id facile fiet ex Galeni emplaſtro, ex triticea farina, communi oleo, & aqua confecto.

ἢ σκέλεα ἀλγήσῃ. i. uel crus doluerit, ſi in pulmone ſit cauſi ſedes, crurũ dolor fieri non poteſt, quia materia ad infernas partes non tranſmittitur, at ſi in uentriculo ſit, iecore uel ieiuno inteſtino, tunc infernę partes affici poſſunt, & licet dicat crura dolere, tamen intellige & circa coxendices fieri abſceſſus, nam hæc adenoſa coxarum pars, iecoris redundantias, uentriculi, & ieiuni inteſtini facile recipit, ſi materia ſit pituita ſalſa quæ cauſum faciat, & ſimul abſceſſus, abſceſſus erit œdema, ſed ob ſalſedinem calidior. At ſi ſit ſanguis, qui tranſmittatur, erit inflammatio, fieri tamen poteſt ut non ſit abſceſſus, ſed ſolus dolor, qui ob materiã extendentẽ in aliq̃ crurũ parte fiat, poſſuntq; hi abſceſſus, nõ ſolũ in coxis, ſed & circa crura fieri nõnunq̃ hę

crassæ

crassæ materiæ ob putredinia calorem in cinerem rediguntur, & is cinis ad crurum iuncturas à natura trãsmittit, doloresq; inducunt. In quartanis hoc in dies experientia uidetur, ægros omnium artuum dolores incidere, præsertim quoties diu quartanam perpessi sint.

καὶ πτύσματα παχέα πτύων. idest, & sputa crassa excreauerit. Potest & ex sputis iudicari hic morbus, non tamẽ quilibet, sed is solum, qui in pulmone sedem habet, nempe materia ista percocta & crassiuscula reddita expuitur, quãuis & ex se crassa sit: cumq; hunc expuere uidemus, & sedem in pulmone fuisse iudicauimus, tunc sputa prouocare debemus, & illa quantum possumus attendere, si materia nimis crassa uideatur illam attenuare, si tenuior est, quàm opus sit, incrassare, sed in hoc casu est pituita quæ crassa est, unde cũ sputa exiuerint, quæ crassa sint, & tali crassitie quæ coctionem ostendat, hic causus per sputa iudicatur, nullum autem aliud causi genus per sputa iudicari potest, præter illud quod in pulmone sedem habet,

ταῦτα δὲ ξυνισταμένης τῆς κοιλίης γίνεται. idest, hęc sũt aluo adstricta fiunt. nam posset causus hic, per alui profluuium iudicari, potissimum cum in iecore, uel uentriculo sedẽ habet, uerum cum per aluum materiæ exeunt, hæc fieri non possunt quæ dicta sunt, propterea ab authore additum est hæc fieri cũ aluus adstricta est, uel hoc ad propinquam conditionem solum referatur, quæ est de sputis crassis.

ἰσχίων ὀδύνη. idest coxarum dolor, adde & tumor, nam ut dictũ est, materiæ quę uel in iecore, uel in intestino ieiuno sunt, ad crura & coxas facile transmittuntur, & ita coxarum dolorem efficiunt, & circa illas abscessus, superius de crurum dolore locutus est, nunc de coxarum dolore, sed in utraque parte possunt & abscessus fieri, qui erunt, si ex materia pituitosa constent, œdemata, si ex sanguinea, & sanguine qualicunque in uenis contento, phlegmone.

ἢ αἰδοίου πελίωμα. idest uel pudendi liuore. Materia pituitosa liuidam reddit partem, & subalbidam, ad quam descẽdit, unde si materia in iecore sit, uel in ieiuno intestino, & contingat pudendum esse imbecillum, materia ad pudendum transmittitur, quod facile fit ex transitu per renes, & urinaria uasa, ex quo pudendum intumescit, & quia materia pituitosa est, liuidum efficitur. Tamen posset & materia quæ est in uenis, simul cum sanguine mitti & tunc non erit pudendum liuidum, sed potius rubrum, nempe uidebitur potius inflammatum, quàm œdemate affectum, facilius uero est pituitosam materiam ad pudendum transmitti, quàm ad coxas uel crura, propterea expressit hanc partem debere esse liuidam, & nullum alium colorem retulit. sed ambiges cur non dixerit pudenda tumida. Respondemus potuisse & id dicere, sed ueluti notum esse supposuit, nam cum materia illuc currit, pudendum intumescit.

οὐ κρίνεται. i. non iudicatur, hæc est conditio, quæ omnes huius morbi solutionis modos determinare debet, ut sensus sit, nisi sanguis ẽ naribus fluxerit non iudicatur, nisi abscessus circa collum fiat non iudicatur, nisi æger sputa crassa eiecerit, non iudicatur, nisi coxę superuenerit dolor non iudicatur, nisi pudendum liuidum effectum sit, non iudicatur.

καὶ ὄρχιος ἔντασις κριτικόν. i. & testis intentus iudicatorius existit, potest etenim materia illa quæ ad penem descenderit, ad testes transmitti & testium intensionem gignere, icirco iudicat & testes inter iudicatoria signa numerandos, quia & ad ipsos testes materia transmitti potest, ad quos cum transmissa fuerit intumescunt & intenduntur, ac dolent. Vnum hic author prætermisit, hanc. s. materiam ad alas transmitti posse, & de alui profluuio nihil disseruit, cum tamen in illis per aluum facile ducatur, qui habent in iecore uel uentriculo materię sedem, quomodo autem materiæ à pulmone ad testes facile transmittantur, egregie Galenus docet in primo commentario in primum epidemiorum sectione. 13. quo in loco in nostris illius loci commentarijs multa disseruimus, & in tertio commentario in tertium epidemiorum sectione 74. ostendit thoracem & genitalia inter se habere consortium. Copus sua in interpretatione nonnulla habet uerba, quæ in Græcis codicibus absunt, hæc uidelicet, atque similiter solutam aluum ardor comitatur. Arbitramur Copum in nullo codice uidisse hanc particulam, sed illam addidisse, quia uidetur à Galeno in commentatione considerari: At Galenus id dixit, quia particulam in sectione. 13. positam interpretabatur, ubi de hoc mendoso causo loqui incipit, & inquit. Aluum habere solutam, qua de re in Galeni commentatione agemus, nam in sensu, quem referet, aluus soluta hunc sequitur causum, tamen non exprimit pituitosa, uel alterius rei excrementa.

GALENVS. Quòd soluantur per abscessus magis quàm per excretiones quæ ex pituita putrescente oriuntur febres, sæpius est demonstratum. At in præsenti causo non abscessus modo commemorauit, uerum quoq; & sanguinis profusionem adiecit, magisque in his caussis quorum sedes in pulmone existit. Nempe in huiusmodi affectionibus caput incalescit, sanguine repletur, effunditq; quod ex eo redundat tum ruptis, tum adapertis uenis. Ob eandem causam ceruici abscessus fiunt, & parotides his qui ita afficiuntur. Verum quibus affectionis sedes in ieiuno uel hepate existit, deorsum magis fiunt abscessus: qua efficitur ratione ut crus doleat, pudendum liueat, testiculusque his tendatur qui ita afficiuntur. Fit autẽ testis intentio interdum ab ea quę in eo fit inflammatione, interdum quoque & ob cuiuspiam eorum quæ superius inflammantur ulcerationem. Quosdam autem eorũ qui in pulmone afficiuntur, crassa expuere cocto iam morbo diximus. Ex eo igitur liquet doctrinã confusam esse, inordinatam & indefinitam: quod tametsi eam quæ librorum gratia fit illustrationem euidentiamq; deceat, libro tamen nullo pacto est peculiare propriumq;. Nam cum multis membris passis tales fiant febres, deinceps & ex ordine symptomatum catalogum scribere oportebat, & non inordinate indefiniteq;, sed secundum peculiarem propriumq;, & præsentem morbum efficere. Et sanè in hunc dictum est modum, aluus soluta: non quòd causis symptoma hoc perpetuo insit, sed ut interdum. Nam quibus uenter ita ut dictum afficitur, his corrupto cibo deiectiones liquidæ existunt. Verum quibus pulmo ita habet, uentre haud quaquam patiente, his deiectiones huiusmodi de necessitate non fiunt, cũ interdum modo contrario ita affectis dura aluus contingat, & difficulter excernant. Preterea & quibus in iecinore causi subest radix, & qui ob iecur causo laborant, ita quæ excernũtur, interdum quidem liquida existunt, & interdum sicca, ueluti quæ σφυράδες appellantur, quasi in gyrum uoluta spirosaque dixeris combustis scilicet à uisceris phlegmone siccioribus, & quasi in nucleũ formatis excrementis: σκύβαλα Græci uocant. Cum igitur uiscus huiusmodi solum phlegmone obsidebitur, id efficiet. Verum si cum phlegmone fuerit & imbecillitas, liquida deijciuntur, uiscere scilicet alimentum ad se trahere nequeunte. Sed deiectiones huiusmodi ab his quæ uentre affecto fiant, chylositate distinguuntur.

BRASAVOLVS. Primo à Galeno notatur, febres, quæ ex pituita putrẽte fiũt, magis solui per abscessus, quàm per excretiones, idquẽ sæpe demonstrauit Galenus, sed potissimum in tertio prognosticorum, & in secundo de morbis uulgaribus libro, in præsenti uero ardente febre, non tantum de abscessibus mentionem fecit, quamuis ex pituita sit, imo & sanguinis profusionem adiecit, quæ profusio magis fit in his causis qui in pulmone sedem habent, quàm in alijs, nam in eiuscemodi affectionibus caput incalescit, & sanguine repletur, & id effundit quod ex eo redundat, uel ruptis uenis, uel adapertis, & ob hanc eandem causam fiunt abscessus circa ceruicem, & parotides idest post aures abscessus his qui ita afficiuntur. Galenus uero in primo commentario in primum epidemiorum sectione. 10. quomodo parotides fiant in ardentibus ostendit. Causa uero cur in pituitosis morbis per abscessus ut plurimũ materia transmittatur est materiæ lentor & crassities, & morbi longitudo, ut à Galeno in tertio prognosticorum edocemur, & in secundo de arte curatiua ad Glauconem.

Scito Galenum dixisse magis esse sanguinis profusionem in caussis qui sedem habent in pulmone, non quia inficias eat & esse posse in causis quidem habent in iecore, nam & in his potest caliditas induci in caput, & sanguinem illuc currere & spiritus, & uenas distendere ac coustringere. Galenus in primo libro cōmentariorum in primum epidemiorum sectione. 9. notat idem contingere uenis, quod utribus & dolijs cum sunt plena musto, ob flatus & spiritus disrūpūtur, ita spiritus sunt causa in uenis, ut uenę disrumpant, qm̄ in ipsis efferuescūt humores.

Scito q̄ cum fiunt abscessus in ceruice, uel post aures, tunc non fieri alui profluuiū, quia is humor, qui disrupisset uenas, aliam sedem quæsiuit.

Secundo Galenus notat, illos qui habent affectionis sedem in ieiuno, uel in iecore incidere potius abscessus ad partes ifernas. unde quando in his sunt partibus materiæ causum faciētes crura dolēt, pudendū liuet, testiculi tēdunt his qui ita affecti sunt. Et si dicat magis fieri deorsum abscessus, nō it inficias fieri posse sursum, sed rarius est.

Tertio Galenus notat testiculi intentionem ob duas posse fieri caussas: una est, si in ipso testiculo proprie sit inflammatio, alia ut inflammatio non sit proprie in teste, sed sit in parte superiore, quæ testem ipsum per compassionem extendat, constat enim si partes supra testes inflammentur & ulcerentur, testes ipsos compati & extendi. Scito uero, inflammationem lato modo accipi, quia pituitosa materia proprie inflammationem non facit, tamen posset esse sanguis & esset uera inflammatio: at si esset sanguis, non esset materia, quę causum facit. Et si dicas pituitosam materiam non exulcerare, tamen hic à Galeno dici, testes ob exulcerationem partiū quę superius sunt extendi. Respondemus pituitam salsam exulcerare, imo & dysenteria fit, quę est intestinorū exulceratio ex salsa pituita. Et hæc met salsa pituita excedit & exulcerat pulmonem, facitq́ sputum sanguinis, & deniq; phthisim.

Q uarto Galenus notat quosdā, ex his quorum causi in pulmone sedem habent, expuere crassa, & hoc materia morbum facieñte iā cocta. Nota hic p̄ crassa sputa intelligēda esse mediocria nō simpliciter crassa, q̄a eiuscemodi attenuatione indigēt.

Q uinto Galenus notat, palam esse huius authoris doctrinam confusam esse, inordinatam, & indefinitam, iccirco & si subfigurationem fecerit, quę librorum causa deceat, & cōmentariorum, tamen nequaquam est propria cōmentario, unde hic author per figuram quādam librū scribere uoluit, tamen illa non scripsit quæ sunt propria. Et quòd hoc uerum sit, en cū febres istæ ardentes multis mēbris fiant, deinceps, & secundum ordinem symptomatum catalogum scribere oportebat, & nō inordinate & indefinite, sed secundum peculiarem, proprium, & pręsentem morbum referre symptomata, ut si morbus in iecore sedem haberet illud referre, & simul ponere omnia symptomata quæ ad iecur sequuntur, si in pulmone aut uentriculo ita referre omnia symptomata quæ ad hæc membra sequuntur, hocq; modo fuisset proprie locutus, & non confuse.

Sexto Galenus notat, dictum esse superius sectione. 15. aluus soluta, non quòd soluta aluus symptoma sit causis perpetuo inhærens, nam illis quibus uēter ita afficitur ut dictum est, corrumpitur cibus, quo corrupto deiectiones liquidæ fiunt, quod & his inest quibus iecur affectionem habet. At quibus in pulmone affectio sit, & uenter nullo modo patiatur, his hæ deiectiones de necessitate non fiunt, imo per oppositum his ita affectis, aluus plerunq; dura efficitur, & difficulter excernunt, omnibus. s. his quæ descendere deberent ad locum læsum ascendentibus.

Scito cum affectio quæ causum facit sedem habet in uentriculo, tunc id coqui non potest quod insumitur, quia naturalis calor est immutatus, propterea corrumpuntur & corrupta descendunt liquida à ui coctrice non alterata.

Scitoque cum affectio in pulmone est, aluum esse solutam, esse indicium non necessarium, quia indifferenter esse potest & soluta aluus & non soluta, sed ob aliam causam soluta, quàm ob affectionem quæ in pulmone sit, quantum sit de affectione ipsa, & ardente febre, quæ calidissima est, & feces exiccat, ac humiditates, quæ in uentre sunt. aluus adstricta potius esse deberet, & dura.

Septimo Galenus notat qbus causi radix in iecore sit idest qui ob iecur causo laborant, excrementa habent, quandoq; liquida, & quandoque sicca, ueluo illa quæ σπειρώδη appellantur, ac si dixeris in gyrum uoluta, & in spiræ modum, excrementis siccioribus in modum nuclei à uisceris inflammatione formatis. Illa uero excrementa a Græcis σκύβαλα nuncupantur. Scito igitur cum iecur inflammatum tantum fuerit, & nullum alium habuerit affectum, dura efficere, & in modum spiræ excrementa: at si cum inflammatione simul adfuerit, & iecoris imbecillitas, tunc liquida dejcientur, iecore alimentum ad se trahere non potente. hoc uero notato has deiectiones ab his multum differre, quæ uentre affecto fiant, differunt uero chylositate.

Forte dices cum iecur est inflammatum, semper esse imbecillum, iccirco inconueniens uidetur dicere quando erit inflammatum & imbecillum, nempe si robustum fuisset, inflamatum non fuisset, & ideo semper dejciet quando erit inflammatum. Respondemus proculdubio, si materiam superasset. inflammatum non fuisset. Itaque ratione inflammationis materiæ est minus robustum, tamen fieri potest ut uim habeat attractricem robustam simul cum inflammatione, itaq; nutrimentum attrahit, quodque attrahit, in inflammationis materiam trāsit, idq; cito fit si inflammatio sit in caua iecoris parte, tardius uero si sit in conuexa.

Nota, dici excrementa spiratodea, illa quæ efficiuntur dura, tenacia, & in spirarum morem conuoluta, & scyballica, quæ caninis fecibus assimilantur, scito autem Galenum in primo huius uoluminis libro uocare & σκύβαλον & κόπρον excrementum, quod à cibis in intestinis fit, quod eo loco Hippocrates uocat cibum, tamen hæc ualde exiccata in formam excrementorum cania à recentioribus scyballa nuncupantur.

Forte petes quomodo deiectiones hæ, quæ affecto iecore dejciuntur, chylositate distinguantur. Respondemus cum uentriculus non est affectus, & iecur affectum sit quicquid insumitur in uentriculo coquitur, & chylus efficitur, hic chylus ad intestina descendit, & ad iecur per meseraicas deducitur, & chylus est: at si uentriculus sit male affectus, cibum non conuertit in chylum, sed potius corrumpitur, & ad intestina pergit, unde à chylositate distinguitur, hoc est ergo, quod à Galeno dicitur, quando aluus soluta sit uel ab inflammatione iecoris, uel uentriculi, materias chylositate distingui, quoniam materia illa, quæ ex uētriculo descendit affecto, putrida est, neque chylus est. Q uę uero à iecore chylus est qui ab ipso iecore ob eius imbecillitatem attrahi non potuit.

Petes uero an per alios modos soluat hic morbus, q̄ per pręDictos. Respōdemus solui etiam per simplex alui profluuium, & per medicamenta, tamen ut plurimum per dictos soluitur abscessus, ut faciunt pro maiori parte pituitosæ febres.

Sed petes an per urinam solui possit. Respondemus & per urinam solui posse, quia materiæ crassæ nonnunquam attenuatæ copiose emittuntur, & omnes & per urinam dejciuntur ut quarto aphorismorum habetur.

## Hippocrates. Sectio XVIII.

Sorbitiones dato attractorias.

BRASAVOLVS. Cum sint expediti modi, quibus hic causus soluitur, nunc Hippocrates, uel huius libri author genus uictus edocere uidetur, quod breuissime facit, inquiens dato in hoc casu pro cibo sorbitiones attractorias.

ῥοφήματα ἐπισπαστικὰ δίδου idest sorbitiones dato attractorias. Ambiguū satis uidet, qd hic author per sorbitiones attractorias intellexerit, qd sorbitio sit clarū est, nēpe & ptisana

& pulmē

& pisanę succus, & panis cõtritus inter sorbitiones numerantur, & omnia minutalia quęcunq; sunt adeo liquida ut sorberi possint. Quid uero id sit, quod attractorium dixit, ambiguum satis uidetur, & Galenus ueluti ignotum reliquit, nam qui euacuationes intelligunt, aberrant, quoniam non dixisset sorbitiones, sed medicamenta, forte per attractorias intelligit calidas, quę ad se humores trahunt, qui sunt in loco affecto. forte intelligit aperiẽtes sorbitiones iam enumeratas idest in quibus sint radices uel semina aperientia.

Sed hic dubium contingere potest, quodnã cibi genus in hac ardente febre exhiberi oporteat. Respondemus Galenum hic dicere alimentum esse pisanę cremorem, nostro autem tempore pullorum iura prębent, & alij oua, & acetaria, hęc uero esse debent non penitus calida, sed quę & salsedinem respiciant.

Sed de huius causi curatione in genere petes, quænam esse debeat. Respondemus. Cum medicus nouerit esse causum non exquisitum, tamen habet causi remissa signa, tunc si ætas & uires non impediunt, cum morbus sit magnus, uena secãda est, At prius uenter leniendus, deinceps materia coquẽda, nam in hac febre coctio expectatur, coquitur uero syrupis, ut syrupo de stocoe de sine speciebus, & syrupo de fumo terrę, uel oxymelite, & syrupo de fumo terræ, post materiæ coctionem, illam euacuato medicamentis salsam materiam euacuantibus, de quibus in medicamentorum catharticorum examine locuti sumus, euacuatione facta, a causa remota, febri uacandum est, quæ aufertur rebus oppositis caliditati febrili derelictæ.

Sed petes an in hoc casu aquę frigidæ potus cõueniat. Respondemus non conuenire, quia materia pro maiori parte frigida est, obstruitque, & est crassa, quæ conditiones aquæ frigidæ potui repugnant.

At petes si aquæ frigidæ balneum conueniat. Respondemus non conuenire, nisi quis post aquæ calidæ balneum eo uteretur, ut sudorem prouocaret. At in hoc casu per frigida simpliciter procedere non debemus, quamuis salsedo sit calida.

Forte ambiges, quia Galenus in primo commentario primi epidemiorum sectione. 9. facit febrem ardentem ex bile tenui distingui in intensam & remissam. Necessariũ igitur est remissam symptomata habere remissiora, sed & hæc à pituita salsa symptomata habet remissiora. quomodo igitur distinguẽtur, hæc facta à pituita salsa, & facta à bile, quæ leuem accendunt febrem. Respondemus hanc febrem & si ardens sit, tamen uocari quotidianam quia ex pituita, quæ & esse spotest intermittens, & non intermittens, intermittẽs non dicitur ardens, q̃uis in biliosis, tertiana inter ardentes numeretur, sed nõ in pituitosis. Galenus de hac pituita agit in secũdo de differẽtijs febrium docetque has febres habere horripilationem non rigorem. In continua uero adest aliqua frigiditas potius priuatiua, hi habẽt os amarum, & alia signa remissa, quę insunt uero causo. Tamen in aliquibus interpolaris à pituita salsa, nos horripilationem adesse uidimus, & rigorem, & uehementem tremorem, imo uehementiorem q̃ in alijs pituitosis febribus. Id fortassis fuit, quia pituita salsa erat mista alicui portioni pituitæ uitreæ, quia salsa rigorẽ non facit, ut in secundo de differentijs febrium à Galeno notatur, sed facit horripilationem & maiorem calorem, q̃ inducant aliæ pituitæ species, maioremque inducit siccitatem & maiorem sitim, q̃ aliæ pituitæ species dum febrem inducunt, si quo ad pulsum considerentur febris à pituita alsa pulsum habet maiorem, uelociorem, & frequentiorem, q̃ aliæ habeant pituitosę. scitoque in hac salsa pituitosa sudare ægros copiosius, q̃ in alijs omnibus pituitosis ra; nam huius febris alii qui uolunt esse ruffam, alij subruffam, profecto magis colorata est in hac febre, q̃ in alijs pituitosis, tamen minus colorata q̃ sit in ardente exquisita, estq; ab initio tenuis. Id notatu dignum est, & si hic author plures retulerit modos, quibus hæc febris soluitur, tamen unus est communis modus, quem nos sæpe uidimus hanc febrem. s. fuisse solutam ex pruritu & scabie, quibus ægri sudorem incidunt, qui simul ad circumferentiam humores salsos deducit, & pituitosos, qui ob crassitiem exire non possunt, unde fit pruritus, & pustulæ excitantur, quæ pruriunt, & quæ scabies nuncupantur. uidimus multos qui non potuere ex hac scabie, nisi cum maxima difficultate curari.

Cum uero secundũ Galenum in libro de differẽtijs febrium, pituita salsa fiat, aut ob putrefactionem, aut ob miscellam serositatis salsæ cum pituita: in hoc secundo casu opus est pituitæ genus cõsiderare, quod simul cum serositate salsa miscetur, nã si fuerit pituita salsa crassa & glutinosa, incidentibus magis & attenuantibus uti oportebit. sin minus crassa, minus incidentibus & attenuantibus: quippe diuersitas, quæ est in pituitosa materia in curatione diuersitatem facere debet. Adde in hac etiam curatione serositatis mistæ copiam considerandam esse. An sit multa uel pauca, quia secũdum eius multitudinem uel paucitatem curatio uariabitur. Hæc de huius febris curatione satis sint, de qua ubertim agemus in nostris curandi methodis, cum de febre sermo fiet à materia pituitosa salsa.

**GALENVS.** Quod sæpius dicere solitus, quòd scilicet obscura lectio nihil doceat, id & nunc dicam. Nam qui ex pituitæ uitio laborant, oxymelitis quidem potus his est commodissimus: sed alimentum pisanæ cremor. Ego tamẽ quanquam hoc noscam, atq; à nullo didicerim, diuinare non possum qualnam dicat attractorias sorbitiones. Oxymeli siquidem & secatorium & incisorium & abstersorium dici potest: attractorium tamẽ nullo pacto, quia sanè quod ab ipso attrahatur demonstrare non possumus. Ad hunc modum neq; pisanæ cremorem attractorium esse asseremus. Sed forte quispiam dicet, uelle ipsum uentrem subducere attractorijs, id est, quæ crassum trahunt succum: cuiusmodi est quod pituitam trahit. At uero sorbitiones non dixisset. Nempe hoc munus medicamentorum est, & non sorbitionum, sicut neque potuum. Innotuit ergo quonam pacto in obscuris dictionibus nihil certi compertiq; habeamus: quapropter neq; dictionem hanc defendere conabimur, quòd nihil in ea certum finitumq́ue reperiatur. Cæterum non mihi constat quonam homines pacto ut in alijs multis manifeste errent, sic & in eo quòd his quæ obscure dicuntur gaudeant, quanquam omnes uno ferme ore perspicuitatem orationis uirtutem esse, obscuritatem uero uitium proclament.

**BRASAVOLVS.** Primo Galenus notat, idem nunc dicere authorem, quod sæpius dixerat, & dicere solitus erat. Id uero est obscuram lectionem nihil docere, nam obscuritas causa est, aut quòd res non intelligetur, aut quòd praue intelligetur, aut cum difficultate intelligetur: unde qui pituitæ uitio laborant conuenientissimum potum habent oxymeli, & cibum pisanæ cremorem. hoc Galenus nouerat, & à nullo (ut inquit) didicerat, tamen diuinare non potest, quid hic author per attractorias sorbitiones intellexerit. Nam si oxymeli intelligere contendas, hoc absurdum est, quoniam oxymeli & secat, & incidit, & abstergit, tamen dici non potest quòd attrahat, cum nullam habeat in se qualitatem, per quam attrahere possit, nempe, ut superius ostendimus, non est calidum. Eodem pacto nunquam dicemus pisanæ cremorem esse attractorium, quia neque in pisana ulla est qualitas, per quam attrahere possit, cum sit frigida pisana, attractio uero in calore consistit.

Scito obscuram lectionem ob hoc nihil docere, quia opus est, cum lectio est obscura lectorem inuenire quid significet, propterea ipsa nihil docet, sed homo inueniẽs quid significare possit, seipsum docet. Ex quo hi qui scribunt, discant, nihil in publicum emittere nisi facile intelligatur, & potius serpenti stilo ac claro omnia perscribere, q̃ aliori & obscuro.

At dices superius ex Hippocrate & Galeno ostensum est oxymeli cum cremore pisanæ non conuenire: cur igitur hic illa simul miscet Galenus. Respondemus, Dilutum oxymeli pro extinguenda siti, & non pro medicamento, simul cum pisana dari posse, tamen & meracius, & medicamenti loco dari non debet. & hoc est quod superius Hippocrates & Galenus sentiebant. scitoq; dicere alimentũ esse Pisanæ cremorem potum uero oxymeli & non alimentum, ut superius

docuerat libro primo, sectione 44. At dices præcitato loco dixisse, oxymeli habere uim medicamenti solum, quomodo igitur dix mus dari dilutum, ut sitim extinguat, et nō pro medicamento? Respondemus habere profecto aliquid medicamentosi, sed ad hunc finem non dari.

Secundo Galenus notat quempiam dicere posse, Hippocratem censere uernarem esse subducendum attractorijs, id est ijs, quæ crassum succum attrahunt, sicuti illud est quod pituitam trahit: hoc uero dici non posset, quia Hippocrates non dixisset sorbitionem enī hoc pituitam trahere, aut crassum aliquem humorem, est medicamentorum munus, & non sorbitionum, neque potuum. Galenus ergo infert notum esse, quonam modo in obscuris dictionibus nihil certi habemus atq; cōperti, propterea ego (inquit Galenus) non conabor hanc dictionem defendere, quoniam in ea nihil certum atq; finitum inuenitur.

Tertio Galenus notat sibi non constare quonam pacto homines, ut in multis alijs, manifeste errant, sic & in eo errant, quòd his gaudēt quæ obscure dicuntur, quamuis omnes uno ore dicant orationis perspicuitatem esse uirtutem, obscuritatem uero esse uitium.

At dices Platonem huius rei fuisse authorem, qui censuit philosophica secreta esse sub nube, & sub tegmine referēda, ne omnes possent illa absq; labore intelligere, iccirco non uidetur error obscure loqui. Respondemus aliud esse de philosophicis agere rebus, & de huius scientiæ secretis, aliud de obscuritate sermonis: nam & philosophicus sermo debet esse clarus, licet sub se habeat uelamen maioris intelligentiæ. At sermo medicus io omnibus debet esse perspicuus, & nullo modo obscurus. Plato nolebat philosophię secreta esse omnibus tradenda, neque esse simplicissimis uerbis explicanda: nam sub figuris & uelaminibus uolebat illa esse tegenda, ne à quibusq; absq; studio & labore intelligerentur. Et ideo Ouidij Metamorphoses nihil aliud sunt, q̃ Platonicæ philosophiæ secreta.

## Hippocrates. Sectio XIX.

### In acutis morbis sanguinem detrahes, si uehemens morbus uideat, florueritq; ęgrotanti ętas, & uirium adfuerit robur.

BRASAVOLVS. Sententia hæc utrique generi causi deseruire potest. Imo est generalis regula in uenę sectione, quæ edocet quando uenę sectio fieri debet, & in quibus morbis, & quæ ad illam requiruntur. Inquit ergo in acutis morbis sanguinem detrahes, si hæ ad fuerint conditiones, morbus uehemens, ætas florens, et uirium robur, super us ostendimus has tātum requiri conditiones, reliquas uero non esse necessarias

τὰ ὀξέα τὰ πάθεα φλεβοτομήσεις, ἢν ἰσχυρὸν φαίνηται τὸ νόσημα .i. in acutis morbis sanguinem detrahes, si uehemens uideatur morbus. Hæc est una conditio, quæ de uena secandis indicat, s. morbi magnitudo, quam Galenus in Method medendi quarto, & in libello de curandi ratione per sanguinis missionem edocuit. At dices si morbus est acutus, ut supponitur, ob quam causam dicere si morbus uehemēs uideatur, quia si acutus est uehemens? Respondemus esse aliquos acutos, qui non habent tantam uehementiam, & in quibus non est uena secanda, ob id addere necessarium fuit si uehemēs sit morbus, quia ipsa uehementia illa est, quæ de sanguinis indicat missione.

καὶ ἡ ἡλικία ἀκμάζῃ τῷ νῷ .i. & habentes uigētem ætatem, nam pueris secundum Galenum ante quartumdecimum annum sanguis mitti non debet, neq; senibus detrahendus est sanguis, q̃uis cum uires constant, id fieri posit, de qua re supe rius uberrim locuti sumus.

καὶ ῥώμη παρῇ αὐτοῖσι .i. & uirium adfuerit robur. Hæc est una conditio necessaria, & quæ semper est seruanda, & nunq̃ fallit. Si uena secari debeat semper uires robustas esse oportere. Imo & in purgantibus medicamentis hoc seruare oportet, quòd uires sint robustæ. Et in omni opere medico, in quo secatur uirium imbecillitas, uires semper considerandæ sunt,

GALENVS. Sermo hic nimirum Hippocrate est dignus: subitque mihi in admirationem quòd inter aphorismos cum non scripserit, cum in paucis uerbis uis magna cōperiatur, quod aphorismis usu euenire solet. De his ergo qui sanguinis egent detractione, frequens apud medicos fuit sermo. Quorum quæ de ea detractione maxime probabilia uidentur, duobus à me scriptis secure sunt enarrata libris: quorum alter de sanguinis detractione inscribitur: in quo quæ commodant omnia docentur: alter scriptus est, ut dixi, medicis tum empiricis, tum dogmaticis. Verum amethodi, idest ab omni methodo alieni Thessali, uti & cætera sine demonstratione simpliciter dicunt, sic & sanguinis detractionem χαλαστικὸν, id est relaxatorium censent esse remedium: χαλαστικὸν uero non uno exponunt modo, ut per cōmentarios nostros cum de methodica sectis agere mus ostendimus. Qui autem omnem de sanguinis missione historiam intelligere uoluent, legere tum nostros, tum reliquorum medicorum libros potest. Nunc uero summam ipsam in paucos tandem relatam scopos audi. Sanguinem etenim primum detrahes, si magnus tibi uideatur morbus. Tali autem remedio utitur propter uehementes affectus, quod à qua litate desumitur. Neque refert si uel uehementem uel magnum morbum dixeris. Secundus sanguinis detrahendi scopus est, si æger ætate floruerit. Neque enim puer, neque senex, sanguinis sustinent detractionem, etiam si morbus quo ipsi laborauerint magnus fuerit. Tertium scopum non prætermisit libri huius conscriptor, qui facultatis robur existit. Neque enim in ijs qui ætate florent, cum languent, perpetuo robur apparet. Quam ob causam quis forte duo hæc sola pro scopis detrahendi sanguinis satis esse autumabit, magnitudinem scilicet morbi, & uirtutis robur. Neque enim senex quòd annosus sit per se, sed propter uirtutis imbecillitatem non fert sanguinis detractionem. At certe pueri quanquam uirili facultate ualeant, tamen neque hi sanguinis sustinent missionem. Prompte enim eorum substantia, tum propter humiditatem, tum propter temperamenti caliditatem euaporatur. Detractione igitur sanguinis non egent, qui insitam naturalemque habent uacuationem. Ob eam causam scoporum sanguinis detrahendi numero non satisfacere uidentur magnitudo morbi & uirtutis robur tamel usque feceris, si & florentium ætatem adieceris. Quod porro in fronte dictionis dictum est: In acutis morbis sanguinem detrahes, ut consideretur est dignum. Sed quo modo longorum morborum non meminit? Quoniam sanè de acutis nunc docet, atq; ob id solos eos memorauit. Nempe & ex longis multi sunt qui sanguinis egent detractione, cum & hi dictis tribus subiaceant scopis. Cæterum cum omnia hæc recte dicta sint, quosdam tamen non recte usos fuisse est putandum. Quo è numero est Menodotus empiricus, in sola plethorica appellata syndrome sanguinis missionem obseruari asseuerans. Nunc autem & ea non existente, uenam secamus cum dolor uehemens hominem prehenderit, uel pars aliqua fracta fuerit, uel os ex loco pulsum sit, uel alius quispiam articulus contractus reductusq; sit. Neque etiam plethorica facta syndrome sanguinē semper mittimus, sed & frictione, & balneis multis, & abstinentia quæ tribus uel quatuor diebus fiat, ad id quod naturale est, reuocamus. Verum de his abūde tum in libro de plenitudine, tum in libro de sanguinis detractione est pronunciatum: præterea & in libro de morbis curandis. Ad præsens ergo hæc ueluti in sanguinis detractionis commentario dicta sufficiant. Verum ut nihil desit, adijciam: & eum qui ab ambiente nos aere desumitur scopum, cum fuerit abunde calidus & siccus, ita ut cito ab eo corpus euaporetur. Nempe tunc à sanguinis missione abstinemus, etiam si morbus magnus fuerit, florensque ætate homo. Id ergo author solum prætermisit, reliquis scriptis, atque etiam patientis ipsius corporis habitum. Verum præcedente oratione & mentionem habitus fecit, qui & ætatis differentias in se comprehendere potest, ut ostendam

Primo

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat hanc ſententiam eſſe Hippocrate dignam, miraturque Galenus Hippocratem inter aphoriſmos illam non enumeraſſe: nam in paucis uerbis uis magna continetur, quod eſt aphoriſmorum proprium: quippe aphoriſmi debent ſub breuibus uerbis magnam rerum ſummam complecti.

Secundo Galenus notat fuiſſe apud medicos frequentem de his qui ſanguinis egent detractione ſermonem. unde ipſe Galenus illa quæ de hac detractione probabilia uidētur, duobus libris ſecure ſcripſit, quorum alter de ſanguinis miſſione inſcribitur, in quo omnia commoda edocentur. Alter liber eſt ſcriptus medicis, & empiricis, & dogmaticis. At Theſſalij (inquit Galenus) amethodi, ideſt ab omni methodo alieni, ut oīa alia ſimpliciter dicant abſq; demonſtratione, ita & ſanguinis detractionem putāt eſſe præſidium χαλαστικὸν .i. relaxatoriū. Scito uero neq; iſtos exponere uocabulum χαλαστικὸν uero modo, ut in ſuis commentarijs docuit Galenus, in quibus de methodica egit ſecta.

De chalaſticis medicamentis mentio fit à Galeno prope calcem quarti libri methodi medendi, ſunt medicamenta, quę relaxando & remittendo mitigant. & in 12 methodi, ubi loquitur cum ex flatulento ſpiritu & particulę denſitate dolor quiſpiam eſt ortus, inquit, hoc enim caſu eorum quæ modice calefaciunt (quæ etiam χαλαστικὰ .i. relaxantia ſiue remittentia uocamus) uſus eſt commodus, & de chalaſticis ſermo à Galeno habetur, ſtatim in fronte octaui libri de compoſitione medicamentorum ſecundum locos.

Tertio Galenus notat, ſi quis totam de ſanguinis miſſione hiſtoriā intelligere uolueris hic & ſuos libros, & aliorum medicorum legas. At ſummam ipſam totius artis mittendi ſanguinem in paucos relatam ſcopos audito. Sanguinem primo detrahes, ſi magnus tibi uideatur morbus. unde tali præſidio utitur propter uehementes affectus, quod a qualitate deſumitur. Notaque (inquit) nihil referre ſi uehementem, uel magnum morbū dixeris: hic eſt igiť primus ſcopus mittendi ſanguinem. Petes quomodo uehementes affectus à qualitate deſumātur. Reſpōdemus, ſi ſit ardens febris, cognoſcitur ex intēſa caliditate, ex intenſa ſiti, quæ ſunt qualitates: eodem modo de alijs morbis omnes qualitate cognoſcuntur, an ſint magni, uel parui. Et quamuis nomen magnum ad quantitatem ſpectare uideatur, tamen & plerunque qualitatem ſignificat, ut in primo aphoriſmorum à Galeno edocemur, ubi aphoriſmū interpretatur: Qui creſcunt, plurimum habent calidi innati. Icclrco hoc noſcens & in hoc loco ſubiūgit non referre uel uehementem uel magnum morbum dicere, quia magnitudo uehementiam ſignificat. In ſecundo uero de differentijs pulſuum oſtendit magnum eſſe quantitate, & ad aliquid.

At dices nonnunq; & magnū morbū quantitate deprehendi, et nō ſola qualitate, ut ſi ſit magnus abſceſſus quātitate deprehēditur, & magnū uulnus, quantitate deprehendimus, & non qualitate. Imo & ſi adſit mala qualitas non conſideratur. Reſpondemus non iri inficias & quantitate deprehendi magnos morbos in ulceribus & abſceſſibus, ſed & qualitate cognoſcuntur an magna ſint. Aliqui ita intellexere ſcilicet quod remedium à qualitate deſumitur, ſed abſurdum eſt, cum referri debeat ad morbi magnitudinem, quod, id eſt quę res a qualitate deſumitur.

Quarto Galenus refert ſecundum detrahēdi ſanguinem ſcopum, qui eſt: ſi æger ætate floruerit, nam ætas potiſſimū conſideranda, cum neq; puer, neq; ſenior ſanguinis detractionem ferant, quamuis primum habeant ſcopum ſcilicet magnum morbum, de qua re ubertim ſuperius locuti ſumus.

Quinto à Galeno tertius refertur ſcopus educēdi ſanguinem, qui eſt facultatis robur, uel uirium robur: nam hic ſcopus (inquit) ab hoc authore non eſt prætermiſſus: & ideo poterit eſſe morbus magnus, ætas florens, & uires erunt imbecillæ.

Sed alicui forte uidebiť hos duos ſcopos eſſe ſatis ſcilicet morbi magnitudinem, et uirium robur: nam ut de ſene loquamur, dicendum non eſt, quòd uenæ ſectionem non ferat, quia annoſus ſit, ſed potius ob uirium imbecillitatem non fert: pueri præterea & ſi uitalem facultatem robuſtam habeant, tamen ſanguinis detractionem non ſuſtinent, quoniam eorum ſubſtantia prompte euaporat, tum ob humiditatem, tum ob temperamēti caliditatem: propterea illi ſanguinis detractione non egent, qui inſitam habēt atque naturalem uacuationem, qualem quotidie pueri habent. Infert tamen Galenus non eſſe ſatis duos ſcopos detrahendi ſanguinem, magnitudinem ſcilicet morbi, & uirtutis robur: ſed melius eſſe, atque abundantius, ſi florentium ætatem adiecerimus. de his uero ætatibus ſuperius ut ſatis erat, locuti ſumus.

Quod legitur qui inſitam naturalemque habent uacuationē, græce eſt σύμφυτον ἔχοντες τὴν ἐκ τῆς κράσεως κένωσιν .i. qui inſitam & connatam habent ex temperie euacuationem, nam ex puerorum temperie quæ eſt calida & humida, humiditate tenui et facile reſolubili, perpetuo aliquid reſoluitur et euacuatur: nam facilime pueri diſflantur, & in inſenſibiles ſpiritus reſoluuntur.

Sexto, Galenus dubium quoddam mouet, & reſoluit, cum in huius ſententiæ fronte dictum ſit, in acutis morbis ſanguinē detrahes: petes ob quid hoc dictum ſit, & diutinorum morborum nihil meminit. Galenus reſpondet id feciſſe, quoniam in hoc libro de acutis tantū uerba facit: in longis uero multi ſunt, qui & ipſi ſanguinis miſſione egēt, id uero eſt, cū longi ſunt, et tres habuerint pſcriptos ſcopos, neq; opus eſt dicere morbos diutinos nō eſſe magnos, quoniam in diutinis magnis ſatis eſt magnitudo, quam habent ut diutini ad ſanguinem emittendum: ſimpliciter uero acuti ſunt uehementiores diutinis.

Sed petes, an in longis morbis ſemper ſint omnes tres ſcopi neceſſarij pro uena ſecanda. Reſpondemus duos eſſe neceſſarios ſcilicet uirium robur, & ætatem conuenientem. Morbi autem magnitudinem quo ad ſymptomatum uehementiam non eſſe adeo neceſſariā, ſed ſatis eſt in uenis adeſſe materiam quæ hunc morbum faciat.

Septimo, Galenus notat cum omnia hęc quæ dicta ſunt, recte ſint dicta, cōſiderare oportet quoſdam non eſſe his recte uſos, è quorum numero fuit Menodotus Empiricus, qui uolebat in ſola ſyndrome, & in ſolo concurſu nuncupato plethorico uenam ſecandam eſſe, ſed nunc non exiſtente etiam hac plenitudinis ſyndrome uenam ſecamus: idque fit quoties dolor uehemens hominem apprehenderit, uel pars aliqua humani corporis fracta fuerit, uel os aliquod ex proprio loco pulſum fuerit, uel alius quiſpiam articulus contractus reductusque ſit.

Imo notat Galenus quod etiam exiſtente plethorica ſyndrome, ſanguinem ſemper non detrahimus, ſed nonnunquam plethora alijs corrigitur pręſidijs, ut frictione & balneis multis, & abſtinentia, quæ tribus aut quatuor diebus fiat: nos (inquit Galenus) iſtis præſidijs abſq; uenæ ſectione plethoram in ſuum naturalem habitum reuocamus. At hæc in præſentiarum tractare non eſt opus, quoniam Galenus ipſe abūde in libro de plenitudine de his locutus eſt: & in libro de curandi rōne p ſanguinis miſſionē, et in libro de morbis curādis. In præſentiarum uero hæc ſatis ſint, tanq; illa quę dicuntur neceſſaria in commentario, in quo fit mentio de ſanguinis miſſione. De ſyndrome, id eſt concurſu in plethora in quarto methodi ſcriptum habetur, & in libro de optima ſecta ad Thraſybulum. ſed in quarto Methodi antiquos reprehendit, qui uolebant plethoræ ſyndromen pro concurſu accipi in uenæ ſectione.

Conſidera caſus illos in quibus opus eſt uenam ſecare, unus eſt dolor uehemens, alius pars fracta, alius os ex propria pixide pulſum, uel articulus cōtractus, in his omnibus caſibus fit uenæ ſectio, ut natura diuertatur, ne ad loca læſa ſanguinem mittat, ut materias in uenis exiſtētes & augeantur affectiones fiantq; his in locis inflammationes. Vt autem de dolore dicamus, non eſt ſimpliciter in omni dolore mittendus ſanguis: quoniam ſi à flatu fiat dolor, non eſt neceſſarium, licet et non-

nunquam in hoc casu mittatur. De fractione uero dicemus, si per fractionem, & uulnera & fracturas quomodocunq; fiant intelligamus, et contusiones, in his semper debere mitti sanguinem, quando tres suprascriptæ conditiones adfuerint. In osse uero extra pixidem suam abducto, & in articulis contractis, quãdo simul dolores adsunt qui rarissime absunt, semper trahendus sanguis, nempe diuertendum est, ne materiæ in locum læsum decurrant, & affectum augeant. Adest & Galeni locus in tertio de locis affectis, in quo etiam præter hæc sanguinem mittit, cum sanguis in toto corpore melancholicus sit, tunc enim curatio incipere debet à uenæ sectione. At si solum cerebrum habeat hunc sanguinem, non est opus uenam secare, nisi alia intersit causa, iubetq; si sanguis non exeat melancholicus, claudendam esse uenam, hocq; semper seruandum est in melancholicis affectibus, in quibus sectione uenæ indigemus. Petes quomodo frictio plethoram corrigere possit: Respondemus supponendum esse hunc ægrum in præsentiarum tantum comedere, quantũ pro uictu satis sit, tunc dicimus frictionem quicquid in poris continetur resoluere, & ad se attrahere quod intus est, ac attenuare si crassum sit, & ad exitum prouocare, nam aliqua perpetuo resoluuntur, aliqua attenuantur, & semper ad circunferentiam trahuntur: si tamen plethora per frictionem corrigi debeat, id breui non fiet, frictionesq; longo tẽpore exerceãtur, & uariæ sint secundũ musculorũ incessum. Petes quomodo balnea plethoram corrigant? Respondemus eodem modo quo frictiones, ad circũferentiam trahendo, resoluendo, attenuando, & uias insensibiles, per quas & insensibiliter exeunt materiæ, aperiendo.

Sed dubium est de hac abstinentia per tres aut quatuor dies, quæ conuenire non uideatur, nam Hippocrates in secundo huius uoluminis libro multa refert incommoda eorum qui prandium dimisere, & qui cœnam. at quanto maiora incident incõmoda, si per trium aut quatuor dierũ spatiũ abstineãt, iccirco alia uia potius corrigi debẽt, ꝙ hac, q̃ piculosa ẽ. Respondemus ꝙ Hippocrates de prauis affectibus locutus ẽ, q ex dimissa cœna uel prãdio contingebant, de penitus dimissis loquebatur. At Galenus hic nõ intelligit dimissum penitus cibum per tres aut quatuor dies, sed intelligit remissos esse cibos, et hominem parum comedere, ut plus resoluatur, quàm insumatur. Intelligit ergo non simplicem abstinentiam, sed remissionem ciborum, quam facile per tres aut quatuor dies ferre possumus. Intellige uero cibos esse paucos, sed non penitus ablatos.

Octauo, Galenus tribus de sanguinis missione scopis conditionem quandam, addit quæ est (ut nihil desit his scopis) cũ aer fuerit calidus & siccus, ut corpus ab hoc aere facile euaporet, tunc à sanguinis missione abstinendum, etiam si morbus sit magnus, & homo sit ętate florenti. hic author solũ hunc scopũ prætermisit, reliquis pscriptis, imo & prætermisit (inquit Galenus) patientis corporis habitum, sed in præcedente oratione & habitus mentionem fecit, qui in se comprehendere potest, ætatis differentias. Alibi præterea Galenus hunc scopum posuit ab aere ambiente, & à tempere, ac hominis natura, ut in libro de sectis ad introducendos. At nos superius ostendimus quomodo hæc possunt esse scopi, & quomodo non, & quam habeant necessitatem, nam in præcitato de sectis libro, in aere calido & sicco, in regione calida & sicca sanguinem emittendum esse non censet, sed & aliæ sunt multæ conditiones, de quibus superius mentionem fecimus, tamen notauimus tres solas nuper dictas esse magnopere necessarias.

## Hippocrates. Sectio XX.

Porro si angina fuerit, & si aliud quippiam ex pleuriticis malũ, eclegmate repurgato: at si æger ob copiosam sanguinis missionem imbecillior fuerit, clysmum tertio quoque die uentri infundes, donec in tuto æger fuerit, & fame indigeat.

BRASAVOLVS.

Huius libri author uidetur absq; aliquo proposito ad anginam transire, nisi quispiam dixerit, cum in præcedenti sententia scopos secandi uenam in acutis morbis posuisset, nunc ad acutos descendit morbos, in quibus uena secatur, uel duos saltem pro exemplo apposuit, unde inquit, si angina quidem adfuerit, uel si aliquid quippiam ex pleuriticis malum, hoc est aliqua pleuritidis species, tunc hoc corpus eclegmate repurgatos & euacuato: at si ęger ob nimiã sanguis missionẽ fuerit imbecillior effectus, quia supponit sanguinẽ iam esse missum, & uires prius constasse. at si ex sanguinis copia amplius non cõstent, in hoc casu noli præbere medicamentum euacuãs, sed tertio quoque die uentri clysterem infundes, quoad æger tutus sit & fame indigeat.

ἢν μὲν ὦν συνάγχος ἦ, ἐκλεικτῷ ἀνακάθαιρε .i. si angina fuerit, eclegmate repurgato, si cum præcedentibus continuatam sententiam facere uolueris, dicito. Cum magnitudo morbi indicet de uena secanda, Anginam accipiamus, quę magnus est morbus, & in qua uena secari debet, sectione facta, eclegmate repurgare oportet. De angina affatim & uniuersim loquemur. 30. huius libri sectione, ubi anginæ curationem prosequemur. Nunc satis est intelligere inflammationem partium quæ in gutture sunt, nam præcitato loco omnes anginæ species per loca & per propria nomina trademus.

Scito autem, ἔκλειγμα, & eclegmata dici ἀπὸ τοῦ ἐκλείχειν .i. à delambendo. Galenus primo septimi libri de compositione medicamentorum secundum locos, ubi docet quid sit arteriacum, inquiens esse medicamentum aptum purgare arteriam, intelligebant uero antiqui per arteriam simpliciter & sine aliquo addito, Cãnam spiritalem & asperam. Erant igitur arteriaca medicamenta ad arteriam, etiam si nihil aliud addatur, uel medicamẽtum, uel pharmacum, eo loco à Galeno notatur nonnullos hæc medicamenta arteriaca nuncupare electa apud nos eclegmata, & nõ apponunt particulam medicamenta, unde electa simpliciter dicentes, medicamenta intelligebant, quæ pro arteria aspera delambuntur, iccirco aliqui inscripsere suos libros, uel capita librorum electa ad uocem interceptam, alij generalius ad uocem læsam. Deinceps secundo capite eiusdem libri, ubi ponit arteriacas ab Andromacho scriptas, in primæ arteriacæ calce inquit. Manifestum est autem quod Pharmacum hoc electon hoc est delingibile efficitur, uocant autem huiusmodi etiam attici electas .i. delingibiles confectiones. Materia illa quæ anginam facit eclegmate per os expurgatur, & hæc est facilior uia, propterea uena secta in angina, materiam eclegmate repurgato, hoc est medicamẽto delingente, quod ad os materiam in loco læso existentem trahit, ut expuatur. Nunc passim hæc medicamẽta electuaria uocantur, & si petas unum eclegmatum genus, quod hoc efficere sit aptum. Multa lege apud Galenum genera secundo capite septimi libri de compositiõe medicamẽtorũ secũdũ locos.

ἢν τι ἄλλο τι τῶν πλευριτικῶν .i. & si aliud quid ex pleuriticis affectibus. Multę sunt pleuritidis species humoribus distinctę atq; loco, in quibus, cũ sint magni morbi, est uena secãda, qua secta locus eclegmate expurgandus est, opus est autem diuersa esse eclegmata illa quæ in principio adhibentur, ab his quæ in alijs temporibus. nam in inclinatione uehementissima esse debent, per hanc etiam gutturis uiam illi repurgãtur qui morbo laterali laborant, sed cũ magis ab ore distet pleuriticorum materia, quàm anginam patientium. Iccirco facilius educitur materiam anginam faciens, cauendumque est ne ad pulmones transeat, uel ad thoracis cauitatem, quia uel peripneumoniam induceret, uel empiema, & plerunque in septem diebus pereunt, imo & in quatuor, ut in aphorismis ab Hippocrate notatur.

ἢν δ᾽ ἀσθενέστερος φαίνηται idest si uero imbecillores uideantur .s. ægri ex angina uel pleuritide.

ἢν καὶ πλεῖον τοῦ αἵματος ἀφέλῃς .i. si & multum sanguinis missum fuerit, uel hæ duæ particulę simul iungantur, ut interpretes fecere, hicque sit sensus ἢν δ᾽ ἀσθενέστερος φαίνηται

ἦναι

καὶ πλέον τοῦ αἵματος ἀφέλῃς. i. At si æger ob copiosam sanguinis missionem fuerit imbecillior, nempe supponitur in prædictis morbis sanguinem fuisse ablatum, quo ablato cum antiqui sanguinem copiose semper detraherent, libras mittentes non uncias, icirco imbecilliores fieri potuere. supposito igitur, quòd ob sanguinis missionem facti sint imbecilliores, tūc non est dandū medicamētū, sed quod iubet, agendū, cum addit.

κλυσμῷ κατὰ κοιλίαν χρῆσθαι διὰ τρίτης ἡμέρας. idest clysmū tertio quoq; die uentri infundes. censet medicamenti loco, nos uti debere clystere. At petes de quo medicamento loquatur, & quod nos intelligamus, nempe si cathartticum medicamentum intellexerimus, nulla fit mentio huius medicamēti ab hoc authore. si uero intellexerimus medicamentum ut materia per os educat in angina uel pleuritide eclegma. s. aliquod, mirum uidetur, cur etiam si uires ob sanguinis emissi copiam sint imbecillæ eclegma accipi non debeat, quia eiusmodi eclegmata uires non deijciunt, & usq; in extremum uitæ dari consueuerunt, nisi quis forte intelligere uelit de aliquibus eclegmatum generibus fortioribus & non de leuibus. At quicquid sit partem hāc hoc modo intelligere possumus, uel de carthartico medicamento quod sub intelligatur, uel de nullo loquatur medicamento, sed simul uelit, si angina, aut pleuritis adfuerint repurgandum esse eclegmate. Et si ob sanguinis missionem homo sit imbecillus, ne ex clysteribus adhuc imbecillior reddatur, neq; ipsi singulis diebus imponantur, sed alternatis tantum ne uires ob continuam hanc clysteriorum impositionem imbecilliores adhuc euadāt, ut hoc de clysteris impositione, medicamenti loco non fiat. sed tertio quoq; die fiat, & non singulis, ne imbecilliores reddantur uires q̄ sint.

ἕως ἂν ἐν ἀσφαλεῖ γένηται ὁ νοσέων. idest donec in tuto æger fuerit, quotidie. s. imponendus est clyster, quoad æger sit in tuto idest quoad uires fuerint roboratæ, uel morbus etiam adeo quieuerit, ut res in tuto sit.

Forte ambigies, quia in primo libro sectione. 45. in uirium deiectione glande utendum esse iubet & non clystere. Respondemus non esse hic tam imbecillas uires ob sanguinis detractionem, ut supponitur illas esse de quibus libro primo.

καὶ λιμοῦ χρήζῃ. idest & fame indigeat. Scito cum æger erit in tuto, tunc morbum esse iudicatum eo casu homo edere debere, propterea fame indiget. unde fame indigere, est his indigere quæ in fame dari consueuerunt, hæc uero facilius sumuntur, si homo famem patiatur propterea is etiam fame indigere uidetur qui cibis indiget, uel fame indigere, quia plurimi cum sunt in causo non appetunt, hi fame indigēt sicuti & cibis, nam ut in primo libro edocemur sectione. 23. sorbitionis quantitas augenda est cū in pleuritide qualia oportet expuantur. In hoc casu cibus paulatim augetur, ita igitur intelligi potest indigere fame. Alter sensus, imponendum esse clysterem, donec fame indigeat, nam cum fame indiget signum est adhuc esse repletum, & ideo clystere indiget. cum uero famem habebit, nō erit imponendus clyster, quia materiæ iam sunt euacuatæ, neq; hic fame caret, nam rei quam non habet appetentia detinetur.

GALENVS. συνάγχη, idest angina, partiū quæ in gutture sitæ sunt phlegmone est, quæ post sanguinis missionem repurgari potest, id est quæ in partibus phlegmone obsessis continentur, per sputa euacuari possunt. Nempe corpus impurū excremētosumq; quod uacuatur, iure optimo expurgari quispiam pronunciauerit. Cæteris autem acutis morbis omissis, de pleuritide mentionem facit, quomodo & in prima libri parte fecit. Si uero imbecillior, inquit, æger tibi esse uidebitur, uel propter sanguinis ablati copiam, uel ob aliam quamuis rationem, purgationis uice clysterem tertio quoque infundes die. Nempe relaxato p̄ sanguinis missionem corpore, quod ex morbificis humoribus qualitate uitiosum superfluit, p̄ clysterē id euacuari iubet. Quòd autem scopus illi sit non solum alimenti excrementa subducere, uerum quoque & passum locum expurgare, palàm est. Qd' uero finē orationis facit, Et fame indigeat his q̄ in primo libro à nobis demonstrata meminerunt, etiā manifestū euadit.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat συνάγχην. i. anginam esse inflammationem partium quæ in gutture situm habent, hæc uero inflammatio post sanguinis missionem repurgari potest. idest illa euacuari possunt p̄ sputa, quæ in partibus inflammatione obsessis cōtinentur, nam corpus impurum & excremētosum quod euacuatur, merito quispiam expurgari dicet. Aliquis enim dicere posset illam non posse dici purgari & καθαίρεσθαι, quia per illam partem non dicitur purgatio. At Galenus obuiare uidetur inquiens & corpus quod impurum est & excrementosum id quod euacuat iure optimo dici posse expurgari. ut duo sint quæ faciunt ut expurgari dici possit: unū corpus ipsum, quod est impurum, cuius ratione expurgari dici potest, quia impurū est: & excrementum ipsum quod exit cum prauum sit, & ipsum merito expurgari dici potest.

Nota uero in hoc loco pleuritidis mentionem fecisse (inquit) sicuti & primo libro cæteris acutis morbis prætermissis, de gutture uero & angina in. 30. sectione differemus.

Secundo Galenus notat, ægrum non esse expurgandum si uel ob sanguinis missionem uel ob aliam quāuis rationem imbecillis uideatur, sed expurgationis uice tertio quoq; die clysterem infundendum, nam ex sanguinis missione corpus relaxatum est, unde quod ex humoribus morbificis qualitate uitiosum existit, & superfluum est, per clysterem euacuari debet. manifestum uero est ibi scopum esse non solum alimenti excrementa subducere, sed & penitus locum ipsum expurgare, in quo materia continetur.

Quod legitur uerum quoq; & passim locum expurgare palam est, legi non debet passim, sed passum, uel uerum quoque & locum qui patitur expurgare palam est, nā græce habetur ἀλλὰ καὶ τὸν πεπονθότα τόπον ἐκκαθαίρειν.

Scito autem Galenum per purgationē, purgationem per medicamentum intelligendam censuisse, cuius loco clysterem imponit, tamen & purgationis partem intelligere uidetur in angina & pleuritide.

At mirum uidetur quomodo Galenus illa per clysterem subduci uoluerit, quæ sunt in loco patiente in angina uel pleuritide, nam res multum dissimilis uidetur, ne dicam impossibilis, nisi id per partem fieri uelimus, sed quicquid sit, uidere nescimus quomodo id ex clystere fiat, nisi sit uehementissimus, qui postea in angina uel pleuritide in quibus sunt acutæ febres, nō conueniet. Præterea uidere nescimus cur materia per eclegmata etiam in uirium imbecillitate educi non possit, nā eiusmodi neq; uires deijciunt, neq; hominem delassant, nisi quis intellexerit per eclegmata cathartica. At hic non est uel Hippocratis, uel alicuius antiqui usus uocare ἔκλεικτα uel eclegmata quæ sint cathartica, q̄uis apud recentiores medicos sit hic usus.

Tertio Galenus notat & id quod est in orationis calce. s. & fame indigeat etiam manifestum esse, his qui eorum meminerūt quæ à Galeno in primo libro demonstrata sunt, ubi de cibis quando dari debeant, & quando augeri, edocebat, est à. 19. sectione usq; in finem ferè primi libri.

Forte petes quod genus clysteris id esse debeat, quo utemur. Respondemus si uelimus & ciborum excrementa educere, & materiam quæ est in patientibus locis, impossibile est hoc fieri per clysteres superius enumeratos, ut ex aqua mulsa & oleo, & alijs, nam non posset materia ex his attrahi, icirco opus erit addere & hierā picrā, & hierā logadij, & electuarium de baccis lauri, & alia quæ in acuta febre non conuenient. Sed hac de re aliàs loquemur. Ostendimus præterea & in secundo libro clysteres usq; ad os quandoq; pertingere posse, licet id sit in praua uentriculi affectione, & docuimus nonnullos clysteres euomuisse, & alios dixisse, & per aures fuisse nonnunquam eiectos, Galenusq; in secundo de compositione medicamentorum secūdū locos dicit clysterē euacuare usque ad hepatis simam.

Hippocrates. Sectio XXI.

Obsessa inflammatione hypochondria non spirituum interclusione, septi transuersi intensio, uel

ſpirituum protenſiones, quibus orthopnœa ſicca pus nō ſubit, ſed a ſpirituum interclusione pathemata hæc ſuperueniunt. potiſſimum uero & iocinoris dolores, & lienis grauitas, atque inflammationes aliæ, & ſuperiores ſepto dolores, morborumque collectiones, quas συστροφὰς dicunt, ſolui non poſſunt, ſi quis primum purgante uti medicamento aggreſſus fuerit. Nam uenæ ſectio in his præferenda uenit. Deinde clyſmis eſt opus ſi uehemēs & magnus fuerit morbus: ſi uero non, & poſtea medicamento opus ſit, ſane id poſt ſanguinis miſſionē ſecure & mediocriter porrigēdū.

BRASAVOLVS. In præſenti ſententia ab Hippocrate morbi omnes enumerantur, qui ſanguinis egent miſſione, & ex conſequenti ſcimus hos morbos eſſe magnos, unde magnus morbus eſt hypochōdriorum inflammatio, quæ abſq; ſpirituum & flatus interclusione facta ſit. ſolet enim nonnunq; flatus incluſus partes eleuare, & ſimul cum caliditate aliqua inflammationem eſſe oſtēdere cum non ſit, ſolet & cum uera inflamatione eſſe intercluſus ſpiritus, de illa uero agit, in qua non eſt incluſus ſpiritus. Alius morbus magnus eſt ſepti tranſuerſi intenſio in qua conſtantibus uiribus, & ætate deſeruiēte uenam ſecare debemus. Tertius magnus morbus, qui uenę ſectione indiget, eſt ſpirituū protēſio, ac ſi dicere uoluerit ſpiritū interceptū, interruptū & quē in libris prognoſticorum ſpiritum offendētem uocauit. Quartus magnus morbus, qui uenæ ſectione indiget, eſt ortophnœa ſicca, in qua non adſit pus, neq; abſceſſus aliquis, ſed ſola anhelitus difficultas, qua homo recte ſpirare cogatur, ut hoc pathema à pure non fiat, quod in thorace collectum ſit, uel in pulmone, ſed à ſpirituum incluſione. Doloris quoq; Iocinoris uenæ expetunt ſectionem, & lienis grauitas eadem ſectione iuuatur. Imo & eodem præſidio omnes aliæ inflammationes, atq; dolores, qui ſupra ſeptum tranſuerſum ſiunt iuuantur, & inde curatio exordienda eſt. Morborum etiam collectiones. Quas Græci συστροφὰς uocant, ſolui non poſſunt. Si quis primo purgandi medicamento utatur, quoniam in his omnibus uenæ ſectio eſt præferenda. Poſt hæc ſi morbus eſt uehemens uel magnus, clyſmis eſt opus, ſi uero non ſit uehemēs & magnus, & deinceps opus ſit medicamento, id profecto tute & mediocriter poſt ſanguinis miſſionem porrigendum.

φλεγμαίνοντα ὑποχόνδρια, μὴ πνευμάτων ἀπολήψει. Obſeſſa inflammatione hypochondria, neq; ſpirituum intercluſione. Per hypochondria duo intelligi poſſunt, & membra quæ in ipſis cōtinentur hypochondrijs, & ipſa hypochondria, hoc eſt ipſius abdominis muſculi qui ſub coſtis ſunt. Author de parua anatomia Galeno adſcripta deceptus eſt, cū dixit, loca quæ ſunt ſub ſplene & hepate eſſe hypochondria. In ſecundo uero de motu muſculorum Galenus docet muſculos in hypochondrijs adiuuare excretionem, ut hypochondria communi uocabulo ſint quæ ſub coſtis cōtinentur, tam muſculi, q̃ membra. Intellige uero immediate ſed nonnunquam ſumuntur pro muſculis, nonnunq; pro iecore & liene, utrūq; hic intelligi poſſet, tamen uenæ ſectione magis indigemus, ſi in iecore ſit inflammatio uel in liene q̃ in muſculis. & ſi dicas hoc intelligi non poſſe, quia de iecoris dolore deinceps loquetur, & lienis tumore, icirco hic per hypochondria muſculos intelliget. Reſpondemus aliud eſſe inflammationem aliud dolorem, q̃uis & dolor ad inflammationem, ſequi poſſit & ſequatur, tamen poſſemus aliud intelligere per dolorem & inflammationem, & per hypochondria iecur & lienem interpretari. Galenus in tertio, in primum prorrhetici commentario cenſet & ad iecoris inflammationem, & ad ſex muſculorum hypochondriorum inflammationem ſequi hæmorrhagiam, propterea in hoc caſu uenam ſecare conuenit, nam ad locum inflammatum materiæ diſcurrunt. i. ſanguinem & ſpiritus & inflammationem augent & dolorem inducunt. At uena ſecta materia diuertitur, quę ad locum inflammatum decurrebat, forte petes à qua uena debēt ſanguis in hoc caſu educi. Reſpondemus à uena dicta iecoraria ſi in dextera ſit parte dexteri lateris, ſi in ſiniſtra (ut ſeruetur κατ᾽ ἴξιν Hippocratis) ſiniſtri lateris. Tamē potiſſima uidetur dexteri lateris uena.

Author uero notat, non adeſſe flatus intercluſionem, quia ſi hæ partes ex flatu extendantur, uenam ſecare non eſt neceſſe. Iccirco probe notauit & nō adeſſe ſpirituum intercluſionem. tamen ſi ſimul adeſſent ſpiritus intercluſi & inflammatio, horum ſpirituum gratia à uenæ ſectione non deſiſteremus. Sed petes an nonnunq; liceat in ſolo flatu venam ſecare. Reſpondemus, ſi flatus fierēt à materia quæ in venis eſſet, vel aliqua materia, quæ facile in flatus verteretur paulatim ad locum aliquē deflueret à venis, eadem materia per venæ ſectionem diuerti poſſet, tamē hic caſus eſt rarus. Et ſi petas quomodo poſſit flatus in hypochondrijs infigi. Reſpondemus Galenum in commentatione oſtenſurum eſſe, id facile fieri, & nonnunq; eſſe collectum inter muſculos, & hoc palam ex Hippocrate ac Galeno colligitur in primo cōmentario in primum Epidemiorū ſectione. x. vbi inquit, in illa tempeſtate fieri tumores, qui per ſe euaneſcebant, à Galeno notatur, quia ſpiritus intercludebatur flatuoſus, ob id ſine aliqua ſuppuratione euanuiſſe, vnde & in muſculis, & in omni noſtri corporis parte flatus infigūtur, ideo non mirum, ſi & in hypochondrijs quandoq; inſit.

Galenus præterea in quinto de locis affectis docet, quibus notis iocinoris inflammatio deprehēdatur, primo ex loco, qui ſub mendoſis dextri lateris coſtis dolet, tuſſim habent exiguam, aridam, quæ per interualla vexat, & nihil expuunt, dolor in hypochondrio dextero ſentitur, cum magna trahitur ſpiratio, & tūc uehementius vexat. Et in eadem parte grauitas adeſt, quandoque iugulus trahi uidetur ad inferiora, ſed non eſt perpetuum ſignum. hoc cognito primum quod facere debes eſt uenam ſecare. ſed forte inquies, Galenus in. 13. Methodi, ubi de iocinoris inflammatione uerba facit, quam medicus quidam patiebatur, ſtipticis uti uidetur & emplaſtris & inunctionibus, & nihil meminit uenæ ſectionis, abſinthium in oleo ebullire facit & cotoneum in aqua, & emplaſtrorum loco adhibet. Reſpondemus, ſupponendum eſſe iam factam eſſe uenæ ſectionē, quoniam Galenus localia non apponit, niſi euacuatio præceſſerit, & aliqua apparente coctione, niſi talia ſint quæ & ipſa coctionem præparent. Petes præterea an in iecoris eryſipelate uena ſecari debeat. Reſpondemus deberi non ſolum in eryſipelate, ſed & in alijs huius membri tumoribus, & in exulcerationibus & in omni ferè affectu.

Scito recentiores medicos cum experiri uolunt, an inflammatio in iecore ſit, ligulam accipiunt in aqua madefactam, alij in bolo armeno in aqua liquefacto, & uentrem cingunt. Si adſit in loco inflāmatio, circa illam partem citiſſime exiccatur. hoc experimentum à Paulo notari uidetur libro tertio. capite. 46. At dices in alijs lienis affectibus non eſſe ſecandam uenam p̄terq; in inflāmatione quia materia craſſa eſt ad exitum inepta. Reſpondemus neq; fieri in ſcirrho, niſi cum adhuc uidebimus materiam ad illum confluere. Sed cum hic locus non ſit de curatione, notione, & harum inflammationum examine loqui. Iccirco hæc ſatis ſint pro Hippocraticæ ſententiæ intellectione.

φρενῶν ἐντάσιες. i. ſepti tranuerſi intenſiones. ſeptū tranſuerſum muſculus eſt qui inflammari poteſt, & alterius generis materia quàm calida īpleri pōt & extēdi ac intēdi. Imo pleuritis uehemētiſſima in ipſo fit, qua q deprehēſi ſunt, delirāt, ut ob hoc Gręci eā partē uocarit φρένας, q̄m qui illā hn̄t lęſam partē mētē ipſam lęſam habere uideant. Cū intenſum eſt hoc ſeptū anhelitus impeditur, & difficulter ac interrupte reſpirāt, in hoc caſu uena ſecari debet. & ſi petas quam uenam: Dicimus euſdem lateris iecorariam, uel dextri lateris, ſtatim ex uenę ſectione iuuamentum perſentitur, modo ſit ſanguis in notabili copia eductus, ſcito uero, & partem quæ ſequitur. ſ.

ἢ πνευμάτων προτάσιες. idest uel spirituũ protensiones cum septi transuersi intensione complicari posse, ut ad illam sequi uideatur, cum septum transuersum intenditur, spirituum protensiones adsunt, quia homo commode spirare non potest, sed spiritum illum habet, quem in primo huius uoluminis libro, & in prognosticis offendentem spiritum nuncupauit Hippocrates, est uero hic spiritus interceptus, nec suum ordinem sequi potest, sed unam nonnunquam relinquit spirationem, & deinde secundam maiorem duplicat, nonnunquam semispiritus emittitur, hi sunt in magno discrimine propterea ipsis protinus secanda est uena, & copiosus extrahendus sanguis, quia hoc unum est ex maximis præsidijs, quæ in hoc morbo fieri possint.

De his spirituum protensionibus à Galeno mentio fit in. 3. de difficultate respirationis, ubi inquit, spirituum protensiones dixit, actionem dissectam ostendens, & alia multa de spiritu offendente eodem loco differit, & de spiritus intus duplicatione, quæ & in secundo epidemiorum referũtur, ubi de his agit quæ Lyciæ contigere, qui uero sint πνευματώδεες idest magnam & frequentem habentes respirationem in tertio commentario in primum prorrhetici, sectione. 7 2. ostenditur.

ὀρθόπνοιαι ξηραὶ ὅσοισι μὴ πῦον ὑπνοιήν. idest orthopnœa sicca, quibus pus non subit. Cum quispiam talem habet anhelitus difficultatem, ut non possit, nisi recta ceruice spirare, tamen neque tussit, neq; quicquam expuit, hæc sicca orthopnœa uocatur, nam sibi uolunt uel inclinari, uel se prosternere, uel lecto iacere, suffocantur, à Plinio dicuntur spirare non potentes nisi recta ceruice, Hippocrates seipsum exponit quid sit hæc sicca orthopnœa ostendens, quando inquit, non subit pus, hoc est nihil habent puris, unde & sequitur.

ἀλλὰ ὑπὸ πνευμάτων ἀπολήψιος τὰ παθήματα ταῦτα ἐπιγίνεται. i. sed à spirituum interclusione pathemata hæc superueniunt, non quidem ex pure, sed quia intercluditur spiritus, iccirco tales fiunt passiones, & tales affectus, Galenus septimo de compositione medicamentorum secundum locos, prope libri calcem, ubi de orthopnœa agit, hæc uerba habet, qui citra febrem dense respirat, qualiter faciunt qui uelociter cucurrerũt, ab accessione hac medicis Græcis asthmatici, latinis anhelosi appellantur, eosdem etiam ab alia accessione orthopnoicos uocant, propterea quòd ad thoracis proportionem omnino totum corpus rectum habere coguntur ob timorem suffocationis, quin & stratum circa supernas partes ad quas thorax reclinatur, sibi ipsis rectius faciunt, ne dormientes strangulentur, minus est enim quod inspirant, quàm pro usu inspirationis, quamuis thorax plurimum ipsis dilatetur, ex quo manifestum fit intrinsecus ipsis coarctationem locorum factam esse præter naturam, quam etiam ægri ipsi non obscuro sensu perceprãt. Galenus in secundo commentario in primum prorrhetici sectione septima ante finem de angina loquens inquit, uocãt autem (.s. ipse Hippocrates & cæteri omnes) orthopnœã illam difficultatis spirandi speciem, in qua iacentes suffocantur, & uix recto thorace sufficiũt nihil dilatato dorso, (licet in magnis necessitatibus omnes thoracis musculi, & dorsi dilatentur) nã cum aspera arteria principium in gutture habens in pulmonem diuidatur, quoties quidem thoracem cum collo recte extendimus, arteriam ipsam dilatari contingit, atque etiam quæ ex ea in pulmones distribuuntur propagines omnes, atque interim regionem augeri eius internam, post hæc ad quos morbos sequaẽ orthopnœa, docet inquiens, ob id sanè & in peripneumonijs orthopnœa fit, & in appellatis asthmaticis affectibus, ob id ipsum & in grauissima angina, in qua phlegmone obsessi gutturis interni musculi uiam respirationis intercludunt, intenditur autem & huiusmodi affectio cubantibus suscipiente augmẽtum angustia, hæc Galenus in prorrheticis, et in secundo de locis affectis orthopnœam sequi ad pulmonis inflammationem ostendit. Forte orthopnœæ causam quæres. Respondemus à multis posse fieri causis, de quibus omnibus Galenus mentionem facit in septimo de compositione medicamentorum secundum locos, prope finem, ubi censet coarctationem fieri suppuratis ob coaceruatum inter pulmonem & thoracem, humorem, fieri etiam peripneumonicis ob pulmonis inflammationem, postea duas alias reddit causas, quæ à uiarum arctatione sumuntur, per quas aer inspiratur, una quando humores crassi glutinosi & multi pulmonis bronchijs fuerint infarcti, alia quando tumor abscessui similis in ipso cõstiterit, & de causis orthopnœæ mentio fit sectione. 4. quarti libri cõmẽtariorum in sextum epidemiorum. Forte petes hoc in loco quam orthopnœam intelligat Hippocrates idest à qua causa factam. Respondemus Galenum hic in commentatione per orthopnœam illam intelligere quæ sit facta absq; pure, ut à pulmonis inflammatione, quæ peripneumonia dicitur, uel gutture oppleto, sed adducas & quintam aliam causam, quia in omnibus uenam secare, oportet. Veruntamen sicuti fit tussis sicca, faucibus tantum exasperatis & gutture, nullaq; pulmonem humorum affluentia tenente, atq; hi nihil expuunt, neque enim superfluum habent quicquã quod reijci uel expelli oporteat, ut Galenus notat in primo libro commentariorum in primum epidemiorum sectione. 1 2. ita fieri poterãt orthopnœæ sine materia, quamquam aliquis dicere posset non posse esse tam uehementem hunc affectum, ut orthopnœam inducat, tamen sicuti fit tussis sicca ex sola intemperie, ut præcitato loco notatur, quando instrumenta respirationi seruientia erunt intemperie affecta, ita ex sola instrumentorum intemperie potest fieri orthopnœa. At in his casibus dices non uideri necessariũ esse uenam secare, quia materia non adest. Respondemus indicationem de secanda uena non esse accipiendam à materia quę adsit, uel non adsit, sed à morbi magnitudine, cum hic morbus sit magnus, uena secari debet, si reliqua consentiant.

μάλιστα δὲ καὶ ἥπατος περιωδυνίαι. idest, potissimum uero & iocinoris dolores, indicant. s. de uenæ sectione, si in iure o per hypochondria iecur intellexerimus, necessariũ est dicere aliud esse inflammationem, aliud dolorem. at si hyponchondria intellexerimus, quæ musculi sunt uel partem musculosam, tunc intelligi poterit & hunc dolorem fieri ab inflammatione. At dices quomodo sentitur in iecore dolor, cum sit ueluti sanguis coagulatus, in quo uel nulli, uel paucissimi sunt nerui. Respondemus Galenum profecto & iecori modicum sensum præbere, unde in. 4. de usu partium inquit membrana interior. s. iecoris ueluti cutis quædam iecoris est, neruus uero in id insertur ne omnino sit uiscus insensibile, ut ex his palam sit iecur sentire, sed non uehementi sensu, ideo iecoris dolores non possunt esse multum uehementes, cũ uero sentiũtur, causa est insignis, quia cum habeat modicum sensum ita facile nõ sentitur quod afficit nisi sit egregium, de hac etiam re in libro de renum affectibus, dignotione, & medicatione scriptum est, ubi inquit, cũ uero demonstratum sit coe, iecur, & renes in concauitate non sentire, in superficie autem sentire, quoniam in superficie nerui sentientes feruntur, in concauitate uero nulli sunt, quomodo hæc dolorem persentiscunt? Vt uideas ambigere quomodo hæc dolores sentiant. Respõdet an quis grauatur causas, ideo dolor exurgit, extenditur nanque membrana quæ foris est undiq;, quòd cauitas interna sit repleta, & sic extensa membrana dolorem facit, uerum hoc ostendit hũc librum non esse Galeni, quia Galenus in quarto de usu partiũ facit iecur sentire per neruum, hic uero locus facit sentire per membranam extrinsecam. Ille etiam liber qui circunfertur Galeno adscriptus, de uiuorum anatomia ostendit iecur solũ habere sensum in superficie. Petes uero per quot causas inducatur dolor in iecore. Respondemus ob duas generales causas uel ob solutionem continui, uel ob prauam qualitatem, tamen particulares causæ sunt inflammationes, tumores reliqui præter naturam, & alia, de quibus non est opus uberium in hoc loco disserere, ne librum libro misceamus.

καὶ σπληνὸς βάρεα. idest & lienis grauitas, nam & liẽ sensum non habet exquisitum, sed grauari sentitur, & etiam dolorem ob neruum quem habet, quando grauitas fuerit notatu digna,

uena secanda est, quia morbus tunc est magnus. At si grauitas sit parua, uenam secare non est opus. Lien uero facile grauitatem habet ob genus humoris, quod in ipsum confluit, nempe atrabilare, nam & eum attrahit quotidie à iecore, & illo etiam nutritur, potest & ob inflammatiōem uideri grauis, & de hac intelligere uidetur, quia statim subdit, atq; inflāmationes aliæ.

καὶ ἄλλαι φλεγμασίαι τε, idest, & aliæ inflammationes, nam in quacunq; sint parte inflammationes, uenæ sectio semper fieri debet. Forte quis intelligeret per φλεγμασίας à pituita factos tumores. At melius est inflammationes intelligere, quæ à calido fiant humore, solui inquam nō possunt, si à medicamento curationem quis, & non à uenæ sectione aggrediatur.

καὶ ὑπὲρ φρενῶν περιωδυνίαι τε. idest, & superiores septo dolores, qui & laterales dolores complecti possunt, & peripneumoniam, & omnem alium dolorem in superioribus partibus qui necessario aut ex mala qualitate, aut ex solutione continui factus sit, magnitudo morbi de uenæ indicat sectione, imo & dolores capitis & omnium partium superiorum, quæ sunt supra septū transuersum quæcūq; illæ sint, intelligere possumus.

καὶ ξυστροφαὶ νοσημάτων. idest & morborum collectiones, uel morborum conuersiones, utrunq; enim uerum est, per hęc intelliguntur tumores, qui in diuersis fiunt partibus, quorum aliqui simpliciter fiunt & ex se, aliqui sequuntur ad morbos, imo & aliqui fiunt per transmissionem à partibus robustioribus ad partes minus robustas & imbecillas.

οὐ δύνανται λύεσθαι, ἤν τις πρότερον ἐπιχειρέῃ φαρμακεύειν, ἀλλὰ φλεβοτομίη τῶν τοιούτων ἡγεμονική ἐστιν. i. solui nō possunt, si quis primum purgante medicamento aggressus fuerit, nam uenæ sectio in his præferenda uenit, quippe si medicamentum purgans dederis, bonum æque uti malum educes, cum materia nondum cocta est. At melius est uenam secare, nam uenæ sectio est uniuersalis euacuatio, per medicamentum uero est particularis euacuatio, quoniam totam humorum massam ex uenæ sectione euacuamus, ex medicamēto uero particularem humorem tantum educimus, illum inquam qui ab illo educiē medicamento, nisi diuersorum medicamentorū genera simul misceantur, tunc multi humores educuntur ex ui diuersorum simplicium compositionem illam ingredientium.

ἔπειτα δὲ ἐπὶ κλυσμὸν, ἢν μὴ μέγα, καὶ ἰσχυρὸν τὸ νόσημα ᾖ. i. postea clysmis ē opus, nisi magnus, & uehemens fuerit morbus, in Græcis codicibus quos uiderim legitur ἢν μὴ. idest nisi, tamen in aliquibus adest solum particula ἢν. i. si, & Copus ac alij interpretes in suis codicibus habuere si, sensusq; est iuxta illorum sententiam, post uenæ sectionem si morbus fuerit magnus & uehemens, clysterijs uti debemus, & hoc non ab re dicitur, quia medicamentum dare nō est opus cum morbus est magnus & uehemens, & uena fuerit secta, sed coctio postea est expectanda, antequam detur medicamentum, per clysteres uero tantum educitur quod satis est. At si legeremus nisi magnus & uehemens fuerit morbus, hic forte esset sensus, tūc non esse imponendos clysteres post uenę sectionem, sed ante, tamen arbitramur primum sensum fuisse Hippocratis mentionem. s. si magnus fuerit morbus, tamen non ita dicit clysterem, postea adhibendum, quin etiam fateretur esse imponendum clysterem ante uenæ sectionem, contingit nonnūquam morbum adeo urgere ut tempus nō habeamus aluum subducendi, tunc subductio fit post uenæ sectionem. Et hoc tam ab Hippocrate & Galeno, quàm ab Arabibus conceditur.

εἰ δὲ μὴ καὶ ὕστερον φαρμακεύειν δεῖ. i. si uero non, & postea medicamento opus sit, hoc est si morbus non fuerit magnus & uehemens, sed post uenæ sectionem opus sit medicamēto.

δύναται δὲ καὶ ἀσφαλέως καὶ μετριότητος μετὰ φλεβοτομίην φαρμακεύειν. i. sanè id post sanguinis missionem secare, & mediocriter, porrigendum, hoc quod secare dicitur & mediocriter ad medicamentum, & sanguinis missionem referri potest, si ad medicamentum referatur, sensus est, post sanguinis missionem exhibendum esse medicamentum, quod mediocriter sit secare, si uero ad uenæ sectionem referatur, sensus est, post sanguinis missionem mediocrem, & quæ secure sit facta, adhibendum esse medicamentum, potest & unum referri ad sanguinis missionem, aliud ad medicamentum, ut sensus fiat, facta mediocriter sanguinis missione, secure potest dari medicamentum, nam si magna sanguinis copia esset educta medicamentum secure dari non potuisset, nempe apud Hippocratem medicamenta sunt fortia & potentia calida, unde si magnus sit morbus, non debet dari medicamentum ne calor augeatur, sed post uenæ sectionem debet clyster imponi, cū autem morbus non sit uehemens, tunc non est adeo calidus, & possunt adhiberi medicamenta, quæ sunt potentia calida, sed uno etiam notato, quòd magna sanguinis copia non fuerit educta, nam copia hæc sanguinis medicamentum dari prohibet. Omnes prædicti sensus ueri esse possunt, & defendi. Nos tute & secure & sine aliquo incommodo ac consideratione in his casibus, lenientia exhibemus medicamenta, & ante uenæ sectionem, & post, uti sunt cassia, manna, tamar indi, & alia de quibus superius mentionem fecimus.

GALENVS.

Morborum qui primum sanguinis egent missione, deinde ab ea purgari expostulant, catalogum facit. Primumq; inter omnes scribit, φλεγμαίνοντα ὑποχόνδρια, idest flagrantia, flammantiaq; hypochondria. Neque uocem hanc φλεγμαίνοντα ex Hippocratis consuetudine audias uelim. Nempe flammantes morbi omnes & calidi, uoce hac significantur: cuiusmodi sunt erysipelata, herpetes, & carbunculi, & quæ proprie phlegmonę appellantur. Verum recentiores medici omnes, speciei flagrantium corporum uni uetus commune nomen indunt, uocantq; hoc pacto solum eum tumorem qui durus cum dolore & multa caliditate existit. Verum cum & alij præter naturam existunt tumores, ut scirrhus, & qui à recentioribus medicis œdema appellatur: fuit si quidem & id aliquando commune nomē tumorum omnium præter naturam atque ipsius inflationis: diximus quidem alibi libro uno de tumoribus præter naturam, uerum in præsentiarum, ut cætera, ita & hoc summatim dicatur. Scirrhus quidem durus tumor est, & doloris expers. Verum inflatio bifariam est: nempe collecto in quibusdam cauitatibus uel sensui expositis, uel ratione contemplabilibus, flatuoso spiritu. Fuerunt sane qui aliquando tumores præter naturam in musculis secuerunt, tanquam pus in imo reperturi, sed nihil aliud prætерquam spiritum qui totam p carnem minutatim dissem natus esset, inuenerunt. Præterea & thrombi soli aliquando ab his qui ita secuere, uel humiditas uiscosa, uel mucosa est reperta. Verum in talibus tumor uel ex thrombo uel mucore erat, carne ad hunc affici modum apparente: spiritus autem in ea per minuta est disseminatus. Non igitur in præsenti dictione, phlegmone obsessa hypochondria, secundum assuetum Hippocrati significatum dicta esse uidentur. Nempe quam mentem habebit quod ipsi adijcitur, non flatuū interclusione cum flammea caliditas in hypochōdrijs siue cum flatu fuerit, siue non, eandem habeat indicationem. Neque etiam ita dicere est uisus ut aceruatim coniunctimque, tum inflammationem, tum spirituum interclusionem fieri dicatur, cum id falsum sit. Nunquam enim spiritus interclusio flagrantem hypochondrio infert affectionem. Qui ergo hæc scripsit, Phlegmone obsessa hypochōdria, dicere est uisus quæ in tumorem sublata sunt. Post hæc autem mentionem de septi transuersi intensione fecit, deinde & protensione spiritus. Septi transuersi intensio manifesta est omnibus. Sed spiritus protensos dicere uisus est ueluti interruptos: de quibus in prima libri huius parte scriptum est: Spiritus offendens in ea quæ extra sit aeris delatione. Super quo in dictionis illius expositione est enarratum. Siccam autem orthopnœam dixit eam spirandi difficultatem, quæ sine sputis uel tussi usque adeo uehemens est, ut inclinari citra suffocationem qui ita afficitur, non possit: quam fieri non ignoras ab angustia earum pulmonis capacitatum quæ spiritum deferunt: quæ id patiuntur, iacentibus magis, minusque stantibus, & profecto recte sedentibus omnibus quæ in thorace existunt partibus: quo fit, ut, &

orthopnœa appellitetur. Sed cùm ea interdum fiat ob uisceris phlegmonem, ut in peripneumonijs, interdumque & oppleto gutture, sanguinis missione ait egere eos, qui orthopnœa sunt affecti: eos inquam, quibus pus collectum non sit. Nempe quibus pus collectum sit, eos puris uacuatione egere constat. Qui autem à spiritus interclusione (quod in angustiam acto pulmone fieri solet) hæc patiuntur, eos sanguinis missione iuuabis. Pari modo & iecinoris dolores splenisque atque cæteras omnes inflammationes sanguinis detractio iuuabit, atque uniuersas morborum collectiones: Græci συστροφὰς dicunt. Quòd autem συστροφῆς morborum decernit eas, quæ ab intumescentibus fiunt partibus, par est. Audio siquidem & uidi multos in Asia nostra, tumores præter naturam omnes, ita nuncupantes. In his siquidem prius quàm sanguis mittatur, purgationem interdicere oportet, quanquam & hanc quoque mentem, rationemque deinceps dicas in ea quæ sequitur dictione.

## BRASAVOLVS.

Primo, Galenus notat hic ab Hippocrate fieri catalogum & enumerationem omnium morborum, quæ uenæ indigent sectione, & deinceps expetunt etiam purgari, & præ cæteris primum illud scripsit φλεγμαίνοντα ὑποχόνδρια, id est, flagrantia, uel flammantia hypochondria. censetque uocem hanc scilicet φλεγμαίνοντα, ab Hippocrate pro sua consuetudine non esse dictam, nam per hanc uocem morbi omnes intelliguntur flammantes & calidi, quales, erysipelata, herpetes, & carbunculi, & quæ propriæ phlegmone appellantur. At medici recentiores Galeni tempore, omnes una uoce, uni tumorum speciei flagrantium nomen hoc uetus imposuere, & ita nomine ueteri communi, solum tumorem illum nominant, qui durus cum dolore, & multa caliditate existit.

At cū sint & alij pter nām tumores, ut scirrhus, & q dicebat à medicis Galeni tempore, œdema, fuit commune nomen ad omnes præter naturam tumores, imo & extendebatur etiam ad inflammationem, quæ à spiritu fit. uerum Galenus, ut inquit, de tumoribus preter naturam uno libro locutus est, propterea non est opus hic iterum repetere, sed summatim tantum aliqua referemus. Scirrhus est tumor durus doloris expers, qui ab atra bile fit. At inflatio, quæ & ipsa tumor appellatur, bifariam dicitur. nam cum colligitur in aliquibus cauitatibus, aut expositis sensibus & manifestis, aut non expositis sensibus, sed ratione contemplabilibus, flatuosus spiritus fit inflatio. & quod hinc colligi possit palàm est, quoniam nonnulli qui nonnunquam tumores præter naturam in musculis existentes secuerunt, idque ob illum finem fecere ut pus in imo inuenirent. at nihil aliud inuenere, quàm spiritum, qui per totam carnem minutatim erat disseminatus.

Adde quòd nonnūquam thrombi soli dissecti sunt, & in ipsis inuenta est humiditas uiscosa, uel muccosa. at in his partibus, in quibus uidebatur tumor, tumor ipse aut ex thrombis, aut ex muccore erat confectus, & uidebatur caro ipsa ad illum modum esse affecta, & spiritus in ea ad minima erat disseminatus. Vnde in hac sententia hic ab Hippocrate proposita non uidetur dictum esse secundum assuetum Hippocrati significatum hypochondria phlegmone obsessa. Nam mihi dicito, si secundum assuetum intelligere uolueris significatum (quam significationem habebit, id quod ipsi adijcitur scilicet non flatuum interclusione. quoniam flammea caliditas quæ in hypochōdrijs fit, siue cum flatu fuerit, siue non, eandem habet indicationem. nam ita dicere non uidetur, ut aceruatim ac simul & inflammationem, & spirituum interclusionem fieri dicatur, quoniam hoc falsum est, atque absurdum. quippe impossibile est, spiritus interclusionem hypochondrio affectionem flagrantem inferre. propterea author hic, qui ita scripsit; phlegmone obsessa hypochondria, usus est dicere hypochondria quæ in tumorem sublata sunt. & quia sublatio fieri potest, tum ex inflammatione, tum ex spiritu, propterea ut tumorem illum excluderet, qui fit ex spiritu, adiecit, non spirituum interclusione, ut fit tumor, & hypochondriorum inflatio, non ex spiritu, sed ex materia. ut denique Galenus hoc in præsentiarum inferre uelit, inflammationem non accipi secundum Hippocratis usum, quia est tumor calidus dolens durus, sed pro tumore simpliciter accipitur. unde phlegmone obsessa hypochondria, id est tumida hypochondria. Vides Galenum tot uerbis esse usum, ut id solum inferret.

Forte petes, quodnam sit apud Hippocratem proprium huius particulæ φλεγμαίνοντα significatum, quia nunc non utitur hic author tali nomine secundum proprij significatum. Respondemus, Galenum in secundo de difficultate respirationis edocere apud antiquos φλόγωσιν id esse, quod tempore suo φλεγμονὴ dicebatur, id est inflammatio, quam Erasistratus dicebat esse tumorem durum, calidum, & dolentem. postea in tertio de difficultate respirationis idem refert, inquiens, etenim quòd inflammationem præter naturam phlogosin Græcis dictam, non Hippocrates solum, sed omnes ferè alij, qui ante Erasistratum fuerunt phlegmonem nominarint, non à nobis tantum, sed ab omnibus Hippocratis expositoribus est ostensum. Galenusque in libello de morborum temporibus ostendit æstum uehementem à Græcis dici phlogosin. In hoc autem loco non accipit author phlegmænonta pro inflammata, sed pro tumore hypochondriorum. propterea non est secundum Hippocratis usum, qui solos calido morbos phlogoses uocat, & phlegmænontas.

At dices, carbunculum non uideri morbum calidum, quia à materia fit atrabilari, quæ frigida est. Respondemus, hanc atrabilarem materiam, quæ carbunculum facit, esse ex flauæ bilis adustione, & ideo caliditatem habere excedentem & ualde acrem. unde in tertio cōmentario in tertium epidimiorum Sectione quinquagesimaprima, inquit Galenus, carbunculum ex calido fieri feruore, uerum crassa materia constitutum. & de atra bile multa in eodem libro Sectione septuagesimaprima referuntur.

De inflatione uero dubitabis, quæ non uideatur tumor præter naturam. nam tumores ex humoribus fieri uidentur. Respondemus, fieri & ex spiritibus, sed proprie non uocantur tumores, sed inflationes, sicuti & hydropum species inter tumores numerantur, quarum una dependet à flatu tympanites nuncupata. & in decima Sectione primi commentarij in primum epidemiorum Hippocrates in illa constitutione dicebat, factos esse tumores, qui absque pure euanescebant. & Galenus in commentatione ostendit fuisse ex flatu tumores.

A' Galeno dicitur, uerum inflatio γίνεται διττῶς bifariam est, quoniam spiritus hic flatuosus nonnunquam in cauitatibus colligitur, quæ uel sensibus manifestę sunt, sicuti cum est in uentriculo, tunc sensibus deprehenditur flatum inesse uentriculo, uel est in huius generis cauitatibus, in quibus sola ratione non sensu spiritum inesse flatuosum deprehenditur, ut si sit in renibus, uel in tenuioribus intestinis.

Forte dices, si spiritus ille qui tumorem faciebat erat per carnes minutatim disseminatus, quomodo tumorem facere poterat? Respondemus, quia omnes carnis meatus replebat, & supra modum extendebat, & erat minutatim disseminatus, tamen in tanta copia ut extenderet & tumorem faceret, & alicui medico uisus est tumor iam maturus, quem cum secuit, nihil aliud exiuit, quàm flatus.

Petes, nunquid flatus ille oculis uisus sit exire? Respondemus, satis fuisse tumorem euanuisse, absque materiæ exitu, ad hoc ut perciperetur fuisse tumorem flatu plenum, tamen & nihil impedit nonnunquam esse uisum oculis hunc flatum, quando crassior fuit.

Petes, an tumores ex flatu ab his cognoscantur, qui ex molli fiūt pituita. Respōdemus, esse adhuc molliores illos qui ex flatu sunt, tū si copiosi sint flatus, tā uehemēter extēdere possunt,

ut nullam mollitiem præ se ferant.

Quod legitur præterea, & thrombis solis aliquando sectis, humiditas, uel uiscosa, uel muccosa est reperta. Sensus est, non nunquam aliquos thrombos solos præcidentes, in ipsis inuenere uel uiscosa, uel muccosa.

At absurdum uidetur dicere, ꝙ secuerint thrombos. nā thrombi non inciduntur, cum sint materiæ pituitosę in grumulos uel uti redactæ, Græcus contextus inquit καὶ μὲν τοι καὶ θρόμβους ἐνίοτε μόνους οἱ οὕτω τέμνοντες, ἢ γλίσχρον ὑγρὸν εὗρον ἢ μυξῶδες. id est, etenim qui sic incidunt (scilicet tumores) nō nunquam solos thrombos, uel humiditatem glutinosam, uel muccosam inueniunt. si recte ꝯsideres, hic est & ꝓprius huius partis, & uerus sensus. unde tumores dissecātes qñq; flatus inueniūt, qñq; thrombos, qñq; materiam glutinosam, qñq; muccosam. id autem censuisse Galenum ex his constat quæ sequūtur, cum ait, uerum in talibus tumor, uel ex thrombo, uel muccore erat.

At dices, eandem uideri materiam glutinosam & muccosam. Respondemus, non esse eandem, qa materia glutinosa esse potest & tenuis, sed non potest esse muccosa, quin simul etiam sit crassa.

Forte petes, cur simul esse non possint inflammatio & flatus. Respondemus, non se compati, quia ubi est inflāmatio, ibi est tanta caliditas, ut necessarium sit flatum resolui, neq; permanere posse.

Secundo, Galenus notat post illa quæ dicta sunt, Hippocratem, uel huius libri authorem de septi trāsuersi intensione mentionem fecisse, postea de spiritus ꝓtensione. uerū septi trāsuersi intensio est omnibus manifesta, ꝓpterea de illa nihil dicet Galenus. At qa spiritus ꝓtensio non est omnibus æque nota, ꝓpterea inqt, uideri hūc authorem per spiritus ꝓtēsos, intelligere spiritus ueluti interruptos, & interceptos, & duplicatos, de qbus & supius in .j. huius libri parte dictum est. spiritus offendens in ea quæ extra fit aeris delatione. de qua re in illius partis cōmentatione Galenus uerba fecit, nos q; in huius authoris sententia nonnulla diximus.

Tertio, Galenus notat authorem hūc per siccā orthopnœam illam spirandi difficultatem intellexisse, quæ sine sputis habeť uel tussi, & quæ usq; adeo uehemens est, ut is citra suffocationem inclinari nō possit, qui illa afficiť. Scis uero, inqt, hanc difficultatem fieri ab illarū capacitatum pulmonis angustia, quæ spirituū ferūt bronchia à Græcis dicta qui uero ita affecti sunt magis patiunť cum iacēt, minus cum stāt. unde si affici minus debeant, opus est ut recte sedeāt & iaceant partes omnes quę sunt in thorace. & ob hoc à rectitudine noiata est orthopnœa. uerumtñ cū orthopnœa nonnunꝗ fiat ob uisceris inflāmationem, ut in ꝑipneumonijs, nonnunꝗ uero fit & oppleto gutture, ꝓpterea inqt, eos sanguinis missione egere qui orthopnœa affecti sunt. & eos intelligit qbus non est collectum pus. nam quibus collectum est, constat non egere uenæ sectione, sed tātum puris euacuatione.

Galenus inqt orthopnœam fieri ob uisceris phlegmonem interdum, & interdū oppleto gutture. hæc particula oppleto gutture græce est τῶν βρόγχων πεπληρωμένων, i. oppletis brōchijs. aliud est aūt dicere oppletis bronchijs, aliud oppleto gutture. nā bronchia sunt canulæ, & paruæ & maiores pulmonis, sed guttur est maxima cāna, quæ & aspera arteria nuncupatur.

At dices, si fiat his uasis & canalibus oppletis, igiť non erit sicca, qa aliqd expueť. Respondemus, uel intelligendum ꝙ uñ sit orthopnœa per inflāmationem, uel etiam pōt hæc materia esse adeo crassa & glutinosa, ut nihil penitus expuať, modo non sit pus, qa qñocunq; sit, sanguinis missione eget. At qa materia hęc est crassa, dices nihil facere sanguinis missionem. nos uero dicimus aliqd facere, qa ꝓhibet ne alia materia in locū decurrat, illaq; ad uenas reuertť & attenuať. at cū pus adest, nullum aliud est præsidium ꝗ pus euacuare, & nulla alia est conuenientior uia, ꝗ per tussim & sputa.

Quarto, Galenus notat eos etiam qui à spiritus interclusione (quæ fieri solet pulmone in angustiā acto) hæc patiunť, & hos sanguinis missione esse iuuādos. nā pulmo in angustiam duci non pōt, nisi ab aliqua materia. Supponiť enim nō esse suapte natura angustius, sed ob inflāmationem uel materiam esse factum angustum. ꝓpterea uenæ sectio iuuat, quæ fiat ex uena axillari, quam iecorariam uocant, qa hæc cæteris immediatius à pulmone educit. Notat q; Galenus esse spiritus interclusionem cum qs nisi cum difficultate expirare non pōt, sed in qua spiritus intercluditur, tñ ampliatur & ad difficilem inspirationem, ꝗuis hoc ad orthopnœam referri posse.

Quinto, Galenus notat eodē modo oēs iecinoris dolores, atq; splenis, & omnes inflāmationes in quocūq; sint loco, à sanguinis detractione iuuari. Addit oēs morborū collectiones, quas συστροφὰς Græci uocant, sanguinis detractione iuuari.

At si petas, qd per συστροφὰς intelligēdum sit, Galenus ait, cōuenientis esse intelligere illas quæ ab intumescētibus fiunt partibus, imo audiebat Galenus multos in Asia sua in qua est Pergamus, ita uocare tumores præter naturam.

Nota ꝙ ait, iecinoris & splenis dolores intelligi posse, nō de sola illarū partium inflāmatione, sed & de quocunq; abscessu & praua qualitate, quæ dolorem faciat. uerumtñ uenæ sectio ob inflāmationem potissimum fit, non imus tñ inficias & ob dolorem ex alia causa ꝗ sit inflāmatio, posse & debere fieri. imo duo egregia dolorū præsidia à Galeno .j. Aphorismorū referūtur euacuatio per medicamentum, & uenæ sectio. Scito uero συστροφὰς i. collectiones, uel humorū collectiones in unum locum, uel tubercula dici ἀπὸ τοῦ συστρέφεσθαι, aliàs à Galeno dicunť φύματα, & dicunť σκληρίαι. Dioscorides lib. j. ubi de palestræ strigmento, inqt τὰς περὶ τοὺς κονδύλους συστροφὰς ἐπιτιθέμενος ὠφελεῖ. i. tubercula uel duritiei, quę circa articulos sunt, impositum iuuat. Marcellus uertit articulorū in digitis cōcretionibus imposita ꝓsunt. Hermolaus uero, nodis articulorū imponunť. Nos uero potius uertendum duximus, tubercula et collectiones, qm̄ ex materierū decursu in aliquem locum fiūt, & non magis in articulis, ꝗ in alijs partibus. Tñ Dioscorides de his loquit quæ in articulis colligunť. possunt & dici materierū conuersiones ad aliquem locum, quæ fieri possunt & per uiam crisis in morbis, uel per transmissionem à membro robustiori ad membrū infirmius, ut plerunq; docuit Galenus, has fieri collectiones. unde probe hic dicit τὰς συστροφὰς τῶν νοσημάτων, i. collectiones morborū, & conuersiones morborū, uel tubercula morborum, quę fiunt ex materierum collectione in aliquem locum.

Deniq; Galenus notat in his qui illa patiuntur, quæ prædicta sunt, priuaꝗ sanguis mittatur purgationem interdicere oportere, quamuis & hanc sententiam & rationem postea statim dicat in illa quæ sequitur dictione. nempe ex his quæ sequuntur conijcere facile est, primo secandam esse uenam, postea, dandum medicamentum. & hoc intellige in morbis superius expositis. nam si adesset cacochymia, & non adesset morbi magnitudo, non esset necessarium uel prius uel posterius uenam secare, sed materia cocta dandum potius esset medicamētum.

## Hippocrates. Sectio XXII.

Quicumque autem ea quæ inflammantur, statim morborum inter initia medicamento soluere conantur, ij non solum ab intensa inflammataq; parte nihil adimunt, cum non cedat obsequaturq; quæ adhuc cruda est affectio, uerum quoq; & quæ morbo aduersa & sana sunt, absumunt contabefaciuntq;: ductoq; ad imbecillitatem corpore, morbus superior euadit: qui ubi corpus uicerit, remedium non habet.

Ab Hippocrate ratio hic assignatur, cur statim in morborū

initijs, potissimum in inflãmationibus medicamenta non sunt exhibenda. nam qui inflammata soluere conantur, hi non solum à parte ipsa inflammata, atq; intensa, ac dura, nihil adimunt, quia materia quæ inflãmationem facit, non cedit, nec obsequitur, qm̃ affectio adhuc cruda est, uerũ & quæ morbo aduersæ partes & sanæ absumunt & ꝓtabescunt, & morbus superior euadit, cum corpus ad imbecillitatem redigit, qui morbus ubi corpus uicerit, remedium ullum non hꝫ. iccirco nõ est opus in inflãmationum initijs corpora medicamento purgante euacuare. nam cum sit adhuc crudus morbus, & bonum ac prauum simul mista sint, medicamentum æque qđ bonum est ut qđ prauum educet, & membrũ, in quo est inflãmatio, mirifice torquebit & absumetur.

ὁκόσοι δὲ τὰ φλεγμαίνοντα, ἐν ἀρχῇ τῶν νούσων εὐθέως ἐπιχειροῦσι λύειν φαρμακείῃ, τοῦ μὲν ξυντεταμένου, καὶ φλεγμαίνοντος, οὐδὲν ἀφαιρέουσι. i. quicũq; autem inflãmatas partes in initio morborũ statim medicamento soluere conant, hi non solum ab intensa atq; inflãmata parte nihil adimũt, sed potius bonum adimunt, qđ in alijs est partibus, qa is humor qui est in parte inflãmata, ad exitum ineptus est, cũ adhuc crudus sit.

οὐ γὰρ ἐνδιδοῖ, ὠμὸν ἐὸν τὸ πάθος. i. non enim cedit cum affectio sit cruda. illa uero affectio cruda nuncupat, quæ materias hꝫ ad exitum ineptas, & ueluti incuneatas, & non præparatas. Intellige uero per non cedere, medicamẽto non cedere, neq; obseq, sed exitui repugnare. unde necessarium est medicamentum illa attrahere quæ potest, rel qua sunt bona. iccirco bona trahit, tñ & membrũ in quo est inflãmatio uehemẽter molestia afficit, & totum corpus, ex quo redditur imbecillius.

τὰ δ' ἀντίχοντα τῷ νοσήματι, καὶ ὑγιεινὰ συντήκουσιν. i. uerũ & quæ morbo aduersa sunt & sana, absumũt, uel ꝓtabescũt. hoc & ad corporis partes referri potest, & ad ipsos humores, ut aliæ corporis partes, quæ sunt morbo aduersæ, qa sanæ sunt, absumant, & ꝓtabescant. dicunt uero hæ partes morbo aduersæ, qa q̃tum sit de sui natura morbo repugnant. põt & ad humores applicari, q sani humores, qui sunt morbo cõmisti, & ipsi refragant, absumunt, & contabescũt, hoc est corrũpunt. sed hoc potius ad membra referẽdum est, qa membra à ui calefaciente medicamẽtorũ & exiccante & nutrimẽtum membrorũ trahente colliquantur, qñ nihil habet quod trahat.

ἀσθενέος δὲ τοῦ σώματος γενομένου τὸ νόσημα ἐπικρατεῖ. i. imbecillo aũt reddito corpore, morbus superior euadit. imbecillum uero reddit ob colliquationem, quam facit medicamentum, & tũc morbus & corpus & corporis uires superabit. nam uires in calore consistunt, qui sanguini innititur & spiritibus. hæc uero exhauriuntur ob receptum medicamentum, quod nihil habet quod trahat.

ὁκόταν δὲ τὸ νόσημα ἐπικρατήσῃ τοῦ σώματος, τὸ τοιοῦτο ἀνίητον ἔχει. i. qñ uero morbus corpus uicerit, remedium non hꝫ. nam quæcunq; præsidia applicaueris, obsunt, & uires magis imbecillas reddunt. ꝓpterea intellige non habere remedium. i. non esse remedium qđ ualere possit. unde medicamentum non est dãdum in initio, sed bene uena secanda.

At supposito q medicamento indigeamus & uenæ sectione, petes quonam præsidio ex his uti debeamus. Respõdemus, primo uenæ sectionem exercẽdam esse, ut apte Galenus in præcedente sententia ostendit, & in. j. cõmentario in. 6. epidimiorũ Sectione. 6. ubi de renum lapide agit, & docuit nonnunq̃ secãdam uenam, nonnunq̃ dandũ ueratrũ, uel aliud genus medicamenti. postea addit, q si utroq; auxilio ipse hõ indigeat, à uena sectione incipiẽdum esse, necessarium est. imo & incõmoda refert quæ sequuntur si qs euacuet ante coctionem. & q̃uis de ueratro loquat, tñ consueuerũt & Hippocrates & Galenus sub illo omnia forma medicamẽta intelligere, unde inqt, igitur nisi humores pretenuati fuerint, & mẽbra, per quę fit uomitus, mollia reddita sint, & ad distentiones distractionesq;, anteq̃ damus ueratrũ, agilia effecta in suffocationis discrimen ob humorũ crassitiem ægrũ adducemus, aut neruorũ conuulsione ob membrorũ in dilatando duritiam, qui purgat capiet, aut uasculum aliqđ disrumpet. & q̃uis de uomitu loq uideatur, tñ & ad euacuationem per secessum ampliari potest & intelligi.

Sed dubium est de minoratione quæ à recentioribus fit, an cõueniat, an non cõueniat. Respondemus, si medicamẽtis fiat lenientibus, illam concedimus, qa illa tm̃ quæ in uijs sunt, euacuant. uerũ cum uocabulum minoratio significare uideat minorem reddi materiam peccãtem, & materia peccans sit cruda, quæ minor reddi non põt, nisi per medicamẽtum forte, ꝓpterea hãc minorationem in morborũ initijs semp dãnamus, nisi materia turgeat. cum uero turget, uidetur habere aliqd coctionis, qa de loco ad locum moueť, & à ꝓba materia segregata uideť. iccirco ind get ueluti manu illam ad exitus uiam dirigẽte. & hæc est tota rõ, cur materia cruda & in principijs turgente materia euacuare liceat. imo euacuare necessarium sit, ne cum de loco ad locum moueať, nobili membro infigať, & mortem inducat. si uero materia non sit turgens, semp concocta medicãda. Idq; notãdum est & hic & in Aphorismis Hippocratem loq uideri de materia cruda alicui loco infixa, ut pote quæ uel inflãmationem, uel abscessum faciat, & quæ euacuari debeat. Si uero hoc modo intelligeremus, tũc multæ ambiguitates pereũt, quæ de hac materia non turgente fiunt. At illa satis esse iubemus, quæ de his, in nostris Aphorismorũ cõmentarijs scripta reliquimus, intelligentes solam materiam quæ de loco ad locum titillando moueť esse turgẽtem. reliquas uero materias non esse turgẽtes, etiam si pestilẽtes sint. & tanto minus erit turgens, si uel abscessum, uel inflammationem pepererit, in unoq; determinato loco sit infixa. põt & hæc turgida materia uocari cocta, qa est ad exitum parata. nam Galenus de illa loquẽs in. 2. cõmentario in. 6. epidimiorũ Sectione. 9. id uelle uideť. & in. 34. Sectione. 1. lib. cõmentariorũ in. 6. epidimiorũ inquit, materia turget, & natura animalia regens, ad humorum excretionem festinat.

GALENVS.

Hunc exposuimus Aphorismum, cũ illum exponeremus Cocta medicari & mouere: atq; in eisdem qbus & nunc symptomatis. Recte aũt ad sanguinis missionem prius deueniendum præcipit, ubi uinosi aliq humores in partem aliq̃ confluũt atq; in ea aceruent, qđ ut dixi συστρέφεσθαι. i. colligi, in ea parte dicit. Quod aũt in fine ante hanc scriptæ dictionis scribitur, qdam dignotioni inaccessum efficiũt, nomen φαρμακείας in casu accusandi pro genitiuo legentes ad hũc modum: ἀσφαλείας μὲν καὶ μετριότητος δεῖ ὥστε φλεβοτομίαν μετὰ φαρμακείας qua dictione significari uolũt ad sanguinis missionem à medicamento ueniendum. Verũ in tota dictione prius ad sanguinis missionem ueniẽdum, deinde ad medicamẽtum præcipit, non aũt è contrario, ut hi scribũt, assumẽdum medicamentum, deinde ad sanguinis detractionem deueniẽdum. Cætera dictionis dilucida his sunt, qui exacte dicta nostra animaduerunt.

BRASAVOLVS

Primo, Galenus notat se exposuisse hunc Aphorismũ, hoc est hanc sententiam, qñ Aphorismum illum interpretatus est, Cõcocta medicari, & mouere nõ cruda. imo & in eisdem symptomatibus interpretatus est Aphorismum, qbus & hic utiť, nempe in inflãmatione. unde recte præcipit prius ad sanguinis missionem deueniendum esse, ubi uinosi aliq humores in partem quãdam confluant, & in eadem aceruent. idq; quodãmodo dici potest συστρέφεσθαι, hoc est colligi in ea parte, & tumorem quendam facere præter naturam, ut uideas cruda intelligi, quæ in uno loco collecta sunt, & non per totum sparsa.

Quod legitur propius, græce est πρότερον.

Secundo, Galenus refert aliorũ quorundam expositionem, qui Hippocratem intelligebant, ut medicamentũ uenæ sectionem præcedere deberet. itaq; legebant, à medicamento ad sanguinis missionem deueniẽdum esse, unde utunť uocabulo φαρμακείας in casu accusatiuo, cum sit genitiui casus. itaque sententiam legunt ἀσφαλείας μὲν καὶ μετριότητος δεῖ ὥστε φλεβοτομίαν μετὰ φαρμακείαν. ut ex hac sententia uelint à medicamento ad sanguinis missionem deueniendum esse. hi uero absurde intelligunt. nam in tota sententia infertur à uenę sectione ad medicamẽtum deueniẽdum esse, & nõ ecõtrario. reliqua

manifesta sunt siquis Galeni dicta animaduerterit.

Nota q Galenus ait, qd' autem in fine ante hāc scriptæ dictionis, est ultima pars præscriptæ sententiæ, illa inquā pars quæ dicit ἐᾶται δὲ καὶ ἀσφαλέως καὶ μετριότητος μετὰ φλεβοτομίην φαρμακεύειν.i.eqdem id post sanguinis missionem secure et mediocriter porrigēdum. ipsi uero legebant in accusatiuo φαρμακείαν, & particulam μετὰ præponebāt, quæ ante particulam φλεβοτομίην scripta est.

Quod legē, quidam dignotioni inaccessum efficiūt, græce est ἔνιοι ποιοῦσιν ἀδιάγνωστον οὐκ ὀρθῶς γράφοντες.i.quidam faciunt sine iudicio non recte scribētes. potest & hoc ad Hippocratem referri, ut nōnulli faciunt illum sine iudicio, uel ad illosmet referatur, qui sine iudicio sint, & pperam legant. qd' deinde sequitur uerum in tota dictione prius mittit sanguinem, q̄ medicamentum det, de præcedenti tota dictione intelligatur. Petes forte, quæ sint illa Galeni dicta quæ erant aduertenda. Respondemus, illa esse quæ in præcedentis sententiæ cōmentatione attulit, rationem reddens cur prius uena secanda.

## Hippocrates. Sectio XXIII.

Quod autem quis repente obmutescat, id uenarum interceptiones occlusionesq; faciunt, si sano absq; occasione uel forti alia causa id contigerit.

BRASAVOLVS

Sententia hæc & in sanis & in ægris intelligi pōt, tñ in sanis illam uideť intelligere Hippocrates, q quispiam repēte obmutescat sanus uel æger, id fit ob uenarū interceptiones atq; occlusiones, & potissimum si sano homini absq; occasione uel alia forti causa id contigerit.

τὸ δ' ἄφωνον ἐξαίφνης γενέσθαι φλεβῶν ἀπολήψιες ποιοῦσιν.i.repente uero absq; uoce fieri interceptiones uenarū faciunt. Pro exqsita huius sentētiæ intellectione scire opꝫ uocis defectū tripliciter intelligi posse. uno modo impfecte, ut si bene habeat uox, tñ sit exilissima & diminuta. alio modo, ut uox penitus sit amissa. tertio modo, ut corrupta sit & pmutata, ut cum uox ad raucedinem, acuitatem, grauitatem, aspiratem, aut tremorem conuertiť. In hoc loco Hippocrates intelligit de uoce amissa. nam ἄφωνον pprie id significat qd' sine uoce penitus redditū sit. Pōt hæc distinctio ex Galeno colligi in.4. libro de decretis Hippocratis & Platonis, ubi significata ponit huius dictionis irrationale, & huius decollatum, & huius inuocale. inqt enim inuocale siquidem & decollatum (cogit enim me Chrysippi interpretatio uerba hæc exponere) ita appellāt, ut interdum priuatio uocis uel colli, interdum deprauatio significeť. Cū enim pisces inuocales esse dicimus, uel plātas, id designamus, ut nullam prorsus habere uocem intelligant. cum inuocalem citharœdum, aut præconem appellamus, uocis deprauationem ac uitium innuimus.i. aut exilis, aut asperæ, aut uastæ, aut tale quippiam, nam uoce penitus carere homines significamus. ut hinc colligi possit Galenum in hoc secūdo significato duo complecti, & uocem diminutā, & deprauatam, ppterea dicere possemus inuocalem fieri aliquem, uel quia penitus uocem amittit, uel quia deprauatam habet, deprauatio deinceps diuiditur in exilitatem & uocem corruptam.

### De uoce amissa.

At in præsentiarū de uoce penitus amissa ab Hippocrate sermo fit, ppterea huius rei causas tu pquirere poteris. Galenus in.4. de locis affectis lib. ubi primo differētiam ponit inter uocem & loquelam. dicitq; uocem esse uocalium instrumentorū munus. loquelam uero eorū quæ sermoni deputata sunt, inter quæ lingua principatū obtinet, cui non parū pferūt & nares & labia & dentes. sic ēt uocis instrumēta sunt guttur, & musculi ipsum mouētes, atq; nerui qui à cerebro ipsis uim deferūt. post hæc, de uocis amissione ista infert. igiť si uel claudētes uel apeřētes guttur musculi immobiles reddanť, qui sic afficitur obmutescet. ubi uero uel difficulter mouētur, uel palpitāt, uel tremūt pro affectionis ipsius modo uox ipsa læděť. similiter si uel pcellendo, uel quatiendo moueně, aut ubi imbecillæ sunt ipsis uires, siue ob suam ipsorū, siue ob neruorū ipsos mouētium affectionem obscuram & paruam efficiēt uocem. q si alius quispiam ex mouētibus guttur musculis, quoquo modo afficiě, læděť quidem uox, sed paruum erit uitium, atq; sic affectus, neq; obmutescet omnino, neq; ita exiguam habebit uocem. ut ait ex musculis guttur mouentibus præcipui habenť, ij qui ipsum & apiunt & claudunt, ita ex uocalibus neruis ij, quos recurrētes uocant, qui & ipsi sextæ piugationis pars sunt, neruorū qui à cerebro oriuně, quēadmodum & alij, qui quidem per ipsum dispsi, differūnt ab illis, eo q à neruis sextæ piugationis non in ceruice, sed cum ad thoracis regionem puenerint, separantur. Nullus itaq; tam ineptus dissector est, qui sextaꝫ piugationem totam secet inuitus, q̄uis recurrentes nerui ob imp.uiam nonnunq̄ diuellanť. Accidit uero interdum in magnis asperæ arteriæ calonbus, ut unà cum ipsa arteria, uel alter, uel uterq; incidať, porro per chirurgiam quoq; infrigidari, tantisper uocem impedient, donec calefacti naturalem temperiem recupauerint. qn etiam uitiari uocem nō obscure pcingit, cū uel acutior, uel maior redditť, ob id q fauces à suis musculis nequeūt intendi. Item grauissime lędiť uox, ubi membrana quæ faucibus & gutturi cōmunis est, multa humiditate rigaě. Quòd etiam destillationes eadem rōne uocem raucam efficere possint, nemo non intelligit. uehemens quoq; exclamatio similiter uocem afficit, utpote quæ similem inflāmationi, circa iam dictam membranam, atq; gutturis musculos faciet affectum. cæterū cum gutturis interni musculi inflāmantur, tū affectū anginam esse pstat, quæ simul & uocem & spirationem lędit. ac idem quoq; in uniuersum facere solent oēs præter naturam tumores, siue in spiritualibus uijs exorianť, siue extrinsecus ipsas comprimant. sic enim gula quoq; ubi inflāmatione affecta est ut comprimat asperæ arteriæ tunicam, qua chartilaginum ipsius partes extremæ sigmoides uocantur (.i. quæ sigma literæ figuram referunt) piungunť, & spirationi & uoci noxaꝫ afferre psueuit. haud absimile quoq; uitium inducit uertebrarū ceruicis in anteriorem partem luxatio. sed de his iam antea dictum est. igiť oēs huiuscemodi affectus uoci adueniunt, pprijs ipsius instrumētis familiari aliquo uitio, siue primogenia affectione, siue per psensum laborantibus. hæc Galenus, in qbus palàm, deprehenduntur modi, qbus uox amittiť, uitiať, imbecillior, ac tenuior redditť. tñ si recte pcemplens, unus est solus modus amissionis uocis & ἀφωνίας pprie. primus. s. qñ aperientes uel claudentes guttur musculi immobiles redduntur. At in.j. eiusdem uol. de locis affectis lib. idem Galenus notat esse nonnullas actiones, quæ idonea indigentes materia, ipsam ab alijs partibus præparatam accipiunt. unde contingit nulla existente in instrumenti alicuius actione noxa, actionem ipsam perire contingat, defectu. s. materiæ, ex qua fieri consueuit. & in uoce exemplum præbet, cuius materiam dicit esse flatum, quem efficiunt cōmulo thorace intercostales musculi. his igitur nihil agentibus animal uocem amittit, & quidem nullo interdum in pprijs uocis particulis apparente affectu. & in summa has refert partes, inquiens esse guttur. postea particulariter explicat, dicens, esse tres chartilagines à tribus motas musculis, quibus accedunt nerui à cerebro demissi. Est præterea in gutture ligula, Græci epiglottida uocant, hæc maxime proprium uocis instrumentum est. etenim cum moderate & aperitur, & committitur, uocem efficit, quanquam uocem reddi impossibile est, nisi uehementer spiritus egrediatur. id uero intercostales musculi perficiunt. cecidit quidam ab alto, ita ut dorsi initium affligeretur, is tertio die exiguam admodum uocem emisit, quarto deinde die omnino obmutuit, resoluta que simul fuerunt crura, manibus omnino illæsis, sed neque spirationem emittebat, neq; difficulter spirabat. cum enim tota sub ceruice spina esset resoluta, accidit thoraci ut & sceptū transuersum, & musculi superni numero quidem sex mouerentur, quippe nerui ex spinali medulla

dulla, quæ in ceruice est, ipsis aduenerunt. at intercostalium musculorum nerui, per quos flatum fieri diximus, omnes affecti erant. cum itaq; frustra medici negocium subirent circa crura quidem utpote resoluta: circa guttur uero propter uocis affectum, equidem id interdixi, atq; affecto duntaxat loco curationem adhibui. proinde finita tandem spinæ inflãmatione, à septimo die uox restituta est iuueni, & crura motionis facultatem recuperauerunt. Ex his alijs Galeni uerbis una habetur causa amissionis uocis. s. affectio neruorũ musculorũ intercostalium. Circumfertur libellus de uoce & anhelitu inscriptus sub Galeni nomine, quem tñ spurium esse omnes fatent. statim uero in huius libri uestibulo causæ referunt ablationis uocis. illius libelli initium est hoc. Dixit Galenus, si neruis qui sunt intra costas accidenit occasio prope spondylos, destruet uox & anhelitus. hoc autem idem accidet, si ossa costarũ scindant, aut spinalis medulla sm latitudinem, inter finem colli, & initium spõdylorum, qui respiciunt ex opposito pectoris.

Forte dices, non uideri spurium illum de uoce libellum, sed esse Galeni ꝓprium, cum in. 4. de locis affectis citet hũc librum de uoce, ubi inqt. atq; in cõmentarijs de uoce dictum iam est. (de uocis materia loqtur) notans ꝓpriam huius actionis materiam, generatim quidem loquendo esse expirationem. sm speciem uero atq; ꝓpriam differentiam exufflationem. in. j. etiam. de locis affectis ostendit aliquam actionem deficere instrumẽto ipso non affecto. dicit uero, uelut in uoce res se habet. nam in libro, quem de ipsa conscripsimus, & reliqua, ut ostendatur librũ de uoce conscripsisse. meminit & huius libri quem composuit, in. j. cõmentario in primum prorrhetici Sectione. 3. & deinde Sectione. 17. & iterũ in. 2. cõmentario Sectione. 10. & in. 4. Aphorismorũ lib. in calce cõmentationis Aphorismi. 54. Respondemus, de uoce ꝓfecto locutum esse Galenum uno in cõmentario, sed id non est qđ de uoce & anhelitu inscribitur. nam neq; phrasis, neq; sententiæ Galeno conueniunt, neq; Galenus incepisset.

Dixit Galenus. at non uident omnes causæ amissionis uocis à Galeno positæ esse, qa non refert qñ ob epilepsiam, uel apoplexiam, uel ob aliquem similem morbum amittitur. Respondemus, & Galenum has etiam causas innuisse, qñ in. 4. de locis affectis dixit. uerũ qualis est dispositio, quæ apnoeam efficere potest. cõmunis certe omnibus alijs partibus uelut in apoplexia, sopore, morbo comitiali, catalepsi. nam in his omnibus nullus ꝓprius affectus spiritualia instrumenta præ cęteris infestat, non magis quã uocis, aut locutionis, aut ꝓgressionis instrumenta, sed affecto principio omnia quibus uires suæ, per quas regunt, ab ipso suppeditari consueuerũt, ei consentire necesse est. hoc loco innuit Galenus ex epilepsia, apoplexia, & similibus affectibus, qui cerebrũ ununt, amitti uocem. & in præsenti etiam cõmentatione de uocis amissione, ex hac causa sermonem habet. nam intelligit Hippocratem, ut loquat de uocis amissione, quæ ex apoplexia fit, uel epilepsia. imo notat per hoc symptoma, qđ est ἀφωνία. i. uocis amissio, omnia illa symptomata denotasse epilepsiam, apoplexiam, syncopen cardiacam. fit etenim uocis defectus & ex affectione membrorũ thoracem mouentium, & partes omnes quæ ad uocem conficiendam erigunt, & ex alijs affectibus hęc eadem instrumenta tñ lædentibus, in hoc loco talem uocis amissionem intelligit Hippocrates, quæ fit repente, cum qs in epilepsiam decidit, uel apoplexiam, uel in similem alium affectum. nam dicẽs Hippocrates hoc fieri uenarũ occlusiõe et obstructione, & palàm sit obstructionem uenarũ in thorace hoc nõ efficere, ob hoc enĩ obstructio in capite. nã epilepsia & apoplexia ex hac obstructione inducuntur, & potissimum cum homines sani sunt.

ἐν ὑγιαίνοντι τὰ δὲ ξυμβῇ ἄνευ προφάσιος. i. si sano absq; occasione contigerit. Scito si uocis amissio in homine sano fiat, & repente, necessarium esse fieri ob uenarũ occlusiones, & obstructiones. Intellige uero per occasionem causam manifestã, qñ non fiunt à causa manifesta, quæ à Græcis ꝓphasis dicitur. sed ferè uident absq; causa uocem amisisse, ab alia causa euenisse non potest, quã à uenarũ occlusione, quæ epilepsiam induxit, aut apoplexiam, aut cardiacam syncopen. & non sine causa dixit sano, qa in ægro & ex alijs causis hoc cõtingere potuisset, ut si affectæ sint partes quæ uoci deseruiunt, & ob exolutionem, ob uirium defectũ, sed in sano ex his fieri non potest.

ἢ ἄλλης αἰτίης ἰσχυρῆς. i. uel forti alia de causa. hæc fortis causa, capitis ꝑcussio esse potest, uel timor, uel maximus animi mœror. tñ & ex repentina destillatione ad pectoris partes, posset & uox amitti, uerũ cum non adest causa manifesta neq; euidens, ex uenarum fit occlusione.

**GALENVS.**

Venarũ ἀπολήψιες. i. interceptiones, appellat oppletiones, quæ à copia exoriunt. Cum igitur supra modum oppletæ fuerint uenæ, premi uirtutem, grauariq; est necesse, atq; in extinctionis agi periculum natiuam caliditatem, quæ ob multitudinem, copiamq; suffocationi quippiam simile patitur. Oriuntur siquidem epilepsiæ, & apoplexiæ, & syncopæ cardiacæ. Nempe uno cõmuni aphoniæ. i. uocis carẽtiæ symptomate, symptomata huiusmodi significauit. Adiecit autem orationi: Si sano absq; occasione uel alia forti causa id contigerit. ubi πρόφασιν, i. occasionem, dico causam euidentem, manifestamq;: ut si qs in lucta uel pancratio ex brachiorũ accommodatione ad periculum suffocationis circunductus fuerit. Causam uero aliam fortem dico, qualis uel timore, uel maximo animi mœrore ꝑcussis accidit. In ægris autem uocis priuatio huiusmodi fieri potest, læsis dũtaxat his, quæ uoci efformandæ subseruiunt instrumentis, uel etiam his quæ respirationi deputauit natura: potest quoq; contingere ob recentem quandam exolutionem & afflictionem uirtutis. Vt autem ab huiusmodi aphonijs uocisq; priuationibus eam distinguat quæ orationi apposita est, adiecit si sano contingerit.

**BRASAVOLVS**

Primo, Galenus notat hic ab Hippocrate nuncupari uenarum ἀπολήψιες. i. interceptiones, oppletiones, quæ ab humorũ copia fiunt. inde cum uenæ fuerint supra modum plenæ, necesse est uires premi atque grauari, & natiuam calidiatem ad extinctionem periclitari, quæ ob multitudinem & copiam nescio qd simile suffocationi patitur. nam hinc epilepsiæ oriunt, apoplexiæ, & cardiacæ syncopæ. Imo notare oportet, Hippocratem hoc uno cõmuni symptomate. s. aphonia, omnia huius generis notare symptomata, & ideo dicẽs, repẽte obmutescere, epilepsiam intelligit, uel apoplexiam, uel syncopen cardiacam, quæ omnia sunt symptomata ab uno communi symptomate denominata.

Vnicuiq; forte mirũ uidebitur tam ualidos morbos, tam repente fieri, & prius non sentiri. nam experientia ostẽdit, hominem neq; epilepsiam, neque apoplexiam præsentire, uel pro maiori parte. Respõdemus, aliquos esse qui præsentiãt, alios nihil præsentire. at si magnus sit morbus, tñ repente fit, quia & materia ad opplendum repente recurrit, primo, portione aliqua collecta, sed non tanta ut obstructiones inducere possit, sed tãta ut nonnullis capitis dolorem inferat, nonnullis minime, deinceps alia repente in locum decurrente obstructione facta decidunt. itaq; hi morbi repẽte fieri uident, de qbus qd sint, & quõ fiant, disputare non est opus, cum aliàs de ipsis satis dictum sit.

Secundo, Galenus notat Hippocratem hanc particulam suæ sententiæ adiecisse, si sano, absq; prophasi. i. occasione, uel alia forti cã id contigerit. ubi notare opꝫ dicere ꝓphasim. i. occasionem, causam euidẽtem, & manifestam. non enim absq; cã fieri putãdum est, ut in lucta uel pancratio ludi genere, qspiam ex brachiorũ accõmodatione ad periculum suffocationis ducat: nam hoc est à cã manifesta, lꝫ repente fiat. sed nunc intelligere opꝫ, hãc uocẽ manifeste absq; cã extrinseca, quæ sensui pateat. Notaq; Hippocratem dixisse uel causam aliã fortem, ob alias causas, quę id sano inducere põt, ut est timor maximus, quo qspiam mutus efficit, lꝫ per ipsũ id sit, uel aliqs repente ex animi mœrore ꝑcussus sit. Intellige uero hæc fieri sine causa manifesta, tamen in hunc numerum non reponi, quamuis & si essent à causa manifesta, nihil referret.

De prophasi uero quid sit habetur à Galeno in primo commẽ-

tario in primum epidemiorum Sectione. x. & in. iij. commentario in eundem primum epidemorum sectione. 19. & in primo commentario in. iij. epidemiorum Sectione. 15. & superius in commentarijs huius libri de uictus ratione in morbis acutis. Quod legitur uel tumore, Graece est ἐν̀ φύσει tumore. fuit error impressionis.

Tertio, Galenus notat in aegris fieri posse hanc uocis priuationem & ex alijs causis ut ex laesione instrumentorum, quae uoci efformandae obseruiunt, & ex omnium, uel unius, uel plurium laesione. & quia aliqua sunt, uocis instrumenta alia respirationis non solum. uerum est in laesione instrumentorum uocis, sed etiam respirationis, quando recentem quandam resolutionem, & uirtutis afflictionem nacta sint. uerum ut ab his uocis priuationibus eam distinguat, de qua in hac sententia mentio fit adiecit, si sano contingerit, quoniam aliae priuationes dictae sanis non contingunt.

## Hippocrates. Sectio XXIIII.

### Venam igitur brachij dextri internam secare oportet.

BRASAVOLVS Cum quempiam mutum repête factum uideris statim praesidium habes ab Hippocrate, quod prae caeteris praesentissimũ est. i. uenae sectio. conferto secũdam esse uenam internam brachij dexteri, tunc enim iuuantur, & uocales plerũq; fiunt, qui prius inuocales erant.

φλεβοτομέειν οὖν χρὴ τοῦ βραχίονα τὴν δεξιὴν τὴν ἔσω φλέβα. i. uenam igit̃ brachij dexteri internam secare op3, & uenam secandam esse, & quam uenam secare debeamus ostendit.

GALENVS. Velocissime & plurimum ex his quae principes sunt partibus uena ea corpus uacuat, atq; ob id in acutissimis morbis ad eam sese confert.

BRASAVOLVS Galenus notat, uenam istam uelocissime, & plurimum ex partibus quae principes sunt, euacuare. atq; ob id in acutissimis morbis ad eam sese conferre.

Verum, cum de uocis amissione potissimum locutus sit Hippocrates, quae est epilepsię symptoma, uel apoplexiae. Iccirco duae ambiguitates occurrunt: una, de uenae sectionis tempore: altera, de uena ipsa, quam iubet secundam Hippocrates, an in illis casibus secari conueniat.

Pro primo horum absoluendo, dubitatur, an in epilepsia, uel apoplexia in initio sit uena secanda. recentiores nonnulli nolũt secãdam esse in apoplexia uenam, nisi post. 72. horas. & hi quidam Haliabatis sententiae innituntur quinto practicae capi. 21. qui censet in apoplexia nihil esse agendum, nisi post. 72. horas. quidam inquiunt, nihil esse agendum nisi post. 48. horas. & in epilepsia non censent secandam, quia cito transit.

Sed hi iudicio nostro aberrant, quoniam quanto magis uenae sectio differtur, tanto magis capiti materia infigitur. Iccirco statim in principio uenam secandam censuerim, ut materia à capite diuertatur, & ne alia materia illam sequatur, quae iam obstruxit. Imo Galenus in libro de curãdi ratione p sanguinis missionem, cum uenam ob morbi magnitudinem secandam esse cõsiderat, monet intelligendum esse morbum uel factum, uel qui fiat, uel qui futurus est. certum uero est apoplexiam (ut apoplexia est) semper esse factam, tamẽ magis imprimi & augeri, nisi materia diuertatur. & in illomet lib. apoplexia affectis, uel epilepsia, uel his qui facile illam incurrere possunt, uenam secandã iubet. uideturq; explicare uenam cruris potius q̃ brachij in epilepsia & uertiginosis. quod & in apoplexia intelligendum est. opus uero est intelligere fieri in crure diuersionis gratia, nõ gratia euacuationis materiae, quae in capite est, nisi è lõginquo euacuari intellexerimus. unde illos errare putamus simul cũ Haliabate, qui nihil agendum censent in apoplexia, nisi post. 48. uel. 72. horas.

At recentes dicũt, hi moriuntur, cũ fortem habẽt apoplexiam, ideo nihil agendum: Respondemus & si moriantur, tñ non sunt praetermittenda haec generosa praesidia, & cum praefatione facienda sunt, ne medicus uideatur ignarus, & nesciuisse illũ esse moriturum. Id uero nobis non displicet, seruãdos esse illos qui ex apoplexia moriuntur per. 72. horas prius q̃ sepeliantur. uel secundum Rasim primo cõtinentis capite primo per. 48. cum reperti sint qui ad tumulum elati, & uiui domum relati sunt.

Causam uero petes, cur per tam longum spatiũ seruari debeãt. Respondemus, nos arbitrari satis esse. 48. horas, tamen conciliator rem hanc considerans differentia. 182. inquit, ab Haliabate ita dici, quia humores omnes euentantur (ut eius uerbis utar) in tribus diebus, & quarto deinde die incipiũt. Nos intelligimus humores omnes in trium dierum spatio distilari, quãdo febrem faciunt, hoc est nullum humorẽ transire tres dies, imo nec atra bilis, quia & ipsa in tribus diebus suam perficit periodum. intelligendo quod à principio collectionis materiae, quae statim colligi incipit in loco minerae post accessionẽ, usq; in accessionis finem, si consideres intersunt tantum tres dies. tamen haec ratio de hoc humorum motu satis tuta nõ uidetur, nam hic motus non facit ut sint mortui, uel uiui. ob id ipse rationem aliam ex lunae motu per zodiaci quadras assignauit, quae & uana est. & illam reprehẽdit ipsemet Cõciliator, uir alioqui astronomicis fauens argumentis. Iccirco potius dicẽdum esse iudicamus in tali apoplexiae motu, spiritum quãdoq; adeo coarctari, & minorem reddi, ut an spiremus, an nõ spiremus, minime percipiatur. tunc mortui esse existimantur, quia in trium dierum spatio fieri nõ potest, quin hoc cognoscatur. propterea ad tam amplũ insepulti seruantur. tamen arbitramur duorum dierum spatiũ satis esse, ut Rasi placet. Ad rem igitur redeuntes, in apoplexiae principio uena secanda est, & alia exercenda sunt medicamenta, nec expectandum est ad. 72. usq; horas, quia interim moritur aeger. & hoc iuxta etiam Hippocratis regulas, qui iubet in ualde acutis medicandum eadem die, neq; expectandum, quoniam in his casibus periculum est, si nimis immoremur.

Altera ambiguitas est de uena quę secari debet. quippe Hippocrates ait secandam uenam dexteri brachij internam. haec autẽ uena à capite immediate non educit, sed à iecore. potius igitur uideretur secandam esse humeralem brachij dexteri uenã, quia illa proprie & immediatius à capite educit, q̃ faciat axillaris & intrinseca. Respondemus, non esse arbitrandum in apoplexiae & epilepsiae initio uenae sectionem fieri, ut materia quae iam in loco est, euacuetur. nam Galenus in. 13. Methodi uenam secat in apoplexia, non ut euacuet materiam in capite cõtentam, sed potius cum materiae totius corporis ad locum laesum defluant, ut sistantur, & ne amplius illuc decurrant, & mutent mores diuertanturq;, & in alium locum uergant, nam in caput uergere prauum est. inter uenas uero quę in nostro sunt corpore iecoraria potissimum illa est, quae ab omnibus partibus & praecipue corpus euacuat, & ut seruet membri κατ' ἴξιν, latus dextrum accipit. nam humores per huius uenę sectionem firmari possunt, & diuertiq;. Quis non desint recentes ad hunc finem secandã prius esse saphenam, postea iecorariam. alij censent, communem dictam uenam potius, q̃ hanc esse secandam. alij, uenam humeralem, quam capitis uenam uocant. sed quicquid sit, iecoraria ipsa est omnibus melior, tum quia è iecore sanguis prodit, & in illo gignitur, tum quia potest & sistere & diuertere, tũ q̃a saphenam secando materiebus quae superius sunt, nimis lõginqui sumus. unde per hoc non sistẽtur, neq; diuertẽtur nisi ampla quaedam & copiosa uenae sectio fieret. necessarium uero non est à cephalica educere, quia à capite euacuare non intẽdimus, cum materia fixa sit, sed satis est tũnc sistere, ne alia illuc cõfluat materia. neq; materia quae apoplexiam facit conuenienter per uenę sectionem educitur. unde Galenus in. 13. Methodi in lethargia & apoplexia morbi magnitudine inspecta, uenam secat, si aetas, & uis consentiant, & non ratione materiae morbum facientis, quae per aliã uiam euacuari debet, & resolui, & non p uenae sectionẽ. In apoplexia igitur & epilepsia brachij dexteri uenam secare internam conuenit. unde si hanc sententiam ad obmutescentiam referamus, quae repẽte fit, eo modo intelligere oportet, ut dictum est. at si ad omnia quae praedicta sunt, referamus,

ut nonnulli

ut nonnulli faciunt, uenæ sectio ex interna brachij dexteri semper fieri non posset.

Galenus notat uenam hanc brachij dexteri internam, uelocissime & copiose ex præcipuis partibus corpus euacuare, propterea in acutissimis morbis ad eam sese confert, quia si membra omnia consideremus, à iecore sanguinem recipiunt & inter mẽbra in acutis febribus quę caliditatem patiuntur, unũ est iecur. iccirco non mirum, si talis uena secatur, quæ immediatius ab hoc membro educit, quod omnibus alijs membris sanguinem & humores tribuit.

## Hippocrates. Sectio XXV.

**Sanguinemque auferre inspecta secundum habitum ætatemq; pluris minoris'ue ratione.**

BRASAVOLVS

Cum uenam secandã esse dixerit, uel in morbis omnibus superius enumeratis, uel in obmutescentia, de qua statim locutus erat. nam neq; ex Galeni cõmentatione educi potest, an ad omnia, an ad obmutescentiam solam referatur. propterea hic conditiones repetit, quæ seruari debent, qñ uena secanda est, ac si ita dicat, uenam brachij internam secato in obmutescentia, quæ aut ex epilepsia, aut ex apoplexia prouenit. tñ ita sanguinem auferto, ut rationem habeas pluris & minoris secundum habitum & ætatem.

καὶ ἀφαιρεῖν τοῦ αἵματος. i. & sanguinem auferre. huic nõ simpliciter, sed conditionibus eductionis sanguinis obseruatis, quas statim refert, uel potius quas superius dixerat.

κατὰ τὴν ἕξιν καὶ τὴν ἡλικίην διαλογιζόμενος τὸ πλέον καὶ τὸ ἔλασσον. i. cum inspexerit quod plus est ac minus secundum habitum & ætatem. Hic de morbi magnitudine uerba non facit, quia supponitur obmutescentiam morbum esse uehementem. hoc igitur supposito, & habitus considerandus est, & ætas, ut nulla uideatur fieri uirium roboris mentio. nos arbitramur subintelligendum esse sub ætate, uel mendosum esse contextum. & ubi legit ætatem, uires legendum esse. uel dicamus, id de uiribus manifestissimum esse, iccirco non repetisse, at habitum addidisse ob iuniores, & ætatem ob seniores. quia iunioribus habitus ratione, non est uena secanda. senioribus uero, ob ætatem, quæ uires imbecillas reddit.

Scito hoc non tãtum intelligi posse de uenæ sectione, sed & de quantitate sanguinis euacuandi, ut dicat, secandam quidem esse uenam, sed quantitatem sanguinis educendam per plus & minus esse ratione habitus, & ætatis, & uirium, & magnitudinis morbi, considerandam, ut omnia simul conglomerentur. nam quanto maior morbus, habitus durior, ætas florida, uires magis potentes, tanto plus sanguinis demendum, & è contrario.

GALENVS.

Superius cum de scopis missionis sanguinis ageret, corporis habitum quidem omisit, sed hoc in loco uirium non meminit. Verum habitus nomen pro uirtutis nomine dictum esse opinantur nonnulli, una ex re duo dici perperam existimantes. Nempe habitum ad corporis constitutionem deferentes dicimus, utpote cum quis uel mollis, uel durus fuerit. Robur uero uirtutis functionum uehementiæ attribuimus. Ex quo fit, ut duo hi sint scopi, uacuandi quidem indicationem quod cõmunes sint, habentes, sed inter se differentes, ueluti & ab ætate. Verum ætatem ipsam ad corporis habitum referre est melius, & non uirtutem. Nam pueris propter habitus mollitiem, succi perspirabili cute facile digeruntur: senibus uero, non facile, propter siccitatem & frigiditatem: satisq; esse tres hos detrahendi sanguinis scopos quispiam dicere potest: indicationem accipientibus nobis & à morbi qui curatur magnitudine, & habitu, & uirtute. Cuiusnam autem ambiens nos aer esse debeat temperaturæ inspiciendum esse, est supra dictum.

BRASAVOLVS

Primo, Galenus notat Hippocratem, uel huius libri authorem, superius Sectione. 19. cum de scopis missionis sanguinis ageret, habitum corporis prætermisisse. nũc autem uires ipsas prætermisisse. tñ nonnulli sunt qui putarunt nomen hoc habitus pro ipsis uiribus esse positum, sed ab re putarunt ex una re & uno nomine duo dici. Eos uero errare palàm est, quia habitus ad corporis constitutionem defertur, sicuti cum aliquem dicimus mollem uel durum. hic est habitus, & nomen habitus hoc significat. At nos uirtutis robur functionum uehementiæ attribuimus, qñ actiones uitales sunt uehementes, uis tunc est robusta. unde ex hoc fit, ut duo sint scopi uacuandi indicationem habentes. inter se uero differunt. s. scopus ab habitu, & scopus à uiribus, sicut etiam differunt ab ætate.

Secundo, Galenus notat melius fuisse hunc authorem referre ætatem ipsam ad corporis habitum, quàm uirtutem ad corporis habitum, quia reuera pueris non auferẽ sanguis quia pueri sint. nã esse puerum ratione qua puer, uenæ sectioni non repugnat. at ob id solum in hac ætate uenæ sectio prohibetur, quia pueri habitus est mollis, & quia puerorum succi facile per cutem perspirabilem digeruntur, & facile resoluuntur. at senibus, quia siccum habent habitum & frigidum, sanguis non aufertur. tñ cum sicci sint, et tenaciores eorum succi non facile dilabuntur & resoluuntur, sed ob materiæ frigiditatem, & ob nimiam imbecillitatem ipsis non aufertur. unde unusquisq; dicere poterit hos tres scopos detrahendi sanguinem esse satis, qñ indicationem acceperimus à morbi qui curatur magnitudine, ab habitu corporis, & à uiribus, nulla facta mẽtione ætatis. at neq; aeris temperatura despicienda, sed est, ut superius diximus, consideranda.

Ex his notare potes ætatem non esse considerandam, sed habitum corporis, quia causa, ob quam non debeant secari pueri, nõ est quia pueri, sed quia molles: & cum mollities ad habitum pertineat, propterea habitus is est qui considerandus est, & non ætas. Scito præterea, considerare aeris temperiem nos ambientis, sed hoc est minus præcipue, quàm & in libello de sectis ad introducendos, considerauit.

## Hippocrates. Sectio XXVI.

**Quamplurimis autem horum accedũt hæc, faciei rubores, oculorum cõstantia, manuum porrectio, dentium stridores, pulsus, maxillarum contractio, refrigeratio extremorum, & spirituum in uenis interceptiones.**

BRASAVOLVS

Cum quispiam repente mutus euadit, ob uenarum interceptiones & obstructiones fieri edocuit, cui sanguis ex uena brachij interna detrahendus est, si conditiones consenserint. Scitoq; quamplurimis horum qui obmutuere hæc contingere quæ sequuntur: faciei rubores ob uapores ad caput & faciem ascẽdentes, & qui ad genas ueluti ad loca aptiora transmittuntur, oculorum constantia & immobilitas quædam, quæ fit ob torporem quendam neruorum qui ad oculos transeunt. fiunt & manuum porrectiones & extensiones læsis neruis ob principij læsionem, strident & dentes ob eãdem neruorum imbecillitatem, maxillæ contrahuntur, extrema refrigerantur, & tunc sunt in magno uitæ discrimine, & spiritus in arterijs intercipiuntur, neq; commouentur per arterias, sed sistunt. & ex consequenti sunt ferè torpida membra.

συμπίπτει δὲ τοῖσι πλείστοισιν αὐτέων ταῦτα. i. quamplurimis autem horum contingunt hæc. s. quæ sequuntur. & probe dixit quamplurimis, quia necesse non est, ut omnibus contingãt hæc symptomata, sed nonnullis contingunt, alijs minime. tñ pro maiori parte, hanc obmutescentiam patientium. contingunt & symptomata, quæ sequuntur.

ἐρυθήματα προσώπου. i. faciei rubores, qui supra malas potissimum fiunt, tñ & tota facies rubescit. fiunt autem hi rubores ob sanguinis copiam ad caput ascendentis. nam ubi affectio est, illuc decurrunt sanguis & spiritus, & partes illas implent. nam rubet facies, rubent malæ, rubent oculi. tñ in hoc casu nonnunquam uidimus pallentes homines, nonnunquam subcinericio colore affectos, nonnũquam liuidos. id effectum est, qñ naturalis calor fuerit mortificatus, sed in principio accessionis, uel paulopost sunt rubri. neq; hoc necessarium est, ut ru-

bri sint, quis posset esse alterius temperiei homo, qui illis humoribus esset plenus, cuius est ꝑpria temperies. tñ cum adest rubor semper significatur sanguinis copia in capite & in propinquis partibus.

καὶ ὀμμάτων στάσις. i. & oculorum constantia, quæ nihil aliud est, q̃ quædam oculoꝝ immobilitas, & ueluti torpor. Vidimus eiusmodi multos oculos habere in unum locum defixos, neq; mouebantur. nam neruoꝝ principium læsum est, & ipsi nerui læsi, ideirco suo officio non funguntur, sed immobiles & ipsi ꝑmanent. hoc uero dupliciter contingere posset. uel ob materiam quæ in oculoꝝ neruos imbibatur. uel ob læsionem quæ solum fit in principio, & non in ipso neruo. nam Galenus in. 2. de locis affectis lib. docet, instrumentum aliqđ posse lædi quo ad operationem. nulla tñ in instrumento existẽte noxa, ut de uoce declarat. instrumenta uocis possunt rectè se habere, & operatio. i. uox ipsa non sequatur, qa uocis materia deficiat. i. aer ipse. eodem modo in oculo, motiua oculoꝝ uis lædi potest, nulla facta læsione in neruo, uel in oculo, sed solum ex principij. i. cerebri læsione, compatientibus deinde neruis, qui à principio dependent.

καὶ διαστάσεις χειρῶν. i. & manuum incõtinentia. aliq interpretantur manuum porrectiones. manus nõ possunt in hoc casu contineri, sed tremunt, & porriguntur. Nonnullos uidimus manibus palpantes & attrectantes, ac si aliquid capere uoluerint, & non continentes. hoc fit ob uitiatam motionem, qa motiua qui ad unam partem esse deberet, cum nerui sint etiam pleni pondere premuntur, & decidunt, ut Galenus in tremore exẽplum dat in libro de tremore. Decipiuntur qui intelligunt, manus porrigi & extendi ob conuulsionem, qa manus conuellantur. At hæc non uidetur esse authoris mens. non enim cõuenit ita exponere id qđ motum uitiatũ significat, quamuis & conuulsio in hoc casu plerunq; fiat & aliquarum partium & totius.

τρισμοὶ ὀδόντων. i. dentium stridores. symptoma hoc non semꝑ inest, sed tantum inest cum fit conuulsio in neruis maxillas mouentibus. nec est dentium causa, qui in seipsis affectionem habeant, sed solum cõmissis musculis masseteris dentes inuicem concutiuntur & stridores faciunt ac fremitus. Scito uero si esset exquisita conuulsio, non striderent, sed potius inhærerent, & non mouerentur.

σφυγμοὶ. i. pulsus. qđ hoc loco significetur per pulsum, incõstans incertumq; uidetur. nam pulsus apud antiquos arteriaꝝ motum significat. de quo in libris de pulsibus abũdantissime locutus est Galenus. & hoc est significatum de quo agit in. 6. de decretis Hippocratis & Platonis libri initio, qđ apud Praxagoram & Herophilum & antiquos medicos in usu erat. & in libello, q̃ animi mores, corporis temperaturam sequantur, inquit, Hippocrates autem ut primus quoq; eius author consuetudinis, quæ postea inualuit, motum arteriaꝝ omniũ, qualiscunq; esset, pulsum uocauit. At ibi notat ueteres nõ omnem motum arteriaꝝ uocasse pulsum, sed ipsum sensibilem tãtum, qui ipsi prorsus uehemens homini esset. Appellabatur & pulsus ab antiquis motus ille, qui in inflationibus dolorem facit. In hoc loco, uel hic pulsus intelligendus est, uel pulsus arteriarum, quæ sunt in temporibus, quæ uehemẽtius pulsent ob materias in capite iam coadunatas, & spiritus qui ad illas ardentes ascendunt, quas etiam uehementius extendunt, & pulsare uehementius faciunt.

σιαγόνων συναγωγή. i. maxillaꝝ contractio. uisus est Copus particulam / pulsus / ad maxillas applicare, ut dicat, maxillaꝝ pulsus. sed à Galeno per se intelliguntur pulsus. ꝑpterea dicit, non omnino constare qđ hic significet. fit uero maxillaꝝ contractio ob neruoꝝ maxillas mouentium contractionem. unde cum hæ contractiones uidentur, statim iudicatur hoc esse ex conuulsione. est etenim symptoma, qđ ad conuulsionem sequitur. in hoc uero casu os obtorquetur, & facies uniuersa.

καὶ κατάψυξις ἀκρωτηρίων. i. & extremoꝝ refrigeratio, quã ob duas causas fieri contingit, uel qa sanguis & spiritus ad locum decurrunt læsum, uel qa naturalis calor materię multitudine oppressus deficit, uel ob utrunq;. & quia sanguis & spiritus extrema derelinquunt, & quia à materiæ multitudine opprimuntur.

πνευμάτων ἀπολήψιες ἀνὰ τὰς φλέβας. i. spirituum interceptiones in uenis, uel flatuum in uenis conclusiones. uenę cum in uenis non sint ꝑpriè spiritus, propterea opus est intelligere per uenas arterias. qđ erat apud antiquos usitatum, ut Galenus diuersis in locis ostendit. Ex hoc uero notatur pulsus deficere, & motum non habere. quod in apoplexijs contingit, & in epilepsijs, quando repente fit obmutescentia.

Si quis uero plene ex Galeno huius sententię expositionem cupiat, legat Galeni libellum, de curandi ratione per sanguinis missionem, ubi ad dimidias libri partes hæc adducit sententia.

Inter hæc quæ deinceps accedunt, faciei solius qui ante scribuntur rubores, sanguinis copiam indicant. Succedit oculoꝝ constantia. i. immobilitas, & manuum porrectiones. Nempe & eas lædi ob neruoꝝ principium contingit, sed alter q̃ sit oculoꝝ constantia. Nempe ea, ueluti torporem quendam functionum in neruoꝝ primordio indicat. Manuum uero porrectiones, & dentium tremitus, neq; ob quietem, neq; ob principij immobilitatem, sed ꝑpter uitiatam motionem exoriuntur. Quid autem pulsus indicent, non omnino constat. Nempe ueteres in motionibus dolorem in membris inflãmatis excitantibus, hoc promũt ꝑferuntq; nomen in palpitationibus quoq;, & præterea in uehementi arteriaꝝ motione. Maxillaꝝ contractio conuulsionis est symptoma, manuumq; porrectiones, & fremitus dentium. Extremoꝝ uero perfrictio in huiusmodi affectionibus caliditatem natiuam ab humorum multitudine grauari ostendit. Quòd autem in fine dictionis apponitur spirituum in uenis interceptiones, id ut de pulsus carentia, ἀσφυξίαι Græci uocant, dicatur ꝑbabile est. Nam ueteres, arterias, uenas appellabant. Spirituum sanè interceptiones, quasi inclinationes & quietes, ab authore dici possunt. Sunt qui sequẽtis dictionis alteram habentis sententiam principium constituant dictionem hanc, cui quæ deinceps scripta est, coniungunt, copulantq;. GALENVS.

Galenus absq; ulla sententiæ introductione & cõtinuatione singulas particulas interpretari exordit, primoq; notat inter hæc symptomata, quæ deinceps accedunt, & enumerant, in his quæ ad faciem spectãt, rubores sanguinis copiam significant, nam ex sanguinis copia rubra fit facies, ex bilis copia flaua uel pallida, ex pituita subalbida, ex atra bile nigra. BRASAVOLVS

Quod legitur, faciei solus, errauit Librarius, cum imprimere debuisset faciei solius.

προσώπου μόνου. an uero ad rubores referri debeat, ut. s. rubores sint solius faciei, si sanguinis abundantia significari debeat, uel etiam & si aliæ partes sint simul rubræ, idem significetur. aut intelligamus hoc indicium ruboris esse solius faciei, & non alterius partis, non magnifaciendum est. nam unicuiq; ꝑposito applicari potest, & in ueritatem reduci nihil impedit. Secundo, Galenus notat oculoꝝ constantiam succedere, & manuum porrectiones. Intelligit uero per oculoꝝ constãtiam oculoꝝ immobilitatem, cum qs oculos habet ad unam partem affixos. Scito autem & manuum porrectiones & incontinentiam fieri ob principij neruoꝝ læsionem, sicut & oculoꝝ immobilitas uitio principij. tamen alio modo fit manuum incontinentia, q̃ oculoꝝ immobilitas. nam oculoꝝ constantia significat torporem quendam functionum in neruoꝝ principio. At manuum porrectiones, quibus & addamus dentium fremitus, neq; ob principij quietem oriuntur, neq; ob principij immobilitatem, sed solum fiunt ob uitiatam motionem.

Tertio, Galenus notat non constare qđ significetur per pulsus in hoc loco, uel saltem non omnino constare, sed esse ambiguum. qm̃ ueteres hoc nomine uti consueuerunt in motibus illis qui in inflãmatis fiunt mẽbris, imo & hoc eodem nomine in palpitationibus utuntur, & tertio in uehementi arteriaꝝ motu nomine pulsus utebantur. nec ab re dicit uehementi. nam, ut superius dictum est, solum uocabant pulsum id quod erat sensibile.

sensibile, Hippocrates primum omnium motum arteriarum pulsum nuncupauit.

Galenum contempleris in fronte.6.libri de decretis Hippocratis & Platonis, qui differentiam motus cordis ostendit, ut mouetur per motum, qui dicitur pulsus, & per motum qui dicitur palpitatio. quippe motus ille, qui pulsus dicitur, est cordis operatio. sed is qui uocatur palpitatio, est cordis affectio, ut unum naturale sit, aliud, præter naturam. tū Galenus in.j.de pulsuum differentijs, in initio, uel. 2.cap. ubi monet, primum qui literis de pulsibus prodidit, fuisse Hippocratem.i.de nomine pulsus. & notat non attribui hoc nomen omnibus arterijs, sed antiquos solum sensibilem motum intellexisse. Notat uero palpitationem ſm Egimium Veliensem, uel ſm alterū Egimium esse quemlibet arteriarū motum, præter morem omnium medicorū. tū Galenus notat in libello de palpitatione & tremore, palpitationem semper fieri ex flatu aliqua in parte contento.

Quarto, Galenus notat, maxillarū contractionem esse conuulsionis symptoma, pari modo manuum porrectiones, & fremitus dentium. hæc sunt conuulsionis symptomata. at extremorū frigiditas in his affectibus, prius enumeratis, significat naturalem calorem ab humorū multitudine grauari.

Quinto, Galenus notat particulam illam, quæ in fine sententiæ legitur. s. de spirituum in uenis interceptionibus, probabile esse, ut de pulsus carentia dicatur, quam ἀσφυξίαν Greci uocant. unde idem uidetur intelligere per spirituum interceptiones, ac si dicat inclinationes & pulsuum quietes. At reperiuntur nonnulli qui hanc sententiam consequentis dictionis principium faciunt, quæ tamen diuersam habet sententiam. nam si recte considerentur, præsens sententia & consequens, non uidentur quicquam in se habere, quo continuari possint, uel coniungi, propterea ex se ac seorsum legatur, atque exponatur uelut sententia una, & quæ nihil habet commune cum præsenti sententia.

## Hippocrates. Sectio XXVII.

Cum dolores accesserint, bilis atræ fluxionumq; acrium destillationes fiunt. dolent morsa interna, morsæq; atque admodum arefactæ uenæ intenduntur, trahuntq; inflammatæ quæ influunt. quapropter corrupto sanguine, nequeuntibusque spiritibus naturales pertransire meatus infrigidationes fiunt ob stationem, uertigines, aphoniæ, capitis grauitas, & conuulsiones, si iam ad cor, uel hepar, uel in uenam peruenerint. Hinc epilepsiæ, & paraplexiæ, si continentes locos fluxiones inuaserint, atque spiritibus exire nequeuntibus exaruerint.

BRASA VOLVS

Ad dolores multa consequuntur mala, ob materierū motum, quæ ad loca dolore affecta descendunt. ꝑpterea author hic dicit, ad dolores sequi atræ bilis & acrium fluxionum destillationes. cum uero ob acres materias fiāt & atrabilares intrinsecæ partes cōmorsæ dolent. at uenæ commorsæ atq; admodum arefactæ, & inflammatæ trahunt quæ influunt. unde corrupto sanguine & spiritibus, naturales meatus transire nō potentibus ob stationem & moram infrigidationes fiunt, uertigines, uocis carentiæ, capitis grauitates & conuulsiones potissimum si iam ad cor, uel hepar, uel in uenam ꝑuenerit. hinc epilepsiæ fiunt & paraplexiæ, si fluxiones ipsæ continentes locos inuaserint & exaruerint, spiritibus exire nequeuntibus.

ὁκόταν ἀλγήματα προσγένηται.i. cum dolores accesserint. de quo dolore loquatur Hippocrates, uel huius libri author, incertum uidetur. posset & ad obmutescentiam referri, & omnia illi accommodare. tū & de omni dolore intelligi potest, qū accesserit dolor cuiuscunq; sit generis, & in quacunque sit corporis parte.

μελαίνης χολῆς, καὶ δριμέων ῥευμάτων ἐπιῤῥεύσιες γίνονται.i. bilis atræ & acrium fluxionum destillationes fiunt. has destillationes defluere intellige ad partem, quæ dolore affecta est. nam cū pars aliqua nostri corporis dolet, natura ut opem ferat, ad hunc locum sanguinem, spiritus, & omnes humores transmittit, ut simul atræ biles, acresq; humores decurrant & dolorem augeant. Copus hanc partem aliter intelligit, sed censet dolorem fieri ab atra bile. nam dicit, superueniente ab atra bile dolore, acriq; ruente fluxione internæ partes mordicus dolent.

ἀλγεῖ δὲ τὰ ἐντὸς δακνόμενα.i. dolent morsu interna. necessarium est intelligere dolorem prius fuisse in parte intrinseca, ad quam fluant & atræ biles & acres humores, qui cum in eo sint loco, intrinsecas illas mordent partes, quæ commorsæ dolorem faciunt, & præcedentem augent dolorem, qui iam infestabat. Galenus & partes internas dolere censet, & etiam morderi. intellige uero per internas partes omnes.

ἀποξηραίνεται δὲ καὶ λίην ξηραὶ γινόμεναι αἱ φλέβες ἐντείνονταί τε καὶ φλεγμήνασαι ἐπισπῶνται τὰ ἐπιῤῥέοντα.i. cōmorsæ autem & ualde siccæ redditæ uenæ intenduntur, & inflāmatæ, illa quæ fluunt, trahunt. Nulla est pars, in qua sit dolor, ad quem non extendantur aliquæ uenæ, quæ ob dolorem exiccantur, & ob morsum materierū acrium & atrabilariarū, ob hanc siccitatem uenæ intenduntur, ac si conuulsionē ex inanitione patiantur. cum uero siccæ sint, inflāmantur. nam inflāmationes fiunt in locis dolore affectis. inflammatæ uero, ad se omnia trahunt quæ fluunt. hic ergo duo sunt, & motus arteriarum spontinus ad loca quæ dolent, quæ illuc à natura diriguntur, sanguinem & spiritus in locum qui dolet transmittente, ut opem ferat, quamuis obsit. Adest & uenarum attractio, quæ cum sint siccæ & inflammatæ humiditate indigentes, omnes ꝓpinquos humores cuiuscunq; sint generis, ad se trahunt, ut in.j.huius libri sententia dictum est.

ὅταν διαφθαρέντος τοῦ αἵματος.i. unde corrupto sanguine, illo.s. sanguine qui ad uenas decurrebat, & trahebatur, qui potest esse atrabilarius, biliosus, & acris. ob nimiam uero loci caliditatem, & prauam qualitatem corrumpitur, & loci mala qualitas augetur.

καὶ τῶν πνευμάτων οὐ δυναμένων ἐν αὐτῷ τὰς κατὰ φύσιν ὁδοὺς βαδίζειν, καταψύξιες γίνονται ὑπὸ τῆς στάσιος.i. & spiritibus nequeuntibus in ipso uias, quæ ſm naturam sunt, permeare, ob stationem refrigerationes fiunt. Cum ergo corruptus sit in uenis sanguis, qui supra modum illo in loco congregatus est, spiritus non possunt per consuetas uias & canales ꝑmeare, à conglobata materia impediti unde stant, & calorem naturalem, qui spiritibus innititur, haud ferūt. & ideo necessarium est illarū partium refrigerationem fieri, quia à spiritibus calorem non recipiunt. & si qui sit calor putredinis & præter naturam, euanescit. Scito tū hoc nonnunquam contingere in his casibus, & non semper. tamen possemus & hanc refrigerationem ad extremorū refrigerationem referre.

καὶ σκοτόδινοι.i. & uertigines, quæ dupliciter fieri possunt, uel ob uapores in caput ascendentes, qui ab hoc corrupto sanguine eleuantur, uel qū dolor fuerit in capite, & materiæ in eodem capite fuerint coadunatæ. De uertiginibus uero ubertim à nobis dictum est in.3.Aphorismorum libro. Copus uertit obtenebrationes.

καὶ ἀφωνίη.i. & aphonia. hoc est uocis carentia, quę ad obstructionem, quæ à corrupto fit sanguine, sequitur, & ab interceptis spiritibus, qū contingit ut hi spiritus ad linguæ neruos transire non possint, tunc redditur immobilis, & homines fiunt inuocales, quamuis & ex thoracis affectu homo fiat inuocalis, ut in.j.de locis affectis libro à Galeno edocemur. Copus uertit taciturnitas.

καὶ καρηβαρίη.i. & capitis grauitas, quæ ad eandem sequi-

tur causam. potest utro & per cõpassionem fieri, & causa per essentiam in capite esse potest. In nostris Aphorismorũ cõmentarijs ostendimus, quænam ꝓprie uocari debeant canuariæ. Differunt uero & à capitus doloribus.

καὶ σπασμοὶ. i. & cõuulsiones fiũt læso cerebro, lęsisq; neruis à prædicta materia, & ab eius qualitate. nam & conuulsiones à sola fiunt qualitate, ut in. 3. de locis affectis à Galeno demonstratum est, à materia fiunt cõuulsiones ex completione. ex inanitione uero conuulsiones fiunt à qualitate.

ἢν ἤδη ἐπὶ τὴν καρδίην ἢ τὸ ἧπαρ ἢ ἐπὶ τὴν φλέβα ἔλθῃ. i. si iam ad cor, uel iecur, uel in uenam ꝑuenerint, symptomata prædicta potissimum contingũt, si uel ad cor, uel ad iecur, uel in magnam uenam coaluerit sanguis, & spiritus ad proprias uias ꝑtransire non finet. tñ ex hoc nõ negatur fieri, et si in alijs sit partibus illa materia, qm̃ si in capite sit, si in ore uentriculi, eadem ꝑtingere possent, tñ necessario non contingent.

ἔνιοι ἐπίληπτοι γίνονται, ἢ παραπλῆγες ἢν ἐς τοὺς περιέχοντας τόπους ἐμπέσῃ τὰ ῥεύματα, καὶ ὑπὸ τῶν πνευμάτων οὐ δυναμένων διεξιέναι καταψυχθῇ. i. hinc comitiales morbi fiunt, uel paraplexiæ, si cõtinenter locos fluxiones inuaserint, & spiritibus exire nequeuntibus exaruerint. Pars hæc posset & de apoplexia, & de epilepsia, & de paraplexia intelligi, imo & de paralysi. nam ad spirituum impedimentum qñ crassus sanguis exaruerit, hæc omnia sequi possunt. unde de quocũq; intelligatur uerũ esse potest, q̃a omnia hæc ad obstructionem sequũtur. refrigerato etenim sanguine, & ob frigus exiccato, obstructio fit, quæ si in cerebri uentriculis fit, epilepsiam facit, uel apoplexiam. si in alia sit corporis parte, paralysim facit. i. resolutionem. Cum uero nos uberius de his in Aphorismorum commentarijs locuti simus, lectorem ad locum illum remittimus.

GALENUS.

Eiusdem cum prædictis generis est sermo, qui nunc effertur, quem & nonnulli illis copulant: atq; ob eam causam bifariam uerbum hoc προσγίνονται. i. accesserint, scribi reperitur. Sunt enim qui præsentem sermonem cum prædictis coniungant, scribentes πρὸς syllabam cum, σ, elemento: alij uero nõ coniungunt, scribuntq; πρὸ sine, σ. Verũ quod in oratione dicitur, huiusmodi est: Dolorũ motio fluxionem humiditatum ad eam quæ dolore uexatur partem exciare consueuit. Cum igitur uitiosis succis corpus refertum fuerit, bilis atræ cæterorumq; acrium humorũ fluxiones exoriunt, ob quas dolet æger magis, mordenturq; interna, grauanturq; morsæ à prædictis humoribus quæ in affecto loco sunt uenæ: idq; ipsum rei alterius causa redditur contraria. Nempe repleta à fluxionibus huiusmodi quæ afficitur particula, corrumpitur quidem in primis sanguis ipse, deinde uasa opplentur, q̃ in eo cunctas spirituum uias arcet, cohibetq;. Nempe & id declarauit inquiens: Nequeũtibusq; spiritibus naturales ꝑtrãsire meatus. qđ sanè spirituum interceptiones paulo ante uocauit. Cum autem sanguis est, atq; cum eo spiritus, infrigidationes fiunt, uertigines, aphoniæ, capitis grauitates, & conuulsiones: quibus succedũt paraplexiæ, & epilepsiæ, cum in locos oppletas uenas continentes desiderint fluxiones. Locos dixit corporis partes, quas author ante scripsit, cor, hepar, & uenam quæ prædicta coniũgit uiscera: uenam inquam postea à medicis cauam appellatam, q̃ uenarũ omnium quæ per corpus animalis disseminantur latissima sit. Iure igitur sanguis in locis huiusmodi propter uenarũ repletionem spiritum penetrare non ꝑmittit, sed ueluti in mortuo corpore coalescit, concrescitq;. quod & author ipse ostendit, inquiens: Atq; spiritibus exire nequeuntibus, exaruerint. at ꝓprie magis dixisset à spiritibus. Coalescunt siquidem & quæ siccantur, & quæ refrigerantur. Nunc autem nõ propter exiccationem ꝯcrescit coalescitq; sanguis, & qui in ipsum defluunt uitiosi succi. Nempe exeuntibus ipsis, & incorruptus, & naturaliter fusus, liquidusq; redditur sanguis: uerũ cum manent, natiuam q; caliditatem respuunt extinguuntq;, is tãquam mortuo in corpore coalescit. Cum ergo ita affectus sanguis detrahitur, is frigidus, crassusq;, & uix effluens apparet: idq; propter huiusmodi refrigerationem. Interdum autem & toto corpore conuulsiones fiunt, interdumq; salubriter & commode. Nempe corpus totum quatientes uniuersas calfaciunt partes, adeo ut ex multitudine aliud per cutim digeratur, aliud ad aliquam ex non præcipuis expellatur partem: ubi cum indissolubiliter impactum fuerit, paraplexiam facit. Nam q̃ eas quæ apoplexia uel epilepsia ad aliquam ex non præcipuis partem irruunt, paralyses. i. resolutiones, Hippocrates ita appellet, est demonstratum. Interdum quoq; & facta absq; conuulsione apoplexia nõnullis morbus in partis resolutionem finitur, qui paraplexia appellatur. Cætera dictionis sunt manifesta.

BRASAVOLUS

Primo, Galenus notat sermonem prædictum esse eiusdem generis cum superius dictis, imo nonnulli sunt qui cum prædictis hunc copulant, ob hoc uerbum illud προσγίνονται. i. accesserint, duobus modis scriptum reperitur. quippe qui cum pręcedentibus coniungunt, scribunt πρὸς syllabam cum, σ, elemento. qui uero non coniungunt, scribunt πρὸ, absq;, σ, elemento. His autem prætermissis, illa quæ de sententiæ expositione dicat Galenus, contemplemur. Hæc est uniuersalis regula, dolorũ motionem, fluxionem humiditatum ad eam partem quæ dolore uexatur, excitare consueuisse. cum ergo corpus uitiosis succis refertum fuerit, bilis atræ & cæterorũ acrium humorũ fluxiones oriuntur, quæ ad locum dolore affectum concurrunt, tunc q̃ æger magis dolet, & interna mordentur, & uenæ ipsæ ab illis cõmorsæ humoribus, quæ in affecto sunt loco grauantur, idq; ipsum alterius rei contraria redditur causa. nam particula quæ petitur, & ad quam humores fluunt, huiuscemodi succis repletur & ꝯculcatur, unde sanguis qui euentari non potest, corrumpitur, & uasa opplentur, ut spiritus per uasa ꝑmeare non possint. itaq; magnæ fiunt obstructiones & symptomata, quæ fieri solent cum spiritus non possunt per uasa moueri. hoc uero de uiarum cohibitione declarauit author, cum dixit, nequeuntibusq; spiritibus naturales ꝑtransire meatus. hoc uero in præcedenti sententia uocauit spiritus interceptiones, quando arteriæ non mouebantur, sed quiescebant & inclinabantur.

Si petas, cur ad dolentem partem humores fluant, à Galeno sæpius causa assignata est, nãm. s. illuc transmittere sanguinẽ & spiritus, ut illi parti succurrat, cui potius obest, ob humorũ multitudinem, qui in loco illo aceruantur. imo dici potest, esse ipsam naturam. i. naturalem calorem, qui illuc decurrit, ut affecto loco opem ferat. at cũ spiritibus & sanguini innitatur, sanguinem illuc & spiritus ducit. sanguis uero q̃nq; biliosus est, quandoq; atrabilaris, quandoq; acris.

At dices, quomodo uenæ cõmorsæ grauantur, si uenæ non sentiunt? Respondemus, intelligendum esse sentiri grauitatem plenarũ uenarũ. tamen hæc erit una disputatio quam agemus: qm̃ deinceps Galenus quædam annotabit, q̃bus aliquem sensum uenis & arterijs præbere uidetur. in libris uero de usu partium, his sensum penitus remouet, tñ ad illum locum differatur hæc disputatio. hic uero dicit morderi, ut morsus sensum habeant. sed hoc non cogit, quia potest & aliqua pars morderi, quæ non sentit, nec morsus ille ab ea parte sentitur, sicuti & multa ferrum corrodunt, quod tamen non sentit.

At tibi forte in Galeno contradictio uidebitur qui primo dicit particulam à fluxionibus impleri, postea dicit, in primis sanguinem corrumpi, deinde uasa oppleri. At prius dixerat, particulam impleri, nunc dicit, primo sanguinem corrumpi, deinde uasa impleri. Respondemus, in Græco codice non adesse hanc particulam deinde, sed ita legi διαφθείρεται μὲν αὐτὸ τὸ αἷμα πρῶτον, ἐμπιπλῶνται δὲ τὰ ἀγγεῖα. i. primum quidem sanguis ipse corrumpitur, uasa uero implentur, sed hoc fit semel. uel intellige, à fluxionibus primo dolentem particulam impleri, postea, sanguinem corrumpi, deniq; adeo conculcari ut spiritus transire neq; possint.

Secũdo, Galenus notat, cum sanguis tali modo fuerit, & cum eo spiritus sint intercepti, tunc infrigidationes fiant, & uertigines, & inuocalitates, & capitis grauitates, & conuulsiones. his

uero

uero succedunt paraplexiæ & epilepsiæ. hæc uero fiunt quando locos obsederint, qui uenas continent oppletas.

Et si quis petat, quid per locos intelligendum sit, Galenus inquit, locos dixisse corporis partes, quas author prius scripserat. erant uero cor, hepar, & uena, quæ prædicta uiscera coniungit. intellige uenam illam à medicis cauam nuncupatam, quoniam uenarum quæ per corpus animalis disseminantur, latissima est: iure igitur optimo sanguis in his locis ob uenarum repletionem spiritus penetrare non permittit, sed ita coalescit ut fit in mortuo corpore, atque concrescit. hocque ab ipso edocetur authore, cum inquit, atque spiritibus exire nequeuntibus exaruerint. at magis proprie prodidisset, si dixisset, à spiritibus. nec mireris quòd dixerit Galenus coalescere & exiccare, quoniam inquit, & quæ siccantur coalescunt, & quæ refrigerantur. at nunc non propter exiccationem concrescit & coalescit sanguis & succi uitiosi, qui in ipsum defluunt. nam his uitiosis succis exeuntibus sanguis incorruptus redditur, & naturaliter fusus ac liquidus. at cum illi uitiosi succi cum sanguine manent, & natiuam caliditatem respuunt, atque extinguunt, is sanguis coalescit, ut in mortuo corpore facit. uerumtamen in mortuo corpore fit ob mortiferam frigiditatem, hic ob spirituum defectum non potentium per suos canales & proprias uias permeare & progredi.

Quod legitur, cum autem sanguis est, græce est ὅταν δ' ἐστὶ τὸ αἷμα καὶ σὺν αὐτῷ ἀλλοιῶται τὸ πνεῦμα. id est, cum autem sanguis est, & cum eo uidelicet spiritus.

Si hanc partem ita simpliciter interpretemur, absurda uidetur, nempe dicere, cum sanguis est, & cum eo uidelicet spiritus, nihil inferre uidetur. iccirco nos hanc particulam, ita interpretandam ducimus. cum autem sanguis, ita est ut scilicet superius dictum est, & cum eo spiritus, ut superius dictum est. & ideo non ab re antiqua interpretatio, barbare tamen, hic dicit, cum autem est, hoc de esse sanguinis, & cum eo uidelicet & spiritus, infrigidationes fiunt.

In secunda huius sententiæ parte antiqua translatio refert spiritus ad infrigidationes, cum tamen sensus sit, cum sanguis ita sit, ut superius dictum est, & cum sanguine sint spiritus, ut superius dictum est, infrigidationes fiunt, ut infrigidatio non referatur ad spiritus, sed symptoma sit, quod ad sanguinem & spiritus sequitur, qui ita constent, ut superius dictum est.

Petes uero, quo in loco infrigidationes fiant. Respondemus, si intelligeremus esse factam epilepsiam, uel apoplexiam, extremitatum infrigidationes intelligere possemus. at si intelligamus aliquarum corporis partium infrigidationes, in unaquaque esse possunt parte, in qua sanguis congestus & congelatus, spiritus ad illas partes uehi non sinit. & tunc intelligendæ sunt infrigidationes quarumcunque partium, in quibus fit sanguis congestus, & spiritus moueri non possint. tamen si consideremus quæ in Galeno sequuntur, cum omnia sint affectus, & symptomata quæ à capite dependent, propterea frigiditatem illam extremorum intelligamus, nam fiunt uertigines, aphoniæ, capitis grauitates, conuulsiones, paraplexiæ, & epilepsiæ.

Per locos, & si hic cor intelligere uideatur, iecur, & uenam cauam, tamen in fronte primi de locis affectis, censet locos complecti omnes intrinsecas partes. & in principio etiam secundi idem censuit. tamen in proposito illa solum intelligenda iubet quæ superius connumerauerat, & non alia cuiuscunque sint generis.

Scito per gibbam iecoris partem cauam uenam deferri, quæ ad dexteram ascendit cordis auriculam. namque simul cor & iecur continuat, quæ membra alioqui essent distincta & disiuncta.

Petes, quomodo, & ob quam causam in mortuo corpore sanguis concrescat. Respondemus, mortuos frigiditate extrema refrigerari, frigus uero incrassat & ineptum reddit sanguinem ad motum, iccirco sanguis in mortuo concrescit. idem facit sanguis multum conculcatus, qui in uenis refrigeratur & concrescit, neque potest à spiritibus calefieri, cum non possint intus penetrare, tamen in mortuo corpore spiritus non mouentur, neque quiescunt, sed extincti sunt, ut candela ardens extinguitur.

Quod legitur, at proprie magis dixisset à spiritibus, in Aldino codice græce est περιέττεται δ' ἂν εἰκότως ὑπὸ τῶν, & nihil aliud adest. in alio uero codice habetur ὑπὸ τῶν πνευμάτων, quod necessarium est in Aldino codice subintelligi.

Tertio, Galenus infert, cum sanguis ita affectus detrahitur, is & frigidus & crassus & uix effluens apparet, idque est ob hanc refrigerationem. at interdum conuulsiones fiunt toto corpore. interdum contingit ut homo salubriter & commode procedit, nam totum corpus quatientes uniuersas partes calefaciunt, adeo ut ob copiam, aliud per cutim digeratur, aliud ad aliam partem expellatur, ex non præcipuis. quando uero indissolubiliter impactum fuerit, paraplexiam parit. nam demonstratum est, Hippocratem appellare paralyses cum materiæ irruunt ex apoplexia, uel epilepsia in aliquam partem ex non præcipuis. interdum uero cum apoplexia absque conuulsione facta sit, morbus hic in partis resolutionem finit, quæ paraplexia nuncupatur. reliqua quæ ab hoc authore dicuntur, clara esse nemo dubitat.

Forte in eo ambiges, quòd hic dicit Galenus Hippocratem paralyses appellare illas, quæ ex apoplexia, uel epilepsia ad aliquas non præcipuas partes transmittuntur.

At in quarto de locis affectis, differentiam ponens inter soporem, & apoplexiam, inquit. Inter soporem uero & apoplexiam morbus comitialis melius est conuulsionem afferens uniuerso corpori, sed in paralysim non finitur. ut hoc in loco uelle uideatur comitialem morbum non finire in paralysim, ut facit apoplexia. tamen in hoc loco dicebat in paralysim partes irruere, quando materia ex apoplexia, uel epilepsia ad aliquam partem ex non præcipuis mouetur. Respondemus, rarissimum esse, quòd epilepsia in paralysim conuertatur, quia materia quæ epilepsiam facit, minus crassa est, minusque glutinosa, quàm illa quæ apoplexiam facit, & materia epilepsiam faciens flatus mistos habet. iccirco facilius resoluitur, & citius, quàm membrum aliquod in paralysim ducatur.

## Hippocrates. Sectio XXVIII.

Talibus sane prius adhibitis fomentis, uenam confestim ab initio secare oportet, cum nondum fixa sint omnia quę contristant, tum spiritus, tum fluxiones, facilius etenim remedijs patent.

### BRASAVOLVS.

Si quispiam prædicta affectione fuerit affectus, ut

sanguis scilicet fuerit ob frigus congelatus, & spiritus per conuenientes canales & proprias uias pertransire non possint, tunc hic tali modo curandus erit, primo, adhibenda sunt fomenta, postea (sed adhuc in principio) uena secanda est. intellige uero in principio ante quàm omnia quæ contristant, & afficiunt, fixa sint. intellige uero & spiritus & destillationes. nam hoc tempore ante quàm sint fixa, facilius remedijs obediunt, & succumbunt, quàm quando iam radices iecerint altius & firmius.

ἀλλὰ χρὴ τοὺς τοιούτους προπυριάσαντας φλεβοτομέειν ἐν ἀρχῇσιν εὐθέως. id est, sed oportet in principijs statim his secare uenam, prius tamen adhibitis fomentis. Curationem docet hic author illius affectus, quando ex dolore sanguis aliquo in loco sit congregatus, & spiritus permeare non possint. curatio uero quam facit est, ut illi loco prius adhibeantur fomenta, statim que post fomenta uena secetur.

Sed hic oritur scrupus non despiciendus, quoniam uidetur prius secandam esse uenam, quàm fomenta adhibeantur. nam Galeni regula est, prius semper euacuandum, postea, exercenda extrinseca.

Respondemus, siquis recte incedat, extrinseca applicare non potest, nisi euacuatio facta sit, quia (ut de fomentis loquamur) fomenta debent esse calida, alioqui non perficerent quod intenditur scilicet non aperirent, & incrassatum sanguinem non attenuarent. At cum euacuatio facta non est, & calidi sit attrahere, plures materiæ in locum attraherentur, dolor que uehementior efficeretur, & humores inuicem pressius conculcarentur: propterea dicendum, hæc fomenta solum in hoc loco fieri, ut sanguis parumper attenuetur, qui per uenæ sectionem facile educi possit. nam supponitur ex conculcatione & infrigidatione crassum esse, qui fomentis liquescit, & calescit, postea uenæ sectione facta facilius exire potest, quàm prius. unde hæc fomenta non fiunt nisi ob hunc finem, ut materia facilius exire possit, & conglobatus sanguis liquescat, ut etiam in secundo huius uoluminis libro Hippocrates fomenta in pleuritide ante uenæ sectionem faciebat, ut tentaret nunquid posset per fomenta resolui. hic igitur fomenta non fiunt, nisi ut sanguis attenuetur. iccirco statim & fomenta, & uenæ sectio exercenda.

Sed petes, in qua parte sint hæc fomenta facienda. Respondemus, in illa parte in qua erat dolor, & in qua collectus est sanguis, & in qua facta sit paraplexia, quamuis & totum corpus posset fricari ad hunc finem. Petes uero quænam fomenta hæc sint. Respondemus, fomenta calorifica ex herbarum decoctione & ex herbis ipsis ac alijs, de quibus in secundo libro mentio facta est.

Petes præterea, de uena secanda, & an ab eodem latere uel diuerso. Respondemus, si sit paraplexia, uena loci affecti secanda penitus non est, sed intrinseca cubiti alterius brachij. quamuis ab re non esset, & pedis eiusdem lateris uenam secare. uerum opus non est, hos in præsentiarum de latere secandi uenam in affectibus uerba facere, quoniam & breuem iam fecimus, & longiorem facturi sumus de hac materia quæstionem, neque superius in ardente febre de latere secandi uenam tractare uolumus, quando de conditionibus ad uenam secandam requisitis locuti sumus. tamen in genere in ardente febre iecoraria uena in dextero latere semper uidetur secanda, uel in iecore sit affectio, uel in uentriculo, uel in parte aliqua circa cor, ut in pulmone.

μετεώρων ἐόντων πάντων τῶν λυπεόντων πρηγμάτων [illegible] ἐμφραγμάτων, id est, cum adhuc omnia sunt suspensa quæ infestant tum spiritus, tum fluxiones.

A' principio & fomenta & uenæ sectio fieri debent, quia spiritus & fluxiones nondum sunt fixa, sed ferè uidentur suspensa. nam hoc modo sanguis hic facile exire poterit, at cum suspendentur & figentur, multo difficilius erit euacuare.

εὐβοηθητότερα γὰρ ἔστι id est, sic enim facilius remedijs parent, scilicet materiæ illæ ante quàm sint fixæ, quia cum figuntur, hoc opus & labor est illas uincere. Sunt uero materiæ ille tantum duæ, humorum scilicet fluxiones, & ipsi spiritus.

## GALENVS.

Qui ita habent, his ante fotus adhibere oportet, quoniam coaluit in ipsis sanguis, difficulter que effluit. Sed quoniam & in fotu ipso fricatio fiat, facere quod scripsimus est melius, secare scilicet internam cubiti uenam. Non enim semper ita concreuisse sanguis reperitur, ut effluere non possit. Fricandæ igitur in eo tempore multis ab hominibus cunctæ corporis partes, & si mediocriter sanguis fluxerit: rursus fricandæ, superque auferendus sanguis. Si uero non fluxerit, fricandæ quidem & fouendæ donec fluxerit. Vbi uero in paraplexiam desierit affectio, breui fricare expedit tempore & fouere: rursum fricare & fouere donec crebrius hæc desierint, dum fixi adhuc non sunt spiritus & euacuationi contumaces.

## BRASAVOLVS.

Primo, Galenus notat eos qui ita habent, ut in sententia dictum est, fotu esse demulcendos, quia in ipsis sanguis coaluit, & ineptus ad exitum redactus est. nam ob crassitiem quam contraxit difficulter effluit. At quia in ipso fotu fricatio simul fit, melius est id efficere quod Galenus superius scriptum reliquit scilicet internam cubiti uenam secare. nempe ex fotu & frictione facilius exibit sanguis, & facilius diffluet. nam secta uena si effluere non uideatur, fotus & frictiones non fient: si non effluat, fient. nam & in his affectibus non est necessarium semper adeo creuisse sanguinem, ut effluere non possit. plerunque enim permanet & liquidus. in hoc casu non est opus iis fotibus, neque frictionibus.

Petes uero, an cum fient fotus, necesse sit simul fieri frictiones, quoniam istud uidetur hic à Galeno notari, cum dicit, Sed quoniam & in fotu ipso fricatio fiat. Respondemus, in fotu frictiones fieri non esse necesse, tamen fieri possunt. sed Galenus hic posuit, & frictionem, ueluti unum ex præsidijs quæ sanguinem cohibitum, lubricum & bene fluentem reddant.

Vbi dicit, secare scilicet internam cubiti uenam, deest particula εὐθέως protinus.

Secundo, Galenus notat tunc non ab uno homine, qui hoc facere non posset, sed à multis hominibus fricandas esse cunctas corporis partes. & si sanguis in copia exire non possit, sed mediocriter exeat, rursus fricandæ ut plene exire possit, & superauferendus est. at si neque mediocriter fluxerit, & retineatur, tunc & fricandæ, & fotu fouendæ partes quoad fluat. at si in paraplexiam desierit affectio, alter seruandus est modus, nam breui fricandum est & fouendum, postea sistendum, & iterum fricandum ac fouendum donec ista crebrius desierint, dum adhuc spiritus & humores non sunt fixi, & euacuationi contumaces, sed adhuc fluere possunt.

At inquies,

At inquies, si in una corporis parte sit dolor, & illuc sanguis ac humores defluxerint, cur totum corpus fricãdum (uidetur non esse fricandam partẽ aliam quàm illam, in qua humores sunt collecti. Respondemus supponi ex infrigidatione quæ sequitur, & quia spiritus permeare non possunt, totum sanguinem fuisse infrigidatum & ad exitum ineptum redditum.

At dices cur cum adest paraplexia, breui fricandum, & fouendum (Respondemus id dixisse Galenum, quia actionẽ unam post aliam fieri debere censet, & sæpius esse reiterandam ut breui una fiat actio, deinde alia breui postea breui reiterandæ quoad paraplexia desierit. At dices igitur non est uena secanda. Respondemus imo secandam esse. hæc uero fiunt ut sanguis fluat.

## Hippocrates. Sectio XXIX.

Postea reficere expedit, & habita indicationis ratione superiorem uentrem si non leuetur, purgare, inferiori uero si non deiecerit, clysmum iniicere. Coctum deinde asinæ lac dabis. bibetque heminis duodecim non minus, & si uirtus tolerauerit, sedecim magis.

BRASAVOLVS.

Antiquiores medici in magnis morbis uenarũ sectionibus non utebantur, ut nunc in usu sunt, sed magnam educebãt sanguinis copiam, propterea quibus erat secta uena, debebant refici, iccirco author hic dicit uenæ sectione facta ægrum esse reficiendum, & ratione iudicationis considerata superiorem uentrem purgare expedit, si non leuetur, & si inferior uenter non leuetur, clysmum iniicere oportet, postea lac asinæ coctum dato non minus duodecim heminis, imo si uis ferre poterit, sexdecim heminas potius dato.

καὶ ἀναλαμβάνοντα .i. postea reficere oportet, hunc. s. cui detractus est sanguis, quia antiqui sanguinem ad syncopem usque educebant, & in magna copia ut uires deiicerentur, unde erant postea reficiendi, neque hoc referebat modo à morbis sanarentur, possemus & intelligere authorem præbere horam exhibendi cibum, ut notet posteaquam hæc facta fuerint, cibum dandum esse, qui in hoc casu conuenit. Conuenit uero tenuis, post cibum uero quiescendum, quoad facta sit coctio, postea.

καὶ τὰς κοιλίας ἐπικαθαίροντα φαρμακεύοντα, ἢν μὴ κουφίζηται ἄνω. idest & habita iudicationis ratione, superiorẽ uentrẽ si non leuetur, purgare, iudicatio semper attendẽda est, nam cum fieri debet, medicus nunquam purgare audeat etiam si per secessum iudicatio futura sit, unde considerare oportet, an uenter superior leuetur & leuior efficiatur, quoniam si leuior fiat, nihil agendum est, præsertim de purgatione, intellige uero si non leuetur ex uenæ sectione, si uero uenæ sectio uẽtrem superiorem leuasset non esset euacuandus æger, intelligeque euacuationem hanc fieri per uomitũ, nam uenter superior per superiora commode euacuatur.

Scito hic intelligendum esse de medicamento purgante per uomitum, licet de eo nihil dixerit author, neque medicamẽti genus refert, sed Galenus intelligit album ueratrum & similia. At nostro tempore genus hoc uomitorij in usu non est, nam & prorsus uehementissimum est, & nos quandoque eo usi sumus ex raphano & oxymelite, tamen ægros uehemẽtissime uexauit, sed & egregie simul eduxit, nũc oxymelite utimur, syrupo acetoso simplici, acetoso composito ex aqua hordei, aqua hordei ex oleo & aceto, uerum his utimur, quando materiæ uentriculi rugositatibus non multum inhæserint. Nota & si communiter superior uenter sit caput, inferior uentriculus et intestina, medius thorax, tamen in præsentiarum uenter inferior in superiorem distinguitur & in inferiorem per superiorem uentriculũ intelligit, per inferiorem intestina, unde sequitur.

τὴν δὲ κάτω κοιλίην, ἢν μὴ ὑποχωρέῃ, κλυσμῷ .i. inferiori uero uentri si non deiecerit, clysmum iniice. hoc intelligi etiam potuit antequam sit facta uenæ sectio, & post uenæ sectionem, quando medicus ægrum reficere aggreditur. At quia clysteres nonnunquam non probe euacuãt, ob id hic author statim addit.

ὀνείου γάλακτος ἑφθοῦ διδόναι, καὶ πίνειν τὸ μὴ ἔλασσον δώδεκα κοτύλας .i. & asinæ lac coctum dato & propinato non minus heminis duodecim, superius in primo causo pro medicamento usus est hic author asinæ lacte, & nos eodem loco de eiusmodi lactis quantitate locuti sumus, & de sero, & de his quæ sunt consideranda circa lactis exhibitionem. constat uero quantitatem, hic expressam esse centum uiginti unciarum.

ἢν δὲ ῥώμη, περιχωρῇ πλεῖον ἑκκαίδεκα .i. & si uis feret, plus sexdecim, ut se non determinet ad sexdecim, sed cum uis ferre poterit, excedere etiam sexdecim heminas. At dices quid refert in hoc casu uires considerare, cũ lac uires deiicere nõ possit (Respondemus hoc referre, quia imbecillæ uires lactis multitudine opprimuntur, neque calor natiuus tãtam lactis copiam ferre posset, nam magis refrigerabitur, neque poterit tam amplam copiam in actum agendi deducere, quoniam ab ea superabitur.

GALENVS.

Ab ea quæ per sanguinis missionem fit uacuatione, refici hominem, roborarique præcipitur si nihil leuatus uideatur, ad eam quæ per superiores partes, id est per uomitum fit purgationem agatur. Verum purgans medicamentum neque nominatim perstrinxit, neque ipsius fecit delectum. Nempe quod ad morbi magnitudinem, uirtutisque robur respicientes, uel album ueratrum, uel ex alijs quæ uomitum cient, quicquã exhibeamus, nemo ambigit. Quæ autem de aluo inferiore dicta sunt, clara existunt, expositorisque haud indiga. Neque admirationi sit lactis copia, cũ antiquis omnibus ita fuerit assuetum. Quod autem lac asinæ propter humiditatem exhibeanti supra est dictum: atque amplius, quod non spissetur epotum, uelut quæ crassa sunt. At cum eo mellis quippiam salisque miscere oportet.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus notat hunc authorem præcipere post sanguinis missionem hominem refici & roborari debere, idque ita faciendum esse, ut si uiderimus hominem ab hac refectione nihil leuari, tunc ad eam duci debet euacuationem, quæ per superiores partes. i. per uomitũ fit. At Hippocrates neque nominatim purgans medicamentum retulit, neque de medicamenti uomitorij delectu mentionem fecit, cum enim sint multa talia, non expressit quodnam esset accipiendum. At Galenus iubet morbi magnitudinẽ esse considerãdam, & uirtutis robur, quæ si robusta fuerit, album ueratrum exhibere conuenit, uel aliquod aliud exhibendũ ex his quæ uomitum prouocãt, ut morbi magnitudo exiget, & uirtutis robur. Secundo Galenus notat illa quæ de aluo inferiore dicta sunt, clara esse & expositore non indigere.

Denique Galenus notat, nos de lactis copia admirari non debere, cum id apud antiquos consuetum fuerit, ut in præsentiarum est, & Mediolani, & in tota Insubria usus sit perennis, superius quoque docuimus asinæ lac ob humiditatem accipere & quoniam epotum non spissatur, ut alia lactis genera faciunt, quæ crassa sunt, ueruntamen cum eo mellis quippiam & salis miscere oportet, hoc de melle & sale ad lactis genera crassa referri posset, tamen cum alibi à Galeno & hæc asinino lacti misceantur, ob hæc & in præsentiarum intelligamus esse hæc asinino lacti miscenda.

Petes uero an in febre ardente lac & mel miscere liceat. Respõdemus in parua copia licere, in magna uero copia minime.

## Hippocrates. Sectio XXX.

Synanchus, idest angina fit cum hyeme uereque fluxio multa & uiscosa, ad iugulares defluxerit uenas, plurimumque hic propter latitudinem traxerint spiritum. Cum autem & frigida

& glutinoſa fuerit, ſpiritus obſtruit permeationes, ſanguinemque coercens, quæ uicina ſunt inſpiſſat, ſanguinemque ipſum immobilem reddit, & conſtantem: quippe cum frigida natura ſit & obſtrictoria, ob id ſuffocantur liuente lingua, atque in rotundum acta, flexaque propter eas quæ linguæ ſubduntur uenas. Nam præciſa quam nonnulli cionida, ideſt columellam uocant, uena utrinque craſſa apparet. Cum igitur hæ oppletę fuerint, linguæ quæ ob ſiccitatem & ſicca & ſpongioſa exiſtit, innituntur. Lingua autem ui ex uenis humidum accipit, atque ex lata rotunda, ex bene colorata liuens, ex molli dura, atque ex facile flexili flectenti contumax efficitur. Eam ob cauſam cito iugulat niſi cito aduerſus eam pugnaueris. Sanguinem ergo ex brachijs detrahes, mox uenas quæ ſub lingua ſunt ſecabis, deinde medicamentis quibuſdam attractorijs uteris, calida exhibebis gargariſmata, caput abrades, ceratumque tum collo tum capiti circumpones, laniſque circumuolues, mollique ſpongia ex aqua calida expreſſa fouebis. bibet autem aquam, & mulſam non frigidam, cremoremque aſſumet, ubi ex iudicatione in tuto fuerit.

BRASAVOLVS.

Ad anginæ generationem duo materierum genera concurrere poſſunt, unum craſſum glutinoſum frigidum, aliud tenue & calidum. primo Hippocrates aut huius libri author de angina loquitur à craſſa materia facta & glutinoſa, poſtea de facta à tenui in ſequẽti ſectione edocebit, primum genus hyeme fit, & uere, ſecundum fit æſtate & autumno. De prima inquit fieri anginam, quoties hyeme & uere fluxio multa, craſſa & glutinoſa ad iugulares uenas deſcenderit, & hæ uenæ ob latitudinem plurimum traxerint ſpiritus, qui in tali loco condenſantur & conglutinantur, nam cum hæc fluxio frigida & glutinoſa ſit, uias obſtruit, per quas ſpiritus permeare deberent, & ſanguis ipſe, qui alioqui fluidus eſſet ab hac frigida materia coercetur & inſpiſſatur, unde immobilis redditur & conſtans, nam rei frigidæ natura eſt adſtringere & incraſſare ob huius materiæ in uenis iugularibus collectionem homines ſuffocantur, interim uero lingua fit liuens, atq; in rotundum agitur, & ob uenas illas, quæ linguæ ſubduntur flectitur. & ſi cupias has uenas oculis uidere, cionida ideſt columellã præcidito, quoniam ea præciſa utrinq; apparet uena una craſſa. Cum igitur hæ uenę oppletæ fuerint, & linguæ innituntur, quę ob ſiccitatem, & ſicca & ſpongioſa exiſtit, nam lingua ex uenis ui humidum recipit, unde hæc quæ ſequuntur contingunt, ex lata rotunda fit, ex bene colorata liuens, ex molli dura, ex facile flexibili flectenti contumax, propterea ob illam cauſam cito iugulat, niſi cito contra illam pugnaueris. pugna uero, quam contra ipſam exercere debes ſit talis, ſanguinem detrahes ex brachijs, poſtea uenas quæ ſub lingua ſunt ſecabis, poſt hæc medicamentis quibuſdam attractorijs uteris, & calida exhibeto gargariſmata, caput abrades. Ceratum & collo & capiti circumponito, & lanis circumuolues, & molli ſpongia ex aqua calida expreſſa fouero, hic quoq; aquam bibere debet, & mulſam non frigidam, & poſtquam ex iudicatione in tuto fuerit, cremorẽ accipiet.

συνάγχος δὲ γίνεται, ὁκόταν ἐκ τῆς κεφαλῆς ῥεῦμα πολὺ καὶ γλίσχρον ὥρῃ χειμερινῇ, ἢ ἐαρινῇ ἐς τὰς σφαγίτιδας φλέβας ἐπιρρυῇ, καὶ τὸ πνεῦμα πλεῖον διὰ τὴν εὐρύτητα ἐπισπάσωνται. i. angina autem fit cum hyeme & uere fluxio multa & uiſcoſa, ex capite ad iugulares fluxerit uenas, & hæ plurimum ob latitudinem traxerint ſpiritum.

## Quid ſit angina.

De angina exquiſite locuturi, ut ad propoſitam interpretationem ſpectat, primo quid angina ſit definiẽdum eſt, ut deinceps de illa facilius agatur, in medicis definitionibus Galeno aſcriptis, angina hoc modo definitur, angina ea quæ ſynanche à Græcis dicitur, eſt affectus colli acutus, difficilis, qui ægrotum angit præfocatione, uel ita ſynãche eſt plegmone alijs extra collum ut partes intumeſcant, alijs intra tonſillas, ut ſimul partes quoq; afficiantur reſpirationis, & ægra ſpiratio conſequatur. At ſi quis ex indubitatis Galeni libris anginæ definitionem noſcere cupiat, in hoc .4. illum ſuperius legat ſectionẽ. 20. ubi inquit, angina partium quæ in gutture ſitæ ſunt phlegmone eſt, quam definitionem ſi conſiderare uoluerimus, profecto exquiſitior eſt his quæ ex definitionum libro colliguntur, intellige uero per gutturis partes quicquid in collo cõtinetur, quod iterum in Galeno intelligere oportet quarto de locis affectis libro, ubi de gutturis anguſtia inquit, cõmunem affectum huic loco accidẽtẽ anginæ nomine dici ab Hippocrate, quos ſpirãdi difficultas comitatur, per guttur uero totum collum intelligit, & ipſemet exponit Hippocratem. 3. prognoſticorũ ſectione. 16. ubi ait, porro ceruicem intelligit, loquens ad hoc propoſitum de angina, cum uero his de rebus exquiſitæ definitiones dari non poſſint, iccirco nõ ab re erit, quid hoc nomen ſignificet præſertim apud antiquos edocere. tamẽ prius notare oportet recentea huic loco quarti de locis affectis, cum inquit, affectus qui cõtingunt gutturi eſſe anginas, quas ſpirandi difficultas comitatur, addere coarctatorie uel attenuatorie introitum aeris ad pulmonem obſtruendo. ſed hæc ut barbara ſunt, ita neceſſario poni non debẽt, quia ſatis eſt dicere ſpirãdi difficultatem comitari, neq; opus eſt modum addere, quo fiat, ſed id ſub affectu intelligitur.

Ad rem igitur, nomen hoc angina uel ſynãche apud antiquos, & Hippocratem præſertim de omni affectu intelligitur, qui in faucibus ſit & anhelitum prohibeat. hoc à Galeno notatur quarto de locis affectis, ubi id ex Hippocrate. 3. prognoſticorũ probauit ſectione. 16. cum Hippocrates inquit angina grauiſſima eſt ac celerrime interimit, quæcunq; neq; in ceruice, neq; in faucibus perſpicuũ aliquid efficit, plurimum uero doloris infert, ac ſpirationis difficultatẽ, poſtea in ſectione. 17. de angina ſequẽs ait, quæcũq; uero dolorẽ alteri ſubſimilẽ infert, attollitur uero ac luborẽ in faucibus efficit admodũ exitioſa. Deinde in ſectione. 18. de angina iterũ proſequens ait, ſi quibus fauces rubent ac ceruix hæc diuturnior eſt. maxime uero ex illa ſeruanẽ ſi ceruix ac pectus traxit luborẽ, nec ſacer ignis intro recurrat. Deinceps in. 20. ſectione (. 19. prętermiſſa, in qua de pure in diebus decretorijs ex angina agit) inquit, ſecuriſſimũ uero eſt ſi rubor q̃ maxime foras uertatẽ. ex his uerbis Galenus in. 4. de locis affectis infert Hippocratẽ per ſynãchẽ, i. anginã, omnẽ affectũ in faucibus exiſtẽtem intelligere, qui ſpirationem aliquo modo reddit deteriorem, ſiue igitẽ adſit abſceſſus, ſiue nõ adſit, modo ſit affectus in collo, qui reſpirationẽ deteriorẽ reddat, angina uocatẽ. tamen Galenus in quarto de locis affectis quatuor anginę ſpecies refert, poſtea addit & quintam, quam tamen uocat gutturis affectum, prima ubi fauces inflammantur, fauces uocat internum oris locum, ubi ſimul conueniunt & gulæ & gutturis partes extremæ, ſecũda cũ neq; fauces, neq; reliq̃ oris partes, neq; etiã externarũ partium ulla inflãmata uideẽ, laborans tamen ſuffocationis periculum in gutture ſentit, tertia ubi extrinſecus inflammatio circa fauces apparet. Quarta ubi gutturis partes tũ externę, tũ interiores ſimiliter affectę ſint, ſequitẽ deinde Galenus. At ſup eſt adhuc alius ceruicis affectus, quẽ ipſi ſilentio prætereierũt, ubi ad interiores partes uertebræ luxantẽ, idq; uel ſolis interdum muſculis, qui cum ipſis cõmunicant, tumore præter naturam affectis, uel nato ibi tuberculo

interdum

interdum etiam gula pariter uitiata, nõnunq̃ musculis quoq; qui gulam iungunt, quin etiam proprijs aliquãdo gutturis musculis qui ipsum aperiũt obtensis per omnes id genus affectus spirandi quidem difficultas oboritur, sed citra suffocationis periculum laborãtes difficulter degluriunt, atq; dolore afficiũtur, idq; præcipue cũ potus eis per nares resilit, accidit etiã interdũ ut cũsistẽte inflãmatione, & lingua & fauces in tumorem attollantur, quẽadmodum & Hippocrates ipse tradit. In summa igitur omnis affectus qui in collo fit, & impedit, uel imbecilliter respirationẽ, angina secũdum Hippocratẽ nominari potest, unde & angina uocatur quoties uertebræ fuerint luxatæ, et ex Hippocrate colligi potest, in secũdo epidemiorũ libro, quem locum citat Galenus in. 4. de locis affectis ad hoc propositum, ut ostendat anginã fieri per luxationẽ intrinsecam spõdylorũ colli, ubi ait erant anginæ affectiones huiusmodi ceruicis uertebræ ad interna cõuersæ sunt, alijs quidem plus, alijs uero minus, atq; in partibus exterioribus manifesta uidebatur in ceruice cõcauitas, dolorem laborãs, cũ tangeretur, sentiebat. Accidit etiam angina cuspiã sub ea uertebra quam lẽtera nominãt, uerũ non adeo acuta, quibusdam uero ob rotũditatis magnitudinẽ oĩno cõspicua. At multi negarũt esse anginam illã quæ fieret ex uertebræ luxatione, nos dicimus uocatã esse ab Hippocrate anginam & Galenũ id confirmasse in 5. de locis affectis, ubi illa adducit, quæ de angina prius dixerat in. 4. libro, & inquit porro iam antea ubi de angina quæ ad uertebrarum in ceruice luxationem sequitur, sermo habebatur, diximus, quod acquisitiua ei angustia accidit, ubi à uertebris ipsis cõprimitur hæc igitur est huius uocabuli angina significatio latiuscule accepti, nam arctissime anginam Galenus accepit in. 4. de locis affectis cum diceba, cæterũ cũ gutturis interni musculi inflãmantur, eũ affectũ anginam esse constat quæ simul & uocẽ & spirationẽ lædit. In secundo de morbis libro qui Hippocrati adscribitur, tres anginæ species reperiũtur expresse. prima species quæ synanche uocatur, febris rigor, & dolor caput occupãt, maxillæ inflantur. patiẽs saliuam difficulter deglutit sputũ exiguum ac durũ reijcit, atq; in gutturis inferiore parte stridet, si lingua compressa introspicias, gurgulionem non magnum, sed inflatũ inuenies, pharynx intrinsecus est uiscido phlegmate plenus, interim nihil potest excreare, neque potest in lecto decumbere, sed cum reclinat suffocatur. secũda species ita ab Hippocrate exprimitur. febris ac dolor caput infestãt, pharynx & maxillæ inflãmãtur: saliuã deglutire nequit, multũ & crassum exspuit, difficulter uocem emittit. Tertiã speciem ita refert Hippocrates, linguæ interior seu posterior pars, itemq; clauicula quæ est supra asperam arteriam inflãmantur, is neq; saliuã, neq; aliud quicq̃ deglutire potest, sed si id coactus fecerit. per nares iterum regurgitat. Ex his palam est, tres has species esse in diuersis locis in gutture, gula, & faucibus. tamẽ Hippocrates semper utitur nomine synanche, & non synãche in gula, & synãche in gutture. Nẽpe recentiores medici & Græci & Latini in quatuor species distinxere anginã, in cynãchẽ, paracynanchẽ, synanchẽ, parasynanchẽ. cum enim inflãmatio est in intrĩsecis gulæ musculis, synãchẽ uocãt, cum in extrinsecis parasynãchẽ, hi deuorare nõ possunt, & simul difficulter respirãt, cũ uero est in intrinsecis gutturis musculis, cynãchẽ dicũt, cũ in extrinsecis, paracynãchẽ. his spiritus intercluditur, tamen & difficulter degluriũt. differũt uero hi recentes, quia multi præscripto modo dixere. At Trallianus lib. primo capite. 41. censet internũ feruorẽ musculorũ gulæ cũ rubore multo apparẽte euidenti tumore συνάγχην uocari, foris uero faucĩũ musculis inflãmatis παρασυνάγχην, paulus de gula nihil dixit, conueniũt deinceps in κυνάγχης, nam uolũt κυνάγχην esse in intrinsecis gutturis musculis, παρακυνάγχην uero in extrinsecis. De his uero speciebus ita per hæc quatuor genera nũcupatis notat Galenus. 4. de locis affectis antiquos usos esse uocabulo κυνάγχης, & nullã fecisse differẽtiam inter κυνάγχην & συνάγχην, non erãt enim cõficta illa nomina, & tãto minus parasynãches & paracynãches. diciq; hæc pulchra uerba, quippe tũ primum homines res ipsas neglexere, cũ nimio studio noiã quærere inciperẽt postea quatuor enumerat species secũdum antiquos sui tẽporis. Illos uero ueluti deminutos arguit utpote qui genus quintũ reliquerint, quod ipse ex secũdo lib. de morbis uulgaribus eduxit, quoties. s. luxatur ad intrinseca colli pars, & uertebræ intus luxãtur, tamen in quatuor speciebus supius enumeratis nõ uidẽtur conuenire cũ Paulo & Tralliano, nam ipsi differẽtiam faciũt ex musculis intrinsecis & extrinsecis gulæ & gutturis, antiqui uero, quos Galenus refert ponũt qdem genus unũ in faucĩũ inflãmatione, quod est primum genus, & unũ, ubi partes gutturis sine inflãmatæ, & hoc est quartum genus secũdum ordinem Galeni, sed genus secũdum nõ uidetur cõprehendi sub quatuor Pauli & Tralliani, quod est cũ neq; fauces, neq; cæteræ oris partes neq; extrinsecæ inflãmantur, tamen sentitur suffocationis sensus, & adest periculũ suffocationis. in tertio genere quodãmodo cõueniunt, quod est de inflãmatione extrinseca circa fauces, nã de inflãmatione extrinseca loquuntur in gutture uel in gula, sed illi loquebãtur de inflãmatione extrinseca in faucibus, quis simul cõciliari possint, ut inflammatio extrinseca semp intelligatur in faucibus, sed quãdoq; propinquius gulæ, quãdoq; propinquius gutturi. Recentes uero nunq̃ meminere quintæ anginæ per uertebrarum luxationem, q̃q̃ Galenus (ut testatur lib. 4. de locis affectis) dicat raro à se esse uisam hãnc anginam, imo notat in hoc anginæ genere, quãto est inferior phlegmone, tãto est mitior. Aetius libro. 8. capite. 47. de his anginæ speciebus iuxta Galeni dogma loquitur, ac si Galenus ita sentiat, et illas refert ueluti à Galeno receptas notãdũ preterea Galenũ. 4. aphorismorũ libro aphorismo. 34. cum de asperæ arteriæ inflãmatione agit, censere posse qdem (hãc. s. asperæ arteriæ inflãmationẽ) difficultatem aliquam spirandi efficere tamen strãgulationem efficere nõ posse, quoniã impossibile est corporis adeo tenuis inflãmationem spatiũ effatu dignũ replere. sed infert guttur subito posse efficere strangulationem, quoniam ab ipso angustatur pulmonis meatus, & addit musculos eius interiores unà cũ ambiẽte tunica inflãmationem patientes uiam spiritus ualere includere. Addiq; medicos nominare talem dispositionẽ nõ per σ synãchẽ, sed per κ cynãchem, quibus placet faucĩũ inflãmationem per σ synanchem nominare, deinde addit, nõnulli uero & parasynãchem & paracynanchem noĩant, parasynanchẽ quãdo adiacentium faucibus musculorũ inflãmatio fuerit, paracynãchem uero quãdo extra guttur. ut in hoc loco Galenus à seipso quodãmodo differre uideatur. tamen si quis recte pertendat, facile cõciliari potest. uerum cum uideatur anginæ nota respirationis difficultas aut impedita respiratio, ut quarto de locis affectis habetur, iccirco anginã generaliter hoc modo definiẽdam iudicamus. Angina affectus est ĩ collo, quo respiratio, uel trãsglutitio, uel utrũq; simul læditur, potest etenim quælibet pars quæ in collo est inflãmari, per quã inflãmationem respiratio læditur, uel trãsglutitio, uel utrũq;, unde inflãmatio esse potest in faucibus intrinsece & prope gulam & prope guttur, quia guttur in parte est colli anteriore, gula in posteriore, sunt uero fauces (Galeno ĩn. 4. de locis affectis teste) interior oris locus, ubi simul cõueniũt & gulæ & gutturis partes extremæ. Inflãmatio fieri potest & in gula & in gutture hoc est in ipsis canalibus qui a musculos habent, & quilibet canalis pellicula circũdatur, qua & omnes partes ambiuntur, & in canalis corpore materia colligi potest & inflãmationem facere, propterea & in parte gutturis intrinseca & gulæ inflãmationes fieri possunt, & in extrinseca, & in musculis ipsis tam intrinsecis q̃ extrinsecis, nã guttur. 20. habet musculos qui epiglottidi deseruiunt & gutturi, & gula est carnea pelliculans, ut in septimo de usu partium habetur. potest præterea esse hæc inflammatio & in parte superiori circa fauces, & in parte gulæ propiqua & in parte gutturi propinqua, & in parte suprema canaliũ, & in parte infima. unũq; hic notare oportet quosdam deceptos esse uolentes Galenum in. 4. de locis affectis cẽsuisse, quanto angina est inferior, tanto esse securiorem: cum tamen oppositum experientia ostendat, nam quanto est inferior, tanto facilius necat, & tanto magis canalem arctat. At Ga-

lenum non intelligunt, qui de angina simpliciter non loquitur, sed tantum de angina illa uerba facit, quæ ex intrinseca fit spondylorum luxatione, quanto magis inferior est hæc luxatio, tanto tutior est & hæc angina, hoc autem uerum non est, quando angina in canalibus fuerit, & in uijs cibi & spiritus, cum ergo uarie possint esse species penes locorum diuersitatẽ, nõc quinque solum species recipiamus, quę omnes in hoc conueniũt, quod impeditur respiratio uel transglutitio uel utrũque, nam inter guttur & gulam contingere posset, & simul supra utrunque canalem comprimere. ut igitur de curatione exquisite loquamur, illos nunc sequemur qui synanchem ponunt in intrinseca gulæ parte, cynanchem in intrinseca gutturis parte, parasynanchem in extrinseca gulę parte, paracynanchem in extrinseca gutturis parte. & licet Galenus in quarto de locis affectis eos uideatur reprehendere qui hæc nomina sequuntur est quia illos intelligit qui nimis accurate & curiose de nominibus loqui uolebant, rebus ipsis despectis. Quintam uero anginæ speciẽ addamus ut Galenus facit, ex luxatione spondylium colli, illa uero quæ est in faucibus, si sit in intrinsecis musculis prope guttur cynanche erit, si prope gulam synanche, si sit in musculis extrinsecis prope gulam erit parasynanche, si prope guttur, erit paracynanche, uel ad illas species deducentur, ita enim distinguentes facilius erit in curationis rationem deuenire, si in musculis fiat gulam cum gutture colligantibus transglutiendi difficultatem simul facit & anhelitus, si in parte sit gulæ posteriore, anhelitus difficultatem non facit notatu dignam, si in anteriori sit gutturis parte, transglutionis difficultatem non parit, si in parte sit colli supra os & spondylos, in qua sunt musculi caput mouentes et ceruicem, illa non erit angina, neque parangina, si tamen quid synanche sit apud Erasistratum scire cupias, Galenum legas aduersus Erasistrateos qui Romæ degebant. Nota uero anginã fieri posse à causis intrinsecis, & ab extrinsecis si extrinsecas causas contemplemur, nonnunquam ex percussione in collo dolor inducitur, ad quẽ materiæ cõfluũt, & anginã faciunt, nonnunquam quispiam ab alto cadens parietem collo impingit, & dolor inducitur, & ex consequenti materiebus collectis abscessus fit qui angina nuncupatur. nos tãtum hoc nomen habemus ab angẽdo dictum, Græci uero συνάγχην uocãt ἀπὸ τοῦ συνάγχειν hoc est à suffocando quoniam hoc potissimum symptomate infestantur. fit quãdoque ob ambulationem per solem, cum efferuescente cane materię è capite ad fauces eliquatæ descendunt, & in hoc loco colliguntur. quẽdam uidimus ex uespæ morsu qui in parasynanchem incidit. legitur & esse cibos aliquos, qui anginam inducant. Auicẽna libro secundo capite. 343. ubi loquitur de Hãdacoca, & eius proprietates ad membra anhelitus & pectoris refert, inquit conferre dolori laterum ex phlegmate & proprie syluestris, & facit accidere dolorem gutturis & præfocationem, sed nocumento eius succurritur cum coriandro & lactuca & enduia. uerum ex hoc cibo gutturis dolorem inducente materiæ in locum ob dolorẽ fluere possent, & anginã inducere. sed ambiguitas erit de ephemero colchico, de quo Dioscorides inquit, fungorũ modo necare, & strangulare, ut Plinius illud refugium seruorum nũcupauerit. an ex ipso fiat angina. Respondemus fieri prorsus anginam à colchico, dicique posset sua ui non tam stringere guttur & fauces ut necet, sed adstringit, & prauum quẽdam affectũ imponit, qui adeo hominem molestia afficit, ut materię illuc decurrant, itaque ex aliarũ materierum in corpore contentarũ defluxu strangulentur, tamen nos quãdoque ephemerum colchicum gustare uoluimus, & ex ipso modicum masticauimus, nobis uisum ẽ fauces uelut à manu cõprimi & cõstrigi. sunt et aliqui uenenosi fungi, qui strãgulando interficiunt, imo & qui capistro suffocantur, angina mori dici possunt. nõ desunt recentes, qui dixerint cerasorum nimium esum anginam inducere. quod unde acceperint, uidere nescimus, nisi intellexerint multas in corpore colligi cruditates, quibus fieri possit. sed cur & alij morbi fieri æque non possunt? nisi de austeris loquantur, & de his quæ uim habent adstrictoriam, quæ fauces ob copiam adstringunt, maleque afficiũt, & ex consequenti humores illuc decurrunt. sed hoc posset ab omni fructu austero fieri & acerbo & styptico, qualia sunt omnes immaturi, & uua omphacia. unum est hoc experientia nõ uideri, sed potius oppositum uidetur infernas quidem partes aperire cerasa, & deijcere facere. Possemus & alias extrinsecas causas inuenire, ut cuidam cõtigit uitreario qui ignem in camino curabat, & alteri qui defatigatus spirante flatu hunc morbum incidit. uerum cũ hæc speciem non uarient, uno uerbo causæ huius morbi procatarcticæ nuncupentur. Causæ uero intrinsecæ sunt ipsi humores qui & in omni alia corporis parte abscessus inducere possunt. Sed iter Arabes authores una est difficultas, an ex atra bile fiat quia nonnulli uolunt ex solo sanguine fieri, alij & ex bile, alij & ex pituita, quidam addidere & atram bilem, sed raro cõtingere testãtur, quia fit hic abscessus cæteris tardius. tamẽ Isaac ex bile atra fieri posse negat, at Auicenna raro quidem fieri ex atra bile, tamen nonnunquam fieri constat, à Græcis de atrabilari mentio non fit, propterea Galenus anginam per inflãmationem semper definire uidetur, inflãmatio uero à sanguine fit uel simplici uel bilioso, & plerunque sine aliqua putredine, in introductorio Galeno adscripto, author meminit solũ κυνάγχης & συνάγχης, definitque anginam esse circa ceruicẽ inflãmationẽ, prima ĩ interiore ipsius parte subito strãgulat, secũda in interiorẽ partẽ incũbit, eoque minus strãgulat, minusque periculosa est, uterque affectus uel à bile uel à pituita fit salsa, idque nõnunquam cũ febre acuta, nõnunquam sine febre. Tũ Galenus ipse in tertio prognosticorum sectione. 18. uel cynãchem uel synanchem dixeris paruifacit, nam utrunque in quacunque fit parte, reperitur ab Hippocrate dictum. Ad humores uero redeuntes ex quibus fit, dicimus ex omni humore prorsus fieri posse, sed rarissime ex pituitoso & atrabilari, frequentius ex calidis, & pro maiori parte ex bilioso sanguine, unde ferè semper inflammationem esse definitur nã inflammatio & abscessum ex bilioso sanguine complectitur, imo & ex pituita salsa. Scito uero et ex uarijs humoribus compositam esse posse, ut ex sanguine bilioso & pituita simul, ex sanguine & bile, & simul cõmista esse potest atra bilis, quippe omne compositionis genus ex humoribus in angina reperiri potest, scitoque non solũ hũc abscessum dici cõpositum ratione materiæ, sed & ratione loci, quando fuerit in uarijs locis simul, potest etenim occupare & intrinsecas & extrinsecas gutturis partes, & similiter intrinsecas & extrinsecas gulæ, & omnes simul tam gutturis, quàm gulæ partes, & esse potest in extrinsecis gulæ, & extrinsecis gutturis, & in extrinsecis gulæ & intrinsecis gutturis, & econtrario secũdum materiæ copiam uaria loca occupantem. Nunc uero ad huius authoris anginã descendentes dicamus, ipsum de angina loqui ex humore frigido & humido facta, qui & in hyeme & in uere. i. in prima eius parte quæ cũ hyeme proportionem habet, generatur, in his enim temporibus frigidi humores generãtur & humidi, crassi & glutinosi. Si uero petas unde ueniat hæc defluxio? Respõdemus à capite, quanquam & ex infernis partibus regurgitare posset, tamen ut plurimum ex capite eiusmodi fluxio descendit, ex capite uero duplex fluxio descendit, crassa quędam & glutinosa alia tenuis & fluida, crassa & glutinosa per capillares uenas penetrare non potest, sed tantum maiores implet uenas, illasque in tumorem reddit, & ex consequenti partes omnes intumescunt. sunt uero iugulares uenæ ualdæ latæ, quæ hac materia implentur, & cum latæ sint, multum trahũt spiritum, quo cõculcato cum glutinosa materia magnus fit tumor, nec mirum quia & spiritus cõtinetur in uenis, sicut & sanguis in arterijs. At sicuti sanguis qui in arterijs est, illo qui in uenis est, tenuior existit, ita spiritus qui sunt in uenis, illis crassiores sunt qui continentur in arterijs, propterea facilius obstruuntur, et in eleuationem attolluntur, nam spiritus hi ob hãc materiam moueri non possunt, sed impediuntur. sunt autem & quidam Græci contextus, qui non τὸ πνεῦμα, sed τὸ ῥεῦμα. idest defluxum legunt. tunc traderent hæ uenæ multam destillationem. ὅταν δὲ ψυχρόν τε ἐὸν καὶ κολλῶδες, ἐμφράξῃ τοῦ τε πνεύ-

ματος τὰς διεξόδους, καὶ τοῦ αἵματος ἀποφράσσων, πήγνυσι τὰ σύνεγγυς τοῦ αἵματος, καὶ ἀκίνητον καὶ στάσιμον ποιεῖ φύσει ψυχρὸν ἐὸν καὶ ἐμφρακτικόν.i. cum autem frigida & glutinosa fuerit, spiritus obstruit permeationes, & sanguinem coercens, quæ uicina sunt inspissat, sanguinemq; immobilem reddit & constantem, cum natura frigida sit & obstrictoria. Defluxio illa humoris in hyeme & uere geniti cum frigida sit & glutinosa, nam est pituita crassa, huius anginæ generationem perficit. ob hoc spiritus uias obstruit, & spiritum ipsum impingit ac inculcat. imo idem facit in sanguine, illum impingit & coercet & unum in locum congregat, ut totam partem extendat, uel per spiritus permeationem quæ fit in uenis & arterijs non prædictam intelligas, sed illam permeationem quę in gutture est, sanguis uero in unum locum coercetur, unde uicinæ partes inspissantur & incrassantur, in tumoremq; eleuantur, & sanguis ibi sistit ac firmatur, quia frigore afficitur, nam defluxio illa frigida est & obstructoria, propterea & fluxio tãquam causa efficiens anginam facit, & etiam tanquam materia mista cum sanguine non de se, ut notetur fieri à materia frigida, tamẽ calidæ mista, sed defluxus principium est frigida materia, ex hocq; colligi potest non esse necessarium materiam in angina putrescere, cum constet & sine putredine fieri.

διὰ τοῦτο πνίγονται τῆς γλώττης ἀποπελιουμένης καὶ στρογγυλουμένης, καὶ ἀνακαμπτομένης διὰ τὰς φλέβας, τὰς ὑπὸ τὴν γλῶσσαν. idest ob id suffocantur liuente lingua & in rotundum acta, & flexa ob uenas quæ linguæ subdũtur. Cum materia quæ defluit, pituitosa sit, liuidam reddit linguam, quod indiciũ ostendere potest, hic de angina loqui quæ in faucibus sit, & usq; ad linguam extenditur, imo pars materiæ, linguę uenas ingreditur, nam duæ sunt magnę sub lingua uenæ, quæ materia implentur, & linguam reddũt crassam, imo per has uenas sectas, fauces euacuantur, adest necessario materiæ copia quę anginam facit, & hominem suffocare potest, paruq; linguam ingreditur. Addito preterea tumorem qui est in faucibus linguę cõmunicari, illamq; trahere, forte intellige per linguam liuidam, nõ plũbei coloris, sed liuidam colore illo nigro, qualis contrahitur ex uerberibus. fiat uero ex sanguinis conculcatione in linguæ uenis, nam ut ostendet, duæ adsunt uenę sub columella, quæ linguæ communicantur, hæ hac materia plenę & conculcatæ, sanguinem conculcant in linguam, quæ spongiosa est, & quæ sicca facile recipit, rotunda uero fit ob plenitudinẽ, reflectitur autem, quia trahitur & abbreuiatur ob materierum multitudinem, & deorsum curuatur, quamuis posset & sursum etiam incuruari, sed ut plurimũ incuruatio deorsum est, ob uenas quæ sub lingua existunt, quæ uehementer implẽtur & extenduntur, ob hocq; linguam contrahunt.

τῆς γὰρ ὑποτεμνομένης σταφυλῆς, ἣν δὴ καὶ κίονα καλέουσιν, ἐπικρέμαται φλὲψ παχεῖα.i. nam præcisa uua, quam cionida.i. columellam uocant, uena utrinque crassa apparet. hoc in dissectionibus manifestum est, & nonnunquam columellam præcidere cogimur. ut tertio prognosticorũ apparet sectione. 21. & tunc dissecatur quando est uua, eaq; dissecta duæ uenæ apparent, una ex uno latere, altera ex altero, quę (ut exponet) ad linguam ascendunt, illamq; replent. scitoq; non esse dissecandam uuam (nisi ob maximum uitę discrimen) sed bene esse scarificandam, nam experientia ostendit, illos probe loqui nõ posse, quibus ob Gallicam luem exeditur, potest tamẽ scarificari, ut materia exeat quæ intus est, & deinde sanabitur, neq; iubet Galenus hic secandam esse, sed modum edocet, quo uenas illas incidere possis, imo & si incidatur in omnibus non uidẽtur, quoniam intra carnem sunt.

ὁπόταν οὖν πλέαι αὗται ἐοῦσαι ἐς τὴν γλῶσσαν ἐναποστηρίζωνται, ἀραιὴν ἐοῦσαν καὶ σπογγώδεα ἄγει τὴν ξηρασίην.i. cum igitur hæ oppletæ fuerint linguæ innituntur, quæ ob siccitatem sicca & spongiosa existit. hæ uenæ ob materiam implentur, quę à capite ad hanc partem destillat, quando uuam secare contingit, oculis duæ uenæ quæ linguæ innituntur apparẽt, lingua uero ob siccitatem sicca est & spongiosa, nempe res sic cæ humidis rariores sunt. cum uero sint rarę, spongiosæ etiam erunt, quia hinc inde cauernulas habent humiditatẽs recipere aptas.

ἡ δὲ ὑπὸ βίης τὸ ἐκ τῶν φλεβῶν δεχομένη ὑγρόν, ἐκ πλατείης μὲν στρογγύλη γίνεται, ἐξ εὐχρόου δὲ πελιδνή, ἐκ μαλθακῆς δὲ σκληρή, ἐξ εὐκάμπτου δὲ ἄκαμπτος.i. uiolẽtia uero ex uenis humidum accipit.s. lingua, et ex lata quidem rotunda fit, ex bene colorata liuens, ex molli dura, ex facile flexibili flectenti contumax. omnia hæc fiunt ex humiditate uenas sub lingua implente, & illas quæ sunt sub uua primo cũ materia implentur, cum prius esset lata rotunda efficitur, & cum prius colorem carneum haberet liuida efficitur. quia materia quæ illam occupat pituitosa est, cũq; substantia linguæ sit mollis & tenella, ex materiæ congregatione in illa fit dura, & cum facile ad omnem partem lingua uertatur, cum materia plena sit, motui cõtumax efficitur, nam difficulter mouetur. Nota uero linguã hæc uiolentia attrahere, quoniam sicca est & spongiosa, ut impleatur, & naturalem humidi appetitum satiet.

ὥς τι ταχέως ἀποπνίγονται, ἢν μήτις ταχέως βοηθῇ.i. quam ob causam cito iugulat, nisi cito aduersus eã pugnaueris. cum utatur uerbo iugulat manifeste apparet de illa loqui quæ in gutture est, uel in faucibus, & magna sit, alioqui suffocare nõ posset, cum uero cito iuguletur, necessarium est contra illam omni ingenio et omni presidiorũ genere pugnare. huc Hippocratẽ adducere potes in principio tertij de morbis libri de synãche.

φλεβοτομίῃσί τε ποιεύμενος ἀπὸ βραχιόνων.i. sanguinem detrahes à brachijs. hoc est primum presidium quod fieri debet angina infestante, detractio.s. sanguinis, ut simul materia euacuetur, & diuertatur, neque expectanda est uentris lenitio, sed angina uisa statim mittendus est sanguis, nisi quis clysterẽ lenientẽ prius uti uoluerit, quod illi concedemus.

At duæ hic oriuntur ambiguitates, una de uenæ sectione, an in omni angina fieri debeat. quia in pituitosa, in atrabilari, & in biliosa conueniens non uidetur secare uenam, quippe ex uenæ sectione sanguis potius euacuatur quàm materia peccans, secunda difficultas est de ipsa uena, à qua incipere debeat medicus uenæ sectionem. Ad primam ambiguitatem respondemus secãdã prorsus esse uenam in omni angina, etiam si materia sit biliosa uel atrabilaris, uel pituitosa, quia morbus est magnus, si uires constabunt, & ætas sit florens, neque materiæ illæ eliminant, sed potius diuertuntur, tamen & Galenus in 13. Methodi in apoplexia & lethargia, & in affectibus capitis frigidis uenam secat, est uero angina morbus talis ut contestim diuertere opus sit, adde semper conglobari sanguinem, etiam si adsit pituita quæ descendat, nam conciliatur à pituita, & tumorem facit ac suffocationem. Ad secundam ambiguitatem author hic iubet secandam brachij uenam, & si illum consideremus, dicit brachiorum, ac si uelit duas sectiones exercẽdas, unam in uno brachio, & alteram in altero. de hac autẽ re deinceps agemus. scito reperiri uiros & illos quidem probos, qui iubent primo secandam uenã saphenam oppositi lateris, & hi pro hac astruẽda ratione supponunt dolorem esse talem, qualis is est qui ad inflammationem sequitur, supponunt & corpus esse ualde plenum, atque omnes partes ad locum transmittere dolore affectum, nam illuc & sanguis & spiritus confluunt, & cæteri humores simul, qui in uenis sunt. Cum igitur ab omni parte moueantur humores, ut in locum dolentem eant, cum moueri incipiunt sunt in termino à quo, tum eorum finitus est motus, & sunt in loco congregati ad quem fluebant sunt in termino ad quem, propterea cum materia sit petenda à loco in quo est, & in pricipio sit in termino à quo, debet in principio ab illa parte accipi. uerũ cũ materia in oĩ sit corporis pte, debet à remotissima parte remoueri, ẽ uero remotissima pars oppositi lateris saphena, uel si sit in medio gutturis, aut fauciũ abscessus, saphena cuiusq; pedis secãda ẽ, sed potissimũ dexteri pedis, uolũtq; hãc sectionem appellandam esse diuersiuam, postea debere fieri euacuatiuam in brachio, imo & magis propinque euacuatiuam sub lingua.

Nos uero cũ Hippocrate uel hoc authore dicamus sectionem ex eiusdem lateris brachio fieri debere, uel si in medio sit brachij dextera, nam cum angina adest, semper adest materia in loco collecta euacuanda, adestq; pars materiæ quæ fluit, quæ diuersione indiget, à brachio autem simul euacuamus & diuertimus à partibus superioribus, forte si medicus sciuisset materiã in loco colligi debere, nec dum pro parte fuisse collectam, saphenam incidere potuisset, at cum iam sit pro parte imo & no tam digna collecta, debet non solum diuertere, sed & à loco euacuare, quod fit cum brachij uena secatur. Nam Galenus hoc ostendit faciendum in. 13. Methodi, ubi de uenæ sectione loquitur pro partium ratione, censet enim ubi partes quæ in ore sunt phlegmone laborare cœperint, uenam humeralem incidendam in manu, si ea non cernatur mediam, ubi iecur, pectus, pulmo, aut cor affecta sint, interna uena scindenda, in angina quam synanchē Græce uocant, prima in manibus, secandas eas quæ sub lingua habentur. ut apertissime uideas Galenum expressissime in angina brachij uenam secare, & licet dicat manus, utitur ampliori uocabulo, nam in libris de usu partium manum uocat. ab humero ad digitorum extremitates, & prosequitur Galenus de affectione quæ pro affectarum partium ratione fit, nec censet secandam pedis uenã intrinsecam in angina, postea sequitur renibus, uesica, pudendo & utero male affectis, eas uenas secãdas quæ in cruribus sunt sitæ, & illas potissimum quæ sunt in poplite, uel eas quæ sunt in malleolo, & regulam ponit uniuersalem, ac perpetuo quidem in omnibus, quæ e directo est, ubi iecur phlegmone inuadit, quæ in dextera sunt manu, ubi lien contra, ut manifestum sit apud Galenum in angina secandam brachij uenam in initio, & non saphenam, quamuis si quis esset ualde plenus, fieri posse non negaremus. primoq; secandam saphenam, postea brachij uenam, deinde illas quæ sub lingua continentur. Idem habetur in lib. de curandi ratione p sanguinis missionem, & in secundo de arte curatiua ad Glauconem, ubi & de uena sub lingua secanda docet, tũc fieri debere cum totum corpus uacuũ se præstiterit. Ad rem igitur brachij uena secãda in omni anginæ genere, & secanda humeralis, postea secanda uena sub lingua, & si morbus sit uehemens secanda humeralis in maxima copia ut materia diuertaẽ, & à loco euacuetur, non minus extrahi debent duabus uel tribus libris si urgeat suffocatio, & ex uenis linguæ tantum extrahaẽ, quantum extrahi potest, nempe ex illis uenis magna copia non profluit. Sed audias casum unius uiri, cui quater secta fuit uena, & tamen octo horarũ spatio obijt. Nõnulli uocarũt me ut curarem Dominũ Collam Liburn, ut erat hic curialis, & Illustrissimo Alphonso Duci Ferrariæ carus. cœpi illum interrogare, sanus lectum ingressus erat uesperi. hora decima experrectus persensit in gutture dolorem, nec poterat anhelare, nec deglutire. Iussi ut aperiretur uena cõmunis, & decem unciæ sanguinis extraherẽtur uel duodecim, promisiq; me iterum accessurum, cum alios quosdam ægros uisitassem, dum aberam, illum interim uisitauit Elleonorus Sanseuerinus expertissimus in re medica uir, qui iussit ex humerali libram aliam sanguinis extrahi, postea discessit, sed & ab amicis fuit ad illum ductus excellentissimus magister Sigismundus Nigrisolus, qui anhelitus difficultatem uidens ex alio brachio (nos primo à dextero, hic à sinistro) aliam sanguinis librã educi iussit. Illincq; discessit. nos statuta hora dominum Collam reuisentes, historia de alijs medicis enarrata est, erant tres sanguinis libræ eductæ, iussimus ut sub lingua uenam secarẽtur, itaq; factum est additæ sunt cucurbitulæ, & omnia diuersionum genera, tamen fieri non potuit, quin decima octaua hora obiret, & decima hora angina correptus erat. cynãche erat. Sed hic ambiguitas est non prætereũda, quia Hippocrates in secundo de morbis, ubi tria anginæ genera ponit, sectionis uenæ mentionem non facit, sed anginæ curationem ponit absq; uenæ sectione. Respondemus hoc præsidium esse adeo primũ adeoq; uulgatum, ut Hippocrates illud ueluti notissimum reliquerit. Et si dicas cur in prima specie cucurbitulam apponi iubet? Respondemus non iubere apponi cucurbitulam ut secet, sed tantum ut materiã trahat quæ intus est, extra, unde iubet primæ uertebræ apponendã esse magnã cucurbitulam, in quo loco scarificationem fieri inconsuetum est, sciendumq; cũ quis deglutire non potest, apponendam cucurbitulam magnã supra ceruicem, quæ gulam mire dilatat, hicq; statim transglutit. Petes uero an cucurbitulæ scarificatæ conueniant. Respondemus conuenire quidem quoniam & si à uenis capillaribus & paruis euacuent, tamen ne detur uacuum, capillares illę & paruæ trahunt à maioribus & implent, sicuti enim cucurbitulæ in ignis sanguinẽ à capillarib⁹ uenis trahũt, ita uenæ capillares ui natiua attractrice à maioribus trahũt, & maiores à maximis, quousq; perueniãt ad iecur, in hac attractione materia q̃ est in gutture per cucurbitulas diuerti potest, & proparte euacuari. Petes uero quid primo agendum sit, an uenæ sectio, an cucurbitularum appositio. Respondemus primum præsidium debere esse uenæ sectionem. Et si de quãtitate sanguinis euacuãdi petas dicimus educi saltem debere usq; ad duas libras, Galenus ad tres & quatuor libras educebat & sanitati restituebantur, nũc medici uolũt ægros ad sanitatem deducere, tamẽ non audent nisi sex uncias ad summã educere, in hoc casu & si Galenum ad unguem non sequatur, quia non in tanta copia educere iubeo. tamen in maiori copia educo, q̃ unquam uiderim ab alio aliquo medico educi, itaq; fieri necessariũ est, ne ægri suffocentur quod plerũq; fit in illis paruis sanguinis eductionibus.

καὶ τὰς ὑπὸ τὴν γλῶσσαν φλέβας ὑποτεμνεῖν. & uenas quæ sub lingua sunt secabis, petes an in omni anginæ genere uenas sub lingua secare necessarium sit. Respõdemus in grauissimis solum anginis esse secandas, prius tamen corpore toto euacuato, ut in secũdo de arte curatiua ad Glaconẽ habeẽ, nam in his in quibus æger in sanitatem alio modo duci potest uenæ istæ secari non debent. Petes uero quænam sint illæ grauissimæ anginæ, Hippocrates in. 3. prognosticorum sectione. 16. respondet anginam grauissimam esse, quæ celerime interimat, quæcunq; neq; in ceruice, neq; in faucibus cõspicuum aliquid efficit, plurimum uero doloris infert, ac orthopnœã, hæc enim eodem die & secũdo & tertio & quarto strangulat, de hac mẽtionem facit & Galenus in secũdo cõmentario in primũ prorrhetici Hippocratis sectione. 54. Sed petes quo tẽpore fieri debeat hæc sectio. Respõdemus statim fieri debere post uniuersalem sectionem cum erit grauis angina, & tũc potissimum si angina sit in faucibus, nam ut Galenus hic in huius partis commẽtatione dicit, uenæ quæ sub lingua sunt eam quæ faucibus est phlegmonem sine medicamentis euacuãt. Verũ nisi uenæ sectio ex maioribus uenis præcessisset, & etiã bis facta in corpore plethorã patiente, tunc plus materiæ ad locum traheret. Sed petes de quãtitate sanguinis euacuãdi p uenas sub lingua positas. Respõdemus (ut superius dictũ est) tãtũ euacuandum esse quãtum exire potest, nã per ex illis uenis nõ exit sanguinis copia, & si quis maiorem sanguinis copiam attrahere uoluerit, q̃ simpliciter attrahi possit, aquam habeat feruẽtissimã, & supra fumum ore aperto maneat. Nota apud Arabes de tẽpore curationis per incisionem uenæ sub lingua esse cõtrouersiam, nã Auicẽna censet eodem die fieri debere Haly uero non esse exercẽdã iudicat nisi prius in principio, augmẽto, & statu usus fueris medicamẽtis, & nõ dissoluaẽ abscessus, sed perseuerat, & æger dolorẽ sentit, tũc inquit uenę sub lĩgua secãdę. Auicẽnę potius inhærẽdũ est, cũ et Trallianus lib. primo capite. 41. dicat si nullũ impedimẽtum abstiterit sub lingua uenam uulnerare expedit, idq; primus inter morbi initia primo die, quoniam non sine magno discrimine procrastinabiẽ. Eadẽ die monet Trallianus faciẽdam esse eiusmodi sectionẽ, imo cuiuspiam casum refert, cui primo die fuere uenæ brachij mane sectę, uespere sectę fuere uenæ sub lingua. Nos uero addimus & eodẽ mane esse secãdas, si morbũ uehementissimum esse uideamus, præcedentesq; sectiones non iuuasse. De hac autẽ re particulariter loquemur cum post nonnullorum contextuũ de angina explanationem, uniuersalem & particularem anginæ curationẽ exprimemus.

καὶ φαρμακεύειν τοῖσιν ἑλκτικοῖσι. i. & medicamētis quibuſdam attractorijs uteris, quæ erūt extra applicanda, ut materia extra trahatur. ſunt uero eiuſmodi medicamēta calida, & applicari poſſunt ſub cataplaſmatum forma, uel oleorū uel ceratorū uel linimentorū. Et ſi dicas authorē dicere φαρμακεύειν, quod ſignificat exhibere medicamētum, medicamenta uero ſunt catartica, ut potius intelligendus uideatur de his quæ euacuant per modum medicamentorum. Reſpondemus imo de medicamentis catarcticis intelligi poſſe materiā à loco deorſum ad interiora attrahentibus ut exeat, manifeſtum eſt. ſed & de alijs etiam attractorijs quæ extrinſece applicātur, intelligi poſſe nō dubitamus, nec refert quòd utatur uocabulo φαρμακεύειν, quòniam plerūq; Galenus in his etiam eo utiē uerbo, quæ catarctice nō educūt, ſed alterāt. ut colligi poteſt in calce. 44. ſectionis primi de ratione uictus in morbis acutis, ubi in oxymelite utiē uocabulo pharmacum (ut unū ſaltem locū adducamus) de medicamēto autem attrahente euacuādo, intelligi poſſe, inde argumentum accipiatur. quia de his poſtea quæ collo circūponunt, uerba facit, ubi cerotū apponit collo & capiti, & lanam circūponit. At quicquid ſit. utrūq; uerū eſt, & Alexander Trallianus eadē die qua uenam ſecabat, medicamētum præbebat, de hac uero re deinceps agemus. Tñ ſi in huius partis commentatione Galenum conſideremus, opus eſt intelligere attrahentia ad circūferentiam, quia cū exponit hanc partē inquit ſed quia humorum craſſi alij glutinoſiq;, acrioribus propterea indigēt medicamētis, quæ ſcilicet & ſecare & in tenuia diuidere, & tū glutinoſa, tum craſſa confringere poſſe.

καὶ ἀναγαργαρίζειν θερμοῖσι. i. & calidis gargarizato. De calidis his gargariſmatibus intellige, quæ & ui & actu ſint calida, quia materia eſt frigida & craſſa glutinoſa, quæ hāc facit anginam. habētur apud Paulum, Aetium, Trallianū, & Galenum in libro de cōpoſitione medicamētorū ſecūdum locos multa pro hac angina gargariſmatum genera Sed petes an ſtatim in pricipio ſint exhibēda hæc calida gargariſmata. Reſpōdemus non eſſe in principio exhibēda, ſed factis prius euacuationibus, & uenarū ſectionibus exhibenda eſſe, ne alia materia ob caliditatem in locum trahaē. At cum corpus totum euacuatum eſt, & pro parte locus, calida quod craſſius eſt, attenuant, & per meatus inſenſibiles educunt, de hac autem re in anginæ curatione loquemur, de qua poſtea agemus.

καὶ κεφαλὴν ὑποξυρῶν, καὶ κήρωμα τραχήλῳ, καὶ κεφαλῇ περιτιθέναι. i. & caput abradens, & ceratum capiti & collo circūpones, ceratum iſtud attrahens eſſe debet, ut id quod intus eſt extrahat, capiti uero & collo apponis, ut etiā ad extremam capitis partem materia trahatur, et ſi aliqua ſit in capite materia quæ ad locum deflueret, ſiſtatur.

Forte petes in qua parte colli & capitis poni debeat. Reſpōdemus in illa colli parte poni debere, in qua eſt angina, notatoq; cum hoc ceratum collo & capiti apponitur, angina in poſteriori parte eſſe debet, uel collo circūponi debet. capiti uero in ſuperiore parte, præſertim ſupra cōmiſſuras, nā per illas partes materiæ facilius extra trahunē. Petes uero quodnam cerati genus apponēdum ſit. Reſpondemus de his ceratis nos deinceps acturos eſſe, nūc ſatis ſit te ad illū locū remittere, & ad Galenū Paulū, Aetiū, Trallianum, & ad alios Græcos authores.

καὶ ἐρίοισι περιειλίσσειν. i. & lanis circūuoluēs. hoc intelligi poteſt & ſupra ceratū, et ex ſe ſimpliciter, nā lana nōdum lota, pexa, & aptata ſi collo circūponaē, apta eſt materiā proritare ut extra exeat. tamen intelligi poteſt, ut cerato circūponatur quo cerati calor conſeruetur & augeatur, itaque aptius trahat, intellige uero uel lanam ſimpliciter collo circumponi debere, uel circumponi debere cerato.

καὶ σπόγγοισι μαλθακοῖσιν, ἐν ὕδατι θερμῷ ἐκπιεζῶν πυριῆν. i. & mollibus ſpongijs ex aqua calida expreſſa fouebis. Et hoc dupliciter intelligi poteſt, uel quòd ceratū foueaē ut caliditas augeatur ac ſeruetur, uel ut hoc de ſe fiat, fomentū ex aqua ſit calida, nā fomentum hoc ex ſpōgia, & aquā calida factum, uim habet illa extra attrahendi quæ in collo ſunt, q̃uis hoc nō uehementer faciat, ſed alia multa ſunt potiora, quæ hoc efficere poſſunt, propterea ab re non eſſet fomentare ſupra ceratū. Celſus oleum præfert in hoc caſu aquæ.

πίνειν τε ὕδωρ καὶ μελίκρητον μὴ ψυχρά. i. & bibet aquam, & aquam mulſam nō frigidam, hoc de non frigido determinare debet & aquam, & aquam mulſam. Cū angina febris adeſt intenſa, ut æger plurimū ſitiat, nā medicus potum dare cogiē, qui potus & ſi non nutriat, tamen nō ſinit partes adeo exiccari ut exiccarentur. unde notat dandam eſſe aquā puram in potu, & pro potu & pro cibo, & etiam aquam multam, quæ plus nutrit q̃ faciat aqua ſimplex ratiōe mellis. uel quæ aliquo modo nutriat, cum nihil nutriat aqua ſimplex, hæcq; præbenda non ſunt frigida, cum materia ſit frigida, quæ morbum facit, & ne partes etiam per quas tranſit, ob frigiditatem obſtruantur, ſed potius aperiantur, & aliquid ex caliditate actuali reſoluaē.

χυλὸν δὲ προσφέρειν ὁπόταν ἐν τῷ ἀσφαλεῖ ᾖ. i. cremoremq; aſſumet ubi ex iudicatione in tuto fuerit, cum ſimpliciter ab Hippocrate dicitur cremor, de ptiſanæ cremore ſemper intelligitur, qui in angina dari nō poteſt, niſi poſt iudicationem, & poſtquam materia exierit, & res iam in tuto ſit, quod ſit ſpatio quatuor aut ſeptem dierum. De hac autem re, & de cibis ac potibus qui anginæ conueniunt, poſterius diſſeremus in anginæ curatione enucleanda.

GALENVS.

Siue ſynanchon dicere uolueris, ſiue cynāchon: uel alterum quidem horū ſynāchen, alterū uero cynāchen, ſiue utrūque ſynanchen uocaueris, duas ſynāches ſciueris eſſe rationes. Nēpe ad curationē nominibus opus nobis nō eſt. Conſueuit ſiquidē eā docere lōge melius q̃ hi, qui in noībus falſa enūciant. Subſcribam autē tibi cōpendioſe doctrinā ipſius peculiarē, ſuſcepto ita exordio. Fluxionū quæ ex capite deferūtur, quædā ſubſtantia tenues exiſtūt, aliæ ex craſſis, uiſcoſiſq; humoribus conſtant. Quæ igitur tenues ſunt, hæ latis penetratis uenis, in anguſtioribus detinenē. tales autem ſunt, quæ guttur ambiunt. Contrarium autem in craſſis contingit, q̄ nō ingrediunē uniuerſas quæ ſtrictæ admodum exiſtunt uenas, ante ſcilicet in capacioribus detentæ. Cum igitur in faucium uenis tales impacti fuerint humores, pars in tumorē attolliē, uelut guttur ex aliis, quanq̃ gutturis q̃ fauciū ſtrictiores multo exiſtant uenæ. Corpus autem totum uacare excremētis debet, & nō plethoricum eſſe geminam ob cauſam: nēpe tum ob eā, quæ à uacatione eſt reuulſionem, tum q̄ uacuato corpore cū à parte affecta quod influit expellimus, id facilius cōſentit, nihilque ſi calido aliquo euaporare uoluerīs, à corpore ipſo parti calfactæ mittiē. Corpus igiē totū, uena ſecta, uacuare oportet, & purgatione, & clyſteribus. Verū affectas partes tū medicamētis aſtringentibus, quæ profluētes retrudant humores, atq; ex infarctis qui nō admodum infarcti ſunt, & qui non ualde glutinoſi & craſſi, tum calidis & acribus quæ cōtentos in mēbris paſſis digerāt humores. Venæ quæ ſub lingua ſunt, ſectæ eā quæ faucib⁹ eſt phlegmonem ſine medicamētis uacuāt. Sed quoniam humorū craſſi alij, glutinoſiq;, acrioribus propterea indigēt medicamētis, quæ ſcilicet & ſecare & in tenuia diuidere, & tum glutinoſa tū craſſa cōfringere poſſint. Præterea & ad exteriorē ſuperficiem reuellere oportet, circūpoſitis collo quæ attractoria polleant facultate medicamentis. Nēpe colli ſuperficiarias partes, q̃ intimas affici eſt melius: q̄ ſpiritus quidē cū inſpirationes fiūt, ad fauces gutturq; irruat, & cū expirationes fiūt, per ea foras deferaē. Sæpius uero q̃ ad partes prædictas procedūt fluxiones, eæ ad partes quaſdā alias exprimēte natura trāſmutanē, atq; interdum principio ita deferuntur, ut rurſum aliæ oriātur, tum faucium, tum gutturis fluxionum differentiæ. Quòd autem quæ ad cutē receſſerunt, his quæ in profundum decubuerūt multo ſalubriora exſtant, conſtat omnibus. Commune tamen in utriſque tum colli, tum capitis, à quo fluxiones fiunt, auxilium tibi ſit. Sermo hic & ſynāchas, & cauſas, & affectos locos, & curationes docuit, Neque ſi uel ſynanchen, uel ſynanchō uel cynanchō, appellaret, fuit ſolicitus. Qui igitur librum hunc ſcripſit, neglectis nominibus, omnes qui tum in faucibus, tum gutture exſtunt,

arctantque respirationem, affectus synanchos appellitans, duas horum species esse ait: alteram quidem quæ à glutinosa frigidaque fluxione facta sit, quam pituitosam uocare possis: alteram uero à calida, acrique, quã si picrocholam biliosamque simpliciter appellaueris, non peccabis. Priorem autem fluxionem in latiores decumbere uenas, ait biliosam etiam in tenuiores peruenire ostendens. Cætera dictionis sunt manifesta. Ad ea autẽ quæ retuli, conuertas animum oportet: & si primam speciem non intellexeris, bis, & ter lege, & intelliges. Ego autem ad secundam synanchi speciem transibo.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat uel synanchẽ dicere uolueris, uel cynanchon, uel alterum ex ipsis synanchẽn, alterum uero cynanchẽ, uel utrunque synanchen appellaueris. Scire necessarium est duas esse rationes & duas species synanches quæ ab hoc authore referũtur, unam in præsenti sententia describit, alteram in sequenti. nomine igitur ut lubet utaris, quoniam ad curationem nominibus non indigemus, sed rebus ipsis, Hippocrates præterea consueuit longe melius curationem edocere, quàm hi qui nominibus student, & falsa enunciant. At Galenus doctrinam particularem (ut ait) secundum hunc authorem cõpendiose subscribet, & ab hac initium sumet.

Secũdo Gale. materierum quæ à capite descendunt differentiã facit, ut quisque melius duo anginarum genera ĩtelligere possit, si ergo ea cõsideremus quæ à capite fluũt, aliqua sunt tenuia substantia, alia crassa & glutinosa, illa quæ tenuia sunt, primo crassas uenas penetrant & latiores, postea strictiores ingrediuntur, tales uero sunt illæ quæ guttur ambiũt. At in materiebus crassis oppositum contingit, quia arctas omnes uenas ingredi non possunt, sed in capacioribus detinentur. en igitur cum in faucium uenis eiusmodi humores impacti fuerint, quia faucium uenæ sunt latiores, pars in tumorem attollitur, sicuti & in tumorem guttur attollitur ex alijs materiebus tenuibus, quamuis gutturis uenæ multo arctiores sint, quàm fauciũ uenę. at dices cum in capite sint multo minores uenæ quàm sint iugulares, cur si materia illa crassa paruas illas uenas penetrauit, illas etiam permeare non poterit quæ in collo sunt paruæ: Respondemus id fieri paulatim per uenas capitis paruas, & materia ad iugulares unà non transit, sed multæ sunt portiones, quæ postea in iugularijs in unum collectæ permeare non possunt.

Tertio Galenus notat in hoc casu totum corpus excrementis uacare debere, & ob duplicem causam non esse plethoricum, primo ob illam reuulsionem quæ ab euacuatione fit, secundo quia corpore euacuato, quando id expellimus quod à parte affecta influit, id facilius consentit ut expellatur, & si uolueris re aliqua calida suffumigare & locum fomentare, à corpore ipso iam euacuato ad calefactam partem nihil mittetur, propterea totius corporis euacuatio fieri debet, primo uenæ sectione, postea purgatione & clysteribus. euacuatio quæ fit per uenæ sectionem uniuersalior est quoniam omnes euacuat humores. Quæ uero fit per medicamentum est minus uniuersalis, quoniam nullum medicamentum sanguinẽ educit, euacuatio, quæ per clysterẽ fit, adhuc minus est uniuersalis, quia ab omnibus uenis non educit, neque à toto corpore.

Quarto, supposito quòd euacuationes perfectæ sint, tũc medicamentis circa læsam partem insistendum est, quę medicamenta (Galenus inquit) sint adstringentia, ut profluẽtes humores expellant, & ex infarctis humoribus illos qui nõ admodũ infarcti sunt, & glutinosi, & crassi, & calidis ac acribus medicamentis humores qui in membris patientibus continentur, difflare faciant.

Quinto Galenus notat uenas quæ sub lingua sunt, absque alijs medicamẽtis phlegmonem illã euacuare quæ in faucibus est. quia inter humores nonnulli crassi sunt & glutinosi, medicamẽtis acrioribus indigẽt, quæ uidelicet & secare & in tenues partes diuidere, & tũ glutinosa tũ crassa cõstringere possint. Quod legitur acrioribus, Græce est πολὺ δριμυτέροις.

Sexto Galenus notat in hac angina ad exteriorem superficiem reuellendum esse, idque fieri debere medicamẽtis collo circũpositis, quæ attractoria facultate polleãt. Id enim melius ẽ & tutius ut superficiariæ partes afficiantur potius quàm imæ, nam spiritus in inspirationibus ad fauces & ad guttur irruit, & cum expirationes fiunt, per eas foras defertur. At frequenter quæ ad prędictas procedũt partes, eæ natura exprimente ad partes quasdã alias transmittuntur, atque interdum ita deferũtur, ut rursum fiant aliæ & faucium & gutturis fluxionũ differentiæ, nã materia quæ est in faucibus & gutture descẽdit, & ad alias defluit partes, & ita secundũ partes ad quas, uariæ fiunt fluxionũ differentię. adde oĩbus constare illa quæ ad cutem recesserunt esse longe salubriora his quæ in profundũ decubuere, tamen cum à capite fiant fluxiones, & in collum fluant, commune est in utrisque auxilium quod erit. s. attrahens, nam & capiti applicari debet medicamẽtum, uim habens attractoriam.

Vbi legit̃ præterea & ad exteriorẽ superficiem reuellere oportet, adde τοὺς χυμοὺς humores, ut in Græcis codicibus scriptũ est, quàmuis & subintelligi possit.

Septimo Galenus notat præsentẽ huius authoris sermonẽ, & synãchas edocuisse, & causas, & locos affectos, & curationes, addit que hũc authorẽ neglexisse neque fuisse solicitũ uel synanchẽ, uel cynanchẽ, uel sinanchon, uel cynanchon appellaret, iccirco hic author qui hũc librũ scripsit, neglectis nominibus oẽs affectus et in gutture faucibus existes modo respirationẽ arctẽt, synãchos uocasse, fecitque duas synãchi spẽs, alterã quæ à frigida & gluṫinosa facta sit mã, quę synãche pituitosa noĩari poterit, alterã uero à calida & acri fluxione, quæ picrochola & biliosa simpliciter nũcupet̃. docuitque priorẽ fluxionem in latiores uenas decũbere, ostẽdens simul & biliosam fluxionẽ in tenuiores uenas peruenire. Cætera quę in hac sententia cõtinent̃, palã sunt. tu uero (Galenus inquit) animũ ad ea cõuerte quæ retuli, & si primã speciem non intellexeris, eã bis & ter lege & quater, quia tunc eam intelliges. propterea Galenus postposita hac prima synanches specie ad secundã se cõuertit. Cõtempleris quomodo Galenus breuissime oĩa quæ in hac sentẽtia agunt̃, explicauit. & ordinẽ ponit simul cõsiderãdi anginã, cũ duxit hũc sermonẽ & synãchos & causas, & locos affectos, & curationes docere.

## Hippocrates. Sectio XXXI.

Cum æstate uel autũno fluxerit ex capite calida & nitrosa fluxio, quasi ab anni tẽpore tum acris tum calida fuerit, atque huiusmodi sit, mordet, ulcerat, spiritu implet, orthopneam parit siccitatemque multam, præterea quæ intuenti apparent haudquaquam tumentia uidentur.

BRASAVOLVS. Ad secũdam anginæ speciẽ sermonẽ conuertit hic author, quã censet æstate uel autũno fieri, & ex calida ac nitrosa materia, quæ à capite ad gutt̃, uel ad fauces descẽderit, ac si ab anni tempore, hęc materia facta sit acris & calida. cũ uero talis sit, mordet, ulcerat, spiritu ĩplet, orthopneã parit, et multã siccitatẽ Adde quàm intuẽti apparẽt & uisu præsentant̃ nõ apparere tumẽtia.

ὁκόταν ἐν θέρει, ἢ μετοπώρῳ ῥέῃ ἐκ κεφαλῆς θερμὸν τὸ ῥεῦμα κατὰ τὴν, καὶ νιτρῶδες. i. quãdo in æstate uel autũno ex capite calida defluxio & nitrosa defluxerit. Scito destillationum à capite descẽdentiũ calidarum, aliquã esse pituitosam salsam aliquàm esse biliosam, biliosa calida uocatur, pituitosa salsa, nitrosa dicitur. Quando contigerit in æstate uel autumno biliosos humores, uel salsugineos (qui omnes calidi sunt) à capite descẽdere ad fauces, uel ad gulam, intrinsece uel extrinsece, hi humores in æstate generantur, hæcque generatio per totam primam autumni partem consequitur, ueluti è contrario pituitosi crassi in hyeme generãtur, & usque in primã ueris partẽ seruãtur.

ἅτε ὑπὸ τῆς ὥρης δριμὺ καὶ θερμὸν γεγενημένον. idest, Quasi ab anni tempore actis & calida fuerit, imo genita est ab anni tempore calido calida & acris.

δάκνει δὲ τὸ τοιοῦτον, καὶ ἑλκοῖ, καὶ πνεύματος ἐμπιπλᾶσι, καὶ ὀρθόπνοιαν παρέχεται, καὶ ξηρασίην πολλήν. idest.

Cum uero talis sit, mordet, & ulcerat, & spiritu implet, & orthopnœa gignitur, & siccitas multa. Hæc omnia contingunt, quando desluxio quæ a capite ad collum tendit, calida fuerit uel salsa, ratione caliditatis acredinem habet, cuius ratione mordet fauces, uel alios musculos qui in collo sunt, & ob acredinem ulcerat, sitque hæc ulceratio ubi colligitur hæc materia, cum uero ibi collecta ulcerationem faciat &, mordeat dolor in loco fit, cuius ratione multi spiritus ibi colliguntur, & talis fit anhelitus difficultas qua homo non potest nisi recta ceruice spirare, unde ex humoris caliditate & acredine, ex dolore, ex spiritus collectione qui sese conculcant, multa inducitur siccitas, & talis ut multi transglutire non possint.

καὶ τὰ θεωρούμενα ἰσχνὰ φαίνεται. idest, & quæ intuenti apparent tenuia uidentur, intellige per tenuia idest non tumentia, quoniam in pituitosa synãche si fauces inspexeris adaperto ore, eleuationem plerũque uidebis & in loco ex materia collecta tumorem, in biliosa uero nihil uidetur tumidum, sed tenue potius est & rubrum quod oculis præsentatur.

**GALENUS.** Quo modo, & quam ob causam hæc fiunt: quoniam à calidis & acribus. Priorem siquidem fluxionem, quæ pituitosa est, hyeme uel uere defluere ait: Hanc uero secũdam autumno & uere: In alijs anni temporibus ex proportione, ut antea est dictum. Orthopnœam autem huic superuenire anginæ generi ait, quæ insignis nota est angustiæ, partem ex his quæ respirationi subseruiunt aliquam fatigantis, ut supra est demonstratum. Quod si os amplissime aperire os uolueris, linguamq́ represseris, cohibuerisq́, ut quę in faucibus sunt inspectare queas, nullum sanè præter naturam tumorem ut in antedictis inuenies: quod scriptor explanauit cum inquit, Prętterea quę intuenti apparent ἰσχνὰ id est non tumentia, uidentur. Nempe quod in faucium meatu inflammatum est, non uidetur: quod autem ex apertis uidetur, id omne citra inflammaturtionem existit, partesq́ non tument. Nempe hæc uox ἰσχνὸν tumenti præter naturam, interdum opponitur. Quã uocis huius nunc dictam significationem ignorantes nonnulli dictionem ridicule exponunt. Alij autem excogitant, comminiscunturq́, ut hi, ad hunc scribentes modum: Præterea quæ intuenti apparent, ἄχροα, id est decolora, uidentur. Cæterum ita affectis fit interdum, ut & fluxionis partem recipiant faucibus uicini, atque à tergo siti ordinatiq́ musculi, ubi & stomachus, qui sæpius & ipse afficitur. Post hoc sanè in præsenti dictione scriptum quoque est quod sequitur.

**BRASAVOLUS** Primo Galenus interrogat quomodo hæc fiant quæ fieri dicta sunt? Respondet fieri quoniam materia acris est & calida, hæcq́ ab acribus & calidis fieri, hoc intelligi potest de materia quæ acris sit & calida. sed & de tempore intelligi posset quod calidum sit & acre. uerum cum acre de tempore improprie dicatur, iccirco de materia potius intelligendus est author. prima fluxio quæ pituitosa est hyeme uel uere fluere dicta est, biliosa uero æstate & autumno, sed alijs anni temporibus per proportionem fiunt alij humores & aliæ defluxiones. Sed petes an æstiuo tempore fieri possit pituitosa synanche & hyeme biliosa. Respondemus ex Hippocratis sententia tertio aphorismorum omnes morbi in omnibus temporibus fiunt, tamen in aliquibus temporibus aliqui fiunt rarius aliqui frequentius, propterea in omnibus temporibus fieri possunt anginæ biliosæ, & pituitosæ, tamen frequentius biliosæ fiunt in æstate, & pituitosæ in hyeme.

Vbi legitur priorem quidem fluxionem quæ pituitosa est, hyeme uel uere defluere ait nonnulla desunt uerba, nam Grętce ita habetur. τὸ μὲν γὰρ πρότερον ῥεῦμα τὸ φλεγματικὸν ἐν χειμῶνι καὶ ἦρι καταςκήπτειν ἔφη, τουτὶ δὲ τὸ δεύτερον ἐν μετοπώρῳ ἢ ἐν θέρει ἂν εἴη. idest, primam siquidem fluxionem quæ pituitosa est, hyeme & uere defluere ait, hanc uero secundam autumno uel æstate. Hęc uerba necessario addenda sunt, ne prætermittas hanc secundam anginę speciem, in temporum enumerationem in quibus fit angina.

At ambiges, cum sint anni quatuor tẽpora, & in duobus temporibus fiat pituitosa, in alijs duobus biliosa, quomodo hic à Galeno dicitur. In alijs autem temporibus ex proportione ut dictum est? Respondemus anginam quæ fit in æstate, fieri & in prima autumni parte, & illam quæ fit in hyeme, fieri in prima ueris parte, relinquuntur deinceps & media autumni pars & media ueris, in quibus fient anginæ per proportionem, quia erunt ex calidis & frigidis mistæ, uel ex humidis & siccis, aut ex omnibus simul iunctis.

Secũdo Galenus notat huic secũdę speciei anginę orthopnœã superuenire, quæ nota est insignis angustiæ, partem aliquam ex his quæ respirationi subseruiunt defatigantis, ut superius demonstratum est.

Tertio Galenus illam sententiæ partem exponit qua dicitur, præterea quæ intuenti apparent haud quaquam tumentia uidentur, notans si hac angina affectum os quãmaxime aperire iusseris, & linguam adeo represseris ut illa inspectare queas quæ in faucibus sunt, nullum inspicies præter naturam tumorem, qualem uidere poteris in præcedenti anginæ specie. hoc uero ab ipso authore declaratum est, cum inquit. Prętterea quæ intuenti apparent ἰσχνὰ. idest, non tumentia uidẽtur, nam quod in faucium meatu inflammatum est non uideur: at quod ex apertis faucibus uidetur, id omne citra inflãmaionẽ est, partesq́ non tument.

Quarto Galenus notat uocem hanc ἰσχνὸν tumenti præter naturam quandoque opponi, quam significationem nonnulli nescientes dictionem ipsam ridicule exponunt, alij uero aliud quoddam excogitarunt ad hunc modum scribentes, prętterea quæ intuenti apparent, ἄχροα. idest, decolora uidentur hi forte de extrinseca parte intelligentes quæ liuida fiat, uel pallida.

Quod legitur, alij autem excogitant comminiscunturq́, Grętce est καταπαινάσουσιν in codice Aldino. idest, permutant quod melius conuenire uidetur, nam ἰσχνὰ permutant in ἄχροα.

Deniq́ à Galeno notatur in ita affectis, plerũq́ fluxionis partem recipere musculos faucibus uicinos & à tergo sitos atque ordinatos, ubi & stomachus est qui & ipse sæpius afficitur. Notatq́ Galenus post hoc in pręsenti sententia, id etiam scriptum esse quod sequitur.

## Hippocrates. Sectio XXXII.

Tendines quoque ceruicis posteriores contenduntur, apparentq́ tetani modo intendi.

**BRASAVOLVS.** Ex eadem met materia tendines implentur, qui posterius sunt in ceruice & sunt causa motus colli, hi inquam contenduntur, & tetani modo intendi uidentur, & illi sunt qui ad uocem conformandam adiuuant.

καὶ τοὺς ὄπισθεν τένοντας ἐν τῷ τραχήλῳ ξυντείνεται. idest Tendines quoque in collo posteriores contenduntur ex hac calida materia, quæ has partes infestat, sed hoc solum est cum materia posteriores partes uexat.

καὶ δοκεῖ οἷον τέτανος ἐντετάσθαι. idest, uidenturq́ tetani modo intendi ob materiam quæ in ipsos impingitur.

**GALENVS.** Quod deinceps dictum est, magis adhuc guttur affici ostendit. Nempe & uocis generationem in ea animalis absolui parte est demonstratum: quapropter inquit.

**BRASAVOLVS.** Galenus hanc partem uelut notissimam nõ interpretatur sed ad sequẽtem se accingit, inquiens, id quod deinceps dictũ est, magis ostendere guttur adhuc affici, nam demonstratum est uocis generationem, in ea animalis parte absolui, propterea inquit.

## Hippocrates. Sectio XXXIII.

Voxque ἀπέῤῥωγε. idest abrupta est, & spiritus paruus est.

BRASAVOLVS. Ex praua tendinum ceruicis affectione uox fit abrupta, & spiritus fit paruus, cum illi tendines ad uocis generationem, & spiritus tractionem usui sint.

καὶ ἡ φωνὴ ἀπὸ ῥήξιος, καὶ τὸ πνεῦμα σμικρὸν. i. & uox interrupta est, & spiritus paruus est, cum nō possint musculi suo fungi officio, & guttur sit læsum.

GALENVS. Nempe uox omnino ἀπόῤῥηξ id est, ἀπόλλυται, ideft disperijt, abruptaq; est, passo ut dictum est gutture. Respiratio autem parua redditur propter meatus angustiam. Recensetur autem in cōmentarijs de difficultate spirandi, quod lōgior tempore sit & interuallis frequens, quod scriptor in hunc enunciauit modum.

BRASAVOLVS. Galenus notat cū guttur patitur, uox omnino ἀπὸ ῥήξιος. ἀπόλλυται, hoc est disperit, abruptaq; est, quoniam (ut diximus) guttur affectum est. At respiratio parua reddit ob meatus angustiam. in libro uero de spirandi difficultate recensetur quòd spiratio hæc sit longior tempore, & interuallis frequens, hoc uero ab isto scriptore in sequentibus enunciat hoc modo.

## Hippocrates. Sectio XXXIIII.

Spiritusq; reuulsio frequēs & uiolenta accedit.

BRASAVOLVS. In his quoq; qui tali anginæ genere detinentur, inspirationis & expirationis reuulsio frequens fit & uiolenta.

καὶ ἡ ἀντίσπασις τοῦ πνεύματος πυκνὴ καὶ βιαία παραγίνεται. i. & spiritus reuulsio frequens, & uiolenta accedit, ob necessitatem frequens, ob meatus angustiam uiolenta.

GALENVS. Spiritum, & eam quæ inspirationi succedit expirationem, & eam quæ expirationi succedit inspirationem, dixit: ex utroq; enim frequens redditur spiritus. Nam ita affectis, quæ inspirationi succedit quies, breue tempus habet: similiter & quæ expirationi succedit ante inspirationem: demōstrationes horum in libris de spirandi difficultate enarratæ sunt.

BRASAVOLVS. A Galeno in præsentiarum notatur, ab authore huius libri spiritum uocari, & expirationem illam quæ succedit inspirationi, & inspirationem illam, quæ succedit expirationi, nempe ex utroque spiritus frequens redditur, quoniam illi qui sunt ita affecti, quietem habent, quæ breue tempus habet, intelligo quietē illam quæ inspirationi succedit, simili modo & quies illa habet breue tempus quæ expirationi succedit ante inspirationem. harum uero rerum demonstrationes in libris de spirandi difficultatibus dictæ sunt, Galenus ait. Vt autem hæc exquisitius cognoscantur, de anginosorum respiratione loquens Galenus in tertio de difficultate respirationis, primo Hippocratem ex secundo epidemiorum adducit, qui de anginosorum spiritu loquens inquit, in illa cōstitutione spiritus his non ualde sublimis, Galenus addit tanquam uidelicet plurimum sublimis, spiritus anginosis fiat. & si quis petat quinam sit hic spiritus, Galenus respondet. sic autem uocare ipsi mos est, paruum & uelut alicui uideri possit, eo loci usq; ad fauces ingredientem, non autem ad thoracis profunditatem descendentem, ut spiritus sit paruus qui sublimis est, & talis fiat in angina. & si petas cur in ea illius temporis angina non erat sublimis, Galenus respondet, quia anginæ species non erat consueto modo facta. Galenus in secundo libro de difficultate respirationis notat (quod & ab ipso sexcenties dictum est) aut dolorem esse oportere circa aliquam partem quæ iuxta respirationem mouetur, aut aliquod ex respiratorijs organis coarctari, ut paruus & densus fiat spiritus, quod in angina contingit. in primo uero de difficultate respirationis libro primo de parua respiratione inquit, paruitas quidem per se ipsam, aut dolore afflictam aliquā particulam, aut uolitatem exolutam ostendit, ita ut neq; ipsa aliqd certi indicet, quando uero componitur cum densitate dolorē, cum raritate uero utilitatis exolutionem portendit. Nonnullis interpositis addit. Densa uero simulq; parua respiratio organi alicuius quod respirationibus cōmouetur dolorem significat, in eodem primo de difficultate respirationis libro, ubi primo loquitur de organorum respirationis affectione præter dolorem, & quę cum dolore de his affectis qui sine dolore ait, reliquæ tamen organorum affectiones quæ citra dolorem p obturationes, aut durities, aut compressiones, aut omnino coarctationes quasdam fiunt, consimiles uariationes in utrisque actionibus, animalibus & uitalibus efficiunt, paruus enim in ipsis, & uelox, & densus fit spiritus, & paruus quidē propterea quòd ob angustiam susceptoriorum organorū paucior quàm oporteat attrahitur. Densus uero quod utilitatis uotum non expletur, & ob eandem causam etiam uelox, & quando est cum dolore fit idem spiritus, & enumerat, quæ in ipsis affectus faciant, sunt inquit, tubercula cruda aut tenues & crassi humores qui uias spiritus occuparunt, aut est durus tumor in ipsis contentus, aut ob uicinum & familiare corpusculum quocunque modo in tumorem immoderatiorem eleuatum, paucior attrahitur spiritus propter locorum angustiam inspiratur, necessario accidit illi uelocitas, & densitas, & paruitas, imo & propter propinqua membra coarctantia eiusmodi fit spiritus, ut tumor hepatis, splenis, & coli, ob coarctationem septi transuersi paruus & uelox, & densus fit spiritus, & ita talem habent spiritum aqua intercute laborantes, & utero gerentes, & repleti supra modum cibo, & uētres habētes prominentē, & in orthopnœa fit eiusmodi spiratio, uiscosis & crassis humoribus circa asperas in pulmone arterias congregatis, imo & si aliquid circa ipsum induretur, aut tuberculum nascatur premens & coarctās ipsum asperarum arteriarum genus, imo si in thorace tale fuerit tuberculum, unde luxentur & ante & retro, ea quæ circa spinam sunt, imo & in obliquum torqueantur, paruus & uelox et densus fit spiritus, sæpe thorax angustus eundē efficit spiritum, quia coarctatus, uel pulmo induretur, uel obturetur, uel intumescat, & io summa Galenus omnem recenset affectum qui respirationis organa lædit, unde & angina ob hoc, spiritum habebit paruum, & frequentem, & uelocem, erit paruus ob organorum angustiam, erit frequens quia utilitatis uotum non expletur, & eandem ob causam erit uelox. si de hac re plura discere animo sit, Galenum in prædicto primo de difficultate respirationis libro perlegito, ubi paruitatis pulsus & densitatis ac uelocitatis causæ ubertim edocentur, notatq; intestina tenuiora, & crassiora, & peritonæum posse eiusmodi spiritum efficere, quoties fuerint læsa.

## Hippocrates. Sectio XXXV.

Talibus arteria ulceratur, inceditiurq; pulmo, neq; externum aerem admittere intro queunt, quibus nisi ad exteriores partes malum sua sponte perferatur, hi grauius ineuitabiliusq; habebunt & propter anni tempus, & quod a calidis acribusque id sit humoribus.

BRASAVOLVS. Qui hoc anginæ genus incidunt, in aspera arteria ulcerationem ob humoris acredinem & caliditatem patiuntur, & pulmo incenditur, quia attrahere non potest quantum opus esset, nam paruus est spiritus, & meatus angustus, propterea calor in pulmone uehementior efficitur, ut accendi uideatur, neque aerem externum ob organi angustiā intro admittere queunt, unde nisi morbus ipse ad exteriores partes sua sponte perferatur, hi grauius, & ineuitabilius se habebunt, non solum ob id quod ulceretur arteria, & pulmo incendatur, sed & propter anni tempus, & quia à calidis & acribus humoribus fit.

οἱ τοιοῖσι δὲ τὴν ἀρτηρίαν ἑλκοῦνται. i. talibus arteria ulceratur, quia humor hic calidus est & acris, quem caro ferre nō potest, unde illam corrodit & ulcerat, hoc est in uehementissima.

καὶ τὸν πνεύμονα πιμπρᾶσι. idest incenditurque pulmo ob humoris caliditatem, & quia aerem non attrahit, ut io hac necessitate attrahere deberet, propterea quicquid habet humidi exiccatur, & quodammodo accendi uidetur, adduq; & ipse

unam accensionis causam, inquiens.

οὐ δυνάμενοι τὸ ἔξωθεν πνεῦμα εἰσάγεσθαι. i. neque externum aerem admittere intro queunt, hoc contingit ob meatus angustiam, unde & cor, & partes quæ in thorace sunt igniuntur, & ferè accendi uidentur.

τοῖσι ταύτῃσιν ἢν μὴ ἐς τὰ ἔξω μέρεα τοῦ τραχήλου ἐξανίῃ ἀποτρέπεται. i. quibus nisi ad exteriores partes malum sua spōte perferatur. Alibi ab Hippocrate in prognostico dictum est, anginā quę extra apparet, esse alijs minus deteriorē, quando uero nihil extra apparet, deterior est & letalis, quando angina intus est, arteriamque ulcerauerit, ut aerem intro admittere non possit, periculosissima est, nisi ad exteriores partes uertatur, & hoc inquit sua sponte, nam hoc modo melius esset, tamen neque malum est si & arte adiuuante ad externas partes perferatur, ad melius esset si id sponte efficeret.

δεινότερον καὶ ἀφυκτότερον ἐστί, διὰ τὴν ὥρην. i. grauius ineuitabiliusque est propter anni tempus, nisi affectus ad externas partes proficiscatur, grauius est, & ita grauius ut ineuitabile sit quin periclitentur. Id uero quod additur propter anni tempus, in aliquibus codicibus legitur cum copulatione, in aliquibus absque illa. sensus esse uidetur, si absit copulatiua particula, grauius esse & ineuitabilius propter anni tempus, & profecto anni tempus, quod est æstas & autūnus affectum faciunt grauiorem, tamen arbitramur potius ut hæc particula anni tempus determinet ac confirmet sententiam illam ut adsit copulatiua particula, & legatur esse grauius & ineuitabilius, quando affectus extra non exit, & esse etiam grauius propter anni tempus, & etiam propter id quod sequitur.

καὶ ὅτι ἀπὸ θερμῶν καὶ δριμέων. i. & quod à calidis & acribus sit, is. s. affectus, hoc est ipsa synanche, nam ab humore fit, qui ob anni tempus acris est & calidus, & est humor biliosus uel salsugineus.

GALENVS. Arteriam quoque ulcerari his qui ita affecti sunt, dictum est, propter humoris acrimoniam: sed pulmonem ardere uiduatum, destitutumque, ait, doctrinæ ueræ sermonem coniungēs, copulansque. Nempe in commentario de usu respirationis, demonstratum est, animal in respirationis priuatione, non ob substantiæ penuriam perire: sed quòd calor natiuus, tum uentilatione destituatur, quapropter nō immerito qui immoderatior extitit, pulmonem accendit. Hanc igitur anginæ speciem, tum grauiorem, tum ineuitabiliorem esse priore ait, tum propter ante dicta, tum quòd æstiuum, autūnaleque sit anni tempus, & quod ex acriorib' oriatur humoribus. Qua efficitur ratione, ut ea quæ cū coniūctione ē dictio, melior sit quam ea sine cōiunctione est. Significat autē ab his quæ ante dicta sunt, & propter anni tēpus in quo fit & propter humorē à quo oritur, maioris esse periculi secundam anginæ speciem. Non est ergo simpliciter scribēdum, quod tum uitatu difficilior sit propter anni tēpus. Quòd si & absque coniunctione scriptionē seruare quis uoluerit, coniūctionem eam ita subaudire oportebit, ut si in dictione esset. Multa siquidem & alia apud antiquos defectiuo modo scripta reperiuntur.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat dictū esse arteriā his ulcerari qui ita affecti sunt ob humoris caliditatē & acrimoniā. At dixit pulmonem ardere στερούμενον i. priuatū uel destitutū, & qui iam olear, quia respiratione priuatur, in hocque iungit sermonē suum ueræ doctrinæ, nam in cōmentario de usu respirationis demōstratū est, aīal in respirationis priuatione perire, nō ob substātię penuriā, sed quod calor natiuus, & refrigerio destituat, et uētilatione, unde non īmerito is calor qui īmoderatior existit pulmonē accēdit. Scito Galenum in libello de usu respirationis docere, aīalia nō suffocari ob substātiæ aeris inopiā, sed ob aliud quippiā, nam aliqui erāt qui uolebāt aīalia suffocari, quia deesset, illis spiritus & substātia aerea. & ideo quod hic Galenus dicit non suffocari aīalia propter substātiæ penuriam, intelligēdum est de substantia aerea & spiritu, sed Galenus præcitato loco ostendit animal suffocari solum inspirādo non expirādo, quod in seipso quisque experiri potest quāto magis attrahit aer, tanto magis & pectus dilatat, & oīa dilatātur quæ in thorace sunt, homoque suffocat. Addit illos qui ita suffocātur, per expirationem sanari, uerū oportebat inspirationem potius esse quæ sanaret, si suffocatio erat ab aeris penuriā, & de igne exēplum dat, qui cū re aliqua tegitur ne expirare possit extinguitur, non quidē ob ignis aut materię defectum, sed potius ob cohibitionē in sese partiū, unde hominis suffocatio est similis suffocationi cādelę, quādo cucurbitula ambiē, neque potest extrinseco aere frui, idque circa aīalis insitā calid tatem cōtingit quæ materiā habet unde accēditur sanguis, & motū habet in utranque partem, quo si in una parte priuet & aliā amittit, & reliqua quæ abūde à Galeno in eo loco dnr, opus. n. est semp in reb' naturę mediocritatē seruari. Secūdo Galenus infert secūdam hāc anginæ speciē & grauiorem esse, & ineuitabiliorē præcedente, tum propter antedicta, tum quod æstiuum & autumnale tempus anni sit, & quod ex acrioribus ortum habet humoribus.

Tertio Galenus notat cum aliquæ sentētiæ habeāt cōiunctionem. et. illi parti iunctū, & propter anni tēpus, & aliquę non, illum esse meliorē sentētiam quæ cōiunctionem habet, quam quæ non habet. At ab his quæ dicta sunt significat, & propter anni tempus in quo fit, & propter humorē à quo orit, secūdam anginæ speciem maioris esse periculi. propterea simpliciter scribēdum nō est, quod & grauior, & uitatu difficilior sit propter anni tempus, sed illud cū copulatione addēdum est, ut notetur nisi exeat, grauius & ineuitabilius se habebūt, postea addatur, & propter anni tēpus, & propter acres humores & calidos, ut hæc id quod dictum est magis cōfirment, & id non sit exquisita ratio quod grauius & ineuitabilius se habeant.

Quarto Galenus notat, si quis noluerit absque cōiūctione. et. sententiam seruare. coniunctionem illam subaudire oportere eo modo ac si in sententia esset scripta nec mirum, quoniam multa apud antiquos defectiuo modo scripta reperiuntur, nō enim omnia semper exprimunt, sed plerunque multa prætermittunt.

## Anginæ curatio.

Pro exquisita anginæ curatione primo eius species considerandæ sunt, & in numerum reducendæ, ut à Galeno & à probis authoribus tractantur, postea curatio per singula præsidiorum genera ordinanda, hicque morbus diligenter cōsiderandus est, tum quia frequens tum quia medico inducias agēdi secundum canones non prębet, & horas quas electas recētiores uocāt, imo secūda species de qua supius egit Hippocrates à multis existimatur incurabilis, indeque argumētum accipiūt, Hippocratē illam absque curatione reliquisse. Cum igitur primæ species curationē ponat, secūdæ non ponat indicium est iudicasse Hippocratē hanc anginam curationem nō admittere, illosque solis prognosticis esse relinquēdos qui eiusmodi anginæ genere detinētur. imo addidit oportere, si sanari debent, materiam spōte exire, & nō arte aliqua prouocari. At nos iudicamus Hippocratē supponere uenæ sectionem fieri debere & in brachio & sub lingua, & faciēdam esse, ubi exibit materia, euacuationē, & extrinsece apponēda esse quę cōueniant, unde ex primæ anginæ curatione secundæ curationem desumēdam esse arbitrabatur, tamen hæc fieri debet ex his quæ propria sunt. Ad rem igitur redeuntes dicamus.

Cum anginæ species uel à materia faciēte distinguant, ut hic notat Hippocrates uel à loco in quo fiunt ut Galenus edocuit, dicamus ex materia frigida & calida fieri posse, in faucibus, in gutture, & in gula, & species uariari posse secūdum diuersos situs in gutture & gula, & secūdum uarios musculos. Tamen suppositis quinque specieb' supra enumeratis, de facta. s. ex materia in gutturis musculis intrinsecis, & de facta io extrīsecis & de facta in gula intrinsece & extrinsece, & de facta ex dislocatione spondylium colli, hoc modo curationem exordiamur.

Medicus ad ægrum accitus, cum ingreditur, primo ægritudinis genus inuestigare debet. Idque fiat primo per symptomata postea ægritudinis causas inuenire debet & symptomatū. si ergo ad ęgrū uoceris qui synāche laboret, primo famulū qui te accruit aut alterū quēpiā qui te uocet, interrogare debes, de quo te cōque-

ratur æger, nam hinc cognoscendi ægritudinē ansam habere incipis, nempe hic respondebit dolorē persentire circa collum, deglutire non posse, neq; respirare, & similia, ex quibus de angina excogitare incipis. Cum uero ad ægrum ingressus eris, illum per signa illa interrogare īcipito, quæ anginam esse ostendunt. At duo sunt in angina signorum genera, unum uniuersale & generale, quod unicuiq; cōpetit anginæ generi, aliud particulare quod speciebus anginæ competit, primo per generalia signa discurrito ægrum interrogans an anhelitus cōstrictionē, & ferè suffocationem persentiat, si id persentire respōdeat, habes anginæ indicium, tamen adhuc nescis an in gutture uel gula sit, tunc interrogare debes, an difficilius degluriat, q̃ respiret, an ecōtrario, si difficilius degluiat q̃ respiret, in gula est, si uero difficilius respiret, est in aspera arteria, uel in eius capite, tamē posset esse adeo magnus abscessus in faucibus, ut æque unum & aliud impediret & posset esse in musculo colligante gulam cum gutture adeo magnus abscessus ut utrunq; impediret, si in faucibus sit oculis inspicitur aperto ore, si in musculo colligante non inspicitur. Tamen Auicenna author est posse adeo augeri gutturis abscessum, ut penitus transglutionem impediat, & econtrario posset adeo abscessus gulæ augeri, ut anhelitum impediat. Verūtamē anhelitus fit longus ut recentiores inquiunt, quia animal non potest ob gutturis arctitudinem tantum attrahere, quantum opus est, iccirco cogitur id longo tempore efficere & longo tempore aerem trahere, Galenus in secundo commentario in tertium de morbis uulgaribus Hippocratis sectione. 4. tantam ponit in angina anhelitus difficultatem ut suffocari dicat, tamen de grauissima loquitur angina, de qua & Hippocrates sectiōe. 51. dicebat orthopnœā parere, & in. 3. prognosticorum sectione. 16. hāc grauissimam existimabat, quæ orthopnœam parit quam sententiam Galenus in secundo commentario in primum prorrhetici sectione. 59. adducit. Tamen Paulus Aegineta libro tertio capite. 27. censere uidetur, hoc omnibus inesse ut non nisi recta ceruice spirent, tamen solum his inest qui uehementissima detinentur angina. Respirationis uero difficultas omnium anginarū commune signum est, in quo signo, & Græci, & Arabes omnes conueniunt. Cum igitur noueris habere difficultatem anhelitus, iam anginam esse unum signum habes.

Sed hic difficultas oriri posset de spiritu, qui non habetur nisi recta ceruice, cum eiusmodi genus difficultatis respirationis in uarijs ab angina habeatur affectibus, nam ex pulmonis abscessu quidem non possunt nisi recta ceruice spirare, & ex abscessu aliarum partium thoracis, & ex his omnibus strangulantur, quæ ergo differentia est orthopnœæ ex angina, & ex alijs affectibus? Respondemus dici posse distingui per alia signa, quia adest dolor in gutture uel gula, quando est ex angina, quando ex pulmonis abscessu adest in thorace grauitas. tamen Galenus aphorismo. 34. libri tertij aliter respondet cum inquit, quod cum strangulatio (& intellige etiam orthopnœā) est ex gutture, repente fit, nam strangulantur, & non possunt nisi recta ceruice spirare propter morbos alios, sed repente strangulari soli gutturi inest, morbus enim, quem Græci peripneumoniam uocant, non repente strangulat ægrotantes, uerum paulatim ab initio incrementum suscipiens usq; ad propriam consistentiam, in qua talem casum affert, & breuiter discurrit Galenus per omnes affectus qui strangulationem (& tu adde) & orthopnœam facere possunt, doceq; id facere ad guttur solum pertinere, ut spiratio sit ablata repente, & repente strangulentur, in alijs affectibus paulatim fit, & rationem reddit, qui a in ipso angustior redditur pulmonis meatus.

Secūdo ægrum tuū interrogato, an circa guttur & gulā dolore prematū, nam in omni anginæ specie adest circa guttur & gulam dolor, si angina sit, dolorem proculdubio adesse fatebitur, q̃q̃ magna est differentia quando est prima Hippocratis angina, & quando secunda, nam in prima quæ est à materia frigida, dolor est multo minor, in secunda quæ est à materia calida dolor est uehemētior, sed ambiges de bile atra, quæ uideatur anginam facere maleficentiorem, quoniam à Galeno secundo prognosticorum sectione. 46. humores numerantur qui modestiores faciunt ægritudines, & qui maleficentiores, diciturq; pituitosas ægritudines & sanguineas esse modestiores, biliosas uero & atrabilarias maleficentiores, iccirco angina ab atrabile erit maleficētior, & dolorem magis inferet, tamen est à materia frigida, & angina à sanguine erit modestior, cum sit tamen à materia calida. Respondemus quantum sit de doloris illatione, quæ fiunt à materia calida ęgritudines semper sunt peiores, quia dolores sunt uehementiores, quæ à frigida semper faciunt dolores minus uehementes. tamen non negatur fieri dolorem, sed est minus uehementior. & quamuis Galenus dicat ab atrabile morbos effectos esse maleficentiores, id non dicit ob morbi magnitudinem, sed ob longitudinem, quod illa quæ consequuntur ostendunt, cum ait, bilem flauā acutas accendere febres, atram uero solum difficilem committere ægritudinem, ut ratio cur atra bilis morbos faciat maleficentiores sit, quia solutu difficiles sunt, non quia dolores sint intensiores, & ideo materia calida in angina dolorem facit uehementiorem, quoniam & acris est & magis penetrat, frigida uero hebetiorem. At dices uideri materiam pituitosam dolores facere uehementissimos, & similiter atrabilarem, de pituitosa apparet in uoluulo, nam dolor est uehementissimus à pituita, & in intestinorum difficultate ab atrabile dolores fiūt intensiores, & rarissimi, uel nulli euadunt, tamen à biliosa dysenteria ægri pro maiori parte sanitati restituuntur. Ad primum respōdemus uoluulum esse longe intensiorem à materia calida, quę in intestinis inflammationem faciat, imo non est exquisite uoluulus, nisi inflammatio adsit, quæ à materia calida excitatur, tamen & pituita tormina facit in intestinis & angina, imo & eadem tormina fiunt à puro flatu, & uehementissima. At cum inflammatio adest sunt longe uehementiora, de dysenteria uero ab atrabile, non dicitur ob eam causam cæteris peior quia magis inferat doloris, sed quia atrabilis nimis inhęret intestinis, neq; tam breui dimoueri potest quin exulceret, bilis uero flaua uehemētiora quidem facit tormina, sed breuius dimouetur, nam ex biliosa dysenteria rari moriuntur. Addeq; bilē atram dysenteriam faciētem esse ex bilis adustione factam, quę quodammodo caliditatem sapit atque acredinem, hoc igitur est unum indicium in communi omnibus anginis competens, dolor. f. in gutture uel gula & in partibus propinquis, quod cum ab ægro adesse refertur, tu cum priore iungito & anginam esse inferto.

Tertio ægrum interroga, an à transglutiendi difficultate detineatur, nam in omni anginæ specie hoc habetur, ut difficulter transglutiant, in synanche, quia in cibali fistula adest affectio, in cynanche uero ob compassionem, imo si sit intensa affectio non solum deglutire non possunt, sed cum deglutire studenț, per nares exit, nam per palati foramen ad nares ascendit & exit. Serapio huius rationem reddere conatus est, inquiēs duo membra exigi ad deglutitionem, unum quod dat, aliud quod recipit, primum est lingua, secundum est gula, lingua gulæ dat quicquid transglutire uoluerimus. At in hoc casu linguę motus impeditur ob constrictionem quam facit abscessus & læsionem circa linguæ uocatam radicem. Adde gulam ipsam ob illum abscessum esse coarctatam, ideo non recipit, unde ad palati foramina regurgitat, & per nares transit; sed ambiges de lingua quæ non uideatur quicquam facere ad transglutitionem, quoniam multi sunt qui absq; transglutitionis motu bibunt, sed descendit quod bibunt, ac si in phialam transmitterēt, ut nutrix Renati filij mei maioris natu facit, in hoc casu nō indigent membro mandante. Respondemus hoc esse rarum & præter naturam, sicuti præter naturam est, actionem aliq̃ habere uitiatam, nam id raris contingit hominibus.

Quarto adest signum à recentibus descriptum, quod oculis inspicitur, neq; opus est ægrum interrogare, id uero est, angina correptos os apertum tenere, quod fit ut aerem magis libere trahant. hoc indicium recentes ab Auicenna & Serapione

deduxere

deducere, sed uerum non est, nisi in uehementi angina, in qua suffocatio fiat, & in illa quæ in gutture sit. Paulus libro tertio capite. 27. inquit, in his esse os perpetuo hians atq; diductum. Quinto, à recentibus dicitur anginam habentes loqui intra nares. quod an uerum sit, tu in experientia contempleris. nam hi solum hoc faciunt qui uehementi angina detinentur. Hippocrates superius Sectione trigesimatertia dicebat, uox ἀπερρωγυῖα, hoc est abrupta. Serapio & Auicenna sunt huius indicij authores, quia Serapio inquit, hos loqui duabus naribus. ratio est, quia lingua ob abscessum est impedita, & ideo difficulter mouetur, neque extra os impellere potest, unde tendit ad duo palati foramina. & Auicenna dicit, habentis anginam, loquellam esse his similem qui naribus loquuntur.

At si differentiam petes, sermonis cuiuspiam intra nares loquentis, à natura, uel ab effectu, & ob anginam. Respondemus, qui uel à natura, uel ab effectu intra nares loquuntur, nares habent occlusas & obstructas, sed in habentibus anginam nares sunt apertæ. At in angina, quia lingua crassior effecta recte moueri non potest. propterea inter palati foramina resonat, quia uim non habet extra os mittendi aerem. Galenus tamen in secundo commentario in primum prorrhetici, Sectione decima censet in angina fieri uocem acutam. ibiq; uniuersalem propositionem iecit, quam in libro de uoce demonstrauit, uocem scilicet acui ex uocalium instrumentorum angustia: ob idq; cum spadones, tum mulieres uocem reddunt acutam. & in febribus, horum siccitas angustiam efficit. Angustiam uero fieri horum instrumentorum in angina nulli dubium est, propterea erit uox acuta in angina, imo plerunque dum in gutture est, adeo acuitur & impeditur, ut is uideatur caniua uocem emittere, unde & cynanche à cane dicta est. Hanc igitur notato differentiam. cum adest canis uox, angina est pessima, quæ cito interimit. quando loquuntur intra nares, nō est tam praua, tamen & imbecillitatem significat. cum acute loquuntur adhuc minus malum est, tamen omnes sunt uehementes, in quibus uox nouatur. Audiuimus quandoq; in angina nonnullos raucissime loqui, alios uix posse persentiri, ut diuersa uocum discrimina in angina audiuerimus. idcirco hoc non est signum uniuersale in omni angina, sed tantum in uehementi, & cum uox aufertur, est signum letale.

Sexto, recentes ab Auicenna & Serapione accipientes inquiunt, anginosorum linguam egredi: aliqui dicunt fieri crassiorem, sed nullum ex his signis est necessarium. nam in uehementi tantum hoc fit. cum spiritus haberi non potest, tunc exeritur lingua, ut facilius aer ingrediatur. unde & considerare oportet linguæ motum quodammodo impediri, quia musculi linguam mouentes compatiuntur.

Septimum indicium à recentibus ponitur, quod & ab Auicenna accepere, oculos scilicet exire, hoc est prominentiores fieri, quod indicium non est nisi in uehementissima angina, & in illa quæ strangulat. uidemus etenim & hos qui capistro strangulantur, oculos habere prominentes, ut caput exiuisse uideantur, ob coarctationem quæ intus fit in uenis & arterijs gutturis, ac colli. ex hac uero coarctatione adeo sanguis & spiritus ad superiora tendunt, ut oculi intumescant, & exire uideantur. Hæc signa possunt quidem in angina esse, sed non sunt necessaria. nam illa tantum necessaria sunt, anhelitus difficultas, transglutiendi difficultas, & loci dolor, quæ secundum magis & minus insunt.

Octauum signum ab Hippocrate sumitur in secundo de morbis, & est maxillas turgere ob materiam quæ ad ipsas decurrit. & hoc indicium necessarium non est.

Nonum signum ex Hippocrate Sectione trigesimasecunda huius libri acceptum est, & est ceruicis tendines posteriores contendi, & tetani modo intendi, hoc est indicium in uehementi angina, & uniuersale non est.

Illa præterea signa de genarum rubore, de tensione oculorum, de linguæ liuiditate, & similia, in angina necessaria non sunt, sed quandoque adsunt, quandoque absunt. Idem dicendum de arteriæ ulceratione, & de pulmonis incensione. hæc solum fiunt in biliosa & uehementissima.

Denique secundum Galenum angina ex pulsu cognoscitur. nam in libello de pulsibus ad tirones, de anginosorum pulsu agens dicit, anginæ pulsus tensione quadam præditus est, conuulsiuo persimili. magnus est & undosus, ut pulsus peripneumonicorum. at cum uehementer suffocantur, paruum hi habent & rarum pulsum: ubi iam animam agunt, crebrum atque inæqualem. Hæc Galenus in libello de pulsibus ad tirones, qui deinceps in quarto de causis pulsuum, illorum uerborum rationem reddit, inquiens, omnem inflammationem, quæ consentiens sibi principium habet, commune habet symptoma tensionem pulsus, hoc'que faciunt præcipue inflammationes neruosorum corporum, & quæ sunt principio finitimæ. unde anginæ pulsus non caret tensione, sed plus & minus habet secundum humorem influentem, qui uel biliosior uel pituitosior est, & ex diuersitate etiam ipsorum instrumentorum in asperitate. nam neruosiora, & contentiora uehementius pulsum tendunt: carnosa & remissa, undosiorem reddūt. cum uero suffocantur, habent paruum & rarum, quia cum incipiunt suffocari, fiunt arteriarum minores & rariores distentiones, q̃ imbecilla iam facultas sit, & usus imminutus. cum uero moriuntur habent crebrum & inæqualem, quia facultas molitur attrahere crebrius, quòd spiritus animalis substantia iam deficiat, sed cum imbecilla sit, paruas distentiones necessario efficit: & quia paruas, ideo crebras. postea subito ueluti uicta sæpe subsistit, sæpe subsistere cœpit. quorum alterum intermittentem, alterum rarum pulsum creat, ambo inæqualem in huius generis differentia. est ergo in angina, q̃n non suffocant, pulsus magnus & undosus. magnus inq̃ ob necessitatem attrahēdi spiritū: undosus uero, q̃a est in mēbro carnoso. Et si dicas, guttur potius uideri chartilagineum. Scito guttur multos habere musculos, propterea fit pulsus undosus.

At hic ambiguitas occurrit de contradictione, quæ inter Galenum uidetur & Auicēnam. nam Galenus dicit esse magnum & undosum in angina, postea cum suffocantur fieri paruum & rarum: cum uitam agunt, fieri crebrum & inæqualem. Auicenna autem dicit, in præfocationis principio pulsum esse frequentem & diuersum, deinde fieri paruum & rarum. unde uides Galenum dicere, in principio esse magnū & undosum: Auicennam uero, esse frequentem et diuersum. Respōdemus, recentiores medicos pro huius contradictionis solutione chimæras sibi finxisse, ut patet siquis Gentilem legat in tertio canone Auicennæ Fen. 9. tractatu primo cap. 9. ubi censet cum à Galeno dicitur, pulsum esse paruum & rarum in principio suffocationis, in fine mortis fieri quoq; frequentem, Auicēnam uero absolute loqui de præfocatione. Alnter etiam soluunt, q̃ is qui ab abscessu suffocatur, potest comparari sibijpsi sano, & ita pulsus primo est paruus & rarus, & in processu est frequēs & diuersus. alio modo sibijpsi in diuersis temporibus cōparari potest, & tunc in principio est frequens & diuersus: in medio tēpore est paruus & rarus. & hoc mediū à Galeno uocat̃ finis. in fine uero in quo iā morit̃ fit paruus & rarus extincto calore. sed hi recentiores non recte cōparāt Galeni pulsum pulsui Auicēnę. nempe Galenus non dicit, pulsum patientium anginam esse paruum & raꝝ, sed esse magnum & undosum. sed hic est paruus & rarus cum suffocant̃: cum ꝓpe mortem sunt, est creber & inæqualis. ut uideas Auicēnam duos solum posuisse anginosoꝝ pulsus, illos. s. cū suffocant̃, & præpostere posuisse: & quæ à Gentile dicunt̃ q̃ ꝓpe mortem sit rarus & paruus, est absurdū. nam Galenus dicit, cū uitam agūt. i. ꝓpe mortem sunt, esse crebꝝ & inæqualem. neq; illa cōueniens est ratio q̃ sit paruus & rarus ob imbecillitatem, q̃a Galenus docuit imbecillitatem illā ꝓpe mortem crebꝝ facere pulsum & inęqualem. uñ uel dimittendus est Auicēna, uel sibijpsi & Galeno, & ueritati hoc modo ꝯstans reddendus. primo q̃ de pulsu simpliciter anginosoꝝ nō sit locutus, quem magnū & undosū Galenus esse dicit, sed locutū esse de pulsu anginosoꝝ, qui

suffocantur, & ideo posuisse Galeni pulsus in suffocatione in principio, & quando est prope mortem. tamen Auicennæ uerba sunt transposita, & cum legitur, & pulsus quidem habentium præfocationem in principio sui est frequens & diuersus, deinde fit paruus & rarus. è contrario legi debet hoc modo, & pulsus quidem habentium præfocationem in principio sui est paruus & rarus, deinde fit frequens & diuersus, & ita reddetur Galeno concors, et ueritati. His ergo indicijs in generali consideratis, & in ægro inuentis, potissimum illa de difficultate anhelitus & respirationis, & de pulsu magno & undoso, descendendum est ad particulares anginæ species materię ratione cognoscendas. Cum enim quatuor sint in nostro corpore humores, ab unoquoq; fieri potest angina, quæ à calidis humoribus facta periculosior est, à frigidis minus periculosa. Si à sanguine fiat hic abscessus, qui inflammatio tunc propriè nuncupabitur, aderit faciei rubor, & oculorum cum quadam plenitudine, ut uideantur ferè materia pleni, lingua ipsa rubra est, & sapor quidam dulcis persentitur, quem recentes & Arabes uino comparant. Intellige uero hanc comparationem fieri uino dulci, & non uino simpliciter. Dolor uehemens est, & partes affectæ ob copiam sanguinis fluentis mire extenduntur. semper enim cum à sanguine fit, alijs peior est, & in hac est pulsus magnus undosus. Calor in ore magnus, si in manus tuas anhelet, spiritus ualde calidus persentitur, & hi mire periclitantur, quamuis sanguis sit mitissimus humor. cum hæc indicia apparuerint, statim iudica anginam à sanguine esse factam.

Si uero à bile fiat angina, signa illa apparent quæ ab Hippocrate Sectione trigesimaprima posita sunt, in ore mordicatio sentitur, & partes à bile tactæ ulcerantur, fitq; orthopnœa, multa siccitas in ore habetur, partes intrinsecæ uisu tumidæ non apparent, tendines ceruicis posteriores contenduntur, & tetani modo intendi uidentur, uox abrupta est, & spiritus paruus, & eius reuulsio frequens & uiolenta accedit, arteria ulceratur, pulmo accenditur, externum aerem admittere intro nequeunt, & fauces ac maxillæ inflammantur, ut in secundo de morbis dicit in secunda anginæ specie.

Addunt recentiores, hunc habere magnam tristitiam. quod ab Auicenna sumitur, & rationem reddunt, quia æger interius inflammationem sentiens, peius se habere putat, unde tristatur, tamen & in sanguineam calor sentitur, & maior anhelitus difficultas, propterea debet & in illa tristari. unde hoc non esse signum biliosæ anginæ credendum est. tamen si anginam à bile factam, sanguineæ anginæ comparemus, sanguinea in uno deterior est, quia facit abscessus, qui in tumorem eleuantur, sed biliosa tumorem non facit. propterea Hippocrates de biliosa loquens probe, dixit, Quæ intuenti apparent nequaquam tumentia uidentur. Galenus exponit, quæ apparent aperto ore tumentia non uidentur. in sanguinea apparet tumor, propterea aptior est ad suffocationem, quia spiritus, uel cibi uiam claudit, tamen quantum sit de mordicatione, de inflammatione, & calore, biliosa est longe peior. biliosa quoq; si intrinseca fuerit, oris amaritudinem inducit, & lingua efficitur lutea, imo & hi uigilant, & aliqui non nunquam ex bilis ebullitione, & cerebri compassione furibundi fieri uidentur, & in ore ignea quædam uidetur rubedo. Cum hæc signa in angina affecto uidebis, à bile esse iudicato. Hippocrates, uel huius libri author multa prætermisit biliosæ indicia, ut consideranti apparet.

Si autem sit angina pituitosa, illa habebis indicia, quæ ab huius libri authore superius posita sunt. nempe permeationes spiritus obstruentur, suffocabuntur, liuente lingua, atq; in rotundum acta, flexaq; propter eas quæ linguæ subduntur uenas. tamen plura alia sunt indicia, quæ hic author prætermisit. Id tamen notare oportet fieri posse & ob salsam pituitam & ob non salsam, quæ ita distinguuntur. Si à salsa fiat pituita, manifesta sentitur in ore salsedo, & caliditas quædam cum glutinositate. Si uero à pituita non salsa fiat, præter dicta indicia additur ab Hippocrate in secundo de morbis linguam & palatum mollescere, & liuescere. est etenim albicans lingua & palatum, sitis non multum molestat, & inflammatio est parua, imo in tota facie albedo quædã uidetur, & nonnunq̃ est cũ pauco dolore, nonnunquam cum mediocri. Et Auicẽna notat posse esse absque febre, quando pituita non putrescit. unumq; addit, in pituosa angina raro contingere, q̃ amygdalę sint plenæ. & ratio in promptu est, quia materia pituitosa non attrahit, ut attrahit biliosa calida, neque adest dolor attrahens, propterea materia ad locum læsum non decurrit, & hoc anginæ genus longum est, ut reliquæ etiam sunt pituitosæ ægritudines, ueruntamen ex pituita raro fit, sed pro maiori parte ex humoribus calidis.

Vna tamen consideratio prætermittenda non est, an in pituitosa deglutitio impediri possit, quia, ut Auicennæ placet, deglutitio non impeditur, quoniam quod deglutitur non transit supra rem duram, sed supra rem mollem. at anginam habens calidam, partes habet tensas & duras, propterea deglutire nõ potest. Respondemus, si angina sit in gula, omnino deglutire non posse, si abscessus sit magnus. at si in gutture sit, aliquo quidem modo offendetur deglutitio, sed non impedietur.

Adde, in pituitosa angina sputa supra modum abundare.

At quædam est in pituitosa ambiguitas, an alijs salubrior sit, ut recentes censuere, & materiei crassities ambiguitatem facit, quæ facilius meatus occludere potest, quàm faciant materiæ tenues. Respondemus, id profecto uerum esse pituitosam anginam esse alijs salubriorem. potestq; ex Galeno ratio sumi Sectione trigesima, ubi fluxionum distinctionem ponit, inquiens, aliquas esse crassas, aliquas tenues, & tenues penetrare ad minimas uenas & capillares, & in omnes artus, sed materia crassa arctiores uenas non ingreditur. idcirco ut plurimum est in musculis extrinsecis, unde materia crassa, per uenas ampliores tantum penetrat, & tantum est in faucium musculis. at illa quæ ex tenuibus fit humoribus, in gutture sit, quia gutturis uenæ sunt arctiores, faucium autem uenæ sunt ampliores.

Adde, non facere dolorem, uel esse mitem, propterea tantam materiæ copiam non attrahere, neque uires deijcit, quas dolorificæ affectiones deijcere solent. at angina ex calida materia & dolorem facit, quo uires deijciuntur, & multæ in locum materiæ attrahuntur.

Tertio, ex materia calida febres acutiores fiunt, quàm ex frigida. in acutis autem febribus aerem attrahere cogimur, qui ob impedimentum attrahi non potest, & hinc partes magis igniuntur, neque quo refrigerentur habent, sed in pituitosa hoc necesse non est, sed tanto non indigent aere, neque ignitur, neque affectæ partes igniuntur. unde Galenus in calce decimaoctauæ commentationis tertij prognosticorum, nullo pacto hunc morbum esse acutum iudicauit.

Sed ex adducto Galeni loco ambiguitas oritur, quoniam Auicenna Galeno contradicere uidetur. nam Galenus in commentationis fine de angina agens pituitosa dicit, Quòd si φλεγμονὴ φλεγματώδης, id est, inflammatio pituitosa infestet, celerrime discutitur, nec ullo pacto acutus hic morbus est. Auicenna uero præcitato loco dicit, pituitosam elongari quadraginta diebus. Sunt uero opposita celerrime discuti, & ad quadraginta dies elongari, uideturq; Galenum contra rationem loqui, nam pituitosi morbi lõgi sunt, ut ipsemet sexcentis in locis testatur. Pro horum authorum conciliatione scire oportet, materiam pituitosam esse in duplici differentia: quandam esse tenuem, aliam crassam. Angina ex materia pituitosa tenuis celerius sanatur, quàm aliæ quæ uel ex sanguine, uel bile fiunt, & de his loquitur Galenus. & Auicenna ipse dicebat, pituitosam anginam esse ualociorem sanatu. At illa quæ fit ex crassa, & glutinosa pituita diuturnior est alijs. de hac Auicenna dicebat, ad quadraginta dies peruenire.

At dicet,

At dices, tenuem pituitam esse semper sanguine atq; bile crassiorem. igitur ex quocunque pituitæ genere facta sit angina, semper erit diuturnior, quàm ea sanguine, uel bile facta. Respondemus, si esset pituita aquosa, forte esset tenuior sanguine & bile. tamen hoc dici non potest, præsertim si & tenuis sanguis sumatur.

At dices, saltem est frigidior, sed à frigidiori materia morbi sunt diuturniores. Respondemus, Galenum non dicere celerius discuti, quàm aliæ anginæ, sed simpliciter dicere, celerrime discuti. quod intelligendũ sit in suo genere. Verũ hæc solutio ad rem nihil facit, quoniam de alijs anginæ speciebus ex materia calida factis loquebatur, statimq; de pituitosa pertractat. unde hoc qđ dicitur celerrime, ad aliarum solutionem, quæ non celerrime soluuntur, referri debet.

Dubitandum præterea est, quia superius ex Galeno pituitosam alijs salubriorem esse probantes. rationem hanc reddebamus, quia pituita crassa ad tenues uias permeare non potest, & ad gutturis capillares uenas & arctas. uerum si ex tenui pituita fieri intelligeremus, posset & ipsa ad arctas gutturis uenas penetrare. propterea non erit differentia absoluta & simplex inter anginam ex pituita factam, & ex calidis humoribus.

Forte & addes, in Galeno contradictionem esse, quia inquit, celerrime discuti. postea addit, nec ullo pacto acutus hic morbus est. at si nõ est acutus, quõo celerrime discutitur? qa morbi qui non sunt acuti celerrime non discutiunt. Respondemus, intelligere non esse acutum quo ad suffocationis symptomata, non quo ad tempus quo perdurat affectio.

Ad rem uero redeuntes, pituitosi affectus simpliciter tardius sanantur biliosis & sanguineis. iccirco Galenũ hoc modo intelligendum ducimus, pituitosam anginã citius sanari, qa fit in locis extrinsecis, & fit in locis amplis, neq; ad gutturis uenas penetrat, unde possunt adhiberi morbo medicamẽta, ꝓpterea à Galeno dicitur τάχιστα θεραπεύεται, id est, citissime curatur, ob affectus situm. unde Galenum intelligimus hæc referre ad curationem. At si & ex calida materia angina, & ex pituita in eodem sint loco, semper celerius discutietur quæ ex calida fit materia, quàm quæ ex pituita.

Et adde, considerato suffocationis symptomate dici posse, pituitosam citius sanari, quia morbus pituitæ ad anginæ locum non est subitus, sicuti motus bilis uel sanguinis, propterea celerius occurri potest suffocationi à pituita factæ, quàm à sanguine uel à bile, cum hæ suffocationes repente fiant. pituitosa uero materia lente mouetur, & ad partes quæ suffocare non possunt, cum utplurimum extrinsecæ sint.

An uero ex atra bile angina fieri possit, dubium est apud authores, & profecto fieri non posse multi arbitrãtur, quia atrabilaris materia de membro ad membrum non mouetur, & est motui inepta.

Adde, mirum uideri Hippocratem & Galenũ illius nihil meminisse, nam de biliosa solum & calida, atq; pituitosa loquuntur. Tamen nos dicimus, fieri posse & ex atra bile, sicuti & in omni alio membro fieri potest ex atra bile tumor. nec obstat quòd dicunt atram bilem de loco ad locum, & de membro ad membrum moueri non posse, quia & atra bilis mouetur, sed paulatim & ineptius. neq; obstat quicquam quin de membro ad membrum per uenas dimoueatur, & in locũ aliquem colligatur. ueruntamen hoc rarius continget, & potius in parte extrinseca, quàm intrinseca. At praua iudicatur hæc angina ab Auicenna, & profecto difficilius commouetur, quàm facta à pituita & à materiebus calidis. cognoscitur uero, quia facies quodammodo nigrescit, uel in pallorem quẽdam subnigrum inclinat, & in ore persentitur quidem aceti gustus. & cum sæpius in extrinseca fiat parte, tactu abscessus durities persentitur. Adde hanc anginæ speciem paulatim fieri, & aperto ore subnigredo quædam uidetur, uel subuiriditas.

Hæ sunt anginæ species ex humoribus, & præscripta fuere earũ indicia. angina uero ex uertebræ intro luxatione, uisu & tactu percipitur.

Petes uero, quomodo cognoscentur anginæ tempora? Respõdemus, cum suffocatio, & anhelitus difficultas, ac transglutitionis augentur, anginæ augmẽtum est. cum in extremo sunt hæc symptomata, & amplius non augentur, consistentia est. cum symptomata remittuntur, inclinationem esse constat. Scire tamen oportet cum in angina & guttur & gula nonnunquam exulcerentur, fieri potest ut sit morbi inclinatio, tamen & anhelitus, & transglutitionis difficultas augeantur ob hanc in his partibus exulcerationem, tamen & febris & alia cessabunt. tempora uero noscere necessarium est, ut quæ agenda sint per tempora efficere possimus.

Hic uero non ab re petes, in quo genere sit transglutiendi difficultas, cum ex uehementi calore febrili adeo gula exiccatur, ut æger transglutire nõ possit, an hæc sit angina, nam & anhelitus redditur difficilior, & adsunt anginæ indicia. Respondemus, ad anginam quidem deduci posse, uerum & ad conuulsionem ex inanitione deducitur, nulliq; euadunt, uel rarissimi, qui tali conuulsionis genere detinentur, nam difficulter deglutiunt, & id quod descendit, uidetur ueluti per cannam descendere & arctum canalem, præsertim si liquida res sit. unde Galenus Aphorismo. 35. quarti libri notat, si propter excedentem siccitatem id accidat, & collum uerti, & uix posse deuorare, letalem esse casum, & præcipue cum uehemens est febris. uideturq; hoc ferè enumerare inter anginæ genera. Neminem ad hoc usq; tempus superuiuere uidimus, & sunt uigintisex anni quòd artem neq; inglorie exercemus, qui illa notabili siccitate detineretur. Vidimus profecto qui ex aliqua illius partis siccitate sunt sanitati restituti. & superioribus diebus Illustriss. & excellẽtiss. Ducissam nostram Renatam Gallam in curatione habuimus, cui nisi opem attulissemus, obijsset prorsus. at præsidijs prohibuimus, ne in illam extremam siccitatem deueniret. Hæc uero siccitas si angina sit dicenda, erit absq; materia, & ex consequenti ab his distincta quæ ab aliquo humore sunt factæ.

Tibi ergo angina captus occurrat, à quocunq; fiat humore, quodnam erit primum præsidium exercendum? Scito à medico statim & primo considerandum esse quonam modo possit auferri causa, eamq; auferre, quæ per euacuationem auferetur. Duplex uero est euacuatio: per uenæ sectionem, & per medicamentum. uerum à uenæ sectione inchoandum est.

Sed inquies, quomodo à uenæ sectione inchoandum si biliosa fuerit, uel pituitosa, uel atrabilaris? nam hi humores medicamento potius educuntur, quàm uenæ sectione. igitur in omni anginæ specie à uenæ sectione inchoandum non est, & ab omnibus ferè recentioribus uno ore dicitur: Si à sanguine fiat, uenæ sectionem præcedere oportere: si à bile, pituita, uel atra bile medicamentum. Estq; eiusdem sentẽtiæ assertor Mesue, qui canonem posuit: Si à sanguinis plenitudine oriatur à uenæ sectione incipiendum esse. si uero à multitudine sanguinis & multiplicetur bilis, censet præponendam esse euacuationem, quæ bilem educat. & ratio in promptu est, quia in sola sanguinis multitudine, uel plethora, sanguis educendus est.

Nos uero simpliciter dicimus, si ætas & uires consentiant, in omni anginæ specie uenam secandam esse, quia morbus est magnus & uehemens. hocq; à Tralliano notatur libro primo capite quadragesimoprimo, ubi inquit, In quacunque anginæ specie, si uires patiantur, primo à detractione sanguinis per uenas necessario est auspicanda curatio. & Paulus Aegineta libro tertio capite uigesimoseptimo, cum iusserit deploratos esse dimittendos, de alijs inquit, Cæteris uero confestim uena cubitus aperienda est. simpliciter uero de omnibus anginosis loquitur, modo deplorati non sint, & tamen in omnibus iubet uenam secandam, & statim ab hoc præsidio exordiendum. Aetius præterea libro octauo capite. 47. ex Archigene de omni angina agens dicit, in principio igitur compendiarium & præceps auxilium omnis angina reg-

rit, quandoquidem ut in totum ferè iuuenibus accidit. itaque è uestigio cubiti uenam eius incidere oportet, nisi quiddam maioris periculi impediat. simpliciter igitur in omni anginæ specie uenam secandam esse fatemur, etiam si à pituita, uel à bile fiat. neque illi innitendum, q alìæ materiæ præter sanguinem per medicamentum euacuari debeant, qa id uerū est ubi morbus non fuerit uehementissimus, & medico ac ægro inducias præbuerit. imo & Galenus in libello de curandi rõne per sanguinis missionem, censet non solum mittendum esse sanguinem cum morbus ēst magnus, sed cū futurus est magnus, licet tunc sit paruus. imo & in sanis mittendum iubet, qñ morbos incidere debeant. morbosq; enumerans, in qbus simpliciter sanguis mitti debeat, in his inqt mittendum esse qui ꝯsueti sunt incidere anginam. tu ex his ꝑpende si in ipsa angina mitti debeat. & de angina simpliciter loqtur, non de illa sola quæ fit à sanguine facta. censetq; sanguinem auferendum morbo comitiali obnoxijs & melancholicis. imo & in. 13. Methodi in apoplexia sanguinem aufert, qui morbus ex materia pituitosa constat. idq; facit, qa magnus est morbus, & ut natura quę ad locum læsum omnes inferiores humores transmittit, diuertat. & in lethargia sanguinem mittit, non ob humorem peccãtem, sed ob morbi magnitudinem. nã in lethargia abscessus adest, qui dolorem parit, ad quem materiæ decurrunt. fit autem uenæ sectio, ut harū materierū decursus impediatur. idem in frigidis anginæ speciebus dicendum est, qa abscessum faciũt. inde fit dolor, & uena secanda, ne saltem aliæ materiæ transmittãtur. imo cum illæ materiæ sint sanguini mistæ, ut euacuentur, Razes quoq; inter Arabes in. 3. continentis palàm censuit in omni anginæ specie uenæ sectionem exercendam, & Iudęum quendam reprehendit hoc ꝓhibentem, qui & Mesuem reprehendere potuisset, si ante ipsum scripsisset. imo & hoc addito, cum angina quælibet deglutitionis habeat difficultatem, difficilius est dare medicamentum, q̃ uenam secare. ꝓpterea in omni anginæ specie (nisi aliud impediat) uena secãda est. hocq; fatetur Aliabas, monetq; secandam in principio uenam, neq; esse expectandum. Celsus præterea in idem collimat libro. 4. capite. 4. inquiens, Quicquid est, si uires patiantur, sanguis mittendus est.

At petes, qd ad Hippocratem dicendum sit, qui in. 2. de morbis anginæ species enumerans, & curationem sectionis uenæ nihil meminit, sed solum de cucurbitula apponenda mentio fit. Respondemus, Hippocratem cucurbitulas apponi iubere post uenæ sectionem. nam supponit uenæ sectionem iam esse factam, postea cucurbitula supra primã uertebram apponat. At petes, an possit à cucurbitula supra primam uertebram incipere curatio. Respondemus, si curatio in illo loco à posiriore cucurbitulæ inciperet, plus materia traheret in locum, cum nulla pręcessent euacuatio, q̃ auferretur. iccirco curationem à cucurbitula exordiri non debemus.

Ambiguitas tñ occurrit de modo extrahendi sanguinẽ, an una uice trahi debeat uel pluribus, & de q̃titate sanguinis euacuandi. Respõdemus, Galenũ sanguinẽ mittere usq; ad syncopim, exclusiue tñ, & sili Auicẽnam, modo æger imbecillis nõ sit. at si robustus sit, ad syncopẽ usq; educat. Paulus Aegineta de hac sectione ait, uenam cubiti aꝑiendam, & euacuandum quidem nõ affatim, cumulatimq;, sed sensim & pedetentim, in futurū tempus subinde partem bene magnam rejcientes administrantes'ue. nam cum præ uiolenta & immodica inanitione in animi deliquium cadunt, suffocationis periculum superuenit, confluente ubertim in affectam partem materia. A' Tralliano etiam dicit primum à detractione sanguinis per uenas necessario auspicanda est curatio, neq; uero ea largior statim imperanda, neq; semel modo ac iterū uena secanda, sed exhor sanguinis demissio una qdem uice, subinde uero iterata, probanda est. Aetius & ipse eandem sententiam sequtr, inquiens, utilis autem est eis repetita detractio in sequenti die, nisi præpediat ægri timor, aut animi deliquium. Vnum uero notare oportet, non solum Aetium uoluisse perciendam esse uenæ sectionem, sed neq; esse magnam sanguinis copiam extrahendam, ne animi defectio sequatur. nam hi qui anginam patiuntur, citius animo linquuntur, & alìàs sane ex refrigerationibus & animi defectione ꝑfacile materia à faucibus ad pulmonem defertur, & ineuitabile periculum infert. Curandum etiam ut modica fiat uenæ diductio, nam cum in alijs, tum in magnis uenæ diductionibus acertatim animi defectus irruit.

At inquies, si uenæ sectio usq; ad animi defectum fiat, quomodo materia ad pulmonem progredi poterit, quia per uenæ sectionem euacuabitur? Respondemus, totum nunquam euacuari, ꝓpterea illa quæ remanebit uiro imbecillitato, descendere poterit. ut in summa hi Græci non educant sanguinem una uice, quantum satis est, sed per uices parum educunt.

At Galenus non uereretur usque ad animi defectum ducere. nam cum est uehemens angina, inducias non præbet, ut medicus ad uesperam usq; expectet, uel ad alteram usque diem, sed cito expedire opus est. iccirco in robusto homine cum angina uehemens est, usq; ad animi defectum sanguinem ducere conuenit. Itaque Galenum fecisse putamus, qui in magnis morbis id fieri docet, & in magnis doloribus, ac ardentissimis febribus. tñ & ipse quoque notat, uires debere esse robustas. Anginam uero magnum esse morbum & sæuissimum nullus ambigit, propterea apud Galenum sanguis in uehementi angina usq; ad animi defectum mittendus. Paulus uero, Aetius, & Trallianus in imbecilli homine loquuntur, uel erat id præter consuetudinem illorū authorum temporibus. Nos uero usq; ad animi defectum nunc non iubemus sanguinem educere, tum quia nostro tempore non fiunt hæ sanguinis eductiones, tum qa fugiuntur ab ægris medici qui illas exercent. tamen in magna copia sanguinem educi iubemus, ut nonnunquam ad duas libras, & supra etiam ꝑuenerimus, semperq; egregie successit. neq; hæc dicimus ut qspiam hãc regulã educat. nam uidimus & in defectum animi incidisse nonnullos quandoq;, quibus sola sanguinis uncia exiuerat, imo & quibus solum sanguis post incisionem eruperat.

Id uero prætermittendum non est qđ à Tralliano notatur, in uenæ sectione non esse faciendam uenæ incisionem angustiorem, ne sanguis uelut ꝑcoletur, & crassior eius pars intus remaneat, quæ huius affectionis causa existit. Fuit & eiusdem sententiæ Auicẽna, euacuationem fieri oportere usq; ad animi deliquium in uire robusto.

Hic uero non mihi tempero, quin errorem quendam recentiorū Auicennam non intelligentium, enarrem, cum Auicẽna dicat, in imbecillo non esse subito trahendum plurimum sanguinis, sed sumantur in omni hora decem & decem usque ad diem tertiam cum separationibus continuis. hi intelligunt ut in omni hora diei extrahantur decem. at qa dicere, extrahi decem esset nimis in uncijs, ꝓpterea intelligunt singula hora extrahendas esse decem drachmas sanguinis, ut in uno die duodecim horarū extrahantur centum uiginti drachmæ sanguinis, quæ sunt quindecim unciæ. sed hoc non censet Auicenna, cuius sensus est, q in omni hora decima usq; ad diem tertium extrahatur sanguis. sanguinis uero pondus non refert, sed parū sit quod educitur, & singulis decem horis aliquid auferatur. Ambiguitas uero est de loco primo à quo debet sanguis educi, quia recentiores nonnulli censuere ex oppositi lateris saphena incipiendam esse uenæ sectionem. ratioq; in promptu uidetur, præsertim in initio, quia materia à longinquioribus mouetur partibus, & in locum læsum tendit, unde prius magna diuersione indigemus, postea diuersione & euacuatione, quæ fit per uenam brachij oppositi, deinceps sola euacuatione indigemus, quæ ꝑ uenã brachij eiusdem lateris fit. Nos autem dicimus, id affirmari quidem posse si in principio motus materiæ uocaremur. sed cum ad ægrum accitur medicus, abscessus iam factus est, & materia pro parte confirmata. propterea cum Hippocrate & Galeno hic dicamus, uenæ sectionem ex utrisq; brachijs fieri debere, si hic sanguis abundet, primo ex opposito, deinde ex illo eiusdem lateris

si uero

si vero sanguine non abundet, fiat ex eiusdem lateris brachio ex vena humeraria, imo in eodem brachio posset primo fieri ex axillari tanquam ex communiori, postea ex humerali. Aetius cubiti venam incidendam iubet, & Trallianus inquit noli vero auertendi causa, aliam quàm ex affecta parte venã pertundere, verum si parte dextera dolor magis excruciat, eodem statim latere vena ter quaterve vt dixi non copiose soluenda est, & Paulus inquit vena cubiti aperienda est, tamen non determinat latus, sicuti neque Aetius, determinauit vero Trallianus, & profecto eiusdem lateris vena secanda est, quãdo non fuerit hic valde plenus, imo si sit valde plenus, primo erit vena axillaris secanda postea humeralis, cum enim periculũ imminet ab ea inchoandum est vena quæ magis directe & propinque euacuat, quoniam hic morbus inducias non præstat.

Verum cum angina fiat, & ob materias à capite distillantes, & quæ in collo collectæ sunt, et ex materia quę ex partibus infernis ad locum illum læsum sursum ascendit: dubitare oportet si aliqua sit mulier quæ ob mensium defectum anginã inciderit, à qua vena mittendus sit sanguis. Respondemus in hoc casu mittendũ esse sanguinem à vena tali eiusdem lateris, quia menses prouocabuntur, & materia diuertetur, ac euacuabitur. Simile est si quis sanguinis profluuium per hæmorrhoidas habere assuetus sit, & cessauerit, anginamq; inciderit, tunc secanda est tali vena, imo & postea prouocãdæ hæmorrhoides vel re aliqua acri, aut hirudinibus, hi etenim casus variare faciunt curationem, poteris apud Trallianũ alios similes casus legere. Factis his in brachio, vel in brachijs venarum sectionibus, ut materia euacuetur, ac diuertatur, quæ anginã facit, petendum est, an statim venæ secandæ, quæ sub lingua sunt: nam Hippocrates hic dicere videtur, post venarum brachiorum sectioné, mox venas sub lingua secabis. Respondemus si necessitas immineat, & vix spirare possit, expectandum non est, sed statim incidendæ quæ sub lingua sunt venæ, vtpote illæ quæ materiam è faucibus euacuent, vt Galenus in commentatione testatur. Omnes authores in hoc cõueniunt quòd venæ sub lingua incidẽdæ sint, & vtræque non vna sola. En Paulus dicit venæ quoque sub lingua secandæ sunt, Trallianus vero notat si nullum impedimentum obstiterit, sub lingua venã vulnerare expedit, & hoc eadem die, imo eadem hora faciẽdum, nam addit Trallianus idq; protinus faciendum esse, inter morbi initia primo diè, quoniam nõ sine magno discrimine procrastinabitur. vnde vt medicus exigentiam & necessitatem videt, ita debet accelerare ad has venarum sectiones, quæ sub lingua sunt. At forte dices si venæ illæ quæ sub lingua sunt non appareant, quæ venæ tunc secandæ erunt? Respondemus raros esse in quibus non appareant. Cum vero non apparent, is qui secat, digito persentire debet vbi sint, & vt inueniat, scalpellum profundare. nam in omnibus insunt nisi monstra sint. At dices si non inuenirentur? Respondemus Trallianum notare se vidisse ægrum quendam ad integram sanitatem redactum, venis sub faucibus incisis, quæ à Græcis σφαγίτιδες dicuntur, cum illæ sub lingua ad manum non essent, neque inueniri possent. Petes an sit necessarium vtrãq; venam aperire. Respondemus imo, quia non multum exhauriunt sanguinis. At petes si non inueniantur venæ sub linguam an vtræq; sphagitides sint incidendæ. Respondemus cũ sphagitides possint plurimum sanguinis emittere, vtrasque incidere necessarium non est, nisi fuerit tam magna necessitas, vt de propinqua morte ômeamus, Aetius venas incidit frontis, & circa magnos oculorum angulos.

Post hæc ne ad medicamenta transeamus, priusquam omnia nouerimus quæ ad sanguinis eductionem spectant, de cucurbitulis apponendis considerandum est. At cum medici in cõmuni vsu cucurbitulas in principio apponere soleant, dubitare poteris, an in principio poni debeant. Scito nos in præsentiarum de cucurbitulis loqui, quæ supra humeros ponuntur. nam de his quæ sub mento & supra ceruicem applicantur, postea loquemur. Dicimus igitur anginam vtplurimum fieri à materia à capite descendente, tamen quandoque fit à materia quæ à partibus infernis ad supernas ascendit. At in principio si cucurbitulæ apponantur, possent materiam quæ iam in fluxu est violenter ad locum affectum trahere, & repente hominem suffocare, potissimum quando angina fit ex materia à capite defluente, & non à partibus infernis ad supernas ascẽdente. nam hæc angina à materia ascendente facta, in initio cucurbitulas fert. vnde & Trallianus de cucurbitulis loquens inquit illud hoc loco ignorandum nõ est quòd in hac faucium affectione scalpello scarificandum, & cucurbitulis appositis sanguis necessario trahendus est, cum videlicet materia decumbens consistit, plenitudineq; omni non tam caput, quàm vniuersum reliquũ corpus planè destituitur. vnde putat cum materia decurrit ac fluit, admouenda esse quæ reprimant, & quæ humores exhaurire, & è medio profligare nata sunt. At cum quiescit materia, adhibenda quæ digestionem & euaporationem faciant, vt cucurbitulæ, fomenta, emplastra, & cataplasmata. Aetius quoque post vniuersalem euacuationem cucurbitularum vsum laudat. At dices si cucurbitulæ in initio non conueniant, nec materia ad locum affectum vbertim trahatur, eadem ratione non conueniet venæ sectio, quia & vbertim in locum trahetur. Dicimus non esse æqualem rationem, quia cucurbitulæ de eo quod defluit non euacuãt, sed solum quod propinquum est euacuant, & quod longinquum est in locum trahunt. At venæ sectio & diuertit & euacuat, præsertim quando est plena sectio.

De cucurbitula vero in angina loquentes dicamus, duplicem cucurbitularum appositionem reperiri apud authores. nam Hippocrates in secundo de morbis cucurbitulam apponit supra primam ceruicis vertebram, & eandem ponit Aetius retro sub colli neruo iuxta primum verticulum, & cõstanti attractione vtendum, & frequentius cucurbita auellenda, idem Aetius & sub mento cucurbitulas apponit, quando tumor in illa parte fuerit. Notare oportet si affectus in gula sit, vel in posteriori faucium parte, cucurbitulam supra primam spondylem poni debere, si vero in gutture sit vel in faucibus, in anteriori parte debet poni cucurbitula sub mento. Etsi petas an incidantur? Respondemus incidi, licet Hippocrates hoc non referat. Celsus quoque cucurbitulam ponit sub mento & circa fauces, Aetius ea Archigene refert multum sanguinis esse trahendum, hoc vero intelligendũ est factis euacuationibus vniuersalibus. Scitoq; cum & absque angina quispiam deglutire non potest, iubemus apponi cucurbitulam supra primã spondylem, idq; proficit. nam minus inepte deglutiunt. Nos quendam vidimus in materiæ defluuio cucurbitulam magnam supra caput apponentem, quod probamus in initio quando materia fluit, sed difficulter inhærebat, tamen & inhærebat denique & attrahebat.

At quia reperitur apud antiquos in angina dictum scalpello, vtendum ut Trallianus dixit scalpello utendum & cucurbitulis: propterea huius scalpelli modum quæres & vsum. Scito cum tumorem videbant, vel sub mento, vel circa maxillas ut Aetius notat, tunc scalpello partes illas pungebant cucurbitulas supraponentes, uel etiam absque cucurbitularum appositu, ut in poplitibus fieri consueuit, nobis magis arridet ut primo supra locum cucurbitula apponatur, postea scalpello utamur, deinceps iterum cucurbitula supraponatur, imo etsi angina intus fuerit hoc modo ꝓcedere oportebit. Idq; notare oportet, inter scissuras antiquos salem posuisse, ut uehementior dolor induceretur, & materia quæ intus est, extra moueretur. unde Aetius dicit sale conspergendas scissuras & confricandas, Paulus mento & collo hirudines & cucurbitulas applicabat.

Id uero considerare oportet, quod à Paulo notatur, hoc quãdoq; linguã habere tumidam & exertam, Cum aũt ope chirurgica indigeat hic casus, petes, quid tũc agendum sit. R̃ndemus cum Paulus dixerit venas sub lingua secãdas, addit aut lingua etiam ipsa si exerta magis, aut infrenatior uideat incidenda est.

ne putes uenam esse abscindendam, sed est scarificanda, ut materia quæ illam implet exeat. Ob hoc Auicenna dicit, et aliquando necessaria est scalpellatio linguæ ipsius.

Duo sunt adhuc consideranda, quæ ope chirurgica indigent. unum est apud Hispanos in maximo usu, & apud nonnullos Gallos ac Germanos. s. scarificatio quam supra tibiarum pulpas faciunt. Aliud, ubi q; fieri potest. est uero gutturis incisio uel gulæ cum abscessus in ipsis fiunt, quãtum sit de incisione circa crura, & scarificatione, & cucurbitularũ appositione. profecto diuertunt hæc, sed à lõge, & cum maximo tempore. in angina uero expectatione non indigemus, propterea frustra hæc fieri putamus, in initio potissimum, cum opus sit maiora exercere. tamen aliquid proficere inficias non imus, et esse diuersionem. tamen Hispani in uarijs affectibus crurum scarificationibus utuntur, post uniuersalem uenæ sectionem. in angina hanc scarificationem fieri probamus. Scitò q; hunc usum non dici esse apud Hispanos, & Gallos, quia suos non habeat authores, & quo in alijs affectibus eo non utantur.

De hac scarificatione cum cucurbitulis mentionem facit Auicenna inquiens, & necessariæ sunt uentosæ cruris, quoniã conferentes sunt ualde. imo & inter Græcos Ruffus de angina loquens notat, si quandoq; ob aliquam causam uenæ sectio fieri non possit, cucurbitula tibijs & pulpis crurum uel coxarũ apponenda est, & magna sanguinis copia extrahenda, nam hoc modo affectio statim leuabitur. Aliqui cucurbitularum loco & cruribus et coxis hirudines apponũt. Scito autem cũ angina ob retentos menses facta est, uel ob retentum sanguinem hæmorrhoidarum, tunc hoc præsidium conuenit, & sanguinem ad sua cõsueta loca trahit. secus est si angina sit ex destillatione à capite, hoc præsidium est longissimũ, uena prope poplitem est hirudine aperienda, quæ à supinis partibus directe descẽdit.

De sectione autem gulæ uel gutturis pertractandum est, cum angina in gula est, & totum foramen ab abscessu impleatur, ut homo deglutire non possit, anhelitus quidem impeditur, sed transglutitio prorsus aufertur. in hoc casu gula incidi non debet, neq; potest incidi, nisi prius guttur incidatur, & homo pereat. idcirco alijs præsidijs tunc uti debemus quæ euacuent, & quæ materiam in loco existentem resoluant, & quæ illam ad loca propinqua deriuent.

Petes uero si contingat hominem nihil deglutire posse per septem uel octo dies, quid tunc agendum erit? Respondemus, hunc, odoramentis & suauibus, & carnis alendum esse, nam & fumus ille carnia roborat spiritus in indigentia, & apponẽdi sunt clysteres, qui corpus nutriãt, sed hoc ordine ut primo clysterem imponas ex mulsa, & oleo et sale, quo feces educantur, uel sit aliter clyster ex uocatis communibus, postea imponi iubeto sequentem clysterem, qui nutrit.

| | | | |
|---|---|---|---|
| ℞ | Iuris optimi caponis, | lib. | j. |
| | Vitella ouorum recentiũ, | nu. | iij. |
| | Cinamomi, | scrup. | j. |

Misce & imponatur.

De illis uero ouorum uitellis an debeant primo coqui, uel crudi imponẽdi sint? scito debere coqui adeo ut oua sint τρομά τα. i. tremula. nam naturalis calor illa facilius coquit, quæ iã cocta sunt. Cinamomum apponitur, ut penetrare faciat, & quia natura illud appetit.

At dices non uideri clysteres posse nutrire, quia neq; uentriculum ingrediuntur, neq; iecur.

Sed aliam ingrediamur difficultatem, & clysteres. s. ad uentriculum perueniant, de qua supius abunde locuti sumus, & sm Gal. ꝓbauimus clysteres q̃nq; ad uentriculũ usq; pertingere. uerũ cũ sm Galenum in non praue affectis ad ieiunũ usque peruenire possit, & multæ sint meseraicæ in hac intestinorum parte ante ieiunum, in necessitatibus ac indigentijs, natura ab his uenis iecur attrahere facit quicquid habẽt. & si res sit quæ nutrire possit, illam in sanguinem conuerti, & membra eo nutriuntur.

At dices, in hoc igitur casu trahet ius, & oua mista? Respondemus, horum partem trahere.

At dices, quomodo in sanguinem cõuerti poterunt, si prius nõ sunt in chylum conuersa? Respõdemus, in hac indigentia non transmutare in sanguinem penitus, sed in id transmutat quod potest per aliquod tempus nutrire. imo nec pituita est chylus, tamen & ipsa in his indigentijs ac necessitatibus in sanguinem uertitur. Nos religiosam in synanche per spatium nouem dierum clysterijs solis uiuam seruauimus, & ab ægritudine incolumis euasit. cum uero & uinum in sanguinem facile uertatur, iussimus (non enim uehementer febriebat) ut oua in optimo uino decoquerentur, & clyster ex eo liquore apponeretur. habemus ergo cum gula est obturata, modũ ut homo seruetur, etiam si per aliquot dies deglutire non possit. At si angina in gutture sit, & abscessus sit adeo magnus ut pulmonis cannam obturet, unde homines suffocentur, quia spiritus haberi nõ possit, cum factis egregijs præsidijs adhuc suffocentur, & cum nõ sit alter locus, quo cor ipsum euentare possimus. nam transpiratio quæ est in tota cute non est satis, propterea guttur sub abscessu incidere oportet, ut per id foramen aer capiatur et expiretur. Nos his manibus incisionem fecimus in uno qui iam iam expirasset, magistro Sancto tonsore nõ audente, & sanitati restitutus est. Alphõso Illustrissimo Duci Ferrariæ tertio uisa est res hæc adeo ardua, ut dignatus sit ægrum illum uisitare, & foramen uidere. tamen & fit apud Arabum sectatores, & facta fuit huiusmodi incisio ab antiquis Arabibus, q̃q; nonnulli illam abhorruerint. & fuit in usu apud Græcos. nam Paulus lib. vi. cap. xxxiij. illam ponit, & incidendi modum ex sententia Antilli. Rasis in tertio continentis huius scissuræ modum docet. iubet in primis gutturis superiorem cutem ex cor?dam & utrinque alligandam, postea inter anulum & anulum incidendum, ut deinde conglutinari possit, quia anuli musculis iungũtur. Hali quoque huius curationis modum secutus est. & Auicenna dicit, quando facta sunt reliqua, & nihil profecerint incidendam esse. Albucasis dicit in patria sua nullos exercere, tamen nõ negat fieri debere. sed addit nõ fieri, eo quòd sunt inexperti, formidolosi, timentes periculum & infamiam. uocat'q; hanc incisionem subscanationem. quam tamen & Mesue difficilem esse iudicat.

At dices hanc incisionem esse euitandam, quia periculosissima est. Respondemus non fieri, nisi hi sint in ultima desperatione. nam possunt hac incisione sanari, qui alioqui proculdubio suffocabuntur. Cum ergo omnia sint à probo medico facta ex his quæ præstantissima sunt præsidia, neque aliud adsit, præsidium hoc exercendum, sed cum præfatione, nam assistentes admonendi sunt & amici, ægrum mori, quod & ipsi oculis experiri possunt, et nullum superesse aliud præsidiũ, quàm istud, quod in ultima fit desperatione, ex quo necessarium non est ut sanitati restituatur. tamen si quod præsidium sit sanitati inducendæ aptum, hoc esse: si illis placeat ut fiat, audacter fiat, sin minus dimittatur æger in domino quiescere.

Sed dices, etiam ex hoc præsidio non sanari ægrum anginosum, imo in affectum duci letalem, quia apud Hippocratem Aphorismo. 18. sexti libri uesica discissa, aut cerebro, aut corde, aut septo, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut uentriculo, aut iecore, letale est. cum igitur uesica & intestinis abscissis letale sit, cãna etiam pulmonis abscissa erit letale, cum & ipsa sit in corporum membranosorum numero. Imo adde non posse consolidari iuxta Aphorismum. 6. libri, ubi inquit, Cum discissum fuerit os, aut chartilago, aut neruus, aut genæ, particula tenuis, uel præputium, neq; augetur, neq; coalescit. cum uerò in chartilaginum genere sit guttur, si incisum fuerit, non coalescit, itaq; homo deniq; peribit. ꝓpterea hæc tam periculosa curatio non molienda, q2 & si fiat, æger sanitati non restituetur. Respondemus, imo sanitati restitui. & nonnullos uidimus per hanc incisionem sanitati restitutos, qui penitus erant deperditi. & hoc quodnam mirũ est, si multæ aliæ concedantur, & fiant incisiones, quæ tamen periculosæ sunt? Videmus enim in

suppuratis

ſuppuratis thoracem circa quartam & quintam coſtam aperiri, & aſcitem per inciſionem curari, & fiunt in umbilico inciſiones, & in inguinibus in his qui inteſtinalem herniã patiunt. in perineo in lapide ueſicæ, neq; prædictæ rationes ꝯtra hanc inciſionem ualent. nam quod de ueſica & inteſtinis adducitur, ſimile non eſt. quia ueſica muſculos non habet, per quos conſolidari poſſit, qñ inciſa eſt, neq; inteſtina tenuia, de quibus loquitur Hippocrates, muſculos habent. In gutture uero inter anulum & anulum muſculus adiacet, per quem agglutinatio fieri poterit. Imo adde & ſi partes gutturis non conglutinarẽtur, tñ partes ſuperiores carneæ conglutinarentur, & cãnæ foramen obſtruerent. Ad aliud uero de chartilaginis abſciſſione, fatemur, ut chartilago eſt, non conſolidari, ſed ut circundata muſculis conſolidatur. chartilaginesq; per uiam ſecundę intentionis conſolidantur. de qua in libris artis medicinalis à Galeno agitur, & non conſolidantur per uiam primę intentionis, ut caro ipſa conſolidatur. Nota & intelligi qñ una magna chartilaginis pars abſcinditur, non ꝯſolidari. imo & in gutture ob extrinſecas partes ſemꝑ fit ꝯſideratio. ſi uero fiat iciſio, ſemꝑ minor fiat, q̃ fieri poſſit. Vidimus nos quẽdam qui Illuſtriſs. Ducis bubulos paſcebat, qui multos habebat perfractos gutturis anulos, hic ob quædam ſcelera torquebatur, & cum prętor illi cõminaretur, niſi uera patefaceret, ſequenti die eſſe eculeo leuandum. deſperatus hic in carceribus, modum ſe necandi quærebat, inuenit forte fortuna cuiuſdam ferreæ loricæ partem, ab ea laminam abſtulit ferream, & proprijs manibus guttur ſibi diſſecare cœpit, & magnam anulorũ anteriorũ partem diſſecuit, ad numerum quinarium, & partem epiglotti, abſtulitq; in latitudine portionem, tñ ſanitati reſtitutus eſt. icciro intelligi poteſt Hippocrates quando chartilago fuerit diſſecta, non conſolidari per uiam primæ intentionis, & in his intelligi, quæ non habent muſculos.

At dices, cur nõ ſemper fit hæc inciſio cum mortis periculum imminet? Reſpõdemus, ſemper fieri debere. non fit autem (ut arbitror) ob cauſam Albucaſis, quia medici ſunt inexperti, formidoloſi, periculum timentes & infamiam, quam incurrere poſſent, ſed illam non incurrerent, ſi cum præfatione (ut ſuperius dictum eſt) agerent. nos & ſemper & audacter (ut neceſſitas coget) hanc ſectionem fieri iubemus, ſicuti & in præterito illã ſemꝑ fieri iuſſimus, egregieq; ꝓ maiori parte ſucceſſit. Dices uero, nos habere Galeni præceptum, quod ab Arabibus deinde refertur: deſperatos ſolis ꝓgnoſticis eſſe relinquendos. uerum cum illuc peruenitur, ut guttur incidi debeat, deſperati ſunt hi angino ſi. icciro ſolis prognoſticis ſunt relinquẽdi. neq; hæc tentanda eſt uia, quia hæc remedia diffamanda non ſunt. Reſpondemus, hoc ad rem nihil facere, quia in his adhuc adeſt ſpes ex hoc præſidio.

Forte dices, imo Hippocratem in his iubere ut nihil fiat, hoſq; deperditos eſſe fateri. nam ſtrangulati ſunt nondum mortui, quos dicit non referri quoties ſpuma circa os fiat. Reſpondemus, hoc ad rem non eſſe, quia hi iam ſunt ſtrangulati. & licet dicat, nondum mortui, id dicit ob aliquos motus, qui in ipſis adhuc uidentur.

In ultima igitur deſperatione in angina ſemper ſuaderem guttur ſecandum eſſe, tum ob prædicta, tum quia experientia hoc oſtendit in brutis animantibus, nam ſi collo ſuſpendant obeunt, quia ſpiritus uia occluditur. at dum ſuſpenſa, ante q̃ ſint penitus ſuffocata, ſi trachea arteria aperiatur, non ſuffocantur, ſed ſanantur, ſi à colli ſuſpenſione liberentur. ex hoc igitur experimento inferri poteſt, gutturis ſectionem tuto fieri poſſe in anginoſis. imo minꝰ q; hęc animalia uiuant, nulla arte illis adhibita. in hominibus uero ars plurimum facit. Adde nonnunquam contigiſſe aliquibus guttur fuiſſe uulneratum, & anulos inciſos, tñ ſanitati reſtituti ſunt. Cur igitur in tanto diſcrimine potius non eſt adhibenda huic operationi manus, quàm ſinere ægrum ſuffocari? Habemus præterea regulam apud Galenũ in. 7. Methodi, nos de re illa magis ſolicitos eſſe oportere quæ magis urget. at in anginæ abſceſſu qď magis urget, eſt, ne homo ſuffocetur. minus uero urget gutturis inciſio. potius igitur guttur incidere debemus, & tentare an ſuperuiuere poſſit, q̃ illum in morte certa derelinquere, quamuis nec id ſit certum, inciſione facta an ſuperuiuere debeat. nam eſt magis tutum, quia aer pulmoni præparatur ut illum attrahere poſſit, quem ex angina in pulmonis caua impediente attrahere nõ poterat.

At dices, ſi gutturis inciſio fiat, ſanguis exibit, qui pulmonem petet, & hominem ſuffocabit, imo & aerem alterabit, qui attrahi debebit. igitur æque ſuffocationis periculum eſt in gutturis ꝑforatione, ut in naturæ dimiſſione. Reſpõdemus, ſanguinem illum eſſe modicum, quia locus eſt non multum carnoſus, neq; uenas habet, & inciſio fit parua, tanta ſolum quanta aerem tranſmittere poteſt, imo ſanguis extra guttur exibit.

Petes uero quonam modo eiuſmodi gutturis inciſio fieri debeat. Reſpõdemus, recentiores dicere, iubendum eſſe anginã patientem, ut è regione chirurgi in ſede quę poſteriori parte eleuata ſit, ſedeat, mox excoriandum in tertio aut quarto circulo ſub epiglotto, & poſtea inter chartilaginem unam & aliam tres fiant aut quatuor ſciſſuræ rotundæ, quarũ duæ ſint uerſus dexterã partem, & aliæ duæ uerſus ſiniſtram, & ita relinquatur, quoad periculum tranſactum ſit, uel fiant duo ſolum foramina, unum in dextera parte, aliud in ſiniſtra, deniq; utantur incarnante medicamento, & ſanantur. Nos talem excoriationem non facimus, ne dolor inferatur ægroto, qui iam ſatis doloris perpeſſus eſt. ꝓpterea iubemus ut extendatur pellis ſupra guttur, & quicquid ſupra ipſum eſt, poſtea è regione ſpatij inter anulũ & anulũ fiat ſectio una per tranſuerſum, neq; fiãt tot foramina. nos etenim his manibus ita egimus, & æger conualuit. & Paulus Aegineta ex Antillo pellem extendit, nõ excoriat, niſi illi ſint ignari qui incidunt, ne anulos inciderent. locus uero conueniens diſtat ab epiglotto per tres aut quatuor anulos ſm recentes. ſed cum incertus ſit locus abſceſſus, opus eſt in inferiore parte magis aperire, ut ſinus ſub abſceſſu, quia cum oculis nõ uidetur, eſt ſub quarto anulo, & tutius eſt inferius incidere, quia ſi ſuperius facta eſſet inciſio, iterum incidere oporteret. neq; mihi placet hos incidendos ſedere, nã facile ſedentes in ſyncopem trãſeunt, ſed iaceant ut ſunt. ſi contingat in illa parte eſſe abſceſſum, quandoq; incidimus, & exit pus, ut mihi in incidenti contigit, pus exiuit & ſanguis extra cãnam collectus, & is qui per aliquas horas neque uocem eſſingere poterat, loqui cœpit.

Hæc igitur ſit ſummarum ſumma in angina, in ultima deſperatione guttur potius ſecandum eſſe, quàm permittere ęgrum abſq; præſidio ſuffocari.

Veruntamen cum de his quæ ope chirurgica fiunt loqui cœperimus, ſciendum eſt & recentes applicare cucurbitulas ſupra mãmas. quod fieri poſſe non imus inficias, quando à capite materia uel non fluit, uel iam fluere deſijt. nam eiuſmodi cucurbitulæ materiam diuertunt, & illam quę eſt in loco trahũt. Præterea, cum abſceſſus fuerit maturus, neq; ui medicamentorũ diſrumpitur, ope chirurgica diſrumpendus eſt. id uero fit aut unguibus & manu, ſi homo illuc pertingere poſſit, aut baculo perpolito, aut ferro, aut cornu, aut oſſe. recentes in cõmuni uſu cerea candela utuntur, quam introponunt, & nonnunquam abſceſſum diſrumpunt. idq; ęque faciunt quando eſt in gula. imo ægri ex ſe nullo etiam iubente cum abſceſſum perſentiunt candelam imponunt. Nonnullos uidimus qui abſceſſum immaturum diſrupere, qui breuius ſanitati reſtituti ſunt. ſed facilius eſt in gulã imponere q̃ in guttur hęc inſtrumenta. nec forte male agunt, qui ita immature diſrumpunt. nam in uehementi ſuffocatione, ut Meſue notat. diſruptio abſq; maturatione fieri debet.

Ab eo tamen abſtinere non poſſum, quod ab Auicenna ſcriptum eſt, quandoq; eſſe intromittendam gutturi cannulam ex auro uel argento factam adiuuando ad inſpirandum. unde eſſet per hanc cannulam ſpiritum deferri, cannula uero ponatur intra guttur.

At nobis parcat Auicenna, certi ſumus hoc præſidium fieri

non posse, neq; ægrum posse ferre ut per tantum temporis in aspera sit arteria, ꝙ ter aut quater inspiret & expiret. candela uero aut res alia quæ intus ponitur ad disrumpendum abscessum crassime imponitur & educitur, neq; æger ferre potest ut imponatur nisi breui temporis spatio. Nos igit̃ præsidium hoc Auicennæ de his cannulis ab alio fieri nũquam legimus, neq; aliquem id efficere posse putamus.

Ad chirurgicum præterea spectare uidentur & frictiones & ligaturæ, & extremitatum lotiones. quę omnia fieri posse & debere fatemur. frictiones uero fiunt cruribus, dorso, humeris, et brachijs. post uniuersalem euacuationem nempe diuertũt, ne materiæ in locum confluant. liganda pręterea sunt extrema. i. partes illæ quæ sunt supra genua immediatæ, in quibus sunt nerui multi, & gulę adeo stringendæ, ut dolor inferat̃. eo enim modo materiæ ad hunc locum dolore affectum decurrũt, quę uehementer ligãdæ sunt, postea dissoluendæ, & iterũ ligandæ ac soluendæ, idq; sæpius agẽdum. Paulus inquit, extremæ corporis partes ualide ligandæ sunt.

Extremorũ ablutiões fiunt ex chamæmali decocto, stœcadis, rosarũ, baccare, ac similium herbarũ uim attrahendi habẽtium, & quãq; fiunt ex calidioribus, imo & nõnunq̃ sal crassioris ꝯsistentiæ accipitur aceto madefactus, & pedes fricantur.

Sed ambiguitas ꝯringit, an conueniat hæc fricatio. salem ꝯuenire nulli dubium est, q̃a calidus est & attrahens, imo sua asperitate dolorem incutit, ob quam rem materias diuertit, quę ad anginę locum fluere deberent. nam hic pedum dolor ad se trahit. acetum uero non conuenit, q̃a repercutit. at nos potius attrahere uolumus, ꝓpterea sal nunq̃ aceto aspergẽdum, q̃a repercutit, & ut Galeno placet, & ita cõstat, ualde penetrat, nisi q̃s dixerit acetum roborare. fiunt ergo in angina omnium diuersionum genera, uniuersali prius euacuatione perfecta.

Cum de euacuatione quæ fit per uenæ sectionem, cucurbitulas & scarificationem in anginæ curatione locuti simus, & de his in q̃bus chirurgo indigemus: post hæc, ꝯsiderãdum est, an medicamenta ꝯueniant, & quænam illa sint. recẽtiores omnes in initijs medicamenta exhibent. & pro se Trallianum habere possunt ex Græcis, qui casum refert cuiusdam, qui primo statim die sectis utriusq; brachij uenis, medicamẽtum purgandi ui præditum miscuit, ex tithymali recẽtis herbæ iam iam decerptæ expresso liquore. dat uero huius medicamenti denariũ unum uel plus uel minus pro corporis uiribus, ætate, & morbi magnitudine. tñ si Galeni methodum ꝯsideremus & Hippocratis, cum materia sit fixa, nihil dãdum penitus. s. ex catharticis medicamentis. nam ꝯcocta medicari oportet, & non cruda mouenda sunt, nisi turgeant. hæc autem materia nõ turget, sed uno in loco fixa est. quippe turgere est de loco ad locum absq; ordine moueri, ut bruta faciunt ad coitum concitata. ꝓpterea hoc modo dicendum arbitramur, q̃ñ materia est in fluxu, & ad locum moueẗ ut faciat anginam. tunc forte dicẽdum est euacuari posse, non quia turgeat, q̃a illa solum turget, quæ nondum disposuit sibi sedem, in quam migret, sed de loco ad locum moueẗ ut sedem inueniat. at materia quæ ad anginæ locum fluit, iam sibi locum inuenit. tñ q̃a hic locus est periculosus, ꝓpterea materia hæc accipi potest uelut turgens, & euacuanda est, dum est in motu. Scito autem anginam fieri uel à materia à capite destillante, uel ab eadem à partibus infernis ad sup̃nas ascendente. cum materia à capite fluit, periculum est, ne repente in anginæ locum confluat, & ægrum suffocet. propterea dandum est uehemens medicamentum, quod deorsum trahat, & in loco sistere nõ possit materia, ut facere posset, si esset imbecille medicamentum. at si materia ab inferioribus partibus ad superiores fluat, tutũ est dum est in motu illã euacuare. Hic uero notare oportet aliã esse differẽtiã inter materiã turgẽtẽ, et illã quę moueẗ ad locũ ubi est dolor, et auget abscessum, q̃a materia turgẽs est materia praua à bona separata quę, hincinde moueẗ, et solo indiget medicamẽto ueluti manu attrahẽte. materia uero quæ nõ turget, sed de loco ad locũ moueẗ determinatũ statutũq;, est materia mista ex praua & bona nondum cocta, quæ in loco in quo colligitur, coctionem accipiet. propterea magis tutum est turgente materia medicamentum præbere, quàm in hac, in qua bonum & malum simul mista sunt. at morbo considerato, qui sæuus est & periculosus, omnia agenda sunt ne æger obeat, ꝓpterea medicamẽtum dare conueniet, licet & bonum simul & malum simul educat. q̃ñ satis est hominem incolumem reddere, lz imbecilliorem efficiat̃. In summa igit̃ dum materia ab inferioribus partibus ad sup̃iores fluit, medicamentum dari potest, & tute. si uero à capite descendat, dari q̃dem potest, sed cum maximo discrimine. uehemensq; esse debet, ne materiam in anginæ locum trahat, & deinceps non sufficiat ad intestina deducere. at cum materia in loco iam fixa est, nullum est præbẽdum medicamentum. Intellige uero de catharticis medicamentis, q̃a materia non solum non turget, sed fixa est, & in loco quieta, tantumq; coctione indiget. utiq; debemus cuiuslibet generis diuersionibus, ne alia materia in locum trãseat affectum, & abscessum augeat. de lenientibus uero medicamentis uerba non fiunt, q̃a illa dari possent, cum solum id educant qđ in uijs cõtinetur, & à locis affectis non trahant. iccirco & cassiam præbeo, & tamarindos, & mãnam, & eiusdem generis reliqua. at si materia sit sanguinea, uel à capite fluat, uel à partibus inferioribus ad superiores, non est dandum medicamentum, q̃a nullum est medicamentum quin uenenum sit, qđ sanguinem educat, sed sola uenæ sectione uti oportet.

At dices, cum cassia sit calida, non uideẗ conuenire in angina à materia calida, & præsertim q̃a simul adest febris. Respondemus, cassiam esse modice calidam, imo tẽdere ad temperamẽtum, ut sup̃ius dictum est, & uim habet uentriculum à pituita & bile emũdandi. & si deẗ, horam dandi sup̃ius ostendimus in ardentis febris curatione, ubi & simul de mãna & tamarindis uerba fecimus. uerũ unũ hic addere opꝫ, cassiam pectus lenire & guttur, iccirco in angina conuenire. imo ab Arabibus diciẗ resoluere abscessus acutos in eis. s. in pectore & gutture. idem intellige de mãna, quæ guttur lenit, pectus, & uẽtrem, ꝓpterea in angina cõuenit sua qualitate, tñ non educit materias quæ sunt in loco affecto, sed eas solum quę in uentriculo sunt & intestinis & meseraicis usq; ad iecur.

Ad rem igit̃, cum materia fixa est, medicamentum catharticũ dari non debet. Trallianus forte dedit, q̃a is suffocabat̃ cui dedit. & fortassis id dedit dum materia ab inferioribus partibus ad sup̃iores fluebat, uel si fuisset mota à sup̃ioribus partibus ad inferiores. ipse data opera uehemens dedit medicamẽtum. s. tithymali succum. hoc enim est ex uehementibus medicamentis quæ dari possunt. Scitoq; anginam illam Traliani à pituita fuisse uel atra bile. nam tithymalus pituitam uehemẽter educit, & bilem atram. In summa igitur non est dandum in anginæ initio medicamentum, nisi prædictis rationibus consideratis.

Petes uero, nunq̃d in inclinatione dandum sit medicamẽtum. Respondemus, cum materia est in loco collecta & iam cocta, per uim medicamenti extrahi non potest, sed necesse est ut pellicula quæ illam continet disrumpatur, & pus exeat. qđ si expuatur, bonum est, & in tuto & breui sanitati restitueẗ, tñ paulatim resolui posset: si uero in pectus descendat, empiema, de qua re deinceps loquemur. Id exploratum sit nos euacuatione non indigere in fine anginæ pro materia anginam faciẽte, nisi aliæ sint in corpore materiæ, uel eiusdem generis cum illa quę anginam facit, uel diuersi generis, tunc enim sunt euacuandæ. sed materia quæ in abscessu est, per medicamentum euacuari non debet, imo neque potest si quis euacuare tentauerit. ut in summa dicamus, cum in loco collecta est materia, nisi aliam euacuare uoluerimus, uel similem specie in angina, medicamẽto cathartico uti non est opus.

Forte petes, de hoc medicamento cathartico qualenam esse debeat, si opus sit in initio hanc materiam dum fluit euacuare. Respondemus, cum angina ab omni humore fieri possit, is qui euacuare debet, à quo humore fiat cõtempletur. nam si à sanguine,

guine fluente fiat, sectio uenæ satis erit, quæ potius reiteranda est, quàm præbendum medicamentum. at si alia sit materia à sanguine, primo sectione uenæ perfecta, medicamentum præbeto, quod humorem euacuet qui defluit. cum uero tota massa per uenas simul defluat. propterea ex signis considerare debes quinam humor præualeat, & illũ euacuare. humorem uero præualentem facile cognosces, si ea quę à nobis supius dicta sunt, in mentem reuoces, cum omni tñ humore in angina semp uidetur mistus sanguis. esto igit, quispiam sit qui anginam incidat à bile: si hunc euacuare tentabis, his medicamentis utitor, quæ bilem educunt, qualia sunt, quæ scamonium accipiunt. Scitoq; pilularum usum (si deglutiri possint) magis conuenire. aliqui pilulis aureis utuntur, quos probo. nam materiam biliosam tenuem educũt, & etiam materias crassas, cũ recipiant.

| | | |
|---|---|---|
| Aloes, Diagridij, | singulorum | ʒ. v. |
| Rosarum, Seminis apij, | singulorum | ʒ. ij. ʃ. |
| Anisorum, Seminis fœniculi, | singulorum | ʒ. j. ʃ. |
| Croci, Interioris colocynthidis, Mastiches, | singulorum | ʒ. j. |

Conformentur pilulæ ex aqua infusionis tragacanthi. palàm est has pilulas & aloes ratione, & diagridij, materias educere biliosas. uerum cum in reliquo corpore aderunt materiæ crassæ, & illæ per huius medicamenti uim attrahentur. at si biliosam materiam solum educere uolueris, & non crassam, hæ pilulæ non conueniunt. At dare potes compositionem ipsam colocynthide ablata. Alij sunt qui in hoc casu electuarium præbent de succo rosarum, quos probo. eius compositio hæc est.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ Zucchari, Succi rosarum, | singulorum | lib. j. unc. iiij. |
| Sandalorum alborum, rubrorum, citrinorum, | | ʒ. vj. |
| Spodij, | | ʒ. iiij. |
| Diagridij, | | ʒ. xij. |
| Camphoræ, | | scrup. j. |

Temperentur ad modum electuarij cum syrupo facto ex eodem succo. Dantur quatuor drachmæ usq; ad sex. Vides recipere diagridium quod bilem educit, & succum rosarum, qui materias tenues educit. Est electuarium Nicolai.

At si materia pituitosa sit, & euacuare tentes, cochias pilulas secundum Mesuem dato. Scito autem cum Mesue iubet cochias pilulas esse præbendas, ipse de suis intelligit, non de illis quas passim conficiunt pharmacopolæ, nam ipsi confectas seruant cochias pilulas Rasis in. 9. ad Almansorem, ubi de hemicranea loquitur & cephalea. Compositio quæ passim seruatur hęc est.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ Pulueris picræ, | | ʒ. x. |
| Colocynthidis, | | ʒ. iij. & tertiam |
| Scamonij, | | ʒ. ij. ʃ. |
| Turbith, Stœchadis, | singulorum | ʒ. v. |

Misceantur hæc, & pilulæ conficiantur. In pilularum examine ostendimus pilulas has esse incorrectissimas.

At cum Mesue præbeat in angina pituitosa cochias, intelligimus dandas esse suas cochias, de quibus nihil egit in Antidotario, sed de ipsis egit in capite de soda frigida, ubi ponit pilulas, quas cochias uocari dicit à Mahumeth filio Zachariæ. Eius compositio hæc est.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ Pulueris hieræ, | | ʒ. xx. |
| Interioris colocynthidis, | | ʒ. vj. ʃ. |

In alio codice habetur.

| | | |
|---|---|---|
| Trochiscorum alandahal | | ʒ. vj. ʃ. |
| Scamonij cocti in cotoneo, | | ʒ. v. |
| Stœchadis, Turbith, | singulorum | ʒ. x. |

Fiant pilulæ, quæ & ipsæ sunt incorrectissimæ, nam stœchadem solum recipiunt ex his quæ uim habent fortia reprimendi medicamenta. reliqua hoc non faciunt, iccirco nonnunquam tormina inducunt. unde iudicamus esse corrigenda, ut nos in nostro pilularum examine correximus. Nos raro his pilulis utimur, quia apud multos pharmacopolas correctæ non sunt. Tamen adsunt & aliæ cochiæ apud Mesuem eodem loco, quas Galeno attribuit, cum de ipsis Galenus nusquam locutus sit, quod sciuerim. Probamus igitur quod dentur hæ pilulæ si correctę sint. & cum nos illas indicimus, intelligimus esse correctas. tamen si pituitam solam educere tentes, non est opus addere scamonium, uerum addi potest, quia semper in humano corpore pituitosa etiam ægritudine affecto, nonnihil bilis adest educendum. Supposito autem quod non adesset scamonium, apponi nõ deberet. Idem sunt cum præcedentibus Rasis, differunt tantum in duplicato pondere.

Alij præbent medicamentum de turbith, quod & conuenit. Fit autem hoc modo.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ Turbith, | partes | x. |
| Gingiberis, | partes | v. |
| Zucchari, | partes | xx. |

Educit medicamentum hoc omnes materias crassas pituitosas. in puluerem redigitur, & in iure datur, uel ex aliquo liquore inspissatur, & deglutitur. tormina inducit.

Alij prębent electuarium diaphinicon, quod pituitam quidem educit ratione rerum quæ ingrediuntur, sed & bilem educit. Nempe eius compositio hæc est.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ Dactilorum infusorum in aceto tribus diebus & tribus noctibus, | partes | c. |
| Penidiorum saphiri, i. factorum ex zucharo dissoluto in aqua decoctionis hordei, | partes | l. |
| Amygdalarum enucleatarum, | partes | xxx. |
| Turbith, | partes | xxxv. |
| Scamonij, | partes | xij. |
| Gingiberis, Piperis longi, Foliorum rutę siccorum, Cinamomi, Macis, Ligni aloes, Anisorum, Fœniculorum, Daucorum, | singulorum | part. ij. & semis. |

Fiat omnium egregia contritio, & conficiãtur cum melle despumato quantum sufficit. Materias crassas educit, pituito-

ſas, crudas ratione turbith, ſed ratione ſcamonij educit etiam bilem. unde non conuenit ſi intētio ſolum ſit pituitam educere & non aliud. uerum hæc compoſitio abſq; ſcamonio parari debet. Aliqui præbent hieram picram, ſed exacutam faciant Galeni more ex colocynthidis pulpa, quos etiam ꝓbo. Si uero materia ſit atrabilaris, & euacuare conueniat. nonnulli recentiores fœtidas præbent pilulas, quibus conſentire non poſſum, quoniam humores quidem educunt atrabilarios, ſed non eos ſolum ac penitus, imo potius educunt craſſos pituitoſos, & biloſos, ac bilioſiſſimos, nam nihil aliud præter epithymum quod atram bilem educat hanc ingreditur compoſitionem. Eſt uero eius compoſitio hæc.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ | Serapini, | |
| | Amoniaci, | |
| | Opopanacis, | |
| | Bdelij, | singulorum ʒ. v. |
| | Colocynthidis, | |
| | Harmel, | |
| | Aloes, | |
| | Epithymi, | |
| | Hermodactylorum, | singulorum ʒ. ij. |
| | Alscebram, | |
| | Scamonij, | ʒ. iij. |
| | Cinamomi, | |
| | Spicæ, | singulorum ʒ. j. |
| | Croci, | |
| | Caſtorei, | |
| | Turbith, | ʒ. iiij. |
| | Gingiberis, | ʒ. j. s. |
| | Euphorbij tertiæ unius partes duæ. | |

Diſſoluantur gūmi in aqua porri, & fiant pilulæ. proculdubio hæ pilulæ humorem atrabilarem ſimul educunt, ſed non primo, nec præcipue, proptérea in hoc caſu illis non utor, neque uterer, quando atram bilem ſolam educere oportet, ſed potius utor pilulis Indis, quæ atram bilem & ꝓprie & mire educunt. Illarum compoſitio hæc eſt quæ ſequitur.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ | Mirobalanorum nigrorum, | |
| | Hellebori nigri, | singulorum ʒ. v. |
| | Polypodij, | |
| | Epithymi, | singulorum ʒ. vj. |
| | Stœchadis, | |
| | Agarici, | |
| | Lapidis lazuli loti, | singulorum ʒ. iiij. |
| | Colocynthidis, | |
| | Salis indi, | |
| | Succi eupatorij, | singulorum ʒ. ij. |
| | Spicæ, | |
| | Gariophyllorum, | ʒ. j. |
| | Hieræ picræ, | ʒ. xij. |

Fiant pilulæ ex ſucco apij. hæc compoſitio ꝓprie & primo humores atrabilarios educit, ij & pituitoſos ſimul & biloſos purget. ſed ſi ſolam atram bilem educere placuerit, remoue ab hac compoſitione agaricum, colocynthida, et hieram picram, tunc eiuſmodi compoſitio ſolos atrabilarios educet humores. Scito tamen nos quandoq; in hoc caſu uti & pilulis de lapide armeno, pararıq; iubemus. habetur q; lapis armenus ex Germania, nam & in alijs naſcitur locis ab Armenia, tamen probatior eſt in Armenia. Harum pilularum compoſitio eiuſmodi eſt.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ | Lapidis armeni ablu ti, | singulorum ʒ. v. |
| | Hieræ picræ, | |
| | Epithymi, | singulorum ʒ. viij. |
| | Polypodij, | |
| | Gariophyllorum, | ʒ. ij. |
| | Salis indi, | ʒ. j. s. |

Confice ex ſucco ſolatri. atram bilem uehementer educunt hæ pilulæ, quanquam & bilem ſcamonij ratione & hieræ, tamen ſi libeat ſcamonium auferto. præbemus & pilulas de lapide lazuli, quę paſſim ab omnibus parantur pharmacopolis. Aliqui præbent diacatholiconem cum infuſione ſenæ, qua potione nos frequentiſſime utimur, cum atram bilem educere oportet, & probe conuenit. tamen & alios humores educit, ſed potiſſimum atrabilarios. Eius compoſitio ſequitur.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ | Senæ bene mūdatę, | |
| | Caſsiæ mundæ, | singulorum unc. viij. |
| | Tamarindorum, | |
| | Rabarbari, | |
| | Violarum, | singulorum unc. iiij. |
| | Polypodij, | |
| | Aniſorum, | |
| | Liquiritiæ mundæ, | singulorum ʒ. iiij. |
| | Penidiorum candi, | |
| | Quatuor ſeminum frigidorum mundatorum, | unc. ſ. |

Accipe iterum libram unam polypodij, & tere modicum, in aqua diutiſſime decoque, & ex colatura ſyrupum facito cum libris octo zuchari. in parte uero colaturæ caſſiam diſtempera, & tamarindos, & in fine decoctionis ſyrupi pone. deinde confice electuarium imponendo pulueres aliorum. præcipue educit atram bilem, ſed & alios humores. libenter & frequenter hoc utor medicamento. Et notandum, ſi miſceantur fortibus medicamentis, eorum uim frangere.

At ſi à ſanguine ſit angina, nullum præbendum eſt medicamentum, ſed ſola uti oportet uenæ ſectione. imo & uenæ ſectione ſola in anginarum principio, ab alijs humoribus factarum ſatis eſt. poſtea cum materia eſt in loco fixa, coquēda eſt. Tamen & in facta à ſanguine, & in facta ab alijs humoribus, caſsia, manna, tamarindis, & ſimilibus uenter poſt uenæ ſectionem leniendus eſt.

Et poſt uenæ ſectionem clyſteres ſunt imponendi, qui uim habeant diuertendi materiam, & euacuandi quicquid in inteſtinis continetur. & hoc forte erit uti medicamentis attractorijs, de quibus Hippocrates loquitur Sectione. 50. Paulus uult aluum acriore clyſmate ducendam. in quam ſententiam omnes concurrunt ferè authores. & infiniti clyſteres uarijs in libris habentur à diuerſis ſcripti. tamen in hoc caſu nos ſæpius hoc uſi ſumus, & plurimum profuit.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ | Maluæ, | |
| | Violarum, | |
| | Bletæ, | singulorum M. j. |
| | Iuæ, | |
| | Cētaureę minoris, | |
| | Amaraci, | |

Radicum

| | | | |
|---|---|---|---|
| Radicum iridis, | | | |
| Acori, | | | |
| Galangæ, | ſingulor. | M. | ß. |
| Ebulorum, | | | |
| Rutæ, | | | |
| Hyſſopi, | ſingulor. | ʒ. | ij. |
| Centaureę maioris, | | | |

Miſceantur,& fiat decoctio in ſufficienti quantitate aquæ ad conſumptionem tertiæ partis.deinde

| | | |
|---|---|---|
| ℞ Præſcriptæ decoctionis, | lib. | j. |
| Hieræ picræ, | unc. | j. |
| Hieræ logadij, | unc. | ß. |
| Olei rutacei, | unc. | iij. |
| Mellis deſpumati,& quandoque pro melle ſapæ, | unc. | ij. |
| Salis amoniaci, | ʒ. | ij. |

Miſceantur omnia,& imponatur hic clyſter.à partibus ſuperioribus uehementer educit,ut aliqui anginoſi teſtati ſint,ſe perſenſiſſe materiam,quæ eſt in loco deſcendiſſe, & iam cœpiſſe minus moleſte anhelare,quamuis à collo immediate clyſteres non educant.tamen & clyſter ex aqua mulſa, oleo, & ſale,quando adeſt uehementiſſima febris multum conuenit. Imo nonnunquam balano utor ex ſalgemate, & ex puluere hieræ picræ,colocynthidis,ſcamonij,hellebori nigri, qui percocto melle excipiuntur & tragacantho,fitq; mirabilis in hoc caſu balanus,qui omne genus humoris trahit.

Vna uero contingit dubitatio,an illa quæ per clyſteres imponuntur medicamenta,& per ſuppoſitoria attrahant ſecundum uim propriam qua attraherent, ſi in uentriculum deglutirentur.Reſpondemus,cum clyſteres ad talem locum pertingere poſſint,ad quem meſeraicæ perueniunt,nulli dubium ſit quandoque attrahere, & attrahere humores quibus aſſimilantur, hoc eſt illos quos attraherent, ſi per os ſumpta fuiſſent, ut colocynthis pituitam,ſcamonium bilem.

At de balano dubium uideretur, quia non aſcendit in inteſtinum rectum,niſi per ſpatium quatuor digitorum,iccirco non uideretur,balanum medicamenta recipientem per uim illorum medicamentorum attrahere poſſe. Reſpondemus, & balanum per uim medicamentitiam attrahere, nam diſſoluitur in inteſtino recto,& illud mordicat,naturam irritãs ad tranſmittendum quicquid in inteſtinis continetur. At cum hæc mordicatio ſit ſecundum ſpeciem medicamenti impoſiti, aliquo modo etiam attrahet ſibi proprios humores,ueruntamen non eſt tanta attractio,quanta eſt in clyſterijs. tamen credendum eſt, quod aliquo modo attrahuntur, præſertim humores qui ſunt in meſeraicis,& in propinquioribus locis.

Poſt clyſteres iubet Hippocrates gargariſmata calida eſſe adhibenda.Nos in præſentiarum de gargariſmatibus his loquamur, & quæ ſm uaria tempora conueniunt uideamus.

Sed cum Hippocrates dicat,adhibenda eſſe calida gargariſmata, ambigendum eſt, nunquid in omni angina illa conueniant. & quamuis de pituitoſa loquatur angina, tamen & de pituitoſa dubitamus,an in initio huius pituitoſæ anginæ gargariſmata calida fieri conueniant. intelligimus uero & actu & uirtute calida. Reſpondemus, eſſe regulam Hippocratis atq; Galeni,quam ſecuti ſunt tum Græci, tum reliqui authores omnes, in abſceſſuum initijs nos uti debere repercutientibus. hoc uarijs in locis docet Galenus, & potiſſimum. 3.de ſimplicium medic.facul.cap. 17.ubi inquit,Nam per initia repellere comprimereq; influxus oportet. in uigore autem ita per halitum digerere ut morſus abſit. at in incremẽtis repellere ſimul ac digerere.id qđ ſiquis nudum, citraq; iam dictas ratiocinationes audiat,fortasſis fidem non habebit.

Nunc autem miror ſiquis ſit adeo ſtupidus ut rationi nondum acquieſcat.nam ſemel unoq; impetu,ab adſtringentibus contrahentibusq; ſubſtantiam, ad laxantia fundentiaq; tranſire, planè abſurdum eſt,ſicuti ſanè æquum eſt,in intermedio principij,ſtatusq; ſpatio,dum uidelicet morbi adhuc increſcũt·nec planè repellere, ſicuti in principijs· nec itidem digerere, ſicuti in uigore,ſed perinde ut morbi conditio media eſt inter contraria,ita medicinam quoq; mediam eſſe oportet, quæ uidelicet non ut in principijs adſtringat, nec ut in uigore digerat.

Eadem repetit in.j.capite.6.libri de compoſitione medicamẽtorum ſm locos. In initio igitur anginæ, à quacunq; ſit facta cauſa,materiam repercutere oportet,uel ſit frigida uel calida. unde arbitrandum eſt Hippocratem non loqui in principio, cum calida exhibet gargariſmata,ſed in morbi uigore loqiur. Forte gargariſmatis genus petes quo uti debeamus. Reſpondemus,eſſe cõmune gargariſmatis genus tam apud antiquos q̃ apud recentes, omnes etenim in principijs ſimplici diamoro utuntur.

Sed petes,an eiuſmodi gargariſmata fieri poſſint ante euacuationem.recentiores medici gargariſmatum uſum ante euacuationem prohibent,quia in initio repercutere oportet,ſed repercuſſiuis uti non debemus corpore pleno, quoniam extra non repellentur humores cum adſit repletio.

Adde, motum fieri ac concuſſionem in gargarizando, propterea dimittenda eſt gargarizatio, quia ægri in gutturis affectibus abſq; ſermone eſſe iubentur.Nos autem dicimus,in initio nulla præcedente euacuatione poſſe fieri gargariſmata, & ab omnibus in uſu practico fieri. neq; adeſt tanta repletio in corpore,ut non poſſit materia repelli,alioqui opus eſſet illum eſſe magis plenum athleta in ſummo habitu, ut nullum eſſet uas,quod non eſſet ſupra ſuam capacitatem plenum,ſed rariſſimi ita affecti inueniuntur. propterea in initijs, ante euacuationem pro maiori parte gargarizare poſſumus. & ſæpe nos in initio gargariſmatibus uſi ſumus. nec motus gargarizandi eſt tam magnus,ut materiæ attrahantur.iubemus uero ut ſenſim gargariſmate utantur.

Scito autem ſi materia ſit frigida quæ anginam facit,gargariſmata non debent eſſe ualde frigida, ſed admiſcenda ſunt aliqua calida ſtiptica,ut repercutiens medicamentum magis penetrare poſſit.at ſi materia ſit calida,gargariſmata debent eſſe frigida.unde in materia calida in initio, accipietur diamorum cum aqua plantaginis.ſi materia ſit frigida,erit uſus diamori ex oxymelite,uel ex aqua mellis.

At dices,nonne hæc adſtringunt? propterea canalem cibi uel ſpiritus adſtringent.Reſpondemus,imo cum frigida ſint & ſtiptica canales illos dilatant, adſtringendo latera,q̃ñq; aqua & aceto ſolis utimur. Vnum uero notare oportet,ſi angina in gutture ſit uerſus gulam,in initio ex ſtipticis gargarizatio fieri nõ debet, ne materia uerſus gulam repellatur, & ne in extrinſecam gutturis partem repulſam ſupra gulam comprimat.& ſi in gula ſit angina, in parte gutturi propinqua gargarizatio etiam fieri non debet.

Sed petes,ex quibus ergo gargarizatio fieri debet,ſi non ex ſtipticis.Reſpondemus,non eſt opus in illis caſibus gargarizare in principio,ſed tunc ſolum fiat quando digerentium & reſoluentium uſus conueniet, hoc eſt in ſtatu. in ſumma igitur, uel ſit frigida materia, uel calida, in initijs uti debemus repellentibus.

At petes, per quantum temporis his uti debeamus. Reſpondemus,recentiores dicere,per primum & ſecũdum diem.ſed Haly addit & tertium diem,illum includens.tamen nõ poteſt dari certa huius rei regula per numerum dierum.nam angina q̃ñq; tertio die ſanatur,quandoq; quarto,raro tranſit ſeptimũ diem,ſi in intrinſecis ſit muſculis.Cum uero ſtipticorum gargarizatio in principio ſolũ fieri debeat, in illa angina quæ tertio die finiet, principium pertinget ad unius diei finem. & ideo regula generalis dari non poteſt, niſi hæc detur. Cum materia fluit,& in principio eſt,his uti debemus.uerum cum aliqua portio in loco iam fixa eſt,& alia deſcendit,tunc repercutientibus

addenda sunt resoluentia, q̃a in morbi augmento sumus. igitur (ut Paulus dicit) ab initio statim gargarizandum simplici diamoro cum elixatione rhoos, ut hoc modo cõpositio iuxta Pauli dogma fiat. Rhus.i.sumachium accipiatur ad duarũ unciarũ pondus, in duabus aquæ libris ebulliat ad consumptionem tertiæ partis, postea colatur, & in colatura addito diamori simplicis unc. vj. & utitor. Hippocrates in tertia angina. 2. de morbis libro gargarismate ex cancris utitur, & rhu obsoniorũ, sed pertinet ad augmentum. In secunda specie iubebat gargarizãdum mulso diluto, nec istud est principio, t̃n posset esse in principio in pituosa angina. In prima uero angina gargarismo utitur ex decocto origani, thymbræ, apij, mentę, parũ nitri, & tepescant in mulso diluto, & aceto, deinde gargarizetur. hoc uero in statu intelligendum est. At Galenus in initio. 6. lib. de compo. medicamen. sm̃ loc. solo utitur succo merorũ in principio. & nos eo tempore quo mora in sua arbore pendent, & potissimum batina, si contingat nos anginosum curare solo (in principio) batinorũ merorũ succo utimur, sed quia mora semper non adsunt, idcirco ut succus seruetur ex melle decoquitur, & magis conuenit ad alia inflãmationum tempora. utitur ergo in initio cum materia fluit simplici mororum succo, uel tali utitur ex moris compositione.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ Mellis, | | lib. j. |
| Succi mororum batinorum, | | lib. v. |
| Croci, | } singulorũ | ʒ. j. ß. |
| Myrrhæ, | } | |
| Misce. | | |

Primo uero simul bulliant mel & mororum succus ad mellis consistentiam. Vtebatur in omni tempore Galenus hoc ex moris composito, sed in principio rhois succum addebat, uel uuæ acerbæ succum.i.omphacium uinum. q̃n hæc non aderant, rosarũ florem accipiebat, uel ipsas rosas siccas, uel balaustium, uel cytinos, uel malicorium aridum, uel gallam omphacitim, & pini corticem, & thuris, & hypocistidis, uel lentisci succum, & in summa omnia adstringentia, præter ea quæ corrumpentem habent facultatem, quam uenenosam uocant, & letalium speciei quædam existit. Prædicta addebat Galenus in initijs huic medicamento ex moris. & q̃m acceperat crocum & myrrham, notat non esse inconuenientia, quia crocus adstringit, myrrha calefacit. unde myrrha in altum penetrat, q̃a substantiam habet tenuium partium, & ideo dat duplicem utilitatem, q̃a simul introducit secum uires admistorũ & penetrat usq; in altum inflãmata. adiuuant.q; se mutuo myrrha & crocus in penetrando in profundum: crocus quidem ueluti impellens myrrham, myrrha uero ueluti dux præcedẽs peditem sequentem crocum: si ita dicere liceat, deducens. quemadmodum enim crocus ob adstringendi uim, minus habet substantiam tenuium partium, q̃ myrrha: sic myrrha substantia tenuiorũ partium prædita, citius quidem uim suam in altum trãsmittit, citius autem etiam ad cutem recurrit, simul secum efferens ea quæ in pfundo sunt attenuata. Vt in summa Galenus uelit & crocum duci à myrrha, & alia etiam adstringẽtia, quæ sunt in hac compositione, q̃n talia in ea ponuntur, quæ sm̃ exigentiam poni debent. Habes igitur Galenum in initio usum esse diamoro ex myrrha & croco confecto, nonnullis additis stipticis repellentibus, q̃n materia fluebat. at cum restiterit quod influit, medicamentum istud re alia opus non habet, sed tunc satis sunt ad concoctionem crocus & myrrha. propterea in consistentiæ initio diamoro uti debemus ex croco & myrrha, sed materia concocta, q̃ est ppe ɔsistentiæ finem, iubet addenda esse discussoria aliqua, ut nitri spumam, uel ipsum nitrum, quod tenuium est partium. Et præter hoc addebat sulphur uiuum, & sapam quandoq; in qua origanum esset incoctum, aut hyssopum, aut pulegium, aut thymbram, aut thymum, aut calamenthum. unde infert rectum esse huius pharmaci ex moris usum, si iuxta iudicationum uniuersalium quantitatem, ipsius usum ꝑmutet. unde quousq; influxerit idipsum repellere conuenit, ubi uerò restiterit, concoctoria afferre, & deinde consequenter discussoria.

Verum cum aliter in communi usu res se habeant, quærere poteris, quando indicant medici pharmacopolis diamorum, quodnam præbeant. Respondemus, in communi usu esse diamorum Nicolai, & paratur ab omnibus ferè Ferrariensibus pharmacopolis, quamuis non desint qui & parent diamorum quoddam Mesue.

Est uero diamorum Nicolai, quod in maximo est usu hoc quod sequitur.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ Succi mororum celsi, | lib. | ß. |
| Mororum bati, | lib. | j. |
| Mellis, | lib. | ß. |
| Sapæ, | unc. | iij. |

Succus mororum cum melle & sapa in uase æneo stanno circundato sumendus, & suauiter decoquendus, tunc coctum esse deprehenditur, cum gutta supra marmor posita inhæreat, uel si digito tangatur & resiliat, post percoletur, & in uase stanno circundato seruato, uel in uaso uitreato.

Nota in principio sapam non conuenire, nam Galenus tunc sapam ponit cum discussione indigemus, & in morbi consistentia, propterea in anginæ principio medici caueant, nec hoc Nicolai diamoro utantur, & ideo absque sapa fieri probarem.

Mesue suum diamorum hoc modo parat.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ Succi mororum dulcium, | } singulorũ lib. | j. ß. |
| Mororum de sceui, | } | |
| Rob, | } singulorũ lib. | j. |
| Mellis, | } | |

Misceantur hæc, & coquantur cum facilitate usque ad spissitudinem mellis.

Eadem est compositio cum illa Nicolai, solo differunt pondere. Et quemadmodum Nicolai compositionem ob sapam nõ probo, quam Galenus in consistentia addit, & in declinationis initio, cum discussorijs uti debemus. Ita hanc Mesue compositionem non probo ob eandem sapam, & ideo potius iuberemus ut fieret diamorum simplex Tralliani more in hoc casu, qui ita conficitur.

Recipe succi mororum sextarios quinque, decoquito donec mellis liquidi crassitudinem habeat, postea adiecto mellis sextarium unum, & denuo elixato donec mellis densitatem obtineat. Sed arbitramur nos Trallianum non considerasse suam compositionem, quia primo censet succum deducendum esse ad mellis crassitudinem, postea melle addito iterum ad mellis crassitudinem deducatur. uerum cum mel habeat mellis crassitudinem, & succus merorũ redactus sit ad mellis crassitudinem, si simul misceantur, non erit opus amplius ebullire, alioqui ad crassitudinem densiorem reducerentur quàm sit illa mellis, tamen necessarium est mel ebullire, ut flatuosæ partes abeant. propterea credendum est Trallianum hoc modo referre uoluisse, ut prima uice simul misceantur mel & succus, postea ebulliant, quousque ad mellis crassitudinem deducantur semper expumando. Succus etenim liquidus est, neque habet mellis consistentiam, ad illam tamen per ebullitionem adducitur. uel primo censet succum esse ducendum ad liquidam mellis crassitudinem, postea ad crassioris mellis crassitudinem ebulliendo ducatur. Seruandum hoc diamorum ex melle solum & succo mororum, quod Tralliaṅus

nus

nus simplex uocauit, sicut & à Paulo, & ab ipso Traliano composita diamora, nos ex illis nullū seruandum iuberemus, sed cum opus esset, illa adderemus quæ exigerētur secūdum morborū tempora. Et si dicas mel apponi, tamen in principio nō indigemus nisi repercussione, sciro Auicēnam (& non ab re) notare incipiēdum esse cū medicinis stipticis, cū eis cōmista quæ parū habēt abstersionis, ut mel, et huius rei ratio à Rasi accipitur in ulti. cap. 3. cōtinentis ubi inquit oris pelliculā esse subtilem, propterea statim aliquid incipere resudare, ob hoc opus est cū stipticitate adsit aliqua uis abstersiua. At Galeni ratio potior est, qui censet illa esse addita, ut intus magis ducāt stiptica, qa possibile non est ut statim in principio aliquid resudare incipiat, sed potius additur ut stiptica penetrare faciāt quæ sese inuicem adiuuāt, ut de croco & myrrha Galenus edocuit, in principio igit̄ diamoro prædicto utamur in plātaginis aqua dissoluto uel in decoctione rosarū, balaustiarū, rhu obsoniorū et similibus, & ita nos semper utimur. At ubi magnā perceperim necessitatē, à rob nucum potius incipio, uel à dianucū, q̄ à diamoro, et Galenus in. 6. de cōpositione medicamētorū secūdum locos dianucum diamoro præmittit, fuit uero Galenus huius medicamenti inuētor, cum ex Alexādria in patriā rediret hortulanū inuenit à glādulis ac tonsillis ferè suffocatū, qui utebat̄ pro collutione aqua mulsa rosis in ipsa incoctis, uidit nucū fructum esse in uigore, iussit detractum ab eis externū corticem, quo uiderat tinctores uti, statim in mortario cōtundi, & succū eius per linteum excolari, tamē ignorabat an esset tenuium partium an non, reperijt tamē esse tenuē & aquosum. iussit hortulanum gagarizare, at quia ualde tenuis apparebat, propterea addidit tātū mellis, quātum in diamoro, & p̄coxit ad crassitudinē mellis, celerrime profuit, probatq; esse tenuium partium & adstringere, quia manus inficit nuces decorticātibus, ut non possit elui facile macula, propterea opus est. ut permeet in profundum quod fieri nō posset nisi esset partiū tenuiū, & infectores eo utunt̄, quod nō facerēt, nisi in altum penetraret lanas, & per totā substātiā, suntq; adstringētia tenuiū partiū ob penetrationē semper uehemētiora, nā quæ crassarū sunt partiū, condensant qdē superficiē, sed ob substātiæ crassitudinē in altū penetrare nō possunt, à Græcis dicit̄ diacariō. In principijs igit̄ cū magna est indigētia dianuco utamur ex aq̄ plātaginis uel decoctu aliq̄rū stipticorū, ut sunt balaustia, rosæ, rhu obsoniorū aut similibus, in augmēto addimus q̄ partim repercutiāt, partim resoluāt, in cōsistētia q̄ digerāt, in inclinatione q̄ discutiant, & ita uno utemur medicamēto per tot tēpora uariato, in hoc etiam nō p̄bamus quod cōpositū fiat, sed simplex seruet̄, & q̄n opus est addant̄, q̄ uarijs morborū tēporibus cōueniūt. ut Galenus p̄cítato loco ostēdit, tñ nos hoc simplici succo absq; melle q̄nq; utimur, cū recētes nuces hn̄tur, sicuti & solo utimur merorū succo, q̄n mora habētur recētia, gutt̄ & fauces nigra facit, ut et manus deglubentiū nuces, infinita alia gargarismata à medicis scribunt̄, q̄ quisq; ex se in illis authoribus legere potest. Cū indixeris diamorū pharmacopolis, p̄bent hoc Galeni ex succo putaminū nucis & melle, licet in q̄ntitatibus ac mēsuris differāt. Id tñ notare oportet pueris nō esse adhibēda multū adstringētia, ut in alijs fit ætatibus, quod ex Galeno colligit̄. 6. de cōpositiōe medicamētorū secūdum locos, ubi agit de diacaryo. i. medicamine ex nucibus, imo in lib. inscripto de p̄cognitione ad Posthumū. cū Cōmodus Imperatoris filius à lucta haberet fauciū inflāmationē, iusserat Pitholaus ut os ablueret ex melle & medicamēto ex rhu obsoniorū, Galenus illū admonet ne tali medicamēto, utat̄ qa plus adstrigit q̄ puero cōueniat, et iussit etiā ut uteret̄ medicamēto ex aq̄ mulsa, in q̄ rosæ decoctæ essent. At hortulano in. 6. de cōpositione medicamētorum secundum locos prohibuerat, quia erat minus adstringens q̄ par esset, fecitq; ex nucibus medicamentum.

Vt igit̄ ordo habeat̄, quē in angina seruamus, cū ut plurimum fiat à materia calida, in initio statim cū uocamur, iubemus interim aq̄ & aceto gargarizari, uel aq̄ plātaginis, si tēpus sit, quo mora batina habeātur, ex ipsis expressum fieri iubeo, & cum aqua plātaginis misceo iubeoq; gargarizare, si morbus eadem die inualescat (suppone semp̄ factas esse uniuersales euacuationes) simul cū succo rosas ebullire facio, balaustiū, & rhu obsoniorū, & gallū, si adhuc inualescat magis, ex nucib° medicamētū accipio, & illa met simul misceo, & in aq̄ plātaginis ebullire facio, quā decoctionē simul misceo cū medicamēto ex nucib°. Et hoc in initio, cū materia fluere incipit, & modicū tātū fluxit. cū uero magna pars fluxerit, tūc illa miscere incipio, q̄ habent parū digerere, nēpe hyssopū decoquo, calamētū caricas & similia. cū p̄cesserit, & tota materia sit fluxa, stiptica oia postponimus, & diamorū accipimus, uel diacariō ex croco et myrrha et sapa, & magna calamēti, hyssopi nepetæ, & similiū portiōe. in fine gingiber addimus, piper & hæc q̄ uim habēt discutiendi, & penitus resoluēdi, scitoq; cū hæc medicamēta magis penetrare uolumus, acetū addimus. At qa nōnunq̄ p̄tingit materiā esse pituitosam & atrabilarē, q̄n hoc p̄tingit in initijs diamoro utimur, quod seruāt Ferrariēses pharmacopolæ secūdū Nicolaū. addimusq; acetū, eodē pacto si materia fuerit atrabilaris tamē oxymelite utimur, in quo alumē liq̄dū ebullire facimus, itaque exhibemus gargarizādū in atrabilari angina, q̄ tamē rarissime p̄tingit. At in calida angina, q̄ frequētissima est, si recētia mora nō habeant̄, diamoro utimur. quod seruāt pharmacopolæ, & stiptica addimus adstringētia, ut exigit morbus & curatio suadet, nōnunq̄ in illis p̄ricipijs aq̄ utimur, & uino omphacio nōnunq̄ in paup̄ib° aq̄ & aceto, & ex his in melius p̄ficiūt, postea secūdū tēpora illa addimus q̄ cōueniūt, ut superius dictū est. Scito tamē aliquos ex his circulatoribus nō uti gargarismatib° sed pulueribus & ægri illi proficiūt. p̄pterea petes an pulueres illi cōueniāt. Respōdemus cōuenire p̄fecto, & Auicēnā ac Rasim insufflationes in guttur & fauces usos esse, contingit enim nōnunq̄ aliquos nescire gargarizare neq; posse. in hoc casu cōuenit stipticos accipere pulueres & adstringētes, & facta cauula supra locū ore aperto insufflare. imo sunt & q̄ gargarizatiōis motū ferre nō possunt, tūc pulueribus uti possum° & secūdū tēpora pulueres uariare, tamē hoc nobis uidet̄ minus tutū, tū qa pulueres illi loco inhærēt & iplēt cānāq; arctāt & fauces, quod nō faciūt gargarismata, q̄ cū sunt facta, non inhærēt nisi uirtute, unde & si hæc insufflatio nō sit penitus abijciēda, tamē gargarizatio tutior est, qa loca uacua nō iplet. Forte petes cū pulueres illi possint eē p̄pq; cū gargarismatib° uehemētes et earūdē uiriū quodnā opus sit uehemētius, an id qd̄ per insufflationē uel illud p̄ gargarismata. R̄ndemus & si id opus qd̄ p̄ insufflationē secūdū uim flatus ip̄ellētis magis ip̄rimere uideat̄, tamē si gargarisma uehemēter fiat sapit quodāmodo naturā medicamēti ex alto effusi. uerū Galenus in 3. Methodi ubi loquit̄ de medicamētis, q̄ capiti applicant̄ p̄ cōmissurā coronalē. censet magis ip̄rimere medicamētū liq̄dū. si ex alto effundat̄, gargarisma uero ex alto effundi uidet̄ cū ui spiritus in altū eleuat̄. Addeq; iprobari à Galeno insufflationē lib. 6. de cōpo. medica. secūdū locos ubi titulus est ab Asclepiade p̄dita, ibi inquit cæterū p̄ arūdinē eiusmodi pharmaca insufflari, ualde iprobo. Defert̄ etenī ex ipsis multū in gulæ summū, tū in ipsam gulā. p̄stat itaq; cochleario indita apprimere, quēadmodū ego uti soleo ut tūdistin. ut Galenus nō neget posse apponi pulueres, sed neget apponēdi modū p̄ insufflationē. Sed petes an gargarisma ex lacte conueniat. R̄ndemus quādo fortiora sint effecta gargarismata, cōuenire ex lacte gargarisma ad mitigādū dolorē, et etiā simplr nō despiciēdū, qa dolorē lenit, mitigat & emollit & Gale. l. 10. de simpli. medic. facultatib° dicit lac anginā mitigare. Petes uero an hæc cōueniāt ante euacuationē. R̄ndem° morbū eē adeo breuē ut nō hēat expectādi tp̄s sed oīa iculcare fiūt tñ uenæ sectio p̄cedere debet et si hæc fiāt pri° sint leuia gargarismata. ut id ex succo merorū et aq̄ plātaginis. et cū nō multū p̄ueniat p̄ medicamētū i hoc casu euacuare, p̄ptea post uenæ sectionē fiāt. Cum hic morbus uehementissimus sit & periculosus, non debemus esse uno solo medicamento contenti, sed multa simul fieri debent, unde interim dum gargarismata fiunt, & emplastrorum applicationes circa collum fiant, capitiq; uel cetera,

uel emplastra, uel inunctiones apponãtur, iccirco de his oĩbus diligenter cõsiderandum est, primò uero dubitatio occurrit, an collo repercussiua conueniant, nam ex recẽtibus nonnulli applicãt ex rosis, balaustijs, rhu obsoniorum, & similibus emplastra, hi uero maxime aberrant, essentq́ ẽ uitę libro, & ab arte repellendi, nam & si in abscessuum initijs repellẽdum sit, id intelligitur cum potest poni supra abscessum medicamentum, repercussioq́ ad nobiliorem locum non fiat. At supra intriose cum gutturis uel gulæ abscessum medicamentum applicare non possumus, tũc enim recte repercuteremus. Et si abscessus sit extra, nõ debet supra ipsum poni repercussiuum, quia locus ad quem fieret repercussio est locus intrinsecus & periculosus utimur uero repercussiuis gargarismatibus, quia supra abscessum ponuntur, & ad extrinsecam partem repercutiũt. Forte dices Mesuẽ emplastrum conficere ex mori folijs ex oleo chamomellino. tamen mori folia adstringunt, & oleũ chamomellinum non multum trahit. Respõdemus non cõuenire, quia non attrahit, forte apposuit ut emolliret, q̃uis hoc necessarium non sit. At dices ex his quæ dicta sunt illinitionẽ qua utitur Aetius esse dãnandam, nẽpe adstringit & repercutit, inquit enim quin & illinitiones mansuetiores inflãmatis cõmodæ sunt, uelut est ea quæ ex moris cõstat, & rhois culinarij cremore hydromelite incoctis donec cogatur, oportet autem præmacerare sufficienter, ipsum rhoem donec abunde aqua mulsa ex eo colorẽ accipiat, & in sapore uim eius repræsentet. Rñdemus si Aetius extrinsecas partes illinere uoluerit, ab eo profecto dissentimus, & cõpositionem non cõuenire dicimus. Vnde intelligere possemus partes faucium intrinsecas esse delinendas. At cũ hoc & incõsuetum sit, neq́ ægri ut fieret, ferre possent, iccirco inferamus intellexisse illitionem extra faciendam, tamen non conuenire quia repercutit, in hoc autem casu repercussiuis extrinsece uti non debemus. Et si dicas id facere ob inflãmationem, quia illa sunt frigida. Respondemus non esse extrinsece frigida applicanda cum inflãmatio intus sit in hoc potissimum casu in quo repercussio semper est dãnanda, cum ab extrinseca parte ad intrinsecam sit, sed perpetuo est tutior morbus quando secundum Hippocratem rubor q̃ maxime foras fertur. Neq́ illud etiam cõuenit quod apud eundem Aetium ad eundem usum ponitur linimentum ex succo mali punici cum corticibus expressi & melle, ita ut tres partes sint succi, & una mellis & decoquantur, donec cogantur, licet linimentũ uel recipiat, tamen magis cõstringens est, q̃ attrahens, ut probe Trallianus annotauerit euitanda esse cataplasmata quæ reprimẽdi uim habẽt, sicuti & illa quę uim habẽt solũ laxãdi. Hippocrates lanis utiẽ, uel spongijs aqua calida madefactis quibus collum circundat, ut calore materia extra trahatur, id habeẽ & in pręsenti sententia & in secũdo de morbis. Celsus inquit melius esse in calidũ oleũ, q̃ in calidas aquas spõgias demittere, tamẽ possunt & fomẽta ex herbarũ attrahẽtiũ & calidarũ decocto fieri, postea decoctũ spõgia excipere, & collum circundare, quãdoq́ fomẽto subscripto usi sumus.

℞ Florũ chamomelli,
Stoechadis,
Meliloti,
Pulegij,
Calamenti,
Origani, — sing. M. j.

Misc. & fiat decoctio in sufficiẽti quantitate aquæ ad cõsumptionẽ tertiæ partis. nõnunq̃ fieri iussimus fomẽta spongijs ex oleo chamomellino, uel anethino, oĩa conueniunt quæ à parte intrinseca ad extrinsecam attrahũt, à recẽtioribus & antiquioribus infinita huius generis describuntur. sunt qui uno utunẽ & qui alio. tu authores legito, qui & fomẽtis ad hoc propositum, & linimẽtis pleni sunt. hæc in initio fiũt euacuatione tñ prius facta, quia si ante euacuationẽ fieret timẽdũ esset, ne magna materiæ copia in locũ læsum deflueret, quæ à linimentis traheref, tamẽ quia nõnunq̃ contingit ut sit à materia pituitosa, uel atrabilari dura, tũc maturatione indiget, quæ illis fit emplastris quę uim habent maturãdi abscessus, possunt præterea & collo apponi per modũ cerati, unde Hippocrates superius dicebat ceratum collo imponẽdum esse quod uim attrahẽdi habeat & non repellẽdi. Tñ duo sunt emplastra, quæ in antiquo usu fuere, & in usu pręsenti esse uidẽtur, unũ est ex canino stercore, aliud ex humano. Petes an circa collũ apponi debeãt. Paulus dicit esse præsentissimũ remediũ stercus caninũ aridũ cũ melle illitum, Galenus. 6. de cõpositione medicamẽtorũ secũdum locos, ubi est titulus Musa ad anginam, stercus caninũ albũ accipito & resiccato, tritumq́ cribro medico cribrato & in prõptu habeto, usus tẽpore melle diluito, atq́ partẽ ut deuoreẽ illinito. hæc cũ scribat Musa, merito etiã adstipulamur, hoc enim pharmaco fortius nullũ nouimus, neq́ in angina, neq́ in magna tõsillarum inflãmatione, aut his quibus ex glãdulis suffocationis periculũ iminet. vides quãtum faciat & Musam & medicamentũ Galenus, Aetius & ipse Antoniũ Musam adducit, dicẽtẽ stercus caninũ accipe & exiccat, contusoq́ & cribrato utere ad anginas cũ melle illinẽs ut trãsglutire possint, eo enĩ nullũ est potẽtius pharmacũ, Galenus. 5. de simpliciũ medicamẽtorũ facultatibus capite. 17. inquit caniñ stercus esse simile medicamẽtis extergentibus, maxime si uescãtur ossibus, imo ab authoribus notaẽ, quãdo canino stercore in hoc casu uti uolumus, iubere debemus ut per tres dies nõ edat nisi ossa. Tñ Galenus in. 10. de simpliciũ medicamẽtorũ facultatibus solũ debere per duos dies comedere ossa, tũc enim faciũt stercus durũ cãdidũ minime foetẽs, illud exiccabat et in puluerẽ redigebat, & utebatur ad anginã, dysenteriã & summe inueterata ulcera quando opus erat, his miscẽs quibus cõueniebat, & de humano stercore ad anginã ualere dicit melle exceptũ, accipiẽdũ uero est pueri stercus qui per tres dies lupinos comederit cũ pane bene cocto in clibano, & dãdum in potu uinũ uetus, Galenus uero nõ refert an per os dederit, an delinuerit, tamen ut Aetius refert, Archigenes humanũ stercus propinãdum dabat, nẽpe stercus in pãno ligabat humanũ, & extorrebat, atq́ cũ aqua mulsa dilutũ ꝓpinabat, est enim (inquit) remediũ corũ qui tã suffocanẽ, & idem Archigenes in nono de cõpositione medicamẽtorũ secundũ locos, stercus caninũ albũ præbet. At re uera nobis indignũ uideẽ, ubi infinita adsunt præsidia, & æque bona, imo & præstãtiora, indigna hæc accipere. Arbitramurq́ Archigenẽ fuisse scatophagũ, nã & dabat gallinaceũ stercus albũ, & colore cerusam referẽs quãtũ cochleari accipi poterat, in aqua, aut aqua mulsa, putamus, glocẽtis gallinæ stercora accepisse, nam ea albedine insignita sunt, licet & quædam albedo sit cõiter in gallinaceis stercoribus, tamẽ cũ illi propinare nõ possunt, censet cũ melle tritũ penitissime illinẽdum, intellige uero in ore illinẽdũ, sed ut diximus, neq́ illinitemus humano stercore, neq́ canino, neq́ gallinaceo, neq́ alio quocũq́ ex stercoribus, cum adsint & æque bona & meliora quæ applicari possint medicamẽta, quãuis Galenus dixerit se uidisse mira de his stercoribus experimẽta, & det potui stercus humanũ in lib. de medicamentis facile parabilibus, si is liber Galeni sit, & in. 5. Methodi utiẽ medicamine ex palũbium stercore, sed extrinsece, & in lib. de Theriaca ad Pisonẽ stercora laudat, imo particulariter in. 6. de cõpositione medicamẽtorũ secũdum locos caninum stercus laudauit, & humanũ dãnauit, imo simpliciter in. 10. de simpliciũ medicamentorũ facultatibus in initio dãnat & stercorũ & superfluitatũ humanarũ esum ac potũ, dixerat primo de partiũ humani corporis esu esse cõtra leges, nõ tamen sunt foeda atq́ abominãda, postea sequitur, at potio sudoris, aut urinæ, aut mẽsium mulieris, abominãda, detestãdaq́ est, atq́ horũ in primis stercus, quod tamen scribit Xenocrates si oris aut gutturis partibus inungaẽ et in uentrẽ deuoreẽ quid pręstare ualeat, scripsit etiã de auriũ sordibus deuorãdis. At ego ne has quidẽ unq́ deuorare sustineã, ne si in totũ quidẽ morbo deinceps liber degerẽ. Atq́ his etiã magis abominãdũ puto stercus, estq́ ꝓbrũ graui* homini modesto audire κοπροφάγον, hoc est stercoriuorũ q̃ fellatorem, aut cinædum, & inter fellatores magis execraenus

mur qui phœniciſſant, q̃ qui leſbiantur, cui non diſſimile mihi uidetur perperi qui menſes bibere ſuſtinet, itaq; horum nemo periculum facere non auerſabitur, hominum certe ſecundum naturam habentium, neq; inſuper quę tametſi modeſtiora uideantur, tamen etiam fœda ſunt, nempe partem aliquam corporis ſtercore inungi perperi, ob affectum. ſ. ſi quem patiatur, aut humano ſemine id quod γόνον, hoc eſt genituram, appellare ſolet Xenocrates, ſummaq; diligentia diſtinguit, quænam ipſa genitura ſola illita, quæ uero ubi ex ſinu mulieris poſt coitũ uiri effluxerit. Nã ingens ſit medicamẽtorũ penuria oportet, ubi quis quo chimethla ſiue perniones curet uiri ſemen conquirere cogitur, quod in mulieris congreſſu intus non remãſit, uerum effluxit, atq; effuſum eſt. Vt uideas Galenum penitus his aduerſari qui & ſtercora, & ſuperfluitates humanas exhibent, uel animantium brutorum, imo neq; uult ſtercore partes illinendas, & in. 6. de compoſitione medicamẽtorum ſecundum locos de Apollonio miratur, qui urinam aſini in potu dederit, uideturq; Galeno & nefandum hominis urinam bibere, quam tamen lienoſis quotidie noſtri temporis medici exhibẽt, ac ſi alia non habeantur præſtantiora præſidia. tu illa contemplari potes quæ in decimo de Simplicium medicamentorum facultatibus de humana refert urina, & ubi de caprino loquitẽ ſtercore inquit, ſtercoribus nos uti non debere, cum alia multa eorum loco habeantur. At dices Galenum nõnunquã uti ſtercoribus, & ad quæ ualeant referre, cur igitur nunc uelle eorũ uſum refellere? Reſpondemus non refert Galenus ac ſi uelit nos ſtercoribus uti, ſed ut eorum uires oſtendat, & id ſecũdum alios authores qui experti ſunt, monet. Si uero nos in angina ſtercore uti uoluerimus, columbino potius uteremur q̃ alio quopiam, nam cæteris uehementius attrahit, & ne exureret, ſimul & uiolas & maluas & althęam miſceremus, & hordei farinam, per os uero ſtercora nunquam potui exhiberem quãuis antiqui per os exhibuerint. At cataplaſma, quod ſequitur in angina optimum eſt, & eo frequenter uſi ſumus.

℞ Thymi,
Hyſſopi,
Nepetæ
Origani,
Mentæ,
Rutæ,
Centaureæ minoris,
Maluæ,
Violarum
Althææ,
} ſing. M. ſ.
Farinæ fœnugræci, lib. j.
Olei rutacei quantũ ſufficit. Miſ. & fiat cataplaſma.

Collo apponitur, & trahit materias extra, tamen nonnũquam appoſuimus collo & pectori medicamentum ex ſinapi confectum caricis & aceto, nam non ſolum attrahit, ſed & ueſicas mouet, & totam illam partem rubram reddit, ſupra quam extenſum fuerit, ſi per ſpatium ſex horarum loco inhæſerit, mirũ eſt in hoc caſu præſens medicamentum. ambiguitas uero eſt de medicamento quodam, quo frequenter in hoc caſu recẽtiores utuntur, caſſiæ florem accipiunt, & totum collum deliniũt, an conueniat. Reſpondemus, in hoc profecto conuenire, quia emollit, ſed cum calida tantum ſit in primo ordine, propterea non attrahit, & ideo præter rationem fit hoc medicamentum, potiusq; obeſt, q̃ proſit, quia non attrahit, & eſt frigidius q̃ ſit inflammatio intrinſeca, neq; illos probo, qui linteã apponunt in oleo roſaceo madefacta, minus probo qui in uiolaceo, hæc omnia à recentibus fiunt.

Fuit antiquus mos in angina medicamento uti, quod harmala & Beſaſa uocabant, omnesq; antiquiores authores de illo mẽtionem faciũt ſuis in libris, iccirco eius compoſitio conſideranda eſt, & in uſum ducenda. Alexander Trallianus ita compoſitionem adducit.

℞ Seminis aniſorum
Apij,
Ameos,
Floris rotundi iunci odorati,
Aluminis ſciſſilis,
Iridis Illyricæ,
Beſaſa. i. rutæ ſiluestris quæ ab alijs harmala,
Caſſiæ,
Thuris,
Crocomagmatis,
Roſarum aridarum,
} ſing. unc. ſ.
Cineris pullorũ hirundinũ crematorũ unc. iiij.
Croci unc. j. ſ.
Spicæ nardi,
Amomi,
} ſing. unc. iiij.
Gallarum nu. viiij.
Melle ſufficiẽte accipiantur, & cum opus erit adhibeãtur.

Andromachus huius compoſitionis author ferẽ. Vnde Aetius ex Andromacho refert medicamentorum quo utebatur ad anginas & deſperatos, parum differt à compoſitione, quam ex Tralliano adduximus. eſt uero hæc quam Aetius ea Andromacho refert.

℞ Seminis aniſi,
Apij,
Floris iunci odorati,
Amij,
Aluminis ſciſſi,
Iridis Illyricę,
Seminis rutę dictę harmala uel Beſaſa,
Cinamomi,
Myrrhæ troglodyticæ,
Ariſtolochiæ longæ,
Caſſiæ,
Crocomagmatis,
Roſarum ſiccarum,
} ſing. unc. ſ.
Coſti quadrantem
Cineris hirundinum recens uſtarum quadrantem,
Croci ſeſquiunciam,
Spicæ nardi ʒ. iiij.
Amomi ʒ. iiij.
Gallas omphacitidas nu. viij.

Contere & melle excipe ac utere, dabant per os magnitudine fabæ ex frigida, differunt uero hę compoſitiones, quoniam illa Tralliani thus recipit, quod illa Aetij non recepit. Illa uero Aetij Ariſtolochiam recipit longam, cinamomum, & coſtum, quæ à Tralliano non recipiuntur. differunt præterea in pondere.

Paulus libro ſeptimo capite. 14. compoſitionem hanc iſto modo refert.

℞ Seminis aniſi,
Apij,
Ameos,
Floris rotundi iunci odorati,
Aluminis ſciſſilis,
Irydis Illyricæ,
Beſaſa quod alij harmala. i. rutæ ſylueſtris,
Cinamomi,
Myrrhæ,
Croci,
Gallæ,
} ſing. unc. ſ.

| | |
|---|---|
| Aristolochiæ longæ, | unc. j. |
| Casfiæ, | |
| Crocomagmatis, | |
| Rosarum aridarum, | |
| Costi, | sing. un. iij |
| Hirũdinũ stercoris seu, cineris recẽtis, | |
| Nardi indicæ, | singulorũ unc. ʃ. |
| Amomi, | |

Mellis quãtum sufficit. hæc cõpositio est eadẽ ferè cum illa Aetij, solum differũt in pondere gallarum & croci, quia Aetius ponit gallarum nu. viij. & croci unc. j. ʃ. Paulus uero ponit gallarum unc. j. & croci unc. j. sunt uero simplicia in cõpositione Aetij & Pauli nu. 19. in cõpositione uero Trallian solum sexdecim, si rectè computetur. Scribonius Largus ubi de anginæ præsidijs agit, cõpositionẽ refert huic similem, quæ solum differt in pondere. & loco seminis rutæ ponit semẽ gith uel zeæ, hęc uero est cõpositio, quã uehemẽtem esse dicit.

| | |
|---|---|
| ℞ Costi, | singulorum põdi binũ. |
| Apij, | |
| Anesi, | |
| Schœni, | |
| Casfiæ ruffæ, | |
| Gith, | P. j. |
| Amomi uictoriati, | P. unius |
| Zeę quod est semen, | P. duum |
| Aluminis fissi, | semiunciam |
| Gallę medię magnitudinis nu. | v. |
| Croci, | P. ij. |
| Crocomagmatis Victoriati, | P. |
| Mirrhæ Victoriati, | P. |
| Aristolochiæ creticæ, | P. iiij. |
| Cinnami, | P. iij. |
| Hirundinum syluestriũ pullorum cineris | P. uncia |
| Nardi spicæ Victoriati, | P. |

Hæc omnia siue contusa, siue creta diligenter melle attico despumato cõprehenduntur, desunt solum in hac cõpositione ami, iris Illyrica, & rosæ aridę, & loco seminis rutæ ponit gith, uel zeæ semen, in in reliquis conueniunt.

Sed petes quomodo hæc Scribonij cõpositio Besasa appellari poterit, quia nõ recipit Besasæ. i. rutæ syluestris semen? Respõdemus Scriboniũ eo modo nõ nominasse suam cõpositionem sed prędictis simillima est, & eandẽ habet cũ illis intentionem. Differũt præterea Paulus & alij in hirũdinibus, quia Paulus iubet accipiẽdum stercus pullorum in cinerẽ redactum, alij ipsos pullos. Galenus in sexto de cõpositione medicamẽtorum secundum locos ubi loquitur de stomatica illitione ex Besasa. i. ruta syluestri, inquit, alios nidũ urere iubẽtes ex stercoribus hirundinum maxime cõpositum, alij ipsas hirũdines, alij ipsorum pullos, & in libris de remedijs paratu facilibus utitur hirũdinum cinere ustarum ad oris putredines ac crustas. Et si petas quid accipiendum sit, Galenus dicere uidetur, hirũdines ipsas, uel hirundinum pullos, quamquam non sit tam certum, tamen rem probe considerantes, & pernoscentes in hirundinum pullis, uel in hirundinibus nõ esse uim discussoriam nisi paucã, iudicauimus intelligendum esse stercus hirũdinũ, quoniam hoc stercus, ut prædicto notat Galenus loco, acre & discussorium est, nã stercore omnia acria & discussoria sunt licet per magis & minus differant. Si uero à me petieris quodnam ex prædictis medicamentis recipiendum sit, & in usum uocandum: Respondemus illud quod à Galeno describitur secũdum Andromachũ. 6. de compositione medicamentorum secũdum locos, ubi inquit stomaticum ad anginas ex Besasa faciens ad desperata, cuius compositio sequitur.

| | |
|---|---|
| ℞ Seminis anisi, | singulorum unc. j. |
| Apij, | |
| Amij, | |
| Floris iũci odorati recẽdi, | |
| Aluminis scissi, | |
| Iridis illiricę, | |
| Besasa, | |
| Cinamomi, | |
| Myrrhæ troglodíticæ, | |
| Aristolochiæ longæ, | |
| Casfiæ, | |
| Rosarum siccarum, | |
| Crocomagmatis, | |
| Costi, | utriusque quadrãtẽ. |
| Cineris hirundinum recentis, | |
| Croci | unc. j. ʃ. |
| Nardi indicæ, | utriusque unc. ʃ. |
| Amomi, | |
| Gallæ | nu. viij. |

Tritis cum melle utere, sed denique usus tẽpore mel addere. ab Hera antiquo authore describitur hoc pharmacũ, solum differt, quia uariant rosas Hera, quia ipsas rosas non ponit, sed florem rosarum, imo in fine addit, quidam etiã casfiæ fuluæ unciam unam. ʃ. addunt, unde Heræ compositio hęc est quæ sequitur ne quis illam desideret ex Galeno. 6. de compositione medicamentorum secundum locos accepta.

| | |
|---|---|
| ℞ Anisorum, | singulorum unc. j. |
| Ami, | |
| Seminis apij, | |
| Costi | unc. j. ʃ. |
| Floris iunci odorati | unc. j. |
| Iridis illyricæ | unc. j. |
| Aluminis scissi | unc. j. |
| Gallas omphacitidas medię magnitudinis | viij |
| Crocomagmatis | unc. j. |
| Croci | unc. j. ʃ. |
| Myrrhæ | unc. ʃ. |
| Floris rosarum | unc. ij. |
| Aristolochiæ longæ | unc. j. |
| Seminis besasa | unc. j. |
| Cinamomi | unc. j. |
| Spicæ nardi | unc. j. ʃ. |
| Amomi racemi | unc. j. ʃ. |
| Quidã addunt casfię fuluæ | unc. j. |
| Cineris recremẽti hirundinũ | unc. j. |

Myrrham cum melle terito. Reliqua uero omnia confusa & cribrata in mortarium conijcito, & per pistillum myrrham cum melle moderato commisceto ut pharmacum melle crassius reddatur, usus uero tempore melle dilutum illine, atque

ex

ex aqua gargarizandum præbe, aut ex aqua mulsa, uel succo persanæ, prius uero dabat in frigida magnitudine fabę, ut hic conijciam hoc medicamẽtum & gargarizari in angina & illiniri, & potui bibi uel deglutiri, nam potest secundum omnes prædictos modos anginam patienti applicari. Scito tamen nõ posse poni in principio, quia ut Galenus notat acre est & discussorium pharmacum ratione stercoris hirundinum ut omnia alia sunt aliorum animantium stercora. est & Besasa multum discussoria, quia in tertio est ordine calefacientium, & cinamomum tenuium est partium & discussorium. Discussoria etiam sunt & semina anisorum, apij & amij, & iris, & aristolochia & myrrha, sunt uero mixtæ qualitatis ex discussorio & adstringente, cassia, crocus, nardus, amomus & costus, in costo, tamen uis calefactoria & discussoria, iũcus odoratus uim habet adstringentem, & uim calidam imbecillam. Gallæ omphacitides multum adstringunt. Et si petas cum hoc medicamentum confectum sit ex fortibus discussorijs & calefacientibus, & adstringẽtibus, quænam uires in toto compositione præualent? Respondemus discussorias & calidas. Cum igitur sit toties antiquitus expertum, & à tot laudatum uiris medicamẽtum, non ab re erit illud conficere, & seruare, & quando opus erit eo uti, nã & hoc & optima plura iam absoleta, in usum reducere cœpimus. Differt compositio hæc Galeni ab illa Pauli in croco, quia Paulus ponit croci. unc. j. Galenus unc. j. s. In Græcis Galeni codicib⁹, quos uidim⁹, & potissimũ in Aldino desunt tria hæc cassia, rosæ. & procomagma, quæ necessario addi debent, quoniam & Galenus ipse postea in expositione quod compositio habeat adstringentia & discussoria illa nominat, præsertim crocum & rosas, uerum cum dicit non differre Heræ compositionem ab illa Andromachi nisi in rosis, quia ponit Andromachus rosas, Heras uero semen rosarum, & adde hæc tria ob Aetio hanc compositionem referente poni, & à Paulo Aegineta, imo & à Tralliano, quin & Scribonius Largus crocum & crocomagma adiecit, licet rosas præterierit, hoc medicamento uti debemus in morbi augmento, erat uero in magno usu apud antiquos in angina, & ad intestinorum tormina illo frequentissime utebantur. Ambiguitas uero est de medicamento quo recentiores ex hirundinum nido in angina utuntur, quãdo materiam quæ intus est, extra educere uolunt, an conueniat, an non conueniat. Respondemus nidorum hirundinum cõpositione considerata, quæ ex terra est & potissimum ex creta uel argilla quæ frigida est, & lignorum festucis uel palearum simpliciter dicimus non conuenire, & qui dicunt esse factum nidum ex hirundinum stercore mentiuntur, nam hoc facilime uideri potest. imo & hirundinum pulli à matribus edocti extra nidum excernunt, si quis dicere uoluisset stercus in nido congregari, propterea nos uel stercus ipsum, non nidum sumendum iudicaremus, uel pullos ipsos, nam antiqui quidam & illi quidem probi pullos accipiebant, alij stercus, q̃q̃ & apud antiquos nonnulli uterentur nido combusto, uerũ præ omnibus stercus laudamus utpote acre & discussorium, & quod materiam quæ intus est, ad circunferentiam trahet, tamen ut superius dictum est cum alia habeantur, stercora prætermittenda sunt. Et si dicas Galenum uoluisse nidos aliquos hirundinum esse ex hirundinum stercore cõfectos, quia ubi de Besasa cõpositione tractat, inquit aliquos accipere hirũdinum nidos potissimũ illos qui ex stercore confecti sunt. Respondemus, nunquam id nos uidisse, quod ex hirundinũ stercore confecti essent, sed semper ex argilla & festucia, forte Galenus adducit antiquos ita dicentes non quod ipse uelit nidos aliquos esse ex hirundinum stercore confectos, tamen in sexto de cõpositione medicamẽtorum secundũ locos dicit nidum hirũdinum syluestrium habere facultatem discussoriam, & in calce libelli de medicinis facile parandis utiẽ hirundinum nidis ad gutturis fluctionem. Sunt alia linimenta ad anginam in tertio de facile parandis libro, ut alba populus arida contrita, & collo illita, tamẽ cum sit arida nõ poterit illiniri nisi adsueris oleum aliquod cõmistum, & etiam populus alba est mihi suspecta, facit et illitionem ex nasturtij semine, & fimo colũbino, ex melle, hoc linimẽtum magis cõuenit, dat & mel tepidũ gargarizãdũ, quod in inclinatione fieri debet. Mihi uero displicet linimẽtum quod facit ex canino stercore albo trito, & aceto, quo collum illinit, nam acetum repercutit, licet canum stercus cõueniret. At Galenus in. 9. de Simpliciũ medicamẽtorum facultatibus, ubi agit de cucumere agresti, angina laborantes elaterio inungit, quod probãdum est, nã ad circũferẽtiam trahit. Cũ uero ab Hippocrate dictum sit caput abradẽdum, & ceratũ imponẽdum, petes quod nã cerati genus id sit, & quomodo applicãdum. Respondemus ceratum non debere poni supra caput, nisi angina fiat à materia ad gutturis partes destillãte, tũc enim ceratũ capiti imponi potest, & Auicẽna inquit in initio abraso syncipite liniendum esse ex acaciæ succo. Tamẽ ab hoc succo abstineremus, quia materiã potius ad infernas partes repercutit. unde si Auicẽnã defendere uelimus, dicere possemus intelligere qñ materia fuerit tenuis aquosa, & ex hoc succo incrassetur, tũc. n. non descẽdet, sed ad exitum ineptior erit, & ad discurrendum in locũ ubi est angina. at cerata quæ capiti apponi debẽt, talia esse oportet ut materiã attrahãt, unde illa calida esse debẽt quæ cerata ingrediũtur in angina supra caput apponẽda, uel sint inunctiones, calidæ esse debẽt. Plerunq; supra caput emplastrũ ex sinapi posuimus per tantũ tẽporis ut tota capitis cutis rubra euaderet, tũc enim prohibeẽ materia quæ fluit & ad capitis cutim duciẽ. sint ergo calida attrahentia, q̃ capiti in angina supraponi debent ut materia sistatur, ac in locum potius superiorem trahatur, quod in loco anginæ infixum est, inter alia uero emplastrum ex sinapi uehementissimum est.

Interim dũ hęc fiũt. omni diuersionum genere uti debemus, ut frictionum, ligaturarum cucurbitularũ, & oĩum similium, quę quotidie replicari debẽt. Ambiguitas uero est de antiquorum usu in angina, quippe antiqui iubebãt angina laborãtes euomere, quod absurdum uidetur quia materia quæ per uomitũ exit cũ uiolẽtia quadam, & per gulã exit, & ideo in gula cõculcabiẽ & faciet uel maiorẽ anhelitus difficultatẽ, uel suffocationẽ, propterea non uidebiẽ conueniẽs uomitum prouocare. Rñdemus cum erat abscessus in gula, forte uomitũ prouocabant, ut materia exiens abscessum disrũperet, sed cum in gutture est, potius obesse potest q̃ prodesse, nisi dicaẽ agitationẽ illam & cõmotionem, quæ à uomitu fit, posse & abscessum disrũpere qui sit in gutture. Apud Aetiũ lib. 8. capite. 47. adest uomitoriũ Martiani, quod & ad optas, & manifestas anginas ualet. additq; Aetius hæc uerba, Præexige (inqt Martianus) mercedẽ. adeo existimabat nobile & proficuũ suum uomitoriũ, ut nunq̃ alicui præberet, priusq̃ uoluerit accepisse mercedem. Est uero Martiani uomitorium hoc.

| | | | |
|---|---|---|---|
| ℞ | Aeris usti | ʒ. | xij. |
| | Atramenti sutorii. | ʒ. | xij. |
| | Myrrhæ | ʒ. | j. |
| | Elaterij | ʒ. | j. |
| | Spumæ nitri | ʒ. | j. |
| | Fellis taurini | ʒ. | iiij. |

Excipe melle, & cũ pinnula, q; penitissime illine, iubebat Martianus, ut intrinsecæ oris partes, quanto profundius peruenire possumus compositione illa delinirenẽ, nam natura tam abominatione dignã cõpositionẽ nõ ferens, in uomitũ prouocaẽ. putamus Auicẽnam intẽtionem habuisse ad uomitũ, quando dixit, Quandoq; linitur palatũ ex felle taurino cũ melle, & felle testudinis, & flore æris. hæc linitio fit ut uomitus prouoceẽ, q̃uis ab Auicẽna non exprimaẽ, nam si hoc nõ intẽdat, medicamẽtũ nõ ualebit, nisi opus sit à palato materias euellere Aetius præterea alia ponit in angina uomitoria, quale illud, Archigenis remedium, quo utor (inquit) ad occultas anginas. mirabiliter etiam conducit anhelosis, elaterij oboli dimidiũ, spumæ nitri obolos tres. Sinapis. ʒ. i. contere ex aqua & informa; non refert postea quomodo uomitus prouocandus sit, sed os intrinsece. delinendum est, quàm penitissime fieri possit,

Ita enim ab hoc medicamento mire uomitus prouocatur. Addit Aetius ex Archigene, mouet autem uomitum elaterium cum oleo, aut melle tritum, & penitissime illitum. Multo autem efficacius id præstat si squama æris ei commisceatur, aut ipsum æs ustum, oleo cyprino tritum & illitum. probe etiam facit fel tauri illitum, & nitrum cum aceto mulso potum, & cẽtaurea, & aselli sub aquario stabulantes uase, cum melle delincti. Quidam nasturtij semẽ tritum bibendum exhibuerunt, quantum cocleari accipi potest cum aqua mulsa, neq; ita longe post pituitam uomuerunt illi crassissimam & tenacem, statimq; à plurimis molestijs sunt liberati. Sed de asellis illis quærendum esset an uómitum prouocare possint, quia remedium est, quo & nonnulli recentes utuntur, uerum authores non intelligunt delinire extra guttur, cũ Aetius dicat asellos hos cum melle delinctos, profecto qui extra ponunt errant, cum sint frigidi & humidi, qui potius repercutiunt, quàm materiam educant, licet Dioscorides sit huius rei author, qui de asellis loquẽs inquit ex melle usũ uul̃ier anginæ inunguntur, tamen conijcere non possum, unde possint uomitum prouocare, nisi sit ex hominis lautitia qui talia animalia abhorret. Galenus & ipse in 6. de compositione medicamentorum secundum locos mentionem facit asellorum sub hydrijs in angina, & in septimo de compositione medicamentorum secundum locos habet quales sint, & quam uim habeant, & an conueniant hi aselli. Imo & fit mentio asellorum ex sterquilinijs, facit & Aetius ex gallinaceo stercore albo, & colore cerusam referente exiccato uomitorium, dat quãtum cocleari accipi potest in aqua uel aqua mulsa propinandum, & dicit desperatos etiam sanare, quod si bibere nequeant, tritum cum melle quàm penitissime illini, & multa alia addit uomitoria Aetius, sed hoc ex stercore abominabile est. Illud melius est, quod refert.

| | | | |
|---|---|---|---|
| ℞ | Centaureæ<br>Nitri<br>Salis cõis | } | an̄ ℥ viii. |

Contere & repone siccum, exigente uero usu melle imbue, & cum pinula illine, aut quomodo uidebitur utere confidenter, hoc est experimento comprobatum. Aliud Absinthium contusum & cribratum adiecto nitro trito, illine cum melle. Aliud elaterium cum felle marino & melle contritum illine, hæc sunt omnia antiqua uomitoria in angina, quorum nostro tempore nullus est usus, imo nullus est, qui in angina uomitum prouocet, cum tamen in illa quæ in gula est multum prodesse posset abscessum abrumpens, tamen in illa quę in gutture est, posset suffocationis periculum inducere, nisi dicamus id quod euomitur tam breui pertransire, ut homo possit & sine respiratione tam brevi tempore remanere.

In angina uehementi præsidium aderat apud antiquos, quod nostro tempore in usu non est, eo uero utebatur Hippocrates in libro de morbis secundo in anginæ prima speciæ, ubi dicit contere nitrum, origanum, & cardami semen, quibus admisce partes æquales aceti & aquæ. olei parum, ac subacta in ollam infundas superponendo operculum, quod calamus concauus ingrediatur, hæc super carbones posita ferueant, tandem patiens uaporem ascendentem ore aperto per foramen calami recipiat, cauẽdum ne pharyngam adurat. Aetius quoq; lib. 8. capite. 47. in angina ponit fomenta per uaporem, cum ingto, riganum, hyssopum, satureiam, fœniculi semen cum aceto plurimo & nitro feruefacito in olla diligenter operta, operculo foramen habente in medio, deinde arũdine ori ęgri & foramini adaptata, sinas foueri, si uero ex arundinis feruore os adurantur, ouum uacuum paruum utrinque perforatum ore contineant, & per ipsum arundo immittatur. Mollius autem fomentum facit si pro aceto poscam affuderis aut aquã. Nota tamen si fiãt hæc fomenta non posse fieri in initio, nam in initio potius ex adstringẽtibus & frigidis fieri oportebat, sed in uigore fiant, nam hæc uim discutiendi habent & dissoluendi, tamen cum hi qui anginam patiuntur anhelitus habeant difficultatem, arbitramur ex huius fumi sumptione anhelitum magis coarctari, non enim potest statim cum sumitur dissoluere, sed potius calorem auget, & anhelitus difficultatem, quẽdam uidimus, qui hoc suffumigij genus uti uoluit, & pene suffocatus est, unde arbitramur in parua angina, & quæ à materia sit frigida potius conuenire hæc suffumigia, quàm in magna angina & à materia calida facta, isq; qui fumũ recipit, paulatim recipere debet, ne simul & uniuersim acceptus suffocet.

Quidam erat qui tussi longa uexabatur. Nicolaum Leonicenum petijt, & qua re pro sedanda tussi uteretur, interrogauit, Respondit, Tussilagine utaris, hic tussilaginem edere cœpit, & per multos dies perseuerauit, deniq; cum eadem met tussi ad Leonicenum redijt inquiens tussilaginem nihil auxilij attulisse, tunc Leonicenus interrogauit quomodo illa usus esset, hic respondit in cibo. At inquit Leonicenus id non erat agendum, sed fumus per infundibulum erat per os récipiendus, nam Dioscorides de tussilaginis folijs dicit sanant eadem sicca mox incensa siccas tusses. & in spiritus difficultate, non nisi recta ceruice spirantes, in quem fumum aperto ore, exceptoq; & haustu fumo infumari oportet. is uir istud fecit & primo haustu, tam tam fumi copiam hausit, ut in terram deciderit uelut suffocatus (quippe opus est paulatim fumum illum attrahere) domesticæ illius mulieres illum fricare cœperunt. ut deniq; reuiuisceret, & ex illo solum fumi haustu tussi liber fuit. uos igitur admoneo, si quãdoq; his suffumigijs uti uolueritis, ne affatim et uniuersim fiant, sed paulatim, quia suffocationis periculum imminet. in angina potissimũ, si qua difficultas adest respirationis.

Si uero abscessus adfuerit, & maturari debeat emplastris maturantibus extra utaris, intus uero collutio & gargarizato ex decoctione facta ex caricis, hyssopo, maluis, passulis ac similib⁹. nonnunquam contingit ut abscessus dirumpatur, & cesset locus ille exulceratus, quid tunc agendum est? Respondemus & si natura intrinsece sibi opem ferat, tamen & medicus succurrere debet, gargarismata faciens ex croco cum aqua mulsa & glycyrizza, hoc enim emundat & dolorem sedat, cicatricẽque inducit.

Interim uero considerandum est, quo cibo angina affecti cibandi sint, Trallianus inquit ad tertium usq; diem aqua mulsa regendos, post quem dandus est ptisanæ succus per se uel cũ aliqua potione dulci, cum uero inflammatio fuerit comminuta dat uitella ouorum. Paulus & ipse alimentum eorundem mulsam esse usq; ad tertium diem fatetur, postea cremorem ptisanæ cum potione aliqua propinãdum, deinde & ouorum uitella perliquida. usus etiam sorbitionum ex chondro commendatur, Hippocrates in secundo de morbis ait sorbeat succum ptisanæ superbibendo aquam. Tamen in secunda anginæ specie dat cibos pinguissimos & multum salsos, quę nullus in præsentiarũ exhibere auderet, & in tertia specie alleum præbet. hæc nostro tempore non præberentur. tamen si Hippocratem superius in præcedentibus libris cõsideremus, pleuriticum seruat usq; ad septimum uel nonum diem absq; cibo si uires constiterint, ideirco nos dicemus hos per quatriduum nullo cibo esse cibandos, uerum quia absq; potu permanere non possunt, nempe sitiunt, tum ob anginam ipsam ori propinquam, tum ob febrem, propterea cum solo potu seruandi, qui potus sit uel aqua decocta, uel nostra aqua hordei, qua nũc utimur, uel aqua mulsa, q̃q; si gargarismata pro siti extinguenda fane sine absq; potu seruari possunt, uerum aquæ potus, & nostræ aquæ hordei absq; ullo incommodo cõcedi possunt.

Verum cum de angina sermo iam cœptus sit, ne quicquã prętermittatur, scire oportet anginam in alios morbos frequenter trãsmutari, propterea considerare oportet in quos morbos transmutari possit, & an sint angina ipsa periculosiores. Scito igitur nullum esse morbum angina periculosiorem, ex his in quos trãsmutatur, aut est ad exteriora, aut ad pulmonem, aut ad intrinsecas thoracis partes, aut ad thoracis inanem partem, aut ad caput, aut ad uẽtriculum, omnia hęc sunt angina minora. Si

ra. Si enim ad extrinsecas partes uertatur, hoc est & optimum & securissimum omniũ, unde ab Hippocrate Aphorismo. 50. septimi libri dicit. Ab angina habito tumor & rubor in pectore superueniens bonũ, extra enim uertit morbus, & in. 37. sexti libri Aphorismo. Ab angina habito si tumor fiat in collo bonum, foras enim uertitur morbus, & in. 3. prognosticorum sectione. 18. de angina loquens ait, si quibus fauces rubeat & ceruix hæc diuturnior est, maxime uero ex ea seruantur, si ceruix ac pectus traxit ruborem, nec sacer ignis intro recurrat, & in. 20. sectione infert, securissimum uero esse si rubor q̃ maxime foras uertatur, cum ergo ad extrinsecam partem materia transmutatur, nullum imminet periculum, sed æger proculdubio sanitati restituetur, nisi iterum intus recurrat inflammatio, & in secundo de morbis Hippocrates in prima anginæ specie ait, quod si tumor ad pectus usq; distendatur, ac ruborem ardoremq; ostẽdat maior est spes salutis. arbitramur Celsum hunc locum uel illum aphorismum esse ita interpretatum, primo dicit. Atq; interdum natura quoq; adiuuat si ex angustiore sede uitium transit in latiorem, statim addit, itaq; rubore & tumore in præcordijs orto scire licet fauces liberari. & in secũda anginæ specie Hippocrates in secundo de morbis ait quando pectus intumuerit multi sanantur, quandoq; uero transmutatur ad intrinsecas partes, & hę intrinsecę multæ esse possunt, nam si in gula sit angina, ad uentriculum transmutari potest, & siquidem per uenas transmutetur, & in aliqua uẽtriculi parte colligatur, ibi fit abscessus qui est ualde periculosus, tamen minus q̃ sit angina, & si in uentriculi cauitatem transmeet, sine periculo est, & hic sanari facile potest materia hac euacuata. Si uero in gutture sit, quandoq; ad pulmonem transmutaẽ, quandoque ad pectoris cauitatem quandoque ad pelliculam costas tegentem. Adest. x. Aphorismus quinti libri, in quo Hippocrates de anginæ transmutatione ad pulmonem agit, & inquit. Quicũq; ab angina liberantur, ijs ad pulmonem uertitur, & in septem diebus pereunt, si uero hos effugerint suppuranẽ. Celsus capite. 7. secundi libri hunc aphorismum ita referre uidetur, si angina subito finita est, in pulmonem id malum transit, idq; sępe intra septimum diem occidit, quod nisi incidat sequitur ut aliqua parte suppuret. ut Celsus putet id contingere cum quis subito ex angina liberatur, in pulmonem transire, & in pulmone abscessum facere. notaq; naturæ processum, cũ uidet hominem non posse quartum diem cum angina transire, materiam ad pulmonem transmutare ut saltem septem dierum spatio superuiuat, & nisi in diebus septem suffocetur ex materia illa in pulmone contenta suppuratur, hoc enim est diutius adhuc uitam prorogare, sicuti cum morbo laterali laborãtes suppurantur, & materia in thoracis cauitatibus colligitur, nisi in. 40. diebus repurgenẽ, postea phthisci, fiũt sed effugere primo. 14. diem pleuritidis in quo periclitari debebant, deinde 40. suppurationis, & uita quantum fieri potest prorogatur, si materia transmutetur ad pelliculam tegentem costas, tunc fit pleuritis quæ est morbus minus periculosus q̃ angina. At petes nunquid possit ad locum magis periculosum transmutari? Respondemus non posse, quia angina statim suffocare potest, si uero materia ad cor transiret subito etiam suffocare posset, itaq; essent morbi in periculo æquales, quandoq; etiam transmutatur ad neruos, & conuulsionem facit, & ad cerebrum, & phrenitim commouet, sed pro maiori parte ad pulmonem uertitur uel extra, & Hippocrates solum mentionem facit huius transmutationis ad pulmonem & ad extra. Sed petes per quã uiam materia hæc transeat ad pulmones. Respondemus uel resudare per occultas cannæ porositates ad intrinsecam cannæ partem, & ita ad pulmonem labitur, uel à musculis epiglotti resudat ad interiorẽ cãnæ superficiem, itaq; delabitur in pulmonem. Petes uero quibus indicijs cognoscatur anginam trãsmutari ad alias partes. Respondemus id sciri non posse ex Grecis authoribus quos uiderim, quia hæc non exprimunt, sed potest ex Hippocrate & Galeno deduci. Si de transmutatione loquamur quæ fit ab intrinseca parte ad extrinsecam, id oculis uidetur, tumor. s. & rubedo extrinseca, & æger minorẽ persentit anhelitus difficultatem & facilius deglutire potest. At si ad intrinsecas partes conuertatur oculis quidem uideri non potest, sed deprehenditur tumore abscessus minui ac resolui tamen extra nihil apparere neq; in pus conuersum esse, ut suppuratione facta pus exeat, itaq; tumor minuatur, minorq; fiat difficultas anhelitus & transglutitionis. At dices scire optarim quibus indicijs cognoscere possim ad hanc uel illam partem transmutari. Respondemus si dolor fiat circa uentriculum, & tumor qui plerunq; etiam sentitur ad uentriculi substantiam transmutari indicium est. & si adsit nausea indicium est conuerti ad uẽtriculi cauitatem. Si uero contingat pulsum fieri imbecillem & inconstantem ac rarum, & cordis tremorem sequi & calorem extingui, & ægrum syncopi incidere, anginæ materia ad cor conuertitur, in hoc casu æque moriuntur ut in ipsa angina. At cum uidebimus ægrum tussire & in latere dolorem habere, præcedentia uero gulę aut gutturis symptomata minui, indicium est conuerti ad pleuram & in morbum lateralem transire. Recentiores signa trãsmutationis anginæ in pulmonem ex Auicenna referunt, qui dixit esse pulsum undosum magnum, & cum aderit tussis statim notatur conuerti in peripneumoniã, postea Galenum adducunt in. x. quinti libri Aphorismo, qui dixerit signa transmutationis anginæ in peripneumoniam esse pulsum durum inæqualem, reperiuntq; in Galeno contradictionem, utpote qui in libello de pulsibus ad tyrones & in 4. de causis pulsuum dixerit esse magnũ pulsum & undosum, qualis est pulsus peripneumonicorum, notat etenim Galenus prædicto loco, si angina conuerti debeat in aliquem ex his affectibus aut conuulsionem aut peripneumoniam, cognoscitur ex pulsu, qui magis inclinat in unum horum affectuum. unde si pulsus sit peripneumonicorum, indicium esse materiam conuerti in peripneumoniam. ut uideas secundum hos in Galeno esse contradictionem. At hi profecto longe decipiuntur, qui uolunt ex decimo quinti libri aphorismo à Galeno accipi pulsum anginę quæ transmutatur in peripneumoniã, esse pulsum durum, cum hoc à Galeno non dicatur, nec quicquam adest illa in commentatione quod spectet ad transmutationis anginæ in peripneumoniam indicia. Galenus uero in. 4. de pulsuum causis dixit peripneumonicorum pulsum esse magnum languidum mollem, de anginæ uero pulsu loquens dicit esse prædictum quadam conuulsione persimili conuulsiuo, & magnus est & undosus ut pulsus peripneumonicorum, secũdum uero quod hæc in eo pollent expectanda mutatio est, nam si indicia pulsus peripneumonicorum superent conuertetur in peripneumoniam. Si pulsus conuulsiui indicia superent, cõuertetur in conuulsionem, pulsus uero conuulsorũ est pulsus qui tensionem habet, qualem describit eo loco Galenus.

Petes cum quis ex angina suffocatus moritur an spumam circa os habeat. Respondemus habere et adesse aphorismũ. 43. secundi libri in quo de his qui suffocantur quocunq; modo agitur & dicitur nullam esse spem salutis quando circa os spumam habuerit, uerba Aphorismi hæc sunt: Strãgulati ac dissoluti nondum mortui nõ referuntur, quibus spuma circa os fuerit. At petes an aliqui possint in angina euadere qui circa os spumam habuerint. Respondemus posse quidem. Id uero notandum est in anginam patientibus spumam duobus modis contingere. uno modo cum aer feruidus qui in corde est, uel ob laqueum uel ob anginam exire non potest, uel uoces fuliginosam superfluitatem, quæ exire non potest quam necessario exire in libro de utilitate respirationis probauit Galenus. Verum cum angina exire prohibeat, pulmo totam uehementer impellit, unde fit ut pars propriæ humiditatis una expellaẽ, eo modo quo fit in sanguinis eductionibus. fit uero ob eam caliditatem quæ ex corde ad pulmonem impellitur. unde & caloris efferuescentia & motu spiritus uiolento, & uehementi pulmonis conatu ad educendum, spuma enata signum est letale. ut secundum Galenum signum letale fit quando fuliginosa superfluitas quæ est aer prius attractus ob obstructionem fa-

ctam ab anginæ abscessu exire non potest, tūc enim necessarium est ut anguste patiat pulmo, & cū maximo conatu partem aliquam humiditatis natiuæ cum prædicta fuliginosa superfluitate extramittat, & in spumā eleuet, hi oēs anginosi obeūt, in quibus huiusmodi spuma generatur, est aliud spumæ genus non quidem ex pulmonis humiditate, sed ex pituitosa humiditate, quam in ore semper habemus & circa palatum & supra linguam, quæ à flatu & à difficili motu agitatur, unde gignitur spuma, & in anginosis hæc spuma mortem non significat. At si contingat te ægros curare, qui similem habeant spumam, euadere posse prædicito. Illosq; curato, nam multi ex illis euadūt. At dices quomodo scire potero an spuma sit cum pulmonis humiditate? & sit penitus lethalis, an ex humiditate pituitosa, & saliuæ quæ in ore habet? Respondemus adesse signa, quæ has spumas distinguunt, nam spuma illa quæ ex pulmonis intrinseca humiditate facta est luteum quēdam habet colorem. uel rubrum pellucidum, multasq; habet minutissimas ampullas. Adde ut plurimum ægros qui hanc spumam habent esse sensu priuatos & motu. At spuma quæ ex pituita facta est, & humiditate quæ in ore continetur, alba est, & paruas habet ampullas & aliquas alijs maiores. Auicenna notauit aliquos referri spumam circa os habentes. imo & Galenus præadductum aphorismum ut in pluribus intelligendum uoluit, quia aliqui sunt relati spumam circa os habentes, tamen erat secundū spumæ genus à nobis superius enarratum. Auicenna autem edocere studens quinam ex his referantur qui spumam habent, inquit illos euadere in quibus adest fortitudo & appetitus & nutrimentum. Cum aliquem uidebis esse fortem in ui animali, & uitali, & appetere cibum conuenientem & hora qua conuenit, & nutriri, indicium est spumam illam non esse ex pulmonis humiditate, quæ sit per uiolentiam extrusa, sed esse ex humiditate aquea pituitosa, & crassa quandoq; in ore existente. At econtrario si uires sint imbecillæ, si cibum non appetat, si non nutriatur, quia non fiat bona coctio in uentriculo & iecore, tunc iudicato spumam illam esse ex pulmonis humiditate, & illum debere mori, cum ergo occurret tibi anginosus, qui spumam circa os habuerit considerato quodnam genus spumæ sit, & siquidē coniecteris esse spumā illā à substātia pulmonis ortū, ne anginosum illū curato, sed solis pgnosticis illū desere. at si coniecteris spumā illā esse à pituita, & uires cōstare deprehēdas curationē illam audenti animo suscipias, & ea agito quę morbi temporibus conuenient, de quibus superius per gradus & ordines scripsimus.

At ambiges cum hi qui anginam patiuntur spiritum attrahere non possint neq; emittere. quomodo propria illa pulmonis humiditas exibit? Respondemus credendum non esse adeo arctatam esse uiam. quin talis humiditas motu quodam uiolēto exire possit, tamen adeo arctata est ut fuliginosæ superfluitates exire non possint. & aer attrahi non possit. imo nisi esset quædam naturæ uiolentia, neq; tenuissima illa humiditas exire posset. At dices si humiditas illa exit, cur fuliginosæ supfluitates exire non poterunt? cur aer ingredi non poterit? Respondemus nos palam fateri aliquam superfluitatum portionem exire. tamen pro expurgādo thorace & pulmone satis nō erunt, & aliqua portio aeris attraheē, uerū non tanta ut uita seruari possit. Forte iterum dubitabis de illius spumę generationis loco, an sit in thorace, uel in ore uel extra os. Respondemus non posse profecto determinate haberi apud aliquem in quo loco generetur. Sed quispiam dicere poterit generari in pulmone, quia et ipse est membrum quodammodo spumosum, & illa spuma est humiditas substantiæ pulmonis agitata & tenuata: dici etiā posset humiditatem illam attenuatam per tracheam arteriam cum spiritu ascendere usq; ad epiglottiū, & in illo loco arctiori diuidi, & mistam cum spiritu per agitationem spumā facere, palam enim est in arctis corporibus concauis si humiditas uiolenter à flatu impellaē fieri spumam, ut in arcta cāna si qs uiolenter saliuam & spiritum immittat, extra os postea uiolēta quadam transmittitur. sed prius erat genita in arcta gutturis uia.

At diceres cum duo sint quæ ex angina impediunē guttur occludēte, expulsio. s. fuliginosarū superfluitatū, & aeris attractio, quodnam est magis necessarium? & quod impedimētum est magis inferens dispendij? Respondemus secundum Auerroim & Auicennā esse maius dispendium pulmoni nō posse aerem fuliginosum emittere q̄ non posse attrahere extrinsecū aerem frigidum, quia aer, qui frigidus attrahiē ob cor attrahitur, & nō propter pulmonem, uerum expellitur fuliginosa superfluitas ob pulmonem. hæc uidetur Aristotelis sententia in secūdo de anima sectione. 89. quā mirifice extollit Auerrois, & Galenū reprehendit, censet. n. Auerrois ab Aristotele edoceri necessitatē extractionis aeris fuliginosi, & attractionis aeris, unde anhelitus compositus est ex aeris attractione & expulsione, aeris attractio fit ob cor ut. s. refrigeretur, & hoc ob membri nobilitatem primo fit. aeris uero expulsio fit ob pulmonē, qui est membrum non adeo præcipuum, neq; ita calidum ut cor, unde pulmo non eget aere frigido nouo, quo refrigeretur, sed indiget solum ut aer sibi immissus à corde remoueatur, quod expirādo fit, & ideo expiratio pulmoni attribuitur, & pulmo extra mittere desiderat, idq; facit ne nimia caliditate exardescat. ex hoc Auerrois Galenum reprehendit. Nam Galeni mens est pulmonem non moueri ex se, sed moueri ex musculis thoracis, & ad motum thoracis. Auerrois illud accipit tanquam uerum. Pulmo aerem expellere desiderat quem à corde recepit calidum, igiē pectus solū non extramittit, sed & pulmo ipse extramittit. Potest hæc Auerrois consequētia ita probari. Membrum aerem illum expellere desiderans & expellere potens illū necessario expellit ne suo desiderio frustraretur, sed pulmo expellere desiderat, & potest, igitur expellit, igitur non erit solus thorax qui expellat, sed & ipse pulmo aget ad expulsionem. salua autem Auerrois pace argumentum istud nullius est momenti, primo & si pulmo expellere optaret, id efficere non potest nisi motū præbuerit pectus. Galenus profecto concedet pulmonem concurrere tanquam instrumētum per quod transmittiē. at nō concurrit tanq; agens ad expellendum, quia hæ omnes actiones uoluntariæ (ut egregie docuit Galenus) mediantibus musculis fiunt. cum uero in pulmone non sit musculus, non potest motum aliquem perficere, nisi mediante thorace musculis pleno, & ideo in pulmone desiderio expellendi posito, uim tamen expellendi non habet, nisi à thoracis musculis præbeatur, unde maius dispendium est, secundum Galenum aerem attrahere non posse, q̄ non posse expellere, attrahitur uero ut refrigereē cor, expellitur ut fuliginosa superfluitate idem cor expurgetur, pulmo uero est tanq̄ instrumētū quo hæc fiūt. s. attractio aeris ad cor, & à corde expulsio per dilatationē & sui cōstrictionē. Hęc de anginæ curatione satis erunt, tamen unū superest considerandum, si angina contingat ob uertebrarum colli ad interna luxationem quomodo curationem moliri debeamus.

Scito cum dicē uertebram esse luxatum, intelligi non posse ita luxatam, ut spinalis medulla fracta sit, nam tunc nō posset animalis spiritus descēdere, & ab illa uertebra descendētes æger motum amisisset, & breuissime diem suū obiret, ut à Paulo ędocemur lib. 6 capite. 119. nam & motum thoracis amisisset, sed opus est intelligere esse tali modo luxatā ut spinalis medulla fracta non sit. Lardosis à Græcis. i. excauatio eiusmodi luxatio nuncupatur. Sed de hac angina primo referamus Hippocratem in secundo Epidemion hęc dicētem, erant autem angina laborantium affectiones huiusmodi, ceruicis uertebræ ad interna uertebātur, alijs quidem magis, alijs uero minus, exteriusq; ceruix euidentem ostendebat cauitatem, dolorēq; qui hac parte tangebatur sentiebat. Erat etiā cuidam sub ea uertebra quā dentem nomināt, sed non adeo est acuta, quibusdam enim rotunda est, Galenus in secūdo cōmentario in primū prorrhetici sectione. 55. ubi author dicit quibus spiritus retrahitur. uoxq; strāgulabunda est, & uertebra intro fugit, his in fine ueluti cōtrahentis cuiuspiam spiritus redditur, hanc partē exponēs sententiam illā præadductā refert ex secūdo epidemiorum, & profecto Galenus ultimam partem sententię alio modo intellige-

re uidet, q̄ Hippocratis uerba referant, inquit enim Galenus quod autem uertebram secūdam totam, quā nonnulli dētiformē, alij planē dētem quòd canino denti appellato similis quodammodo uideat, constat omnibus, deniq; sequitur Galenus, quia autem cuidam sub ea uertebra quā dentem nomināt abiecit quod non similiter acuta est, ostendit qui hæc scripsit uertebram hanc periculum non similiter inferre acutum uelut & cum in aphorismia, puerorum affectiones recensens ait, uertebræ quę in occipitio ad interna luxationem non aliam intelligere oportet uertebrā q̄ ea quæ dicta est. At si Hippocratem contemplemur, uelle uidetur uertebram illam quibusdam esse rotundam, nam non adeo est acuta. ut sensus sit, uertebram illam quibusdā esse rotundam & in alijs non esse multum acutam. Galenus uero exponit nō de uertebra ipsa, quæ quibusdā sit rotunda, & non multū acuta, sed intelligit de periculo, quod non similiter omnibus est acutum, & non de acutis uertebræ, Hippocrates profecto de uertebra ipsa loqui uidetur, & nō de periculo, inquit enim Hippocrates sua lingua ἦν δ' καὶ κατωτέρω τινι τοῦ ὀδόντος καλουμένου ὀστοῦ ὃ οὐχ ὁμοίως ὀξύ ἐστιν, ἔστι δ' ὅτε καὶ πάνυ περιφερές, μείζων περιφερείη. erat autē cuidam & sub eo esse quod dentem nominant, quod non similiter acutum est, quibusdam enim est & ualde rotūdum. vides Hippocratē intelligere de osse ipso, quod in omnibus acutum non sit, sed & in al quibus ualde rotundum, non autem de affectu ipso qui non sit acutus, alioqui non erat necesse ut rotundū sequeretur acutum. tamen & id uerū est quod Galenus dicit affectum illum esse minus acutum, quando erat sub uocato dēte, non est putandum Galenum nō intellexisse Hippocratem, sed credendum est illum adducere uoluisse ac si ita dixerit, quoniam & id uerum & Hippocratem ampliat tamen locus libri prorrhetici legere uidet. absq; particula ὀστοῦ, hoc modo ἦν δ' κατωτέρω τινι τοῦ ὀδόντος καλουμένου, ὃ οὐχ ὁμοίως ὀξύ ἐστιν. uides illam particulam ὅ .i. quod, non posse referre dentem, & cum non adsit ὀστοῦ .i. osse, opus est ut aliquid referet, unde necesse est subintelligere νόσημα, quod est neutri generis, & ὅ .i. quod referat νόσημα. at cum morbus sit masculini generis, propterea nos dicemus, erat autem cuidam sub dente uocato subintellige morbus, qui nō similiter acutus est, & ita Galenus ibi Intelligit, sed in Græco codice Aldino loco relatiui ὅ, adest ὦ, Copus uero in. 4. de locis affectis hoc modo partem hanc interpretatur, ubi Galenus illā refert, accidit autem angina cuidam sub ea uertebra, quam dentem nominant, uerū non adeo acuta, quibusdam autem ob rotūditatis magnitudinem omnino conspicua, sed re uera aliud infertur à Græco cōtextu eo loco, quippe dicit ἦ δ' καὶ κατωτέρω τινι τοῦ ὀδόντος καλουμένου, ὃ οὐχ ὁμοίως ὀξύ ἐστιν, ἔστι δ' ὅτε καὶ πάνυ περιφερής, μείζων περιφερείη. profecto si recte consideres non uidetur uerbis quadrare Copi interpretatio, tamen non imus inficias rem ipsam esse uerā ut Galeno acquiescam in libris prorrhetici, sed Hippocratis uerbis quadrare non uidentur. Si Paulum legeris lib. 6. capite. 119. forte elicies non posse defendi utranq; expositionem. Nunc uero ad id anginę genus reuertamur. Galenus in quarto de locis affectis huius rei causam reddit inquiens. At superest adhuc alius ceruicis affectus, quem ipsi silentio prætererierunt ubi ad anteriores partes uertebræ luxantur, idq; uel solis interdum musculis qui cum ipsis cōmunicant tumore præter naturam affectis uel nato ibi tuberculo, interdum etiam gula pariter uitiata, nonnunq; musculis quoq; qui gulam gutturi iungunt, quin etiam proprijs aliquando gutturis musculis qui ipsum aperiunt oblęsis, sed in loco præadducto libri prorrhetici ita causam reddit Galenus luxationis uertebræ, inquiens cū enim adiacentes partibus anterioribus musculi, uel inflammari, uel quouis modo intensi uertebram totā ad se traxerint, posterior sedes cauatior uidetur, in angustum guttur redigitur, & ob id strangulantur ægri, talis autem angina rarissime cernit. hæc Galenus, sed de huius anginæ curatione Græci authores egregie locuti sunt. Paulus lib. 6. capite. 100. de uertebris quidē loquitur fractis, & ubi de angina agit, dicit contigere pueris, et esse incurabilem, tamen curationem ponit eodem libro capite 119. curationis modum ex hoc authore colligere poteris. Arabes & ipsi de huius anginæ curatione loquuntur, nempe Auicenna lib. 3. fen. 9. tra. primo, cap. xi. huius anginæ curationē ponit quando est ex uertebræ luxatione, inquiens ex eis autem quæ conferunt in regione eius est propter spondyles est ut ingenietur in cōpressione loci cum facilitate ad posteriora, fortasse enim reuertetur spondylus, & illa quidem cōpressio quādoq; fit cum instrumento & cum digitis, & inuenitur quādoq; per illud requies, instrumentum uero est res similis freno, quod in guttur intromittitur. & expellit quod est intus in gutture ad exteriora. Cōpressio autē ualde est nociua in apostemaobus. hæc est Auicēnę curatio in uertebrarum luxatione, tamen luxationis causam considerare oportet, & si ex musculorum inflammatione sit, & primo inflāmationem illam curare, postea ad locum suum uertebram impellere.

In calce huius de angina curationis Paulus inquit, Pusiones ea affectione potissimum torqueri. Intellige uero pueros. Sed causam cur hi torqueantur petes. Respōdemus causam esse ex mēbrorum mollitie, uult Paulus tantum pueris aduenire, & incurabilem esse, & Galenus ipse pueris aduenire testatur quarto de locis affectis libro, cū dicit διὸ εἰκότως ἀπὸ τῶν πρώτων σπονδύλων πασχόντων, σπανίως μὲν ἀλλὰ γίνεται συνάγχη ποτὲ, παισὶ δ' ὡς μᾶλλον ἢ τελείοις. i. ueluti à primarū uertebrarum affectibus raro quidē, sed fit quādoq; angina pueris magis quàm adultis, non tamen dicit esse incurabilem, sed quid opus est uerbis: Hippocrates in. 26. tertij libri aphorismo de ætatū morbis loquens, ubi de his qui duodecimū uel. 13. agunt annum dicit, cum uero magis adoleuerint tonsillæ & uertebrę quæ in occipitio ad interiora luxationes, nihil aliud sunt hæ luxationes q̄ illæ de quibus Hippocrates in secūdo epidemiorū ut Galenus notat in. 55. sectione secūdi cōmentarij in primum prorrheoci, censet uero in aphorismi cōmentario Galenus à musculis inflāmationem patientibus, uertebram trahi, & inclinare ad partē ceruicis anteriorem, & illam partem uocat Hippocrates non anteriorem, sed interiorem. At dices cur fieri nō possunt iis ętatibus ante duodecimū uel. 13. annū, cum tamē habeant humidissimū cerebrū: Galenus ostendet, an quia in hac ætate prius moriūtur q̄ subiecti faucibus musculi unà cū uertebris fortem subeant inflāmationē. Adde hos habere partes mollissimas, atq; ideo non posse uehemētius intendi. ita uertebra ipsa intus ad ipsas trahat. intellige ergo p Pauli pusiones, pueros in duodecimo &. 13. anno secūdū Galenū, qui à Paulo existimantur incurabiles. cum tamen multi in secundo epidemiorum sint sanitati restituti, sed id contingebat ex morbo uulgari, & non ex ætate: Forte & si non moriebantur, obtorti remanebant.

At priusq̄ huic curationi extremā manū imponamus, cum angina nonnunquam ad suppurationem proficiscatur, petes quomodo cognosci possit. Græci authores id nunq̄ expressere. propterea opus est Arabes cōsulere. Auicenna notat cum inuenit leuitas pauca ueluti incohans quæ tactu sentit si sit in faucibus abscessus, si uero in gutture æger ipse remitti persentit & leniri loci tensionem in quo est abscessiua, & hæc potissimum si æger diem quartum pertransiuerit, unde prius erat dolor continuo acutus quoad materia fuerit collecta, postea cū facta sit maturatio, fit lenior pars & mollior, feruor caloris qui in abscessu adest mitigatur, & dolor remittitur. His uisis ad suppurationē deuenire prædicito, quando suppurari debet & non resoluitur, nam plerunq; resoluitur tota materia quę anginam facit.

Vnum præterea cōsiderandum est de anginosorū somno, de quo in præcedētibus locuti nō sumus. Scito à somno offendi, ob hoc, q̄a inter dormiēdū plerūq; suffocant, nā materia aliqua à capite descēdit in locū lęsum, neq; eger dormiēs illā emittere studet uel per diuersionē ullā in alterā partē trahere, tunc in locū læsum colligitur, & hoīem suffocat. propterea statim à cibo somnus prohibēdus est, neq; diutius dormire sinendi sunt, sed cum assidentes illum uideant in spiritu offendi, et anhelosum fieri, tunc illum excitent, & in lecto sedere faciant, nam plurimi

anginosi non possunt non nisi recta ceruice spirare.
Denique abscessus disrũpaẽ, curandus est ut alij curãtur abscessus q ad suppurationẽ ueniunt, mũdificantibus, & denique incarnantibus, quę in formã gargarismatis administranẽ. Sunt q fricant palatum & linguã melle & sale, profecto non displicet, et antiqui melle utũtur in hoc casu. Nos ex melle rosaceo gargarisma parãdũ iubemus & aqua plãtaginis primo abstergẽdũ, postea inducẽda cicatrix, authores his rebus pleni sunt, quę hęc præstare possunt. De anginæ curatione hæc in præsentiarum dicta satis superque sint.

## Hippocrates. Sectio XXXVI.

Si febris hominem prehẽderit, uetere excremento descẽdente, uel nuper cibatum, siue cum lateris dolore siue non, his quieti tãtisper pmittẽdus donec cibus primũ ad uentrẽ imũ descẽderit.

BRASAVOLVS.

Hæc sentẽtia, & multæ aliæ ostẽdunt hũc quartum librum non esse Hippocratis, quis & multę sentẽtię in ipso inueniãtur, quæ Hippocraticæ sint, & authore ipso dignæ, tamẽ non consueuit Hippocrates, uel in uno loco illa quæ ad alium spectant locum interponere, uel iterum quæ dixerat sine aliqua utilitate repetere, quorum utrunque hic facit, nam ubi de angina loquiẽ, nonnulla interponit de lateris morbo, de quo exquisite supius locutus fuerat, & id met repetit absque ulla utilitate, quod prius lib. primo edocuerat, nẽpe sectione. 42. primi libri dixerat, si nuper pasto cupiã & alui oneribus haudquaquam purgato, febris uel cũ dolore uel sine dolore inceperit, à sorbitione tantisper est tẽperãdum, donec cibũ ad infernã intestini partẽ descẽdisse coniectum fuerit, en quomodo repetit id quod in primo libro dictũ est, quippe hic inquit si febris hoiem prehenderit dũ excremẽtũ uetus descẽdit, & nõdum descẽderit, uel sit is homo nuper cibatus, uel cũ lateris dolore sit hæc febris, uel nõ sit cũ lateris dolore, nihil agẽdum est, neque dandus alter cibus, sed is quieti tãtisper pmittẽdus est quoad cibus ad uẽtrẽ imũ descenderit.

ἢν πυρετὸς λάβῃ. i. si febris hominẽ prehenderit. Mente concipias authorẽ hunc, de angina sermonẽ pretermittere, & præter propositũ ad lateralẽ morbũ regredi, & ad febrẽ quæ in illo morbo est, & ita incipere si homo à febre captus sit, ut in principio sit particularis accessionis.

παλαιῆς κόπρου ὑπιούσης. i. uetere excremẽto descẽdente, uel uetere excremẽto nõdum deiecto. in primo lib. dicebat & alui oneribus nequaquam purgato, ut notet hunc habere excrementa adhuc in uentre, & forte nõdum chylus à uẽtriculo descẽderit.

ἢ νεοβρῶτι ἐόντι. i. uel nuper cibatum, ut cibus nondum sit in uentriculo coctus, & febris illum apprehenderit.

ἤν τε σὺν ὀδύνῃ πλευροῦ, ἤν τε μή. i. siue cũ lateris dolore, siue nõ, uel hic cũ febre simul habeat lateris dolorẽ, uel nõ habeat. & cũ de pleuritide loquaẽ, quomodo inquies esse potent absque lateris dolore? Respondemus uel loqui de febre simplici absque lateris dolore, uel intelligere de dolore qui remissus sit, unde uel non habeat dolorem scilicet intensum.

ἀτρεμίην ἄγειν μέχρις ἂν καταβῇ τὰ σιτία, πρῶτον, ἐς τὴν κάτω κοιλίην. i. is quietem agere debet, donec cibus primũ ad uentrem imũ descẽderit, nihil agendũ à medico, sed permittendus æger quieti quoad cibus descẽderit ad imũ uẽtrẽ, si exiuerit est quidem melius, at si nõ exiuerit, satis est quod descenderit ad typhlon intestinum. i. cæcũ, & sit in uia ad exitũ. At petes quid intelligat per quietẽ, an somnũ? etenim si hũc intellexerit, uidebitur ægrũ in accessionũ principio dormire posse, quia supponitur hoiem esse febre apprehensum. Respõdemus, non intelligere tũc tũc apprehensum, sed hoiem febricitare, & per quietẽ nõ somnum intelligit, sed quietẽ à cibo, à præsidijs & à similibus, ac si dixerit nihil à medico agẽdum esse, nisi postea quam excremẽta descẽderint, tũc si opus erit clystere educũtur, & æger alio cibabiẽ edulio, qui prius non erat cibandus, quam cibus à uentriculo descẽdisset, & ad intestina inferna peruenisset, tũc enim si eger cibetur, à uetere excremento non impeditur, qui posset si in uentriculo fuisset esse causa corruptionis cibi, qui sumereẽ. Petes uero an in homine imbecillo adeo expectare conueniat, ut excrementa ad imũ uentrẽ descendant priusquam cibeẽ? Rñdemus imo opus esse expectare, qa cũ descẽdere incipiũt primo tenuia trãseunt intestina, & in his nõ imorãtur, nisi ut à meseraicis attrahentibus detinẽtur, quod sibi incõueniens indeẽ. at in maioribus intestinis postea seruãtur & imorantur, & licet homo sit imbecillus, tamen à partibus quæ descendũt nutriẽ.

GALENVS.

Dictiones quoque huiusmodi, ea quæ libro de uictu in acutis morbis apponunẽ, Hippocratis scripta non esse ostendũt. Nõ enim qui perfecte de pleuritide in legitima libri huius parte tractauerit, cũ rursus hic pauca apponere oportebat.

BRASAVOLVS.

Galenus notat huius generis sentẽtias illa ostẽdere quæ Hippocrates libro de uictu in acutis morbis apposita sunt non esse Hippocratis, nã is qui perfecte de pleuritide in legitima huius libri parte tractauerat, rursus de pleuritide, hæc pauca apponere nõ debebat, Galenus uero dicit hæc quę sunt in hoc libro esse apposita libro Hippocratis de uictu in morbis acutis, quia pro maiori parte, aut nõ sunt Hippocrate digna, aut superflua, sæpius absque utilitate repetita aut diminuta, & quæ rem non probe exprimunt, ut exprimere deberent.
Nota Galenum uocate primum, secundum & tertium de ratione uictus libros Hippocratis indubitatos, hunc uero quartum sub dubio esse censet.

## Hippocrates. Sectio. XXXVII.

Sumat autem in potu oxymeli. At cum grauitas ad lumbos usque descenderit, tum uel clysmum dare, uel medicamento purgare oportet. Atque cum purgatus fuerit, sorbitionẽ primum, mox aquam mulsam, deinde cibaria, & coctos pisces ministrare. uinumque quod aquosum sit, & exiguum noctu, interdiu uero dilutam mulsam. Cum uero flatus male olentes fuerint, balanus uel clysmus confert: si non, bibẽtem oxymeli tantisper cohibere oportet donec ad inferiorem aluũ descenderit, deinde clysmate subducere cõuenit.

BRASAVOLVS.

Huius libri author in hac parte confusissimus est, hæc uero in primo lib. determinate scripta sunt. at pro huius partis cum præcedẽte cõtinuatione, scire oportet, cũ is qui febrẽ patiẽ nuper cibatus sit. quiescere debet donec cibus ad imũ uentrẽ descenderit, tamẽ si sitient, nõ est permittẽdus in illo angore ęger sed oxymeli in potu accipiat. uerum cũ grauitas ad lũbos descenderit, tũc uel clysterem inijcere oportet, uel medicamẽto purgare, & cũ purgatus fuerit, primo sorbitionẽ dato, postea mulsam aquã, deinde cibaria, & pisces coctos administrare conuenit, & unum aquosum potui dandum & exiguũ noctu, interdiu uero mulsa diluta exhibenda. At si flatus male oleant, balanus uel clysmus exhibeatur, nẽpe confert. Si uero male olẽtes nõ fuerint eum cohibere oportet qui oxymeli bibit, tantisper donec ad inferiorem uentrem descenderit, post hæc clysmate subducere conuenit, ut ea quæ descenderint, aluum exeant.

πόματι δὲ χρῆσθαι ὀξυμέλιτι. i. sumat autem in potu oxymeli, is. s. qui correptus febre & nuper cibatus sit, quãdo sitierit, & nõdum descenderit cibus ad imum uentrẽ, intelligeque oxymeli dilutum, libro primo sectione. 43. iubet Hippocrates bibendum oxymeli quãdo aliquis dolor adfuerit, & iubet esse bibendũ quãdo non aderit multa sitis, nam cũ sitis fuerit ut ex pauca oxymelitis quãtitate extingui non possit, iubet post oxymeli dandum melicratum, & si adhuc sitierit, iubet dandam aquam, ne tamen oxymelitis copia, uel mulsæ aquę præbeatur hic uero de oxymelite indefinite loquiẽ, quod in potu exhibeaẽ, neque exprimi intelligendum esse quando sitierit.

ὄκοταν

ὁκόταν δὲ ἐς τὴν ὀσφὺν βάρος ἴῃ κάτω βλύτω κλυσμῷ ἢ καθαίρειν φαρμάκῳ.i.quãdo uero grauitas ad lumbos descẽderit, tunc uel clysmum dare, uel medicamẽto purgare oportet, hæc grauitas de lateris dolore intelligi posset, qui sub septo esset, tamen cõuenientius est intelligere de cibi grauitate q descẽdent. ὀσφὺς cingulum significat & partem illã in qua cingimur, quãdo grauitas ad partem sub cingulo descẽderit, quia peruenit ad intestinum cæcum, tũc uel clystere extra aluum ducẽda est illa materia quæ descendit, uel si id fieri nõ possit clystere, uel æger renuat, uel non sit cõmodum medicamentum purgans exhibeto.

ὁκόταν δὲ καθαρθῇ, διαιτᾶν ῥοφήματι πρῶτον, καὶ πόματι μελικρήτῳ.i.cum uero purgatus fuerit, ratio uictus instituenda, primo sorbitio & aquæ mulsæ potu.intellige uero post purgationem, uel post clysteris impositionem, tũc enim est, uel in inclinatione, uel in tepore febris & exiuere quæ descenderant in imum uentrem, ut nutriat, sorbitionem ex cremore.s. ptisanæ dare opus est.uerũ si sinerit, quia sorbitio nõ est liqda ut aqua, propterea pro potu accipiet aquã mulsam, cũ sorbitionẽ pro cibo acceperit, ut hic ordo seruetur si sitiat anteq̃ descenderit cibus sumptus oxymeli dandũ, quia magis aperit, & citius ac facilius descendere facit. at si post depositum cibũ aut clystere aut medicamẽto & sumpto cibo qui sit cremor ptisanæ sitierit, aqua mulsa danda, si dices lib. 3. sectione. 22. nõ censet bibendã mulsam post sorbitionẽ, quia ualde replet & inflat, & est hypochondrijs inutilis. Respondemus id esse quãdo nõ biberit potus ad sitim extinguẽdam, sed hic bibitur ut potus, ibi uero ut medicamentum sumebatur, quod prius descendit q̃ faciat sorbitio, ut Galenus in commento edocuit.

ἔπειτα σιτίοισι καὶ ἰχθύσιν ἑφθοῖσιν.i.postea cibarijs, & piscib⁹ coctis uel elixis, an post sorbitionẽ in eadẽ cœna uoluerit, & cibaria ac pisces sumẽdos, uel hoc fieri debeat in alijs temporibus ambiguũ uideť. At cũ cibo dederit suum potũ, nã sorbitioni quã pro cibo accepit suum dedit potũ.s.aquã mulsam, propterea conueniens uidebiť, ut intelligat in processu, dãdos esse pisces coctos, uel potius elixos, nã in primo lib. sectione. 27 in pleuritide, quibus displicet sorbitio & ptisana, exhibet saxatiles pisciculos & asellos ex porro anetho & sale, hoc est in albo Galeni iure. Illa etenim compositio & iusculum illud à Galeno albi ius album nominatur.

Si uero petas quid per cibaria intelligat. Respondemus uel intelligere cibaria.i. pisces, uel illa intelligit quæ refert Galenus præadducto loco consueta dari in pleuritide, ut sunt oua. Testiculi gallorũ, iecuscula alæ, iuniores columbæ, & eiusmodi generis multa, quæ in pleuritide etiam conceduntur.

καὶ οἴνῳ ὑδαρεῖ ἐς νύκτα ὀλίγῳ, ἡμέρῃ δὲ ὑδαρεῖ μελικρήτῳ.i.& uino aquoso & exiguo noctu, interdiu uero diluta mulsa dat uinum noctu, quia hoc tẽpore supponitur iã inclinasse febrem, & est potus quãdo cibaria sumũtur & iam ęgritudo in inclinatione est, & quãdo pisces sumũtur, uerum quia interdiu febre correptus est, propterea non est opus uinũ bibere si sitierit, sed bibat mulsam aquam, & illã quidẽ dilutam. Et si dicas quomodo in pleuritide uinũ prębet, quod uideť perniciosum? Respondemus & Hippocratẽ in legitima huius libri parte uinum in pleuritide concessisse ut primo libro manifestum est sectione. 22. ubi uinum prębet.

ὁκόταν δὲ αἱ φῦσαι δυσώδεες ἔωσιν ἐόντος, ἢ βαλάνῳ, ἢ κλυσμῷ.i.cũ uero flatus foetidi multum fuerint, uel balano, uel clystere uti oportet. hoc indiciũ ostendit & descendisse iam deorsum excrementa & esse corrupta, cũ ualde fœteãt flatus, quicũq; enim in corpore flatum habent, & potissimũ ægri qui flatus excremẽta præueniunt, cũ fœtida sentiũtur, indicium est descẽdisse & materiã esse corruptã, nã si adhuc nõ descenderint excrementa flatus nõ male olent, quia nondum transiuere supra stercora, sicuti enim aquæ quæ pertrãseant supra uarias terras salsæ efficiuntur, bituminosæ, aluminosæ, sulphureæ, ita flatus qui transeunt per materias corruptas secũ efferũt illarũ fœtorem. Cum ergo flatus fœtidi sunt, tunc studendum est, ut materiæ à quibus fœtorem cõtraxere, q̃; citi⁹ fieri possit exeãt, propterea statim uel balano utaris, quia materiæ sunt in parte inferna, & facile exire possunt. uel clystere utaris, qui etiam facilius educet, & simul abluet, & q̃uis non dicat uel dato medicamẽtum, tamen subintelligi potest, uerũ de balano & clysmate solũ dixit, quia & facile & breui materiam ducunt propinq̃. Si uero genus clysmatis petas, dicimus id esse, de quo superius egimus in febre ardente, ex aqua mulsa, oleo & sale, balanus uero ex melle fit cocto simpliciter, nullis mistis pulueribus.

εἰ δὲ μὴ ἐπισχεῖν ὀξύμελι πίνοντα, ἕως ἂν καταβῇ ἐς τὴν κάτω κοιλίαν, εἶθ' οὕτω κλύσματι ὑπαγαγεῖν.i.si uero non, bibẽtem oxymeli cohibere oportet, donec ad inferiorem aluum descenderit, postea clymate subducere oportet, hoc est si flatus non sint fœtidi, tũc illum qui biberit oxymeli cohibendus est ne illi balanus imponatur uel clyster donec descenderit, nũc flatus erunt fœtidi, & tunc clystere subducenda quæcũq; descenderint. posset & eiusmodi sensus fieri, quando flatus sunt fœtidi, balano uel clysmate utaris, ut cito ad inferiorem uẽtrem descendat. At si flatus non sint fœtidi, & ille oxymeli biberit, noli uel clysmate uel balano irritare, sed sine ut per se descẽdat huiuscemodi materia, quia non est putrida, & expectari potest, quousq; de se descendat, quod facilius & breuius fiet ob oxymelitis potum, postq̃; uero descenderit, clysterem exhibeto, ut tota subducať. Copus sensum à prædictis diuersum huic parti facit, nam hoc modo interpretatur, si flatus fœtidi fuerint, balanus cõuenit, aut clyster, nisi acetum mulsum epotũ obstiterit, donec ad imũ uentrem descenderit, tum enim aluum ducere iniecto clystere nihil prohibet. profecto hic Copi sensus, non est huius authoris sensus. nam & quid potest obstare acetum mulsum epotũ quin imponať clyster uel balanus? imo acetum mulsum ad exitum accelerat, nã & copia (ut superius dicebat Hippocrates) ramenta facit, tamen quicquid sit, hæc pars est indistincta, & præter ordinem posita.

GALENVS.

Indefinite, indistincteq; dictum est quanquã quod hic scriptum est, definite, distincteq; in legitima libri huius parte dictũ sit, & quæ post id, usquequo piscium meminit Hippocrates, quoniam adhuc de languentibus in libro ipse agebat, & nõ de iis qui ex morbo reualescunt. Cætera dictionis manifesta sint.

BRASAVOLVS.

A Galeno, notatur illa quæ in hac parte scripta sunt, indefinite, indistincteq; esse scripta, quãuis id quod hic scriptum est, in legitima huius libri parte definite atq; distincte scriptũ sit. Et non solum ea quæ in huius sententiæ initio dicũtur, in primo huius libri uolumine dicta sunt, sed & alia quæ in hac sententia sequuntur, dicta sunt quoad perueniat ad locũ illũ in quo de piscibus loquitur, quia ad eam usq; partem de lãguẽtibus uerba facit, ut etiam in primo lib. faciebat in quo de languentibus loquebatur, uerũ cum de piscibus loquitur de cõualescentibus intelligit. Reliq̃ q̃ in sentẽtia scripta sunt clara eẽ testať Galenus. Ea quæ hic repetũtur sunt libro primo sectione. 45. & in alijs quæ sequũtur. Scito Galenum hic uoluisse partẽ illã, in qua de piscibus loquiť, ad cõualescẽtes pertinere, quãuis in primo lib. ipsemet sectione. 27. pisces concedat saxatiles in iure albo coctos laterali morbo laborantibus, quãdo fastidio habebũt ptisanã, neq; exprimit quod sint cõualescẽtes uel nõ cõualescẽtes.

## Hippocrates. Sectio XXXVIII.

At si liquidam aluum habenti causus superuenerit, si tibi purgatio idonea uideatur, eam non tribus primis diebus adhibebis, sed quarto.

BRASAVOLVS.

Et hęc sententia palam ostendit hunc librum non esse Hippocratis, nam de causo hic intempestiue tractat, de quo superius plene locutus erat, inquit uero si cuipiam aluum liquidam habenti causus superuenerit, si tibi uideatur purgatio conuenire, noli eam primis tribus diebus facere, in quibus non est cocta materia, sed quarto die facito, nam concocta medicanda sunt, & mouenda, non cruda, primis autem diebus non sunt

cocta, quarto die coctio facta esse potest, præsertim in ardente febre qua morbus est exacte peracutus.

ἢν δὲ λαπαρὴ ἐοῦσα καῦσος ἐπιγένηται. i. (si Copum imitari uelimus) ubi soluta aluo ardor acciderit. Alij uero interpretantur: At si liquidam aluum habēti causus superuenerit. ut de his loquatur author, qui aluum habent lubricam, quibus causus contingat, hi si sint purgandi, ad quartum diem expectandum. tamen de aluo nihil dicit author. sed tantum loquitur de homine λαπαρῷ propterea hæc pars alio modo interpretari posset ut λαπαρὸν ad aluum non referatur, sed ad totum hominis habitum, nam quādo de aluo humida loquitur, dicit κοιλίη ὑγρή, ut in tertio libro facit sectione. 39. & deinceps faciet sectionibus. 40. & 41. propterea nos aliter interpretabimur uocabulū λαπαρὸν, & ad aliud referemus, quam faciant hi interpretes. hoc igitur modo interpretemur. Si uero molli existenti ardens febris superuenerit. ut de homine molli & laparo quasi fluido loquatur, cui superueniat causus, nam causus calidis & biliosis potissimū cōtingit, sed lapari humidi sunt molles & pituitosi, quid uero proprie sit λαπαρὸν habetur in secundo cōmentario libri de fracturis sectione. 69. sed aliud est q̄ λαπαρόν. At quid significet λαπαρὸν proprie, nos in præcedentibus libris edocuimus, & Galenus in secundo de difficultate respirationis docet pulsum laparon esse uacuum & flaccidū, & in calce tertij libri eiusdē uoluminis de laparo & sublaparo agit, unū est hic significare molles, humidos, & pituitosos, qbus si cōtigat causus, et uideaś tibi debere purgari docet qñ purgādi sunt, unde addit. ἢν σοι δοκῇ φαρμακεύειν, ἐπιτηδείως ἔχειν, ἔσω τριῶν ἡμερῶν μὴ φαρμακεύειν, ἀλλὰ τεταρταῖον. i. si tibi purgatio idonea uideatur eā non primis tribus diebus exhibebis, sed uel quarto. qui corpus habent molle ut dictum est, atq; flaccidum, pituitosi sunt, quibus si contingat causus non adeo cito coquitur materia quæ illum facit sicuti in bilioso arido, propterea primis tribus diebus non est purgatio facienda, sed uel quarto die facienda, quando erit cocta materia, imo si non erit cocta, poterit & quartum diem pertransire. Illa particula /uel/ facit ut possimus etiam quartum diem pertransire, & profecto author non est hoc modo intelligendus, quia si intelligeremus aluum liquidā & profluentem, ad quid purgare? si nostra expositio placeat, recipiatur, sin minus de profluente aluo intelligatur, & simul uideatur cōuenire purgatio, tñ hoc ad causum nihil facere uideś.

GALENVS. Quod intēpestiue quidem hic de causo egerit, prædictis. s. in principio, tum differentijs, tum curationibus, nemo est qui ignoret. Nēpe & dictiones ex mēte sunt aphorismi illius: Concocta medicari & mouere, non cruda, neq; in principio, nisi turgeant: plurima uero non turgent. Quidam aliter scribunt, causos ab initio medicari uolentes, ut dictio talis sit: Intra tertium diem adhibebis. Expedit igitur non omnino à tertio medicari die, sed ut aphorismus canit: In acutis morbis raro & in principijs medicamento purgante uti. Rem ergo secundum aphorismorum mentem definire oportet, scrutariq; cum in principijs purgatione utēdum sit, & cū morbi coctio expectāda sit. Qui autē uel in principio simplr dixerit, uel neutrū definierit fallit.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat hūc authorem hic de causo egisse intempestiue, & hoc palam est, nam nullus ignorat, superius causi differentias & curationem prædixisse.
Secūdo Galenus notat hāc sententiā fuisse ex illius aphorismi mente, cōcocta medicari & mouere non cruda, neq; in principijs nisi turgeant, plurima uero non turgent quia iubet expectādū usq; ad abiqurtū, ut sit facta coctio, q̄ breui fit in materia faciēte causum, cū enim sit materia tenuis, opus est uias falcē præparare, quod tribus diebus fit, quarto uero datur purgatio. Tertio Galenus notat quosdam uoluisse in initio causi medicandum esse, propterea hanc sententiam hoc modo scribunt. Intra tertium diem exhibebis, ut non debeat trāsiri tertius dies quin sit exhibitum medicamentum. Galenus uero os reprehēdit, quia inquit omnes non expedire à tertio die medicari, sed agendum quod Aphorismus dicit, in acutis morbis raro & in principijs medicamento purgante uti, unde non est purgandū ut lubet, sed considerandæ sunt aphorismorū sentētiæ, & secundum aphorismorum mētem eligendū quando in principijs sic purgandum non expectata coctione, & quādo debet expectari coctio, nam qui in principio simpliciter dixerit purgādum, fallitur, fallitur & qui neutrum definiuerit, quoniā opus est in initijs quādoq; purgāre, quandoq; coctio expectanda est, & omnia hæc ab aphorismis sunt sumenda quādo fieri debeant, & quando fieri non debeant.

## Hippocrates. Sectio XXXIX.

Cum autem purgaueris, sorbitionibus quibusdam utitor, obseruatis ita febriū accessionibus ut nunq̄ cum adsunt, neque cum futuræ sunt, exhibeas, sed uel cum cessant, uel quieuerunt & maxime a principio recesserunt. Frigentibus ergo pedibus, neque potum, neque sorbitionē, neque aliud quippiam huiusmodi dabis, sed maximū existimato si id tantisper obseruaueris donec ualde incaluerint. Deinde ita quod cōfert exhibe. frigiditas siquidem pedum, parte plurima febris accessuræ signū existit. quo tempore si quid porrigas, maxime prorsus peccabis. Nempe & morbum non parū augebis. At uero cum febris desierit, cōtrario modo pedes reliquo corpore calidiores fiunt. Nempe cum augetur, pedes refrigerat, incensaque ex thorace ad caput flammam mittit. Calore igitur toto ad supernas partes concurrēte atque ad caput expirāte, non absque causa pedes frigescunt, utpote qui natura & carne uacent, & neruis abūdent, præterea & a calidissimis separati locis refrigerātur, sese ad thoracem colligēte calore. Rursum & cum febris soluitur, & in minutas redigiś partes, calor ad pedes ex proportione descēdit. Quo tempore caput & thorax refrixerunt, atque ob id cibus dandus. Nempe cum pedes frigidi fuerint, uenter de necessitate calet, fastiditque cibum, intenditur hypochōdrium, iactatur propter internam turbationē corpus, mens fixa non est, dolet eger, lancinatur uelli caturque, uomere affectat. & si mala uomuerit, dolet. Ergo cum calor ad pedes descēderit, curritque urina & si nō sudet, omnia cessant, quo tēpore sorbitionem dare expedit, nam alias pniciosa existit.

BRASAVOLVS. Nunc absq; ullo proposito ab hoc authore de particulari cibi ministrādi tēpore agiś in primo lib. de hoc egit tēpore sectione. 46. sed breuius q̄ hic, nūc etenim amplusculede cibādi tempore in particularibus tēporibus tractat, inquit uero cū purgatione uteris, sorbitionibus quibusdam utitor, sed non quocūq; tēpore dabis. Verū febrium accesionē obseruato, ut nunq̄ cibum exhibeas cū adsunt, neq; cū futuræ sunt, tūc autē sorbitiones dato cum febres cessant, uel cū quieuerūt, & lōge distant à principijs, propterea cum pedes frigēt, quod particulare febris initiū est, neq; potū dato, neq; sorbitionē, neq; aliqd huiusmodi. At illud maximū existimato et seruato quod nihil dabis nisi ualde incaluerint, postea cū ualde calefacti sunt, quod cōferre uideś & cōuenit exhibeto. Scito etenim pedū frigiditatē in plurimū febris accessuræ signū esse, quo tēpore. s. principij si qd porrexeris, maxime peccabis, quoniā & morbū non parū augebis, idq; sciēdum est cū febris desierit p oppositū pedes reliquo corpore calidiores fiūt, nam cū febris augetur pedes refrigerat, & cum incensa est febris flammam ex thorace ad caput mittit, unde toto calore ad supernas partes concurrente & expirante

expirante ad caput, pedes rationabiliter frigescunt, utpote qui natura & carne uacent, & neruis abundent. Adde quòd separati à calidissimis locis refrigerantur, calore ad thoracem se colligente. At deniq; cum febris soluitur, & in partes minutas redigitur, calor per proportionem ad pedes descendit. hoc enim tempore & calor & thorax frigida effecta sunt, & ob hanc causam cibus tunc dandus, & non prius dandus. quia cum pedes frigidi sunt, necessario uẽter calet, & tunc ille cibum fastidit: hypochondria intenduntur, ob internam turbationem corpus iactatur, mens non est fixa, æger dolet, lancinatur, uellicaturq;, uomere affectat: & si quidem mala uomuerit, dolet. inferendum igitur est, cum calor ad pedes descenderit, & urina curret, quamuis non sudet, omnia prædicta symptomata cessare: & hoc est tempus quo sorbitionem dare conuenit. nam quocunque alio tempore detur, mala est.

ὁπόταν δὲ φαρμακεύσῃς, τοῖσι ῥοφήμασι χρῶ, διαφυλάσσων τοὺς παροξυσμοὺς τῶν πυρετῶν, ὅπως μηδέποτε προσοίσῃς ἐόντων, μηδὲ μελλόντων ἔσεσθαι, ἀλλὰ ληγόντων, ἢ πεπαυμένων, καὶ ὡς πορρωτάτω ἀπὸ τῆς ἀρχῆς. id est, cum autem purgaueris, sorbitionibus utitor, febrium accessiones obseruans, ut nunquam cum adsunt, neque cum futuræ sunt, exhibeas, sed cum desinunt, uel cessant, & quammaxime à principio recesserunt.

Ne existimes, hanc horam uictus solam obseruandam esse, quando purgaueris, sed & seruanda est absque ulla purgatione in febre. per sorbitionem, omne cibi genus intelligito, quod febrientibus dari potest, quanquam illa quæ sorbentur, uideantur magis conuenire febrem patientibus, quia actu humida sunt.

Longissime à principio est inclinatio & infebria.

ποδῶν δὲ ψυχρῶν ἐόντων μήτε ποτὸν μήτε ῥόφημα, μήτε ἄλλο μηδὲν δίδου τοιοῦτο. id est, frigentibus uero pedibus, neque potum, neque sorbitionem, neque aliud quidpiam tale dato. In principijs nihil penitus dandum, quod uel potus sit, uel cibus: nam totum transit in materiam febrem facientem. hocq; intelligendum est in febribus ordinatis, quæ non habent applicatam aliam ægritudinem, neque alia symptomata, quæ ad se trahant curationem. Galenus in decimo Methodi, ubi in cuiusdam casu diatritarios reprehendit, cibum dedit ante accessionem: et dicit in accessione ipsa nedum ante accessionem ægrotantes aliquos esse cibandos.

Et si petas, an multo ante accessionem cibandum sit: Galenus eodem loco respondet, quòd docuit ante accessiones ipsas nonnunquam esse cibandum, uel si duarum horarum intercidat spatium, ac multo magis ante accessionem.

Tres addit deinceps Galenus: ostendi autem ibi & in prima ipsa accessionis inuasione eiusmodi homines esse nutriendos. Dico autem eiusmodi homines, in quibus corporis intemperies ad siccum & calidum conuersa febres accendit.

Et adde, cum materiæ biliosæ in accessionum principijs uentriculi os petunt, neque euomi possunt, & syncopim faciant, tunc dandum est aliquid potus uel cibi. Hieronymum Brasauolum militem strenuissimum amitinum meum curabam, cui in accessionum initijs cogebar panis buccellam præbere in uino granatorum infusam, ne in illo initio maxima & ferè intolerabili premeretur molestia. hac autem minima panis buccella bilis supprimebatur, & febrem minus ægre ferebat. sed hæc sunt extra canones facta, neque curationem secundum regulas sequuntur, & quæ ab authoribus data est, & præterea rarius contingunt. At alia ab re non impediti, semper in inclinatione cibabimus, & nunquam in frigore, uel etiam per quinque aut sex horas ante accessionem.

De re hac authores diuersi sunt, potissimum Arabes: nam Halabas uel per sex horas ante accessionem dandum cibum iubet, uel non minus quatuor. Serapio ante per tres aut quatuor horas præbet. Albumasar duas interponi iubet, aut tres horas inter cibum, & accessionem. Auicenna dat ad minus quatuor horas ante accessionem. Tamen quicquid dictum sit, bonum esset si cibus ante accessionem esset coctus, uel si non sit exquisite coctus, sit coctioni propinquus: & ideo non malum semper dare modicum ante accessionem, quando horæ non habentur, quibus fieri possit exquisita coctio, sed melius est cum fieri potest, ac accessio cibum inueniat in uentriculo, sed iam descenderit ad imum uentrem.

ἀλλὰ μέγιστον ἡγοῦ τοῦτ' εἶναι διαφυλάσσεσθαι, ἕως ἂν διαθερμανθῶσι σφόδρα. id est, sed id maximum existimato, si id tantisper obseruaueris donec ualde incaluerint. cum frigidi pedes sunt, nihil est præbendum. id uero est maximum præsidium, si expectabis quoad pedes sint ualde calidi. sunt uero ualde calidi in inclinatione: nam in augmento incalescunt, in statu calidiores euadunt, in inclinatione, calidissimi.

ἔπειθ' ὅπως τὸ ξυμφέρον προσφέρῃς. id est, postea quod confert exhibe, scilicet cum pedes ualde calidi sunt, tunc cibum dato, qui conuenit, secundum febris genus & tempus uniuersale: nam hic cibus qui conuenit, etiam confert.

ὡς γὰρ ἐπὶ τὸ πολὺ σημεῖόν ἐστι μέλλοντος παροξύνεσθαι τοῦ πυρετοῦ ψῦξις ποδῶν, ἐν δὲ τουτέῳ καιρῷ προσαίρους ἅπαντα τὰ μέγιστα ἐξαμαρτάνοις. id est, frigiditas nanque pedum utplurimum febris accessuræ signum existit, quo tempore si quid porrigas maxime prorsus peccabis.

An febris sit cum frigus adest, quispiam ambigere possit. Et profecto si febris definitio sit, febrem esse calorem præter naturam, frigus non erit febris: tamen cum sit eius principium, poterit & febris pars nuncupari. Hic author uidet à febre frigus, & principium separare, cum dicat, frigus pedum esse signum futuræ febris. nam quod est signum alicuius rei futuræ, non est res illa. ut igitur colligi potest, extra febrem erit frigus. Intellige uero pedum frigus in febrientibus, quia in sanis hyemis tempore plerunque adest pedum frigus, tamen non est febris principium, neque futuram febrem significat. at quicquid sit in pedum frigore quando febris futura est, si quid porrexeris scilicet comedendum, maxime errabis. error autem est is qui sequitur.

τὸ γὰρ νόσημα αὐξήσαις οὐ μικρῶς. id est, morbum enim non parum augebis. Si in frigore aliquid dabis, quoniam id totum in materiam conuertetur, quæ ad febrem faciendam mouetur, & simul putrescet, febremq; accendet uehementiorem q̃ esset.

ὁπόταν δὲ ὁ πυρετὸς λήγῃ τἀναντίον οἱ πόδες θερμότεροι γίνονται τοῦ ἄλλου σώματος. id est, cum uero febris desierit, contrario modo pedes reliquo corpore fiunt calidiores, quia natura uictrix calorem intrinsecum, & qui in præcordijs uigebat ad extremas mittit partes. & quamuis hoc pedibus attribuat, tamen & manibus etiam contingit, quæ & ipsæ calidissimæ efficiuntur. Nonnullos curauimus, in qbus tanta caliditas per mensis spatium, & etiam amplius in manibus & pedibus relicta est, ut dormire non potuerint, & fuerim illi caliditati opem ferre coactus, tamen erant immunes à febre. causam esse putamus, quia materia aliqua intrinseca uapores calidos subministrat, quos natura ad has extremas partes quotidie transmittit.

αὔξεται μὲν γὰρ ψύχων τοὺς πόδας, ἐξαπτόμενος ἐκ τοῦ θώρακος εἰς τὴν κεφαλὴν ἀναπέμπων τὴν φλόγα. id est, nam cum augetur, pedes refrigerat, incensaq; ex thorace ad caput flammam mittit. Intellige cum febris augeri incipit, frigidos pedes effici: tunc uero augeri intelligit cum materia impressionem calidam in corde efficere incipit: tunc enim natura, & sanguinem, & totius corporis spiritus ad cor transmittit, ut illi opem ferat, & pedes à sanguine & spiritibus deseruntur, & manus simul, ac nares, & aures, & partes omnes extremæ: hoc enim tẽpore febris in thorace incẽsa, hoc est in corde, qđ in thorace situm est, flãmam & calorem febrilem in caput mittit. Scito autem id non esse

perpetuo necessarium, ut calor à thorace in caput primo accendatur. nam in aliquibus prius pedes incalescunt, quàm caput, in alijs è contrario. in alijs febrilis caliditas à corde ad caput & extremas partes æque transmittitur, tamen facilius uapores, qui ex bile potissimum educuntur ad caput eleuari, & in eo caliditatem inferre possunt.

συνδεδραμηκότος δὲ ἄλλως τοῦ θερμοῦ ἅπαντος ἄνω, καὶ ἀναθυμιωμένου ἐς τὴν κεφαλὴν, ὁπόταν οἱ πόδες ψυχροὶ γίνονται ἄσαρκοι καὶ νευρώδεις φύσει ἐόντες, ἔτι δὲ καὶ πολὺ ἀπέχοντες τῶν θερμοτάτων τόπων ψύχονται, συναλεζομένου τοῦ θερμοῦ εἰς τὸν θώρακα. i. uniuerso igitur calore ad supernas partes concurrente, atque ad caput euaporante, non absque ratione pedes frigescũt, utpote qui natura & carne uacent, & neruis abũdent. præterea uero & à calidissimis separati locis refrigerantur, calore sese ad thoracem colligente. Tres rationes reddunt cur pedes frigidi efficiantur, cum calor ad supernas partes concurrit, atque in caput euaporat, & ipsamet uerba sunt ratio quarta. Erit ergo prima ratio, cũ calor sursum euaporat, deorsum euaporare non potest. Secunda ratio, q̃a in pedibus est pauca caro, per quam ratione uenarum & arteriarum spiritus seruantur & sanguis, ac naturalis calor. Tertio, q̃a neruei sunt ossei, quæ sunt membra frigida. Quarto, q̃a à caloris fonte longe semoti sunt. ꝓpterea in accessionum principijs cum calor ad thoracem se contrahat, calor uero spiritibus & sanguini inhæreat, ꝓpterea relinquuntur sanguine & spiritu, & ex consequenti calore priuati, q̃n ad thoracem contrahitur calor. & hæc potest esse duplex refrigeratio: una, quia uitales spiritus, amplius à corde ad pedes non transmittuntur. alia, q̃a & ipsi etiam sua quam habent caliditate priuantur. utrunque uerum est, & utroque modo intelligi potest.

καὶ πάλιν ἀνάλογον λυομένου τοῦ πυρετοῦ καὶ καταθρυμματιζομένου ἐς τοὺς πόδας καταβαίνει κατὰ τὸν δὲ οὖν τὸν χρόνον ἡ κεφαλὴ καὶ ὁ θώρηξ κατέψυκται τουτέων εἵνεκεν τουτέου προσεκτέον. i. & rursus cum febris soluitur, & in minimas redigitur partes calor ad pedes ex proportione descendit, quo tempore caput & thorax refrixerunt, atque ob id cibus dandus.

Scito dicere ex proportione in hoc sensu, q̃a dum calor paulatim in capite & thorace remittitur, paulatim augetur in pedibus, cum caput & thorax sunt frigida, pedes sunt calidissimi. non est autem opus intelligere caput & thoracem frigescere, q̃a uere frigida efficiantur, sed frigescunt. i. ad naturalem deueniunt calorem, qui febrilis ratione frigidus nuncupari potest. & hoc potissimum intellige in thorace non in capite. nam plerunque in febrium inclinationibus, & incalescit caput, & dolet, qui alioqui in febris uigore nullo dolore afficiebatur. in hoc autem tempore cum pedes calidi sunt, & thorax in sua. s. naturali temperie, tunc cibus est dandus.

ὅτι ὁπόταν οἱ πόδες ψυχροὶ ἔωσι, θερμὴν ἀνάγκη τὴν κοιλίην εἶναι, καὶ πολλῆς ἄσης μεστὴν, καὶ ὑποχόνδριον ἐντεταμένον, καὶ ῥιπτασμὸν τοῦ σώματος διὰ τὴν ἔνδον ταραχὴν, καὶ μετεωρισμὸν γνώμης καὶ ἀλγήματα, καὶ ἕλκεται καὶ ἐμέειν ἐθέλει, καὶ ἢν πονηρὰ ἐμέῃ ὀδυνᾶται. i. cum uero pedes frigidi fuerint, uenter de necessitate calet, & multo fastidio affectus est, & hypochondria intenduntur, & corpus ob internam turbationem iactatur, & mens suspenditur, & dolores ꝑsentit æger, & distrahitur, & lancinatur, uel uellicatur, & uomere affectat, & si praua euomuerit, dolet.

Intellige in febre cum pedes sunt frigidi uẽtrem esse calidum. & per uentrem, uentriculum ipsum intellige, quia ob propinquitatem thoraci calet, cum pedes sint frigidi. & si contingat putredinis mineram esse in uentriculo, tanto magis calet. dicit uero esse multo fastidio affectum, quia cibum respuit, & ἄσην habet. i. tale fastidium, quale habent mulieres utero gerentes. hoc esse potest, uel quia in ipso materia contineatur, quæ febrem factura sit, uel q̃a ob propinquitatem cum thorace compatiẽ, hypochondria ob materiam intenduntur, quæ ad faciẽdã febrem mouetur, & corpus turbatur, atque iactatur, quia & intus adest turbatio, quæ molestiam in toto facit. mens quoque fixa non est, sed est perturbata, & ferè extra mentem æger apparet, toto dolet corpore, atque lancinatur, & ob materiam, quæ in uentriculo mouetur, uel in eo colligitur, uomere affectat, & plerunque euomit: & si quidem prauas euomuerit materias, dolet. prauæ materiæ possunt esse & quo ad qualitatem uenenosam & malignam, & quo ad gustum, quomodocunque sint prauæ, dolet. hæc omnia in accessionum initijs contingunt, dum pedes frigidi sunt.

θέρμης δὲ καταβάσης εἰς τοὺς πόδας, καὶ οὔρου διελθόντος, καὶ ἢν μὴ ἱδρώσῃ, πάντα λωφᾷ, κατὰ τὸν δὲ οὖν τὸν καιρὸν, δεῖ τὸ ῥόφημα διδόναι, τότε δὲ ὄλεθρος. i. cum uero calor ad pedes descenderit, & urina percurrit, & si non sudauerit, omnia cessant, hoc tempore sorbitionem dare oportet, nam alias perniciosa existit.

Denique huius libri author, sententiam hanc oblongam finit, uolens omnia præscripta symptomata cessare, cum calor ad pedes descenderit, tunc enim morbus in inclinatione est. plerunque uero hoc fit cum sudore, nonnunquam sine sudore, modo calor ad pedes descendat: & si nõ sudet, omnia tamen prædicta symptomata cessant, & potissimum si minxerit. nam nonnulli in febrium inclinationibus mingere consueuerunt, quamuis & alij in initijs frequenter mingant.

Copus sensum facit, quando calor in pedes descenderit, nisi sudare uideatur, prius emisso lotio, sorbitionem dare oportet, alioqui perniciosam. at græca authoris uerba, & latina hanc sententiam habere non possunt, sed illam solum quam prædiximus.

**GALENVS.** De particulari cibi ministrandi tempore dictum quidem est paucis in legitima libri parte: sed atque & nunc prolixius, manifestiusque dicitur, quasi sermo præsens alterius sit explanatio, seruata Hippocratis mente, quam tum in cæteris dixit, tum in eo quòd febrem ex thorace accendi, atque in caput flammam mittere ait.

**BRASAVOLVS.** Galenus notat, in legitima huius libri parte, de particulari cibi ministrandi tempore, paucis dictum esse. sunt uero libro primo Sectione quadragesimasexta. in hac parte idem dicit, sed prolixius & manifestius ac si ista sententia illius quæ in primo libro scripta est, sit explanatio, Hippocratis mente seruata, quam & in cæteris omnibus secutus est, & in eo quod dixit, febrem ex thorace accendi, atque in caput flammam mittere.

Vbi legitur, tum in eo quòd febrem ex thorace accendi, desunt consequentia uerba τουτέστιν ἐκ τῆς καρδίας, id est, hoc est ex corde. Quæ uerba egregie ostendunt, quomodo febris ex thorace accendatur, quæ profecto ex ipso non accenditur, sed ex membro in thorace contento. i. ex corde.

## Hippocrates. Sectio XL.

Quibus autem aluus per febres perpetuo liquida est, his pedes maxime calfaciens ceromatisque contegens atque fasciis obuoluens ita attende, ut reliquo corpore frigidiores non sint: si uero pedes calent, calorificum nullum exhibe, sed ne frigescant obserua. Potu autẽ est utendum quamminimo, aqua frigida, uel mulsa.

**BRASAVOLVS.** Qui in febribus quas perpetiuntur aluum liquidam perpetuo habent atque humidam, sunt hoc modo regendi. horum pedes maxime calefacito, & ceromate contegito, & fascijs obuoluito: attendeque ne pedes reliquo corpore sint frigidiores, sed uel æque calidi sint, uel calidiores. at si contingat pedes ipsos esse calidos, calefactione non indigent, tamen ne frigescant obseruato, & quamminimo potu utaris. sit uero potus uel aqua frigida, uel mulsa.

ὁκόσοισι δὲ διὰ τέλεος ἡ κοιλίη ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ὑγρή. id est, quibus autem in febribus aluus liquida perpetuo est. De his loquitur qui febre detenti sunt, & simul habẽt al-

uum

uum solutam, ostenditq; curandi modum. cum quępiam huius generis inueneris, aluus uero ob diuersas causas humida esse põt. hinc generalis regula dari non põt, pro quacũq; alui solutione & humiditate in febribus, sed hic supponat ex pedum frigore hũc incurrisse alui ꝓfluuium & lubricitatem quãdam: nam cũ pedes frigore afficiunt, compatit uentriculus eisdisue bat, simulq; refrigerat, ob refrigerationem aluus plerunq; soluit, & lubrica euadit: hi uero ex pedum calefactione sanantur. ꝓpterea Hippocrates statim huius lubricitatis curationis modum ponit pedum calefactionem, inquiens.

τουτέοισι διαφερόντως τοὺς πόδας θερμαίνειν. i. his excellẽter pedes calefaciẽs, qđ fit qñ aluus soluta est ob pedum frigiditatem, quæ non solum aluum facit lubricam, sed & dolores in uentre gignit.

Est uulgare præsidium in his doloribus & alui ꝓfluuio ex pedũ frigiditate, quo Ferrarięses mulieres frequẽtissime utunt, cineres in aqua ebullire faciũt, postea & pedes & crura lauãt, & ex hoc præsidio multi prorsus sanitati restituunt, nec ab re, ob caliditatem illius ebullitionis cineris in aqua: unñ lixiuiũ fit, qđ calidũ esse & siccũ. 4. Meteorox testat Ari. imo cũ utero gerẽtes torminibus afficiunt, obstetrices expiri uolẽtes an is dolor ex intestinis ꝓueniat, an ex utero ob futurũ partũ, eadẽ lotione utunt, si tormina augeant, mulier est ꝓpe partũ, si nõ augeant sꝫ cessẽt, nõ sunt dolores partus, sed uel uẽtriculi, uel itestinorũ.

καὶ περιστέλλειν κηρώμασι. i. & ceromatibus tegas. non solũ pedes egregie calefaciẽdi sunt, sed & ceromate ꝯtegendi. ceroma uero calidũ est, ut calor seruet pedes ceromate circũlinit. est uero ceroma oleũ quo lucta certatun ut illos deluderẽt capere uolentes, ꝑfundebant: qppe hi lubrici fieri uolebãt, unñ oleũ & cerã ad quãdam mesuram ꝯmiscebãt, postea se inungebãt: at qui ꝯtra pugnabãt, puluerem & cœnum supra iaciebant, ne adeo lubrici essent. id uero totũ cõpositum ex luto & ceromate, uel ex puluere (ut Galenus ait in. 8. de simpl. medic. facult. ubi de rhypo. i. sorde agit) pares uocabat. at si illi simul cum cœno & ceromate sudassent, coniscelon ab Atticissimis nũcupabat, ut Galenus notat. x. de simpl. medic. fac. ubi de sudore agit. ceromatistę dicebant, qui ceromate inungebãt, & puluis qui supra iaciebat aphe nuncupabat. Dioscorides ostẽdit calidum esse eiusmodi ceroma, ubi de strigmẽtis ex palæstra agit. ualet enim ad coxendices.

καὶ ταινίαις περιελίσσειν. i. & fasciis obuoluẽs, ut calor egregius seruet. & ne oĩa inungant, iubet pedes fascia ligãdos esse, fascia quæ calida sit, & supra pedem. intellige linteo calido apposito, ut cõmuniter fieri solet post inunctiones.

πρόσεχε ὡς μὴ ἔσονται ψυχρότεροι τοῦ ἄλλου σώματος. i. ita attẽde ut reliquo corpore frigidiores nõ sint. cum pedes ceromate ꝑfusi erũt, & fasciis deligati, attendẽdum est ne iterũ frigescãt. & q̃uis in eo calore quem ꝯtraxere nõ ꝑmaneant, tñ satis est q̄ talem seruẽt caliditatem ut nõ sint reliquo corpore frigidiores: cũ talem habebũt frigiditatem, erit satis: si frigescerẽt calefaciẽdi essent. oĩa uero intelligẽda sunt fieri oportere si pedes nõ sint calidi. at si essent calidi, qd agẽdum sit edocet, inquiẽs.

θερμῶν δὲ ὄντων, θέρμασμα μηδὲν πρόσφερε, ἀλλὰ παρατήρει, ὅπως μὴ ψυχθήσονται. i. si uero calidi sunt, calorificum nullũ exhibe, sed ne frigescãt obserua. intellige neq; esse calefaciẽdũ, neq; esse ceroma superfundendum, qñ pedes calidi sint, lꝫ ꝓfluuium ex pedum frigore effectum sit.

πόματι δὲ χρῆσθαι ὡς ἐλαχίστῳ, ὕδατι ψυχρῷ ἢ μελικρήτῳ. i. potu autem utẽdum est q̃ minimo, aqua frigida, uel mulsa. hęc febris rõne præbent: nam rõne ꝓfluuii alui dari nõ debẽt, uel frigida aqua, uel mulsa, sed cũ in febre sitiãt, & ex alui ꝓfluuio sitis ẽt magis augeat, qa humida descendũt, et supiores partes siccas relinquũt. ꝓpterea cogimur aliqd in potu dare. quæ uero dant, sint uel aqua frigida, sed paucissima, & mulsa etiam ipsa paucissima. tñ Galenus cẽset si ex uẽtris phlegmate fieret alui lubricitas, frigidam aquã non ꝯuenire. cõueniret uero si ex febre fieret colliquãte. at intelligẽtes ut nos fecimus alui ꝓfluuium ex pedum frigiditate, etiam non cõuenit, qa uentriculus ex compassione ad pedes infrigidatus est.

διὰ τέλεος, idem cum διὰ παντὸς τοῦ χρόνου semper & ꝑpetuo significat. At cũ multi existãt affectus in qbus per totũ malũ aluũ liqdam esse ꝯtingit, fieriq; nequeat ut curationem habeãt unã, quo mõ sæpius est demõstratum. tñ abest, ut ex dictione quicq̃ utiliter dicatur, ut ẽt iacturam facturus sit, qui scriptum curationis modum in affectibus multis iuuare crediderit. Nam ut cætera omittam, cum aluus liquida esse possit tum propter uentris phlegmonem, tum propter contabefacientem, colliquantemq; febrem, frigidæ potus phlegmonæ contrarius est: colliquantibus uero febribus conuenientissimus, eo quod dicifti tempore exhibitus.

*GALENVS.*

Primo, Galenus exponit uocabulũ διὰ τέλεος ab authore positum: nã idem significat qđ διὰ παντὸς τοῦ χρόνου. i. semp & ꝑpetuo. uerũ cũ sint affectus, in qbus per totum morbũ aluum ipsam liqdam esse contingat, & tñ fieri non põt ut unam oẽs habeãt curationem, ut sæpius ab eo demõstratum est: ꝓpterea ex hac sententia nihil utile habet: imo ille iacturã facturus est qui in multis affectibus hoc curandi modo utatur, & multos iuuare credat.

*BRASAVOLVS.*

At qspiam causas deiectionũ assiduarũ quærere posset. Respõdemus, aut de his nos loq cũ aliis morbis, aut simpliciter & ex se. Si simplr & ex se loquamur, Galenus. 6. lib. de sympt. cau. duas ponit causas: alteram imbecillitatem: alterã erosionem uel mordicationem. imbecillitas in uẽtriculo est, uel in uẽtriculi instrumẽtis, quæ ab intemꝑie fit: erosio uero ab his fit quę in istis uasis cõtinent. Sunt aũt erosionis uel mordicationis quatuor causæ: una est uis pharmaci, qđ uel per se sumptũ est, uel cibis mistũ. secũda est ciborũ corruptela. tertia sunt excremẽta mordacia, quæ ex toto corꝑe ad uẽtriculi partes defluũt. quarta sunt eadẽmet excrementa in ipso uẽtriculo genita, ut in dysenteria fit, quæ ab ulcere maligno pẽdet. Addit & q̃rtam causam Galenus, quæ est uehemẽs corporũ sensus, qui uel sit à natura uel ab ulcere maligno nihil refert. imo ponit et alium assiduæ deiectionis modũ, ab oĩbus iam dictis in cã ipsa discretũ, qñ musculi extremæ parti per quam effluũt excremẽta, adiacẽtes resoluunt. nam tũc deiectiones à uolũtatis imꝑio non pendẽt, quæ primo à uolũtate dependebãt, anteq̃ musculus ille esset resolutus: unñ & intẽpestiue & inordinate, & assidue deiicit. si ergo uel cũ febre, uel cũ alio morbo aluus sit soluta, opus est ut per unam harũ causarũ sit soluta: si soluta sit, ut nos dicebamus, qa pedes frigus ꝑpessi sint, ea liqditas ob uẽtriculi imbecillitatem cõtingebat, quæ ob prauæ qualitatis frigidæ cõpassionem erat cõtracta. & ita de aliis morbis in qbus adest alui profluuium, uel liquiditas ex una prædictarũ causarũ fit.

Secũdo, Galenus duos affectus refert, cæteris omissis, in qbus aluus liqda esse põt. tñ in uno cõuenit aqua frigida, in alio non cõuenit. affectus hi sunt: fit liqda aluus & ob phlegmonem, & ob febrem colliquantem, tñ utrunq; affectum aluum liqdam reddere ex præcedẽtibus causis manifestũ est: uerũ potus frigidæ cõtrarius est phlegmonæ: at non est cõtrarius, sed conuenientissimus colliquantibus febribus, qñ conuenienti tempore fuerit exhibitus.

Scito aũt phlegmonem in uẽtriculo, uel ꝓpinquis partibus, & uasis deseruiẽtibus profluuium facere, qa ab illo exit materia mordicãs: et aqua frigida huic non cõuenit, nam ex ea materia recrudescit, & quæ potius ꝓuocari debet, ut exeat, aqua frigida constringitur, atq; repercutitur.

Si ergo tibi quispiam occurrat æger, qui febrem simul & liqdam aluũ habeat, intellige esse ꝓfluuium ferè lientericum: qa si intelligeret liqda aluus. i. lubrica, in febribus bonũ est, sed intelligit aluum esse adeo lubricam ut ꝓfluuium sit, & ferè lienteria, tunc medicus & genus febris considerare debet, an tertianus sit, uel quartanus, uel quotidianus, & à qua causa fiat eiusmodi profluuium, quoniam si ab imbecillitate profluuium fiat, opus est considerare unde procedat imbecillitas, & in quo sit loco, an in uentriculo, an in instrumẽtis uẽtriculo deseruiẽtibus, inter quę instrumẽta & iecur intelligimus & mese-

raicas, si sit uel in uētriculo, uel in īstrumētis, ꝯsidera à qua fiat qualitate eiusmodi ībecillitas, illamq; curato, ut si à uētriculi frigiditate, tu calorificis circa illā partē in ꝓportionato gradu utere, & febrem ſm ꝓpriū genus curabis·nā si biliosa sit, illā ut biliosam curare ꝯuenit, & ita de alijs dicendū. In hac febre cū alui ꝓfluuio, hoc modo incedendum est, & nō ut hic author dicit, ꝙ pedes sint calefaciendi, & aqua frigida danda, uel mulsa. Conuenit uero te scire & oīa febrium genera, & qbus curentꝰ, & oēs causas qbus pōt fieri uentriculi imbecillitas, & deseruiētium instrumētorꝫ, & si ꝓfluuium ab erodēte fiat materia, cōsidera quodnam genus sit, et ſm genus curato. ita agēdum est, & non ut hic author dicebat, nam impfectissime rem tradit. De febre ūo colliquāte, uel colliquatiua nonnihil agēdum est, & quænā sit edocēdum, & an frigida aqua in ea ꝯueniat. Galenus in fine. x. Meth. de febre colliquatiua tractat, censetq; esse calidissimas febres, quæ corporis .i. carnis & adipis humiditates colliquāt, & id qd colliquatū est ꝑ intestina exire uideť, corpusq; eliquať, ac in maciem uenit. uñ infert oēs febres marasmodes cum colliquātibus ꝯuenire, hoc est esse in eodem genere. in hoc tñ differunt, ꝙ colliquātes semꝑ hñt qd' colliquēt, & in uētrem defluit. uerꝫ marasmodes colliquant qdem, sed nō defluit in uētrem, at in uapores exhalat. habeturq; exēplum in diuersis carnibus, quæ in craticula torrenť· in aliqbus plurima liquatio defluit, & largiter in prunas defluit·in aliqbus nihil uideť colliquari, tñ per spiritus aliqd colliquať. unde uocabunť febres marasmodes ex in qbus nihil uideť colliquari·in qbus aliqd uideť colliquari & in uētrem decidere febres sunt colliquatiuæ, hæ febres quæ colliquāt necessario sunt calidissimæ & biliosissimæ, ꝓpterea Galenus cēset curādas esse, sicuti hecticæ curanť. monetq; nutriēdos esse frigidis & humidis, & frigidam aquam ꝗprimum exhibēdam ꝓperās, ut pro uictu prisanæ cremor exhibeať frigidus, & alica ēt prisanæ cremori sit cōdita. sed præcipue iubet euitādam mulsam, quā pleriq; medicorꝫ in eo casu exhibent. Notať in. 3. de ratione uictus in acutis Sectione. 12. fieri hanc febrem à bile.

Et si petas, q̄uo cognoscanť hæc quę colliquanť esse talia, eo loco notat esse spumosam bilem siccam, quę ea rōne fit, qua spuma ab igne efficiť, ita hic à caliditate supante. & hęc, inqt, biliosa, magna ex parte subducunť in his febribus quæ liquefaciūť & ad tabem ꝑducūt. & in eo loco mulsam ꝓhibet, qa facile in bilem trāsit. & in Sectione. 13. Galenus inqt. Siqs spumosa simul & sincere biliosa deiecerit, febrem sciuerit esse quæ liquefaciat, & ad tabem ꝑducat. atq; ob id à mulsæ potu abstineto, atq; in ptisanæ cremorem deuenito. In hoc ēt. 4. lib. Sect. 112. Galenus inqt, colliquatio fit absumpta cōtabefactaq; ꝓpter febrem morosam uel pinguedine, uel molli carne. de his ūo alīs plenius loquemur, ubi & curationem simul & causas ꝓponemus. Paulus de hac febre agit lib. 2. ca. 41. Aetius li. 5. cap. 89. ex fœtidis deiectionibus distinguunť. tu hos authores ꝯtēpleris.

## Hippocrates. Sectio. XLI.

Quibus per febres aluus liquida est, & mēs turbatur, horumq; multi floccos uellunt, naresq; fodiunt, & parum quidem interrogatis respōdent, sed ex se nihil quod compositum sit dicunt: talia his melancholica esse arbitror. His igitur ita habentibus, si uenter liquidus fuerit, absumensq;, & cōtabefaciens, sorbitiones frigidiores crassioresq; exhibendas esse puto: potusq; qui sistant, uinosioresq; uel etiam astringentiores.

BRASAVOLVS. Et hæc una est ex sentētijs, quæ parꝫ utilitatis afferūt, qm̄ si mutatio exhibeať, quā refert, uni cōuenit morbo nō alteri. Inqt ūo, cū qs febre correptus liqdam aluū habuerit, & mēte turbeť, inter hos ūo qui mēte turbanť, plures floccos uellūt, et nares fodiūt. Adde ꝙ interrogatis parꝫ respōdent· & si respōdeāt nihil qd' cōpositum sit dicūt. Cū in uno hęc deprehēdes, melācholica esse iudicato. cū ergo aliquem nactus fueris ita hñtem, si uēter, ut suppositū est, fuerit liqdus & absumēs ac cōtabefaciēs, iudico huic sorbitiones frigidiores & crassiores esse exhibēdas, & potus qui sistāt, uinosiores inq̄, uel ēt adstringentiores.

ὁκόσοισι δὲ ἐν πυρετοῖσι κοιλίη ὑγρὴ, καὶ γνώμη τεταραγμένη .i. qbus aūt in febribus aluus humida, & mens turbata. At dices, hæc uideri simul incōpossibilia, qa si aluus humida est, q̄uo pōt esse mens turbata, qm̄ materiæ ad infernas partes descendūt. imo ab Hippocrate in Aphorismis dictū est, habētes surditatem, si alui ꝓfluuiū supueniat, iuuari, & si habēti alui ꝓfluuium, surditas supueniat, iuuari: ut noteť cū inferiores partes lædunť, supioribus ꝓdesse· & cū materia ad inferiores deferť partes, supiores iuuari, et liberari, & ē cōtrario. Rñdemus, supponi esse tātam materiæ copiam ut possit utriq; parti deseruire, uel alui ꝓfluuium ex uētriculi imbecillitate ꝯuenit, & inferioribus partibus affectis, neq; est materia quę à capite descēdat, imo illa quæ in capite est mētem turbat, hoc est ægrꝫ hūc extra mentem reddit, ut quid agat ignoret.

καὶ οἱ πολλοὶ τῶν τοιουτέων τὰς κροκίδας ἀφαιρέουσι .i. & horꝫ multi floccos uellūt, mens turbata est, qd agant ignorant, aliqd ipsis agere uideť, & culcitræ floccos capiūt ac uellūt. ita apud Hippocratem agūt qui uitam obeūt. nēpe corꝫ imaginatio uacillat, uideturq; illis ut aliqd agant, cū tñ nihil sit qd agāt, uel etiam id forte fortuna agunt.

καὶ τὰς ῥῖνας σκάλλουσι .i. & nares fodiūt, non qdem ut materiam pituitosam educāt quæ obduruerit· sed qd agant nescientes, digitos extra rem intra nares ponunt, & hoc ab ipso authore dicitur nares fodere.

καὶ κατὰ βραχὺ μὲν ἀποκρίνονται τὸ ἐρωτώμενον .i. & ad interrogata parꝫ respōdent, qa mens turbata est, neq; interrogatis attendūt, sed alia mente cōcipiunt, q̄ ipsis dicanť, ꝓpterea parꝫ respōdent· uerꝫ ab interrogātibus stimulati nōnihil respōdent, qd' tamen ad rem ipsam non facit.

αὐτοὶ δὲ ἀφ' ἑωυτῶν οὐδὲν λέγουσι κατεστημένον .i. ipsi uero ex seipsis nihil qd' cōpositum sit dicunt, ab alijs interrogati ad interrogata parꝫ respōdent. qd' dupliciter intelligiť· & ꝙ penitus nō respōdent· & ꝙ ꝑperam respōdent, imo si per se ad sua sponte loquantur, nihil dicunt qd' decens sit, & quod ad rem ipsam faciat.

δοκεῖ οὖν μοι τὰ τοιάδε μελαγχολικὰ εἶναι .i. mihi igiť uideť talia melancholica esse. Iudicat hic author eiusmodi symptomata ad atraꝫ bilem ꝑtinere. Galenus iudicat potius esse phreniticā, qa à bile fiunt. tñ nos addimus & hæcmet ab humore fieri atrabilari, imo & à pituitosa faciēte lethargum, uel comā soporiferam, ꝓpterea esse pōt ex atra bile & pituita. sed necessarium nō est ex his indicijs inferre illū esse melācholicum, & illa esse atræ bilis symptomata.

De his uero symptomatibus petes, cū ab Hippocrate in ꝓgnosticis inter signa mortis ponať floccos decerpere, cur hic non sit positum mortis signū, sed potius melancholię, & q̄uo distingueť qñ erit signum mortis, & qñ melancholię. Respōdemus, hoc modo distingui· qñ est mortis signū, est cum uirium imbecillitate· qñ est melancholiæ signū, uel phrenitidis, est cum uirium cōstantia. illi qui floccos capiūt in ꝓgnosticis uires habēt imbecillas. idem de illo signo dicēdum, qd' est, uellere nares, est mortis signū, si absq; uirium robore sit· si cū uirium robore existat, signum est uel melācholiæ, uel phrenitidis, uel soporis. idem iudicium est de respōsionibus, quę ad ꝓpositum nō sint, & de sermone ex se, qui ad rem non faciat.

ἢν δὲ τῶν τοιουτέων ἐόντων, ἡ κοιλίη ὑγρὴ ᾖ καὶ συντήκῃ .i. si aūt his ita se habētibus aluus humida fuerit & cōtabefaciēs. Nunc curationem ponit præcedētis affectus: at qa de liqda aluo prius locutus erat, & in aluo liqda loquebať cum febre, & prescriptis symptomatibus, ꝑpterea ne idē iterꝫ repetere uideať, inqt, his hñtibus, ut dictū est, si aluus liqda sit, & eo liqda ut cōtabefaciat & corpus absumat & macilētū reddat, tūc curādus est, ut statim dicet. hi ūo febrē hñt colliquātē. δοκέει μοι τὰ ῥοφήματα ψυχρότερα καὶ παχύτερα προσφέρειν .i. mihi uideť,

forbitiones

sorbitiones frigidiores & crassiores adhibēdas esse. si recte ꝯsideres, curatio haec nō est symptomatū à perturbata mēte dependentiū, sed est solū alui solutae, & febris colliquātis curatio. frigidae sorbitiones dandae sunt frigidae inq̃ & actu & uirtute. tñ non est opus in liqda aluo frigida semꝑ uti sorbitione, qa si liqda esset ob uētriculi imbecillitatem, ex frigiditate non ꝯueniret. crassiores ꝟo exhibet, ut fluidū qđ est, ꝯtineāt. nam in casu in quo ꝓfluuiū sanare intēdimus, crassos cibos glutinososq; exhibere ꝯuenit, ut nutrimētum quoq; incrassēť, nō semꝑ. ꝓpterea haec nō est uniuersalis curatio, sed in una tñ est ꝓfluuij specie, qñ. s. à bile fit, & à calida uentriculi intemperie, & tenues humores incrassare intendimus.

καὶ τὰ πόματα σταλτικὰ καὶ οἰνωδέστερα, ἢ καὶ στυπτικώτερα. i. & potus reprimētes, & uinosiores, uel ēt adstringētiores. Hic uidebiť ꝯtradictio, qa potus si reprimentes sint, uinosi esse non pñt, qm̃ uinū οἰνῶδες, potēs est et uehemēs apiēsq; nō aūt reprimēs. uñ potius uidereť dāda aq̃, q̃ mag a adstrigit. Rñdemus, uinū uinosū esse duplex. quoddā austeꝝ, quoddā nō austeꝝ. de uinoso loqť austero qđ adstrigit quodāmō, & forte hoc mō exponēda est lr̃a, potū uinosiorē, uel ēt adstrigētiorē, ut hęc particula/adstringentiorē/determinet uini genus. at in alui ꝓfluuijs semꝑ adstringere nō est opus, s3 plerūq; apire opus est, ut i ꝓfluuio nūcupato hepatico ex iecoris obstructione, uel aliq̃ sū meseraicaꝝ, tūc apientibus uti opus est, quae obstructiones remoueāt, si debēāt in sanitatem restitui, imo in his ꝓfluuijs si qs adstringat aberrat. hic author curationem ponit qñ adstringere opus sit, & non apire, neq; ad hoc uel illud se determinat, icciꝛco cōfusus est. Et tu si hoꝝ symptomatum curationem aggredi tētabis, utriq; affectui praesidia praestato, & phrenitidi ꝑ se, & ꝑ se alui ꝓfluuio. cā ꝓfluuij alui ꝑquisita & inuenta in curatione errare non poteris, si ad intentionem causae ages.

GALENVS. Phreniticoꝝ sanè haec sunt symptomata. Sed uenter qdem interdū cū phrenitide liqdus efficiť, non tñ id ꝓprie ipsi inest: quapropter liqdam aluum distincte curare expedit, phrenitim ꝟo alia seorsū ꝑseq sanatione. In ea aūt quam author scripsit sanatione, nullo pacto animi intētionem ad phrenitides dirigit: sed curare eū magis uelle arbitror affectionem quādam ex uētria qdem parte aliqua ꝓdeūtem, sed caput ita ad ꝯdolentiā trahētē, ut ex uētris affectu desipiat. Talia aūt nō recte melācholica cē dictū est. Magis. n. à flaua ꝓficiscunť bile, cohibita aluo.

BRASAVOLVS. Primo, Galenus notat hęc quę dicunť esse phreniticoꝝ symptomata, tñ uenter cū phrenitide nōnunq̃ liqdus est, sed nō est ꝓpriū phreniticoꝝ aluū liqdā hēre. uñ liqdā aluū ex se curare op3, & ex se phrenitim, qa alia idigeť curatione, & alijs p̃sidijs. Secūdo, Galenus notat in curatione, quā hic author describit, direxisse animū ad phrenitidem, sed potius affectionē quādam curare uoluisse, quae ex quadā uētris parte ꝓdeat, & caput ita ad cōpassionem et ad ꝯdolētiam trahit, ut ex uētris affectu desipiat. at alia recte non dicunť melancholica, qm̃ potius à flaua bile ꝓficiscunť aluo cohibita. Sed hūc petes affectū in quo cerebꝝ cōpatiať, & adsit aluus soluta & lubrica. Esse pōt qñ in ore uentriculi sit bilis, quae ob mordicationem ad exitum excitet, & cerebrum per compassionem laedatur. at illa non erunt atrabilaria, sed biliosa.

## Hippocrates. Sectio XLII.

Quibus item febribus uertigines a principio, & capitis pulsus sunt, & urina tenuis, his ad iudicationes usq; febris accessionem expectare oportet, ꝙ si delirent quoq;, nil mirum.

BRASAVOLVS. De febriētibus adhuc ꝓsequiť author, & nō cōtinuata seriē ad predicta, sed nota quaedā semꝑ addit, quę cū praecedētibus cōnexionem nō habēt, nisi dixerimus ꝙ & de febriētibus ꝓsequř, sed de illis qui in febriū initijs uertigines hñt & capitis pulsus cū tenui uia urina. in his enim qui ita habēt, febris accessionem expectare oportet usq; ad iudicationem, neq; mirū uideri debet, si hi praeter dicta etiam delirent.

ὁκόσοισι δὲ τῶν πυρετῶν ἴλιγγοι ἀπ' ἀρχῆς. i. qbus in febribus uertigines à principio. De his uertiginibus qño fiāt, et qūo curenť disceptandum est, tñ nō est necesse ut in febribus fiant. cum uero fieri qñq; contingunt, icciꝛco supponamus quēpiam habere febrem & simul uertiginem.

De uertigine & eius curatione.

Decipiunť recētes, qui putāt Graecos authores nō posuisse differētiam inter uertiginem, & σκοτόδινον. i. tenebricosam uertiginem, cū hoc cōstet esse apud Galenū differētiam inter δῖνον, i. uertiginem, & σκοτόδινον. i. tenebricosam uertiginem. in simplici etenim uertigine res solū circūagi uidenť, sed in tenebricosa, simul circūagi uidenť cū uisu tenebricoso. icciꝛco & idē Galenus in. 3. de iudicatio. ꝓpe finem, ubi indicia ponit, qbus noscere possumus crisim futurā per uomitū. inter alia indicia hoc unū est, uertigines obortae cū ijs quae obijciunť oculis tenebrosis. in lib. ēt introductorio Galeno adscripto differētia inuiť inter oculoꝝ caliginem, & uertiginē, ubi dicit, caligines oculis offusae & uertigines, cognata sunt una morbo comitiali, ab eisdēq; causis ꝓdeūt, & easdem sedes occupāt. hoc tñ intercedit discriminis, ꝙ illae in supficie corporis, nō intus accidūt, ob qđ facilius q̃ hic curanť. Sed haec pars ostēdit hūc libellū nō esse Galeni, utpote qui in. 3. de loc. affect. qui est liber Galeni, ꝓprius uoluerit fieri qdem nō in supficie, sed trāsire ꝑ retiformem plexū in cerebꝝ. At differētia est s̃m Galenū, qa haec fiūt à uaporoso & calido spū, morbus ꝟo comitialis à materia crassa. Et si dicas, Galenū in Aphoris. 23. libri. 3. ubi Hippocrates de morbis hyemis uerba facit, & inter alios, uertigines enumerat, dicere uertigines quoq; cerebri laesionem cōsequunť, sicuti & apoplexiae: nā & haec passio fit cū caput repleť pituita, igiť & ab humore uertigines fiūt: Rñdemus, à pituita nō fieri, sed à spiritu uaporoso, qa pituita eleuať. unde apoplexia cōuenit cum uertigine in materia, sed nō in modo materiae. nā apoplexia immediate à pituita fit, sed uertigo nō fit immediate à pituita, qa prius necesse est ut in spiritus crassos resoluať, ut in 3. de loc. affect. à Galeno notať. hocq; ueꝝ esse ostēditur, qa in ult. Apho. eiusdē. 3. li. ubi de senioꝝ morbis loqť Hippocrates, dicit ipsos incidere uertigines. Galenus in cōmento dicit, uertigines autē ipsis accidūt ob spiritū uaporosum, qui in partibus cerebri for dinato cieť motu. saepe ēt in uentriculo uitiosis supfluitatibus aceruatis ad cerebꝝ ferť exhalatio uaporosa. ut palàm fit Gal. ostēdere esse uaporosū spiritū, & nō pituitā, quę ꝟtiginē faciat, tñ à pituita hic uaporosus spūs eleuať. Gal. post dimidiū. 6. lib. de sani. tuē. ubi de calido capite disseruit. Notat ēt capita quae ꝓpter arteriaꝝ tēperamētum in scotomata & capitis dolores incidāt, in qbus, inqt, arterias ēt incidere solemus. In definitionibus praeterea medicis Galeno adscriptis repiť quaedā scotomaticoꝝ. i. uertiginosoꝝ definitio, quę talis est. Scotomatici appellātur, qbus obtenebrōnes ꝯtingūt, uidenturq; ijs circūferri caput, et lucis icerti ac uagi i tenebris splēdores oculos obuersari. At rem hāc exqsitius quo fieri possit ꝑtractare uolentes, scire oportet repiri apud Galenum & Graecos δῖνον & σκοτόδινον uel σκότωμα, idem etenim sunt σκοτόδινος, & σκότωμα, primum pōt interpretari uertigo. secūdum uertigo tenebricosa (si omnia exprimere uelimus, quae in noībus cōtinenť) tñ sunt & apud Hippocratem ἴλιγγοι, qui uidenť minores uertigines in 3. Apho. sed & pro uertigine absq; tenebris accipiť, quas fieri dicit in australibus cōstitutionibus. Illa sola apud Graecos repeniť distinctio. imo & plerūq; Galenus utiť uocabulo σκότωμα pro uertigine, etiam si nō adsit obscuritas. At uertigo sine tenebris duplex est. una huius generis, ut omnia quidem in gyrum uerti uideātur, sed nō cadat. altera in qua is qui affectus est, nō cadit, & tamen non uidentur res tenebricosae. prima est minus intensa. secunda magis intensa. & tertia in qua res uidentur tenebricosae.

At petes, quonā mō illa spēs ꝟtiginis in qua cadūt hoīes distinguať ab epilepsia. nā & in epilepsia hoīes in terram decidunt,

Respondemus, hanc uertiginem in qua decidunt homines esse ualde intensam, fierique à maxima copia uaporosorum spirituum, & non tantum est in anteriori cerebri parte, imo & posteriori parti cõmunicatur. ꝓpterea decidunt, quia uis motiua offenditur, quæ à parte cerebri posteriori initium habet. differt uero ab epilepsia, quia in uertigine nõ amittitur sensus, ut in epilepsia amittitur. Et adde, in uertigine non fieri cõuulsionem, qualis fit in epilepsia. uidimus adeo intensas uertigines, ut nõ solum caderent si à lecto surgebãt, sed & in lecto iacentibus uidebatur & cubiculum, & totam domum, & uniuersum orbem regyrari, ut cogerentur oculis clausis capita in ceruicalia defigere. tñ cum uertiginem dicimus, hos non intelligimus, nec sunt illi uertiginosi solũ dicendi, sed omnes illi qui ex leuiuscula etiam causa uidentur circumagi.

Et si petas, quomodo hoc fit, uolueris que experiri symptoma uertiginosorum, circumagas teipsum in gyrum per multos circuitus, postea siste, tũc in teipso uertiginis imaginem patieris. Sm igitur Galenum in. 3. de locis affectis, uertiginosi à parua occasione uertiginem patiuntur ut interdum cadant. & Paulus lib. 3. cap. 12. inquit, quod quantũuis leui de causa facile concidant. Aetius uero ex Archigene & Posidonio ait, perseuerante ægritudine iam à quacunque leui occasione præ oculis tenebræ apparent, ut interdum concidant.

Verum ut de hac re exquisitius loquamur, scire oportet uertiginem & σκοτοδίνιαν uel scotodinan fieri quãque à causis extrinsecis, quãque ab intrinsecis. Primo, extrinsecas causas in ordinem referamus. unam ex extrinsecis causis tractauit Galenus. 3. de locis affectis, cum dixit, quod accidit alijs cum in circo frequenter uertunt, hoc uertiginosis contingit sine curatione unde uertiginosi ex quocũque motu in gyrum uerti uidentur, etiam si non regyrent, eo modo quo qui sponte regyrant. At hæc spontina regyratio potest esse uertiginis uera causa, si homo illam diu exerceat. nam cum ita in gyrum it homo, spiritus omnes qui in cerebro sunt & uapores regyrant eodem modo quo cũ quis phialã acceperis aqua plenam, & in gyrum duxerit, postea phialam detineat, aqua quæ in phiala continetur, adhuc per aliquod temporis spatium in gyrum uertitur. Est igitur hæc una uertiginis causa exterior in gyrum frequenter uerti, quia spiritus qui in cerebri uentriculis continentur, motum illum in gyrum accipiunt & seruant, ut ex qualibet re facile uertiginem semper incurrant. unde Galenus in. 3. de locis affectis, inquit, Atqui ubi quis crebro uertitur, inæqualem & turbulentum & inordinatum motum cum humorum tum spiritus in eo fieri in confesso est. ꝓpterea cauẽdum ne ioco in gyrum homo uertatur quod tñ multi pueri sponte exercent. hæcque causa est cur pistrinorum rectores, oculos equis illis ligant, qui ad molas in gyrum deducendas destinati sunt.

Secunda extrinseca uertiginis causa ex eodem Galeni loco sumi potest. Est uero cum quis rotam in circum agi diu obseruauerit, necesse est ex uisiuorum spirituum in gyrum cõmotione uertantur, & cerebri spiritus, & humores, qui in eo sunt. itaque affectũ illum acquirunt, ut ex quacunque causa in gyrum facile uertantur.

Tertia extrinseca causa ex eodem loco accipitur, cum quispiam rapidorum fluminum cursum, uel aquarum uortices obseruauerit, ad eiusmodi motum mouentur & uisiui spiritus & phantasia, & quicquid in cerebri uentriculis continetur. multi currentes aquas trãseuntes, ex rapido illo motu ab equis decidere, & suffocati sunt.

Quarta extrinseca causa à recentibus ponitur, sed ab Auicenna accepta est, fieri uertiginem ex rerum consideratione, quæ in gyrum uertuntur. tñ hæc nõ differt à causis à Galeno acceptis, nisi forte in hoc, quia Galenus de his loquitur quæ actu uerti uidentur. at hi etiam de his quæ non uidentur, sed in phantasia & sensu conseruantur. unde ex infixione in anima rerum quæ uertuntur, etiam si non inspiciantur, spiritus ipsi uertuntur, uertigoque efficitur. nec mirum, præsertim si quæ uertuntur luminosa sint. nam illa suam formam spiritum disgregando uehementius imprimunt. probarique potest formam illam in animam infigi, nam omnes sensibiles operationes cum instrumentis fiunt corporeis, quæ impressionem patiuntur. Inter instrumenta uero spiritus sensibilis & dignior est & exquisitior. unde in hoc spiritu forma rei quæ sentitur relinquitur, eo etiam quod sentitur remoto. Scito tñ si eiusmodi forma in spiritu remanere debeat, opus esse quod sentitur esse uehemens. ꝓpterea & rei uehementia quæ sentitur, & instrumẽti agilitas ad recipiendum, huius impressionis causa sunt. nam aliqua instrumenta sunt, quæ & alijs facilius recipiunt, & facilius etiam retinent.

Et si petas, quonam modo recipiens possit esse facilius & difficilius ad retinẽdum. Dicimus, recipiens esse spiritum. si spiritus sit humidus, facilius recipit, & difficilius retinet. nam formam quidem recipit, ob humiditatem uero cito abijt. & hoc potissimum si agens ipsum imbecillum sit. si uero spiritus sit siccus difficilius recipit. cum uero receperit, diutius retinet, præsertim si agens sit uehemens. ut autem spiritus recipiat retineatque, opus est in humiditate & siccitate mediocritatem habere. uel in prima parte qua recipit, sit humidus, in secũda sit siccus. si contingat spiritus ita se habere, & agẽs esse uehemẽs, multa fit impressio, & diu retinent. unde inferre oportet & non uisa re quæ uertatur, regyrationis speciem & formam in sensu relinqui. hac uero specie considerata, & in memoriam redacta, nõnulli uertiginem incidunt.

Quinta causa extrinseca est aspectus ad res altas & in aerem eleuatas, quia spiritus distrahuntur, & in gyrum uerti possunt.

Sexta extrinseca causa est aspectus rerum luminosarum, nam res ipsæ luminosæ spiritus uehementer disgregant. qui & si non uertantur, tñ ob disgregationem illam, possunt esse causa motus in gyrum. De re luminosa loquentes, scito rotam quandam fieri speculis plenam infinitis, è cuius regione sint infinitæ accensæ candelæ, sitque tecta pãno, si ex improuiso detegatur, & in gyrum uertatur rota, & capitibus robustissimis uertiginem parit. Incidimus nonnunquam ex eiusmodi rotæ motu uertiginem, sed breui abijt.

Septima causa extrinseca ex. 3. de locis affectis habetur. est uero uertiginem maxime fieri cum in sole æstuauerint homines, uel aliam ob causam caput habuerint supercalefactum, nam ex illo calore spiritus cõmouentur & in gyrum uertuntur.

Octaua extrinseca causa est, cum caput percutitur, & spiritus, qui intus erant ac quiescebant ex ictu commouentur, uel ex caluariæ fractura. unde spiritus qui prius quiescebat, in uarios cõmouetur circulos, sicuti aquæ contingit quando lapide quodam percutitur, paruas facit circulationes, deinde maiores, postea tales fiant, ut totum occupent alueum. Notaque & in dorso percussiones, uertiginem inducere possunt ob læsionem in posteriori parte, quam cerebro cõmunicat. Possunt esse & aliæ infinitæ extrinsecæ causæ, de quibus agendum nõ est, cum satis sit nouisse curationis initium fuisse si causæ remoueãtur. Hæc igitur de extrinsecis causis satis sint.

Tñ in lib. quos purgare conueniat, & quibus medicamentis quãdo materia cocta non est, edocemur ob medicamenta homines uertiginem nonnũquam incidere, quæ causa an extrinseca sit, uel intrinseca ambiguum uidetur, tñ ad extrinsecas reducamus, uel si tibi placet ad intrinsecas reducito.

Nunc de intrinsecis causis agere cõuenit. Apud Galenum reperitur uertiginem fieri, uel ex primaria cerebri læsione, uel ab ore uentriculi, tñ fit ab alijs diuersis membris præter os uentriculi, ut melius Archigenes in lib. de longarum affectionum notitia, dixisse uidetur. fieri autem in ipso capite, aut in his partibus quæ circa præcordia sunt. tñ & Galenum idem censuisse constat, quia Archigenem refert ac si ipsius Galeni ꝯfirmet sententiam. Dicamus ergo fieri posse uertiginem & ex affectione quæ in cerebro fit, & ex compassione ex alio membro. si ex ipso fit cerebro, quod primo affectum sit uertigo, (à Galeno notatur. 3. de locis affectis, & hoc sm Archigenem) illam præcedere aurium sonitus, & capitis dolorem atque grauitatem, & olfactus, ac cuiusque sensus oblæsionem. per sensus eos intelligẽs qui à capite initium sumũt. notauerat que Galenus fieri posse ut inæqualis cerebri intemperies spiritus huiusmodi ꝓducat. Paulus de hac tantum loquitur uidetur uertigine, quæ primam habet in cerebro generationem.

nerationem. nam dicit, fieri magna ex parte uertiginosam affectionem, cum cerebrum à gelidis & glutinosis humoribus fuerit occupatum. unde ea correpti quantumuis leui de causa facile concidunt, dicitq́ praecedere dolorem capitis uiolentum & caron, sonos, & aurium sibila, nonnullis odoratu læduntur, & aliquibus offenditur gustus. En quomodo de affectione in cerebro ipso facta loquatur. tamen neq; ignorauit uertiginem fieri ab ore uentriculi, quia addit, quibusdam uero per consensum ostij uentriculi sequitur cardiogmos. Sciendum uero est uertiginem ratione cerebri fieri posse, non solum ex motu uaporum in ipso, sed & ob prauam intemperiem diuersam, quam habet, ex qua spirituum agitatio sequitur & commotio. unde principium agitationis erat à praua qualitate, & non ab aliquo corporeo mouente, sicuti ex igne agente in aquam fit motus quidam diuersus. eodem modo ex aliqua intemperie naturalis spiritus mouetur. unde naturaliter quasi secundum unum motum mouebatur, & temperies extranea secundum alium motum illum mouet. quandoq; fit à spiritibus in cerebro generatis animales spiritus mouentibus & in gyrum uertentibus, sicq́ à materiebus in cerebro plerunq; antiquatis. Inter alia uero signa quod ex ipso fit capite est, quod hi habent assiduam uertiginem, tamen non est continua, quamuis caput læsum semper uideatur. Adde, nullum sentiri membrum læsum. at si quid læsum persentiatur, esse caput. Hæc sunt uertiginis indicia primogeniam affectionem in capite habentis. his igitur deprehendendum est, uertiginem primo in capite esse, & à nullo membro dependere.

Vertigo autem plerunq; fit per sympathiam (quam recentes et compassionem & communitatem uocant) ab alijs membris, ob uapores, qui ab ipsis ad caput transmittuntur, & spiritus animales in gyrum ducunt. possunt uero hi uapores & à uentriculo, & à liene, & à iecore, & ab intestinis, & à renibus, & ab utero, & ab alijs partibus transmitti, sed omnium indicia ponenda sunt. Id uero notare oportet, à uentriculo potissimum & utero eleuari hos uapores. Sit uero primo indicium hoc esse partis mandantis, si pars aliqua sit affecta, aut in ea sentiatur titillatio, aut doleat, iudicandum ex illa parte ascendere uapores, qui ad cerebrum tendentes uertiginem faciunt.

Petes autem, an humores ipsi transmitti possint, qui uapores non sint. Respondemus, posse quidem, & nihil impedire, qui humores spiritum animalem commouent, & ipsi in cerebro efficiuntur uapores. Aetius de uertigine tantum loqui uidetur, quæ ex uaporibus in caput ascendentibus facta sit. nam lib. 6. cap. 7. dicit, uaporibus calidis acribusq; ad caput eleuatis, & spiritum animalem in cerebro euertentibus, primo quidem hebetudines quædam oculos occupant, deinde aurium tinnitus assidui, & audiendi difficultas, quæ maxime eueniunt circa ciborum concoctionem, & cum à somno surgitur increbescente morbo, uertigines obtenebrationesq; fiunt, ut spectantibus uideantur cuncta conuerti. idq; præcipue contingit cibi cruditate quapiam præcedente, è sede repente surrexerint, perseuerante ægritudine causa, à quacunq; leui occasione, præ oculis tenebræ apparent, ut interdum concidant, præsertim si circunferantur.

Ex his colligi potest, de ea tantum loqui uertigine Aetium, quæ ex aliorum membrorum fit compassione, & præcipue uentriculi, quia dicebat, fieri circa ciborum concoctionem. Et quia etiam addit facile hoc affectu capi quibus solitæ excretiones retinentur, & qui cruditates, solisq; adustiones, & frequentes ebrietates incurrunt. Et adde, præsidia quædam quæ proponit, ostendere de illa quæ fit ex uentriculi compassione, locutum esse, & non de alia, quamuis posset & ad alia ampliari.

Ad rem uero redeuntes, Galenus in. 3. de locis affectis, signa ex Archigene refert, quando ex oris uentriculi fit compassione, quippe dicit ubi uero ab ore uentriculi oritur, cordis auersionem nauseamq; persentiri. Sed unum à Galeno notatur, quod & in omnibus subintelligendum est, id uero est, licet caput per alterius partis consensum afficiatur, affectio tamen nihilominus ipsi adscribenda est. Adde, in uentriculi ore abominationem quandam persentire, & hic non recte concoquit ingestos cibos, & nonnunquam ex oris uentriculi propinquitate cum septo transuerso. præcedit ad hanc uertiginem anhelitus difficultas. uerum cum uentriculus ipse quandoq; patiatur dum est ieiunus, quandoq; dum est plenus, propterea in aliquibus fiet cum sunt ieiuni, in alijs cum sunt pleni. non intelligimus uero ieiunum hominem illum, qui nihil penitus, habeat in uentriculo, quia si nihil haberet, quomodo uapores transmittere posset? Sed intelligimus non habentes cibos, sed habentes humores & flatus, qui cum ieiuni sint mouentur, cum implentur, à cibis supprimuntur, & non mouentur. cum fit ex uentriculi repletione, tunc contingit cum uentriculus est plenus, et cum incipit fieri coctio.

At nonnunquam ex utero fit uertigo, quæ solum in mulieribus inuenitur, quando fumi ex utero eleuati in caput ascendunt, & spiritus animales in gyrum commouent. Authores censent aliquos uteri morbos præcessisse, ut præfocationem, uel inflammationem, uel seminis genitalis retentionem, uel mensium suppressionem. multis mulieribus ob mensium defectum uertigines contingunt, quæ uehementiores sunt si ex seminis retentione fiant, quam si ex mensium retentione. Intellige uero semen retentum, quando non emittitur, tamen in uia est ut egrederetur. quia seminis retentio, quæ non fit in urijs, non est semen retinere, sed est sanguinem retinere ad corpus nutriendum aptum. ex his duobus membris potissimum fit, cum tamen & ex alijs fieri constet.

Si ex uesica uertigo fiat, uesicæ ægritudines præcessere, ut stranguria, dysuria, & eiusdem generis alia. non quidem omnia, sed unum tantum satis est ad uertiginem inducendam.

Si ex renibus fiat, renum dolor præfuit, & adhuc perseuerat.

Si ex iecore fiat, iecoris dolores præcessere, uel inflammationes, uel alij morbi.

Si ex liene fiat, tumor lienis præcessit ac dolor.

Si à corde, aliqua præfuit cordis affectio, & anhelitus difficultas.

Quandoq; tamen fit à uaporibus, qui à toto corpore eleuantur, & non magis ab una, quam ab alia parte, omnes hæ uertigines per consensum ab alijs membris appellantur.

Fit nonnunquam ex nimio coitu, in quo cerebrum compatitur, & animales spiritus commouentur in gyrum. sed & uertigo ad flatum hypochondriorum plerunq; sequitur, ex uaporibus, qui ab hypochondrijs eleuantur dum materia ebullit, & in cerebrum ascendunt. Sed ad exquisitam uertiginis curationem non solum hæc prænoscere opus est, sed & illud consideratu dignum est, fieri & à quocunq; humore uertiginem, qui in flatuosum spiritum reduci possit. at cum humores omnes in spiritus resolui possint, propterea ab omni humore fieri nihil impedit. itaq; uertigines ex humoribus distinguuntur.

Si à sanguine fiat, hi rubros habent oculos, faciemq; totam rubram, & inflammatam, uenæ in oculis maiores uidentur, quam prius essent, & temporum uenæ, & illæ quæ sunt post aures pulsant. alices & oscitationes secundum recentes his frequenter contingunt, forte quia ex uaporibus musculi implentur, qui in faucibus sunt, & natura expellere uolens, oscitationes facit plures, & facies tota uidetur tumida, & si tactu oculos & faciem tractes, calida esse persenties.

Si à bile fiat uertigo, faciei color & oculorum ruber erit in luteum quendam tendens, uigilabunt, imaginationes quæ oculis præsentantur luteæ erunt, quia & oculus ipse luteus, nauseaq; uertiginem hanc præcedit.

Si, à pituita fiat, hi sensus habent perturbationem & capitis grauitatem, & colorem faciei albicantem uel pallentem. prætertim uero iudicabis ex pituita fieri, cum sanguinis signa & bilis aberunt. tunc enim erit ex materia frigida, quæ si indicia habeant prædicta, ex pituita erit.

Si ab atra bile fiat uertigo, aderunt uigiliæ, quæ ad siccitatem sequuntur, aderit lamiarum & strigum imaginatio, ac spirituum infernalium, & rerum atrarum terrificarum.

Tamen quia nonnunquam uertigo fit à praua temperie, propterea petes, quomodo cognoscatur. Respondemus, primo cognosci quia hic materias non habet, quas aliquis percipere possit, & adest cerebri leuitas, & præcessere uel uehemens caliditas, uel uehemens frigiditas, quæ prauam qualitatem calidam uel fri-

gidam inducere potuere, uel cibi calidi, uel frigidi illam induxere. Rasis censuit hanc ex cerebro uertiginem ebrietati assimilari.

His ita se habentibus ad curationem accedendum est. At cum duplex sit uertiginis genus. unum leuius, quo qui uexanť cum mouentur, uel in gyrum circuuntur, illam incidunt. aliud uehementius, quo afficiuntur per interualla ægri. & cum adest per quatuor tempora distinguitur, per principium, augmentum, uigorem, & declinationem. & totus morbus quatuor habet uniuersalia tempora. Paulus censet esse diuersa agenda in his temporibus. nam qui in affectionis augmento sunt, odoramentis excitari debent, frictionibus, ac similibus. in relaxatione ad refutandam affectionem sanguis ante omnia detrahendus, deinde purgandum hiera picra. affectione autem in statu existente, clystere acriori utendum ex centaurij, aut colocynthidis decocto. his præmissis localia remedia adhibenda, cucurbitula circa ceruicem applicanda, apophlegmatismis & sternutamentis utendum. qui uero in calore capitis, & aurium tinnitu molestanť, ueluti cum uapores calidi per arterias ascēdunt, etiam arteriarum post aures incisio adhibenda. hæc est summa curationis à Paulo relatæ.

Nos uero de curatione loqui uolentes, id esse commune præceptū in uertiginosis, si affectio incipiat & accessio, neq; æger euacuandus est, neq; secanda uena, sed debent moueri, fricari, conuenientia odoramenta ad nares apponi, donec excitentur, in obscuro loco ponendi sunt, sale & aceto extrema fricanda, facies q; uino aspergenda. nullus est qui uelit in primo insultu & cum accessio accipit, uenæ sectionem fieri debere.

Icciirco petere poteris, an eo tempore conueniat uenæ sectio. Respondemus, ut de apoplexia dictum est, uena in ipsa accessione secanda est, neq; expectandum ad quadragintaocto, uel ad septuagintaduas horas. ita in uertigine cū primum uenam secandam esse iubemus, tum ut materia diuertatur, quæ in caput irrepit, uel uapores in caput ascendentes, tum ut materiæ pars euacuetur, nam hic est magnus morbus. in magnis uero morbis, uiribus ꝯstãtibus & ætate, uenę sectio fieri debet. quā uenæ sectionem & Paulus & Aetius fieri iubent. imo Aetius dicit, Si nihil aliud obstiterit, uena secanda est, siue principium morbi fuerit, siue etiam processerit. notat tñ in sanguinis missione plurimum & confertim euacuari non debere, quoniam à quacunq; leui causa patiens facile concidat. ergo pluribus ablationibus per certa interualla utentes cōgruam mensuram explebimus. Nos igitur cum Aetio & in accessionis principio uenam secandam iubemus in quocunque uertiginis genere à quacunq; sit facta materia. hoc esto primum præsidium, in primo accessu medici, si ætas & uires consenserint, & nihil impedat. & Galenus uenam secādam esse in uertiginosis pertrāstum ad simile docet, ubi Empiricos in lib. de optima secta ad Thrasybulum reprehendit, inquiens, uertiginoso enim in humum procidente, sanguine q; ob casum effuso, atq; ita morbo eo liberato, nos id notantes, in altero uenam secabimus. At hoc exemplum non dedisset Galenus, nisi in uertiginosis sanguis detrahendus esset. potest q; probari id intelligendum esse in principio, quia is qui decidit in principio erat. igitur per simile in uertiginosis in initio uena secari debet.

Post uenæ sectionem generalia ægro iniungenda sunt, prohibeatur, ne in aere turbido maneat, nebuloso, & uentis afflato, solis splendorem euitet atq; lunæ, imo & funalium, & magnarum candelarum, in summaq; lucem euitet ualde splendentem, res profundas actu non inspiciat, neq; illas etiam mente concipiat. idem de motibus uelocioribus intelligo, & de nubium motu. at si uertiginosus adsit, qui euitare non possit, quin montium cacumina ascendat, cum despicere cogatur, qd tunc agendum petes? Respondemus, necessitatem legibus carere, neq; medicorum regulis subijci. nos de uertiginoso loquimur, qui in patria sit, & sit suæ spontis uir, in illo tamen casu potest palpebris subclausis transire, & habere uiridia conspicilia, & alia quæ ars in his casibus parat. uehementes euitandi sunt strepitus, & sonitus, uel tubarum, uel aliorum instrumentorū uel machinarum bellicarum. iram summopere euitet, & motus omnes improuisos, & impræmeditatos, omnes repentini motus his sunt pessimi, & repente despicere, uel suspicere, uel uerti etiam de latere in latus in toro, uel cum stat, uelociter uerti, & sine præmeditatione. ab his omnibus uertiginosus abstinere debet. exercitia omnia euitent, quibus necessarium est oculos fixos & inclinatos habere, ut est legere, scribere, suere, ac similia. iubeantur semper caput habere eleuatum, & cum non dormiūt, & cum dormiunt, cubiculum in quo manent sit obscurum, & limpidum habeat aerem, & non sit cubiculum circuncirca pictum, ne uisus distrahatur, & mens figuris, & uertigo fiat. quotidie excernere cogantur, si non natura, arte saltem fiat. hæc sunt generalia in quacunq; uertigine à quacunque sit causa, euitanda, & obseruanda. imo & summas qualitates euitent, ut caliditatem, frigiditatem, quæ ipsius uertiginis causæ esse possunt, & motionum uaporum ad illam inducendam,

His igitur euitatis, si uertigo ab extrinseca causa, & à recētibus primitiua uocata, ortum habuerit, curationis initium ab illius causæ remotione esse debet. uerum si adhuc perseueret affectus causa remota, opus est curationem adhibere secundum uertiginis genus. s. materia à qua fiat ꝯsiderata. Vnūq; notare oportet, Aetium uoluisse à uaporibus calidis fieri, & acribus ad caput eleuatis, & animalem spiritum in cerebro euertentibus, ut à calidis semper esse uideatur. Paulus è contrario utplurimum à frigidis fieri censet. & profecto Paulo potius inhęrendum, nam utplurimum à frigidis fit, licet & à calidis nonnunquam fieri possit. Pro recta uero uertiginis curatione ad species descendamus secundum materiæ distinctionem, & uniuscuiusq; speciei curationem proponamus.

Primo, de illa quæ ex cerebro fit, dicendum esset, nisi quędam occurreret ambiguitas de antiquo præsidio, quo ante Galeni tempora antiqui utebantur. s. de arteriarum post aures incisione. Galenus. 3. de locis affectis de hoc præsidio ait, quāobrem nonnulli horum ab arteriarum sectione præsidium petierūt, arterias ponè aures ad tantam. s. altitudinem secantes, ut medius inter duas partes locus cicatrice induceretur. Verum hęc arteriarum incisio duplex esse potest. una per sectionem similem, qua uenas secare solemus, ut eodem modo secentur arteriæ, ut sanguis exeat tenuis, qui in eis continetur & spiritus. altera, ut tota penitus arteria secetur, & locus inuratur, ne uapores amplius ac fumi in caput ascendant. Quantum sit de arteriarū sectione illa quæ est uenarum sectioni similis, profecto si materia in capite sit, & non per communitatem ab alio membro, & sit frigida, nescimus quomodo conueniet, nisi intelligamus ideo conuenire in frigida, quia diuertit, neq; materias alias in caput accedere sinit, quæ uapores in capite existentes augerent. Sed maior ambiguitas est de tota arteriæ incisione per trāsuersum, & cicatricis in loco inductione, ne materiæ amplius spiritus portent & humores in caput. Respōdemus, Galenum hāc incisionem non laudare, quoniam si forte in aliquo prodesset, omnibus non prodest. nempe de eiusmodi incisione loquens ait. Sed constat non omnes huius auxilij beneficio fuisse curatos. etenim aliæ arteriæ his maiores ad cerebrum ex ipsius basi per retiformem plexum ascendunt, per quas huiusmodi affectiones fieri, rationi consentaneum est, elato per ipsas uaporoso, calidoq; spiritu & implente cerebrum. Atqui fieri etiam potest, ut inæqualis cerebri intemperies huiusmodi spiritum producat. ut ex Galeno duæ accipiantur causæ, cur omnes non sanātur. prima, quoniam uapores per alias arterias in cerebrum ascendere possunt, ꝙ per has quæ inciduntur. hæ uero arteriæ magis intrinsecæ sunt, quæ incidi non possunt, nisi in colli crassitiem incisiones in profundum irent. icciirco non mirandum si omnes non sanantur. alia causa est, quia si uertigo ab inęquali cerebri intemperie fieret, hæc arteriarum sectio nihil proderit. nam cerebri intemperies potest spiritum hunc uaporosum in ipso cerebro producere, ex ipsoq; uertigo fieret. unde iuxta Galeni dogma arteriæ hæ incidi non debēt, nisi cognoscamus

spiritus

spiritus uaporosos per ipsas in cerebrum ascendere. Tamen a recentioribus unum notatur. s. quomodocunque, & per quamcunque uiam hi uapores in cerebrum ascẽdant, hæc arteriarum incisio cõuenit, modo ulcus seruetur apertum, quia per ipsum multæ expurgantur materiæ, quæ in cerebro manentes obesse possent. hoc uero nobis non quadrat. nam ex longa harum arteriarum reseruatione nimium sanguinis nimiumque spirituum exire posset. iccirco nunquam probarem quod seruarentur apertæ. Galenusque iubet cicatricem induci, & apertas non seruari arterias, nisi dixerimus, arterias profecto tñ locum ubi ulcus est apertum remanere. Tñ addere possumus, & si arteriæ hæ uapores illos in cerebrum non perducant, arteriæ inquam extrinsecæ post aures & tempora, tñ spiritus in cerebrum ferunt & sanguinem tenuem, propterea amplius non mittentur. & ex cõsequenti in illam solum humorum partem aget, quæ ab alijs arterijs & uenis missa est. At quicquid sit cum hic fuerit antiquus mos arterias post aurem incidendi, & cicatricem inducẽdi, ne arteria amplius in cerebrum mitteret, propterea dubitare oportet, quonam modo hæc incisio fiat, & quomodo sanguis sistatur, qui per illas exit, ipsæque claudant. Sunt uero diuersi modi apud recentes claudẽdi illas arterias: quippe nonnulli cutim incidũt, & arteriam, deinceps locum penicillis implent ex filis uel gossypio: alij in ouorum albumen penicillos intingunt: alij in totum ouum cum albumine simul & uitello concussum: alij addunt & rosaceum omphacium: alij addunt & parum salis: alij non incidunt cutim & arteriam simul, sed cutim eleuant excoriãdo, & hamulo quodam accipiunt arteriam, uel digitis, uel alio instrumento, ut à cute & carne separent. postea inter hos aliqui incidunt, & utrinque caput adurunt: alij uero ligant, & nõ adurũt, sed in duobus ligant locis, postea in ligaturarum medio incidunt. hicque Mesuen profitentur, qui ita fieri docet: alij ligant tantum in uno loco, & uersus aurem incidunt, qui Auicennæ sententiam sequuntur in capite de ophthalmiæ curatione lib. 3. nam ex arteriæ parte, quæ dimissa est aperta, cerebri materiæ expurgantur: alij neque cutim incidũt, neque arterias, sed inustione utuntur supra arterias & cutim.

Petes modum quendam, apud Aetium legere libro septimo capite. 89.

Petes uero, quidnam tutius sit uel uenas incidere & ligare, uel inustione uti. Respondemus, inustionis usum semp esse tutiorem, quia simul, & semel inciditur, & sanguinis profluuium prohibetur, & ad pus præparat. nam inustio escharam facit in loco. Galenus de inustione non loquitur in arterijs incisis, sed de ligatione uerba facit, ubi prope finem. 13. Methodi iubet ligandas arterias filo serico, aut alio filo minime putrescibili. de ophthalmia loquitur curanda, & monet arterias temporum incidẽdas, uel illas post aures, sericeoque filo ligandas monet ob motum quem habent. si enim inciderentur uenæ, cum non habeant motum, caro efficitur illis ueluti operculum. & Galenus solũ unius meminit ligaturæ, postea incidi iubet, quia illi placet superiorem ramum materiam emittere, & caput expurgare.

At ambiges, cum arteriæ sint æque prominentes in temporibus, & facile incidantur, & ipsæ materias in caput deferãt, cur incidi non possint. Respondemus, imo incidi posse.

At inquies, cur tantum harum meminit, quæ post aures sunt, & non in temporibus Galenus in. 3. de locis affectis? Respondemus, quia antiqui illas incidebãt. tñ non iret inficias Galenus, & illas incidi posse quæ in temporibus sunt, præsertim qñ ex ipsis materia in caput fertur.

At dices, quomodo cognoscam ex his potius materiam in caput ferri, quàm ex illis quæ sunt post aures? Respondemus, Galenum in calce. 13. Methodi ostendere, quomodo experimento percipi possit, quæ arteriæ materias in caput deferant, inquiens, oportet autem deraso capite curiose tangere tum quæ retro, tũ quæ secundum utrãque aurem sunt arterias. præterea, quæ in fronte, & quæ in temporibus sunt: quarum quæ calidiores apparebunt, ac maiorem quàm aliæ exhibentes pulsum, hæ sunt incidentes.

Dubitabis uero, cum possit materia & per uenas in caput progredi, cur & ipsæ uenæ non incidendæ? nam & ad cerebrum nutrimentum ferunt, & spiritus crassos. Respõdemus, supponi & uenas ipsas incidi. nam, ut Galenus docet, in calce libri de usu partium, arteriæ, & uenæ minimo interuallo ex propinquis locis prorumpũt. docetque nullum esse musculum in corpore, qui uena & arteria careat. ostenditque eodem loco arterias esse uenis magis profundas. & huius profunditatis rationem affert, quoniam arteriæ sunt maioris momenti, periculaque maiora ex sanguinis profluuio si sectæ fuerint adferunt. nonnulla uero exigua etiam ad cutim necessario peruadunt, alimentum partibus quæ illic sunt, præbituram. uides ergo si arteria incidi debeat, uenam & incidi, quia ubi arteria ibi uena, tñ possunt esse uenæ absque arterijs, quia oẽs corporis partes nutritione indigẽt, sed non omnes euẽtatione, ut sunt particulæ frigidæ.

Sed dices, cum filo ligantur, arterias à uenis esse distinctas. Respondemus, tunc esse distinctas, at si secẽtur absque ligatura & uenæ & arteriæ incidunt. ueruntamen in sectis uenis tanta diligentia fieri non debet, ut filum sericum quæratur, iuxta Galeni dogma in. 13. Methodi, quia uenæ non pulsant ut faciunt arteriæ.

At dices, cognosci ne posset qñ uenæ ipsæ materiam deferũt, & non arteriæ, & qñ arteriæ, & non uenæ? Hoc profecto difficile cognitu est, cum iunctæ sunt uenæ simul & arteriæ. nam uena existente plena quæ prope arteriam sit, ipsaque arteria sit uacua, arteriæ pulsatio ob uenæ plenitudinem persentitur. Id autem uerum esse ex Galeno colligi potest. 2. de locis affectis, ubi cẽset fieri dolores pulsatiles ex uenarum plenitudine, etiam si arteriæ non sint plenæ. constat uero uenas pulsum non habere, ut necesse sit ut illũ habeant per arterias. forte hic erit modus cognoscendi uenam esse plenam sine arteria, quia sentitur, uel uidetur incessus quidam latus & calidus, in quo non est pulsatio: & si adsit quia subsit arteria, est inepta pulsatio, & obscura. at si arteria sit plena, & uena minime, magna sentitur pulsatio. hoc profecto cognitu difficile est, qñ simul iuncta fuerint uena & arteria deprehendere in quo organo sit plenitudo.

At dices, facta hac arteriæ incisione spiritus amplius non ferẽtur ad caput, itaque cerebrum spiritibus non complebitur. Respõdemus, Galenum in lib. de usu pulsuum hæc dicere, iam, quod omnium maxime est alienum, si ipsas quæ in collo sunt arterias uinculo exceperis, nullam euidentem noxam animali attuleris, tametsi cor cum cerebro princeps. s. actionum uitalium cum principe animalium, hæ continuant. & quæ sequunt legito: nam Galenus probat animal sectis uel ligatis arterijs uiuere, quanto magis uiuet, si eæ solæ quæ post aures sunt ligabũtur. nam aliæ sunt in capite, quæ spiritus mittunt. Ex his ergo colligi potest, arteriam posse incidi, & filo ligari, & inuri, & simul etiam uenam: & nonnunquam in uertigine prodesse, nonnunquam non prodesse.

At de inustione dices, cum materia erit calida, non conuenire, quoniam actu calida est inustio, imo est ignis. Respõdemus, & si calida sit, imo sit ignis, & materia sit calida, tñ conuenit, quia & diuertit & occludit uiam, ne materiæ ascendere possint.

At ambiguitas oritur, quia recentiores in illa quæ fit per cõmunitatem ab alio membro uolunt, stringendam esse arteriam, quæ in caput ascendit manu, cum persentitur uapor ascendere, antequam amplius procedat. idque fieri uolunt per modicum temporis, ne incidãt statum similem apoplexiæ. tñ constrictio illa nisi sit modica, hominem decidere facit, ueluti comitiali morbo deprehensum, potissimum qñ in collo stringuntur, in quo loco stringendas uolunt. uerum si post aures stringantur, hoc nihil mali facere potest. His ergo de hac incidendi uenas post aures difficultate uisis, quam incisionem Galenus potius improbat quàm probet, tñ fieri posse non negat, ad reliquum curationis accedamus, post factam uenæ sectionem.

Et si petãs, quænam uena illa sit, quæ secari debeat: Dicimus, esse humeralem uenam.

Et si à quo latere fieri debeat petas: Scito si hic habeat in una capitis parte doloremque uel imbecillitatem, ab eo latere secanda

est. si uero eiusmodi sit affectio, ut neque unum latus, neque aliud magis occupet, fiat à latere dextro. hac sectione facta, contemplemur an sit per essentiam in capite, & nō per participationem ab aliquo membro. & si quidem sit in capite per essentiam, uel est à causa calida, uel à frigida, quia caput aut ab æstu, aut ob moram in igne ꝑpessum sit, uel ob aeris frigus, aut loci. si causa sit calida, frigidis uti oportet: si frigida, calidis. uerum ut exquisitius de hac re loquamur: si causa sit calida, prius totum corpus purgare opus est, deinde particulariter caput.

Et si petas, quibus, dicimus primo syrupos sequentes esse accipiendos.

℞ Syrupi rosati simplicis, De endiuia, } singulorum unc. j.

Aquarum endiuiæ, Capillorum ueneneris, } singulorum unc. ij.

Misceanē, & si lubet clarificenē, uel loco syrupi de endiuia accipiaē syrupus de capillis ueneris, q caput roborat, nōnullis sumptis syrupis ex his alterantibus, & materia calida uideatur ad exitum apta pilulis cochijs purgetur, quibus rhabarbarum addatur, uel simplex hiera, uniuersali purgatione facta (quæ tamen fieri non potest, quin particulares è capite materiæ educantur) ad particularia accedendum est, utique debemus particularibus capitis euacuationibus, et per oppositam qualitatem alterandum est. particulares uero capitis euacuationes per nares fiunt, per palatum, per cutim capitis superiorem, per aures, & per omnem partem per quam exeunt è capite excrementa: per nares blitæ succus attrahitur, aqua capillorum ueneris, aqua rosacea, ad quæ sequitur materierum euacuatio, quæ in capite sunt. ex eisdem quoque rebus gargarismata parantur, & supra caput oleum rosaceum apponitur cum pauco aceto ut penetrare faciat. si uero sit à causa frigida, tunc per sequentem syrupum coctio fieri debet.

℞ Syrupi de stœcade unc. j. ß.
Oxymelitis compositi unc. ß.

Aquarum saluiæ, Roris marini, } singulorum unc. ij.
Misceantur, & si lubet clarificetur.

Vel loco oxymelitis compositi, syrupus de menta accipiatur, aut ex similibus alius. hac materia percocta, illam ex diaphinicone, uel aureis pilulis ſm Auicēnam euacuato. hac purgatione facta per nares sampsuci aquam trahito, uel succum, qui uehementior est, aut aquam libanotidis uel succum, et nonnunquam decoctionem attrahito ex cinamomo, centaureo minore, modico piperis, & aqua saluiæ. ad hoc etiam supra modumque ualet anagallidis succus, quam uulgus porcellanam, syluestrem uocat, pyrethrum masticato. suffumigia ex calidis rebus facito, & caput calidis lauato. hæc in genere dicta sint. Si fiat ob cōpassionem ex alio membro, id membrum prius curandum. at de particularibus humoribus particularim loquamur. si à pituita fiat, primo pituita coquatur, quod ex hoc syrupo qui sequitur, commode fiet.

℞ Syrupi de stœcade, Mellis rosati colati, } singulorum unc. j.

Aquarum saluiæ, Rutæ, } singularum unc. ij.
Misce, & si lubet clarificetur.

Hac materia percocta euacuatio fiat, quam Paulus ex hiera, ex aloe exercet, quam nunc uocamus hieram simplicem Galeni. tamen fieri potest & ex diaphinicone, ut recipiantur hieræ picræ Galeni. ʒ. ij. ex iure, uel in pilulas conformentur ex aqua saluiæ.

uel ℞ Diaphiniconis ʒ. vj.
Aquæ saluiæ quantum sufficit.
Misce, & fiat potio.

Plerunque addi potest & infusio senæ in aqua saluiæ confecta, loco aquæ saluiæ simplicis, nā & à capite pituitam ducit præter bilem atram.

Volunt & post euacuationem imponendum esse clysterem, ut Paulus notat ex centaurij decocto & colocynthidis, ut hoc modo fiat

℞ Maluæ, Violarum, Cinamomi, Rutæ, } singulorum M. j.

Interioris colocynthidis ʒ. ij.

Misce, & fiat decoctio in sufficienti quantitate aquæ ad consumptionem tertiæ partis, huius uero decoctionis.

℞ Prædictæ decoctionis lib. j.
Hieræ picræ unc. j.
Olei rutacei, uel chamomællini, uel anethini unc. iij.
Salis communis ʒ. ij.
Misce, & imponatur.

Fiant & gargarismata, quæ materias à capite particulariter euacuant, quæ ex aqua saluiæ confecta sint, uel ex aqua rutæ, in qua ebullierint & piper, & pyrethrū, & pulegium, & calamentum, & origanum, & lauri folia, ac similia, quæ pituitam à capite particulariter trahere apta sunt.

Iubet & Paulus sternutationes mouendas, sed qua re, non exprimit. mouendæ uero sunt uel pipere, uel euphorbio, & his similibus, quæ multum pituitæ à capite educunt, si per cānulam in nares insufflentur.

Debent & per nares trahi decocta, uel simplices herbarum succi, ut anagallidis succus, uel eiusmodi qđ sequitur, decoctum.

℞ Origani, Pulegij, Calamenti, } singulorum M. j.

Cinamomi ʒ. ß.
Pyrethri gra. iij.

Misce, ac bulliant in sufficienti quantitate aquæ saluiæ, deinde percoletur, & per nares trahatur. aquam eiusmodi decoctum, & pituitam mirifice trahit.

Iubet & Paulus apponendam esse cucurbitulam supra ceruicem. at de cucurbitularum usu in omni uertigine, dicimus earum usum conuenire, quia materias à capite ad humeros diuertūt, & ad infernas partes & extrinsecas.

Adde fieri à recentibus cucurbitulæ appositionem supra caput, quod & ab antiquioribus notatur. primo, caput abradendum est, postea cucurbitula supraponenda.

De hac uero abrasione dubitare oportet, an forficibus sint incidendi capilli, an potius nouacula abradendi. Si Galenum cōsideremus in. 13. Methodi ubi de ophthalmia agit, ipse caput abradit. & in eodem libro ubi de phrenitide loquebatur, quāuis & totonderit etiam. imo in. j. de composi. medica. ſm loc. ubi loquitur de alopecia, caput nouacula abradit. uidetur que in

eodem

eodem libro quosdam deridere, qui abradere timebant, frequẽterq; in illo libro abradit, & forcipe capillos incidit. tñ recentiores iubent potius tondendos esse capillos forficibus usq; ad cutim. rationemq; habent, q̃a Auicenna dicit. 4. canone Fen. j. capite de sermone rigoris & oppilatiõis, q̃ abrasio cum nouacula cutim depressat. idem dicit in Fen. q. in capite de regimine conualescẽtium. & addunt abrasionem fieri non posse, nisi uel aqua, uel lixiuio caput lauetur: iccirco euitanda abrasio.

Et si dicas, fieri posse abrasionem, tñ nulla re madefaciemus caput: adderent recentes uel fieri non posse, quia eiusmodi abrasio esset nimis aspera, nam dolorem inducet. & praeterea est quaedam frictio aspera, quam & Galenus in. 3. de sanit. tuen. dicit cutim inspissare ac densiorem reddere.

Pro hac ambiguitate dissoluenda notandũ est, cum capilli remouenť à medico, esse ꝯsiderãdum, an aliq̃d capiti supponi debeat, an nihil supponi. si q̃dem nihil capiti supraponi oporteat, nos potius laudamus, ut forficibus īcidanť usq; ad cutim, q̃ nouacula abradanť, quę oĩno cutem depressat. at si alia sint supra caput ponenda, ut cucurbitula, uel lauandum sit caput, aut apponendum emplastrum cum in lotione illa sint quae attrahere debent & aperire, & in emplastris, ut quicquid sit ex abrasione obstructionis derelictum, statim remouendum sit: iccirco abradendum esse in hoc casu probamus. Galenus in. 13. Methodi, caput abradendum dicit, quoniam ponit repercutientia supra caput. & in alopecia abradit in primo de compo. medicamẽ. sm locos, quia supra caput multa apponi iubet.

Ad rem igiť, uel abradãtur in uertigine, uel incidanť forpicibus capilli, nihil refert: nam illis quõocunq; abscisis, cucurbitula supra caput ponenda est, deinceps caput hac lotione lauandum.

℞ Pulegij,
Calamenti,
Baccarae,
Stoecadis,
Foliorum lauri,
Floꝝ chamomali,
Rosꝯ. rob,
Rutae,
Saluiae, } singuloꝝ M. j.

Misce, & fiat decoctio in sufficienti quantitate aquae cineris, hoc est lixiuij ad consumptionem tertiae partis, postea caput abluatur, & probe exiccetť, deinde supra caput oleum anethinum ponať, uel oleum rutaceum, uel laurinũ: & si opus erit, simul cũ euphorbio misceanť, pipere, gariophyllis, & similibus.

Cibi horum sint auium carnes assę, & panis, in quo cocta sint anisa, & foeniculi, & omnia quae edunt, aromata recipiant calida, & quae pituitam exiccare possint.

Ante prandium & coenam semper fricentur, & siccae cucurbitulae applicentur.

Ponuntur & in aures illa quae uim habẽat attrahendi, & per illas educendi & resoluendi, ac calefaciendi: unde oleum amygdalarum amararum apponatur cum oleo de euphorbio ad hanc proportionem.

℞ Olei amygdalaꝝ amaraꝝ unc. j.
De euphorbio ʒ. j.

Misce. & bene calida gosopio recipiantur, & in aures imponantur noctu q̃n eunt dormitum, uel fiat hoc, qđ sequitur.

℞ Maioranae,
Rutae,
Baccarae,
Foliorum lauri,
Saluiae,
Origani,
Pulegij, } singuloꝝ M. j.

Misce, & bulliãt in oleo amygdalarum amararum, quod oleum gosopio excipiatur, & in aures calidum instilletur.

Et hic praeterea calida odorare debet: unde subsequẽs globus paretur, quem semper manu gestet, & odoret.

℞ Euphorbij,
Castorei,
Nigellae,
Cardamomi, } singuloꝝ ʒ. ß.
Musci gra. iij.

Recipiantur ladano quantum sufficit, & oleo de spica odorifero, & fiat pila uel globus, quae semꝑ manu tractet, & odoret.

Rasis iubet masticandum acorum in hoc casu, quem dicit, à proprietate ualere in uertigine. nos uero iubemus masticandũ pyrethꝝ, q̃a ex eo maxima pituitae copia attrahiť, & expuitur.

Plerũq; etiam cum ex aluo nihil reddere possunt, clysteres imponendi ex supradictis. iubemus plerunq; ex salgemate balanum imponi.

Neq; in una sola euacuatione sistendum est, sed frequẽter sm Paulum uti debemus hiera ex aloe. i. hiera simplici Galeni. tñ & hieris magnis utebantur antiqui in his casibus, & pilulis cochijs potissimum in hoc affectu Auicenna & Arabes utunť.

Recẽtiores sunt, qui postq̃ fuerint abrasi uertiginosi, iubent esse pectendos. ꝓpterea quęrendum est, an sint pectendi. Respõdemus, cum illa quae fieri debẽt, sint multo potiora, iccirco ad illa potius transeundum. tñ concedi potest, quia nihil aliud est pectinatio, q̃ quaedam particularis capitis frictio, quae cutem rariorem reddit, & caput ab immunditijs & sudore liberat. iccirco uniuersalibus factis euacuationibus, pectine uti nihil impedit. nam ex hoc motu materiae aliquae à capitis partibus euacuantur. & Galenus in. j. de composi. medic. sm locos, in alopeciae compositis pharmacis ad hunc finem caput fricat, ut rarefaciat, & illa quae intus sunt, ad circunferentiam trahantur.

Sed curiosa quaedam oritur ambiguitas, de pectinis genere, an eburneus esse debeat, an non eburneus. Non pauci recẽtiores pectines eburneos praeferunt ligneis, q̃m grauiores sunt, iccirco magis proritant ad circunferentiam, & proliciunt materias quae in capite continentur.

Nobis uero oppositum uideť, cõuenientius. s. esse uti ligneo pectine, q̃ eburneo. nam ebur uim hꝫ adstringendi. in hoc aũt casu adstrictione nõ indigemus, sed aptiõe potius, ut materiam, quae intus est, extra prouocemus. Dioscorides uero testatur ebur uim habere & naturam adstringendi, cum inquit δύναμιν δ' ἔχει στυπτικήν. i. uim autem habet stypticã & adstringentem. eam autem habere uim palàm est, q̃m ad sanandas paronychias. i. digitoꝝ reduuias eboris ramenta illita conueniunt. reduuiae autem adstringentibus indigent, & carnem conculcantibus, ac uelut obstruentibus: iccirco eburneus pecten non conuenit ad eliciendas à capite materias: & ideo pectine ligneo utaris, & ex cyparisso potius q̃ ex alio ligno. pectinis igiť genus qđ supra modum à recentibus laudatur, non est ratione laudandum, sed potius oppositum sentiendum. haecq; satis sint de uertiginis curatione ex pituita.

Si uero à bile fiat uertigo, facta prius uenae sectione (nã in omni uertiginum genere uenae sectio fieri debet, et potissimum in calidis) tunc ex syrupo subsequente, uel alio simili digerendum est.

℞ Syrupi de endiuia,
Acetosi simplicis, } singuloꝝ unc. ß.

Aquarum endiuiae,
Capilloꝝ ueneris, } singuloꝝ unc. ij.

Misce. postq̃ uero tibi uidebiť materiam alteratam, & exitui iam praeparatam, tunc subsequens medicamentum exhibe,

quod bilem euacuat.

℞ Myrobalanorum citrinorum, Rhabarbari electi, } singulorum ʒ. ß.

Infundantur in sex uncias decoctionis fructuum per decem horas: postea adde aloes lotæ ʒ. j. Misce. & fiat potio. Valet & syrupus rosaceus solutiuus, qui & aquositates euacuat, & bilem tenuem. sed addi debet parum scamonij, ut medicamentum in hunc ferè modum fiat.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ Syrupi rosati solutiui | unc. | iiij. |
| Diagridij | gra. | ij. |
| Aquæ endiuiæ quantum sufficit. | | |

Misce. & fiat potio.

Post euacuationem clysteris uti debemus. Aetius ex surfuribus, aphronitro, & melle clysterem ponit in hoc casu. At dices, nũ posse fieri ex surfuribus, aphronitro, & melle clysterem, nisi intersit aliquis liquor. Dicimus Aetium hoc modo intelligendũ esse, ut uelit recipiẽdum esse surfuris lib. j. quæ ebulliat in tres aquę libras ad ꝯsumptionem tertię partis. deinde

| | | |
|---|---|---|
| ℞ Huius decoctionis | lib. | j. |
| Aphronitri | ʒ. | ij. |
| Mellis | unc. | ij. |

Mis. & imponatur. neque opus est addere salem, quoniam aphronitrum loco salis est. Aetius etiam pro medicamento utitur hiera ex aloe. i. simplici Galeni hiera, quã ipse uocat picram postea ad frictiones deueniendũ est, & ad cuiuslibet generis diuersionem, caputque abradendum, & capiti infrigidantia apponenda. Aetius oxyrodinum capiti apponit cum polygono aut cistho. Fit uero hoc modo si compositionem petas.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ Olei rosacei omphacij | unc. | viij. |
| Aceti | unc. | iiij. |
| Polygoni uel cisthi | unc. | s. |

Misce. & probe agitentur. hoc ab initio fieri debet. cum uero uehementius infrigidare uolueris, & magis intrinsece penetrare, adde tantum aceti, quãtum est oleum. si denique plus penetrare studeas & infrigidare, plus adde aceti quàm olei, quia magis & penetrat & infrigidat. & si hæc non uideantur satis frigida, Aetius iubet infrigidanda esse inducto aquæ riuulo.

Scito uero Aetium de hac uertigine loqui secundum Archigenem & Posidonium, & illam facere ex calidis & acribus uaporibus: deinceps frigidis primo utitur, postea ualde calidis, ut intentum proprium sequi non uideatur, nisi dicamus, quod in principio frigidis utitur repercutientibus & infrigidantibus, & in augumẽto mistis, in inclinatione calidis, ut materia resoluatur, quamuis sit calida. Sũt & gargarismata in uertigine hac biliosa exercẽda, quale illud ex oxymelite, origano, pulegio, quod ab Aetio descriptũ est. At quia dicere posses, quonam modo fiat huius gargarismatis usus. Scito hunc debere esse, qui sequitur.

℞ Origani, Pulegij, } singulorum M. j.

Misce. & fiat decoctio in sufficienti quantitate ad cõsumptionem tertiæ partis, postea coletur, &

| | | |
|---|---|---|
| Recipiatur huius decoctionis | lib. | j. |
| Oxymelitis | unc. | iiij. |

Misce. & gargarizetur.

Nam ex hoc gargarismate multa materię copia à capite trahitur quæ à uertigine hominem liberat, sed cõmuniter gargarizatio fit ex aqua capillorum ueneris, in qua rosę & uiolæ, & chamemælus decocta sint. quod gargarismatis genus non attrahit nisi rõne qua fit motus in gargarizando. conueniunt & cucurbitulę, & cibi sint frigidi & humidi, ac potus.

Scito cũ materia biliosa uertiginem facit, ut plurimũ esse in uentriculo, & à uentriculo prouenire, tunc uino granatorum stipticorum uti debemus, et rebus alijs stipticis, non tamen uehemẽter stipticis, tum quia infrigidant uẽtriculum, tum quia reprimunt. & in hoc casu cũ à uentriculo prouenit, ab oĩbus authoribus uomitio fieri iubetur: sed ut diuersi sunt authores, ita diuersis utuntur uomitorijs medicamẽtis. Sũt qui aquã simpliciter accipiũt, & acetũ ad hãc mẽsurã.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ Aquæ | lib. | j. |
| Aceti | unc. | ij. uel iij. |

Misceantur, & tepida bibantur, postea digito in os posito uel pẽna uomitus prouocetur.

Sunt qui simplicem syrupum acetosum accipiunt ex eadem aquæ tepidæ quantitate: alij accipiunt acetosum compositum. illi uero supra omnes errant, qui uinum omphacium accipiunt, ut uomitum prouocent, quoniam adstringens est. Et si dicas, acetum uideri adstringens, quia frigidum. Respondemus, poni acetũ ad materias incidendas, si quæ essent quæ incisione indigerent. at his plerũque etiam perfectis uomitus nõ prouocatur: tunc si uomitu indigueris, hoc uomitorio utaris.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ Aquæ puræ | lib. | j. |
| Aceti | unc. | ij. |
| Olei | unc. | iij. |

Misce. & tepida fiant, ac bibantur, postea parumper conquassato uẽtriculo uomitus prouocetur: si adhuc nõ uomuerint, addito succi radiculę unc. ij. impossibile ferè est hunc non euomere.

At dices, à uomitu magis excitari uertiginem, quia in uomitu ad superiores partes oĩa mouentur, & caput ac oculi nõnihil à uomitu patiuntur. Respondemus, & si aliquid faciat incõmodi uertigini uomitus, tamen in hoc casu in quo materia est in uentriculo, cũ erit euacuata, cessabit, & hic paruus affectus, qui à uomitu inducetur, & magnus, qui à materia in uentriculo existente fiebat. & Galenus in. ij. de cõpo. medi. secundum loc. in capitis dolore à stomacho uomitum iubet modumque, quo fiat, ostẽdit, tamen nõ adhibet mẽtem quod in illo impetu obesse uidentur. & in eodem lib. cum quis dolorem habet ex crassis & uiscosis humoribus in stomacho, à raphano uomitum prouocat.

Scireque oportet, in omni uertigine ex materia in uentriculo existente, sit cuiuslibet generis materia, etiam si sit pituitosa, post uniuersales euacuationes uomitum esse prouocandum.

At ad biliosam uertiginem redeuntes, in horum auribus rosaceũ oleum instillandum, & quæ frigida sunt odoranda. Pro his consequens globus uel pila fieri potest.

℞ Rosarum rubrarum, Sandalorum rubrorum, luteorum, } singulorum ʒ. iiij.

| | | |
|---|---|---|
| Ambracani | gra. | ij. |

Excipiantur oleo rosaceo, omphacio, & cera, & fiat globus, qui si exquisite nõ glutinetur, illi & mastichen adde & tragacanthum. Si autem ab atra bile uertigo fiat, facta uniuersali euacuatione per sanguinis missionem, materia hoc syrupo præparetur.

℞ Syrupi de fu. terræ, De epithimo, } singulorum unc. j.

Aquarum fumi terræ, Boraginis, } singulorum unc. ß.

Misce & posteaquam syrupos aliquot sumpserit, ut materia exi tui apta uideatur.

℞ Pilulæ de lapide lazuli ʒ. j.

Fiant pilulæ nu. v. uel secundũ numerum, qui ægro placuerit, si uero is renuat pilulas, sequentẽ potionẽ accipere poterit.

℞ Infusionis senæ unc. iiij.
Diacatholiconis unc. j.
Syrupi de pomis sabor unc. ij.

Misce & propinetur. ualet etiam helleborus niger solus. post purgationem clysterijs utaris alternis diebus, qui hoc modo conficiantur.

℞ Maluæ, Violarum, Foliorum senæ, Epithymi, Fumiterræ, } sing. M. j.

Misce & fiat decoctio in sufficienti quantitate aquæ ad consumptionem tertiæ partis. postea

℞ Huius decoctionis lib. j.
Olei rutacei unc. iij.
Diacatholiconis ʒ. vj.
Salis communis ʒ. ij

Misce & imponatur, odoret calida odorifera, fiant gargarisma ta calida, & lotiones capiti, & caputpurgia per nares, quæ uim habeant trahendi materiam atrabilarem per illam partem. Mirabile medicamentum quod per nares trahit atram bilem, quæ in capite est.

℞ Hellebori nigri ʒ. ij.
Epithymi, Fumi terræ, } sing. M. ʒ.

Misce & bulliant in duabus libris aquæ cuscutæ ad consumptionem quartæ partis, postea bene percolet, & calidum per nares trahatur, & quamuis anagallidis habentis rubrum florẽ succus in biliosa secundum Aetium, & calida attrahatur, & secundum alios in frigida, tamen possumus & illo uti in proposito, quia trahit quicquid fuerit in capite cuiuscunque sit generis, pari modo succus radicis bletæ, de quo mentionẽ facit Aetius, imo & foliorum succus idem efficit. Abraso denique capite calida applicentur, sed non multum sicca, neque etiam ualde humida, sed quæ parũper inclinent ad humiditatem.

Et in hoc etiã uertiginis genere omnes diuersionum modi exercendi sunt.

De uertigine à sanguine facta denique agendũ est, in qua post uenæ sectionem, æger ad frigidum alterãdus est, nã sanguis per medicamẽta nõ est euacuandus, nec euacuari potest, sed factis clysterijs, ne aliæ materiæ & uapores in caput ascẽdãt, sanguisugæ hæmorrhoidibus imponantur, quæ mire etiam conferũt ubi sit ex atra bile uertigo, nã per illas uenas bilis atra euacuaẽ & atrabilaris sanguis. omne diuersionis genus exercẽdum est, caput abradẽdum, & oxyrodinũ imponẽdũ, gargarismata facienda sunt, qualia in biliosa fieri ostendimus, præbendique sunt frigidi cibi. Authores iubent oxyrodinũ capiti apponendũ esse præter suã natiuã frigiditatẽ etiã in niue infrigidatũ. Arabes libenter psilium cũ zuccaro rosaceo, pbent, qñ est à sanguine.

Nunc præsidia quædam in uertigine examinãda occurrũt, quę à Galeno & ponunt, uel illi attribuunt. In. 5. de sanitate tuẽda, ubi de uertiginosorum exercitatione tractat, inquit, ijs inclinato capite dorsoue, ut humi uolutatos exercitari nõ expedit, imo tũ ambulatione sæpe cũ cursu mediocri, tũ gestatione in uehiculis citra fatigationem uti. adde tu hæc fieri debere in plano, in loco æquali nõ in accliui, hæcque non debent esse citata, sed potius modeste facta. Circũfert libellus quidam sub Galeni nomine de medicinis expertis inscriptus, in quo adest medicamẽ. 14. electuarium Hellebori inscriptum, author contra uertiginem ualere testatur, eius compositio hæc est.

℞ Hellebori nigri aur. 20.
Ligni aloes. aur. j. ʒ.
Croci aur. j.
Anisorum aur. ij.
Mastiches aur. iiij.
Maioranæ aur. j.
Agarici aur. iij.
Radicis lilij cœlestis, Stœcadis, } singulorum. aur. Vij.
Turbit albi ginosi aur. iiij.

Confice cum melle, & da ʒ. iiij. omnibus præualet helleborus niger, ideo bilem atram pro maiori parte educit, tamen & ratione agarici pituitam crassam cum bile, & ratione turbit solos humores crassos educit & pituitosos. Tamen non debet simpliciter hoc medicamentum præberi cum uertiginem uiderimus. sed tantum præbebimus cum frigidi humores illam facient. nam & radix lilij cœlestis pituitam educit, licet & simul bilem notam, & stœchas atram bilem simul & pituitam, si uerum sit quod à Mesue de stœcade refertur, est Arabica cõpositio, nam illa simul confundit, quæ omnes humores attrahere possunt, iccirco probamus potius ut suprascriptas compositiones sequamur, et hãc oĩbus ferè humoribus cõem dimittamus, sed potissimum frigidis crassis pituitosis & atrabilarijs.

In libro etiam, qui sub Galeni nomine circũfertur, cuius titulus est secretorum liber adest compositio quædam ad uertiginem, quam & ualere dicit ad descensum aquæ in oculum, & ad ischiadem, sed confert solum ęgritudinibus pituitæ & atrę bilis. Cuius hæc est compositio.

℞ Epithymi aur. x.
Scamonij, Prasij, Stœcadis, Myrrhæ, Hellebori nigri, } sing. aur. iiij.
Scillæ assatæ, Euphorbij, Aloes, Croci, Gentianæ, Petroselini, Amoniaci, Opopanacis, } sing. aur. j.
Polij, Cinamomi, Sagapeni, Myrrhæ, Spicæ, Floris squinanti, Calamẽthæ fluuiatilis, Aristolochiæ longæ, } sing. aur. ij.

Terenda terantur & cribrentur, & gummi infundantur in uinum boni odoris, & conficiantur cum melle despumato quod sufficit, & dimittantur donec antiquentur, sitque dosis eius aur. iiij. hoc est ʒ. vj. Scito autem non esse recipiendũ in usum pro uertiginosis, quia omnes ferè humores æque euacuat, nam id uerum non est, quod ab authore dicitur, conferre ægritudinibus pituitæ & atræ bilis solum, nam & scamonij ratione, & aloes bilem educit, & helleborus niger educit bilem crassam cum pituita, & atra bile, et id ostendit huius medicamenti errorem, quod bis myrrham duplicat, nisi dicamus quod uno in loco myrrham intelligit, in alio stactem idest myrrhæ liquorem. Hæc duo medicamenta adducere uolui, quia in usu erant apud quosdam probatos uiros nostri temporis: nomen etiã ponderis quod est aur. ostẽdit esse Arabicã cõpositionem.

In calce uero secundi libri de compositione medicamentorum secundum locos, qui liber indubitatus Galeni est, compositio quædam adest, quam uertiginosis adhibet inungens, cuius hæc est compositio.

| | | |
|---|---|---|
| ℞. | Radicis peucedani | ʒ. iiij. |
| | Iridis Illyricę | ʒ. ij. |
| | Aeruginis | ʒ. j. |
| | Acori | ʒ. j. |
| | Spondylij | ʒ. iiij. |
| | Piperis nigri | ʒ. ij. ſ. |
| | Castorei | ʒ. ij. ſ. |
| | Serpilli | ʒ. iiij. ſ. |
| | Myrrhæ | ʒ. ij. |
| | Baccarum lauri | nu. xxxv. |
| | Rutæ uiridis | ʒ. viij. |
| | Mentæ uiridis | ʒ. iiij. |
| | Opij | ʒ. j. |

Aceto excipe, & in pastillos redige, usu exigente, aceto & rosaceo dilutos illine, uerum cerato rosaceo exceptum hoc pharmacum ut malagma imponitur. Duo consideranda occurunt, unum cui uertigini conueniat, & quõ ac cui parti applicandũ, alterum cur in hac compositione opium posuerit, pro primo nisi uertigo sit à causa frigida nihil ualet medicamẽtum. unde si à pituita sit, uel ab atra bile, uel à flatuoso spiritu ualebit, fronti uero applicari debet, & anteriori capitis parti ferè supra commissuram. De opio uero cur in hac compositione receptum sit, aliud coniectari nescimus, quàm additum esse ut sistere faciat uaporosos fumos, qui in uentriculis sunt, ne in circum moueantur. Reliqua enim quæ ingrediuntur, calida sunt.

In libello præterea de medicamentis facile parandis ad oculorum uertiginem remouendam habetur, oleæ folia contunde, & succum expressum illine, atq; miraberis. At hoc præsidium non ualet nisi in calida uertigine, nam ut Galenus dicit, quanquam sunt adstrictionis, tantæ sunt frigiditatis oleæ folia, & licet de oleæ ramis loquatur, tamen de folijs intelligit, non de oleæ uirgis.

Aliud consideratione dignum esset. An in hoc casu balnea conueniant? Quę conuenire fatemur, nam ut Aetius monet post uenarum sectiones & uniuersales purgationes ad balnea ducendi sunt.

Nos particulariter in his casibus stillicidia supra commissuram coronalem fieri iubemus secundum genus materiæ peccantis, & mire proficiunt, imo facile ex his & breui sanantur, prætermittimus in præsentiarum naturales fontes, qui in uertigine conueniunt, hæcque de uertigine sint satis. Ad authorem redeamus.

καὶ σφυγμοὶ κεφαλῆς ἔσονται. idest & pulsus capitis sunt. præter uertiginem hi etiam pulsus capitis simul habeant, qui fiũt ab arteriarum plenitudine, quæ in capite sunt, & calore, nam ut Galenus in commentatione notat, sensibiles arteriarum motiones caliditatis multæ symptomata existunt, unde adest & plenitudo & caliditas, tamẽ & absq; plenitudine, sed ex sola caliditate, potest capitis pulsus arterijs inesse, pulsum etenim habent capitis arterię qui non sentitur, nisi sit maior quàm pro cõsuetudine, nam ex consuetudine non sentitur,

καὶ λεπτὸν οὖρον. idest & urina tenuis, præter supradicta urina etiam tenuis sit, quanquam unumquodq; horum inesse singulariter possit, tamen si simul hæc sint, urina tenuis significat morbi cruditatem, quia à peccante humore nihil deciditur. quod ad urinæ uias descendat, cum materia sit cruda. Actuarius in libello de urinarum differentijs capite. 9. notat aliquas esse urinas tenues ut aqua, alias minus tenues. Si petas de quibus hic intelligat Hippocrates, dicimus de tenuibus intelligere ut aqua, unde idem Actuarius secundo de iudicijs urinarum capite primo in primis docet quando sit facta exquisita coctio, cum mediocris apparet urinæ substantia, postea notat cruditatem fieri aut ob genuinæ caliditatis imbecillitatem, ab aliqua intemperatura male affecta, aut ob aliquem humoris excessum naturalem obtundentem caliditatem, urinæ cruditas, quæ ob naturalis caliditatis imbecillitatem est, urinas facit ualde tenues, tamen multas habent differentias secundum gradum non acquisitæ coctionis. At urinarum substantiæ, quæ ob aliquorum humorum excessum fiunt, crassiores apparent, ut respondeant erroribus factus in cõcoctione. At hic ambiges de tenuibus urinis de quibus hic agit author, an sint uel ob affectum uirium concoctricum, uel ob humorem supraabundantem, forte uidebitur eẽ ob humorem supraabundantem, quia uertigo & capitis pulsus à materia fiunt. Sed hoc dici non potest, quia cruditas, quæ est ob materiæ multitudinem urinas facit crassas. Nec etiam dici potest, quòd sit ob uirium defectum, quia hoc non supponitur ab authore, imo si ita esset, author conuenienter non dixisset, cum ita scriptum reliquit, oportebit expectare febris accessionem usque ad iudicationem. nam hic qui ex uirium defectu laboraret non posset tã diu ferre, ut coctionem expectaret, unde dicendum est, fieri tenues has urinas ob aliud tertium scilicet ob obstructionem & materiarum retentionem, & hoc etiam ab Actuario notatur, nam in præallegato loco sequitur. quin etiam easdem substantias efficere comperiuntur meatuum oppilationem atque eorundem deoppilationes, nam in illis (scilicet tenuibus) uelut arctata materia continentur crassę partes, quamobrem apparent tenues urinæ. In deoppilationibus uero crassę spectantur urinę, perinde ac si natura expelleret, meatuum amplitudine ciẽte non solum concoctas superfluitates, uerum etiam eas quæ non bene cõcoctæ sunt. unde hoc in loco intellige has urinas esse tenues ob obstructionem, quia materiæ, quę & uertiginem faciunt, & capitis pulsum, retinentur. Forte dices cum etiam sint tenues urinæ eorum qui inediam patiuntur, quomodo ab his distinguentur? Actuarius respondet urinas ob inediam esse tenues, sed simul etiam esse subcroceas, & minima uel nulla contenta habere, imo addit, ob longam & magnam euacuationem, uel uentris, uel sanguinis, uel etiam urinæ, ut in diabete urinam tenuem apparere atque albam, ac propè absque hypostasi, denique addit similem urinam scilicet tenuem spectari in appellata senectute ab ęgritudine, & in senectute ob naturam accedente. In primo etiam de urinarũ causis capite tertio idem Actuarius cruditatis causas reddere conatur, quas referre non pigebit, quoniam tenues istæ urinæ crudæ sunt, inquit uero in uẽtre cruditatẽ contingere, uel ob aliquam intemperaturam, uel ob aliquam passionem instrumenti, sicuti ob crassitudinem humorum uel ob multitudinem, uel ob tenacitatem, uel ob aliquam qualitatem extraneam in ipsis humoribus, uel ob aliquam cibi proprietatem. In hepate uero cruditas fit ob prædictas causas, & ob imbecillitatem uirtutis concoctricis, & addit per easdem causas opera tertiæ coctionis fallere reperiri, in summaque infert urinas esse crudas, quæ sunt uel supra, uel infra mediocritatem, unde & capite. 14. eiusdem primi libri de urinarum causis iudicat quamcunque substantiam urinæ quæ à mediocritate aberrat, incoctionem significare, quia calor, inquit, natiuus dominando cibis & potu, coctionem facit, ut decet, si aberret aliquo pacto cruditas in husce aderit, propterea tenues urinę apparentes caliditatem ab eo quod conuenit decidisse demonstrant, aut quia superata est ab aliqua potente frigiditate, aut quia extranea & corruptrix caliditas aliqua occasione præcedens, occupat caliditatem genuinam atque naturalem. ita ut hæc obscuretur, atque ab actione propria prohibeatur. Et post hæc ostendit hoc esse uerum in cibis qui elixantur. Nam (inquit) minus elixantur ab igne, illa quæ contingit elixari sub sole uehementer radiante, quàm quæ in umbroso, & à sole minus illustrato loco, ita minus elixanẽ quæ sub aere frigido contingit elixari quàm quæ in aere tepido, multis præterea dictis infert, quãdo concoctrix & alteratrix uis ab aliqua qualitatum actuarum prædictarũ fuerit passa, tantum substãtiæ producent mediocrem

cretem

crem uersus tenuiorem substantiam. Et post multa addit, quin cum à frigiditate dominante uel ab externa caliditate impedita minus assequatur ut efficiat officia sua qua non circumueniens aggrediatur concoctionem, urina tenuia profluit. atque genuinæ caliditatis magna debilitas inesse demonstratur, iudicatque has urinas coctionis initium ostendere, quando crassescere incipiunt. Et ideo hanc conclusionem ponit, cum à principio urinæ tenues apparuerint, idque non ob aliquam malam intemperaturam, nunquam ad mediocritatem fieri poterit mutatio. Si prius in eis non ingenita fuerit crassitudo, & hæ urinæ uirtutis arguunt imbecillitatem, & post multa aliam infert conclusionem. Qui morbos incidunt ob aliquam exauctam intemperiem urinas tenues faciunt, & etiam qui ob materiæ multitudinem in ægritudinum initijs ægrotant urinas habent tenues, quę postea crassescunt. ob intemperiem tenues confieri dicit ob extremam naturæ solutionem nequeuntis assurgere eo, ut munia sua efficeret, ita ut urinæ materia prorsus inelaborata relinquatur, post multa sequitur in eis uero q minus sanè habent ob aliquos humores q excesserint etiam diutius urinæ apparent. s. tenues nondum incumbente natura, perinde ac si adhuc esset passio cruda. Atq; quantum urina fuerit tenuia, tantum cruditas adesse existimatur. Cũ igitur tanta fuerit materiæ cruditas, nihil ea ratione paratur ad sequestrandum, uirtute retentrice materiam ipsam adhuc retinente, atq; uirtute naturali præ uiribus nitente concoctionẽ infigere. ergo cum hoc ita habeat, neq; natura queat cõcoquere materiam, neq; cibus ac potus foris suppeditari mẽsuris coctionis exquirantur naturali uirtute intenta ad maiora, fit ut ob hoc tenuis urina nõ crassa ob illud apparet, & hæc potest esse urinæ tenuis causa, de qua in hoc loco sermo fit ab hoc authore, quia natura ad febrem occupata sit, & ad uertiginem, & ad capitis, pulsus, propterea cibus & potus coqui non possunt, & urinæ apparẽt tenues. Deniq; multa dicta in illius capitis fine, de urina tenuibus ex oppilatione loquitur inquiens, ergo cum uel circa renes, atq; reliqua uasa urinaria, uel circa aliquas particulas potentes coercere ut urinæ mediocrea exeant, oppilatio aliqua non parua gignitur ab aliqua affectione cũ urina per angustias ueluti per defecatorium emũctis per quã tenuis exit, & huius rei exẽplum pręber ex his qui uinũ limosum defecant crassitudinem auferentes colatorio. Deniq; infert cum quia ob aliquã oppilationem urinã tenuem habuerit, dicere oportere meatus obstructos esse, & nõ esse uirtuta cõcoctricis imbecillitatem. At de urinis tenuibus ne quidq̃ pretermittamus, idẽ Actuarius in primo de præuidentijs urinarũ capite xi. inquit nãq; tenues substãtiæ quæ in eodẽ manentes diurnãt, arguunt passionum quę corpus occupãt accidẽtia cum manere, tum etiam fortasse increscere, tanq; nondũ erigente se natura ad occurrendum humoribus affligentibus, si quidẽ decens est, ut accidentia increscant passione quæ corripuit instãte. atq; natura ab uirtute lassata passim cessante, ut deniq; has crudas urinas iudicet, & quod aucta cruditate, aut mors sequetur, aut lõgum tẽpus requiretur ad sanitatẽ inducendã. hæc de tenuibus urinis secũdũ Actuarium.

τούτοισι δ' ἐς πυρετὸν χρὴ προσδέχεσθαι πρὸς τὰς κρίσιας παροξυνόμενον τὸν πυρετόν. i. his expectare oportet apud iudicationes febrẽ accedentẽ. Copus uertit febris impetum, alij febris accessionem. Duplex sensus assignari potest, unus quòd ita se habẽtes cum erunt prope iudicationẽ impetuose tractabuntur, cũ propter febrem, tum propter uertiginẽ & capitis pulsum, & hoc ex urinę tenuitate ostenditur. neq; mirũ sit si illo in impetu delirabũt. Alter sensus est in his semper expectãdam esse febrẽ, quæ continua erit, & quotidie habebit accessionẽ usq; ad iudicationem. uterq; sensus est uerus. nam hi quotidie febre affligũtur usque ad iudicationem, & cum erunt prope iudicationem, fiet maior febris impetus.

οὐ θαυμαστὸν μηδ' ἄν, οὐδ' εἰ παραφρονήσωσιν. i. quod si delirent quoq; nihil mirũ, in illo potissimũ iudicationis impetu, quia caput plenum est multo calore aliquẽ calorẽ plerũq; sequũtur delíria, quæ si sequãtur nõ mirum. Scito tamẽ cũ urinæ apparent tenues, tũ non delirare, sed cum crassantur, & sunt prope iudicationem, nam si urinę cũ delirijs essent tenues, prauũ esset indicium iuxta quarti libri aphorismũ, Quibus urinæ albæ perspicuæ malæ, præsertim si in delirantibus apparent, Galenus iudicat illas urinas esse prauas, & neminem uidisse qui cum illis urinis delirauerit, & euaserit, nam significãt totam biliosam materiam caput petere.

GALENVS.

Cum caput circumagi uidetur, δῖνος .i. uertigo uocatur affectio: cũ autẽ & tenebricosa simul fuerit uisio, σκοτόδινος id est tenebricosa uertigo appellatur. Fit autem ob inordinatã spiritus flatuosi motionem, qui uel in capite localem habet generationem, uel sursum ex infernis fertur partibus. Omnes autem spirituum huiusmodi generationes turbationem indicant: ob quas & cum symptomatis tumultuosis iudicationes fiunt. Scire etenim oportet affectiones huiusmodi medium quodã modo obtinere tum earũ quæ periculo uacant, tũ perniciosarum. Conatur siquidem caliditas natiua corporis humores tum dissoluere, tum effundere: sed tenuare ipsos, & per inuisibilia foramina excernere non potest. Cum uero perfecte languet, neq; soluere incipit, atq; ob id spiritus flatuosus nõ summe languente natiua caliditate ortum habet. Aegre igitur ualere periculo omni uacat. Natura siquidem morbo superior existit. Verum maxime ægre ualere letale est. Natura enim nõ parũ à morbo uincitur. Cum autem nõ uincitur, prædicta fiunt symptomata: atq; postea quàm lãguerit, iudicationes absoluũtur, aliæ ad salutem, aliæ ad mortem. Pulsus autem qui in capite fiũt, id est, sensibiles arteriarum motiones, caliditate multæ symptomata existũt: ob quas sæpenumero deliria fiunt. Ad hunc itaque modum uniuersim habentibus quæ dicta sunt, cum ubi quis parum ualere cœperit, ab urinarum quidem tenuitate cruditas morbi iudicetur, caput autem flatuoso impletum esse spiritu significent uertigines cum pulsibus, scire oportet naturam haudquaquam quiescere: sed interdum contentos in corpore prauos humores ita aggredi, ut à bonis eos separet, atque quouis modo excernat, uel ad eam quæ minus præcipua sit, reijciat partem. Prædictus igitur sermo ad dictorum prænotionem præsensionemq; maxime confert. Nempe interdum ab initio morbi febres quidem moderatæ fiunt, sed symptomata huiusmodi caput infestant, propter contentorum in corporis uentre humorum calorem atq; exhalationem. Sanè capitis solus quouis aliter modo habentis caliditatem, balneum iuuabit. ptisanæq; cremor pro sorbitione sana erit: uerum cum spiritus calidus, flatuosusque, ob humorum prauitatem ad caput fertur, lauare hos non confert. Tute igitur singula hæc facienda sunt. Definitio autem affectionum una sola est ex urinarum cruditate & concoctione: quorum author recte meminit, inquiens: Vrina tenuis: quod sæpius cruditatis signum esse, est pronunciatum. Quo fit, ut nullus sit medicus qui in morbis huiusmodi negligentius urinas contempletur.

BRASAVOLVS

Primo Galenus notat, cum caput circumagi uidetur affectionem illam à Græcia nuncupari δῖνον. At cum simul & caput circumagi uidetur, & circa oculos obscura apparuerint & fere uidentur obnubilari fenestræ, hunc affectum Græci uocant σκοτόδινον hoc est uertiginem tenebricosam, quæ fit ob inordinatam spiritus flatuosi existentis in cerebri uentriculis motionem, hic uero spiritus uel in capite localem habet generationem, & ita affectus erit in capite primario uel sursum fertur ex infernis partibus, quæ multæ esse possunt, sed potissimum è duabus fertur partibus uentriculo & utero. Scito uero omnes horum spirituum generationes turbationem significare, ob quas generationes iudicationes fiunt, cum symptomatibus tumultuosis, nam scire oportet tales affectiones medias esse inter perniciosas, & illas quæ periculo uacant. Nota Galeni loquendi modum, qui dicere uolẽs spiritus flatuosos generari in capite dixit habere τοπικὴν γένεσιν. i. localem in capite generationem. scitoq; hos spiritus, qui ita generãtur, turbationem significare, quia spiritus animales impediunt cõmouent. unde cum noscimus hos flatuosos spiritus generari, sem-

per iudicare debemus in illo fieri debere turbationem & commotionem præter naturam.

Secũdo Galenus docet has affectiones medias esse inter letales & periculo uacantes, nam caloris naturalis.i. ipsius naturæ opus ẽ humores, qui in nostro corpore sunt, excernere. Id uero fieri nõ potest, nisi primo attenuentur, unde natura humores attenuare uult & dissoluere & effundere, & per meatus inuisibiles trãsmittere, ut ab eis seipsam exoneret, & in aliquibus hoc efficit, in alijs uero id efficere non potuit. At cum natiuus calor languet, humores quidem attenuare potest, sed soluere non incipit, unde spiritus flatuosus hinc ortum habet, quia caliditas natiua nõ summe lãguet, ppterea in humores agere īcipit, illosq; incipit attenuare, & ĩ spiritus reducere sed resoluere nõ potest, summe uero & pfecte languida natiua caliditas neq; resoluere incipit, unde et ideo neq; spirit⁹ facit flatuosos, unde ęgre ualere uacat omni periculo, quia natura est morbo superior. At maxime ægre ualere letale est, quia natura non modice ab ægritudine uincitur. at cum uis calorifica nõ uincitur, fiunt prædicta symptomata, quia potest incipere resoluere, & non perficere, cum ægra sit, propterea ex humoribus spiritus facit flatuosos crassos uel in capite, uel in alia parte, & ad caput ascẽdunt, uertiginesq; faciunt, ex quibus necessarium est & naturam quæ prius etiam erat ægra ex hoc symptomate. quod sibi parauit attenuãs & resoluẽs humores, magis ægram fieri & languescere, postq; languẽt necesse est aut uincat. aut uincatur. Si uincat flatus penitus resoluit, & uertigines cessant ac symptomata. Si uincatur decumbit. ob hoc post hãc pugnam iudicationes fiũt nonnullæ quidem ad salutem, aliæ uero ad mortem.

Vbi legitur sed tenuare ipsos deest particula ἀκριβῶς. ita enim Grece legitur λεπτύνειν δὲ ἀκριβῶς αὐτούς.i. sed attenuare diligenter ipsos, hoc est exquisite, & in nihilum redigere. & profecto dictio hæc erat apponenda.

An flatus fiat à caliditate superflua, uel diminuta.

Ex hoc loco accipitur si natiua caliditas nullo modo sit ægra, humores dissolui eos attenuando & resoluẽdo, ac per inuisibiles meatus trãsmittẽdo. Verũ si fuerit ualde ægra neq; attenuare incipit, neq; in humores agere, cum uero sit ęgra, & non uehementer attenuare incipit ut dissoluat, uerum cum attenuatum est, penitus dissoluere non potest, iccirco remanet spiritus crassus flatuosus, ut colligatur flatum fieri à caliditate infirma & imbecilla non tamen imbecillissima, propterea non immerito recentium medicorum disputationem in medium afferemus, qua de flatu ambigunt à quo agente fiat. An à caliditate superflua, uel diminuta. Dissident inter se, & ad rauim clamãt harum opinionum assertores, flatus in humano corpore, quod microcosmum uocant, ita gigni, ut in macrocosmo & mundo hoc, in quo uiuimus generatur. Ventus uero in hoc mũdo à sole fit ueluti ab agente, ita quoque in humano corpore à calore naturali fit flatus, qui se habet in humano corpore ueluti sol, nonnulli dicunt uentum à calore materiam superante in quam agit fieri, quoniam (ut hoc utuntur exemplo) solis calor in terræ humiditates agens, illas rarefacit, & in tenuiorem naturam, ac in uapores reducit, quos in aerem trahit, palam uero est, nisi solis caliditas materiam in quam agit, superaret, non posse illam reducere in uapores & flatus. idem in homine contingit, calor natiuus in corporis humiditates agens illas attenuat, & in flatus reducit. At hoc facere non posset, nisi materias illas superaret. Itaque flatum fieri uolunt à caliditate superante. Econtrario alij sunt, qui à caliditate diminuta, & flatum in uniuerso mundo, & in homine fieri autumant, nam solis calor si uehemens esset, non tantum humiditates in flatus reduceret eas attenuans, sed & penitus illas resolueret: at cum tantam non habeat caliditatem, ut penitus dissoluere possit, attenuat, & spiritus facit ac flatus. Videmus æstiuum solis calorem (cum uehemens sit) humiditates non modo attenuare, sed & penitus resoluere. In hyeme uero neq; attenuat, neque resoluit, quia huius temporis caliditas imbecillissima est, In uere autem quia caliditas superat quidem humiditatem, sed tantum non habet ut resoluere possit, iccirco est caliditas diminuta. Ita in homine à caliditate diminuta fiunt flatus, quia tam uehemens non est ut humiditatem penitus resoluere possit, sed illam in flatus attenuet. de his profecto qui de hac re digladiantur ridendum est, quia utriq; uere dicunt, & in re ipsa nullus ab alio dissentit, quoniam caliditas illa est superans ratione qua attenuare potest, & in flatus redigere, sed diminuta est ratione qua penitus resoluere non potest.

Sed petes cum utrunq; dici possit, cui parti potius inhærendũ est? non quia pars una uera sit & alia falsa, sed in communi antiquorum sermone quid potius dicebant. Respondemus apud antiquos scriptum reperiri à caliditate fieri diminuta & non à superflua, ut apparet ex hoc Galeni loco, quòd à caliditate diminuta fiat, propterea in communi sermone potius dicendum iudicamus à caliditate fieri diminuta, q̃ à superflua.

Adde flatus in homine fieri cum natiuus calor est imbecillior, q̃ prius esset, & ideo Galenus in. 3. de symptomatum causis ad dimidias libri partes inquit, reliquum est ut de uaporante spiritu, quem flatum quoq; nominant, deinceps dicamus, nam & is in uentriculi spatijs oriri solet, cum uel humores pituitosi ibi contenti, uel cibi ab imbecilli calore in uapores resoluũtur, ut manifestum sit imbecillum calorem illum esse qui in uapores materias resoluit, & hoc expressius ostendit, ex his quæ sequuntur cum inquit. Etenim ut absolutum frigus uaporem haudquaquã excitat (neq; enim extenuare neq; conficere neq; dissoluere cibum potest) ita uehemens calor, magna ex parte uincens ea quæ comprehendit, plusquam pro uaporis generatione cibum extenuat, nisi is suapte natura facile in flatum transeat, uerum spiritus ita genitus, & turbidus erit, & (ut ita dixerim) nebulosus, quin etiam paucus & parum duraturus, ut ad unum aut alterum ructum statim euanescat, calor autem in cibos agens, si parum ualidus fuerit, ut eos quodammodo dissoluit, ita non omnino conficit, deinde sic flatus, siue spiritus exoritur, atq; (ut uno uerbo absoluam) quemadmodum in externis rebus uidemus, ut frigidissima constitutio, maxime spirante borea aerem sereniorem reddit, ac calidissima per æstatem cõstitutio, ambientem nos aerem purum efficit, mediæ uero constitutiones nebulas pariũt: ita in animalibus accidit, neq; enim calor per extremam imbecillitatem, neq; cum uehemẽtes sunt ei uires, sed cum medium inter has affectiones obtinet flatum gignere potest, ut manifestissime uelit, esse diminutam caliditatem, illam quæ flatus parit, non autem superfluam, licet tantum superet quod attenuare possit, & in flatum redigere. cum Galeno igitur dicamus fieri potius à caliditate diminuta, quàm à superflua.

Adde illa quæ flatus gignunt caliditatem habere humiditate minorẽ, ut de palmis uiridibus & de ficubus mentionem facit Galenus in secũdo de alimẽtorum facultatibus ubi de palmæ fructu loquitur, & in eodem libro rapas flatulẽtas facit, & de bulbis, illos dicit flatuosos, & in libello de attenuante uictu fabas multum flatulentas facit, quo etiam in loco & fœnugręcum flatulentum esse dicit, ut in summa uel calidi & humidi cibi sint flatulenti, caliditate ab humiditate superata, uel ipsis sua frigiditate & humiditate naturalem calorem superantibus, & in. 14. Methodi. ubi de priapismo agit, ostendit affectum illum fieri ex halituoso spiritu carnosum implente neruum, et addit, halituosus spiritus in animalis corpore ex succis fit, qui lente excalfaciant sensim, & addit ubi insitus calor ualidus est, & humiditas ad somnum concocta, uti in tenuem habitum soluta insensibili transpiratu in ambientem effluit. Contra ibi uel ingenitus calor imbecillior est, uel naturalis humor cum semicoctus, tum crassus, tum glutinosus ibi crassior excitatur halitus, q̃ ut transpirare possit, ac potissimum sicubi particula ipsa densior est reddita, ut uideas semper esse caliditatem diminutam, quę apud Galenum flatus pariat. Dices uero Galenum præcitato loco scriptum reliquisse, quód nũnunquam humor

qui in membro continetur subfrigidus est, præterea crassus & glutinosus, auctior uero calor in halitus crassos resoluit. igitur in eo casu est, calor auctior & non diminutus. Respõdetur esse adhuc calorem diminutum respectu materiæ frigidæ quam resoluere intendit, quæ simul crassa & glutinosa est, sed opus est esse auctiorem calorem, ut possit in flatus & halitus dissoluere: at diminutus est ratione materiæ in quã agit, ꝓpterea in halitus solum reducit, & non dissoluit penitus.

In calce præterea noni libri de compositione medicamentorum secũdum locos ubi de priapismo loquitur, ait caliditatem moderatam flatum uentosum generare.

Denique in. 12. Methodi de coli dolore loquens, à frigido humore in medio intestini contento, inquit à nullo medicamẽto metuendum magisquã à calore, qui eos liquet, atque in flatum uertat, sed digerere non ualeat. Ex hoc loco facile colligi potest caliditatem diminutam, respectu materiæ quæ in flatus uertitur, flatus ipsos parere, ut hæc sit huius rei, summa, potius semper dicendum esse flatum fieri à caliditate diminuta quã à superflua & superante, quis cum nullo digladiari uoluerim, qui oppositum sentire uelit.

Tertio Galenus ad sententiæ expositionem reuertitur, notatque pulsus, qui in capite sunt, hoc est sensibiles motiones, quæ ex arterijs capitis sentiuntur, esse symptomata multæ caliditatis quæ in capite est, multa uero calid tas est, & ob uehementiam & ob materiam in qua cal ditas inest, ob has uero caliditates et materias calidas delíria plerunque contingunt.

Quarto Galenus infert cum hæc quæ dicta sunt ita uniuersim se habeant quando quis cœpit parum ualere & ægrotare, tunc morbus iudicandus est ab urinarum tenuitate crudas, at caput plenum esse spiritu flatuoso à uertiginibus cum pulsibus denotatur, unde scire oportet, naturam nunquam quiescere, sed quandoque prauos humores, qui in corpore sunt ita aggreditur, ut eos à bonis separet, atque quouis modo excernat, uel ad illam partem reijciat quæ minus ꝓcipua sit, & ideo prædictus sermo ad antedictorum prænotionem atque præsensionem maxime confert.

Scito naturam nunquam quiescere, quia naturalis calor, qui natura est, aliquid semper agit in humano corpore.

Quinto Galenus notat quomodo prædictus sermo ad prædictorum cognitionem magis conferat, quia plerunque ab initio morbi febres quidem moderatæ sunt & fiunt, tamen symptomata prædicta caput infestant ob calorem & exhalationẽ humorum in uentris corpore cõtentorum, unde notato balneum caliditatem illam capitis solum iuuare, quæ quouis alio modo se habeat, & non ob exhalationem uaporum. & satis erit ptisanæ cremorem exhibere. At cum spiritus calidus & flatuosus ob humorum prauitatem ad caput fertur hos lauare non conuenit, infertque tute singula ista esse facienda.

Quod legitur in corporis uentre, Græce est κατὰ τὸ σῶμα τῆς κοιλίας. i. in corpore uentris, ac si dicat in uẽtris cauitate.

Sed ambiges cur balneum ualeat cum quis habeat in capite calidam intemperiem, nõ ualeat autẽ cum spiritus calidus & halituosus ob humorũ prauitatem in caput fert. Rñdemus balneũ ꝓculdubio refrigerare ut in. x. Methodi à Galeno ostẽdit, & conuenire febribus & calidæ intẽperiei. Cũ ergo quispiã in capite caliditatẽ habuerit sine materia, à balneo iuuabit, quia refrigerabitur, quippe Galenus. 10. Methodi ostẽdit quomodo refrigeret, ueruntamẽ quia simul obstruit, propterea ubi in capite fuerint spiritus uaporosi à materia putrente eleuati non debet fieri obstructio, sed potius meatuũ reseratio, & ideo in hoc casu balnea non cõueniunt, & potissimum in initio, quia affectio de qua loquitur in initio est, ut ab authore in contextu dicitur, in prĩcipio uero obsunt balnea, ut l. x. Methodi edocemur.

Quod dicit tute igitur singula hæc facienda sunt, hoc refer ad caliditatem quę sine materia in capite fuerit, in illa enim singula hæc tute facienda sunt, quia non adsunt uapores qui exhalare debeant, & per insensibiles meatus progredi, unde Galenus authoris sententiam intelligit de uertiginibus & capitis pulsu, quæ fiant sine materia, uel saltem pulsus fit sine materia uertigo uero fieri non potest absque spiritibus flatuosis, uel dicito fieri ob spiritus quidem flatuosos, & ob multam caliditatem uertiginem & pulsum, sed non fieri à spiritibus qui eleuẽtur à materiebus corruptis, propterea tute & balneum & tute cremor ptisanæ præbenda sunt. Denique Galenus infert affectionum determinationem solum ex una causa cognosci .s. ex urinis, nã cruditas & coctio urinarũ has affectiones determinat, & ostendit an perdurare debeant uel cito remoueri. de his uero author mentionem fecit cum dixit urina tenuis, quam tenuem urinam sæpius à Galeno & in Aphorismis, & in prognosticis, & in epidemijs, & in libro de crisibus dicũtur esse signa cruditatis. uerũ hic author uno solum uerbo usus est, urina tenuis, & nihil aliud addidit (inquit) ut inferre oporteat, nullum esse medicum q de urinis in eiusmodi morbis negligentius loquatur & locutus sit ut fecit huius libri author.

## Hippocrates. Sectio XLIII.

Quibus principio urinæ & nebulosæ & crassæ existunt, hos annuentibus cæteris purgare conuenit. Quod si urinæ inter initia tenues fuerint, tales non purgabis. at si uideatur, clysterem exhibebis. Tales autem ita curare confert.

Hæc sentẽtia cũ præcedente cõtinuari & applicari potest, & ex se etiam intelligi. Arbitramur nos ex se intelligẽdam esse, cum quispiam in ægritudinis principio urinas habuerit nubilosas & crassas, is purgãdus si cętera cõueniãt, & nihil sit quod repugnet. At si urinæ fuerint in principio tenues, hic nõ est purgandus, ueruntamen clysterem exhibere potes, si tibi uideatur, hoc est si nõ excernat, & nihil sit quod impediat. hi postea subscripto modo curãdi sunt, quoniã ex hac curaratione ꝓficient. BRASAVOLVS.

ὅσοις δὲ ἐν ἀρχῇ τὰ οὖρα νεφελοειδέα, ἢ καὶ παχέα τοῖς τοιούτοις δεῖ ὑποκαθαίρειν, ἢν καὶ τὰ ἄλλα συμφέρῃ. i. quibus autẽ in prĩcipio urinæ nebulosę & crassæ existũt, hos, si alia annuãt, purgare oportet. Si quis cũ præcedente sententia cõplicare uoluerit, dicere potest, supponi hominẽ febrem habere & uertiginem & capitis pulsum, sed urinam esse crassam & nebulosam non tenuem, hoc modo intelligendum esse, particula illa (autẽ) suadere uidetur, quæ præcedentia cõsequentibus cõiungit. Tamen quia de urinis tenuibus statim loquetur, propterea hęc potius intelligenda est ueluti diuersa sententia à præcedẽtibus, ut sensus sit, qui in febriũ principio (uel adsit uertigo & pulsus uel non, id enim nihil refert) habent urinas nebulosas & crassas, hi (nisi aliquid obstet) sunt purgandi.

Petes uero, an intelligat esse tũc purgãdos uel coctione expectata, siquidẽ dicas expectata coctione, absurdũ est, quia etiã in tenuibus urinis coctione expectata euacuatio fieri debet, propterea intelligendus est statim cũ hę adsunt urinæ esse euacuationem exercendam, sed tũc dubitabis quia urinæ crassæ sunt & ipsæ crudæ, & morbi cruditatem ostẽdunt, & nebulosæ urinæ talem uidẽtur habere crassitiem ut antequã fiat euacuatio, attenuari debeant, & simul humores à quibus decidũtur attenuẽtur. Respõdemus certissimum eẽ si urinæ sint crassæ supra mediocritatem, & nebula fuerit crassa supra mediocritatem, purgationẽ fieri non debere, quia materia est cruda, uerũ ut Galenus notat, per crassas urinas mediocres intelligit, quæ ratiõe tenuium sunt crassæ, & per nebulosas nõ intellexit obscuras, sed habentes nebulã & hypostasim albam, quæ indicium coctionis est, propterea cum urinæ sunt crassæ respectu tenuiũ, quia sint moderatæ, & nebulam albam habuerit, tunc purgare conuenit, quia materia est cocta. intellige uero per nebulas cõmuniter et eneorema & hypostasim, quia nebulę profecto exquisitam coctionem non significant, sed hic nubem intelligit quæ in urina sit in parte inferna, & in formam pyramidis tendat, albam, leuem, & æqualem, quę coctionem significat, propterea nisi aliud quid impediat, statim purgare debemus.

ὁκόσοισι δὲ ἐν ἀρχῇ τὰ οὖρα λεπτά, μὴ φαρμάκευε τοὺς τοιούτους.i.quibus uero in principio urinæ tenues fuerint, hos ne purgabis, quoniam materia cruda est, & bonum malo mistum, & uiæ non sunt paratæ, sed coctionem expectare opus est, quæ tunc facta esse iudicabitur cum urinæ efficiētur crassæ, hoc est ad mediocritatem peruenerint, quæ respectu tenuitatis est crassitudo.

At dices supposito urinas esse uere crassas, de quibus superius dictum est, & has esse tenues, proculdubio non purgandum, quacunq; harum accepta, uerum siquis purgabit, quinam minus errabit cum tamen utrosq; errare secūdum Hippocratem & Galenum certum sit. Respondemus minus errare qui cum urinis crassis purgabunt, quia materiæ copiam ostendunt, unde purgatione facta licet & bonum & malum æque trahatur, tamen magna pars mali trahitur, quia & in copia humor prauus adest.

ἀλλ' ἢν δοκέῃ ὑποκλύσαι.i.sed si uideatur, clysterem exhibebis, cum ex urinæ tenuitate quæ crudam esse materiam ostendit, purgare non possis, tamen ægrum uideris in intestinis, in uentriculo, in meseraicis multos habere humores, clysterem exhibere potes, ut has materias, quæ in uijs sunt, deorsum trahas, imo plures oportet nonnunquam apponere clysteres, anteq; materia quæ per purgationem educi debet cocta sit, & saltem alternis diebus sunt imponendi febrientibus nisi sponte excreuerint. sed in proposito hunc authorem intelligimus non de leui clystere, sed de eo qui recipiat res medicatas, & quę humorē peccātem attrahere possit si sit in propinquis uijs, τούτους συμφέρει οὕτως θεραπεύεσθαι.i. tales autem ita curare confert, ita inquam ut in sententia consequente dicetur.

GALENVS. Siue his quæ in antedicta oratione relata sunt, hæc coniūgit, siue non, quod ex ipsis utile quis habere cōmune potest, quod scilicet corporis purgationem prorsus uitare oporteat, cum in humoribus adest cruditas, id manifestauit, inquiens: Vrinæ tenues: tanquam crassę coctionis notas habeant. Iam hoc ipsum substantiam indicat, & uerbum hoc νεφελοειδέα, idest nebulosæ, urinas significat nebulas habentes. Nempe nigras adiecisset, si nos eas audire uoluisset. Multa siquidem nomina communia, citra distinctionem dicere consueuerunt, cum id quod in significantijs rerū melius est, declarare uoluerint. Sic sanè cū iudicationes ad salutem fuerint, simpliciter dicūt, iudicatus est. Defuncto uero iudicato non simpliciter efferunt, sed hoc totū, iudicatus obijt. Preterea cum quis excretam bilem simpliciter dixerit, pallidam, & non nigram, intelligimus. Sic certe & in præsentiarum urinas nebulosas audire oportet eas quæ albas habent nebulas, quæ coctionis notæ existunt. Quoniam igitur cocta medicatur, ob id & nunc ita scripsit libri huius author: Tales autem ita curare confert. Nihil autem de sanguinis missione loquutus, ea particulatim enarrat ex ordine omnia: non quòd interdum ita habentibus, sanguinis missione opus nō sit sed quòd nunc sola alia docere uelit. Nempe de sanguinis missione abunde supra est dictum.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat uel hāc sententiā præcedēti cōiūgas, uel nō cōiūgas nihil referre. Nos uero id tātū ex ea colligam' quod utile uidebitur, id uero est corporis purgationem esse prorsum euitandam, cum in humoribus adest cruditas, & hoc clarū est ex eo quod dixit, urinæ tenues, tanquam urinæ crassæ notas habeant coctionis, imo & substātia ipsa hoc idem indicat, & uerbum hoc νεφελοειδέα .i. nebulosæ, significat urinas nebulas habentes, non autem obscuras, quia adiecisset nigras, si tales nos audire & intelligere uoluisset.

Secundo cum Galenus admonuisset, cū ab authore dictū est νεφελοειδέα.i. nebulosæ, non intellixisse nebulosas idest obscuras & nigras, sed usum esse uocabulo nebulosum pro habente nebulam, cum uero simpliciter dicitur habens nebulam sine aliquo addito, in bonam partē semper accipitur, & in id quod est melius, propterea in hac parte ostendit, esse talem morem apud authores, ut multa nomina communia citra distinctionē dicant, quando id significare uolūt quod melius est, unde apud Hippocratem & antiquos authores cum iudicationes ad salutem sunt, simpliciter uocabulo iudicato utuntur, sine adiectione bene uel exquisite, uel perfecte. At cū quispiā in iudicio decessit, non dicit simplr̄ iudicatus, sed cū adiectione iudicatus obijt & iudicatus perijt, & praua iudicatio. Adde cū simplr̄ dicit bilis excreta semper pallida intelligitur, & nō nigra, unde & in præsentiarū intelligere oportet urinas nebulosas.i. nebulas albas habentes, quæ coctionis notæ existunt: ut Galenus hanc regulam ex suis uerbis colligi uelit. quoties aliquod nomen plura significans simpliciter ponitur semper de eo significato intelligitur quod melius est & perfectius.

In memoriam uenit, cum publice Porphyrianas uoces interpretaremur, dum adhuc in adulescentia essemus, in illa parte qua dicit Porphyrius differentias facientes aliud uocari specificas differentias, reliquas uero quæ faciunt alteratum dici simpliciter differentias. At Galeni regula Porphyrium reprehendebamus, quia cum hoc nomē differentia simpliciter ponitur, uidetur illam potius significare debere, quæ aliud facit, quoniā est uera differentia, reliquæ uero quæ alteratū faciunt, potius cum additione uiderētur dici debere drīæ, ut drīæ p accidens uel aliquod simile, quo ostenderetur non esse illas quæ simpliciter dicūtur drīę, & ueræ drīæ sunt. Rn̄debamus nōc primo esse impositum nomen, differentia communibus differentijs, & his quæ per accidens sunt, propterea & simpliciter differentiæ dicuntur, sed in Galeni regulę proposito dicebamus, quoniam nomen aliquod nobilitatem quandam importat, & simpliciter ponitur semper id intelligi quod nobilius est. Si uero nomē sit ignobilitatem importans, tunc quod nobilius est cum addito dicitur, unde quia animal ignobilitatem quandam importare uidetur. iccirco cum animal simpliciter dicimus, hominem nō intelligimus, sed bruta: & si hominem intelligere uoluerimus, rationale addimus. sed hæc logicis, qui disputationibus uacāt, dimittantur, nam de his in nostris quinque uocum commentarijs abunde egimus.

Quod dicit pallidam & non nigram intelligimus, particula pallidam Græcę est τὴν ὠχρὴν, quod & luteam interpretari potest.

Tertio Galenus notat, cum Hippocrates non nisi cocta expurget, propterea huius libri authorem addidisse, tales autem ita curare cōfert. At quia aliquis ambigere posset, cur à sanguinis missione non incipit, imo de illa nullam mentionem facit, Galenus respondet, hunc authorem, hoc in loco sanguinis missionem prætermisisse nō quòd interdum mitti non debeat his qui ita habent, sed quoniam in præsentiarum reliqua sola docere intendit, quę à sanguinis missione agenda sunt. Addeq; superius de sanguinis missione plene dictum esse. Nisi iussset Galenus qui sententiam ut nos fecimus interpretatus est: alio modo interpretari in mentē uenisset, quippe cum dicit quibus in principio urinæ & nebulosæ & crassæ existunt, hos purgandos si cætera annuāt: author de uere crassis urinis intelligi posset, q: nubem adeo crassam habeant, ut sit nebulosa dicenda. Actuarius capite primo de urinarum iudicijs ubi loquitur de iudicio substantiarum urinarum, differentiam ponit cruditatis urinæ quando fit ob imbecillitatem caliditatis naturalis ob aliquam intemperiem, & quando fit ob excessum alicuius humoris, qui naturalē calorē obrūdat, primas urinas dicit eē tenues, secūdas crassas, & dicit urinam crassam aut significare humoris abundātiam, aut corporis superficiei spissationem ob frigus factam, aut concoctionis principium. tamen omnes hæ urinæ sunt crudæ, ut in secūdo de caussis urinarum Actuarius docet capite.4 & in primo de præuidentijs urinarum capite.14. at si urinæ in accessu febris appareant crassæ, neq; processu temporis attenuentur, uirtutis imbecillitatem tunc adesse, unde metus est ne defatigata natura in omnibus eius actionibus prorsus cesset. At cum in principio sunt crassę, an attenuari debeant perspicere non possumus, propterea tunc dum uires sunt fortes euacuandum est, quia & si aliquid boni etiam euacuabitur, tamen & simul plurimum mali exibit, forte cēset illam euacuandam,

eamq;

eamque esse eius curationem. At Galenus qui cum Hippocrate sentit cōcocta solū medicanda hoc nunquam diceret, sed perpetuo censebit materiam crassam coquendam antequam curetur, nisi aliquid ad euacuandam nos cogat.

## Hippocrates. Sectio XLIIII.

Corpus quieti permittere, ungere & æqualiter contegere oportet, mulsamque aquosam bibendam & ptisanæ cremorem uesperi sorbendum dabis. Ventrem ab initio clystere duces, sed medicamēta purgantia nō admouebis. Nempe si uentrem moueris, urina non maturabitur, febrisque citra tum sudorem tum iudicationem in longum protrahetur tempus.

BRASAVOLVS. Quando urinæ coctæ fuerint, nulla alia curatione indigemus, quàm purgatione, nempe humore expurgato, is sanitati restitutus est, uerum cum urinæ inter initia sint tenues, hi purgandi non sunt, quia materia cruda est, & ad exitum inepta, sed hoc modo has febres habere supponitur, unde iubendum est ut corpus quiescat, & inungendum est, atque corpus uniuersum contegendum, huicque mulsam præbebis aquosam mane bibēdam, uesperi deinceps pro coena ptisanæ cremorem dabis. In principioque uentrē subducere poteris clystere imposito, uerūtamen purgantia medicamenta ne admoueto, quia si uentrem his medicamentis mouebis, urina non maturabitur, imo febris absque sudore & iudicatione in longum tempus protrahetur, ut notet non esse istos purgandos, nisi coctione perfecta.

τῷ σώματι ἡσυχίην ἄγειν. i. corpus quieti permittere, hoc est initium curationis patientium febrem, & urinas tenues habentium, quiescere debent, & in lectis manere, imo uerum est in omni febris genere quiescendum esse, Platone etiam probante morbos per motum fieri, & per quietem sanari.

Et si dicas pituitosos morbos per motum potius resolui. Dicimus & cum febris adest in pituita etiam quiescendam, ne febrilis calor augeatur, & ne magna fiat in putrente humore agitatio, qui postea uehementius uexet. & quia hic habet in uentre nutrimentum, propterea ab omni extrinseco opere cessare debet, ut solum uacet cibis percoquendis, imo & humorum coctio quiete fit, quia natura circa alia occupari non debet. propterea si fieri posset ut æger absque cibis permaneret, illū usque in morbi finem dimitteremus, ne naturam circa alia occupare- mus. Cum uero motus non sit talis ut sine eo homo per aliquod spatium uiuere non possit, propterea dum humoris coctio fit, nulla motio fieri debet, sed homo semper quiescat.

ἀλείφειν τε, idest & inungere, nō solum iubēdi ut quiescāt, sed si opus ob quietem non perficiatur, inungendi etiam, sunt tali inunctione quæ calorem naturalem ad coctionem perficiendam adiuuare possit, uel ut febri oppugnetur, quæ sicca est, & calida, unde scito inunctionem hanc ob duo esse posse, primo pro coctione adiuuanda, secundo pro febrili calore extinguendo, pro coctione adiuuanda calida esse debet, & est uētriculo applicanda. At si pro febribus sit, frigida esse debet & humida, in ardente febre superius ostendimus Galeni unguentum nuncupatum infrigidans conuenire, corpusque inungi potest uniuersum, & possunt solæ præcipuæ partes inūgi, ut cor, iecur, renes, & similes partes, secundum Galenum uero hic inunctionem facit quæ corpus humectet, sit uero æqualis in caliditate & frigiditate uel frigiditas non sit multum intensa.

καὶ περιστέλλειν ὁμαλῶς. i. & æqualiter contegere oportet. corpus. s. febricitans, non tamen ita contegere ut corpus calescat, sed totū æqualiter tegere corpus, hoc est æquali tegmento, quod unam partem magis alia non calefaciat, & pars una detecta non sit, ne maiorem contrahat obstructionem, tegi uero debet, ut æque per corpus naturalis calor seruetur, qui in sumptos coquit cibos, & humores etiam febrem facientes.

ποτῷ δὲ χρῆσθαι μελικρήτῳ ὑδαρεῖ, καὶ ῥοφήματι χυλῷ πτισάνης ἐς ἑσπέρην. i. in potu uero aqua mulsa uti oportet, & sorbitione succi ptisanæ uesperi. iudicat hic author hoc febris genus non esse tale, ut æger cum sola aqua mulsa transigere possit, propterea illam dat mane, & uesperi succum ptisanæ præbet, uel utrunque dat uesperi. & ptisanę succum, & mulsam, sed ptisanæ succus pro cibo est, mulsa autem pro potu. Et si petas cur uesperi hæc præbeat. Respondemus credendum nō esse quòd hæc semper uesperi dari conueniant, nam danda non sunt si uesperi febris inciperet. Ad hic author supponit febrem per diem uexare, & uesperi esse in inclinatione, propterea solū hoc tempore dandus est cibus. At dices Hippocratem in secūdo libro censuisse consuetos prandere si non prandeant, discrimina incidere quæ ibi enumerat. igitur & hic prandere debet si sit assuetus. Respondemus Hippocratem in ęgris non esse daturum prandium, quando febris illa hora superuenit, sed iam per quatuor horas ante dedisset, & id esset pro prandio acceptum, quia in hoc casu ob ægritudinē horas mutare cogimur.

κοιλίην δ' ὕπαγε κατ' ἀρχὰς κλυσμῷ. i. uentrem ab initio clystere duces. quod & in temporis processu faciendū, quoad materia fuerit cocta, nam qui febre correpti sunt, raro excernunt, nisi à clysterijs irritati, quia ea febrili calore excrementa exiccantur.

φάρμακα δὲ μὴ προσάγειν τοῦτο. i. sed medicamenta purgantia non admouebis, quando materia cruda est: at post coctionem erunt adhibenda. in hoc principio si dares, & tam bonum, quàm prauum attraheres, & materiam uiolento impetu molestia afficeres.

ἢν γάρ τι κινήσῃς κατὰ κοιλίην, τὸ οὖρον οὐ πεπαίνεται. idest, etenim si uentrem moueris, urina non maturabitur. Cum fiunt coctiones non est excitandus uenter medicamento catarctico, quia tam crudum quàm coctum, tā bonum quàm malum trahit, & ita natura imbecillior redditur, & reliquum quod est coquendum, difficilius coquitur, iccirco urina non maturabitur, idest humorum coctionem non ostendet, quia ipsi non coquentur.

ἀλλ' ἀνιδρωτί τε καὶ ἄκριτος ὁ πυρετὸς ἐπὶ πολὺν χρόνον ἔσται. idest, sed febris citra sudorem & iudicationem in longū protrahetur tempus, quia natura ob euacuationem factā cum materia cruda erat, erit imbecillior reddita, & materia erit magis cruda effecta, iccirco natura materias attenuare non poterit ut per sudorem exeant, sed necessarium erit paulatim consumi, propterea febris illa longo indigebit tempore si resolui debeat, unde neque per sudorem finiet, neque per ullam iudicationem, sed paulatim resoluetur, uerum quia id fieri non potest nisi longo tempore, nulla erit in hoc morbo iudicatio. Et si aliquis error contingat, hic etiam occumbere posset.

GALENVS. Sermonem quoque hunc percurrit, scopum in eo habens, eā quæ cum moderata calfactione sit quietem. Cremorem autem ptisanæ ab initio elargitur, quod mulsa ad uigorem usque & iudicationem sufficere non possit. Morbus siquidem crudus est, & longe absunt concoctiones. Præterea mulsam quæ aquosa sit, adhibet propterea, quòd aquam per se, & solam, nihil boni habere demonstratum sit. Vesperi autem ptisanam mauult exhiberi, quàm mulsam. Nempe cum antea in legitima libri huius parte didicerimus, ptisanam mulsa posterius exhibendam, melius fuit & nunc ita dicere: Mulsam quidem prius, posteriorem uero ptisanam exhibe. At uero cum uesperi pro posterius dixerit, particulariorem efficit doctrinam, & non uniuersaliorem. Cur autem eos purgare haud uelit, in quibus summa inest cruditas, causam recensuit epilogisticam magis quàm analogisticam: quam recensere ad eum spectat, qui quod sit, sola citra logicam demonstrationem experientia nouit. Dogmatici autem uiri erat docere, quam ob causam purgantibus nobis ita habentes non coquatur urina, febrisque sine sudore & iudicatione perseueret. Perfectius quidem & diligētius alibi hæc omnia sumus contemplati: sed in præsentiarum

quod præsenti enarrationi prodesse possit, summatim dicemus. Tu ergo animum ad me conuerte. Cũ facultates, ut scis, quatuor sint, atq; inter eas non minime ualeat alteratrix, per quam dispensatis ab ea corporibus natura alimentum assimilat, coctio nuncupatur nutrituræ substantiæ permutatio secundum qualitatem existens. Natura igitur assumpto in uentrem deuoratoq; alimento, à cæteris quidem motionibus cessare debet, ut soli quod coquendis cibis deputatum sit operi uacet, sed auxilio externo aliquo indiget, si aliquando imbecillior reddita fuerit, quomodo & in ea humorum quæ in uenis fit concoctione contingit. Quiete quidem indiget sequentem ante caliditatem, quod calfactum, frigefactumq;, uel exiccatum & humectatum sit, singula horum alio & alio tempore factia. Ob id igitur qui hæc scripsit, hominem curari uoluit quieti permissum, unctum, & æqualiter uestimentis obuolutum. Nempe aduersus uim febris humiditatem eam quæ unctionibus comparatur, remedium esse putauit, præterea & neq; ualenter calfacere, neq; refrigerare, sed lenire, mulcereq;, quibus maxime indigent quæ coquuntur, maturanturq;. Quod si hæc coctioni humorum conferant, purgationes contrariæ existunt. Nempe corpus uehementer mouentes frangunt. Tali siquidem uirtute prædita sunt omnia quæ purgant medicamenta: hæc est ergo causa cur purgationes coctionibus aduersentur. Ad eam autem quæ sermoni huic continuatur seriem pergamus.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat authorem hunc, sermonem istũ percurrere scopum habens quietem illam quæ cum moderata calefactione fit, nam ex hoc febris sanitati restituitur, quia his coctio procuratur. At dedit ptisanæ cremorem, quia mulsa usq; ad morbi uigorem & ad iudicationem sufficere non potest, nam morbus est crudus & ualde crudus potissimũ quando urina fuerit tenuis aquosa, hinc coctiones longe absunt, unde opus est talem dare cibum qui ægrum ad iudicationẽ perducat, notaq; dedisse mulsam aquosam & non ipsam aquam, quia superius demõstratum est aquam nihil boni habere quãdo sola accipitur.

Petes uero quando urina erit adeo cruda ad quantum temporis ægritudo prorogabitur? Respondemus ex urina sola tempus exquisite dari non posse. Sed dicimus non coqui minori tẽpore uiginti dierum, mulò etiam quadragesimum attingunt. At dices & si uigesimo finiat die, tamen cibus uidetur modicus scilicet ptisanæ succus. Respondemus Hippocratis tempore et Galeni non fuisse modicum, quia sani erant assueti parum comedere, & longe minus ægri, sed nostro tempore unum absq; carnibus & uino, tantum temporis seruari non potest imo uelimus nolimus mulieres & carnes darent & uinum, nisi medicus id præuidens & discrimen noscens quod cõtingere posset, si mulieres hæc occulte præbeant, propterea ipse dat modicã carnium quantitatem, & uinum egregie dilutum. Adde infinitos esse qui edere non possunt nedũ odorare ptisanæ succum omnesq; condire nesciunt, propterea nostro tempore in hoc rationis uictus modo aliud agere, oportet q̃ ab Hippocrate & Galeno diuersis in locis præcipiatur.

In eo ambiges, quod dicit demonstratum esse aquam nihil boni ex se habere, quia in. 23. sectione tertij libri Galenus innuit aquam aliquo modo nutrire, idq; Hippocrates in cõtextu prædixerat his uerbis, sed mulsa q̃ aqua multo potentior est, Galenus arguit, igitur sentire uidetur & aquam aliquam habere uim nutriendi, sed aqua nihil nutrire certum est. At cum homo febre correptus est, uentriculum ingrediens sua frigiditate & humiditate facit ne febrilis caliditas diutius maneat, priusquã uentriculum offendere possit, unde febris actionem retardat, ne facile in uentriculum imprimatur. quatenus uero sit de nutritione, non nutrit, & præterea noxas omnes infert, de quibus in eodem tertio libro Hippocrates egit, eo modo intelligens, qua eo loco Hippocratem interpretati sumus.

Iubet dandam esse mulsam aquosum, quia daret aquam si aliquid boni haberet sola, uerum cum aliquid boni non habeat, dat aquosam mulsam, quæ aquæ naturã quodammodo sapit, in infrigidando, & in non effumando, tamen hoc boni habet, quod aperit & concoquit, hæc in simplici aqua non reperiũtur, propterea aquosam mulsam potius q̃ aquam puram tribuit.

Secundo Galenus notat, malle huius libri authorem uesperi ptisanam exhiberi quam mulsam, cum autem in legitima huius libri parte didicerimus ab Hippocrate ptisanam mulsa posterius exhibendam, melius fuit & nunc ita dicere, Mulsam prius exhibe, postea ptisanam. notaq; cum uesperi dixerit pro posterius particulariorem effecit doctrinam & non uniuersaliorem.

Petes in qua libri parte hoc dictum sit mulsam prius, post ptisanam exhibendam. Respondemus esse in. 22. libri tertij sectione. ubi Hippocrates dicit, mulsa tamen post ptisanæ sorbitionem epota ualde replet, inflat, & hypochõdriorum uisceribus est inutilis, sed si ante sorbitionem bibatur, non ut super epota lædit, sed iuuat. At hoc intellige quãdo copiose unũ post aliud accipiatur, & non pro potu in cibo, quia hoc modo utriusq; fit miscella, & simul fit unum corpus, quod digeritur, tota enim ratio cur debeat primo sumi mulsa secundum Galenum est quia illa sunt prius sumenda quæ facilius corrũpuntur, & magis subducuntur, ptisana uero q̃ mulsa difficilius corrũpitur, & descendit tardius, & ideo si mulsa primo sumatur, fit ex ea prouocatio ptisanæ ad deiectionem, sed si ptisana primum sumatur, mulsæ deiectionem impedit, propterea hypochondria inflat, & in bilem conuersa ptisanæ detrimentum affert. Et hæc est causa cur mulsa prius, posterius ptisana sumenda, de qua re præcitato loco disseruimus. At si mulsa pro potu accipiatur, ut in contextus expositione dictum est, & inter sorbendum ptisanam, & ipsa bibatur, illi commiscetur ut cibo potus, & nõ corrumpitur, sed æqualiter descendunt.

Petes præterea quid hic reprehendat Galenus quãdo dicit, melius fuit & nunc ita dicere, mulsam uero prius, posteriorem uero ptisanam exhibe, nonne & author id dixit mulsam bibendã, & uesperi ptisana exhibẽda. Rñdemus Galenũ de eo rõ reprehẽdere quod nõ posuerit ptisanã post, sed q̃a cũ debebat dicere / post, dixit / uesperi, ac si unũ accipiat mane, & aliud uesperi, censetq; intelligendum pro particula / uesperi / posterius, & ita erit uniuersalis doctrina, post mulsam ptisanã sorbeto. At hæc est particularis uesperi sorbeto ptisanam, quia uni particulari tempori adaptatur, quod tamen uniuersaliter intelligi debebat, iccirco ipse exponit uesperi idest posterius, tamen & nos fecimus, interpretari nihil impedit, quòd uesperi ptisanam accipiat, quia febris tunc fit in inclinatione.

Quod legitur posteriorem uero ptisanam exhibe: Græce est ὕστερον δὲ χυλὸν πτισάνης. i. posteriorẽ uero ptisanæ succum.

Tertio Galenus notat, cum assignat causam cur eos purgare non uelit, in quibus summa inest cruditas, recẽsuit causam epilogisticam magis, q̃ analogisticam, hanc uero causam ad illũ recensere spectat qui res ipsas sola experientia nouit, citra logicam aliquam demonstrationem, uerũ spectabat ad uirũ dogmaticum docere quam ob causam si purgemur, quando tali modo affecti sumus, urina non coquatur, & febris absq; sudore & iudicatione perseueret. Verum hæc omnia perfectius, & diligentius alibi contemplati sumus, nunc uero summatim dicemus, quod præsenti enunciationi prodesse possit, tu ergo ad me (Galenus inquit) animum conuerte.

## Epilogismus & Analogismus quid sint.

Nota uero hoc in loco colligi Epilogisticum argumentum & sermonẽ esse, cum quis absq; ratione demonstratiua id solum recenset quod experientia nouit, & hoc erat empiricorũ proprium uti Epilogismo. At Analogismus est ratio demonstratiua, quæ probat id quod dicit. unde hic dicit, ad dogmaticum uirum spectare reddere rationem. hoc autem uerũ esse ex ipso Galeno probari potest in libello de subfiguratione empirica, ubi ponit empiricorum differentiam & dogmaticorum, & dicit empirici enim euidentibus, dogmatici uero ratione magis

nituntur

nituntur. pari modo dogmatica ratio, hoc ab empirica differt, quód hæc euidentium rerum, illa occultarum est, quæ ut nomine quóq; distinguerentur, rationem quidem empiricam epilogismum, dogmaticam uero analogismum uocitauere. Vnde in definitionibus medicis Galeno adscriptis epilogismus ita definitur, est ratio quæ id quod ab intelligentia diuertit, in firmã, certamq; notitiam adducit, quæ definitio intelligẽda est (si Galeni sententijs adaptari debeat) epilogismũ ducere in notitiam certam & firmam, quod diuertit ab intelligentia. i. quod experientia habetur & non ratione. Si alio modo quis interpretetur Galeno non conueniet. hoc autem esse epilogismum, apud Galenum colligi potest in principio primi libri de compositione medicamentorum secundum genera, cum de libro suo hæc dicit. Cæterum hic liber obiter ostendit empiricorum medicorum cõtẽtionem, qui ad insomnia fortunam, & casum medicamenta composita propè uniuersa referunt, si paucissima quædam expias, quæ cõmuni omnium hominum ratione (epilogismum ipsi uocant) inuenta esse dicunt.

In libello de optima secta ad Thrasybulũ Galenus ita uidetũ analogismum definire, analogismus est comparatio & perceptio causarum iuuantium per similitudines. & superius longa oratione ostenderat ex analogismo aliquod iuuãs percipi, quãdo causa quidem delitescit, nullaq; obseruatio habetur, sed affectus q̃ similium ex casibus est, unde infert, analogismo nanq; utentes à similibus ad similia transimus, opus est intelligere transitu à simili ad simile, quãdo causa ignoratur, id simile esse tanq̃ causa, quia analogismus procedit per causam, & licet nõ sit causa, tamen quia causa ignoratur ut causa accipitur, & in libello de sectis ad introducendos, ubi de empiricis loquitur, notat illos uti epilogismo, quem euidentem rationem esse dicunt, utilem ad ea inuenienda, quæ opportuna latentia sunt (sic enim isti nominant quæ sensibilia quidem, non tamen adhuc euidentia sunt) & eundem epilogismum ad eos arguendos utilem qui contra euidentia audent dicere, utilem quoq; ad ostendendum id quod inter euidentia prætertur, utilemq; ad occurrendum sophismatis, quiq; nunq̃ ab euidẽtia absit, sed cum ea semper uersetur, quod tamen ratiocinationi esse negãt, sed eam ab euidentibus rationibus initium trahere, desinere in ea quæ perpetuo abdita sint, & postea multas epilogismi species refert. unde est epilogismum, solum ex his quæ sensu constant ꝓcedere, & quæ colliguntur experientia, nõ autem ratione probant, propterea ad empiricos spectat sicuti & analogismus ad dogmaticos. Galenus præterea in primo prognosticorum sectione. x. cum Hippocrates dixerit, nasus cõpressus, caui oculi, adstricta tempora & reliqua, Galenus dicit quænam sit talis affectio, per quam nasus comprimitur, dogmaticæ cõtemplationis munus est indicare, quam deprehendi tantũmodo analogismo cõuenit, analogismus uero ratio est quę ab euidentia auspicatur rei obscuræ faciens cognitionem. epilogismus uero cõmunis ratio est, & omnium assensu conspecta. censetq; primo epilogistice illa tractanda, q̃ statim inter initia libri uenire ad analogismum: ut ex hoc etiam loco constet, analogismum esse circa rationes euidentes quæ ab experientia & sensu non sumuntur, epilogismum uero esse ex re à sensu dependente, ut ab euidentia rei ꝓcedat epilogismus, ex causa analogismus, epilogismus proprie ad empiricos spectat, & est instrumentum quo frequẽtissime utuntur, analogismus uero spectat ad dogmaticos, quo & ipsi frequentissime utuntur.

Q uarto Galenus notat cum in nostro corpore quatuor sint facultates, inter quas plurimum ualet alteratrix qualitas, per quam corporibus dispensatis ab ea natura alimentum adsimilat, & hæc mutatio substantię nutritiuæ quæ fit secundum qualitatem, nuncupatur coctio, unde natura assumpto in uentrem & deuorato alimẽto ab omnibus alijs motionibus cessare debet, ut tantũ illi operi uacet, quod est cibos coquere. At quando imbecillior fuerit reddita externo eget auxilio, sicut etiam in ea humorum coctione quæ in uenis fit, contingit, nam quod calefactum frigefactumq; uel exiccatum & humectatum ante sequentem caliditatem quiete indiget, singulis horum diuerso tempore factis, unde qui hunc librum scripsit, hominem curari uoluit geti permissum unctũ & ęqualiter uestimẽtis obuolutũ.

Q uod legitur quieti permissum græce est ἡσυχίαν ἄγοντα τῷ σώματι. i. quietem agentem corpore, & particula corpore, addi debet, ne forte de animi quiete quispiam intelligeret.

Q uinto Galenus notat authorem hunc uoluisse iungi oportere, ob uim febris, quæ sicca est, nam putauit humiditatem illam, quæ in motionibus comparatur aduersus uim febris esse remedium. Adde hunc authorem nolle aut uehementer calefaciendum esse, aut refrigerandum, sed solum lenire atq; mulcere. his uero indigent illa potissimum quæ coquuntur & maturanť, ut hic colligi possit coctionẽ potius fieri per tẽperatas caliditates & demulcẽtes, q̃ ꝑ uehemẽtes. simili modo, & illa q̃ maturantur ꝑ temperatum calorẽ maturantur, uehemens enim calor potius adurit, q̃ coquat uel maturet.

Sexto cum author dixerit hos non esse purgandos. nam cum unctio/quies/æqualiter uestimentis obuolui/coctioni humorũ conferant, reliquum est ut purgationes non conferant, sed contrariæ sint, quia corpus uehementer mouentes, illud frangunt. nam tali uirtute prædita sunt omnia purgãtia medicamenta, corpora etenim medicamentis agitantur, & hæc est causa cur purgationes coctionibus aduersentur, quia coctiones quiete fiunt, purgationes summe mouent, unde cocta solum purgare oportet. Nunc uero ad illam (inquit Galenus) quæ huic sermoni continuatur, seriem pergamus.

## Hippocrates. Sectio XLV.

Cum iudicatio prope fuerit, sorbitionem ne dederis, si perturbetur· sed cum perturbatio desierit, atque in melius profectum sit. Obseruandæ autem febrium omnium iudicationes, sorbitionesque hoc auferendæ tempore.

BRASAVOLVS.

Sententia hæc & ad p̃cedentes febres sequi debet, & in omni morborum genere uera est, & potissimum febrilium, quando iudicationi propinqua fuerit. à sorbitionibus abstinendum esse, iubebat enim superius & mulsam dandam, & ptisanæ sorbitionem. At sorbitio auferẽda si perturbetur ęger, uerũ si ꝑturbatio desierit, & in melius iam profectum sit, tunc danda sorbitio, uniuersalesq; in omnibus febribus obseruandæ sunt iudicationes, nam in ipsis sorbitiones auferendæ sunt.

τὰ δὲ ῥοφήματα ὁπόταν τῶν κρισίων ἐγγὺς ᾖ μὴ δίδου ἢν θορυβῆται. i. sorbitiones uero ne dato. qñdo iudicationibus prope sit, si perturbetur, particula hæc perturbeť, posita est, ut ostẽdat iam actu adesse symptomata quæ iudicationẽ præcedunt, quando medicus perturbationem illam uidet, sorbitionẽ dare nõ debet, quam prius dabat, sed à sorbitione abstinendũ. imo & à mulsa abstinẽdum, nisi uehemẽter sitierit, & quiescere nõ possit, gn bibat, tũc potus dari debet uel aq̃ uel mulsa diluta. Si uero petas quæ sint hę perturbationes, & hi tumultus ante iudicationẽ: Rñdemus esse tales, ut ignari medici putent ægros mori, & tũc tũc aiam agere de quibus mẽtionẽ Galenus facit in principio tertij libri de iudicationibus, cũ docuit primo iudicationem simpliciter uocari, cũ fit præceps mutatio in sanitatẽ quæ fit aut per aliq̃ euidẽtẽ secretionem, aut ꝑ abscessum. notat uero quæ antecedũt symptomata uel secretionẽ uel abscessum, inquieta antecedere nõ paruã perturbationem in corpore ægri, difficultas, insomnia, delirium, somnus obstupidus, spirationis difficultas, uertigines, sentiendi difficultas. Dolor capitis, ceruicis, uentriculi, & aliarum multarum partium, interdum aurium sonitus, & splendor ob oculos obuersatur, & lacrymæ nolẽtibus effluũt, & urina subsistit, & labrũ cõcutitur, & aliqua alia pars intremiscit, et obliuio, & inscitia presentium, & rigor uehemens incidit, & accessio præuenit magna ex parte solitum tempus, & multus æstus, & sitis intolerabilis comitatur, & clamant, & exiliunt perinde ut attoniti, & item iacendi

habitum seruare nõ queunt. Deinde sudor multus de repente erũpit, aut uomitus nõ paruus comitaẽ, aut uenter uniuersim resoluẽ, aut large sanguinem fundit, aut omnia simul incidũt. Ac metus pẽdet intuẽtibus nõ paruus, & huic cæteri præsentes ab ipsa reducti clamitabũt ut æger de uita iudiceẽ. Non enim medici rei propriũ nomen detulerũt, sed necessario uocẽ habe ri illius q perturbeẽ ac metuat, eã rem appellãs iudicationem, At sidi medici interest neq; perturbari, neq; ignorare euẽtum rei, rectiusq; erit si studeat præsentire futurã iudicationẽ, ut hinc colligere possis quæ sint symptomata quæ iudicationẽ præcedunt, & pturbationes ac tumultus, quando hæc incipere uidebis ex iudicatione futura pturbari iudicato, & si urinæ fuerint primo coctæ breui debere sanari prædicito in hocq; tẽpore à ptisanę cremore abstineto, & ab omni alio cibo, nã nos nõ damus oĩbus hũc cremorẽ, quia multis nõ placet, sed cibũ illum prohibemus, quem ægrotanti tribuebamus.

ἐπὴν δ' ἀπῇ καὶ ἐπιδῷ ἐπὶ τὸ βέλτιον .i. sed cũ perturbatio desierit, & in melius profectum sit, tunc dare conuenit, q̃a iã est perfecta crisis, & nox uel dies qui sequiẽ, leuior extitit.

. φυλάσσεσθαι δὲ χρὴ καὶ πάντων τῶν πυρετῶν τὰς κρίσιας, καὶ ἀφαιρέοντα ῥοφήματα κατὰ τοῦτον τὸν καιρόν .i. obseruare autem oportet & febriũ omnium iudicationes, & hoc tẽpore sorbitiones auferre. Sentẽtiam prædictam in regulã quandam uniuersalem deducit, ut in oĩbus febribus hoc cõstet semper in iudicationibus, & parũ ante iudicationes à cibo abstinendum, ut in aphorismis ab Hippocrate edocemur.

GALENVS. Mentem Hippocratis hoc in loco seruat qui librum hunc scripsit: in principio quidem mulsam & ptisanæ cremorem exhibens, & cum propè est iudicatio cremorem tollens.

BRASAVOLVS. A' Galeno breuibus notatur huius libri authorem Hippocratis mentem seruare, nã in principio mulsam & ptisanæ cremorem exhibet, cum propè iudicatio est cremorem aufert, hoc enim censuit Hippocrates seruandum.

## Hippocrates. Sectio XLVI.

Consueuerunt febres hæ protrahi & abscessus habere, si aurium quidem ceruicisque infernæ partes frigidæ fuerint. quod si frigidæ non fuerint, profecto mutationes habent. Nempe fluit e naribus sanguis, & uẽtres hi turbãtur.

BRASAVOLVS. Febres inquit, de quibus superius dictũ est, quæ tenues habẽt urinas, protrahi cõsueuere, & abscessus habere. Si aurium & ceruicis infernæ partes frigidæ fuerint, uerum si frigidæ non fuerint, mutationem proculdubio habebũt, nam & è naribus sanguis fluit, & uentres his turbantur.

μεμαθήκασι δὲ μακροὶ οἱ πυρετοὶ γίγνεσθαι .i. consueuerunt autem hæ febres lõgæ fieri et in longũ protrahi, quia cũ urinas habent tenues, sunt crudæ, & ostendunt humores esse crudos qui breui coqui non possunt, propterea diurinæ fiunt hę febres, nam lõgo indigent tẽpore priusq̃ ad maturationẽ perueniant.

- καὶ ἀποστήμματα ἴσχειν .i. & abscessus habere cõsueuerũt, nam & à Galeno sępius demonstratũ est longos morbos per abscessus iudicari. intellige uero per abscessus, aut ad articulos, ut in prognosticis dixit, aut ad aliam partem quę non sit articulus, tamen plerunque & pustulæ fiunt & scabies, quæ à diuinis liberant morbis.

ἢν μὲν τὰ κάτω ψυχρὰ ᾖ περὶ ὦτα καὶ τράχηλον .i. & id si aurium extremę partes frigidæ sint & ceruix, quidam falso intelligũt infernas etiam ceruicis partes, debere esse frigidas, hoc uero absurdum est, quia non habẽtur partes extremæ ceruicis sicut aurium extremæ partes habẽtur, unde opus est intelligere, in auribus extremitatẽ, in ceruice totã uel partẽ extrinsecã, sunt uero aurium extremitates quæ lobi dicũtur. uerũ & si hæ partes nõ sint frigidæ in longis morbis fiũt abscessus, propterea rem nullius momenti attulit hic author. fiunt quãdoq; in accessionũ principijs aurium frigiditates, & ceruicis, & aliorum extremorum. Forte intelligit tũc febrem esse extra uenas, cum adest hoc frigus, uel materiam esse frigidam, quæ multo indiget tempore priusquam maturetur.

ἢν δὲ μὴ ψυχρὰ ᾖ, ἀλλὰ ἴσχει μεταβολάς .i. si uero frigidę non fuerint, certe mutationes habent, quando prædictæ partes frigidæ non fuerint, febris non terminabitur per abscessus, sed in febribus mutationes aderunt, quia non semper pdurare debent, supponitur materiam esse in uenis, et ad caput ascendere, & ideo ceruicem esse calidam, & extremas aurium partes, uerũ cum materia erat frigida, & ad inferiores tendebat partes aurium lobos & collum, ac ceruicẽ frigida relinquebat, quæ uero sint mutationes q̃ in febribus fiunt, ab authore statim dicunẽ.

ῥέει δὲ αἷμα ἐκ ῥινῶν, καὶ κοιλίαι τούτοισι ταράσσονται .i. nam fluit è naribus sanguis, & uentres his turbantur, hæc duo simul fieri necessarium non est, sed uel unum uel alterum, cũ supremę partes calidæ sunt, materiæ ad caput tendunt, quæ & ipsæ calidæ sunt, propterea si infernas partes petunt, perturbant & cõmouent uentrem mordicãdo. Et si dicas suppositum esse febrem esse ex materia cruda, fatemur, sed & calida materia cruda dici potest, ut superius ostensum est. Verum cum urinæ sunt ita crudæ non potest esse pura materia calida, sed erit frigidæ mista, sunt autem uentris perturbationes quãdo materia ab humore stimulata acredinẽ habente, qcq̃d adest mali in uentriculo, & in propinquis locis emittit, & quandoq; à uenis mittiẽ ad intestina, nõ enim putandũ est, alui profluuia à materiebus fieri quę tantum in intestinis sunt, imo & ab illis fiunt q̃ in uenis continentur, & ad intestina transmittunẽ.

GALENVS. Quibus urina ob humorũ cruditatem tenuis est, his iure optimo protrahuntur febres quę ante coctionẽ solui nequeũt. Quod autem tales per abscessus iudicentur, sæpius iam est dictum. Rarius autem & per excretionem solutiones horũ fiunt. Verũ autem in superiore corporis parte uel inferiore abscessus generabitur, quę hic dicunẽ, his quæ in pgnostico scripta sunt, concordant, consentiuntq;.

BRASAVOLVS. Primo à Galeno notaẽ, his qui tenuem urinã habent ob humorum cruditatem febres iure optimo protrahi antequam humores ad coctionem peruenerint, febres enim solui non possunt, nisi coctio prius facta sit, eiusmodi uero febres per abscessus iudicãtur, ut sæpius à Galeno & in aphorismis & in pgnosticis, & in libris de iudicationibus dictum est, nam rarius harũ febrium solutiones per excretionem fiunt.

Secundo Galenus notat de quæstione illa. An inferiore corporis parte. An in superiore abscessus generabiẽ. Ea quę hic dicũtur ostendere uidẽtur. Et his quæ in prognostico scripta sunt concordant atq; consentiunt.

In prognosticis profecto inuenire nescimus ubi ea dicat de loborũ aurium & colli uel ceruicis frigore, quæ in hoc loco ab hoc authore dicũtur, iccirco dicamus Galenũ in præsentiarũ conari reddere hũc authorẽ, Hippocrati cõcordem in hoc de frigiditate illarũ partiũ, uel caliditate, propter quã cognoscaẽ an abscessus supra uel infra fiant, ut Galenus ita ferẽ admoneat, si noscere uelimus quãdo abscessus in partibus infernis fieri debeant, uel in supernis, cõsule Hippocratẽ in prognosticis, & illum huic parti cõcordem redde. est uero in secundo prognosticorum sectione. 66. ubi inquit abscessus consistunt his in locis infernis, quibus circa præcordia inflãmatio fatiget, illi in supernis, in quibus pręcordia molliora, & sine dolore persistunt. Si uero aliquã diu spiret difficulter sine aliqua alia causa desinet. Adde tu in longis morbis in q̃bus fieri debẽt abscessus si sp paruas pustulas exeant, ut in scabie paulatim fiant in aliquibus in una parte, in alijs in pluribus in alijs in toto corpore si per maiores abscessus ubi erũpere debet solet p aliquot dies psentiri stupor quidã & remissus dolor in loco in quo erũpere debet.

## Hippocrates. Sectio XLVII.

Quibus febres graues & implacidę sunt, & hypochondria contendunt, iacentesq; ægri sese continere non possunt, atq; extrema frigescũt,

absolutissima

absolutissima tum diligentia tum custodia indigent. eosque ita degere oportet ut nihil praeter oxymeli aquosum tangant. sorbitionem autem non dabis donec sese malum remiserit, & urinae maturentur.

BRASAVOLVS.

Febre illa pretermissa de qua loquebaē, in qua urinae fuerit tenues, quae necessario lõga est, & finit ut plurimũ per abscessus, ad aliam nunc febris modum transit, in quo tamen supponere oportet & urinas esse & cruditatē indicare, uocãtur uero hae febres implacidę, quas hoc modo describit, qui graui febre & implacida detinẽtur, & hypochõdria habẽt tensa, & dum iacent sese continere non possunt, extrema etiã frigescũt, quando aliquos uideris ita uexari, tunc ò medice absolutissima utaris diligentia & curatione, idq; in uictus ratione obseruato ne quicq̃ tangat praeter oxymeli aquosum, nullo modo huic sorbitionē dabis quoad malũ sese remiserit, & urinae maturentur.

ὁκόσοισι δὲ πυρετοὶ ἀσώδεες εἰσι. i. qbus febres graues, molestae & implacidae sunt, haec febris molestia & implaciditas ex tribus ortum habere potest, uel quia febris sit ardẽtissima, uel quia os uentriculi sit affectum, & in ipso biles ebulliant, uel quia materiae cor petant. ob unã igiē harũ causarũ uel plures febres fiũt implacidae, sed potissimum fieri solẽt, cum materia os uẽtriculi petit, & circa illud ebulliērit. Et recte uocat ἀσώδεας. i. molestas illas febres, nomine sumpto ab ἄση, q̃ fastidiũ est in mulieribus utero gerẽtibus, & ab ἀσσῶνται. i. grauiter afficiuntur qui illas patiuntur.

καὶ ὑποχόνδρια συντείνουσι. i. & hypochõdria cõtendũt, intellige febres cõtendere hypochõdria & extẽdere, uel cõtendũtur in his febribus hypochõdria, materia ad illa trãsmissa. Hippocrates sectione. 26. primi prognosticorũ praecordia saluberrima esse docet si dolore uacãt, si mollia & aequalia sunt dextera ac sinistra parte, si uero inflãmatione uexanē, aut dolore, aut intenta sunt, aut inaequaliter affecta, haec omnia aduertẽda sunt, Galenusq; docet oĩbus hypochõdrijs cõuenire posse quod intenta sint, cõtendũtur uero ex materia in ipsis imbibita, quę cuiuscũq; generis esse potest, imo & nõnunq̃ ex solo flatu cõtenduntē. Oẽs qui hoc anno aegrotarũt p̄sertim hac aestate. 1541. in q̃ infiniti propemodũ ęgrotarũt, hypochõdria habuere tẽsa. id cõtigit & Illustriss. Renatae Galliae Ducissae nr̃ae, & Annae principissae eiusdem Ducissae filiae, & alijs filiabus, imo id omnibus cõtigit quos curauerim, nec illud erat ex aquae potu in febre, sed statim à principio morbi hãc intẽsionem habuere. fuit is annus epidemicus, tamen morbi nõ erãt limi, nempe infiniti aegrotauere & paucissimi periere, nõ curauimus hoc anno minus mille aegrorum, & profecto tres aut quatuor tantum periere, & illi quidem seniores.

καὶ κυλινδεῦνται οὐκ ἀνέχονται ἐν τῷ αὐτῷ. i. & iacẽtes in eodẽ situ sese cõtinere nõ possunt. hoc est indiciũ grauitatis lãguẽtium et uehemẽtissimae febris, cũ uno in loco starę nõ possunt, tales difficulter ferũt, hũc morbũ qui difficulter ferunt, sunt implacidi & inquieti, cũ enim in uno loco per aliquod spatiũ fuerit & breue, statim uerti cogunē, quia ea parte dolent, nec locũ inuenire possunt, & quia materia in parte est in qua facit hanc inquietationē, hoc est quod ab Hippocrate dicię. 15. sectione primi prognosticorũ. Si uero nudos habeãt pedes nec admodũ calidos, ac manus, collũ et crura inęqualiter dispgat, malũ est. significat enim ἀλυσμόν. i. angorē & inquietationē, & Galenus in cõmentatione dicit hos cõflictari quouis iacẽtis habitu, necnon aliũ ex alio mutare, causam uero huius inquietationis reddens Galenus dicit esse aut propter uentriculi uitium, aut propter uirium imbecillitatem.

καὶ τὰ ἄκρεα ψύχονται πάντα. i. atq; extrema omnia frigescũt, si partes corporis extremae frigescũt, signũ est, inquit Galenus, magnae inflãmationis in uisceribus, sunt praeterea & signũ imbecillitatis uiriũ. Si frigiditas sit remissa, signũ est inflãmationis, ut superius docuit Galenus in secũda causi specie, docuitq; factã esse inflãmationē illã ex crassis succis. Si uero fuerit frigus uehemẽs, aderit simul & imbecillitas. Hippocrates sectione. 4. secũdi ꝓgnosticorũ notat, si caput, manus, ac pedes frigidi sint, uentre costisq; calentibus malũ esse. Galenus in cõmentatione notat in acutis morbis, ut in febre ista implacida, de qua hic author agit propter inflãmationis magnitudinē in uisceribus, parum sanguinis in omne peruectum corpus, plurimũ uero eius in parte affecta inflãmatione includi, & ob hãc causam in hoc extremorũ frigore medię partes q̃ sunt thorax ac uẽter admodũ calẽt. Sed inges forte intelligẽdũ hoc frigus in hu⁹ febris initio, in quo nõ est malũ frigescere extrema. Rñdemus absurdũ eē intelligere ī pricipio. imo intelligere oportet hoc eē in summo uigore, qa saeuissim⁹ est hic morbus, & ꝓfecto reponẽdus est in febrem ardẽtem, & ad secũdam speciē trahẽdus, quicquid uero sit, febris hęc difficilis est. At dices nõne in febre sīua absq; intrinseca alicuius praecordij inflãmatione possunt fieri frigida extrema? Respõdemus, supposito, quõd de principio nõ loquamur, in nullo alio tẽpore fieri potest, quin significet & uiriũ imbecillitatem, & illum esse prope mortem.

πλείστης ἐπιμελείης, καὶ φυλακῆς δέονται. i. multa diligẽtia & custodia indigẽt. Quoniam si nõ perfecte regantur, obeunt, & facile, cum necessario habeant partem aliquam inflammatam, & uirium imbecillitatem.

διάγειν δὲ τούτοισι προσφέροντας μηδὲν ἄλλο ἢ ὀξύμελι ὑδαρές. i. eos autem ita degere oportet, ut nihil aliud q̃ oxymeli aquosum recipiant. hic morbus est necessario peracutus, & ob humorum crassitiem & glutinositatem aliquo indiget attenuãte & incidente. haec uero praestat oxymeli. uerum cum & refrigeratione multa indigeat, purũ oxymeli non prębet, sed aquosum. Quid uero sit aquosum oxymeli, in. 3. lib. dictum est.

ῥόφημα δὲ μὴ προσφέρειν. i. sorbitionē uero non dabis, quia non est opus naturam circa aliquid occupare quod coctione indigeat. danda uero non est si ęger sufficiat: at si non sufficeret, sorbitio danda esset, & etiam alia, sed uiribus constantibus cum morbus sit futurus breuis, sorbitio danda non est.

ἕως ἂν λήξῃ. i. donec sese malum remiserit. Cum morbus remissus est quod breui fit, si sanari debeat, sorbitioq; ex ptisanae cremore danda, & ptisana ipsa, & alia quę in nostro usu sunt.

καὶ οὖρον πεπανθῇ. i. & urinae maturentur. Cũ eniũ urinae maturae, ostendent naturam iam superare morbum. itaq; circa aliquos cibos occupari poterit.

Sed ambiges an curationem ita moliri debemus nulla praecedente euacuatione. Respondemus cum hic morbus sit magnus, si uires suffecerint & ętas, primum quod fieri debet est uenae sectio tamen potuit primo praecessisse clyster de quo in febre ardenti locuti sumus, ex mulsa, oleo, & sale, uel clyster ex uocatis cõmunibus. de quibus eodem loco mentionem fecimus, Galeni tempore neq; syrupos neq; aliud quicquam dedissent praeter oxymeli aquosum, nostro tempore uaria dantur syruporum genera, & in hoc casu syrupum de acetositate citri praebere solent, qui profecto si in paucissima detur copia cum aliqua aperiente aqua, ferri posset, potius uero adstringit quàm aperiat, in hoc autem casu aperiẽtibus potius indigemus. praeterea potus, qui mel recipit & acetum, est longe conuenientior. Sit ergo & syrupus, & potus & cibus oxymeli dilutum, morbus quartum diem non pertransit. quando haec quatuor simul adsunt febris grauitas hypochondria contenta, inquietudo ut uno loco stare non possint, & extremorum frigiditas, natura non potest diu cum hoc affectu bellum gerere, sed necesse est, aut ut morbo succũbat in hoc quatuor dierum spatio, aut morbum superet. Nonnulli recentiores medici extremorum frigiditatem persentientes, contusam carnem exhibẽt & oua, nulli ex his qui ita tractantur superuiuunt, sed ex copia suffocãtur, nam extremorum frigiditas non est ob uirium defectum per resolutionem factum, sed ob suffocationem.

GALENVS.

ἀσώδεις febres appellat in quibus aegri ἀσσῶνται, idest grauiter afficiuntur, atq; implacide, molesteq; habent. Difficilis autem tolerantia atq; implaciditas, inquietatioq; sequiē interdum

febrem imobilem & æstuosam, sæpius quoq; & stomachi malitiam. Os autem uentriculi ita me dicētem audi. Incepit ergo à febribus ipsis ἀσώδεις.i. graues & implacidas inquiens, & hypochondria contendentes deinde ad febriētes pertrāsiit. Nam quòd iacentes sese cōtinere nō possint, de febrientibus est dictum: ueluti & quòd extrema refrigerātur. Iacētes autem sese nō continere, grauiter languētium, atq; difficulter ferentium, implacidorumq; & inquietorū nota est: extrema autē frigere, magnæ uiscerum phlegmones, quæ ex crassis succis orta sit, ut antea demōstrauimus, cum de secūda causi specie ageremus. Quòd si uehemēs frigus fuerit, quòd uirtus ualde imbecilla sit, iam ibi cōiectura est. Nō immerito igitur ita languētes plurima tum custodia, tū diligentia indigere ait. Porrigūt autem & ipsis nō absq; causa oxymeli, utpote crassos, glutinososq; propter humores fatigatis. Adiecit autem sermoni aquosum, collatione illius, quod his exhiberi solet, in quorū pulmonibus tales cōtinentur humores. Nam acrius longe in illis esse cōuenit, quod propter longam in distributione ad affectam partem delationē de necessitate soluat uirtutem: his uero tale hypochōdrio incursat quale epotum est. Nullo autem pacto sorbitionē ita habentibus dare prius q; morbus ad maturitatem deductus fuerit, indistincte est pronunciatum: seruandum nobis quod edocuit Hippocrates. Adijciēdum sermoni, si æger suffecerit: quod ut manifestum forte prætermisit.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat hunc authorem uocare illas febres ἀσώδεις, in quibus ægri ἀσῶνται.i. grauiter afficiunt & moleste perturbātur, quæ febres implacide, molesteq; habent, ut ferri non possint, uerum hæc difficilis tolerantia, uel implaciditas uel inquietatio quādoq; sequitur febrem imobilem & æstuosam, quādoq; stomachi malitiā, iubetq; nūc per stomachum os uentriculi intelligendum esse, quod est maxime sensibile, ex duobus ergo fieri possunt implacidæ febres, uel ex ipsa febris uehemētia, uel ex oris uētriculi affectione, uel ex utroq; simul. Nota quod dicit immobilem esse Græce μόνιμον.i. permanentem, quia intelligit febrem permanentem & continuam quæ nunq; desedit & æstuosam, ac si dicat esse febris uehemētiam. Secundo Galenus notat incepisse ab ipsis febribus ἀσώδεις.i. graues & implacidas, dicēs & cōtendentes hypochōdria, postea pertransiit ad febriētes, ut primo de febre, postea de febriētibus, nam de febrientibus dictum est, quod iacentes, uno in loco sese cōtinere non possint. hoc uero est indicium & nota grauiter languentium & febricitantium, difficuliterq; morbum ferentium, & implacidorum ac inquietorum. At extrema frigescere Indicium est magnæ uiscerum inflammationis, quæ ex crassis succis ortum habuerit, ut superius demōstratum est in secūda causi specie. Adde modo si extremorū frigus fuerit uehemens, præter inflammationem, notatur etiam uirtutem esse ualde imbecillam, ob id ab hoc authore non immerito dicitur ægrotantem plurima custodia & diligentia indigere, quia morbus est ualde periculosus.

Quod ait incepit ergo à febribus ipsis ἀσώδεις.idest graues & implacidas, inquiens, Galenus ostendere nititur authorem in aliquibus loqui de febre in hac sententia, in alijs de febriente propterea inconstans sit, unde hæc pars sensum hunc habere debet, incepit ergo à febrientibus ipsis cum dixit ἀσώδεις.idest graues, & cum dixit hypochondria contendentes, nam sunt febres quæ hypochondria contendunt, materias in illis contineri facientes.

Cum dicit frigida extrema ob phlegmonem magnam in uisceribus ex crassis succis ortam, inquies nonne fieri potest, & extremorum frigiditas in febre ex phlegmone facta, ex phlegmone uero ex sanguine uel ex bilioso sanguine. Respondemus non posse esse frigida extrema in phlegmone ex pura bile, quia tanta est caliditas quæ ad illam sequitur ut nullo modo extrema frigida fieri possit, nisi cum obeunt. Et ideo in primo causo, de quo superius dictum est non fiebant frigida extrema nisi prope mortem. In secundo causo fiebant extrema frigida, ut Galenus notauit superius sectione. 16, hæc febris, de qua hic sermo est, in secunda est causi specie, in qua dicit Galenus si malignus fuerit morbus, refrigerantur extrema ob uirtutis imbecillitatem, & inflammationis magnitudinem totum sanguinem ad se trahentis. Et si dicas cur non potest hæc febris reduci ad primum causi genus? Respondemus ob hoc, quia in primo causo non frigescunt extrema. & si frigescunt obeunt, & nemo euadere potest. At febris, de qua hic loquitur & si uehemens sit, tñ qui ex ea laborant sanitati restitui possunt.

Tertio Galenus notat non ab re his porrigi oxymeli, quoniā hi qui tali febre corripiuntur à crassis humoribus & glutinosis uexantur. & adiecit aquosum, ac si loquatur de oxymelite illi contrario, quod his exibetur, in quorum pulmonibus tales continentur humores, crassi.s. & glutinosi, his etenim oxymeli debet esse acrius, q; oxymeli priusq; deuenerit ad locū læsum ex longa ad affectam partem in distributione delationē, quod de necessitate uires suas amittit. At his qui habent hypochondria tensa oxymeli eiusmodi in hypochondrium currit quale epotum est, nam quicquid bibitur breui in uentriculum peruenit, in iecur, in lienē quæ sunt hypochondria idest uiscera sub hypochondrijs sita. Ad pulmonem uero tam cito non proficiscitur. sed opus est ascendat, cum prius ad uētriculum & iecur descenderit. unde in pulmonis uitijs oxymeli purū accipi oportet. At dilutum dari debet his qui in hypochondrijs affectus habent, quia cito ad has partes descendit, & cum sint inflāmatæ, melius est dilutum esse q; sincerū, satis est in huius febris proposito quod humores incidat crassos. Deniq; Galenus notat particulam illam esse indistincte pronūciatam, qua inquit, nullo pacto sorbitionem esse dandam, priusq; morbus ad maturitatem deductus fuerit. est uero indistincte dictum, quia id opus est addere quod ab Hippocrate plerunq; edocetur, hos cibos non esse dandos usq; in finem si æger suffecerit. propterea huic sententiæ adde illam particulā si æger suffecerit, quam particulam forte his author sponte prætermisit, uelut eam quæ subintelligi poterat.

## Hippocrates. Sectio XLVIII.

Iacere autem in conclaui obscuro debent, & lecto ualde molli, diuque positum eum sustinere, & q; minime sese proijcere & iactare. Nempe id tales maxime iuuat.

BRASAVOLVS. Præcedentis febris curationem prosequitur hic author, iubens hos seruandos esse in obscuro calido. ne ob lucem inquietudo excitetur, sed potius ob tenebras leniatur, & lectus in quo hic iacet debet esse ualde mollis: iubēdumq; ægro ut in illo situ in quo est diutius q; fieri possit immoretur, & minime se proijcere ac iactare. hæc etenim si fiant ita febriens maxime iuuatur.

κατακλίνειν δ᾽ ἐν ζοφερῷ οἰκήματι.i. iacere autem in conclaui obscuro debent, quo corrigatur inquietatio, & adde in splendenti luce naturalem calorem exire in obscuritate contrahi, quia lux est calida, tenebræ frigidæ, unde potius iuuatur calor in obscuritate ad agendum q; in luce.

καὶ κατακεκλίσθαι ὡς ἐπὶ μαλακωτάτοις στρώμασι.i. & lecto ualde molli. In ardentis febris curatione de ægrorum lecto locuti sumus ex qua materia confectus esse deberet, & de tegumentis ac linteis. Lectus debet esse ualde mollis, ut à lecti duritie nihil habeat impedimenti, potissimum cum hi qui febre capti sunt omni corporis parte doleant, & cum uno in latere iacuerint, illo dolent, ut ergo facilius quiescat & ingentudinem facile pertrāseat lectus sit ualde mollis ex tenui pluma.

πολὺν χρόνον ἐπὶ τὰ αὐτὰ καρτερέοντα.i. & diu eum positum sustinere. hic æger quanto diutius potest, cum in uno est situ, eundem situm seruare debet, nam quanto magis mouetur, tanto magis accenditur, & tanto magis inquietatur, imo motus calorem exauget, & iccirco coctio nō fit bona, quia fit à moderata caliditate, ut Galenus superius docuit sectione. 44, quiescens

scens uero caliditatem in temperantia seruat, & non quiescens illam auget, & ad coctionem ineptam reddit.

μάλιστα γὰρ τοῦτο τοὺς τοιούσδε ὠφελεῖ. idest etenim hoc tales maxime iuuat, non hoc solum quod ultimo dicitur scilicet q̄ minime se proijcere & iactare, sed hoc totum quod in tota dicitur sententia.

GALENVS. Nunc decubitum obscura in domo non tanquam maturatorium auxilium, sed tanquam difficilis tolerantiæ, inquietationisq́, quæ ob ἄσην, idest molestiam, angoremq́ fit correctorium uoluit. Gratia cuius & lecti mollis meminit. Tentare autem seipsum non proijcere, sed conquiescere, laboranti modo utroque commodat, tanquam & morbi totius concoctionem iuuans, & uirtutem ipsam conseruans.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat, decubitum in hac sententia, in domo obscura, non esse positum uelut auxilium maturatorium, sed positum esse ueluti auxilium correctorium difficilis tolerantiæ & inquietationis quæ ob ἄσην idest molestiam & angorem fit & huius gratia mētionē fecit lecti mollis, ut corrigat̃ ingeratio. Secundo Galenus notat hoc dictum est, ægrum conari seipsum non proijcere, neq́ cum impetu mouere, sed quiescere, illum duobus modis iuuare, quoniam & totius morbi coctio iuuatur, & uirtus ipsa conseruatur, nam ex quiete calor est mediocris qui coctiones parat. coctione facta, uires materiam superant, & morbum, & uires ipsæ temperata caliditate seruant̃.

## Hippocrates. Sectio XLIX.

Hypochondrium autem lini semine illines, cauebisque ne cum apponitur, frigescat. sit autem tepidum ex aqua & oleo coctum.

BRASAVOLVS Cum in hac febre suppositum sit hypochondria esse tensa, uoluit & huic tensioni præsidium exhibere, quod est illinenda esse hypochondria lini semine, & cum apponitur, cauendum ne frigidum sit, neq́ nimis calidum, sed sit tepidum, uerū quia lini semen hypochondrijs recte applicari non potest, propterea quibus ebullire debeat edocet, si applicandum sit, primo ex aq̄ & oleo coq́ lini semē, postea tepidū supra p̄cordia īponito.

ἐπὶ δὲ τὸ ὑποχόνδριον λίνου σπέρμα ἐγχρίων ἐπιτίθει. idest hypochondrium autem lini semine illines. Forte in singulari, hypochondrium dixit, quia unum solum tensum sit, nam plerunq́ unum solum est tensum, plerunq́ utraq́. Cum utraque sunt tensa, pessimū indicium indicat esse Hippocrates primo prognosticorum sectione. 29. ubi dicit tumorē in præcordijs durum & dolentem pessimum esse. si omnibus præcordijs fatiget. Si uero altera parte infestet, sinistra minori cum periculo est. Et licet hic author de dolore non loquatur. sed de tensione uerum est. Adde morem esse Hippocratis. & in singulari uti nomine hypochondrij pro plurali.

φυλασσόμενος ὅπως μὴ φρίξῃ προστιθέμενον. idest obseruāsque ne cum apponitur frigescat, & hoc seruandum est ubi repercutere nolumus, & ubi non adsit magna inflāmatio quæ à bilioso sanguine facta sit, uel à sanguine. Tunc enim frigida apponi possunt, ut adparet cum Galenus in æstu capitis oleū rosaceum omphacium frigidum supra caput ponit, & in phrenitide. At in proposito inflammatio est facta (ut superius dicebat Galenus) ex materia crassa glutinosa, frigida uero apponenda non sunt, quia non adest in loco maxima caliditas, & ne locus cogatur calefacere, absq́ utilitate cataplasma, quod cum calidum effectum esset, iam agere cœpisset.

ἔστω δὲ ἀναζέσας ἐν ὕδατι καὶ ἐλαίῳ. i. sit autem tepidum ex aqua & oleo coctum. hic est modus conficiēdi hoc cataplasma, ex aqua & oleo coquitur, quoad omnia seminum grana in pultis modum reduci possint, itaq́ lingula ducantur, & in emplastri formam mutentur, non sunt sinenda grana integra, deinceps supra linteum extendito, & loco apponito, uel locus ille illinatur hoc emplastro molliori seruato.

GALENVS. Mollit lini semen, idq́ habet ut non manifeste calfaciat: quæ maxime expostulat phlegmone omnis. Et sane tactu tale ipsum ostendit, quale & secundum uirtutem est, perquam tepidum ipsum adhibere præcipiens. Cæterum aquæ & olei mixtura tepidam generat caliditatem, mollitq́ & mitigat, utpote moderatam habens facultatem. Cuius potissimum esse debēt, ut demonstrauimus, quę & maturant, & per halitū digerunt.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat lini semen mollire, & id preterea habere quod manifeste non calefacit, hæc uero potissimum ab inflammatione expetuntur, ut molliatur, & non accendatur, & profecto ipsum ostendit esse tale tactu, quale est secundū uirtutem, nam iubet ut tepidum adhibeatur.

Secundo Galenus notat aquæ & olei misturā tepidam quandam caliditatem generare præter id quod emollit etiam & mitigat, & ratio huius est, quia moderatam habet facultatē, quale potissimum habere debet, ut superius demōstrauit Galenus sectione. 44, quæ & maturant, & per halitum digerunt.

Quod legitur mollitq́ & mitigat, Grece est μετὰ τοῦ μαλάττειν τε καὶ παρηγορεῖν. i. preter id quod mollit & mitigat, uel. postquam emollierit & mitigauerit. nobis magis arridet hoc modo interpretari. ut sensus sit, tepidam generare caliditatem præter id quod mollit & mitigat, uel generare tepidam caliditatem postquam emollierit & mitigarit.

Cum uero hic à Galeno dicatur lini semen manifeste non calfacere neq́ emollire, eius natura considerata est, nam alibi Galenus id frigidum facere uidetur atq́ siccum, cum uero frigidū sit, neq́ maturare poterit, neq́ per halitum digerere. At cum sit siccum emollire non potest. etenim quæ emolliunt humiditatem quendam habere debent. Quod uero frigidum sit & siccum, deinceps à Galeno dicetur sectione. 113. ubi apertissimis uerbis inquit lini semen tum siccare, tum refrigerare. quod ex Hippocrate confirmari potest, qui in secundo de uictus ratione dicit lini semen si comedatur sistit, aliquatenusq́ refrigerat, cum sistat exiccantem habere naturam deprehenditur, cū aliquatenus refrigeret non est calidæ temperiei. nec mireris quòd Hippocrates dicat comedi, quia & Galenus in calce primi de alimentorum facultatibus dicit, quidam hoc tosto (de lini semine loquens) instar obsonij, non secus ac factitio sale cū garo utuntur, in usu est & melle conspersum. inserunt nōnulli & panibus quoq́, stomacho & cōcoctioni repugnat, tenuiter corpus alit, quod spectat ad deiectionem nec laudādum, perexiguam tamē uim mouendæ urinæ tenet, quę in tosto extat efficacior. idem aluum quoque magis sistit. rustici homines eo utunt̃ sæpenumero, fricto tusoq́ mel admiscentes. rustici faciebant ex lini semine copertas uocatas, quas nos ex nucibus paramus, ex auellanis, ex amygdalis, sicuti & Neapoli fiunt ex sesamo, ex quo & in præsentiarum per totam Gręciā conficitur, Pliniusq́ testis est fuisse in usu cibario lini semen, lib. 19. capite primo ubi de lini semine inquit inter medicamina huic uis, et in quodam rustico ac prædulci Italiæ transpadanæ cibo, sed iam pridem sacrorum tantum gratia.

Tamen ex alia parte pugnare uidetur Galeni sententia in hac parte, qui lini semē emollire dicit & calefacere. Præterea in. xi. Methodi ubi sermonē habet de lienis affectibus & aliarū partium. consulit in affecto membro considerandum esse, si calor superat, ut tumor, qui uel propter humoris abūdantiam, uel propter crassitudinem sit durus, si igitur calor præponderat, id agendum ut sensim per ea quæ tepentem calorem obtinent digeratur, quod genus est tum lini semen, tum chamæmalum. ut hinc facile colligi possit lini semen caliditatem habere tepidam, ut Galenus in hoc loco sibi conformis sit, cum inquit nō habere manifestam caliditatem, nam cum non adest manifesta caliditas, sed aliquod ratione calidum esse probatur & non sensu, id est in primo ordine calidū, & in. 8. de simplicium medicamētorum facultatibus dicit esse in primo ordine quodammodo calidum, ac humiditatis ac siccitatis quodāmodo in medio est situm, prius uero dixerat esum esse flatuosum etiam si frigatur, adeo sane recrementitia humiditate plenum est. Græci omnes post Galenum ad uerbum ferè à Galeno accepere. En Aetius inquit lini semen flatuosum est, etiam si torrefiat. ita ergo excrementosum erit, primoq́ ordine calefaciens, inter

humiditatem ſiccitatemq; medium, ſtomacho noxium, concoctu difficile, ſed urinam mouet, quam tamē Galenus perexigue moueri dicebat, & Paulus Aegineta eadem ſequens uerba inquit lini ſemen caliditatis primum ſortium eſt ordinem, humiditatis & ſiccitatis medium. Atqui comeſtum flatus generat etiam ſi frigatur in ſartagine, Oribaſius quoq; Sardianus libro ſecundo ubi de ſimplicium uirtute agit, lini ſemē inter illa enumerat quæ in primo ordine calida ſunt.

Habes ergo contradictionem in Galeno notatu dignam, imo & aliud addi poteſt, Galenum in octauo de ſimplicium medicamentorum facultatibus facere ipſum medium inter humidū & ſiccum, ſed prius dixiſſe eſſe plenum recrementitia humiditate & eſſe flatuoſum, certum uero eſt non poſſe eſſe flatuoſum, niſi partes habeat humidas, quæ in flatus reſolui poſſint, omnes etenim alij Græci. id fatentur quod partes habeat humidas, imo hoc ex Oribaſio confirmari poteſt libro ſecundo ubi de his loquitur quæ generant ſemen & libidinem mouent, inter alia enumerat lini ſemen, nullus uero ambigit illa quæ ſemen generant eſſe humida & calida, adde ex lini ſemine mucilaginem confici quæ fieri non poteſt niſi in re, ē qua ſumitur, ſit humiditas, quomodo igitur Galenus dicere potuit primo habere humiditatem excrementitiam, poſtea eſſe medium inter humida & ſicca.

Pro huius ambiguitatis ſolutione ſcire oportet lini ſemen eſſe calidū in primo ordine, hoc ſenſu percipi nō poteſt, ſed ratione probatur, quia maturat phlegmonas, maturari uero nō poteſt, niſi re caliditatem aliquam habente, ſed tepidam, ut Galenus notat prope calcem. xi. libri Methodi. propterea cum caliditas ſuperat in membro affecto uel ſit lien uel aliud membrum, cenſet fieri oportere uſum tepide calidorum, & enumerat inter hæc lini ſemen. quod & ſi tepidum ſit uel calidum in primo ordine, ad membri affecti caliditatem cōparatum frigidum eſt. tamen caliditatem habet coctioni conuenientem & digeſtioni per halitum, & ſi Galenus in ſectione. 113. huius libri dicat ſemen lini refrigerare, id dicit facta comparatione ad affectum cui exhibetur ſeminis lini farina, nam affectus eſt in quo uentrē inferiorem calidum habent, & acres ſubeunt deiectiones, & torminibus uexantur, comparatione facta farinæ ſeminis lini ad affectum, farina infrigidat, quia affectus eſt ualde calidus. Ad Hippocratem dicēdum, uel librum illum non eſſe Hippocratis, qui de ratione uictus inſcribitur, ſed uel Theſſali uel Herophili, ut putat Galenus. uel dicamus dixiſſe quodammodo refrigerare quia minus calidū eſt q̄ ſit humana caliditas natiua, Dicique poteſt eſſe in prima parte primi ordinis, nam & Galenus tertio de ſimplicium medica. facultatibus docet eſſe tepidum calore lini ſemen ut roſaceum, tamē ob ſuæ eſſentiæ craſſitudinem non paruo diſcrimine à roſaceo recedat, & in hoc quoq; loco docet oleum chamomelinum eſſe gratiſſimum, poſtea addit, quin & tale quoq; eſſe lini ſemē uetus ſermo prędicat. Nam & ipſum quoq; re uera quæ circa hypochondria ſunt uiſceribus gratum eſt, minus tamen chamæmalo, quippe cum & minus calidum ſit ut eſt dictum, & præterea eſſentiæ craſſæ, unde lini ſemen (ſi chamæmalum ſit calidum in primo ordine ſecundū Galenum) erit minus calidum primo ordine intenſo, & erit prope teporem. & in capite. x. eiuſdem libri infertur uidetur, quod ſit temperatum, tamen calidū eſſe monet uel frigidum ſecundum temperaturas & ſecundum morbos quibus afficimur. ut habeatur ſuperiorem ſolutionem fuiſſe Galenicam, ut ratione morbi refrigeret. & ratione temperaturæ calidæ, imo ratione natiui noſtri caloris uidetur quodāmodo frigidum, quia ad ſenſum non calefacit.

Ad id modo, quod à Galeno deinceps dicitur lini ſemen exiccare, ſi uero exiccabit, quomodo emolliet? præſertim quia Galenus in quinto de ſimplicium medicamentorum facultatibus capite tertio dicit emollientia eſſe calida & humida, unde quarto eiuſdem libri capite dicit, quin & ipſam cutē noſtram, aut muſculum, aut partem aliquam quamlibet cum induratam dicimus cum naturali eius ſtatu aduentitium affectum conferentes ita nominamus, ſanè corporum hoc pacto affectorum, ad ſtatum naturalem reditus emollitio eſt. hæc autem fit potiſſimum calido & humido. Nota uero in lini ſemine duas eſſe partes, unam craſſiuſculā oleagineam ex qua fit oleum & hæc eſt humida craſſa. & ob hoc dicebat ſemen lini habere excrementitiā humiditatem, & hæc eſt qua mucilago conficitur, ſecundum hanc partem humiditatem habet quæ emollire poteſt, & ob hanc Galenus dixit emollire, deinceps uero dicet exiccare, quia de reliqua ſeminis lini ſubſtantia loquetur, uel quia in illis torminibus flatus adſunt qui exiccantur, & ipſorum ratione ſic cum dicitur, pari modo cum antiqui lini ſemine frixo & toſto uterentur, in eo caſu erat ſiccum, Hippocrates forte in libro de ratione uictus ita intellexit, exiccare. ſ. quando toſtum editur, & ſecundum caliditatem illum tepidam & humiditatem ad ueſicæ uitia conuenit & ad renum dolores, unde & Trallianus libro tertio, capite. 36. docet ueſicæ, renumq; doloribus eximia conferre, Pulueris ſeminis lini denarium pondo duum, ut in ſumma inferatur lini ſemen eſſe calidum in primo ordine remiſſo, & humidum humiditate quadā ſuperflua & oleaginea. In ſe uero temperatum in qualitatibus paſſiuis. At in Dioſcoride ambiguitas quædam contingit de lini ſemine, quippe qui dicat lini ſemen eandem fœnogræco uim habere, ſed hoc abſurdum uidetur: cum Galenus in. 9. de ſimplicium medica. facultatibus fœnugræcum calidum in ſecundo ordine faciat, & ſiccum in primo, lini uero ſemen calidum in primo, & temperatum in paſſiuis. tamen habere humiditatem redūdātem, & capite. 9. quinti de ſimplicium medicamentorum facultatibus libri inquit quòd calefacit. Reſpondemus Dioſcoridem non intelligere quòd eandē uim habeat in qualitatibus primis, ſed in hoc ſolum, quia ambo ſunt emollientia & diſcutientia.

De compoſitione uero, quam Hippocrates hic ponit ex aqua oleo, & lini ſemine cocto, ſcito, Galenus in calce noni capitis octaui libri de compoſitione medicamentorum ſecūdum locos, de cataplaſmatibus hepaticis loquens, cataplaſma facit ex lini ſemine trito cum melle ſubacto quod forte ob mellis caliditatem non conueniret quæ in ſecundo ordine eſt. Dioſcorides ad omnem inflāmationem intus foriſq; ponit hoc cataplaſma diſcutiēs & emolliens, quando melle & oleo in exigua aqua decoctum fuerit, hic uero ob caliditatem huius libri author mel nō apponit, tamen cum Galenus ſupponat eſſe inflāmationem ex craſſo & glutinoſo humore, poterit & mel apponi. At huius authoris compoſitionem contemplemur, primo lini ſemen appoſuit, de cuius tempore dictū eſt, aquā & oleum addēda iubet, in quibus coquatur, uerū aqua & oleum ſimul miſta, quando calida ſunt, calefaciunt & humectant, iccirco Gale. 5. de ſimpliciū medica. facultatibus capite. 5. dicit oleum & aquā calidā humectare ſimul & excalfacere, quod ſi ambo in unū miſceaſ, (ut in cōpoſitione ſupradicta) multo magis tū excalfaciet, tū humectabit, quod ex ipſis erit miſtū. ſicuti aquæ potabilis balnea. cum oleo copioſo exhita, & nono capite eiuſdem quinti libri notat ad puris generationem aptiſſimam eſſe aquam tēperatā, aut cui oleū miſtū eſt, quod Græci hydrelæum uocant. Scire oportet nos per hypochōdria tēſa, hepar potiſſimum intelligere, & lienē. uerū in liene curādo & iecore non eſt ita temere procedēdum, nā Galenus in calce. xi. Methodi de liene docet nō eſſe abſolute pronunciādum, quia ſi æger ex his ſit qui atræ bilis excremētum naturaliter cōgerat, uel etiam eo tempore ſuccus is eo abundet, neceſſe eſt in liene curando adſtringentia reliquis admiſceas, quo uiſceris robur cuſtodias, nam ita & excrementa ad ſe trahet, & cum corpus expurgans ipſe rurſus per uentriculum excernet, unde in hoc caſu huius authoris neceſſe eſt intelligere in hoc membro non eſſe atram bilem, & adde calorem præponderare. quia ut dicit, ſi nullum ſit atræ bilis excrementum, aut omnino adſtringendum nō eſt, aut parciſſime, pari modo iecur ſuis in medicamentis ſemper recipere debet adſtringentia, ut uiſceris robur ſeruetur, & natura, quæ ex ſe & mollis & fluxa eſt, imo in hoc caſu in liene Galenus, quando humor fuerit craſſus & lentus, addit acetum, &

iubet

iubet ut amara medicamenta immisceantur, unde cataplasma facit ex oxymelite, absinthio, & cappari, in summa igitur nõ debet esse relaxantium usus nisi purgatis superfluis, additque in omnibus membris post purgationem nos uti posse relaxantibus, in iocinore uero & uentriculo additis etiam quæ mediocriter adstringant, in pectore parcius adstringendum, ne humores qui phlegmonem excitant, in pulmones & cor nõnũquam reprimantur, ut dici possit, huius libri authorem hoc uti cataplasmate post euacuationem & purgationem, q̃uis nullam fecerit de purgatione mentionem, sed subintelligendam censuit. Vniuersalem regulam quam Galenus ponit considerato, omnem phlegmonem indigere & emollitione, & caliditate parua, de emollitione constant, quia phlegmone tumor est dolens durus calidus, indigere uero tenui caliditate & parua cõstat, quia maturatione indiget, quæ à tali fit caliditate.

## Hippocrates. Sectio L.

Coniectura autem colligere oportet ex urinis quidnam futurum sit. Nempe crassiores pallidioresque meliores. tenuiores uero & nigriores perniciosæ magis.

**BRASAVOLVS.** Inter alias medici actiones, quę illum & præstantem & famigerabilem reddunt, est recte prædicere quæ futura sunt, de sanitate & ægritudine, an æger superuiuere debeat, an mori, hoc autem ex urinis percipi potest, non quidem ex urinis, quin & alia indicia adiuuent, sed quia illæ plurimum conferunt, unde quid de ægro futurum sit an superuiuere debeat, an mori per coniecturam ex urinis discere conuenit, nã urinæ crassiores & pallidiores meliores sunt, & significant ægrum superuicturum, tenuiores autem & nigriores sunt perniciosæ magis, his igitur apparentibus proculdubio mors ęgri prædicẽda est modo non sint per iudicationem factæ in morbis atrabilarijs, tamen & in his sunt crassę & non tenues.

τεκμαίρεσθαι δ' ἐκ τῶν οὔρων τὸ μέλλον ἔσεσθαι.i. coniectura autem colligere oportet ex urinis quidnam futurum sit. non omnia ex urinis cognoscuntur, ut Galenus inquit, sed de uita tãtum & morte quid futurum sit, & hoc fit per coniecturam ex urinis & ex earum substantia & ex colore.

ἢν μὲν γὰρ παχύτερα καὶ ὠχρότερα ᾖ, βελτίω.i. nempe si crassiores & pallidiores sint, meliores. uocabulum ὠχρὸν pallidum quidem significat, sed tale quod in luteum inclinet censet Galenus crassiores intelligendas esse respectu tenuiorum, & non respectu naturalium, nam hæ crassiores erunt, secundum Galenum naturales. Tamen & semper crassiores urinæ sunt minus malæ tenuioribus, & nos potius eligemus curare ęgros crassas habentes urinas supra mediocritatẽ, q̃ habentes tenues citra mediocritatem. intelligimus uero crassitudinem quo ad substantiam & quo ad contenta, nam urinæ illæ sunt prauæ quæ cõsistentiam habent tenuem & contenta crassa, uel quæ habent consistentiam crassam & cõtenta tenuia, uel hic intellige crassas urinas uelut Galenus.i. mediocres, quæ sunt crassæ respectu tenuium, uel etiam crassas supra mediocritatem, sed tam in substantia q̃ in contentis crassitiem habentes, & potissimum quando sunt coloris lutei.

Actuarius libro secũdo de iudicijs urinarum capite primo in deoppilationibus crassas spectari urinas dicit, perinde ac si natura expelleret meatuum amplitudine ciente, non solum concoctas superfluitates, uerum etiam eas quæ non bene concoctæ sunt, inferetq; crassam urinam aut humoris abũdantiam significare, aut corporis superficiei spissationẽ ob frigus factam, aut cõcoctionis principium, ueluti in quibusdam fit ęgritudinibus cum præcessit tenuis urina, in hoc casu huius authoris, hæ forte intelligendæ sunt. In primo autem de caussis urinarum libro, idem Actuarius dicit crassas urinas indicare pugnam quãdam naturæ atq; certamen ueluti nitentis ut materiæ dominetur, atq; iamiam forte dominantis, si nõ apparuerint in urinis substantiæ uehementer crassæ, & in illo loco infert urinas crassas semper fuisse signa humorum quorumcũq; alio pacto implentium uentrem & intestina atq; hepatis partes cauas, & idẽ Actuarius libro primo de præuidentijs ex urinis capite. 14. docet crassas urinas si in febre spectentur, ubi tenues præfuerant, demonstrare statim declinationem futuram, quia natura uidet superasse materiam, atq; tum incipere illam cõcoquere. At si cum accessu febris sint urinę crudæ, quæ processu temporis nõ desinant crassescere, sed potius crassitudini addant prædicendum uirtutis imbecillitatem, & multitudinem materiæ nõ paruam, & periculum esse uitæ, hæc indicare possunt urinæ crassæ, tamen hæ de quibus nunc loquitur author colorem bonũ, luteum.s. habere uidentur, qui semper coctionem significat hic autem color, qui ὠχρὸν uocatur, ab aliquibus fuluus, ab alijs aureus dictus est, sunt uero aureæ & fuluę urinæ colore optimæ, nam ut Actuarius docet capite. 14. primi libri de urinarũ iudicijs. Aurea intensionem quandam caliditatis præter naturam ostendit, & potius significat caliditatis intensionem p materię quantitatem, q̃ per materiæ defectum. tamen & aurea apparet ob multorum ciborum & acutarum medicinarum oblationem, & ob sanguinis ebullitionem ob iram. item ob temperaturam quandam uergentem ad calidum in uisceribus. Accidit quoq; ob effectum quendam similem anni. quid per hunc effectum intelligere uoluerit, nescimus, nisi de effectu intelligat qui in folijs fit eo anni tempore, quo decidunt, & luteæ ac aurei coloris euadunt, in libro de caussis urinarum primo capite. 5. censet aureum colorem ostendere humorem bileum, aut quantitate aut qualitate intensum processisse eo. ut coloratior, atq; acutior esset, in primo autem de præuidentijs ex urinis capite quinto docet aureas urinas ob maiores occasiones apparere in senibus & mulieribus ob minores iuuenibus, ætate florenti, p̃dicẽdæ igitur bilis & in senibus & mulieribus copiosior & magis accensa. Tamen per ochram urinam nõ quidem auream intelligere possemus, sed colore minus intenso q̃ aurea, & ita melior erit, ab Actuario spicea uocatur, & nõnunquam subaurea, bonum est esse meliorem colorem q̃ sint uel albi uel nigri uel crocei, uel rubri, uel uirides in urinis.

ἢν δὲ λεπτότερα καὶ μελάντερα πονηρότερα.i. si uero tenuiores, et nigriores pniciosę magis, nã tenuitas ut Gal. docet, ac Actuarius, ut superius uisum est, cruditatem significat, & Actuarius libro primo de iudicijs urinarum capite. 20. inquit. quin etiam urina summe nigra interdũ est signũ caliditatis ad extremũ pfectæ, p̃sertim ubi uiridis urina p̃cesserit, aut aliqua ei proxima, interdum significat extremã frigiditatem. cognoscitur uero hoc modo, quando liuida & ueneta nigredinem præcedunt, frigiditatem significat. Notãdum uero est urinas nigras in affectibus atrabilarijs celerrimam solutionem significare, & pharmaca nõnunq̃ nigras urinas efficiunt. De qua re casum refert præcitato loco Actuarius, & nos plerunque nigras inspectamus ex epota cassia, & ualde luteas ex epoto rhabarbaro, tamen hę urinæ in morbis acutis pessimæ sunt, & mortis prenuncię, unde in primo de præuidentijs urinarum capite. x. scriptum est. Cum præcesserint quartanæ, uel melancholia, uel lien tumefactus, urinæ nigræ solutionẽ arguũt memoratarum passionum. At si à summa caliditate uel frigiditate sint factæ, pessimę sunt, quia hæ qualitates, cum ad summum terminum excreuerint, corporis compaginem soluere consueuerunt, uirtute naturali minus substinente immensitatem, & ideo in febre mediocri si nigræ appareant urinæ diebus non iudicatorijs, uirtusq; ualida fuerit, mortem minari prædicendũ iubet. quòd si febris fuerit acuta, tamẽ mors expectanda est, maxime si iudiciaria dies fuerit indicans, sunt ergo tenuiores, & nigriores perniciosiores, quando morbum non sequantur ex atra bile factum.

**GALENVS.** Non quicquid futurum ex urinis docet, sed uel salutem uel mortem. Salutem indicãt crassiores & pallidiores. Crassiores autem dixit tenuibus & non naturalibus cõparans, ut & paulo ante intelligere uoluit. Neq; enim crassas, neq; tenues, quæ secũdum naturam habẽt dixeris, si recte uolueris interpretari.

Porro tenues,& nigræ, deterrimę sunt. A tenuibus siquidem solis,morbi cruditas indicatur. Nam quod exacte tenue est,id aquosum est,quapropter & album. Sed prænotiones ex urinis, in commentarijs prognostici dictæ sunt.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat non docere ex urinis quicquid futurū sit,sed uel salutem uel mortem,& nihil aliud.

Secūdo notat crassiores & pallidiores urinas salutem indicare. Dixit uero crassiores, illas tenuibus comparans,& non naturalibus,ut uoluit etiam paulo ante intelligere sectione.43.ubi dicebat quibus principio urinæ, & nebulosæ & crassæ existunt, Galenus exponebat per crassas mediocres,quæ sunt crassę ad tenues comparatæ,in hoc igitur loco per crassas naturales intelligit,uerūtamen est,quod si recte interpretari uolueris quæ secundū naturā existunt,neq; crassæ, neq; tenues dici possunt. Tertio Galenus notat tenues ac nigras deterrimas esse,quæ ratione qua tenues morbi cruditatem significant.id probatur,quia quod exacte tenue est,id aquosum est, & præterea album. At hoc in loco de prædictionibus ex urinis nihil dicēdum est,cum in commentarijs libri prognosticorum dictæ iam sint.

## Hippocrates. Sectio LI.

Si autem mutationes habent , tempus indicant ,morbusque de necessitate modo ad peius, modo ad melius permutat inęqualitatem.

BRASAVOLVS. De urinis adhuc prosequit̃, nam cum de crassis & pallidis, tenuibus & nigris locutus esset, de uarijs & incōstantibus nūc agit,si enim mutationes urinæ habeant,& eūdem non seruent colorem,neq; eādem substātiam,ęgritudinem longā fore significant,quæ & erit inæqualis,ut modo ad peius modo ad melius homo uertatur.

ἢν δὲ μεταβολὰς ἔχῃ.i.si uero mutationes habet urina.s.ut uaria sit,quandoq; crassa quādoq; tenuis,quādoq; unius coloris,quandoq; alterius,hæ mutationes ab alio fieri nō possunt, q̃ ab humorū qui in corpore sunt diuersitate , cūq; diuersi sint humores,longo indigent tēpore ad coctionē. propterea ait

χρόνον τε σημαίνει.i.& tēpus significāt. per tempus intellige temporis lōgitudinē, quæ ab urinarū uarietate significat̃, quoniam & uarietas quæ in humoribus est,ostēdit̃,qui & inæqualem & uariam faciunt ipsam ægritudinem.

καὶ ἀνάγκη τῷ νοσήματι μεταβάλλειν καὶ ἐπὶ τὸ χεῖρον, καὶ ἐπὶ τὰ βελτίω τὴν ἀνωμαλίην.i.morbusq; de necessitate mō ad peius,modo ad melius permutat inæqualitatem , hic morbus, in quo urinæ sunt uariæ,est inęqualis,et modo auget̃ modo minuitur.ut augent̃ ac minuunt̃ accessiones quæ in illis fiunt,diuersis humoribus,q inæqualitatē faciunt in ipso morbo,in hoc enim casu plerūq; uidet̃ superuenire augmētū, et redit principiū, quia alia mā minus apta q̃ prima , post primæ motū cōmouet̃.

GALENVS. Nempe si id & in laborātibus obseruaueris,uere hominem ex urinarum uarietate in longius decidere tēpus reperies,atque medias incurrere permutationes. Plures nanq; significant̃ affectiones quæ non eadem egent curatione , neque ęqualem habent solutionis præfinitionem.

BRASAVOLVS. Galenus notat si id in ægritudinibus obseruare uolueris,uere cognosces & experimento cōprobabis, homines ex urinarū uarietate in longius protrahi tempus.& uarias ac multas incurrere permutationes,nam ex urinarum uarietate plures affectiones significantur quæ eadem curatione nō egent,neq; æqualiter finiunt,sed una citius,alia tardius,ut materiæ natura exigit, quæ morbum facit.

## Hippocrates. Sectio LII.

Incōstantes febres donec cōstent sinere oportet, ubi autē constiterūt, uictu & curatione conuenienti pugnabis, quod naturale est cōtēplatus.

BRASAVOLVS. Nunc ex febribus grauibus & implacidis ad febres inconstantes sermonē uertit,ut ostēdat quonam modo in incōstantibus febribus medicū se gerere oporteat. Sinēdæ inquit sunt inconstantes febres,donec constiterint & ordinē habuerint.at cū ad hāc constātiam & ordinē peruenerint,tūc et uictu cōuenienti,& conuenienti curatione pugnabis, simulq; quod naturale est cōtemplari debes,nā natura cōsiderata,facilius ordinē dare poteris & modum uictui ac curationi.hæc uero pars potest cū præcedente sententia hoc modo complicari, ut dicamus, cum edocuerit urinarū uarietatem lōgum ægritudinis tēpus significare,& simul morbū uel febrē eē inæqualē, nunc de illa inconstanti agit febre,ostendens quomodo curari debeat.

τοὺς δὲ ἀκαταστάτους τῶν πυρετῶν ἐᾶν μέχρις ἂν στῶσι.i. incoustātes febres sinere oportet,donec cōstēt.febres illæ quæ ordine carēt nō sunt medicādæ,sed sinēdæ quoad constātiam & ordinem enāciscantur,tunc enim curationē cōstanter moliri possumus,quæ & ipsa prius erat inconstans.

ὁκόταν δὲ στῶσιν ἀπαντῆσαι διαίτῃ καὶ θεραπείῃ τῇ προσηκούσῃ.i.ubi autē cōstiterunt , uictu & curatione conuenienti pugnabis.hoc est quādo ordinē habebunt, tunc & uictus instituēdus est,& conueniens adhibenda curatio,quæ illi febris generi conueniat.

κατὰ φύσιν θεωρέων.i.secūdum naturā cōtemplatus,hoc uel de natura ægrotantis intelligi debet,quæ sit cōsiderāda,uel de ipsius morbi natura,secūdum quā uictum & curationem instituere debeat,utrūq; uerum est,nam hæc omnia consideranda sunt,& ægri natura,& morbi natura,& medicamentorum natura,& eduliorum natura,si recte omnia applicanda sint,ut febri contrapugnent.

Per febrem incōstantem, Galenus illam exponit,quæ exacte unam febris formā nō seruat,febris uero forma seruari cognoscit̃,& ex periodis,& ex urinis. cū igit̃ accessionū principia nullū habebūt ordinem erit incōstans febris,& cum urinæ similitudinem non seruant,sed cum interdiu & noctu ter aut quater mingere contingat,omnes sunt dissimiles & diuersæ.

At dices priusq̃ hæ febres sint redditæ cōstantes quid agere oportet medicum? debetne absq; cibis ægrum permittere? si hoc fatearis.absurdū est,quia incōstantia per aliquot dies perseuerare posset. Respōdemus nō posse ægrū absq; cibis dimitti.sed tenui uictu seruādus est,quoad morbi genus noueris.at dices statim cognosci morbi genus,quia febris erratica & incōstans. Respondemus cognosci quidem in principio ut inconstans est,præsertim primis tribus diebus, sed ut inconstans uictus ratio ordinari nō potest , propterea tenui uictu regendus est ne obeat,quoad in ordinatā uenerit cōstātiam. Sed dices inconstātes quādoq; per menses uagari. Respōdemus in his augendos esse cibos,cum in secunda uel tertia periodo non fiunt constantes,sed absq; constantia perseuerant.

Forte petes an erraticę uocatæ febres sint hæ incōstantes. Respondemus erraticas omnino incōstantes esse , & incōstantes erraticas. propterea illa omnia quę de erraticis dicuntur,inconstātibus conuenire certum est. in definitionibus medicis Galeno adscriptis errabundæ febres uocantur quæ nō præfinitæ, nec recto ordine,sed in certo statu proueniūt: incertitudo uero secundum Galenum in hoc loco est quo ad tempus particularis accessionis,& etiam quoad urinas incertas & inconstantes quæ eūdem morē non seruāt unde nescitur an tertianæ sint,an quartanæ,an quotidianæ,an in aliquo determinato genere, an continuę an intermittentes , an tali hora superuenire debeant, an non superuenire. Verūtamen ut de his febribus exquisitius loquamur,earū curationē in ordinē disponere decreuimus.

### De febrium inconstantium uel erraticarū curatione.

Inconstantes febres,quas Latini erraticas,Græci planetas uocant,ex diuersis necessario fiunt humoribus, unde Galenus in secundo cōmentario in primum epidemiorum sectione.22.inquit: Errantes diuersorum humorum soboles esse ostēsæ sunt, & habent principia accessionum inordinata.& ideo in secundo de crisibus ad dimidias libri partes antiquos reprehendit qui

qui cum uiderent in erraticis fieri inordinata principia, & in semitertianis multas suppressiones, iccirco cum febres incidant, in quibus non inueniant compositionem, illas semper uocant semitertianas uel erraticas. ut autem ad erraticas breui descendamus, scito nonnullus esse exquisite erraticas alias uero non exquisitas, erraticæ fiunt ex omnibus humoribus simul peccantibus in uno loco, unde simul erūt bilis, pituita, & atrabilis, quę putrefacta ad unam formam non miscentur, sed unusquisque humor in sua propria manet forma, uel si non sint omnes simul humores, duo sint, ut bilis & pituita, bilis & atrabilis, pituita & atrabilis, quandoq; unus ex his mouetur, quandoque alius, itaq; diuersa faciunt absq; ordine principia, ex multis uero fieri humoribus primo ad Glauconem habetur, & in aphorismo. 22, tertij libri, ubi Hippocrates dicit in autumno fieri febres erraticas, Galenus in cōmento dicit, & erraticæ febres in autumno propter temperaturæ inæqualitatem. uocantur autem erraticæ, quæ interminatos habent circuitus, quod & nomen manifestat, fiunt & ob subiectam materiam, quæ est diuersorum humorum, ut & ipsemet ostēdat esse diuersos humores, qui erraticam febrem faciunt. Duo igitur in autumno concurrunt, & temperaturæ autumni inæqualitas, quæ inæquales & diuersos parit humores, qui & inæquales & diuersos pariunt morbos, hæcque proprie est erratica febris, modo hæ materiæ diuersæ in uno sint loco, quia diuersis horis mouentur, & una aliam impellit ac excitat, sed cum sint diuersarum naturarum materiæ, una suam periodum facit, deinde alia absq; ullo ordine, inexquisitæ uero erraticę sunt, quę à diuersis fiunt materiebus, in diuersis locis corporis sitæ, erraticæ uocantur, quia ordinem seruare non uidentur, tamē quęlibet materia in suo loco, suum ordinem seruat. hæc uero potius nūcupari debet febris composita ex pluribus febribus. At dices & illam habere ordinem, quando sunt multæ materiæ in una minera, nam quælibet materia suum facit ordinem. Respondemus nullum habere ordinem, quia una materia aliam incitat ad putredinem, itaq; non seruant ordinem materierum. At materiæ in suis mineris positæ, suum ordinem seruant, & una aliam non impedit neq; excitat. Scito uero ut plurimū has erraticas à materiebus fieri crassis & frigidis, q̄uis & ex calidis etiam simul fieri non negatur. Notandumq; est aliquas esse febres compositas, quæ tamen non sunt erraticæ, & compositio secundū omnes humores potest esse diuersa, unde possunt & tertianæ & quartanæ, simul misceri, & tertianæ & quotidianæ, & quartanæ & quotidianæ, & tertianæ quartanæ ac quotidianæ simul iungentur, tamen non erunt erraticę nuncupandæ. Scito & alias esse febres ordine carentes ab erraticis, unde Galenus prope finem secundi libri de differentijs febrium, de his febribus loquitur quæ ordine carent, & dicit eas fieri uel ex transmutatione humoris, uel ob uictus errorem, notatq; maxime transmutari sanguinem, nam ut docuit, pars una sanguinis, flaua bilis euadit, altera atra bilis, & quantum mutantur humores in corpore ægrotantium, tantum etiam accessionum circuitus. Ideo non mirum si in his mutationibus ordo accessionum euariet. Addit & aliam uarietatis causam, quod humor qui putrescere incipit, in aliquo consistit membro, alter uero ex alijs defluit partibus, qui uel in ipsis solis continebatur, uel in uniuerso animalis corpore redundabat. Docet deinceps errata circa uictus rationem, circuituum ordinem euariare, nā sicuti & sanis uictus deprauatus occasionem dat ęgrotandi, ita & magis in ægrotantibus ex erroribus admissis fiunt accessiones, unde facto errore effatu digno, oportet uel circuitus anticipare, uel alias diuersæ materiæ periodos fieri à quibus accessionum ordo peruertitur, idq; notat eo loco Galenus, sæpius ob circuituum cōplicationem quæ à medicis ignoratur, uidenť absque ordine accessiones in ægrotantibus fieri, sed res ita non habet quemadmodum uidetur, nam tunc uere ordo euariatur, quando qui febrem faciunt humores in alteram naturam trāsierint, aut in uictu errare contigerit. hæ igitur sunt febres ita à Galeno numeratę, tamen non sunt erraticæ, q̄uis ordine careant, quia ut dictum est, erraticæ potius fiūt ob complicationē simul plurium humorum in uno loco, qui putrescant, & quemadmodū sunt naturarum uariarum, ita uarias accessiones faciunt, quæ nullum ordinem seruant.

Hoc anno. 1543. in autūno infinitæ ferè fuere erraticæ febres, quæ deniq; in quartanam desiere, uel in duas quartanas, scitoq; has erraticas febres ut plurimum sequi febres longas nō intermittentes, & febres cōpositas, ad quas erraticas sæpe sequunť quartanæ, iccirco Galenus in primo de arte curatiua ad Glauconē, ubi titulus est signa febrium intermittentiū inquit, quartana itaque eas quæ errabundæ aut erraticę dicuntur insequitur, unde & Hippocrates. 3. prognosticorum sectione. 23. ubi de longa febre sermonem habet. primo dicit in abscessus finire, postea sectione. 27. inquit oportet talem expectari abscessum per febrem continuam, in quartanam uero discessuram quoties intermittat prehendatq; errabilem modū, atq; ita agendo autumno appropinquet, imo in sectione. 28. ætates ponit in quibus fiant potius abscessus, & in quibus quartanæ inquiens quēadmodum in minoribus natu trigesimum agentibus annū abscessus consistūt, ita quartanæ potius annum agētibus quadragesimū, aut etiam senioribus accidunt. Ex his uero notari potest febrem erraticam ut plurimū esse intermittentem, & ut plurimum in autūno fieri & ad illam sequi quartanas.

Potest & ex Galeno alter erraticarum febriū modus ex uno solum humore colligi id uero est tertio prognosticorum sectione. 27. ubi docet febres longas uerti ad abscessus si continuæ sunt, si uero intermittentes & erraticæ uertūtur in quartanam, & rationem reddit, quia feruens humor æstiuo tempore per febres continuas, cum desinit in atrabilem quodāmodo restinctus est, proindeq; calore febrili æger uendicatur, & maxime quoties sudores eliciuntur, sed si non antea natura quodāmodo excernat ueluti cinerē uehemēter assatorū humorū, hic rursus permanens in corpore, & calefactus, putrem quādā recipit affectionem, & hic quoties ferueat, excitat febrem, à quo rursus eueniente sudore pariter cum eo feruor atræ bilis euanuit, tum autem rursus aliæ reliquiæ feruentes, rursus aliam excitāt febrem, quippe quod nondū unam habeat circa corpus affectionem, sed cū atra bilis in quibusdam partibus insuper moueatur, in quibusdam immota maneat, in alijs putreat, aut feruere incipiat, inordinatas fieri febres necesse est. At uero quoties in cūctis uenis eadem fiat affectio, ex superante atra bile quartana cōsistit febris, præsertim cum æstas in autūnum conuertitur. ut hinc colligi possit ex sola atra bile fieri inordinatas febres, tamen hæ non sunt ueræ erraticæ, quæ ab uno solo fiūt humore, imo nos possemus quācunq; aliam crassæ materiæ massam, quæ tenuiores partes simul haberet, quarū una prius alia posterius moueretur, in quibus febris esset accensa, erraticā febrem nominare. Neq; istud silentio prætereundū est, colligi in. x. ad Almansorē, erraticas fieri febres, ex abscessu intrinseco in membro à corde remoto, neq; sit nobile membrum, sed abiectū, nam ab hoc abscessu putridi uapores eleuātur, qui perpetuo nō eleuantur, neq; possunt ad cor usq; peruenire ut febrē faciāt, nōnunq̄ uero satis sunt ut ad cor perueniāt, nōnunq̄ non sunt satis, & hoc absq; ordine, propterea febrem faciūt, quæ erratica est, & præter ordinem. Tamē & si hæc febris erratica dici possit quia ordinē non seruat, tamen à diuersis non fit humoribus ut erraticæ fiunt, id Galenus notat in. 3. aphorismorum, ubi Hippocrates de autūni morbis agit. Tamē hęc febris ex abscessu cognoscitur, quem in aliquo loco esse cernimus, & ex inordinatione. Eam uero curatio est p curationē abscessus, & si febris caliditas permaneat abscessu remoto illam alterantibus ad frigidum extinguemus.

Si uero petas quibus indicijs hæ erraticæ febres cognoscātur, profecto alia signa adducēda nō esse putamus p̄ter febriū incōstantiam, & quòd nullius speciei febris indicia habet, sed mire decipiuntur recentes, qui uolunt erraticas febres fieri absque rigore, frigore, & horripilatione, imo & cum his fiunt, & plerunque adeo frigescunt, ut tertianæ frigus imitari uideātur

quandoq; quartanæ frigus, præsertim cum ad locum in quo illa materia corrupta est, quæ febrem facit, alia materia decurrit eiusdem generis, cum una illius portione, quæ in minera corruptionis est.

Volunt & recentiores quidam inter huius febris indicia esse urinam discoloratam, tenuem, quæ atram bilem ostendit, sed hæc urina in illa forte est erratica, quæ in quartanam transire debet, in illa uero quæ in se finire debet, necessaria non est. fatebimur tñ utplurimum à materia crassa fieri has febres, & in illis plerunq; apparere urinas crassas, & hoc potissimum cum aliquid ex materia crassa decidere incipit, cum nihil deciditur urina est tenuis. Sed hæc sit generalis regula de urinis in erraticis, ut febres ipsæ nullum habent ordinem (nisi quispiam dixerit in inordinatione adesse ordinem) ita nec urinæ ordinem habent in substantia uel colore, sed modo tenues sunt, modo crassæ, modo albæ, modo rubræ, modo lucæ, itaq; colores uariãt, id experientia ac sensu manifestissime deprehenditur autumni tempore in erraticis, nempe nullus uidetur seruari in urinis ordo. De erraticarum uero curatione scire oportet materiam primo coquendam esse, his quæ aperiunt, dissoluunt, incidunt, attenuãt, & materiam à materia separant. iccirco is qui sequitur syrupus præbendus, nam utplurimum sunt materiæ crassæ, & solent in atrabilariam febrem desinere.

℞ Syrupi de radicibus,
Oxymelitis simplicis, singulorum unc. j.

Aquarũ decoctionis Polypodij,
Rosarum,
Epithymi,
Anisorum,
Fœniculorum,
Fumi terræ, singulorum unc. iiij.
Misceantur.

Vbi deprehenderis bilis copiam adesse, loco huius decoctionis adde

Aquæ cicorei unc. iij.
Capillorum ueneris unc. j.
Misceantur.

Coctione facta, catharticum præbeatur medicamentum, quod uim habeat omnes humores educendi, & potissimum crassos. Plures profecto sunt pilularum compositiones, quæ omnes humores educunt, & aliorum generum medicamentorum apud pharmacopolas, sed inter alia hoc multis præferri debet.

℞ Diacatholiconis unc. j.
Diaphiniconis ʒ. ij.
Infusionis senæ unc. iiij.
Misceantur.

Pari modo hæ pilulæ magnopere ualent.

℞ Pilularum aurearum scrup. ij.
De lapide lazuli scrup. j.
Misceantur, & fiant pilulæ quinque uel tres.

Tamen egregius medicus ad unguem contemplari debet, quinam humor copiosius dominetur, illumq; particulariter euacuare, quoniam non est satis ille syruporum ordo, sed ad incidentes magis accedẽdum est, iccirco & oxymelite composito & oxymelite scillitico nos uti necesse est, & decoctis ex calidioribus herbis, quibus Galenus utebatur. hæcq; de hac erratica febre satis sint. tamen si huius libri author genus aliud febris intellexit per inconstantem, quàm erraticam, illam curato, ut ipse dicit.

Febres inconstantes dixit, in quibus nihil καθεστηκός, id est constans, quietumq; existit: quod significat τὸ βέβαιον, id est certum compertumq;. Sunt autem certa quæ in periodis & urinis apparent. Sed periodi principium nõ ostendunt primis diebus: urinæ uero superueniunt aliàs aliæ, & sæpenumero ter quaterq; interdiu & noctu meiere contingit: dissimilesq; inter se apparent urinæ. Formam ergo talis febris inconstantem esse ait, quod idem est perinde atque diceres, non exacte formam unam seruantem. Exposui tibi exactas febrium formas, & in cõmentariis de febrium differentiis, & in secundo iudicationũ libro. In huiusmodi itaq; febribus nõ in principio uictu uti præcipit: sed sinere donec qualisnam sit febris cognoscamus, & tunc uictus formam præfinire. GALENVS.

Primo, Galenus notat hunc authorem uocasse febres incõstantes illas, in quibus nihil καθεστηκὸς, i. constans & quietum existit, & hoc significatur per illam particulam τὸ βέβαιον, i. certum compertumq;. BRASAVOLVS.

Et si petas, quæ sint certa. Respondet, illa quæ in periodis & urinis apparent. At periodi principium non ostendunt diebus primis, uerum cum urinæ superueniant aliàs aliæ, & sæpe cõtingat ægrum ter quaterq; inter diem & noctem mingere, & dissimiles inter se appareant, sunt inconstantes, & ideo author uocauit formam talis febris inconstantem, quod idem est ac si dixisset, febrem non habere unam formam exactam.

Vbi legitur, sed periodi principium non ostendunt primis diebus, græce est ἔστι δὲ καὶ ταῖς ἀκριβωμέναις ἰδέαις τῶν πυρετῶν, αἱ μὲν οὖν περίοδοι τὴν ἀρχὴν οὐδὲ φαίνονται ταῖς πρώταις ἡμέραις. i. amplius uero, & in certis febrium speciebus periodi quidem primis diebus principium non ostendunt, nisi ita legamus sensus uidetur imperfectus: sed si legamus ut facit contextus græcus, palàm est argumentari à maiori ad minus. S. febres certæ quoniam non habent periodum, quæ ostẽdat speciei morbi principium primis diebus, propterea non mirum si in inconstantibus febribus nihil sit certũ. hoc autem uoluisse Galenum uerba quæ sequuntur ostendunt, ubi monet nos in initiis uictu uti non debere, sed sinendum donec qualisnam sit febris cognoscamus.

Secũdo, Galenus notat se exposuisse exactas febrium formas, & in cõmentariis de febrium differẽtiis, & in. 2. iudicationum libro. in his igitur febribus non iubet in principio cibi uti, sed absq; cibo sinere, donec febris genus cognoscamus, & tunc ut illi febris generi conuenit, uictus formam præfiniamus.

At dices, si per multos dies ignoretur ægritudo, debet'ne æger per tot esse sine cibo? Respondemus, non posse pertransiri quartum diem quin ægritudo cognoscatur. Auicenna iubet, cum ægritudo ignoratur, uictus rationem esse attenuandam, iccirco & hunc authorem ita intelligito, modicum cibi esse dãdum quoad ægritudinem cognoueris, uel si breui cognoscenda sit, nihil dandum.

## Hippocrates Sectio LIII.

### Sunt autem facies ægrotantium multæ.

Id procul dubio uerum est, si de ægrorum faciebus loquamur, esse multas & diuersas. nã alij pallẽt, alij rubent, alij nigricãt. At de facie ipsa intelligi non põt, quia ad rem eorum quæ præcedũt, & sequunt, nihil faceret. unde oporteret ponere hanc sentẽtiam ueluti aphorismum quendam ab aliis sententiis distinctum. tñ cum Galenus & præcedentibus applicet & consequentibus, propterea dicere oportet, per facies intelligere ægritudinum species, & modos, ut sensus sit, ægritudinum species multæ sunt: & quamuis dicat, ægrotantium, tamen intelligit per ægrotantem ægritudinem. BRASAVOLVS.

εἰσὶ δὲ ὄψιες πολλαὶ τῶν ἀρρωστεόντων. i. sunt autem facies ægrotantium multæ, hoc est ægritudinum species multæ sunt & uariæ. species uero uocat facies, quoniam nos ægrotantium facies oculis intuentes morbi speciem percipimus. uarias autem esse

species ex Plinio apparet lib. 26. cap. 5. ubi cum de nouis morbis locutus esset prope capitis finem inquit, pars enim erat homini certa morborum genera, cũ supra trecenta essent, nisi etiam noua timerentur. intellige uero sub singulo trecentorum generum adesse multas species praeter morbos nouos, qui in dies fiunt.

GALENVS. ὄψιας, id est facies dixit, quasi differẽtias, uel modos, uel species. Aegrotantium uero, pro his qui aegrotantibus fiunt morbis. Nempe saepius est demonstratum eam esse antiquis omnibus consuetudinem, ut à pathematis ad patientes, & à patientibus ad pathemata transferant appellationes, quasi febrium uel febrientium differentias dicere nihil referat. Sic & pleuriticorum uel angina laborantium, aut pleuritidis uel anginae. Facies ergo dixit laborantium, quoniam eos oculis contemplantes reperimus differentias.

BRASAVOLVS. Primo, Galenus notat hunc authorem dixisse ὄψιας. i. facies ac si dixisset differentias, uel species, uel modos, & dicens, aegrotantium, morbos intelligit qui ipsis fiunt aegrotantibus. Secundo, Galenus notat saepius ab eo demonstratum esse, illam esse antiquis omnibus cõsuetudinem, ut denominationes transferant à passionibus ad patientes, & à patientibus ad passiones, ac si nihil referat dicere febrium uel febrientium differentias. eodem modo ac si nihil referat dicere pleuriticorum uel pleuritidis, aut anginosorum & anginae. hic etiam dixit, laborantium facies, quõ eos oculis contemplantes, morborum differentias reperimus, non tamen per solam aegrotãtium faciem, sed per omnia quae nos oculis uidere possumus. Haec pars fere ostendere uidetur per ὄψιν uisum interpretari oportere, nam dicit nos illos oculis contemplari. propterea dicendũ uidebitur, uisus ergo dixit laborãtiũ, quõ eos oculis contemplamur, tñ commodius est interpretari faciem. & haec uidetur esse Galeni sententia, & per faciem intelligere speciem & modum uel differentiam.

## Hippocrates. Sectio LIIII.

**Quo fit, ut animaduertere debeat medicus, ne quampiam manifestarum causarum ignoret.**

BRASAVOLVS. Ob praedictam causam & omnes morborum species cognoscere debet medicus, multumque cauere debet, ne quampiam manifestarum causarum ignoret, sed si diligens est, causas omnes manifestas consideret. Imo addetur, & si fieri poterit, causas etiam occultas intelligere conetur, quia coniectura adest, per quam possunt inquiri.

διὸ προσεκτέον τῷ ἰατρῷ, ὅπως μὴ διαλήσεταί τις τῶν προφάσεων. i. quo fit ut medico adhibenda mens sit, ne quampiam manifestarum causarum ignoret. cum multae sint aegrotantium species, medicus illas ignorare non debet, neque causas illarum manifestas, & quantum fieri potest quaerere occultas. quod monet, cum uerissimum sit, nulla eget speculatione.

GALENVS. Quod manifestas causas graece προφάσεις appellet, didicimus: & sane nunc eam de his appellationem ferre cõstat. Infert igitur.

BRASAVOLVS. A' Galeno notatur nos didicisse, & hoc non semel, Hippocratem uocare causas manifestas graece προφάσεις, ut in praesentiarum idem intelligat causas manifestas, quae à medico sciri debent, & quae non sunt sensui manifestae quaeri debent. idcirco statim in sequenti sententia ab authore dicitur.

## Hippocrates. Sectio LV.

**Neque eas quae ad ratiocinationem spectant, neque quae in numerũ parem uel imparem apparere oportet.**

BRASAVOLVS. Non solum à medico sciri debent manifestae aegritudinum causae, sed & illae quae non sunt manifestae, uerum ratiocinio solo inueniũtur & solertia ac ratione artificiosa: imo si & ad parem numerum uel imparem spectare uideantur, illae sunt sciendae.

μήτε τῶν κατὰ λογισμὸν. i. neque eas quae ad ratiocinationem spectant, causas ignorare oportet. Sunt enim in re medica aliquae morborum causae, quae rationali indigent coniectura & artificiosa, quales sunt causae, quae locos indicant affectos, de quibus librum fecit Galenus in cuius initio ostendit se intelligere per locos intrinsecas corporis partes, quae si aegrotent, causas habent obstrusas, & cognitu ac inuentu difficiles.

μήτε ὁκόσα ἐς ἀριθμὸν ἄρτιον ἢ περισσὸν δεῖ φαίνεσθαι. i. neque quaecunque in numerum parem uel imparem apparere oportet. Sunt etenim causae in aegritudinibus quae ad numerum parem uel imparem referuntur, hae non sunt ignorandae. uel intellige, non ignorandas numeris paris uel imparis in diebus iudicatorijs causas: nã dies oẽs iudicatorij, uel pares sunt, uel impares.

GALENVS. Quasi causarũ alias quidem manifestas absque ratione artificiosa cognoscant omnes, alias uero soli qui ratione artificiosa utuntur. His quoque & attendendum ait, quas in numerum parem uel imparem apparere oportet.

BRASAVOLVS. Galenus notat authorem hunc sequẽtem distinctionem fecisse innuisse. Causarum aliquae sunt manifestae, quas omnes absque artificiosa ratione cognoscunt. de qua ratione in libris de morborum causis abunde egit. Aliae uero sunt causae, quae illis solum notae sunt, qui ratione artificiosa utuntur. Addit praeterea, his attendendum esse, quas in numerum parem uel imparem apparere oportet, ut ad iudicationis causas referatur in numero pari uel impari.

## Hippocrates. Sectio LVI.

**Maxime uero numerus impar est obseruãdus. Nempe hi dies in hãc uel illam declinantes partem reddunt.**

BRASAVOLVS. Cum de pari & impari numero causas obseruandas esse monuerit, neque omittendas, nunc ad impares dies reuertitur, quos dicit maxime obseruãdos esse, quia hi dies impares morbos ostendunt in hanc uel in illam partem, hoc est in mortem uel uitam inclinare.

μάλιστα μὲν οὖν δεῖ τὸν περισσὸν ἀριθμὸν εὐλαβεῖσθαι. i. maxime uero numerus impar est obseruandus. hic potius quam par obseruandus est in morbis acutis, quia pro maiori parte in diebus imparibus iudicantur: nam & si. 14. dies sit par, tamen 3. 5. 7. 9. 11. & 13. sunt impares, in quibus fiunt iudicationes: in paribus non fiunt saltem bonae, nisi in. 14. in quo etiã neque fiunt nisi in. 13. coeperint. morbi etenim acuti à bile fiunt, quae de. 3. in. 3. mouetur. crises uero fieri solent, in die uehementioris afflictionis, qui semper est. 3. & impar: imo illi morbi in quibus dies pares sunt acutiores, non sunt nisi raro acuti, sed ferè semper diuturni sunt. & cum dies maioris uehementiae, ex impari conuertitur in parem, morbus differri iudicatur. Copus hanc partem uertit, maxime uero impares dies metuendi sunt, tamen non sunt potius metuendi, quam de ipsis sperandum, & uerbum εὐλαβεῖσθαι non significat timere.

ὡς αὗται αἱ ἡμέραι ἐτεροῤῥέπειας ποιοῦσι τοὺς κάμνοντας. i. nam si dies in hanc uel illam partem aegros ducunt, dies etenim impares ducunt aegros in salutem, uel mortẽ, & ostẽdũt, quõ in salutem uel mortem profecturi sint. Copus hanc partem uertit, qui uidelicet aegros in diuersas affectiones distrahere consueuerunt. at percipere nescimus, & quomodo authoris uerba ita interpretari possint, & quomodo dies impares in diuersas affectiones distrahant: imo potius sunt dies pares, qui in diuersas affectiones distrahunt, quia cum morbus mouetur per dies pares, est mali iudicij, & longior efficiẽ quam prius esset.

GALENVS. Dies impares multa pollere uirtute non simpliciter, sed in acutis morbis est intelligendum, quòd insignes in utranque tum salutem, tum mortem, mutationes efficiant: id enim significat uocabulum, quod graece ἐτεροῤῥέπειας, id est huc & illuc declinantes dixit. In acutis quidem hi sunt: tertius, quintus, septimus, nonus, undecimus, decimusquartus, & decimusseptimus. In longis, sexagesimus, & octogesimus. Medij horum sunt, uigesimus, trigesimusquartus, & quadragesimus. Impa-

res autem & hi.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat dies impares multa pollere uirtute, sed non simpliciter: at id solum uerũ esse in morbis acutis, nam insignes faciũt in utranque partem, in salutem. s. & mortem mutationes, hoc enim significatur per id uocabulũ ἐπαμφοτερίζουσαι idest huc & illuc declinãtes, quia significat in alterã uerti partẽ, & esse in ῥοπῇ. i. in æquilibrio & in momento summo inclinationis ad unam uel aliam partem, hoc est ad salutẽ, uel mortẽ. Secundo Galenus in acutis morbis dies impares enumerat, inquiens, hi sunt in acutis morbis iudicatorij dies tertius, quintus, septimus, nonus, undecimus. 14. 17. nihil uero meminit 13. quia finit in. 14. iudicatio, si in. 11. inceperit, de hoc (inquit) in libro de iudicatorijs se ubertim locutum esse, hi sunt dies in acutis, in quibus iudicationes fiunt, notatq; cum simpliciter dicit iudicationem bonum intelligere, quia & in. 6. & in. 8. iudicationes fiunt, sed prauæ & imperfectæ. in longis morbis dies iudicatorij sunt sexagesimus & octogesimus, adde centesimum, centesimum uigesimum, & per hunc ordinem ex uiginti in uiginti procedentes. Medij inter longos & acutos morbos, qui tamen & acuti ex decidentia uocantur, uigesimo iudicantur, trigesimoquarto, & quadragesimo, tamen non negaret Galenus inter hos esse aliquos impares, in quibus possit fieri iudicatio, & in quibus quandoq; fiat.

Quod in cõmentationis calce legitur, impares autem hi, & in Græco codice eodem præcise modo habetur περιτταὶ δὲ καὶ αὗται, si ad propinquos dies referatur, qui sunt uigesimus. 34. & quadragesimus, falsum referre uidetur, hos. s. esse impares, iccirco arbitramur nos hunc debere esse sensum, quod & hi dies impares sunt, ac si dicat in his etiam paribus sunt aliqui impares, sicuti in imparibus sunt aliqui pares, ut. 14. inter tot impares, nam &. 27. erit inter illos medios impar, &. 37. ut hoc modo interpretemur, & hi preterea impares. s. habent.

## Hippocrates. Secctio LVII.

Obseruare autem oportet primum diem quo æger parum ualere cœpit, principiumque unde & quando inspicere. existimatur siquidem id scitum præcipuum. Cum autem ægrum interrogaueris, atque omnia fueris perscrutatus, in primis quidem quonam habet caput modo, si dolore careat, nihilque graue in se habeat, deinde si hypochondria latusque dolore infestentur, si uidelicet hypochondrium laboret, uel attollatur, uel obliquitatem habeat uel satietatem, aut latus doleat, simulque cum dolore tussicula fuerit, uel tormina dolorue uentris. Cum inquam horum quippiam hypochondrio aderit, potissimum uentrem clysmis soluere oportet. bibat autem mulsam calidam coctamque. Ad hæc perdiscendum si cum exurgit, defectu animæ corripiatur, & si facile spiret. Inspiciendum quoque utrum ne deiectio nigra admodum colore fuerit, uel sincera qualis sanorum existit, & si febris exacerbet tertio die. Nempe in huiusmodi morbis, tertianæ considerandæ sunt exacerbationes. conspicienda præterea & alia, & si quarta dies tertiæ quippiam simile attulerit. Nam tunc æger in periculo est. Quantum autem ad signa attinet, nigra deiectio mortem indicat. Quæ uero sanæ similis, cum omni die apparuerit salutem.

BRASAVOLVS. Videtur hoc in loco quidam ordo edoceri interrogandi ægros, ut in ægritudinis cognitionem deuenire possimus, qua cognita, curatio recte procedat. dicit uero primum diem obseruandum esse quo æger ualere cœpit, & principium quærendum ac inuestigandum unde & quando, hoc est causa ipsa morbi inuenienda, & quo tempore cœperit morbus, nã hæc existimantur scitu præcipua, quæ qui nouit initium ferè habet curationis. Verum cum ægrum interrogaueris, & omnia perscrutatus fueris quæ ad causam morbi spectant, & ad tempus ortus morbi, ad aliud conuertenda est interrogatio, nempe ad symptomata, & inquirendum quonam modo caput se habeat si doleat an non, si grauedine prematur an non, postea ad hypochondria transeundum & ad latera, atque de hypochondrijs interrogare si laborent, si attollantur, si obliquitatem habeant, uel satietatem, & de lateribus similiter si doleant interrogare oportet, & si annuant interrogandum an simul cum dolore tussicula adsit, & magis descendendum interrogãdumq; an tormina patiatur, uel adsit uentris dolor. his diligenter interrogatis, cum aliquod horum prædictorum inuenies hypochondrio inesse, tunc solue uentrem, idq; potissimum facito clysmis, & hic qui ita afficitur mulsam bibat calidam atque coctum. Verum his non contentus perdiscito etiam si cũ exurgit animæ defectu corripiatur, & si facile spiret. Adde & hæc alia inspiciẽda esse, utrum deiectio admodum nigra fuerit, uel sincera sit qualis sanorum existit, & preterea notato si febris interdiu aut noctu uexet. Nam in huius generis morbis tertianæ considerandæ sunt exacerbationes. Et alia multa consideranda sunt, de quibus hic mentionem non facit. Id preterea in numerum considerationis ueniat, si dies quarta aliquid habeat tertiæ simile, quia si habuerit, æger tunc in periculo est, uerum quantum ad signa spectat, nigra deiectio mortem significat: at illa quæ sanæ similis est, cum omni die apparuerit, salutem futuram ostendit.

φυλάττεσθαι οὖν δεῖ τὴν πρώτην ἡμέρην ἣ ἤρξατο ἀσθενέειν ὁ κάμνων εἰδέναι τὴν ἀρχὴν ἐξ ὅτου καὶ ὅτι. i. obseruare autẽ oportet, primum diem quo æger ĩbecillitari cœpit, principiũq; scire, ex quo & unde. Si per uerbum ἀσθενέειν, imbecillitari intellexerimus, & non penitus ægrotare, opus erit principium quærere, quo æger incipit delassari, sed ꝓ imbecillitari, ægrotare intelligito, ut hoc de morbi principio dictum esse uelit primum diem obseruandum esse, & principium morbi noscendum ex quo idest ex qua causa, & unde processerit, quia causa cognita, in effectum descendere facilius est, & illum curare expulsa causa.

ἡγεῖται γὰρ τοῦτο τὸ πρῶτον εἰδέναι. idest existimatur enim hoc esse præcipuũ quod sciri oporteat, uel intelligatur de causa sola, uel etiam de principio simul cum causa uerum est, nã & scire morbi causam est præcipuum, & pro uictu instituendo, & pro obseruandis diebus iudicatorijs, ægritudinis principium ex relatione cognoscitur, & ex interrogatione, quam debet medicus diligenter exercere. intellige uero principiũ ægritudinis cum sensibiliter læsæ sunt operationes, nam & si quis affectionem haberet, quę breui operationum læsionem facturæ esset & nondum faceret, uel nondũ sensibiliter faceret nondum morbus dici potest, & si in procinctu sit, quia Galenus morbi terminum facit sensibilem operationum læsionem.

ὁπόταν δὲ ἔρῃ αὐτὸν καὶ διασκέψῃ, πάντα πρῶτον μὲν κεφαλὴν ὅπως ἔχει, εἰ ἀνάλγητος καὶ μὴ βάρος ἔχει ἐν ἑαυτῇ. i. quando uero interrogaueris ipsum ægrum, & omnia fueris perscrutatus, primum quidem quomodo se habeat caput, si dolore careat, & nihil graue in se habeat. interrogandi ordinem docet, cum ægrum interrogabis circa affectus suos, primum de quo fieri debet interrogatio sit circa caput. Supponitur hũc ægrum febrem habere, de qua sit medicus perscrutatus, & idest quo ad eius essentiam, post hanc de febre interrogationẽ, primo de capite interrogare oportet. An doleat, an non doleat, deinde an graue sit, uel non sit graue, simul esse possunt dolor, & grauitas, & possunt esse separata, & unũ absq; alio esse.

Forte

Forte dices cur primum non interrogat de corde, cum cor sit membrum præcipuum in quo uitæ initiũ consistit. Respõdemus quia raro cor patit in febribus, præter febris essentiã quæ caliditas est, & si plerunq; affectio q̃dã uideatur circa cor, nõ ẽ cor ipsum, sed uentriculi os. Cũ uero patit cor, adsunt adeo sæua symptomata, ut per se cognoscatur absq; aliqua interrogatione. At non cognoscitur si caput doleat nisi referat ipse æger. quippe in affectu cordis, æger loco stare non potest, adestque mira anhelitus difficultas, & adeo cõmouetur, ut mori uideat, propterea interrogatione nõ indiget, pulsusq; fit imbecillus, & pallidus efficitur æger. Scito uero intelligere capitis dolores qui in febre fiunt, & non sunt in eo frequentes, nam cum de his loquitur Galenus, semper utitur uocabulo ἄλγημα τῆς κεφαλῆς, uel ὀδύνη τῆς κεφαλῆς. At cum dolores sunt qui totum occupant caput, & sint ferè familiares utitur uocabulo κεφαλαλγία, si uero in una solũ sit capitis parte & ἡμικρανία, & ἑτεροκρανία uocatur. βάρος quoq; .i. grauitas in capite est, quandoq; à dolore distincta, quandoq; cum dolore simul. tamen & grauitas sola non immerito à recentibus dolor nuncupatur, sed cum adiectione grauatiuus, possunt dolores fieri & ex praua qualitate in capite & ex materia, & preterea ex utraq; simul: tamen grauitas ex crassa materia fit glutinosa, & quæ in se pondus habet. fiunt & ex flatu dolores in capite. sed de capitis dolore ubi cõmodum dabitur curationem moliemur & integram, quę & pulchra erit & ualde utilis.

ἔπειτα ὑποχόνδρια καὶ τὰ πλευρὰ, εἰ ἀνώδυνα. i. postea si hypochondria latusq; doleant. Cum de capite interrogaueris, an doleat, an nõ doleat, an grauitatem habeat an minime, ad alia transeundum est. uerum de capite nõ sunt tam pauca consideranda & interroganda. At cum fateatur se affectum capitis dolore, interrogare oportet, an in toto sit capite, uel in una solum capitis parte, & quænam sit illa pars, & nunquid pulsum habeat, & eodem pacto de grauitate interrogandum. De hypochondrijs postea interrogandũ & de lateribus an doleãt, an non doleant: hypochõdria sunt partes sub costis, sub q̃bus sunt iecur, lien, uentriculus, & ideo opus erit de hypochõdrij parte percũctari, quia multum refert an in dextero sit latere, an in sinistro, an in uentriculo. & quia multa alia de hypochõdrijs quæri possent & similiter de lateribus, iccirco statim ad hypochondria descendit, deinceps ad latera.

ὑποχόνδριον μὲν γὰρ εἰ ἐπώδυνόν ἐστιν, ἢ ἐπηρμένον, ἢ ἔχει τινα σκολιότητα ἢ πόνον. i. si hypochondriũ quidem laboret, uel attollatur, uel obliquitatem quandam habeat, uel satietatem, hic ea refert quæ de hypochondrijs interrogari possent. sed hęc non solum interroganda, uerum & manibus palpanda, interrogandum inq̃; an laborem & dolorem sentiat sub costis, uel uideatur illi partes sub costis eleuari, uel quandam habere obliquitatem, ut inæqualiter tumida sint hypochondria, uel adsit satietas, & ciborum repletio, hæc est in uẽtriculo, nam & uentriculus inter hypochondria numeratur.

ἢ πλευροῦ ἄλγημα ἐνείη, καὶ ἅμα τῷ ἀλγήματι ἢ βηχίον. i. aut latus doleat, simulq; cum dolore fuerit tussicula. possunt etenim esse co statum dolores cum tussi & absq; tussi, cũ tussi si intrinseci fuerint, sine tussi extrinseci sunt.

ἢ στρόφος, ἢ πόνος κοιλίης. i. uel tormina dolorue uẽtris. p tormina dolores circa umbilicum intelligito, & p uentris dolores uẽtriculi dolores intellige, de uentriculo etenim interrogandum est, an doleat, & de intestinis, sunt uero strophi dolores ingẽtes.

ὁκόταν δ' ἔτι τούτων παρῇ ἐν ὑποχονδρίῳ, μάλιστα λύειν τὴν κοιλίην κλυσμῷ σι. i. cum inquam horum quippiam in hypochõdrio fuerit, potissimum uentrem clysmis soluere oportet. curationem exorditur author, sed tantum mentionem facit quando in hoc casu adfuerint circa hypochondria affectus, & de capitis dolore, uel lateris nullam amplius mentionem facit, nã uult cum aliquod ex prædictis symptomatibus in hypochondrio fuerit tunc clysterijs præcipue uentrem soluere oportere, non tamen negat quin alia fieri possint, sed suadet hoc præsidiũ inter alia esse præcipuum, si casus hic rationalis esset, & distincte positus, totam ac integram curationem referrem. At cum sit confusus non potest facile in ordinem redigi, ꝑpterea ad alia potius transire decreuimus.

πινέτω δὲ μελίκρητον θερμὸν ἀφηψημένον. i. bibito autẽ melicratum calidum & coctum. In tertio huius uoluminis libro de cocto melicrato disputatum est, & de crudo, tamen non est in usu nisi coctum. nam cruda aqua mulsa nullus utitur, sed an conueniat ubi adsunt tormina, uel non conueniat, dicimus nisi sit bene cocta non conuenire, cum alioqui mel sit flatuosum.

καταμανθάνειν δὲ καὶ εἰ ἐν τῇσιν ἐξαναστάσεσιν, εἰ λειποθυμέει, καὶ εἰ τοῦ πνεύματος εὐφορίην αὐτὸν ἔχει. i. discendum uero est & cum surgit si defectu animæ corripiatur, & si facile spiret, præter illa que sunt interroganda superius enarrata, refert & alia nullo ordine seruato, quia curationem iam interposuerat, hoc interrogandum & sciendum si cum surgit è lecto ęger animæ defectu corripiatur, quia ex uiriũ imbecillitate esse potest & ex multa materia quæ in capite sit, uel crassis exhalationibus quæ moueantur, cum caput eleuatur, & quandoq; uertigines incidunt, hæc erunt postea consideranda à qua fiãt causa. sunt aliqui qui coguntur etiam prostrati prandere & comedere. Superioribus diebus curauimus Illustrẽ Annam Illustriss. Herculis Ducis Ferrariæ quarti primogenitam, ex febre tam graui, ut caput ẽ ceruicali eleuare nõ posset, & cum caput mouebat, animo ferè deficiebat, cogebaturq; iacens comedere, & per multos dies hoc symptoma passa est. qui uero defectu animæ corripiuntur, difficulter spirãt, propterea addit statim uel facile spiret, quod indicium est non corripi animæ defectu, & Hippocrates in prognosticis existimauit optimum signum esse ad salutem facile spirare.

ἰδεῖν δὲ διαχώρημα μήτι μέλαν ἰσχυρῶς διαχώρημα τὸ χρῶμα, ἢ καθαρὸν ὥσπερ ὑγιαίνοντος ἐν τῇ διαχωρήματα. i. inspiciẽdum quoq;, utrumne deiectio nigra admodum colore fuerit, uel sincera qualis sanorum existit, cum enim nigra est prauum est indicium, & cum magis nigra adhuc peius, nam nigredo fit aut ob uehementem frigiditatem, aut ob nimiam caliditatem. Est etenim atra bilis quæ semper malum significat per quãcunq; uiam excernatur. Adde tu considerandum etiam an sit alba, uel lutea & colorata secundum aliorum humorem colores, quod dixit an sincera qualis sanorũ, optime addita est particula/qualis sanorum/particulæ/ sincera/quia sincera simpliciter deiectio, semper ab Hippocrate & Galeno praua existimatur, ut in septimo aphorismorum ipse annotauit. sed dicens sincera ueluti sanorum, illa particula/sincera/referri debet ad colorem, tamen & si referatur ad consistentiam suam nihil refert.

καὶ ὁ πυρετὸς εἰς τὴν τρίτην ἐπιπαροξυνόμενος. i. & si febris de tertio in tertium accessiones faciat, quoniã si ita febris progrediatur, una curatione indiget, qua non utemur si alium seruet ordinem, necesse enim est ex bile fieri febrem, si tertianariũ seruet ordinem in diebus accessionum, si alium seruabit ordinem, erit secundum alium humorem, tamen de tertio in tertium potissimum ordinem seruant, iccirco addit hic author.

κατιδεῖν δὲ ἐν μάλα τοὺς τοιούς δὲ ἐν ταύτῃσι τῇσι νούσοισι τριταίους. i. nam in huiusmodi morbis tertianæ considerandæ sunt exacerbationes, quia ut plurimum de tertio in tertium febres mouentur, quæ hæc symptomata habent, tamen non sunt adeo tertianæ considerandæ, ut quartanæ abijciantur, & quotidianæ, uerum tertianæ maxime considerandæ sunt, quia ut plurimum contingunt.

πρὸς ταῦτα ἤδη καὶ τὰ ἄλλα σκοπεῖν. i. ad hæc & alia iam conspicienda sunt. multa alia consideranda sunt, de quibus mentionem non facit, sed illa relinquit ueluti nota, & circa symptomata, & circa ægritudinis essentiam, ut de caloris intensione, de siti, de deiectionibus, de urinis, de sputis, & alia multa, de quibus nunc differere non oportet.

καὶ ἢν ἡ τετάρτη τῇ τριταίῃ μέρᾳ ὅμοιον ἔχει τι τούτων τῶν τοιούτων κινδυνώδης ὁ κάμνων γίγνεται. i. & si quarta dies, tertiæ aliquid simile habet, in his ipsis quæ dicta sunt, æger in periculo sit. hoc unum ex his est quæ cõsiderari debent, si quarta

dies & ipsa accessionem habeat, & preterea aliquid habeat ex prædictis symptomatibus, quæ tertianæ attributa sunt, tunc enim æger in periculo est, quia quarta est septimę indicatiua, cum uero quarta praua habeat signa, septima perficit, & ideo æger in periculo est.

τὰ δὲ σημεῖα, ἡ μὲν μέλαινα διαχώρησις, θάνατον σημαίνει. idest signa uero (id portendunt) deiectio nigra mortem significat, uel intelligamus nunc referri signa supradicta, & hoc potissimum de nigra deiectione, uel ad diem quarta referamus, ut dicamus si quarta dies tertiæ quodpiam attulerit, ut nigram deiectionem, quæ cum adest, mortem significat, tunc uero nigra deiectio mortem significat, cum uel ab exustione nigra effecta est, uel à nimio frigore.

ἡ δὲ ὁμοίη τῇ ὑγιαίνοντι ἐκάστην ἀνὰ πάσας τὰς ἡμέρας φαίνεται σωτήριον. i. quæ uero sanæ similis, cũ omni die apparuerit, salutem. s. indicabit. adde nisi sint alia pessima signa quæ futuram mortem per aliarum uirium defectum & non naturalium prę se ferat, hoc etiam uel ad diem quartam referatur, uel ad ea quæ superius dicebat, ut hic repetat, quo ostendat quid illa significent, nigram scilicet deiectionem, uel deiectionem similem sano.

**GALENVS.** Obseruandam in primis ait primam esse diem, in qua morbi causam cognosci iubet. Nempe hæc oratio, εἰ ὅθεν καὶ ὅτι, idest unde & quando, quisnam sit morbus indicat. Interrogari autem pręcipit in primis quidem, quonam modo habet caput, mox hypochondria, deinde latus: hypochõdria quidem si dolor quispiam afficiat, uel attollantur, uel quandam habeant σκολιότητα, idest ἀνωμαλίαν, idest obliquitatem siue inęqualitatẽ, quod in prognostico hac dictũ est oratione. Si inæqualiter affecta sunt dextra ac sinistra parte, uel si κέρχον habent inq; quod ciborum repletionem esse arbitror. Interrogari quoq; & alia quæ in dictione habentur, iubet. Deinde hypochondrijs ita affectis, soluere aluum clysteribus præcipit, mulsamq; bibere calidam & coctam. Sed indistincte hæc locutus deinceps scribit: Ad hæc perdiscendum & cum exurgit, defectu animi corripiatur, & si, inquit, facile spiret, quod defectu animi correpto opponitur. Conspiciendam præterea iubet deiectionem, utrumne nigra sit, uel sincera & inculpata, qualis in sanis eẽ uidetẽ, ueluti & si febris tertio exacerbet die. Et si his ita habentibus quarta dies tertię quippiam simile in accessione attulerit, periculosam eam esse asseuerans. Nempe quartam diem quæ septimæ index est, rem nouam edere ex grauibus est notis. Rei autem noue editio designatioq; patet omnibus. Nam si prima die & tertia fiet, & secunda facta haudquaquam fuerit, quòd quinta accessionem habitura sit par est, & non quarta. quapropter si quarta habuerit, mali cuiuspiam alterius generationem demõstrat. Si autem & nigra deiecerit, mortem indicat fore. Tu autem multa ex dictis prætermittens memoriam rei huius habe. Nam si prima & tertia die proportionalem attulerit accessionem febris, atq; nouiter quidem quarta paroxismũ fecerit, sed æger nigra deiecerit, signum est letiferũ. Quòd si diebus omnibus sanis similia deiecerit, salutem ægro spera.

**BRASAVOLVS.** Primo Galenus notat hunc authorem scriptum reliquisse, in primis diem primam obseruandam esse, in qua iubet morbi causam cognoscendam, nam hoc ostenditur per hæc uerba εἰ ὅθεν καὶ ὅτι. i. unde & quando, quippe hæc notat causam morbi, & quis nam sit ipse morbus.

Secundo Galenus notat præcipere hunc authorem primo considerare oportere de capite, quonam modo se habeat, postea transeundum ad hypochondria, deinde ad latus, de his omnibus interrogationem faciens. De hypochondrijs quidem illud quærere oportet si dolor quispiam illa afficiat, uel attollantur, & eleuentur, ut illa faciunt quæ flatu supposito eleuantur, uel quãdam habeant σκολιότητα. i. ἀνωμαλίαν, hoc est obliquitatẽ, uel inæqualitatem, quod in prognostico per hæc uerba dicitur si inæqualiter affecta sunt dextera & sinistra parte, uel si κέρχον habent, quod de ciborum repletione dictum esse arbitratur. locus hic à Galeno adductus est in primo prognosticorum sectione. 26.

Tertio Galenus notat & alia interroganda esse & perscrutanda, quæ in sententia sunt scripta, postea si hypochondria affecta sint ut dictum est, aluus clysterijs soluenda est, aqua mulsa bibenda calida atq; cocta, non cruda ob flatus qui à melle fiunt crudo, cum uero coquitur & probe expumatur, nihil habet amplius flatuosi, sed incidit & aperit.

Quarto Galenus notat ad hanc usque partem omnia indistincte dicta esse, deinceps addit perdiscendum esse nunquid cum exurgit animi defectu corripiatur. & si facile spiret. At cum hi qui animi defectu corripiuntur difficulter spirent, iccirco facile spirare animi defectui opponitur, huius ratione quod animi defectus difficilem facit spirationem.

Quinto Galenus notat iubere authorem conspiciendam esse deiectionem si nigra sit, uel sincera & inculpata, qualis in sanis esse uidetur, quemadmodum & si febris tertio die uexet, & si cum ista hoc modo se habent dies quarta tertiæ quippiam simile in accessione attulerit, cum enim ita sit, periculosa erit .i. periculum portẽdet, nam nota grauis est & signũ graue, diem quartam quæ septimæ index est, rem nouam edere & præsertim malam, supponitur secunda die accessionem nõ habuisse, aut fuisse remissam non similem primæ. Cũ uero quarta tertiæ similis est, in septima aliquod prauum futurum ostenditur, tamen à Galeno supponitur, nihil esse factum secunda die, sed accessionem de nouo fieri quarta die. quæ omnibus patent, quoniam si prima die, & tertia fiat, & non adfuerit secũda die accessio, conueniens est quintam diem accessionem habituram & non quartam. At si quarta accessionem habuerit, alterius cuiuspiam mali generationem demonstrat.

Vbi legitur nam si prima die & tertia fiat, in Græco codice additur quid fiat. s. παροξυσμὸς. i. accessio, & addi debet ad maiorem expressionem rei de qua sermo sit.

Sexto Galenus notat si nigras deiectiones excreuerit, supple tu ex nimia calidit ate uel frigiditate factas, mortem futuram ostendi. At cum tot ab hoc authore dicantur, omnibus secundum Galenum non est adhibenda mens. sed iubet multa ex his prætermittenda, & illius rei memoriam habẽdam, quæ est, si æger prima & tertia die accessionem proportionalẽ habuerit, & de nouo quarta die accessionem fecerit, quę non sit secundę diei proportionata, & æger nigra deiecerit, signum letale esse, nam aut ex nimia frigiditate & imbecillitate hæc facta sunt, aut ex nimia caliditate. Si uero diebus omnibus talia deiecerint qualia sani dejicere solent, speranda est ægro salus, non tamen penitus proferenda, quia multa alia signa praua esse possunt & mortis, & hoc tantum salutis.

## Hippocrates. Sectio LVIII.

Cum autem uenter glandi non obedierit, spiritusque tum placidus, tum quietus fuerit, surgensque ęger in sedem, uel dum in lecto est, animæ defectu corripiatur, si hæc uel mari uel fœminæ inter initia fuerint, deliriũ fore expecta.

**BRASAVOLVS.** Sententia hæc & confusa est, & ab alia dependens, quæ uel nõ est ab authore scripta, uel à librarijs prætermissa. tamen ut sensum illum extrahamus qui elici potest, hæc dicit, cum cuipiam glans imponitur, & eius uenter glandi non obedierit, & spiritus sit placidus ac quietus, & æger animæ defectu corripitur, uel surgens & sedens in sella, uel iacens in lecto, aut etiam sedens in lecto, hæc uel mari uel fœminæ inter morbi initia cõtingunt, delirium forte expectato, potest in uno particulari casu inueniri, sed raro, possunt & omnia hęc in uno esse, tamen delirium non superueniet, uerum particulatim sententiam exponentes conabimur singula uerba ad rem & rationem quandam interpretari.

ἢν ἡ γαστὴρ μὴ ὑπακούῃ τῇ βαλάνῳ. i. cũ autem balano non obedierit

obediuerit, nō adest in Græco codice uenter, propterea si absq; illo cuipiam legere placeat, ad ægrum referetur, cum æger balano non obedierit, cui erat balanus imponendus, sed despexit ut multi faciunt, materiæ quæ deberent deorsum uergere & à balano trahi, ascendunt. Si uentrem subintelligamus uel aluū, ut aluus sit quæ nō obedierit, tunc ex ui balani nihil ejicitur, id uero indicium est naturam aliunde mittere, & potius ad caput & superiores partes q̃ ad alias. quia à balano irritatur ad expellendum per inferna, tamen non expellitur, cum uero ad partes supernas irrepant materiæ deliria facere possunt, per balanum uero intellige & clysterem, imagineris q; aliquem esse uirum in morbi initio qui per duos aut tres dies non deiecerit, medicus uero iusserit balanum imponi uel clysterem dejiciat, nihilq; deiecerit, ex hoc indicatur materias ad caput & superiores partes uergere, in illisq; affectionem inducere posse.

εὐῶ δὲ τοῦ πνεύματος ἐυφορ. i. spiritusq; facile feraẗ, ex hoc notari potest spirituales partes non esse affectas ob materierū ascensum ad superiora, quia si affectę essent, spiritus aut facile ferentur, cum uero materiæ ascendāt & spirituales partes non petant, quod ex spirandi facilitate cognoscitur, necesse est ad superiora adhuc eleuari, quæ sunt capitis partes, nam ad inferiora non uergunt, quia balano exiuissent (præsertim si ad intestina moueantur) sed balano ut dictum est non exiuere, quia uenter balano non obediuit, propterea non mirū, si deliria fecerit.

διαναστὰς ἐπὶ τὸν θρόνον, ἢ αὐτοῦ ἐν τῇ κλίνῃ ἢ ἀψυχέῃ. i. & surgens æger in sedem, uel dum in lecto est, animæ defectu corripiatur. Cum in ægritudinis initio uenter glandi nō obediuerit, & spiritus facile exeat, & æger animæ defectu corripiaẗ, non solum dum surgit. sed etiam dum in lecto iacet, indicium est materias caput petere, & adeo cerebrum lædere, ut ille deficere uideatur. Cum uero hæ materiæ caput petunt, delirium inferre quid prohibet? iccirco statim addit.

ταῦτα δ' ἢν ἔχοντι προσῇ τῷ κάμνοντι ἢ τῇ καμνούσῃ καταρχὰς, παραφροσύνην προσδέχου ἐσομένην. i. hęc uero si mari uel foeminę adfuerint, delirium fore expectato. supponitur ex his quę dicta sunt, materiam uergere ad caput, cum uero illuc uergat, non mirum si delirium fieri possit. An uero necessarium sit superuenire, profecto necessarium non est. fieri uero posse nemo dubitat, nisi addidisset illam particulam spiritum esse facilem, intelligere possemus materiam ad septū transuersum uergere. At cum materia illuc uergit delirium quidem facere potest, sed quædam adest anhelitus difficultas, id solum considerare oportet si hunc authorem defendere uelimus opus esse intelligere omnia in caput uergere, alioqui delirium non faceręt, sed cum hæc raro contingant, propterea non multi facienda est hæc sententia.

GALENVS. Confusa est dictionis huius intelligentia. Nempe ubi glans nihil profecerit, uideturq; æger placidus, quietusq; esse, si unq; & cum exurgit defectu animæ corripitur, delirium expectandum: perperam dictum esse mihi uidetur, cum rei huic neq; experientia, neq; ratio patrocinentur: quanquam tale quippiam aliquando fiat. Prænotiones tamen non eorum sunt quæ raro accidunt, sed eorum quæ semper uel magna ex parte.

BRASAVOLVS. A Galeno notatur confusam esse huius sententiæ intelligentiam, hocq; ita probat, quoniam ubi glans nihil profecerit, & æger placidus ac quietus esse uidetur, si etiam cum exurgit animæ defectu corripiatur, delirium expectandum est. hoc inquit Galenus uidetur perperam esse dictum, quia nec ratio nec experientia id probare potest, licet nōnunq; & hoc inueniatur. fieri etenim potest, ut hæc fiant & non fiant, tamen quandoque fiunt, sed raro, hæc uero regula non est in numerum ponenda, quia prænotio est, docet enim futurum prædicere delirium. at prædictiones non sunt neq; fiunt de rebus quæ raro fiunt, sed de his solum sunt, quæ uel semper, uel magna ex parte fiunt, & si dicas adesse prædictiones rerum quæ raro fiunt, scito illa quæ raro fiunt respectu suæ causæ semper fieri: at hic casus plerunq; fit. & tamen non sequitur deliriū, unde adest, id quod uidetur causa, & nō sequitur effectus. iccirco & si raro fiat ecli- psis solis, tñ prędici potest, q̃a semper cum adest sua causa fit, in proposito uero cum adsit causa, sæpe & eiusmodi effectus non sequitur, hinc non potest dici prædictio, neq; inter prædictiones computari, quamuis nonnunq̃ hoc cōtingere possit.

## Hippocrates. Sectio LIX.

Manus quoq; contemplari oportet. Nam si tremulæ fuerint huic sanguis e naribus profluet.

BRASAVOLVS. De febribus adhuc prosequitur, in quibus iubet & manus ipsas considerandas esse, quæ si tremulæ fuerint, huic sanguis è naribus profluet. Intelligamus autem uentrem ob balanū non deiecisse, & alia quæ in superiore sententia scripta sunt, uel sit una de se sententia, quæ in febribus, simpliciter intelligatur, & nullam habeat cum præcedente coniunctionem.

προσέχειν δὲ χρὴ καὶ τῇσι χερσίν. ἢν γὰρ τρομώδεες ἔωσι προσδέχου τοῦ ῥοῦ ἀπόσταξιν αἵματος διὰ ῥινῶν ἐσομένην. i. manibus quoq; mens adhibenda est, nam si tremulæ fuerint, huic sanguis è naribus profluet, fieri proculdubio potest si manus tremuerint, sanguinem profluere, sed necessarium esse ut profluat, non constat, neq; ratio adest quæ hoc probare possit uel experimentum, etiam si intelligamus hanc sententiam cum superiore coniunctam, & subintelligamus uentrem balano non obedire, & animae defectum incidere, quia manuum tremor ob multas causas fieri potest, nisi quis huic authori addictus dicat cum manus tremunt, signum esse materiam quę erat in capite descendere. & ex consequenti per nares posse profluere, At quid impedit & per aliam partem descendere? Adde cum ad manus tendat indicium potius esse ad nares non tendere.

GALENVS. Sermo quoq; hic, neq; quod continuum est, neq; quod magna ex parte fit, sed quod raro accidit docet.

BRASAVOLVS. Galenus breuissime notat & hanc sententiam neq; id edocere quod semper fit, neq; id quod magna ex parte, sed id solum quod raro contingit, & ab eadem non contingit causa.

## Hippocrates. Sectio LX.

Nares quoq; inspiciendæ. Nam si per utrāq; spiritus æqualiter trahatur, & si multus ex ipsis feratur, conuulsio fieri consueuit, quæ si fiat, propinqua mors est, quam prædicere pulchrum fuerit.

BRASAVOLVS. Non solum manibus mens adhibenda est, sed & nares ipsæ inspiciendæ. nam si per utranq; narem spiritus æqualiter trahatur & multus per nares ipsas feratur, conuulsionem fieri cōsueuit, quam si fieri intuearis, mortem propinquam esse iudicato, quam & assistentibus & affinibus & ægri amicis prædicere pulchrum erit. imo nisi à medico prædiceretur, artis ignarus ab his omnibus crederetur.

ὁρῆν δὲ χρὴ αὐτοὺς τοὺς μυκτῆρας, ἢν ὁμοίως τὸ πνεῦμα δι' ἀμφοτέρων ἕλκηται. i. nares quoq; inspiciendæ sunt, si per utranq; spiritus æqualiter trahatur, post manuum considerationem, nares etiam cōsiderato, si spiritus æqualiter per utrāq; narem trahatur, in sanis profecto hominibus per utranq; narem æqualiter trahitur nisi altera obturata sit, aut ex algore obstructa, aut mucore uel gramis plena, hoc uero æqualiter aerē trahere naturale, nisi dixeris non esse naturale, his quæ sequuntur additis.

καὶ ἢν πολὺ φέρηται ἐκ τῶν μυκτήρων. i. & si multus ex ipsis feratur, ut non solum æqualiter per utrasq; nares feratur, sed etiam sit multus, ut ab authore spiritus uiolentia forte notetur, & magna attrahendi necessitas.

φιλέει γίνεσθαι σπασμός. i. conuulsio fieri consueuit. Forte petes quomodo significetur fieri conuulsionem ex multo aere attracto, Galenus nullo modo ueram conuulsionem intelligere potest. sed solum conuulsioni similem affectionem, quæ in

musculis naris fiet, pinas mouentibus. At dicere possumus loqui hoc in loco de uniuersali conuulsione, quæ fit in uniuerso corpore, in qua nerui omnes afficiũtur, ut officio proprio egregie fungi non possint, propterea neq; musculi thoracem mouẽtes suo funguntur officio, neq; pulmo ut debet mouetur, ut pote qui ad thoracis motum moueatur, propterea aeris multum attrahere cogitur. & hoc per utranq; narem. idq; quod dictum est per utranq; narem, æqualiter non dicitur, quia per utranq; narem semper æqualiter nõ trahatur, nisi aliquid impediat. hic uero additur ut notetur spiritus multitudo qui attrahitur. forte hæc potest assignari conuulsionis ratio quæ à spiritu significet qui per utranq; narem copiose trahatur. At dices hũc magnũ spiritum per utranq; narem secundum hunc authorem cõuulsionem præcedere. Rñdemus cum ꝯuulsio fieri incipit. Incipit & maior fieri spiritus, conuulsione perfecta maior est, ꝙ fieri possit, & ideo perfectam præcedit cõuulsionem & illam significat futuram, tamen id uerum est necessarium esse præfuisse conuulsionem si debuit magnus reddi spiritus. si hæc ratio placeat recipiatur, sin minus Galenum sequaris, de cuius sententia in eius commentatione illa dicemus ꝗ conuenire uidebunt.

ἢν δὲ σπασμὸς γένηται, τῷ τοιῷδε θάνατος προσδόκιμος. idest, si autem conuulsio fiat, hinc mors propinqua. si conuulsio perficiatur quæ uniuersali est, hic cito morietur ut dictum est, conuulsio per spiritum illum multum æqualiter per utrasq; nares attractum significatur. At non est adhuc perfecta conuulsio, quæ si perficiatur musculi thoracem mouẽtes penitus moueri non poterunt, & pulmo ex consequenti non mouebitur. itaq; cito morietur.

καὶ καλῶς ἔχει προλέγειν. i. & pulchrũ est prædicere scilicet mortem hanc breui futuram, ut medicus diligens uideatur, notato hunc authorem à fine sectionis. 57. per sectiones plures consequentes, multa prædictiua signa retulisse.

GALENVS. Cum tremunt manus, nempe ita dicere expedit si spiritus multus per utranq; narem feratur, conuulsionem superuenire ait: Consueuit autem ita appellare conuulsificam affectionem, quæ in musculis naris pinnas mouentibus fit.

BRASAVOLVS. Galenus ea quę in præcedenti sententia dicta sunt cum hac iungit, ut hoc modo continuet, cum manus tremunt (ita dicere conuenit) si per utranq; narem multus feratur spiritus, conuulsionem superuenire significatur. Scito uero hũc authorem conuulsionem uocare consueuisse, conuulsiuam affectionem, quæ in musculis fit naris pinas mouentibus. si hanc Galeni expositionem prædictæ sententiæ accõmodare placeat, notare oportet in his qui obeunt & morti propinqui sunt, naris pinas ex spiritu moueri, buccasq; spiritu inflari. Galenus. xi. de usu partiũ libro notat uocari nasi pterygia. i. alas uel pinas, infernos nasi fines qui mouẽtur, sunt uero nasi partes chartilaginosæ & mobiles, ut in eodem notatur libro, et hoc necessariũ esse probat, quoniam in inspirationibus paulo maioribus, item & efflationibus, motus earum non parum confert. quæ causa sanè fuit cur mobiles extiterint, chartilaginosę uero fuerint, quòd ea substantia non facile contundatur, nec rumpatur, ex animalis porro uoluntate mouentur, quod ita fieri præstiterat, ꝙ sine uoluntate, quẽ modo arterias moueri. quod nisi qs iam intelligere ꝑse queat, quæ passim antea inculcauimus, nõ satis attente perlegit. probat deinde necessario debere habere musculos, si motum erant habituri. musculi uero qui alas nasi mouent. ut ibidẽ edocemur, subtus malas enascuntur iuxta principia musculorũ ad labia descendentium. positio uero eorum est, quòd. s. quadãtenus cum his coniuncti semper magis magisq; obliqui ad nasum digrediuntur, exigui sanè sunt. ut partium ab eis mouendarũ ratio postulabat. post paulo addit nec minus quod à neruis qui per maxillam superiorem feruntur, propagines quędã exiguę ad eos deriuantur. per hos autem neruos scito alas istas habere sensum, quando musculi illi subtus malas conuulsiuã affectionem patiuntur. i. conuulsioni similem, tunc spiritus fuit per utranq; narem æqualiter attractus & multus, hæc autem conuulsiua affectio talis est ut nasi pinnæ nõ moueantur, quia musculi contracti sunt illas mouentes, hi uero musculi in magnis spirationibus multum mouentur, si uero non moueantur signum est letale, tamen æger illorum motu indiget & dilatatione pinarum. Vidimus nos in morientibus ualde dilatari, & buccas simul per spiritum dilatari & constrigi, nã buccæ ex imbecillitate decidunt, & spiritus qui exire debet uiolenta quadam exire cogitur & buccas aperire, idem est in nasi pinnis, sed qui ita affecti sunt, prope mortẽ esse nemo dubitet.

Hippocrates. Sectio LXI.

Si in febre hyemali lingua aspera redditur, prehendantque animæ defectiones, huic tametsi febris remitti consueuit, in eo tamen qui per famem fit cruciatu, conseruare ægrum oportet, & aquæ mulsæque potione & ptisanæ cremore. neq; febris quieti est fidendum. Nempe qui signa huiusmodi habent, his mortis periculum impendet. Ergo cum hæc noueris, optimeque cõtemplatus fueris, ita prædicere pulchrũ fuerit.

BRASAVOLVS. Et in hac sententia à libri authore quid futurum sit prædicere edocemur, quod medico pulchrum esse censet, cum inquit in hyemali febre linguam asperam fieri, & animæ defectum contingere, & ꝗuis in hoc ægro fames remitti consuescat, tamen in inedia seruari debet, & ea cruciari, quæ inedia sit ptisanæ cremore pro cibo & aqua, uel mulsa aqua pro potu uti, & ꝗuis febris quiescat, tamen huic quieti fidendum non est, nam qui prædicta habent signa his mortis periculum impendet. Cum igitur hæc noueris & optimæ contemplatus fueris, hæc prædicere perpulchrum erit, quoniam & diligens & exquisitus in arte medicus existimaberis.

ἢν δὲ ἐν πυρετῷ χειμερινῷ ἡ γλῶσσα τραχεῖα γένηται. idest, si uero in hyemali febre lingua aspera redditur. lingua aspera fieri non potest nisi ex caliditate ualde intensa, cum enim aspera est, tota linguæ humiditas est exiccata & hoc inæqualiter, et ideo in una parte est depressior & magis sicca, in alia minus, per hyemalem febrem aliqui eã intelligunt quæ in hyeme fit, alij eam quæ est hyemis propria. i. pituitosa, quia pituita hyeme potissimum gignitur, & Galenus hanc secundam sententiam probare uidetur, ꝗuis seipsum non exprimat. nos primis potius consentimus, ut de febre loquatur (sit cuiuscunq; generis etiam si pituitosa non sit) quæ in hyeme fiat, licet non sit hyemis propria, icciro cũ dicit in his linguam esse asperam, supponitur & hunc sitire, & maximum esse huius febris calorem, & ex consequenti non esse pituitosam febrem illam de qua hic loquitur, sed potius biliosam & ardentem, tum quia in hyeme fit, tum quia sitim & linguæ asperitatem facit, febres etenim quæ hyeme fiunt, sunt necessario his fortiores quæ in alijs fiũt tẽporibus, sicuti (Galeno teste) is ignis est longe efficacior qui in aqua accẽditur, & ex linguæ asperitate uehemẽtia ostẽditur.

καὶ ἀψυχίαι ἐπιλαμβάνωσι. i. & animæ defectiones prehendant, hæ quoq; animę defectiones potius à bile fiunt ꝙ à pituita, quæ bilis circa os uentriculi sit, ubi potest & animæ defectum inducere, sitimq;, & linguæ asperitatem, quæ nequaquam à pituita fieri possunt, icciro et hoc potius suadet. ut de febre intelligamus ꝗ ex quocũq; humore in hyeme fiat, sed cũ hæc symptomata habebit biliosa erit ꝙ de febre hyemis propria idest pituitosa intelligere? At dices, possent ne hæc contingere in pituitosa febre? Respondemus posse quidem contingere, præsertim cum febris est à pituita salsa, quæ est apta calefacere. linguam exiccare, & sitim inducere.

φιλέει τῷ τοιῷδε καὶ ἐπάνεσιν εἶναι τοῦ πυρετοῦ, ἀλλ' ὅμως τὸν τοιόνδε παραφυλάσσειν τῇ λιμοκτονίῃ καὶ ὑδατοποσίῃ καὶ μελικρήτου πόσει καὶ χυλοῖσι παραφυλάσσειν, idest in eo tamen

qui

qui per famem fit cruciatu cōseruare ægrum oportet, & aquæ potione & mulsæ potione, & pisanæ succo regendus est.

At dices quomodo fame cruciantur, si & bibāt, & pisanæ cremorem accipiant? Respondemus morbo considerato qui per aliquot dies perdurare debet, uictus hic est nimis arctus. iccirco secundum hunc respectum fame cruciantur, non tamen simpliciter, quia illi simpliciter fame cruciantur, quibus nihil penitus exhibetur. Sed Copus hanc partem contrario modo interpretatur, ita scilicet quanquam quietior febris uideatur, nihilo minus tamen imperari debet inedia, ab aqua quoque & aqua mulsa atque cremore arcendus est. Copus igitur intelligere censuit, esse inedia macerandum, nec dādam aquam nedum mulsam uel cremorem. tamen hoc uidetur authoris seriei repugnare, quæ istud inferre non potest, & preterea uult hæc accipienda authoris series quæ Copus arcet. Adde necessarium esse modo nostro interpretari, & non Copi modo, si illa quæ Galenus in commentatione dicit contemplemur, nam ipse contradictionem mouet, quæ talis est, Si dat aquam, & mulsam & cremorem, quomodo fame ægros cruciat? Respondet hunc uictum non cōuenire morbo qui multis diebus procrastinetur, propterea huius morbi ratione, hæc quæ sumuntur talia sunt, ut inedia quoque crucietur. ut interpretatio à nobis posita potius accipienda sit, quàm illa Copi.

Si uero petas cur sit in hac inedia seruandus. Respondemus quia morbus est sæuus ne natura à pugna cum materia impediatur, & à suo opere diuertatur, & quia non pura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes.

At dices nonne melius esset nihil penitus dare? Respondemus nō esse melius, quia opus est uires seruare, & potissimū quia hic adest aīæ defectus, qui aliquos exigit cibos, imo multi ob animi defectum plene cibabant, ut Galenus in cōmentatione testat. μὴ δὲ πιστεύειν τῇ ἀτρεμίᾳ τῶν πυρετῶν. idest neque febris quieti est fidendum, quia hæc febris nōnunquam ad teporem deuenit, & quiescere uidetur, noli fidere huic febri, quia cum sit in hyeme accensa est ueluti ignis in aqua accensus, & hoc potissimum ex linguę asperitate ostenditur, & ex animi defectu, & ideo ne fidas, sed ambiguus sis in prędictione, propterea addit. οἱ δὲ τὰ τοιάδε ἔχοντες σημεῖα, ἐπικίνδυνοι εἰσὶ θανάτου idest nempe qui signa huiusmodi habēt, his mortis periculum imminet, hæc est ratio cur fidendum nō sit, quia omnes illi qui prædicta signa habuerint sunt in uitæ discrimine, de aspiritate linguæ, & animi defectu in febribus illis quæ hyeme corripiūt. ἐπιστάμενον δὲ ταῦτα συμβαίνειν οὕτω προλέγειν ἀσφαλὲς ὡς ἐν μάλα. idest cum uero hæc noueris, optimeque cōtemplatus fueris, ita prędicere pulchrum fuerit. Cum in febribus hyemalibus supradicta contingunt symptomata, & ad unguē hæc fueris contemplatus, casum ambiguum prędicito, nā pulchrum est medicum optime prędixisse.

GALENVS. Sunt qui febrem hyemalē simpliciter intelligant eam, quæ in hyeme fit, alij eā quę hyemi peculiaris sit. Ea autē ex pituita est, ueluti æstiua ex ipsa bile. Si ergo inquit, in huiusmodi febre lingua aspera fuerit, atq; animæ defectus, eā periculosam esse est fatēdum: atque ob eam rem febrium quieti fidendum non est, si cum prauis fiant tum symptomatis, tum signis, ueluti in præsentiarū cum animæ defectu & linguæ asperitate. Non negligenter itaque ait regendos ægros, aquamq; & mulsam, & pisanæ cremorem exhibendum. Sed sane hæc pugnare uidentur aduersus id quod fame cruciandos dixerit. Nam huiusmodi cruciatus qui Græce λιμοκτονία dicitur, maxime quidem abstinentiam omnimodam significat: aut si non saltem eam quæ in potibus solis fit uictus rationem. Sic sanè & mulsam, & pisanæ cremorem dare permisit. Videtur ergo eos ob id fame cruciandos dicere, quod qui remissiones huiusmodi quietissimas habent, longo ita tempore in his morentur, protrahanturq;, ut falsi circumuenti que nonnulli ualidiorem ministrauerint alimoniā, & potissimū ob aīæ defectionē. Quo fit, ut ad uictū hūc is, qui per mulsam atq; pisanæ cremorem multis sit diebus, rectè dictus sit ex fame cruciatus, uel inedia.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat nonnullos per febrem hyemalem illam simpliciter intelligere, quæ in hyeme fit, à quacunque fiat materia. Alios uero illam intelligere quæ sit hyemi peculiaris & ꝓpria, hæc uero ex pituita fit q̄ in hyeme gignit, sicuti & febris æstiua illa ē, q̄ fit ex bile, q humor æstate potissimū gignit. Secūdo Galenus notat si in huiusmodi febre lingua aspera fuerit, atque animi defectus, fatendum esse febrem illam periculo non uacare, & ob hanc causam febrium quieti fidēdum non esse, si cū prauis signis, atq; symptomatibus fiant, sicuti febres de quibus in præsentiarum sermo fit, quæ & cum animæ defectu & linguæ asperitate cōtingunt, propter hoc ab authore ipso dictum est ægros non negligenter esse agendos, aquamque & aquam mulsam, & pisanæ cremorem exhibenda esse.

Tertio contradictionem quandam remouet Galenus quæ in authore isto cōtingit, nam iubet exhibendam mulsam & pisanæ cremorem, prius tamen dixerat esse in fame cruciādum, quomodo igitur illa danda si fame cruciandus est? quippe hic cruciatus, qui Græce est λιμοκτονία, potissimum abstinentiam omnimodam significat, uel si mediam simpliciter non significet, quæ est nihil dare, illam saltem uictus rationem significat, quę solis fit potibus & non cibis uel sorbitionibus, tamen permittit dare & mulsam, & pisanæ cremorem, huic cōtradictioni. Respondet Galenus uideri dictum esse eos fame cruciādos, quoniam qui tales habent remissiones in febribus, & in his longo tempore morantur ac protrahuntur, his nōnulli medici circumuenti alimoniam ualidiorem ministrarunt, & cibum hunc potissimum dedere ob animæ defectum, tamen non est dāda copiosior alimonia, sed solum ad uictum dāda sunt, & mulsa, & pisanę cremor, quę cum multis diebus dētur ob morbum qui ita exigit, recte dici potest hunc ęgrum fame uel inedia cruciatum, ut hic cruciatus sit ob temporis diuturnitatem, quo in hoc uictus genere seruat. iccirco nō est in authore cōtradictio.

## Hippocrates. Sectio LXII.

Cum autem in febribus quinta die terrificum quippiam fuerit, uel uenter repente liquida deiecerit, & animæ defectus prehenderit, uel uocis priuatio, uel conuellatur æger, uel singultiat, ex his angi grauiterq; affici consueuit, sudoresq; circa tum mustacem, tum faciem, tum ceruicem ab occipitio esse consueuerunt. Qui autē hæc patiunt spirituosi paulo post morient.

BRASAVOLVS. Multa in hac sentētia praua symptomata ab hoc authore referūtur, quę forte nūq̄ simul extitere, ex quibus inferri cēset hos mori oportere spirituosos. forte ęgrū unū uidit hic author ita habētem, & ex eo hęc recēsuit, ac si uniuersalis sit regula quæ in cęteris decē millibus nō contingit, ut Galenus nō ab re cēseat esse hęc dicta per obseruationē empirice factam. hęc uero est breuis huius sentētiæ intelligētia, cū in febrib[illegible]quę de quinto in quintū diē affligūt terrificū q̄ppiā conti[illegible]el uēter repente liq̄da deiecerit, & aīę defectus ꝓhende[illegible]el uocis priuatione incidat, uel cōuellat, uel singultiat, cū [illegible]c adfuerint grauiter angit atq; afficit ęger, cōsueuerūtq; sudores esse, & circa mustacē & circa faciē & circa ceruicē ab occipitio. qui hæc patiūtur, paulopost spirituosi morientur. hæc est summa inordinatę, & forte in ægro nunquam aliquo uisæ sententiæ.

ὁκόταν δὲ ἐν πυρετοῖσι φοβερόν τι γένηται πεμπταίοισιν. i. cū uero in febribus q̄ quīto die affligūt terrificū quippiā superuenerit. hoc quod terrificū dicit potest & ex se intelligi, quòd hāc quintanā febrē hīsibus aliquid terrificū superueniat. i. ægri incidāt terrorē, & pauorem quēdam qui ab atra bile fiat febrē faciente, nam febres hæ quintanæ ab atra bile & etiā crassiore fiūt, quàm sit illa quæ quartanam facit, uel intelligamus per hoc terrificum, non terrorem in ægrum incussum, sed symptoma aliquod terrorem faciens, qualia sunt omnia hæc quæ referuntur symptomata, quæ satis sæua existunt. At Galenus testatur se nunquam uidisse quintanam febrem quæ esset

fincera, quomodo igitur hic author tot fymptomata obferuare potuit in hac febre, quæ rarisfime contingit, & nunquam à Galeno uifa (quanquam nos exquifitisfimam quintanam curauerimus) nonnulli de quintana febre non interpretantur, fed illam particulam πεμπταίοις ἐοῦσι. idest quintanis exiftentibus, ad quintum febris diem referunt, ut hunc faciant fenfum, cum in febribus terrificum quippiam fuperuenerit, hocq; in omni genere febris intelligi poteft, in qua terrificum quippiam fuperueniat. Id uero terrificum funt, quæ fequuntur fymptomata. Copus uertit ac fi de quintana febre loquatur. Nobis potius placet ut quinta febris die intelligamus, & non in quintana febre. At dices, quinta die, quę posfunt fieri terrifica, cum non fit dies decretorius uel iudicatiuus? Refpondemus posfe esfe indicatiuum, quando morbi retardant, & fungi officio quartæ diei, & quando accelerant poteft fungi officio feptimæ diei, ut à Galeno notatur in libro de diebus iudicatorijs, tamen quicquid fit, quia ita forte in uno uidit hic author, propterea hoc retulit.

ἢ κοιλίη ἐξαίφνης ὑγρὰ διαχωρέουσα, καὶ ἀψυχίη γίνηται. id eft, uel uenter repente liquida deiecerit, & animæ defectus accedit, hoc unum eft ex his terrificis quæ contingunt, ut repente aluus fiat liquida, et animæ defectu prehendatur. Galenus omnia hæc praua fymptomata in commentationis calce in uno ægro intellexisfe uidetur, in principio uero commentationis in duobus, ut notet hunc authorem uidisfe quendam ægrum, qui liquida deiecit, et animę defectu prehenfum, et uoce priuatum, alium uero cõuulfum, poftea uel hos utrosq;, uel aliũ tertium faftidijs plenum uidit, & reliqua, tamen cum Galenus iudicet hæc esfe femel empirice obferuata, ea ad unguem interpretari neglexit, propterea dicamus cum author utatur particula ἢ, ideft uel inter hęc fymptomata diftinguere uidetur, & quòd omnia uni non fuperuenerint, fed uel hoc terrificum, uel illud fuperuenerit, femper coniungatur, cum parte illa fententiæ ex his angi & grauiter affici confueuit, & reliqua quæ fequuntur, quæ omnia ad id fymptoma confequantur, & à diligenti medico prædici debeant. Ad rem igitur redeuntes cum dicat hic author hoc terrificum, quod eft uentrem fieri repẽte liquidum, & incidere animi defectum, hæc duo funt fimul pofita, quia liquida aluus non esfet adeo mala, fi ex fe esfet abfque animi defectu. At cum animi defectu eft, fit à bilis copia quæ eft circa os uentriculi, cuius pars una mouetur ad inteftina, & mordicans liquidam aluum facit, alia os uentriculi mordens animi defectũ facit, & ita erit fyncope ftomachica, uel erit ex bilis copia cum uirium imbecillitate, quæ tantam copiam regere non poterunt, cum hæc aderunt, hi angi, & grauiter affici confueuerunt, & fudare circa fuperiores partes, qui fudor ex anguftia fit, & hi fpirituofi moriuntur, hęc igitur omnia ad uentrem liquidum, & ad animi defectum referantur.

ἢ ἀφωνίη ἐπιλάβῃ. ideft uel uocis priuatio, hoc eft aliud terrificum quod contingere poteft, ægrum fcilicet uoce priuari, & hoc fymptoma de fe ęgrũ grauiter affici fignificet, & circa collum fudare, & muftacem ac ceruicem, fignificatque hos mori fpirituofos. De uocis priuatione fuperius egimus, & quot fiat modis, Hippocrates in prognofticis inter alia futurę mortis figna ponit ἀφωνίαν. ideft uocis priuationem, fed tunc potisfimum intellige, quãdo ex imbecillitate fpiritualium inftrumentorum motus fiat, nec mirum quòd in hac imbecillitate circa caput fudores contingant, quia ex anhelitus difficultate, ex natura multum laborante fiũt, & plerunq; frigidisfimos uidimus potisfimum quando funt prope mortem. eratq; frigiditas illa tam uehemens, ut per maximum temporis fpatium in tangentium manus imprimeretur.

ἢ σπασμώδεες γίνωνται. ideft uel conuellatũ. hoc eft aliud terrificum, fi æger conuellatur, & potisfimũ cõuulfione ex inanitione, tũc grauiter angĩ, & fudores circa caput habet ac moritur, nã curationem nõ admittit, hæc ex inanitione conuulfio, & uehementisfimas febres confequi folet, unde febrem uehementisfimam esfe colligetur, utpote quæ adeo exiccauerit ut conuulfionem fecerit, pręcedensque de uocis priuatione fymptoma hoc etiam modo intelligi poterat, quod ex febris ficcitate uocis inftrumenta fuerint adeo exiccata, ut is uocem effingere non posfet.

ἢ λυγμώδεες. ideft uel fingultiat. & hoc eft terrificum fingultus, fcilicet in febribus, quia cum fit ex febris calore, eft ex inanitione, & futuram mortem fignificat, cumque hic fingultus adeft, & grauiter afficiuntur, & fudores circa fuperiores partes contingunt, & fpirituofi cito moriuntur. Omnia igitur hæc fymptomata diftincte intelligi posfunt ac feparatim, posfunt & omnia fimul intelligi, tuncque nulla erit penitus fpes falutis, cum tot indicia fimul iuncta fint, quorum unumquodque fingulatim mortem fignificat.

καὶ περὶ ὑπερῴην καὶ μέτωπον ἱδρῶτες καὶ αὐχένα ὄπισθεν τῆς κεφαλῆς. ideft & circa muftacem & frontem & ceruicem, ab occipitio fudores esfe confueuerunt. eft ὑπερῴην pars fub naribus, quæ myftax & muftax dicitur, ob raritatem aptisfima eft ad fudorem, pari modo frons & ceruix in parte capitis pofteriore, tamen contingit in his ita affectis, & totam faciem fudare, & totum collum cum moriuntur, & in his qui moriuntur frequenter uidimus totum corpus frigido fudore confpergi, & quandoque etiam calido uel fingulum fymptomatum, per fe hunc habet fudorem, uel omnia fimul, tamen hæc non eft uniuerfalis regula, quia & abfque fudore, hæc quandoque habent & moriuntur, & non femper eft in illis folum partibus, fed & in multis alijs, & in toto corpore.

οἱ δὲ ταῦτα πάσχοντες θνήσκουσι πνευματώδεες ὄντες οὐκ ἐς μακράν. ideft qui hæc patiuntur, fpirituofi moriuntur. Non multo poft tempore, nam breui occumbunt, quia tot incommoda diu ferre non posfunt, etiam fi unum folum ex prędictis fymptomatibus patiantur, hoc quod dicitur πνευματώδεες, ideft, fpirituofi uel inflati, ut Galenus notat, poteft intelligi & de fpiritus copia, qui uentrem impleat ac inflet, & tunc opus esfet interpretari inflati, uel fignificat anhelitus difficultatẽ, & tũc opus eft interpretari fpirituofi, huic parti potius inhæremus, ut fpirituofum interpretemur ideft habens anhelitus difficultatem, quoniam Galenus in tertio commentario in primum prorrhetici, fectione. 72. per hos illos intelligit qui magnam & frequentem habent refpirationem, & in tertio de difficultate refpirationis hunc adducit locum, & oftenditur manifefte non esfe intelligendum inflatum, fed eum qui circa fpirationem difficultatem habeat. hic igitur de quo author in fententia, breui moriẽ cũ anhelitus difficultate, tñ an hoc fequi necesfariũ fit non fatemur, tamen fi de inflatione intelligatur, non eft etiam necesfarium hunc breui mori, ueruntamen mors potius fequi poteft ad anhelitus difficultatem, quàm ad flatum qui in uentre occludatur, quanquam neque hoc repugnet, fed facilius mors fequitur ad anhelitus difficultatem.

Ex ijs quæ per obferuationem empirice à medicis fcripta funt, quædam talia exiftunt, ut ex femel aut bis confpectis modi uniuerfalis adnotationem habeant, tanquam fæpenumero in eifdem, & fimiliter confiderari posfint. Tale autem quippiam & id eft quod nunc dicitur. Nempe contemplatus ægrum quendam liquida quædam deiecisfe, atque animæ defectu prehenfum, uoceque priuatum, alium uero conuulfum, & poftea uel ambos, uel alterum ἀσώδεα, ideft faftidijs plenum, grauiterque affectum, partesque tum faciei, tum colli fudantes, deinde obijsfe, hæc fcripfit quòd fignorum empiricorum concurfum exiftimaret. Sed fanè hæc posfunt & ftomachicam prægredi fyncopen, fierique ualent & propter copiam opprefsa uirtute, uel ea ipfa alio languente modo. Vnumquodque fiquidem eorum quæ dicta funt, per fe malum eft, nedum fi fint conuenientia omnia. Nempe ex repentinis deiectionibus deficere animam periculofum eft, ueluti & uoce priuari, & faftidijs, angoreque plenum esfe: partibus uero, tum faciei, tum capitis duntaxat fudare, non bonum. Quo igitur modo hæc, tum multa, tum mala exiftunt: fic & alia quę in prognoftico fcripta funt. Poftque quifpiam hæc inter fe GALENVS.

cõnectens

connectens uideri nouum quippiam docere, quod si & dictionem obscuram, ambiguamque ueluti ænigma sermoni miscuerit, iam plebeijs & ex ea sapientior esse uidebitur. Admirantur siquidem plebeij, quæ non intelligunt. Viro autem qui superuenientia symptomata ab eorum quæ morbum indicant concursu distinguere nouit, sermo is uarius quidem deprehendetur, sed inutilis. Nempe pathognomonica syndrome, ita enim Græci symptomatum ægritudinem indicantium concursum uocant, morbi speciem demonstrat. Superuenientia uero symptomata mansuetudinem ipsius & malitiam.

Eumque qui singulorum horum symptomatum uires didicit, quæ apparent, tum æstimare, tum inter se comparare oportet. Et si quidem tum fortiora, tum plura uidentur quàm bona mala, hominem in periculo esse est sciendum. Verum si bona malis & fortiora, & plura fuerint, de ægro bene sperandum: quod te facere iubet & ipse Hippocrates. Nempe in prognostico singulorum tum symptomatum, tum signorum uires particulatim docuit, atque circa libri finem ita ait: Oportet autem eum qui recte sit tum conualiturus prædicturus, præterea & in quibus ægritudo pluribus diebus, & in quibus paucioribus permansura sit, signa omnia perdiscere, atque æstimatis eorum inter se uiribus, ut scriptum est, ferre sententiam. Signorum autem uires æstimari præcepit, atque ex ipsis prægnoscere quidnam futurum sit. Vbi ergo bona malis permixta fuerint, uiribus quodam modo paria æquaque, exercitato est opus uiro, qui in operibus ea sæpenumero fuerit contemplatus. Vbi uero omnia uel mala, ut nunc, fuerint, uel bona, cuiuis patet quod futurum sit. Cum enim deijciente aluo deficere animam signum per se malum sit, pari modo & malum uocis priuatio. Si præterea æger neruorum distentione conflictetur, uel singultiat, uel fastidijs refertus sit, manifestius indicabit periculum. Si præter hæc & aliud quodpiam malum superuenerit signum, ut circa faciem, ceruicemque sudores, atque adhuc quæ nunc à scriptore huius libri dicuntur, nullo quod bonum sit malis permixto signo, quod talis de necessitate ex signorum malorũ aceruatione morietur, notum euadit. Adiectum autem in fine dictionis πνευματωθέντες, idest spirituosi facti tanquam ænigma, ceu quippiam eorum quæ de necessitate fore non reclamant, quicquid significet, siue spirituum copiam quibus uenter inflari possit, siue magnam & frequentem respirationem: quam sanè his quas comitatur affectionibus haudquaquam bonam esse didicimus, uelut & eam quæ uentris est. Quapropter uestiganda alia signa non sunt, his de necessitate antegredientibus. Nondum enim ex eis uelut ex nonnullis quæ casu eueniunt, futurorum secura quæpiam fit prænotio.

Primo Galenus notat ea quæ in hoc libro scripta sunt, esse his similia quæ à medicis per obseruationem empirice scripta sunt, idest ex his quæ semel aut bis conspecta sunt, & uniuersalis admonitio accepta est, empirici etenim ex uno aut duobus annotatis uniuersalem propositionem & proloquium effingebant, ac si ista quæ tam paucis uicibus obseruata sunt, sæpenumero in eisdem considerari & inueniri possint, & ideo quod in hac sententia ab hoc authore dicitur, tale est, quippiam per empiricam obseruationem semel forte uisum, & in canonem uniuersalem reductam: Nam hunc ęgrum quendam contemplatus liquida deiecisse, & animæ defectu apprehensum esse, & uoce priuatum, alium uero conuulsum, & postea uel utrosque, uel alterum fastidijs plenum esse, & grauiter affectum, deinde uiderit faciei partes & colli sudare, postea obijsse. his igitur uisis hæc scripsit, quia erat empiricus, existimabatque hæc empiricorum concursum efficere, tamen non est necessarium, ut ex uno uel altero illorum symptomatum obeat, & symptomata illa possunt nonnunquam stomachicam syncopem præire, & quandoq; fieri possunt ex humorum copia cum uirium imbecillitate, eo quod ab humorum copia opprimantur, imo & ægro alio modo languente, quàm hic referat author, hæc fieri contingunt, iccirco pro uniuersali regula accipi non debent, neque pro utili ad rem medicam.

Quod legitur nempe contemplatus ægrum quendam liquida quædam deiecisse, Græce est ἑωρακὼς γὰρ ἔγραψε τοῦτο πεμπταῖον τινὰ διαχωρήσαντα μέν τινα ὑγρὰ διαχωρήματα. idest contemplatus enim ægrum quendam quintanarium deiectiones quasdam liquidas deiecisse, deest particula quintanarium, quæ uel interpretetur de quinto in quintum uexatum, uel quinto die uexatum, eaque particula apponi debebat, ut esset commentario authoris sententiæ consequens.

Secundo Galenus notat unumquodque prædictorum symptomatum per se malum esse, ob id saltem quia omnia non sunt conuenientia, nam ex repentinis deiectionibus animum deficere periculosum est, sicuti & priuari uoce, & fastidijs atque angore esse plenum. Adde quòd faciei partibus solum & capitis sudare bonum non est. sicuti autem hæc multa mala existunt, ita & alia quæ in prognosticorum libro scripta sunt.

Tertio Galenus notat quempiam hæc inter se connectentem, posse uideri nouum quoddam edocere, imo si obscuram dictionem & ambiguam, uelud ænigma quoddam hunc sententiæ miscuerit, plebeijs ex hac obscuritate & ignaris sapientior uidebitur, nam plebeij de his rebus quæ non intelligunt admirantur. At uir ille qui superuenientia symptomata ab illorum concursu quę morbum indicant, distinguere scit, is inquam uir cognoscit sermonem hunc uarium & inutilem esse deprehendit. Nam syndrome pathognomonica (ita enim Græci nominant concursum symptomatum ægritudinem indicantium) morbi speciem ostendit, ut superius in febre ardente edocuimus. At superuenientia symptomata morbi speciem non ostendunt. sed solum an sit mansuetus morbus uel malignus, oportetque uirum illum, qui singulorum horum symptomatum uires didicit (intelligimus uero de symptomatibus quæ post apparentia sunt) illa & recte æstimare & inter se comparare, nam si mala & fortiora & plura sint, quàm bona, hominem in periculo esse censendum est. At si bona malis & fortiora & plura fuerint, de ægro bene sperare oportet. hocq; ab Hippocrate edocemur, nam in prognosticorum libris singulorum symptomatum & signorum uires particulatim docuit, in libri autem calce ita enunciauit, oportet autem cum recte sit cõualiturus & moriturus prędicturus, præterea & in quibus ægritudo pluribus diebus, & in quibus paucioribus permansura sit, signa omnia perdiscere, atque æstimatis eorum inter se uiribus, ut scriptum est, sententiam ferre, ut uideas Hippocratem præcipere signorum uires æstimandas, ex ipsisque quid tum futurum sit, prænoscere.

Quod legitur plebeijs, Græce est τοῖς πολλοῖς, ut multitudo notet, multitudo uero semper est plebeiorum & idiotarum.

Quarto Galenus notat cum bona malis permixta fuerint, & paria fuerint atque æqualia quodammodo uiribus, tunc uiro indigere exercitato, qui sæpenumero ea in operibus artis fuerit exercitatus, & ea ad unguem frequenter fuerit contemplatus: at ubi omnia praua sunt ut in præsenti sententia referuntur, uel omnia sunt bona, non indigemus uiro exercitato, sed unicuique quod futurum sit apertum est.

Quarto Galenus ea quæ dixerat ad propositum applicat, ut cum sunt omnia mala, omnibus notum esse periculum, sicuti cũ sunt omnia bona, salus omnibus est nota. en igit cum per se malum signum sit aluo deijciente animam deficere, pari modo & cum malum sit uocis priuatio. Si præter hæc æger neruorum distentione conflictetur, uel singultiat, uel fastidijs affectus sit, tũc periculum imminere manifestius cernitur. Adde si præter prædicta aliud signum malum superuenerit, ut sudores circa faciem atque ceruicem, & omnis quæ ab hoc authore referuntur, quæ omnia sunt mala indicia nullo simul bono commisto, proculdubio notum fiet & ipsis cæcis hunc ex tot malorum symptomatum aceruatione moriturum.

Sexto Gal. notat in hu⁹ sentẽtiæ fine additũ eẽ πνευματωθέντες,

idest spirituosi facti, ueluti ænigma quoddam eorum quæ de necessitate fore non reclamãt, quicquid particula illa significet, uel enim intelligas spirituum copiã, qua æger inflari possit & uentre inflatos interpretatur, uel magnam intelligamus & frequentem respirationem imo & difficilem, quicquid horum dicatur cum alijs affectionibus bonum esse non potest, uel uentris inflationem intelligamus, uel spirandi difficultatẽ, ppterea alia signa uestiganda non sunt, his antegredientibus de necessitate, nam ex iis non est secura quædam futurorum prænotio, sicuti neque est secura, in nonnullis quæ casu eueniunt, ut Galenus ex his inferre uelit nihil boni haberi aut utilis ex hac sententia, sed omnia esse contuita sed uel semel uel bis aut nunquam uisa.

## Hippocrates. Sectio LXIII.

Quibus per febres crura tuberculis afficiuntur, eaq; tractu temporis manente etiamnum febre non maturuerint, faucibusq; haudquaquam tumentibus irrepserit suffocatio, non maturuerint inquã, sed extincta sint, ijs sanguis e naribus fluere consueuit. qui si multus fluxerit, morbi solutionẽ portendit: si non multus, morbi prolixitatem. Quare quo minus fluxerit, eo deterius & prolixius erit malum. Quod si & alia facilia fuerint, pedum dolores sunt expectandi: qui si pedem affecerint, & dolorosus perseueret, inflammeturq;, & non leuetur, dolores post paulo ad ceruicem peruenient, claiculamq;, & pectus, & articulum. Nempe & hic tuberculosus fieri debet. Quibus extinctis, si manus uel contrahantur, uel tremulæ fiant, talem neruorum distentio prehendit, & desipientia: supercilijs oriuntur, quæ φλυζάκια uocant: ruboresque ægrum habent, & ex palpebris altera ad alteram germinat: dura prehendit phlegmone, tumet uehementer oculus, & delirium ualde crescit, intenditurque, atque noctu magis quam interdiu indicatur. Signorum autem multa fiunt in numero impari magis quam pari. Vtro tamen horum fiant, perniciosi superueniunt.

BRASAVOLVS. Ex his quæ in hac sententia scribuntur multa superius dicta sunt, & alia dicentur, nonnullaque noua depromuntur. tamen sermonem hunc temere factum iudicat Galenus, quia multa sequi ex alijs de necessitate dicit, quæ tamen necessario non sequuntur, uerum ut hæc contemplemur primo de more, breui huius partis sententiam referamus, qui febre correpti sunt, & ipsis circa crura turbercula inascuntur quę lõgo tempore perseuerent, febre & ipsa perseuerante, & tubercula non maturescant, intellige uero non esse effecta matura, sed esse extincta, & faucibus non tumentibus suffocatio contingat. his ita se habentibus, sanguis è naribus profluere consueuit, qui si copiose fluxerit morbus soluetur, prædicique potest hæc morbi solutio, si uero profluat quidem, sed multus non sit, morbi prolixitas significatur. iccirco inferendum est quo minus fluxerit, eo & deteriorem, & prolixiorem futurum morbum. Adde si alia facilia fuerint pedum dolores esse expectandos, qui dolores si pedem affecerint, & dolor perseueret, imo inflammetur, & non leuetur, dolores paulo post ad ceruicem peruenire uidebis & ad clauiculam, & ad pectus, & ad articulum, quoniam & hic articulus tuberculosus fieri debet. his uero extinctis si manus uel contrahantur, uel tremulæ fiant, tunc neruorum distensione, & desipientia prehendi debere iudicato, & in supercilijs talia oriri, quæ φλυζάκια uocantur, ruboresq; ægrum occupare, & altera palpebra ad alteram germinare. irrepit etiam phlegmone dura & oculus uehementer tumet, deliriumque uehementer crescit atque intenditur, idque indicatur noctu magis quàm interdiu. Scitoque inter signa multa fieri magis in numero impari quàm pari. Tamen quicquid horum fiat perniciosi superueniunt, hæc est huius partis sententia, quam conabimur quantum fieri poterit ad ueritatem reducere, singulas particulas considerantes, & ut decebit interpretantes.

ὁκόσοισι δὲ ἐν πυρετοῖσι τὰ σκέλεα γίνεται φυματώδεα. idest quibus in febribus crura tuberculis afficiuntur, possunt in febribus tubercula circa crura erumpere duobus temporibus, aut in principio & augmento, aut in consistentiæ fine & declinatione, si in principio & augmento erumpant, ex materiæ copia fiunt, quæ in hoc est ægro adeo redundans, ut necessarium sit partem per uiam symptomatis ad extremas partes transmitti & potissimum ad crura, si in fine consistentiæ erumpant, & in inclinatione, tunc fiunt per modum indicationis, hæcque tubercula fieri solent in morbis longis, unde ab Hippocrate & Galeno frequentissime dictum est longas febres per abscessus finire, in hac parte de tuberculis illis intelligere non oportet, quæ post iudicationem contingunt, quoniam eiusmodi mutationes facere non possunt quæ in hac sententia dicuntur, uel si hæc intelligeremus opus esset febrem in illa declinatione intelligere perseueraturam, & tam cito non finituram, tamen de illis intelligere melius est quæ simul cum febre erumpunt ex materiæ copia.

καὶ ἐν χρονίῃ μὴ ἐκπεπαίνηται ἐόντων ἐν πυρετῷ. idest & tractu temporis non maturuerint cum febris adhuc perseueret. Tubercula præterea ista perseuerante febre ad maturationem non uenerint, neque ad exituram, sed potius disparcant, & euanescant, materiaq; intus suscipiatur.

καὶ πνιγμὸς ἐν φάρυγγι, ἰσχνῶν ἐόντων τῶν περὶ φάρυγγα. idest & faucibus extenuatis suffocatio contigerit. Cum tubercula circa crura delitescunt, & in faucibus suffocatio persentiatur, quæ tamen fauces sint tenues, idest in quibus non uideatur tumor, sed suam habeant naturalem tenuitatem, signum est materiam à cruribus ad fauces uergere, tamen tumor extra non apparet, sed intus est, & suffocationem parit.

καὶ μὴ ἐκπεπαίνηται, ἀλλὰ σβεσθῇ. idest & non maturauerint, sed extincta sint. hoc ad tubercula referri potest, quæ haud maturescere dixit, tamen dicere posses etiam si non maturuerint posse in eodem gradu cruda manere, hic uero exponit, non maturuerint, hoc est extincta sint. cum extincta sunt, idest euanescunt, necesse est ut ad alias corporis partes materia uertatur. Copus uertit neque extincta fuerint tubercula, quod minime conuenit, nam nisi essent extincta, idest nisi euanuissent non fuisset facta suffocatio, nisi hoc referamus ad fauces, ad quas tubercula idest materia quæ tubercula faciebat irrepsit, & extinguuntur, scilicet suffocatio, unum est tubercula euanescere debere & suffocationem consequi, postea si suffocatio ipsa euanescere debeat, hæc sequuntur.

φιλεῖ τῷ τοιούτῳ αἷμα ἐκ ῥινῶν ῥεῖν. idest consueuit huic sanguis ex naribus fluere, si à suffocatione liberari debet.

ἢν μὲν πολὺ ῥυῇ, λύσιν σημαίνει τῆς νούσου. idest & si quidem multus fluxerit, morbi solutionẽ portendit. Q. si magna sanguinis copia è naribus exit, morb⁹ soluit, & à suffocatione tuberculis, atq; à febre liber euadit. hic sanguis crassus erit, alr tubercula caput fecissent, et ad collũ nõ rediissent neq; tãto

tempore

tempore cum febre perdurassent.

ἢν δὲ μὴ, μακρόν. idest, si autem non, longum. idest si sanguinis copia non exiuerit, morbus erit longus, quia tanta sanguinis copia non exit, quæ ægrum liberare possit, & uis non est tanta, quæ mouere cœpit, ut in emittendo sanguinem perseuerare possit, quare opus est, ut deinceps paulatim uincat, propterea morbus erit longus. Et cum amplam sanguinis copiam exire uides, morbum sanari prædicito, cũ uero in paruum exit copia, morbũ futurum longum iudicato, hoc est & febrem et suffocationem perduratura, tamen suffocationem intellige, quæ mitior reddita est, quàm prius esset ex illius portionis sanguinis exitu.

ὁκόσῳ δ' ἂν ἔλασσον ῥυῇ, τοσῷδε χεῖρον καὶ μῆκος. idest quantum uero minus fluxerit, tantum deterius & prolixius erit malum, & si in maiori copia fluxerit, non tamẽ ad plenum, minus deterius & minus prolixius erit malum.

εἰ δὲ τὰ ἄλλα ῥάιστα γίνεται, προσδέχεσθαι τῶν τοιῶνδε ἐς πόδας ἀλγήματα. idest, si autem alia facilia fuerint, pedum dolores sunt expectandi. uide quem circulum faciat hic author, si tubercula in cruribus sint & euanescant, fauces petunt, & suffocationem faciunt, si suffocatio abire debeat, necesse est ut sanguis copiosus nares exeat, si copiosus non exit, ægritudo perseuerat. quæ si sit facilior reddita, & natura materiam uincat, solet hæc materia, quæ prius erat in cruribus. & ad fauces ascendit, à natura ad pedes transmitti, hoc autem fit quando omnia facilia sunt; quia tunc natura ad alia symptomata non est occupata, ad pedes uero facilius transmittitur, quia materia est crassa, & natura cum potest, materiam semper ad partes principijs distantiores mittit.

ἢν ἐνάψηται τοῦ ποδὸς, καὶ ἐπιπόλυος γινόμενος παραμένῃ τυ ῥοφλεγμῆς γινόμενος καὶ μὴ λυθῇ κατὰ σμικρὸν ἥξει καὶ ἐς αὐχένα ἀλγήματα καὶ ἐς κληῖδα καὶ ἐς ὦμον καὶ ἐς στῆθος καὶ ἐς ἄρθρον. i. qui si pedem affecerint, & dolore affectus pmaneat, inflãmet, & non leuet, dolores paulo post & ad ceruicẽ puenist & ad clauiculam, & ad humerum, & ad pectus, & ad articulum, si pedum dolor perseuerauerit, non est necesse materiam iterum uerti ad superiora, tamen uerti quidem potest, sed necessarium non est, neque est necessarium ut ad omnes istas uertatur partes, at ad unam solam uerti potest, & hoc indifferenter, ut ad duas, & ad omnes, tamen necessario hæc non sequuntur ad diuturnum pedis dolorem, in podagricis tamen affectibus. uidetur uno die pedem unum relinquere, & in alium transire, postea genu aggredi pede relicto, deinde coxendicem relicto genu, & ad collum peruenire, milleque mutationes facere, in aliquibus superueniunt in alijs locis. tamen præcedentes uexare non desistunt. sunt aliæ materiæ quæ de nouo mouentur, in genere tamen illa quę in hac sententia dicuntur fieri quidem possunt, sed ut fiant necessarium non est, per articulum uero quẽcunque intellige articulum, quia & in articulis fiunt huius generis dolores, propterea sequitur.

καὶ τοῦτο δέοι φυματῶδες γενέσθαι. idest & in hoc tubercula fieri debent in articulo scilicet de quocunque articulo intelligens, forte de colli articulis intelligit.

σβεννυμένων δὲ τούτων ἢν αἱ χεῖρες ἑφέλκωνται, ἢ τρομεραὶ γίνωνται, σπασμὸς τὸν τοιόνδε ἐπιλαμβάνει καὶ παραφροσύνη. idest quibus extinctis si manus contrahantur, uel tremulæ fiant, talem conuulsio prehendit, & desipientia. Author prosequitur mutationem aliam ponens in hoc humorum motu, si dolores extinguantur, qui ad ceruicem peruenerant, clauiculam, humerum, pectus, & articulum, extinguuntur uero, non quia materia sit resoluta, sed quia ad alium locum transmutata, si manus uel contrahuntur, uel tremulæ fiunt indicium est materiam ad neruos moueri, uel ad neruorum principium, ad quod cum eiusmodi perueniat materia, hic ob læsionem, à neruorum distentione & conuulsione prehenditur, & quia principium neruorum læsum est, idcirco & desipientiam incidit.

ῥοιὰς καὶ φλυζάκια ἐπὶ τὰς ὀφρῦς. idest ceut & phlyzacia in superciliis oriuntur. hoc symptoma ex prædictis non sequitur, sed forte (ut Galenus inquit) author hęc quendam aidit qui cum prædictis symptomatibus in superciliis phlyctænas habebat, propterea id accepit ac si esset perpetuo consecuturum ad talia symptomata.

Sunt uero φλυζάκια, & φλυκταῖναι paruæ pustulę ueluti bullæ supra cutem eminentes, quę si à calore fiant potissimum eo nomine uocantur, ἀπὸ τοῦ φλύειν. idest ab ebullitione & feruore, si uero à frigore fiant, ψύδρακες & ψυδράκια nominantur ἀπὸ ψύχους, tamen confunduntur, & φλυζάκια à bile ut plurimum fiunt, sunt pustulæ illis similes quæ ab igne eleuantur, ut nonnulli non pustulas, sed uesicas interpretati sint. Nota uero confundi φλυκταίνας & ψύδρακας, Paulus de ψυδρακίῳ dicit in hominis capite fieri, & esse exiles excrescentias pustulis similes in summa cutis superficie erumpentes, imo & Galenus in oculo ψυδράκιον fieri uoluit, & profecto est simile quod in oculis fit ei quod in toto corpore excitatur, pustula est quæ in oculi candido erumpit in summo rubens. Paulus libro quinto capite. 29. in illa parte ubi de pustularum generibus agit, inquit ψυδράκιον autem paulo durior pustula, subalbida, acuta, ex qua quod exprimitur humidum est. tamen phlyctęnæ potius ex bile fiunt. Et si quis petat in hoc casu quænam potius erunt φλυζάκια an ψυδράκια, Respondemus cum Celsus describit ψυδράκια esse pustulas subalbidas, & ex consequenti à frigore & pituita factus, & hic morbus huius hic descripti fit longus, propterea intelligimus quod à pituita sint, & ab humore frigido, & si proprie loquamur dicere debemus ψυδράκια fieri, & non φλυζάκια, tamen hæc uocabula confunduntur.

καὶ ἐρυθήματα ἴσχει. idest & rubores ægrum habent, in qua sint parte rubores non exprimit author, si circa faciem intelligamus erunt ob materiam quæ ad superiores partes ascendit, si circa supercilia intelligamus, tunc erunt proprie φλυζάκια, in quibus pustulę sunt rubræ: & rubedo per totam partem ex humore bilioso contrahetur, sed profecto hæc symptomata non sunt necessaria, & impossibile est tot transmutationes facientem esse calidam, tamen poterit esse calidæ mista, non dicimus materiam quæ facit transmutationem non esse calidam, sed cum morbus adeo longus est ut tot faciat transmutationes, necesse est materiam esse frigidam: at quia mobilis, calidæ mista est, in quauis igitur parte rubores intelligas, semper erit symptoma quod non est necessarium.

καὶ βλέφαρον τὸ ἕτερον παρὰ τὸ ἕτερον παραβλαστάνει. idest & ex palpebris altera ad alteram germinat, Galenus quærere noluit quid hoc significet, quoniam inutile esse existimat. intelligi posset in una palpebra aliquam oriri affectionem, quę ad aliam palpebram extendatur, ut si phlyctænæ sint in dextera, & extendantur ad sinistram, uel econtrario, & hoc est palpebram unam ad aliam germinare, uel sint rubores qui ab una palpebra ad alteram extendantur, uel sint alia huius generis parum refert, nam sermo est non parum ambiguus si quis dixerit germinare palpebram unam ad alteram.

καὶ σκληρὴ φλεγμονὴ κατέχει. idest & dura phlegmone prehendit, ex materia, quæ tot fecit sypromata, fieri non potuit ut uera phlegmone excitaretur, quæ ex sanguine fit, sed fit phlegmone quædam pituitosa humori calidiori mista, quam ob ueræ phlegmones differentiam duram uocant, quippe uera non est adeo dura. Scito autem phlegmonem etiam ueram ab Hippocrate in prognosticis definiri esse tumorem durum dolentem. At hic tumor qui à pituita fit cum aliqua calidi humoris portione magis durus est. Addeque cum adsit rubedo ut superius dictum est, ob id uocari phlegmonem, tamen hoc consequi necessarium non est, & si petas in quo loco fiat eiusmodi inflammatio, dicimus hæc omnia intelligi circa oculum fieri, & illa etiam quæ sequũtur circa oculum sint, propterea addit.

καὶ οἰδίσκεται ἰσχυρῶς ὁ ὀφθαλμός. i. & tumet uehementer oculus. hic tumor necessario sequitur ad tot symptomata quæ circa ipsum sunt, uel opus est intelligere ex materia quæ inter oculorum tunicas imbibatur, sed neq; hoc necessarium est, imo rarissime uisum, & forte semel tantum ab hoc authore.

καὶ παραφροσύνη μέγα ἐπιδίδωσι. i. & desipientia ualde crescit, materia ad partes superiores ascensum intendente, & principio ipso læso, læsióneq; perseuerãte, atq; materia in loco aucta.

αἱ δὲ νύκτες μᾶλλον ἐπισημαίνουσιν ἢ αἱ ἡμέραι. i. atq; noctu magis q̃ interdiu iudicatur, quia materiæ istæ magis noctu mouentur q̃ interdiu, & in morbis longis uidetur magis affligi ut plurimum æger noctu q̃ interdiu, q̃uis hoc necessarium nõ sit, tamen apud uulgus in prouerbiũ cessit, morbos noctu potius uexare q̃ die, forte cum materia frigida est recedente sole, & frigoris nocturni tempore superueniente materia ab externo frigore uelut incitata ac mota ad uexandum mouetur, calida uero materia non magis die q̃ noctu mouetur, quia ex sui actiuitate, etiam si noctis frigus obuiet, tamen mouetur, in die autem uelocius mouebitur præsertim æstiuo tempore. Et si dicas frigus potius sistere, igitur materia frigida noctu potius firmari deberet. Respondemus adesse calorem intrinsecum qui illam mouet. & illa ex naturæ homogeneitate & similitudine quadam cum noctis frigore illecta mouetur.

τὰ περὶ τὴν παραφροσύνην. i. ea quæ circa desipientiam contingunt. ut id quod de die & nocte dicitur, ad desipientiam referatur, quia desipiẽtia magis noctu q̃ interdiu indicatur. Id ob prædictas causas intelligi potest, quia materia magis mouetur & desipientiam facit ex parte potissimum calidiori quæ frigidæ mista est, sed & quia qui desipiunt, cum dies obscurantur, magis uexari solent, hoc autem nõ est uerum nisi in atra bile, nam in bile potius ex obscuritate quietantur. Iccirco in tenebris seruari iubentur.

τὰ δὲ σημεῖα μάλιστα γίνεται πολλὰ ἐπὶ τὸν περισσὸν ἀριθμὸν, ἢ ἐπὶ τὸν ἄρτιον. i. signorum autem multa fiunt in numero impari magis, q̃ pari, ex signis et symptomatib⁹ supradictis, maior pars contingit potius in diebus imparibus q̃ imparibus. Verum cum hic morbus necessario longus sit, quia temporis tractu tubercula non maturauere, postea transmutationes illae ad diuersas partes per aliquod tempus etiam perdurarunt. iccirco signa potius in diebus paribus apparere debent, quàm in imparibus, quoniam in acutis iudicationes fiũt per impares, & ægritudinum motus, in diuturnis mutationes fiunt & iudicationes per pares dies, ut superius dixit Galenus, propterea neq; hoc signum quod hic ab authore dicit est uerum, sed potius ex opposito legere debemus, ut per dies pares potius q̃ per impares maior signorum pars fiat.

ὁκοτέρῳ δὲ ἂν τούτων τῶν ἀριθμῶν γίνηται, ὀλέθρια ἐπιγίνονται. i. utro tamen horum numerorum fiant perniciosi superueniunt. tamen uel fiant hæc signa in diebus paribus & in numero pari, uel in numero impari semper sunt perniciosa, & malũ indicant, ut ex his indicijs si quandoque tibi contingat talem ægrũ curare, nõ potes nisi malum prædicere, sed ut Galenus optime notauit, hæc omnia extra rationem contigere.

GALENVS. Qui librum hunc confecit, is hæc omnia quæ dicta sunt, deinceps inter se contemplatus uniuersalem quendam particulari ex obseruatione sermonem temere fecisse mihi uidetur. Melius siquidem erat, si quo Hippocrates modo in epidemijs morbis scribere consueuit, is ita fecisset: præfatus quidem ab initio patientis nomen, deinde dies in quibus singula facta sint, narratione assecutus, ut & in ipsis quæ nunc dicta sunt symptomatis facere potuit. Nempe in cuiuspiam cruribus orta sint tubercula, eaq; non recipiant maturitatem: febriat quoque is, & suffocationem incurrens ab his liber sit tuberculis: existimabit profecto quis sursum factam humorum qui crus infestabant transmutationem, quæ in horum transitu suffocationem homini peperit. Si ergo talis euasurus est, profluere ꝑ nares sanguis poterit: qui si multus fuerit, morbum soluit: si nõ protrahetur ægritudo. Et si reliqua bene fiãt, succedantq;, rursum ad pedes decumbere huic dolor poterit. Quod ita factum esse statuas, ueluti ex his hominem περιφλεγῆ factum esse quod caliditatem multam circa pedem manifestare consueuit, uel febrem multam igneamq; & flagrantem. Et si post hæc nõ soluta fuerint symptomata, reuersa iterum ad superiores partes humorum copia, dolores pariet in collo, clauicula, humero et pectore. Ut autem huic omnia hæc absq; ratione contingerunt, nempe id extincta esse fuit, ita manus tremulas factas esse statuatur, deinde neruorum distentionem, quod ad neruosas partes decubuerit humorum copia, principiumq; ipsorum prehenderit, unde insania, subsequutam esse. Contemplatus igitur author quendam ex his qui ita affecti sunt, φλυκταίνας in supercilijs habentem nempe (id significant φλυζάκια) omnibus ita habentibus futurum symptoma hoc temere pronunciauit. Idemq; de his quæ continuata serie scripta sunt, sentiu existit. Nempe quod uni ita affectorum uel duobus factum est, id ad omnes extendens, ut & ipsos rubores habere, & ex palpebris alteram ad alteram germinare, duram quoque fieri phlegmonẽ, & uehemẽter tumere oculos. Quorum cæteris quidem cuiuis patent: sed ex palpebris alteram ad alteram germinare est ambiguum, utrum ne significare uoluerit, quandam ex parte earum exurgentem consertionem, uel carnosam quandam generationem, ab altera quidem enascentem, sed ad alteram sese extendentem. At uero si rei huius quo pacto inuentio quippiam utilitatis afferret, de ea amplior, fusiorque foret scrutatio.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat huius libri authorẽ hæc omnia quæ in hac sententia referuntur primo contemplatum esse, postea ex particulari quadam obseruatione regulam uniuersalem facere uoluisse, idque temere & præter rationem, imo hic melius fecisset, si eodem modo scripsisset quo Hippocrates fecit in epidemijs, in primis ægroti nomen proponens, deinde dies enumerãs, in quibus singula facta sunt, sicuti hic author in his symptomatibus proculdubio facere potuit.

Secundo Galenus modum enarrat quo hic incedere debebat, primo nomen enarrandum erat, postea symptomata secũdum dies referenda. tamen hic author dies non seruat, sed hoc modo præponit, sint in cuiuspiam cruribus orta tubercula, quæ maturitatem non recipiant, hicque febre correptus sit ad suffocationem incidens ab his tuberculis liberetur, ex hoc quisq; putabit illorum humorum qui tuberculis crus infestabant sursum factam esse transmutationem, ex his uero humoribus suffocatio fit, à qua si æger euadere debeat, sanguis per nares profluere poterit, & supposito per nares sanguinem profluere. Si copiose profluet, morbus soluetur, si non copiose ægritudo prorogabitur. Interim uero in hac ægritudinis prorogatione, si reliqua bene fiant, & nulla succedant sinistra symptomata, hic dolor ad pedes decumbere poterit. At si ita factum esse statuatur, ueluti ex his hominem περιφλεγῆ factum esse, quod significat caliditatem multam circa pedes, uel febrem multam igneam & flagrantem, si deinceps hæc symptomata soluta non sint, humorum copia iterum ad superiores partes reuersa, dolores in collo pariet, clauiculo, humero, & pectore.

Ubi legitur si ergo talis euasurus est, in Græco codice statim additur εἰς ἀπνιγέντας ἐστιν, ut Hippocrates dixit, postea sequitur profluere per nares sanguis poterit, uerum si in præsentiarum per huius libri authorem Hippocratem intelligas, sibi proculdubio contradiceret, quia in huius commentationis principio dixit qui librum hunc confecit debuisse Hippocratem in epidemijs sequi, uel intelligamus proposuisse hunc casum secundum Hippocratem ita referẽdum ut ipse retulit, uel intelligamus Hippocratem dixisse in suffocatione posse sanguinem profluere ex naribus, nam hic est unus modus ægrum à suffocatione liberandi.

Tertio Galenus prosequitur ut quemadmodum huic ægro, hæc omnia absq; ratione contigere. i. esse extincta, hoc est illud significabitur per illam particulam extincta esse, ita statuẽ ac supponatur manus esse tremulas effectas, & neruorũ additam distinctionem, quoniam humorum copia ad neruosas partes decubuerit,

decubuerit,& principium neruorum deprehensum sit, ex quo insania necessario subsecuta est.

Quarto Galenus notat authorem hunc quendam contemplatum esse ex his qui ita affecti sunt, φλυκταίνας in superciliis habere ( hoc etenim significatur à dictione φλυζάκια )in omnibus ita habentibus symptoma hoc futurum pronunciauit, & idem de his omnibus dicere oportet quę cõtinuata serie scripta sunt, cum enim uni ex ita affectis uel duobus ita factum esse deprehendit, accepit ac si uniuersale esset,& ad omnes extenderetur, unde & addit hos habere rubores,& ex palpebris alterã ad alteram germinare & duram fieri phlegmonem , & oculos uehementer tumere.

Deniq; Galenus notat omnia ꝑdicta symptomata omnibus esse nota atq; aperta, id uero ex palpebris alteram ad alteram germinare, ambiguum esse, ambiguum inq̃, an significare uoluerit conserionem quandam ex earum parte exurgentem. An carnosam quandam generationem ab altera quidem enascentem, ad alterã uero se extendentem. At de his nõ est prorroganda disputatio, quia nullam parit utilitatem, siquidem ex huius rei inuentione aliqua haberet utilitas, fusiorem profecto & ampliorem de ipsa perscrutationem fecissem , Galenus inquit sese unà excusans cur in hac sententia exponenda tam breui se expedierit, quia haec scire inutile est , ex hac enim sententia librum non esse Hippocratis manifeste colligitur.

## Hippocrates. Sectio LXIIII.

Hos si ab initio purgare uolueris, id ante diẽ quintũ facito, ubi uenter murmurauerit, si non, a medicamentis abstineto. Verum si murmurauerit, fuerintque excrementa biliosa, scãmonia mediocriter purgato. quantũ uero ad aliam pertinet sanationem , quam minime exhibebis tum potus , tum sorbitiones , ut melius æger habeat, nisi decimamquartãm fuerit egressus.

BRASAVOLVS. In hac sententia imperfectissima illius curatio ponitur, qui symptomata in precedenti sententia perscripta sit perpessus, si hos inquit ab initio purgare intendas , id facito ante quintum diem, præsertim si uenter murmurauerit. Nam si non murmurauerit, à medicamentis abstineto , & si medicamenti genus petas quando murmurauerit, considera si excrementa sint biliosa, nam si biliosa sint, scamonio mediocriter purgato, quantum uero ad aliam spectat sanationem & ad uictus rationem, q̃ exiguos potus & sorbitiones dabis, ut melius ęger habeat, ni si .14. diem fuerit egressus.

τοὺς τοιούτους δὲ ἢν μὲν ἐξ ἀρχῆς φαρμακεύειν προαιρῇ πρὸ τῆς ἀπὸ βορβορύζῃ ἡ κοιλίη.i. Hos autem si à principio purgare uolueris. id ante quintum diem facito, si uenter murmurauerit. Curatio talis est, qualis est morbus cum suis sy ptomatibus, confusa.s.& indistincta , & si ab initio hunc purgare uolueris iubet hoc fieri oportere ante quintum diem, quoniam in principiis si quid uidetur mouendum moue, si tibi uideatur aliquod in initio mouendũ, id facito primis diebus ante quintum diem, scito principium nonnunquam significare spatium trium dierũ, quandoq; primum momentum motus ægritudinis, quandoq; tempus illud in quo materia nihil adhuc ostendit coctionis uel contrarij coctionis, principium quod est primum ægritudinis instans intelligi nõ potest, quia illud specificasset, neq; dixisset ante quintum diem, sed statim prima die, principium, quod est trium dierum spatium intelli gi non potest , quia si quarto fiat die conuenit, cum ante diem quintum euacuatio facta sit, propterea principium intellige in quo materia nondum ostendit signa coctionis,& hoc principium multos potest habere dies, extendiq; posset ad septimum,& ad nonum.& ad plures, tamen ante quintum diem fieri iubet purgationem, quam tamen fieri non uult nisi uenter murmurauerit, cum enim murmurat, materia per intestina mouetur,& ob motum quem habet, turgentis materiæ naturam sapit. Adde quod est in urijs exitus, ꝓpterea potest ab initio purgari, murmur ostendit esse in urijs exitus, quia intestinis est, in quibus hę sunt murmurationes & rugitus. Et si dicas murmurationes has potius esse indicia inflatus. Respondemus adesse quidem flatum simul cum materia. Forte igitur quia aliquo modo turgens,& quia in urijs hunc iubet primis diebus purgandum, erunt uero hi primi dies quando febrẽ parietur , & tubercula habebit circa crura, quæ nondũm euanuerint,& materia sit ad guttur transmutata . ob id uero euacuandum uoluisse, quia materiam turgidam iudicat ex eo probari posse, quia dicit euacuandum scamonio mediocriter , in materia uero turgente mediocri utimur purgatione, q̃a materia in motu est,& non indiget nisi leui medicamento , tanquã manu ad se humorẽ trahẽte, qui uage mouetur,& nõdũ sedem sibi quæsiuit aut determinauit. Et si dicas scamonium esse forte medicamentum. Respondemus esse quidem forte, sed in pauca dati copia in hoc casu ut author refert, q̃a inq̃t mediocriter purgandum.

ἢν δὲ μὴ, ἐᾶν ἀφαρμακεύτους εἶναι.i. si uero non , à medicamentis abstineto, si uenter non murmurauerit, materiam turgentem esse dici non poterit, neq; esse in urijs exitus , propterea erit expectanda coctio, neq; hic erit purgandus , quia materia est fixa,& bonum potius q̃ malum educeremus.

ἢν δὲ διαβορβορύζῃ, καὶ τὰ ὑποχωρήματα χολώδεα ᾖ, σκαμμωνίῃ ὑποκάθαιρε μετρίως.i. si autem murmurauerint,& deiectiones biliosæ fuerint, scammonia mediocriter purgato. Hoc igitur supposito quod murmurẽt uenter & intestina, cognouerisq; humores adesse in hoc corpore biliosos , quod ex excrementis cognoscitur, quæ biliosa sunt,& ex urinis præterea cognoscitur, quæ colorem habent intensum, cognoscit & ex oris amaritudine, ex ætate, tempore, regione, uictus ratione praecedente, tunc tali medicamento euacuato, quale bilem educat, uti est scammonia. scito tamen id fieri oportere mediocriter, ut illa tantum portio purgetur, quæ in urijs est & quæ mouet, & ueluti turgens apparet, nam si reliquum bilis educere tentares quæ nõ est in urijs neq; turgida est, sed fixa, prorsus errares, naturamq; male efficeres.

τὴν δ᾽ ἄλλην θεραπείην ὡς ἐλάχιστα προσφέρειν, ποτὰ καὶ ῥοφήματα, ἵνα βελτιόνως ἔχῃ.i. quantum uero ad aliam spectat curationem , q̃ minimos exhibebis potus & sorbitiones , ut æger melius habeat. huic authori satis uisum est dixisse scãmonium dandum mediocriter si deiectiones biliosæ fuerint. At si pituitosæ sint uel atrabilares, nihil dicit, nihilq; de digerentibus potibus agit, neq; de alijs quæ præter uictus rationem fieri solent , sed à pharmaceutica ad aliam pertransit curationem scilicet ad diæteticam, iubetq; hos minimo potu & minima sorbitione esse seruandos, ut æger melius habeat, & ne naturam circa cibum occupemus , circa humores iam occupatam , in hocq; uictus genere usq; ad. 14. diem perseuerare debemus, q̃a ante. 14. diem non coquitur, propterea addit.

ἢν μὴ ὑπερβῆσι τὴν τεσσαρεσκαιδεκάτην δυνάτης ἐπιπόνητις .i. nisi fortassis. 14. diem fuerit egressus, quia tunc non est opus in hoc tam tenui uictu illum seruare, cũ prius usq; ad illum diem seruari potuerit , si uero diutius seruaretur, imbecillis efficeretur & periret.

GALENVS. Sanationem prædictæ concursionis scribit, quam nominatim perstringere mihi, ut dixi, non placet , cum etiam & sanatio nihil cõmune habeat præter ea quæ sæpius ante sunt enarrata . Ait siquidem considerandam aluum, quem per murmurationes cognitam, purgandam esse praecipit:& si biliosa deorsum repant, scammoniam biliosa expurgantẽ exhibet. Quod uero ad reliquum sanationis attinet, sorbitiones perquam exiguas ministrari praecepit, quousq; decimumquartum pertransierint diem: qua oratione morbum ante decimumquartum diem coqui non posse significatur.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat hoc in loco ab authore prædictæ cõcursionis symptomatum curationem edoceri, quam ipse parti-

culariter pertractare noluit, & ob id presertim quia eiusmodi curatio nihil cõmune habet, præter ea quæ superius sæpe dicta sunt, ait etenim considerandã aluum, quam ex murmurationibus cognosces, siquidem murmurauerit purgãda est, imo si biliosa sint quę deorsum uergunt, scamoniam exhibet, cuius officium est biliosa euacuare.

Secundo Galenus notat cum de curatione dictum sit, quæ per medicamentum fit, ad reliquum curationis transeundum esse, quod per uictus rationem fit, in uictu sorbitiones per q̃ exiguas (inquit) ministrabis, quoad æger decimumquartum diem pertransiuerit, ex qua sententia colligi potest, morbum hunc ante. 14. diem coqui non posse.

## Hippocrates. Sectio LXV.

Cum febricitanti decimoquarto die uox intercepta fuerit, tantum abest ut morbus celeriter tum solui, tum discedere consueuerit, ut etiam diuturnitas ipsi indicetur. Cum ergo in eo die apparuerit uocis interceptio, morbus protrahitur.

BRASAVOLVS. Huius libri author de prædicta syndrome nõ loquitur amplius, sed ad symptoma quoddam descẽdit, quod in febribus contingere potest, ex quo censet morbi lõgitudinem significari. Cum in febricitantibus uox. 14. die intercepta fuerit, fieri nõ potest ut morbus breui soluatur, breuiq; abeat, imo diuturnus fit, nam cum eo die. s. decimoquarto uocis interpretatio coniunget, morbum protrahi oportere prędicito, hoc edocuit hic author, quamuis absurdum sit.

*ὁκόταν πυρέσσοντι τεσσαρεσκαιδεκαταίῳ ἐόντι ἀφωνίη προσγίνηται.* i. cum febrienti. 14. die uox intercepta fuerit, uel cum febriens. 14. die obmutuerit, fieri mutũ prauum est symptoma, quod in die factum iudicatorio adhuc peius est, nã praua symptomata in diebus facta iudicatorijs adhuc peiora sunt. Vocẽ uero auferri malum esse nulli dubium est, & nos superius de penitus ablata uoce, diminuta, & intercepta locuti sumus, ubi causas secundum Galenum reddidimus cur ita fiat. Cum. 14. die talis fit, & homo sine uoce reddit, est pessimũ signum, hic author significari censet ægritudinem prorogari, quod uerum non esse cum Galeno dicemus.

*οὐ φιλέει λύσις ταχείη, οὐδ' ἀπαλλαγὴ τοῦ νοσήματος γίγνεσθαι, ἀλλὰ χρόνον τοῦ τοιοῦδε σημαίνει.* idest non consueuit celeriter solui morbus, neq; discedere. sed ex hoc diuturnitas significatur, cum hęc uox. 14. die fuerit intercepta, morbus est diuturnus. At cũ hæc sententiæ prædicere ostendãt, iccirco infert.

*ὁκόταν δὲ φανῇ ἐν τῇ ἡμέρῃ ταύτῃ, μακρότερον συμπίπτει.* idest cum ergo in eo die apparuerit, lõgius procedit. s. morbus, quando decimoquarto die uox intercipitur, & æger mutus redditur, hoc proculdubio fieri nihil ĩpedit, potestq; ægritudo prorogari postq̃ fuerit effectus mutus, sed id non est necessariũ, nam si alia symptomata fuerit praua morietur, neq; ægritudo prorogabitur. Si uero alia symptomata sint bona sanitati restituet. intellige uero talem uocis interceptionem quæ imbecillitatem sequatur.

GALENVS. Dictio hęc his superfluit, q̃ mala symptomata maiori prædita esse facultate didicerunt, cum in diebus iudicatorijs apparent. Nempe qui librum hunc scripsit, nunc in re una, quæ decimoquarto diei est particularis, hoc est usus uniuersali. Nempe ut diebus cęteris iudicatorijs, sic & decimaquarta, si malũ aliquod symptoma apparuerit, id maiorẽ habet efficaciam. Adnotare autem oportet quod futurum est, neq; simpliciter, neq; ut res tulerit, sed cum definitione. Nam si ex signis bonis, quæ maiorem habent efficaciam laboranti adfuerint, longiori tempore saluari æger poterit. At si nullum tale fuerit, morietur, nequeunte morbi concoctioni satisfacere uirtute. Qui igitur hæc scripsit, prolixiorẽ omnino fore morbum male pronunciauit. Nempe & is cito mori potest, cui uox decimoquarto die interrupta est, si cum sæuis alijs notis factũ fuerit hoc symptoma.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat sententiam hanc illis hominibus esse superfluam, qui diuersis didicere in locis & potissimum in libris prognosticorum symptomata mala, tunc esse peiora cum in die contingunt iudicatorio. unde huius libri author in re una particulari quæ. 14. die fit exemplum posuit, per illam uniuersale exemplum intelligens, nam in omnibus diebus iudicatorijs & in decima etiam quarta die si malum aliquod symptoma superueniat. id maiorem habet efficaciam. Galenus secũdo prognosticorum sectione. 54. inquit decretorium diem ad iudicationis firmitatem conducere, sed an bonum an malum sit alijs cognoscitur signis. unde si sudor septimo fiat die, uel alui deiectio, uel sanguinis fluor meliorem si reddiderit ægrũ, indicium bonum, si deteriorem malum est, & alterutrum firmum esse ostenditur, non ita uero si alio fiat die, unde in proposito. 14. die fieri mutum, quantum sit de ratione muti malum est. quãtum sit quod. 14. fiat die est firmum.

Secundo Galenus notat, id quod futurum est esse quidem adnotandum, sed nõ simpliciter, neq; ut contingit, sed cum definitione et determinatione, quippe temere pronunciare morbum futurum longum si. 14. die æger fiat mutus, absurdum est. At hoc modo determinandũ est, si alia adfuerint bona signa præter uocis interceptionem, quæ signum malum est, & quæ bona sunt, efficaciora sint, q̃ uocis interceptio, æger sanitati restitui poterit, sed tempore longiori. Si uero nullum adfuerit bonum signum morietur, quia uires non poterunt coctioni morbi satisfacere.

Tertio Galenus notat huius libri authorem male pronunciasse prolixiorem omnino fore morbum, nam & is cui uox decimoquarto die intercepta est, cito mori potest, si symptoma istud cũ sæuis alijs & magnis notis ac symptomatibus fuerit, & si uocis interceptio à uirium imbecillitate prouenerit instrumenta quæ uocem faciunt mouere non potente.

## Hippocrates. Sectio LXVI.

Cum febricitis lingua quarto die turbata quedam loquitur uenterq; liquida biliosa deijcit talis delirare cõsueuit. sed obseruare oportet quod euenientibus succedit.

BRASAVOLVS. Hic author ad aliud transit symptoma in febriente. nã cum febrientis lingua quarto die, qui indicatorius est turbata quædam loquitur, & uenter liquida ac biliosa deiecerit, hic delirare consueuit. tamen illa obseruanda sunt quæ succedent.

*ὁκόταν δὲ πυρέσσοντι τεταρταίῳ γλῶσσα ἐκτεταραγμένα διαλέγηται.* i. cum febricitis lingua quarto die turbata quedam loquitur. intellige loqui turbata. i. talia dicere quæ ad rem nihil faciant, & quæ non se consequantur, & intrinsecam quandam turbationem ostendant, quod ab alio fieri non potest, q̃ ex materiebus uel uaporibus qui caput petunt, & cerebrum obnubilant, si hoc fiat die quarto, in die fit indicatorio, propterea de septimo die quid futurum sit indicabitur, uel intellige turbata, quia lingua sit impedita, neq; expedite loquatur, quod indicium est materiam superiores petere partes, postea delirabit.

*καὶ ἡ κοιλίη χολώδεα ὑποχωρέῃ ὑγρά.* i. & uenter biliosa liquida deijcis quod indicium est ex uaporibus à bile eleuatis turbationem illam esse factam, uel ab ipsa bile. At dices quomodo bilis hæc inducere poterit si per aluum descendit: Respondemus adesse copiam, & tantam, ut per aluum descendere possit & pro parte ad caput ascendere, uel est in ore uentriculi, & ex sympathia cerebrum compatitur, unaq; portio mordicãs deiectiones facit liquidas & biliosas, quia ipsis mixta est bilis.

*φιλέει παραληρεῖν ὁ τοιοῦτος δέ.* i. talis delirare consueuit. delirium uero septimo fit die, sed hoc non solum uerum est si lingua turbata loquatur, imo & si in quolibet alio die indicatiuo uel iudicatiuo, in quo signa efficiuntur firma, contingat.

ἀλλὰ

ἀλλὰ χρὴ παραφυλάσσειν παρεπόμενον τοῖς ἀποβαίνουσι .i. sed obseruare oportet, quod euenientibus succedit. pars hæc in Græcis codicibus huic sententiæ coniuncta est, tamen Copus interpretatur ac si sit consequenti coniuncta, & profecto nos potius intelligimus ut sequenti coniungatur, & de acutis morbis qui fiunt in æstate & autumno intelligatur, ut de his illa quæ succedunt obseruare oporteat.

GALENVS. Id quoque & in alio quodam die appareteuerum si quarto apparuerit, in primis periculosiorem septimum fore demonstrat, idest, quæ illo die futura sunt.

BRASAVOLVS. Galenus notat et hoc quoque in alio quodam die apparere, nam potest non solum in .4. obmutescentia superuenire, sed & in alijs diebus, & semper est malum, tamen cum quarto fit die, de septimo indicatiuo, septimum periculosiorem fore ostendit, idest quæ illo die futura sunt, periculosiora esse.

## Hippocrates. Sectio LXVII.

In acutis morbis quæ æstate & autumno fit rapentina sanguinis destillatio, robur, multāq; in uenis inflammaionem significat. Itemq; quod postero die urina tenuis apparebit. Et si æger ætate floruerit, fueritq; corpore ob exercitationes bene carnoso uel melācholico, uel ex potatione manus tremulæ fuerint, delirium, uel conuulsionem prædicere bene est.

BRASAVOLVS. Et hæc quoq; inter alias sententias hunc librum Hippocratis non esse ostendit, quoniam multorum symptomatum concursum proponit, qui quandoq; quidem esse potest, sed nō est necessarius, in hunc igitur modum proponis, in acutis morbis repentina sanguinis destillatio, quæ æstate & autumno fit robur significat, & multam in uenis inflammationem, addic & significari urinam tenuem postero die apparituā. Adde si æger ætate florente fuerit, & ob exercitationes corpore fuerit bene carnoso, uel habitum habuerit melancholicum, uel manus ex potatione tremulæ fuerint, bonum erit prædicere delirium futurum, uel conuulsionem.

θερινῇ, καὶ μετοπωρινῇ ὀξείῃσιν τῆσι ὀξείῃσι, αἵματος ἀποστάξις ἐξαπίνης, σύντονίην, καὶ πολλὴν φλεγμασίην κατὰ τὰς φλέβας δηλοῖ, idest in acutis morbis, quæ æstate & autumno fit repentina sanguinis destillatio. robur, multamq; in uenis inflammationem significat, si cum hac sententia præcedentis finem cōiungamus, qui est, sed obseruare oportet quod euenientibus succedit, ita illa particula huic erit cōiungenda. sed in acutis morbis, qui æstate & autumno fiunt, obseruare oportet quæ repētina sanguinis destillatio robur, multamq; in uenis inflammationem significat, in acutis uel æstatis uel autumni morbis sanguinem repente fluere necessarium non est: at profluere nihil impedit, uerum sanguinis profluuiū potius est symptoma uel morbus ueris, nam in uigesimo tertij libri aphorismo Hippocrates dicit profluuia sanguinis fieri, cum tamen fieri possint & hæc sanguinis profluuia in his tēporibus æstate, s. & autumno, intelligeq; sanguinis profluuia ex naribus. quoniam in his morbis natura quod superfluū est excernere tentat. sanguis uero superfluus, qui & his tēporibus est fluidus, tū quia biliosus, tum quia tēpus est calidum, quod sanguinem ad exitū aptiorē reddit: tamen sanguinē exire per uiā causæ semper malū est, quia nisi esset superfluus. natura illū excernere nō tētaret. Forte petes quomodo id sanguinis profluuiū robur significet. Galenus respondet per robur causæ magnitudinē significari, per quā inhibetur, uel dicamus hoc in loco uti hūc authorē uocabulo συντονίη, quod significat cōtentionem, ut uoluerit uenas esse contentas & extensas, nam exit sanguis quia in uenis abūdat, cum abundat uenæ extensæ sunt. itaq; nō robur interpretabimur, sed cōtentionem, & uenarū ex abundāte sanguine extēsionem. Cum uero ita abūdans est, cōtineri nō potest, itaq; exit. Adde significari uenarū inflāmationem, quia sanguis calefactus acutior & biliosior, & ad exitū aptior redditur. Vnde & ipse sanguis est acutus, & autū tēpus, quod calidū est, ad exitū adiuuat potissimum æstiuum tempus, & prima autumni pars.

καὶ ἐς τὴν ὑστεραίην λεπτῶν οὔρων ἐπιφάσιας .i. & quod postero die urina tenuis apparebit, hoc etiam à profluuio sanguinis narium in acutis æstate & autūno significat, cum urina tenuis cruditatem significet, nō solum eo die apparere poterit, sed & prius & posterius, tamen sanguinis profluuiū posset per uiā iudicationis superuenire, tuncq; urina tenuis nō apparebit, sed erit cocta, & quæ morbum ostēderet iam esse coctum.

καὶ ἢν ἀκμάζῃ τῇ ἡλικίῃ .i. & si æger ætate floruerit, author alia addit symptomata & ad iam captum cōcursum, supponit ægrū esse ætate florentem, qui febre acuta deprehēsus sit æstate uel autūno, & repētina sanguinis destillatio superuenerit.

καὶ τὸ σῶμα ἐν γυμνασίῃσιν εὐσαρκέστερος ἔῃ, ἢ μελαγχολικός, ἢ ἐκ πόσιος χεῖρες τρομεραί .i. fueritq; corpore ob exercitationem bene carnoso, uel melancholico, uel ex potatione manus tremulæ fuerint, unum solum ex his symptomatibus cum ægro cōiungit qui in uigore ætatis sit, & corpus habuerit uel ex exercitatione bene carnosum, hoc satis uidetur authori ad delirium indicandū uel conuulsionem, tamen si cōtemplemur hæc non est uel delirij uel conuulsionis conueniens causa, fieri autem posse negari non debet, sed rarissime & nō ob eā causam fit, si præterea hic in uigore ætatis æger fuerit habitu melancholicus hoc est tenuis nō bene carnosus, & febrē tali tempore habuerit acutam, & sanguis è naribus repēte fluxat. deliriū uel cōuulsio prædicenda sunt, neq; hoc necessarium est, imo si sanguis per iudicationis uiam exiuerit, morbi solutionem significaret. in hoc etiam ægro in uigenti ætate, qui tali tempore acuto morbo deprehēsus sit, & sanguis repente fluxerit, & manus ob potum tremulæ fuerint, delirium uel conuulsionem futura prædicito, nec istud etiam necessarium est. Petes quonam tempore facta sit illa potatio. Respondemus posse intelligi tūc, sed id absurdum uidetur, quia in morbis acutis nemo est qui bibat scilicet uinum, aliæ uero potationes manus tremulas non facerent, & si esset in febre hic potius est ebrius nūcupandus q̃ delirus, uel intelligas quod habuerit manus ob potum tremulas, quia alio tempore potationem exercuerit, ex qua tremorē inciderit, quem & sine febre habeat, superius etiam sectione. 63. author hic post tremulas manus desipientiam sequi dicebat.

καλῶς ἔχει παραφροσύνην προειπεῖν ἢ σπασμόν .i. bene est desipientiam uel cōuulsionem prædicere, quæ quidem possent & contingere, & nō contingere, tamen non ab re est si prædicantur. At medicus qui scit, hæc necessario non sequi, aut non prædicet si illi contingat hic casus, aut si prædicet id conditionate faciet scilicet hæc contingere poterunt.

GALENVS. Dictio quoq; hæc symptomatum multorum quæ non in ægro omni coeunt, cōueniuntq;, implicationē, permixtionēq; habet: quo fit, ut & inutilia sint, quæ ad hunc scribunt modum, eū doctrinæ ab uniuersalibus recipiat cōmoditatem, quo Hippocrates modo facere consueuit. Dictum autem est uniuersalium quædam perpetuam quandam habere uirtutem, usumq;, alia uero ut plurimum. Quod si ancepс quippiam uel rarum fuerit id ad doctrinam inutile censetur. Quæ igitur recensuit, particularum contemplemur: atq; ante omnia quod primo est dictum: In acutis morbis, quæ æstate & autumno fit repentina sanguinis destillatio, robur, & multā in uenis inflāmationem indicat. Melius siquidem erat quod robur uenas curatione egere indicaret, pronunciare. Nouimus enim quod sanguinis è naribus stillationes malū semper quippiā esse aut, propterea quod natura quidem cōcupiat quod superfluum est excernere, sed ob propriam imbecillitatem nequeat, uel sanguinis crassitiem, uel partium dēsitatem, uel quædam ex his, uel propter omniū cōcursum. Cum autem malum semper hoc signū sit, magisq; quod primis tum æstatis, tum autumni temporibus uirtutem ipsius intendi cōtingit (nempe in eis diebus flaua redundat bilis, ambiensq; nos aer calidus est: quo fit, ut sanguinem utrāq;

ob causam, bene fluentem esse oporteat) magnitudo quædam causę indicatur, ꝓpter quã fluere inhibet, quã robur esse ait, forte densitatẽ ita appellãs. Quod porro ita affecti uenarũ curatione egeãt nondũ oñdit, prius ꝙ astruat quãnã dicat curationẽ, nec cũ dixit. Prædictionẽ præterea primã dixit quod. s. postero die urina tenuis apparebit, non solo eo die de necessitate crudis apparentibus, uerum quoq; & alijs præcedẽtibus. Conuulsionem quoq; & desipientiam fore ait, si laborans ætate floruerit. Præterea & exercitatu, & bonæ ipsius carnositatis meminit, & temperamenti. Nẽpe melancholicus, nomen est temperamenti. Huc adde quòd ex potatione eum manus habere tremulas ait. Hæc sanè symptomata possunt inter se complicari permisceriq;, non tamen de necessitate, quibus magna ex parte succedent desipientia & conuulsio.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat & hanc sententiam unam ex his esse quæ complicationem multorum symptomatum complectĩt, quæ in omni ægro, si tali inueniri non possunt, uel rarissime inueniuntur, propterea quæ ad hunc modum scribũtur, inutilia existimantur, & absq; doctrina nam doctrina cõmoditatem accipit & utilitatem ex uniuersalibus, & Hippocrates semper usus est doctrina ex uniuersalib⁹, neq; unꝙ nisi uniuersaliter de rebus quæ ad artẽ spectant locutus est, id uero notare oportet inter uniuersalia alia quidem esse perpetua, quę nunquam fallunt, alia fieri ut plurimũ, illa igitur quæ rara sunt uel sunt ambigua & non firma, ad doctrinam inutilia censentur, propterea hæc sententia inutilis est & paruifacienda, quæ de re rara tractat, & etiam ambigua.

Ex Galeno hinc collig: potest sciẽtias eẽ de uniuersalibus, quæ uel semper sunt, uel ut plurimum sunt. quippe res medicæ non semper sunt, sed ut plurimũ sunt, & ratio est quia causæ uariantur. minima autem uariatio effectum alio modo prouenire, & tunc nõ uidetur eodem modo fieri, & quandoq; non euenire ut cõsueuit tũc sua semper posita causa, ita dispositis & quæ ad rem medicam spectant semper sunt. Quod legitur. dictum autem uniuersalium quædam perpetuam quandam habere uirtutem usumq;, alia uero plurimũ, in Aldino codice ita Græce scriptũ est, εἴρηται δὲ ὅτι τῶν καθόλου, τὰ μὲν διηνεκῆ τῶν α. ἔχει δύναμιν καὶ χρείαν, τὰ δὲ ὡς τὸ πολὺ, τῶν β. in alio codice absunt τῶν α. & τῶν β.

Secundo Galenus ea contemplari aggreditur quæ hic author recensuit, à primoq; incipit quo author dixit in acutis morbis quæ æstate & autumno fit repentina sanguinis destillatio robur, & multam in uenis inflãmationẽ significat. At inquit Galenus, melius fuisset si ita pronũciaret ut robur indicaret uenas curatione indigere, tamen nos potius semper interpretabimur uocabulum συντονίαν. i. contentionem & extẽsionẽ, ꝙ robur.

GALENVS. Tertio Galenus notat semper esse malum sanguinem è naribus profluere, non quidem simpliciter malum, sed quippiam malum, quoniam natura desiderat id quod superfluum est excernere tamen ob propriam imbecillitatem, uel ob sanguinis crassitiem, uel ob partium dẽsitatem, uel ob quædam horum, uel ob omnium concursum nõ potest. Cum uero hoc semper malum sit signum & magis malum erit, quoniam primis æstatis & autũni temporibus. i. in principio horũ temporum uirtutem ipsius intendi cõtingit, & ideo superfluum exire debuisset, unde magnitudo quædam causæ indicatur, ob quam fluere inhibetur, quam uocat robur uel cõtentionem. Forte per hoc uocabulum συντονίαν densitatem intelligẽs, nam illis diebus flaua bilis abundat, & aer ambiens est calidus, & ideo sanguis propter utranq; causam deberet esse bene fluens, ut Galenus notet prius debuisse fluere, sed ob impedimenta quæ refert, uel unum, uel plura uel omnia non fluebat, tamẽ in acuta febre repẽtine fluxit, ex quo indicatur uenas eẽ cõtentas et inflãmatas. Nota in Græco contextu non solum referri partem illam à Galeno, in acutis morbis quæ æstate uel autumno fit repentina sanguinis destillatio robur & multam in uenis inflammationem indicat, sed totam referri sententiam usq; in finem.

Quarto cũ dixerit Galenus potius dicẽdũ esse robur uel densitatẽ significare uenas curatione indigere, hoc nũc oñdit ingens nondũ oñdisse hũc authorem, hos uenarũ curatione indigere, tamẽ uenarũ curatione indigẽr, neq; dicit, quãnam curationem adhibere debeam⁹, nã hic ordo eẽ debebat, ut prio diceret uenarũ curatione indigere, postea curãdi modus exprimẽdus erat.

Quinto Galenus notat post hæc authorem hunc primã prædictionem referre, quia in hac sententia duę sunt prędictiones, est uero prædictio talis, quòd die postero urina tenuis apparebit, tamen non solum die illo de necessitate cruda apparebunt, sed & in præcedentibus diebus apparebant.

Sexto secũdam refert prædictionem, quę est medicũ futuram conuulsionem uel desipientiam prædicere posse, si ęger sit ætate florẽti, imo & mẽtionem facit exercitationis & bonę ipsius carnositatis & temperamẽti ægri. Et si petas quãdo mentionẽ fecerit temperamẽti, scito id fecisse cum dicit melãcholicus, qui id est nomẽ temperamẽti, imo & adde dixisse ex potatione manus tremulas habere.

Denuq; Galenus infert hæc omnia sypromata inter se complicari posse, & cõmisceri, sed hoc necessariũ nõ est, & si cõplicentur magna ex parte desipientia et cõuulsio succedẽt, nõ tamen semp, intellige prima & secũda cõmisceri symptomata, & secũda oĩa, quia reuera ex uno sole nõ sequitur. & adde sanguinis ꝓfluuiũ repẽtinum non esse ex motu iudicatorio, quia tunc potius sanitas cõsequit, de qua tamẽ statim loquet author.

## Hippocrates. Sectio LXVIII.

Et si paribus quidem diebus superuenerint, melius: in iudicatione autem pniciosum, nisi multus abunde effusus sanguis uiam redundãtię fecerit, uel per nares, uel per sedem, uel per abscessus, uel cõmutationes, uel ad hypochõdriorũ dolores, uel ad testes, uel ad crura. Coctis autẽ his, uiæ pateãt sputis, urinæq; excernunt crassæ, leues & albę.

BRASAVOLVS. Cum sanguis ille qui fluit possit & parũ & copiose fluere, & in diebus iudicatorijs, & in alijs diebus, & de alijs symptomatibus eodem pacto. iccirco nunc hæc determinare conatur hic author, sed id quidẽ facit insufficiose, nã dicit, si quæ prius dicta sunt de sanguinis profluuio, et de alijs symptomatibus in diebus superuenerint paribus, melius est, tamen in iudicatione perniciosum si diebus illis paribus fiat, nisi multus sanguis effusus abũdantiæ sanguinis quæ habet uiã fecerit. quæ uia fit uel ꝑ nares, uel ꝑ sedẽ, uel abscessus, uel fiat cõmutatio & non sanguinis profluuiũ, quæ cõmutatio fit uel ad hypochõdria & dolores faciat, uel ad testes, uel ad crura. At cũ hæ materiæ erunt coctę, tũc uię sputis patent, & materię expuũtur, urinæq; excernunt crassæ, leues et albæ. intellige uero his materiebus coctis, ꝙ fuerint ad hypochõdria uel ad testes, ul' ad crura trãsmutatæ.

καὶ ἢν μὲν ἐν ἀρτίῃσιν ἐπιγένηται, βέλτιον. ἐν κρίσει δὲ ὀλέθριον. i. & si paribus quidẽ dieb⁹ superueniat, melius. in iudicationibus uero pniciosum, quãdo sanguis è naribus repente fluxerit, melius erit in diebus paribus, & quãdo superuenerint prædicta symptomata. est uero perniciosum, si in die fiat iudicatorio, uel intelligamus nõ quidem de profluuio sanguinis, sed de alijs symptomatibus quę sequuntur, & quę prædicẽda docuit, quæ sunt urina tenuis & desipientia uel cõuulsio, si hæc in diebus fiant paribus melius est, & pniciosius in iudicatorijs, nam superius dictum est signa omnia praua prauũ indicare, sed firmitudinem signi haberi quãdo in die fiunt iudicatorio, ut iudicatorius dies symptoma grauius reddat. Et ꝗuis dicat melius in diebus paribus. i. nõ iudicatorijs, id facit ad deterius cõparando, quod est in diebus iudicatorijs, nã & si fiant in diebus paribus & nõ iudicatorijs est malũ. Et cũ sit minus, ꝙ cũ in iudicatorijs, qa rei firmitas nõ significatur, icirco dixit melius. Scito præterea dicere in diebus paribus, & ꝑ pares nõ iudicatorios intelligere, qa in febre acuta loquit, morbi uero acuti febriculosi per dies impares potius mouent, unde si ꝑ pari apparebit,

nō apparebit in die in q̄ morbus moueaṫ, tñ & ipse q̄tū̄ diem q̄ par ē supi⁹ magnifecit sectione. 66. At dicas cū̄ hæc sint mala & morbus sit acutus q̄ potius ꝑ tertios moueṫ & ipares, & Galenus docuerit. cū̄ fit mutatio in malū̄ in die pari significari & morbi prauitatem & longitudinem. Igitur peius erit si hæc in die pari contingunt. Respondemus Galenum intelligere febrem, longitudinem significare, quando in diebus paribus fit mutatio, atque augetur. tamē si esset dies iudicationis peius esset ob firmitatem, quā significat hæc dies. authorē igitur intelligamus per dies pares, dies nō iudicatorios significasse, in quibus symptomatū̄ firmitas non significatur, vt in diebus iudicatorijs, nec tunc de quarto die opus est dubitare, vt Galenus in commentarione facit, sed simpliciter uel sint pares vel impares non iudicatorij, illos vocat pares, quia in acutis febribus maiorum iudicatoriorum pars est impar.

ἢν μὴ πολὺ ἀθρόον ἐκχυθὲν αἷμα ἐξόδους ποιήσηται τῆς πλησμονῆς. idest nisi multus cōfertim effusus sanguis, uiā fecerit plenitudini. i. nisi multus sanguis plenitudinē faciat, unde si pauca sanguinis copia in die iudicatorio exibit, ꝑniciosum erit, si multa copia non erit perniciosum, sed erit motus iudicatorius, in quo morbus finieṫ, & symptomata omnia prædicta peribūt, in pauca uero copia perniciosum erit, quia uiriū̄ defectus expellere impotentiā̄ significabitur, et symptomata ꝑseuerabūt.

κατὰ ῥῖνας. i. per nares, docet nūc loca ꝑ quæ sanguis exire debet, et ꝑ quæ plenitudo sibi uiā fecerit ut euacueṫ, unus est locus nasus, ꝑ quem fit bona iudicatio, quę multos finit morbos.

ἢ καθ' ἕδρην. i. uel per sedem, per quā duplex sanguinis euacuatio fieri potest. vna ꝑ hæmorrhoidas quæ in sede sunt, & ꝑ hanc uiā nōnunq̄ fiunt exquisitæ iudicationes, de hacq; credēdum est intelligere authorē ꝑ sedē euacuatione. Altera euacuatio per sedem ex iecore est, sanguinē ob redundantiā ad intestina mandante, & hæc est praua iudicatio, ea enim est secūdum quā dictum est, sanguinē siue infra, siue supra exierit, malū̄, tñ nōnunq̄ posset fieri per hāc uiam iudicatio, & æger bene habere posset. at hoc rarissimum est ut iā dixi. Possemus et per sedē in mulieribus sanguinis mēstrui profluuiū̄ intelligere, quod si intelligamus (ut etiam intelligi potest) est optima euacuatio, quæ multos in mulieribus finit morbos.

ἢ ἀποστάσιος. i. uel ꝑ abscessus, nā & sanguis ꝑ abscessus quādoq; exit, & materia quæ desipientiam uel conuulsionem faceret, ad abscessus tendit, & ita liberantur.

ἢ μεταστάσιος. i. uel ꝑmutationes, & materieꝝ ad alias partes trāsmutationes. quod si petas, quænā sint hæ mutationes, & ad quas partes, dicimus authorē statim hoc edocere ex his quæ sequuntur.

Scito autē diuersos inueniri cōtextus in hac parte, nā in Græcis Hippocratis Aldinis, operibus ita habeṫ κατὰ ῥῖνας ἢ καθ' ἕδρην ἐμπυήσιων, ἢ ἀποστάσιος. ex quibus uidere potes nō adesse particulā cōmutationes, quæ tamen adesse debet. cū̄ à Galeno interpreteṫ. & doceat q̄d significēt ἀποστάσιος et μεταστάσιος, nā uanū̄ fuisset Galenū̄ particulā illā interpretari, nisi in cōtextu esset posita, in codicibus uero Aldinis, in quibus est Galeni interpretatio. ita legiṫ, κατὰ ῥῖνας, ἢ καθ' ἕδρην ἐμπυήσιος μεταστάσιος, ἢ ἀποστάσιος. in quo cōtextu ordo est, ꝑ nares, uel per sedē fiunt mutationes, uel abscessus, profecto hæc series Galeni interpretationi repugnat. Iccirco nos ita legimus Galeni cōtextū̄, κατὰ ῥῖνας ἢ καθ' ἕδρην ἐμπυήσιος ἢ ἀποστάσιος, ἢ μεταστάσιος. ut ultima ꝑticula sit dictio mutatiōes, nā materieꝝ mutationes illę sunt quę sequunṫ de hypochōdrioꝝ dolore de testibus atq; cruribus, q̄uis & abscessus possint intelligi esse trāsmutationes, q̄a si materia ꝑ abscessus exeat necesse ē ut etiā coquaṫ, & ideo sub mutationibus abscessus intelligere oportet, nisi intellexerimus nō quidē fieri abscessus, sed sanguinē exire ꝑ abscessus, & tūc finit morbus, neq; ꝑfectiori indiget coctione, sed ꝑ trāsmutationes ulteriori indiget coctione, & necessariū̄ est iuxta Galeni interꝑtationē ponere particulā abscessus, ante particulā mutationes, tñ si placeret post particulā mutationes, ponere particulā abscessus, tunc hoc modo intelligere opus esset, in iudicatiōe fieri talia symptomata, ꝑniciosū̄, nisi multus sanguis abūde aut ꝑ nares, aut ꝑ sedē effusus plenitudinē finiat, aut per cōmutationes. i. uel nisi materia cōmuteṫ in aliā partē, in q̄ cum sit, est ꝑdictis symptomatib⁹ remediū̄, idq; fit uel ꝑ abscessus, q̄a trāsmutatio fit ꝑ abscessus, uel ꝑ hypochōdrioꝝ dolores, uel ꝑ testes, uel ꝑ crura, & hoc modo faciemus abscessus sequi trāsmutatiōes, & eē unā trāsmutationē ad quā pōt mā uerti. ita q̄dē dici posset, tñ ut simus Galeno cōformes, opus ē itelligere abscessus an trāsmutatiōes, et abscessus coctiōe alia nō idigere sed sanguis exiēs morbū̄ finiat. Putamus Copū̄ nō habuisse in suo codice particulā μεταστάσιος, & solū̄ habuisse Hippocratis Grēca opa Aldina. nā hoc mō interꝑtatus ē, nisi mult⁹ sanguis cōfertim, aut ꝑ nares, aut anū̄ effusus exuperātē plenitudinem finiat, aut abscessum. & nō addit particulā mutationes, is qui antiquus hūc librū̄ interpretatus est, posuit particulā abscessus post particulā mutationes, hoc igiṫ modo sententiā enucleemus, ut ꝑniciosum sit, illa symptomata fieri, nisi humoꝝ cōmutationes fiānt. Et si petas q̄s cōmutationes, statim illas addit. Forte petes de hoc abscessu an tūc fieri debeat, uel sit iā factus. Rñdemus, q̄a de repētina loquiṫ sanguinis destillatione q̄ in morbis fiat acutis. & nō refert ꝑ quā uiā exeat ille sanguis, & licet nos de naribus intellexerimus, tñ potuit præfuisse abscessus, per quē exeat sanguinis copia, uel tūc fit abscessus ꝑ uiā iudicationis, & disrumpitur, neq; opus est de abscessus loco petere, quia in quocūq; loco fieri potest, & potissimū̄ in locis adenosis.

ἢ πόνους ὑποχονδρίων. i. uel dolores hypochōdrioꝝ. hæc est una mutatio, ad quā materia cōuerti potest, q̄ desipiētiā faceret uel cōuulsionē, ad hypochōdria, ad lienē, ad uētriculū̄, & ad partes etiā hypochōdrioꝝ musculosas, & cū̄ hæc materia sit calida, q̄a morbus ē acutus necessario dolores facit. nā mā frigida ad hypoch. absq; dolore ꝯuerti posset, cū̄ sit calida, cū̄ dolore ē.

ἢ ἐς ὄρχιας. i. uel ad testes, en alia huius materiæ cōuersio, potest ad testes, & ꝓpinquas partes cōuerti, dolētq; & ipsi testes, & plerunq; ob materias ad ipsos transmissas intumescunt.

ἢ ἐς σκέλεα uel ad crura. hic est alter locus trāsmutationis huius humoris, ut ad crura tēdat, q̄ intumescūt, uel in ipsis pustulæ exciteṫ, uel abscessus fiāt ad cruꝝ articulos, q̄ tamen non sint disrupti, neq; sanguinem emittant, sed egeant coctione.

πεφθέντων δὲ τουτέων. i. coctis autē his, q̄a materiæ quæ à capitis partibus transmutantur, in quibus uel desipientiam fecissent, uel conuulsionem, non erant coctæ, sed ad partem aliq̄ ex prędictis transmutatæ coqui debent, ut æger penitus liberetur, propterea coctas esse supponit.

ἔξοδοι γίγνονται πτυσμοῖ. i. uię aperiunṫ sputis, q̄n in thoracis partibus fuerit facta trāsmutatio. Græci oēs ꝯtextus quos legerim hñt πτυσμοῖ at cōstructio fieri nō potest si ita legamus. Iccirco in genitiuo plurali legēdū̄ esse arbitramur πτυσμῶν sputorū̄, ut sit sensus uiæ sputoꝝ aperiunṫ, & Galenus in cōmētationis fine hāc partē referēs in plurali genitiuo ponit. Et si dicas cur potius nō sit positū̄ in datiuo πτυσμοῖ s. i. uiæ fiūt sputis. Rñdemus id esse, q̄a & in genitiuo plurali legiṫ urinaꝝ, nam dicit.

παχέων οὔρων λείων λευκῶν. i. urinæ excernunṫ crassæ, leues, albæ, uel paranṫ uiæ urinaꝝ crassaꝝ, leuiū̄, albaꝝ, in Aldino cōtextu supflua est particula ἢ, ante λείων λευκῶν. debet uero poni ante particulā παχέων, & in Græcis Hippocratis opibus adest supflua particula ἔξοδοι, quæ iteꝝ reduplicaṫ. At dices q̄uo est facta coctio. si urinæ sunt crassæ? Rñdemus, intellige ꝑ crassas urinas ut superius Galenus intellexit sectionibus. 43. & 50. naturales, quæ neq; crassę sunt, neq; tenues, & hæ sunt quę humorum ad prædictas partes transmissorū̄ coctionē significāt. Quicq̄d utile haberi potest ex hac sententia, est scire profluuiū̄ sanguinis nariū̄ copiosum, uel hęmorrhoidarum, uel abscessus, uel humorum transmutationem ad alias partes à capite, desipientiam, uel conuulsionem prohibere posse.

Gemina est scriptio in hoc uerbo ἐπιγίνεσθαι. i. superuenire: una quidē scripta ꝑ, τ, elemētum tertia syllaba, altera ꝑ, γ. Verū̄ siue ꝑ priorē scriptionē ægros dieb⁹ paribus ἐπιτείνεσθαι. i. intendi dixerit, siue secūdum posteriorē prędicta symptoma- GALENVS.

ta diebus paribus ἐπιγίνεται.i.supuenire affirmauerit,nō continuo exsistit & melius,quãquã id dixit.Neq;.n.si pares fuerint, intueri oportet,sed si & iudicatorij.Nẽpe quartam,quæ par est & ipsæ ex ordine pauloante maximã habere facultatẽ asseruit, Cæterũ quod deinceps dicit̃,uerũ existit. Nã si sanguis multus, quouis mõ id fiat,excretus fuerit,salutis spem habet.Præterea & p abscessum ipsos,& per cõmutationẽ seruari ait:ab cessuũ quidẽ ferè sua peculiari appellatione declarãs.Sed cõmutationẽ cũ ait,ad hypochõdriorũ dolores,uel ad testes,uel ad crura. Differũt autẽ inter se, quòd ἀπόστασις .i. abscessus iudicationẽ infert,ægrumq; à molestijs oĩbus liberat: μετάστασις autẽ.i.cõmutatio,aliarũ habet principiũ accessionũ, offensionũq;,ut & aliud exigat tẽpus ad coctionẽ mali corporis locus , ad quẽ infestãtiũ humorũ facta sit cõmutatio.eã ob cãm adiecit: coctis autẽ his,pmeatiões fiũt sputis,uel crassis urinis leuib⁹ et albis. signa coctæ cõmutationis edocẽs ex coctis tũ sputis,tũ urinis.

**BRASAVOLVS.** Primo Galenus notat in eo uerbo ἐπιγίνεται duplicẽ fieri scriptionẽ,unã p τ.scripta elemẽtũ I tertia syllaba, alterã p γ.si per τ.legamus,et sensus sit ægros diebus paribus ἐπιτίνεται idest intẽdi,uel per γ.& sit sensus,ægros diebus paribus ἐπιγίνεται.i.supuenire.tñ non statim melius existit,quãuis id dixerit author,nã medicus,q ex signis & symptomatibus firmitatẽ cognoscere cupit,nõ cõsiderat,an paria sint dies an nõ paria,sed cõsiderat an iudicatorij,qa hoc facit ad rei firmitatẽ et ueritatẽ, nã & ipse superius de.4.die loquẽs , qui par est,uolebat maximam ex ordine habere facultatem.

Secundo Galenus notat,id quod deinceps in sentẽtia dicit̃ esse uerũ,si sanguis multus,quõuis id fiat,excret⁹ fuerit,spem salutis prædicere. Addit & p abscessus ipsos etiã seruari.& p cõmutationes,de abscessu qd intelligat manifestũ est , quia suo pprio noĩe usus est,cũ dixit abscessus:at cõmutationẽ expressit cum dixit ad hypochõdriorũ dolores,uel ad testes,uel ad crura.

Tertio differẽtiã Galenus ponit,inter ἀπόστασις,& μετάστασις,nam ἀπόστασις.i.abscessus,fit per iudicationẽ, & ipsam significat,atq; ægrũ ab oĩbus molestijs penitus liberat. Cũ hoc dicat Galenus necesse est intelligere abscessum, q disrũpat̃ & materiã emittat,nã iudicatorij abscessus,& ipsi q nõ sunt disrupti,à morbo qdẽ liberãt,sed nõ ab ipso abscessu,μετάστασις uero.i.cõmutatio et si à pdictis liberat symptomatibus, tñ aliarũ accessionũ,& aliorũ morborũ pricipiũ habet,qm materia q ad aliũ trãsmutat̃ locũ,ibi affectũ facit,q aliud exigit tẽpus ad coctionẽ,ob hãc causam addidit,coctis autem his.s.materiebus, quę cõmutatę sunt,sputis fiunt permeationes,uel crassis urinis, leuibus,& albis,ex quibus uerbis commutationis coctæ signa edocet ex sputis coctis,& urinis.

## Hippocrates. Sectio LXIX.

Febri singultuosæ laserpitij succũ,oxymeli,daucũ tritũ , propina: galbanũq; ex melle, & cyminũ in eclegmate, sorbendũq; ptisanæ cremorẽ dato. Talis autẽ euadere nõ potest, nisi sudores superuenerint iudicatorij,et somni æq̃les, urinęq; exierint, crassę et acres,aut in abscessum cõfirmet̃ morbus.

**BRASAVOLVS.** Huius libri author ad febrẽ quãdã ptrãsit,quã singultuosam uocat,nõ quidẽ qa sit febris genus ita nũcupatũ ab alijs generibus distinctã,sed,qa cũ hoc symptomate febris infestat.iccirco singultuosa nũcupat̃ de q̃ et mẽtionẽ facit Hipp.in.3.de fracturis sectione.47.huius curationẽ nũc edocet author ingens succũ laserpitij ppinandũ esse in singultuosa febre ex oxymeli, & dauco trito,dãdũq; est eclegma ex galbanio melle et cymino, hæcq; tãq̃ medicamẽta,p cibo autẽ ptisanæ cremorẽ sorbendũ dato. Tñ qcqd feceris,is euadere nõ potest , nisi iudicatorij udores superuenerint,& somni æquales & urinæ exierint crassæ atq; acres,uel morbus in abscessum confirmetur.

[ πυρετῷ λυγγώδει ὀπὸν σιλφίου, ὀξύμελι, δαῦκον τρίψας πιπίσκειν ...]

ðὶν.i.febri singultuosæ succũ laserpitij,oxymeli,daucũ tritũ bibẽdum dato:febris hæc singultuosa appellat̃ à singultu, q est symptoma febri cõplicatus,fit uero duobus modis singultus, aut ex repletione,aut ex inanitione,nã singultus est cõuulsionis spẽs,sicuti uero cõuulsio,& ex inanitione & ex repletiõe fit,ita & singultus,si ex inanitione singultus fiat,ob siccitatẽ fit,quã febris in uẽtriculũ inducit,q siccitas si cõfirmata sit,nullã admittit curationẽ,si uero cõfirmata nõ sit.curationẽ qdẽ adminit,sed raro,tñ pprius adest curãdi modus remota febre,& humectato uẽtriculo. Si uero petas an de hac loquat̃ author: Dicim⁹ de illa nõ loq,qm præsidia q adducit,ex inanitiõe singultũ potius augerẽt.q illi opẽ ferrẽt.singultus uero ex repletione dupliciter fit,uel ob humores cuiuscũq; generis in uẽtriculũ infarctos,uel ob flatus,nã et ex flatibus fieri põt singultus,& in pueris frequẽtissime sine febre excitat̃,si cũ febre fiat eiusmodi febris ex hoc symptomate singultuosa nũcupãda erit.fit & singultus ob humores acres stomachũ mordẽtes , sicuti in his hominibus singultus cõtingit q piper ample comedũt.Si petas de qua singultuosa febre hic author loquat̃,de hac ultima,pfecto ex acribus materiebus loq non põt,qa psidia q refert nõ cõuenirẽt,& qa illi humores ut plurimũ per uomitũ ejciunt̃ , & æger statim à singultu liberat̃,ppterea hęc dici nõ põt singultuosa febris,qa sola illa singultuosa nũcupãda est, q uel semper, uel p maiori parte singultũ habet,iccirco intelligere oportet hũc authorem posuisse curationẽ febris singultuosæ ex repletione uel humorũ nõ mordicãtiũ, uel flatus, qui tñ ab eisdẽ humoribus depẽdet, & curatio quã hic refert his cõuenit singultuũ generibus,si ergo qspiã febre detẽtus sit cũ singultu ex humorũ repletione nõ mordicãtiũ uel flatuũ,per totũ febris decursum , est febris singultuosa,quã hic author curare docet,primoq; ponit medicamẽta,postea genus uictus.pbet igit̃ laserpitij succũ,oxymeli,et daucũ tritũ propinãda.Sed inges debetne euacuatio pcedere? Rñdemus hæc pbenda nõ esse,nisi euacuatio pcessent,ut nonnulli putãt,qa maior fieret agitatio in materia singultũ faciẽte: nos uero dicimus euacuationẽ fieri nõ posse,nisi prius facta coctione,coctio autẽ fit ex dauco,laserpitio & oxymelite,hæc etenim potio attenuat,secat & abstergit humores infarctos,qbus dissectis deicepe euacuare erit facile.Sed petes an humores qui singultũ faciũt,febrẽ etiã faciãt.Rñdemus fieri posse ut ex illis humoribus febris etiã fiat,& ut ex illis nõ fiat, sed ex alijs,quia hoc nõ est necessariũ,tñ & febris ipsa ad hos humores exiccandos adiuuat.At petes cur statim euacuatio nõ fiat cũ materia in uẽtriculo sit.Rñdemus nõ esse in uẽtriculi cauitate,sed in parietibus infarctã,ppterea abstergẽte indiget & secãte medicamẽto,quod illã ad exitũ præparet,postea medicamẽto educat̃. Scitoq; in huiusmodi singultibus in febribus clysteres magnopere puenire,& uomitus puocationẽ.postq; medicamẽtũ consequet̃.iubẽtq; recẽtes cucurbitulã supra umbilicũ post uomitũ reiterãdam,quod nobis nõ displicet , ut reliquũ materiei ad intestina descendat.postea euacuet̃ secũdũ materiæ genus,quę ut plurimum crassa est in hoc casu & glutinosa.Et q̃uia hic author oxymeli ponat.& simplex semper intelligat̃, tñ nõnunq̃ & oxymelite cõposito uti possumus si materia fuerit crassior & glutinosior,imo & si crassissima esset,scilliticũ oxymeli accipere oporteret,& si à flatu sit, materiã flatũ faciẽtem euacuemus,postea uẽtriculũ ex his roboremus,q & flatus dissoluunt, & uẽtriculũ calefaciũt,interq; anisa et cinamomũ optima sunt, tñ & illa præbeant̃ q piper recipiũt,gingiber , & gariophylla, & eiusdẽ generis alia aromata,q flatus resoluũt,& uẽtriculi cõcoctricẽ uim roborãt,imo hæc eadẽ in una singultus specie ualẽt,de q̃ locuti nõ sumus,q fit ex mala q̃litate frigida sine materia, nã calida iuuat̃ hæc mala q̃litas,singultusq; abit,his præterea dant̃,qbus potu & cibis singultus puenit,qa potu sanat̃. At dices qũo ex potu fieri põt singultus qa potu fugat̃:nã uidemus in dies singultũ sanari potu,& mulieres cũ puerũ uidẽt singultu correptũ iubẽt ut bibãt,et singultus abit:Rñdem⁹ iqñ ex flatu fit,si bibamus flatũ supprimimus,itaq; qescit.Sed aliud pmittendum nõ est qũ potu singultũ expellere nõ possunt mu-

lieres

fieres iubẽt nouies uno spiritu dici Mesier san Biasio dalle noue sorelle, dalle noue alle otto, dalle otto alle sette, dalle sette alle sie, dalle sie alle cinq;, dalle cinq; alle quatro, dalle quatro alle tre, dalle tre alle due, dalle due alluna, dalluna alla nessuna Mesier san Biasio me guardi dal male della gola. Nos edepol ex hac precula in una spiratione, nõ quidẽ nouies, vt dicũt mulieres sed ter saltẽ reiterata multos vidimus ex singultu sanitati restitutos imo nunq̃ peruenere in finẽ tertiæ preculæ, cũq; puer essem sæpe liberatus sum hac precula, & nunq̃ in finem perueni triũ precularũ. Forte petes an hæc precula singultum expulerit. Respondemus non fuisse preculam, sed id in causa fuisse, quod recentiores notant continere spiritũ esse optimum præsidium in singultu, imo addunt in omni singultu. At qui preculam referre iubentur, iubentur etiam pluries vno spiritu illam repetere, itaq; coguntur spiritũ retinere, & ex cõsequenti à singultu liberantur, sed petes cur spiritus retentus singultum expellat. Respondemus cum ex repletione est & potissimum cibi & potus vel crassorum humorum & glutinosorum vel flatus, ex spiritus retentione sanatur, nam spiritus retentio intrinsecas partes magis calidas reddit, illásque quodammodo igniri videtur. propterea resoluuntur flatus, si à flatibus fiat singultus, si à cibo & potu, aut à materiebus crassis coquuntur, itaque iuuantur. Et hoc potissimum fit & breui si sit ex flatu singultus, quem pueri frequenter patiuntur. At dices spiritus retentio spirituales partes calefacit, quæ fumosam retinent et halituosam superfluitatem, quæ emitti deberet, cum vero retinetur, partes illas calefacit, itaque igniuntur, non autem partes ventriculi. Respondemus esse adeo propinquas, vt & illę calorem recipiant, & materię resoluantur quæ in ipsis sunt. At hi singultus, qui ita sanantẽ, sine febre sunt, adde si fieret à materia acri, spiritus retẽtione vti non cõuenire, quia materia illa est calida, quę potius ignireẽ, q̃ resolueretur, et ideo recẽtes simpliciter audiendi nõ sunt, qui volunt in omni singultu retentionem spiritus conuenire. Sed his posthabitis ad rem nostram redeamus, & huius authoris medicamenta contemplemur, primum medicamẽtum est oxymeli ex dauco & laserpitij succo, quod pro syrupo( ut arbitror ) propinabat, non quidem semel, sed plures, unde per aliquot dies præbebatur, hæc potio ut humores crassos dissecaret et abstergeret, uiasq; pararet. Galen. in. 8. de simplicium medicamentorum facultatibus dicit silphij liquorem calidissimũ esse, & multum trahere. propterea põt humores singultum facientes & ventriculo infarctos trahere & attenuare & liquare, quoniam liquandi vim habere docet Galenus. Daucus quoq;, vt. 6. de simpl. medic. facult. edocemur, vehementer calefacit, & multũ per habitum digerere potest si foris imponatur, qđ arbitror efficacius fiet si interius recipiatur. De oxymelite dictum est lib. 2. aperire, attenuare, extergere. hæc omnia pñt singultui cõuenire ex materia crassa ac pituitosa, & ex flatu, de quo loquitur hic author. Sed de dauco petes an herba accipi debeat, an semen. Rñdemus herbã in vsu nõ esse, potissimũ nostro tempore, & Galenus fatetur esse minus efficacem semine. propterea semẽ ipsum sumendũ est. At dices qũo potest sumi tritũ in potu, quia erunt grana semifracta. Rñdemus intellige per tritũ in puluerem redactum, uel si intelligas tritũ, opus erit ex oxymelite fieri infusionẽ. postea addito silphij succo bibatur. At huius medicamenti quantitatẽ petes, nam hic author potionẽ hanc imperfecte proponit, cum exquisitæ quantitatis ratio non habeatur. Rñdemus hoc modo dandam esse hanc potionem.

Recipe oxymelitis vnc. vj. seminis dauci triti drach. ij. misceãtur, & per decẽ horas infundantur. Postea exprimãtur, deinde in expressione dissolue succi lassere drach. j. et potui detur, uel si per tritũ daucum, in puluerẽ redactum intelligere volueris, non est opus infundere, sed oxymeliti misceri poterit, & potui dari. Primo aũt silphij succus in oxymeli dissoluatur, deinceps puluis addatur, quia si puluis esset primo mistus succi dissolutionem prohiberet. hic est modus, quo hac potione uti debeamus. De laserpitij succo nihil in pñtiarum dicemus, cũ in simplicium examine de eo vbertim pertractatum sit. Hæc igitur potio his solum conuenit, quibus ob multas frigidas materias & humidas crassas & glutinosas in ventriculo impactas & flatuosas, hoc est quæ in flatũ cito transeant singultus inest. Alijs vero singultibus ex acribus confectis humoribus non conuenit, vel ex cibis acrioribus uel pipere. Ex his enim omnibus singultum fieri Gale. ostendit in. 8. de compositione medic. secundum locos lib. cap. 5. ad dimidias capitis partes, ubi inquit. Hippocrates quidem igitur conuulsionem fieri ait ex repletione & euacuatione, & additũ est ad aphorismũ in omnibus ferè codicibus sic aũt & singultus. Ego uero in conuulsione tertiã aliquam cãm supra euacuationẽ & repletionem nondũ reperij, singultũ etiã sine his fieri iubeo, acribus humoribus aut serosis & medicatis stomachũ mordentibus, quos vbi vomitu reiecerint, statim singultu liberantur. Quin & multi deuorato pharmaco ex tribus piperis generibus constante si statim vinũ insuper bibant, oĩno singultiunt, ex quorũ numero etiã ego sum. Amplius autẽ & cibo in mordacẽ qualitatem corrupto, aliqui singultiunt, & q̃ à vomitu statim liberantur, oĩbus notum est, Quidam etiã ex rigore oris ventris singultiunt. verum pueris maxime frequenter singultire cõtingit, tum ob corruptionem alimenti in ventre, tum ob partis frigiditatẽ. An uero & ob nimiam euacuationẽ fiat singultus, veluti etiã conuulsio dignum consideratione est. Verum sinn pñs hac cõsideratione relicta, eos qui ob frigiditatẽ, aut ciborum copiã, aut mordacem acredinem grauantur, intueamur, uomitum reperiemus sufficientẽ medellam eorũ qui ob copiam, aut morbum singultiunt, caliditatem vero eorũ qui ob frigiditatem. Alio aũt modo reperiemus sensus stupefactionẽ per refrigerantia, & permutationem ac discussionẽ mordacium per attenuantia & reficcantia. Hæc Galen. 8. de cõposit. medic. secundũ locos, vbi refert causas ferè omnes singultus, quæ dici pñt. eodẽq; loco de præsidijs loquitur, tñ nihil meminit huius singultus, de quo in præsentiarũ mentio fit. In calce vero quarti capitis præscripti octaui libri simplicia refert Galenus, quæ singultui conueniunt inquiens, singultibus vero rutam cum uino dato, aut nitrũ in aqua mulsa, aut opium, aut castoreum, aut abrotanum, aut aristolochiã, aut daucũ creticum, aut cuminũ, aut anisum, aut gingiberis radicem, aut scillam cũ aceto et oleo, aut tordilon, aut dictamnum, aut calaminthẽ, aut acorum. Asarum item & nardũ celticã, & pulegium, singula tum per se, tum simul mixta. In hoc catalogo à Galeno solum dauci semen refertur ex his quæ in hoc potu huius authoris sunt. Et omnia quæ hic ponuntur valent singultui, de quo hic author itelligit ex crassis et glutinosis humoribus uel ex flatu dempto opio. Forte ambiges de singultu ex euacuatione an fiat secundũ Gale. quia superius quęstionem proposuit, & nõ determinauit. Idem fecit aphorismo. 39. sexti libri. Tamen aphorismo quarto quinti libri, vbi ab Hippocrate dicitur conuulsionẽ aut singultũ ex nimia euacuatione malum, Galenus in cõmento fatetur, singultum ex nimia euacuatione fieri, & nihil aliud esse, q̃ stomachi conuulsionẽ, causamq; huius conuulsionis docet aphorismo primo quinti libri. verum ne hac in re longius immoremur, de qua alibi vbertim locuti sumus, cuiusq; speciei singultus curationem ponentes, ad reliqua huius authoris descendamus.

καὶ χαλβάνην ἐν μέλιτι καὶ κύμινον ἐκλεικτόν. i. Chalbanemq; in melle & cyminum in eclegmate. Posteaquam fuerit materia per potiones prædictas præparata, & euacuatione facta, tunc iubet hoc eclegmate vti oportere, non enim credendum est, duo esse, quæ hic dicantur præsidia scilicet chalbanem in melle, postea cyminum in eclegmate, sed unum solum est ex his omnibus confectum, tamen si ante euacuationem præbere volueris ex eadem causa qua potum dedisti, vt materia ad exitum paretur, quia hæc omnia id faciunt, concedi poterit. nam chalbane vim habet molliendi & digerendi, ut Gale. notat octauo de simplicium medicamentorum facultatibus, nã in tertio ordine incipiente calefacit, in secundo desiccat, quę qualitates materiebus cõueniunt crassis & gluti-

nosis & flatuosis singultum facientibus, De melle in tertio libro dictum est cuius sit facultatis, nam & incidit et attenuat, et cyminum in tertio ordine calidum est, vt septimo de simplicium medicamentorum facultatibus edocemur, quibus notatur ex humoribus frigidis factum esse hunc singultu, de quo author verba facit. At dices cum hic author eiusmodi eclegmatis compositionem non edoceat, illam tu edoceto, nam simplicia tantum enumerat. Dicimus hoc modo fieri oportere.

Recipe mellis despumati (ita accipitur, ne flatuosum sit) lib. 1. chalbanes vnc. 2. cimini puluerizati vnc. 3. misce adeo vt omnia ad unum corpus redigantur. Potest vnius vel alterius plus minusve addi, vt maiori uel minori indigemus calefactione. propterea compositio in quantitate mutabitur. Adde si huius eclegmatis tantam copiam fieri haud placeat, minor fiat copia, delingendum datur, vnius auellanae quantitas sumi debet, vel non minus quantitate fabae aegyptiacae.

καὶ χυλὸν πτισάνης ἐπὶ τουτέῳ ῥοφεῖν. idest, Sorbendumque ptisanae cremorem dato. Indistinctus est hic author, an statim post eclegma cremor ptisanae sorbendus sit, vt docuit Hippocrates sorbendum statim post medicamentum, an alio tempore. verum cum hoc eclegma nō sit medicamentum, non putamus statim esse post eclegma exhibendum cremorem, sed tunc dari debet, cum cibum praebere expedit, nam & si aliquid in gula ex hoc eclegmate permaneret, nihil referret, si vero ex cathartico medicamento aliquid in gula permaneret, & partem illam laederet, neque actionem suam perficeret, quia tota quantitas ventriculi fundū non esset ingressa, in hoc vero eclegmate hoc non requiritur. quippe satis est vt attenuet & abstergat, potestque dari quantitas lōge maior quam sit quantitas medicamēti cathartici. Intellige igitur hunc authorem ut hic cibum ostēdat, qui in singultuosa febre praeberi debeat. hora vero qua praebendum est, inclinationis hora est, vel teporis. Scitoque hūc cibum febris ratione valere, & non ratione singultus, per singultum talis generis singultum intelligentes, de quo superius ostēdimus necessario intelligere hunc authorem ob praesidia quibus vtitur.

Iuxta Copi interpretationem, statim ab eclegmate ptisanae cremor sumendus esset, quia interpretatur, mox ab ijs ptisanae cremorem sorbeat.

ἀφικέσθαι δ' ὁ τοιοῦτος ἂν μὴ ἱδρῶτες κριτικοὶ καὶ ὕπνοι ὁμαλοὶ ἐπιγένωνται. idest, Talis autem euadere non potest, nisi sudores iudicatorij, & somni aequales superuenerint. Arbitrandum est hunc authorem talem intelligere aegrū qui valde plenus sit, & maxima materiae copia abūdet, alioqui & à singultu liberantur, & sanitati restituuntur. Cum vero multa sit materia crassa & glutinosa, necesse est vt attenuetur, ac per sudorem exeat. hic est vnus modus quo sanari potest per sudorem scilicet iudicatorium. Interim vero somni debent esse aequales hoc est non interrupti, neque molesti, vt sudor aptius exire possit.

καὶ οὖρα παχέα καὶ δριμέα καταῤῥαγῇ. i. Vrinaeque exierint crassae & acres, hic est alter modus, quo hae febres solui possunt si materia per vrinas exeat, id uero cognoscitur, quia vrinae sunt crassae. At cum dicat ipsas esse acres, necessarium est, vt aliquam materiae calidae portionem cōmistam habeant vrinarū uero acredo odore percipitur, nullus enī est qui febricitantiū urinas gustare uelit, uel intellige simul fieri & sudores, & vrinas crassas, nā potest haec febris per utrasque uias euacuari.

ἢ ἐς ἀπόστασιν στηριχθῇ, idest, Vel in abscessum confirmetur morbus, cū materia sit crassa, & crassae materiae lōgiores faciant morbos, qui sanātur aut per euacuationē aut per abscessus, sed per euacuationē rarius, per abscessus frequētius. propterea cum de solutione, quae fit per euacuationem tractauerit, de illa etiam agit quae fit per abscessum. haec materia poterit in aliquem corporis locum transmitti, & abscessum facere. Itaque illo in loco morbus firmabitur, sit quicunque is locus, sed potissimum solent hi abscessus ad crura erumpere, quandoque ad alias iuncturas, quandoque ad emunctoria.

GALENVS. λύγγας & λύγγους, idest singultus appellata consueuerunt. Sunt autem motiones quaedam stomachi conuulsificae, quas quidem fieri aiunt propter immoderatam uel inanitionem, uel repletionem. Quae si propter inanitionem fiant, ferè sanationem non recipiunt, si uero ob repletionem fuerint, ab his quae infarcta secant, absterguntque, sanantur medicamentis. Quo è numero sunt, quae hoc in loco scripta sunt. Videtur autem & nunc morsus is fieri propter acrimoniam stomachum mordentem, ut cum quispiam piperis plus, uel simile quippiam deuorauerit. Et sanè fuerunt ex febrientibus, qui in singultu rodentem, acerrimumque uomuerunt humorem, à quo tandem symptomate sunt liberati. Verum febris huiusmodi nequaquam singultuosa appellatur. Nempe ut singultuosa uocitetur, permanere amplius debet singultus, uel etiam per totum morbum simul cum febre exacerbare, febrem hanc per sudores iudicatorios, somnosque aequales, uacuatasque urinas, tum crassas, tum acres sanari ait, talibus quidem uel excretis, uel in abscessum confirmatis.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat Graecos consueuisse appellare λύγγας & λύγγους. idest, singultus. Sunt uero hi singultus motiones quaedam stomachi cōuulsificae, quas medici fieri dicunt ob immoderatam vel inanitionem, vel repletionem, quae si propter inanitionem fiant, sanationem ferè non admittunt, vel raro admittunt, si uero ob repletionem fuerint, ab his medicamentis sanantur, quae infarctos humores secant, & abstergunt è numero vero abstergentium & dissecantium sunt medicamenta quae hoc in loco ab isto authore scripta sunt.

Secūdo Galenus notat fieri hunc morsum nūc idest nōnunquam, vocatque morsum singultum ob acrimoniam quae stomachum mordet, vt cum quispiam piperis plus, vel simile aliud acre deuorauerit, hocque nō à pipere modo, sed ab humoribus acribus quandoque contingit. propterea fuerunt ex febrientibus qui in singultu rodētem, & acerrimum humorem euomuerūt, à quo tandem symptomate liberati sunt. At haec febris nullo modo singultuosa dicta est, quamuis hi singultum ex illis mordacibus humoribus habuerint, quoniam ad hoc vt febris aliqua singultuosa vocari debeat, singultus diu perdurare debet, imo forte debet per totum morbum simul cum febre perdurare, nō sunt vero singultuosae, quae solum habent singultum in vna morbi parte & etiam minima, sed in quibus diu, vel semper perseuerat.

Tertio Galenus notat authorem in cōtextu dixisse, febres has sanari per sudores iudicatorios, & per somnos aequales, & per vrinas euacuatas, quae & crassae sunt & acres, vt sanentur, talibus humoribus qui singultus faciunt, vel excretis, vel per abscessum firmatis.

## Hippocrates. Sectio LXX.

**Coccalus, idest nux pinea & myrrha in eclegmate exhibeantur, bibātque oxymelitis perquam exiguum.**

BRASAVOLVS. Author hoc in loco genus aliud eclegmatis proponere videt, quo in singultuosa febre vti possumus, quanquam Galenus & illi parti applicare voluerit, quomodo sanari debebant edocebat, quibus cum thorax tum pulmo per sputa expugari debent. Nos autem hunc authorem exponamus ac si adhuc de singultuosa febre loquatur, quia in Galeni commentatione de alijs expositionibus differemus. Ad rem igitur, cum singultuosam febrē curabis, si praedicta non profecerint, hoc aliud eclegma parato ex coccalo idest pinea nuce, & myrrha, verum quia hoc eclegma forte palato inhaerebit & oris partibus, ideirco bibe postea oxymeli. At quia acetū nō conuenit in singultu. propterea bibe perquam exiguū oxymelitis, ne acetum laedere possit.

κόκκαλος καὶ σμύρνα ἐκλεικτόν, idest, Coccalus hoc est nux pinea, et myrrha in eclegmate exhibeantur, pro febre singultuosa, uel cum vltima pars superioris sententiae sit aut in abscessum firmatur supposito quòd in abscessum firmata sit singultuosa febris, tunc hoc eclegma dato ex pinea nuce & myr-

& myrrha, quia in singultu acetum dari non debet, tamen postea dat oxymeli, in quo est acetum. Acetum uero conuenit quando febris fuerit in abscessum firmata, et non in ipso singultu, tamen si intelligere placeat dari in febre singultuosa, dico non dari parum acetum, sed cum melle, & dari perquam exiguum. Eclegma uero huius generis in hoc casu valere ex hoc constat, quia myrrha est in secundo ordine calida & sicca, & abstergit, & coccalus etiam abstergit, unde eclegma conuenire potest, tamen magis conuenit pectori, & his qui nō possunt perfecte spirare.

πίνειν δὲ τοῖσι τοιουτέοισιν ὀξύμελι δ᾽ ὅσον ὡς ἐλάχιστον.

Bibant vero oxymeli perquam exiguum, vel intellige statim post sumptum eclegma quando bibere debent. At quia iubet parum oxymelitis bibendum, & æger sitire posset. propterea in sequenti sententia hordei aquam præbendam iubebit.

## GALENVS.

Scriptum quoque & inordinate hoc est. Commodius siquidem fecisset, si paulo ante in ea orationis parte, qua eos sanauit, quibus tum thorax, tum pulmo per sputa expurgari debent, id scripsisset, & nō febri singultuosæ adiecisset. Et sanè quod dicit, obscurū est et claritate destitutū. Nēpe κόκκαλος ab ipso dictus nō ita, sed κῶνος magis ab antiquis Grçcis appellatur uelut à recētioribus medicis ꝑpemodum oībus στρόβιλος. Cōsueuit autem ex eo eclegma conficere, ubi maxime pinguis fuerit, idest ubi multā circunfusam habuerit quæ peculiaris sit resinā. Coquunt autem fructum hunc in aqua cum prassio recenti, mox decocto mellis exiguum miscent, coquuntq; iterum donec mellis accipiat crassitudinē: quo ad hunc modū confecto, medicamēto, utimur ad thoracis, pulmonisq; expuitiones, quo autem modo & alia quædā medicamēto huic sæpius immittunt, ita & authorē libri huius myrrham immittere uerisimile est, quod postea uelut compendio manifestauit inquiens: Coccalus & myrrha in eclegmate exhibeantur. Potest aūt & ipsos qui eduntur conos cum myrrha exhibere, atque huic fortasse mel non perperam medicamento misceri intellexerimus. Sunt qui dictionē hanc, ab ante scripta separant, seorsumq; scribūt alij finem ante scriptæ, principium huius efficiunt, hoc pacto. Si autē abscessus confirmētur, coccalus et myrrha in eclegmate exhibeantur. ut morbis in abscessum confirmatis, ea medicamentum esse intelligamus: quod à ratione alienum censeo, propter id quod ita infertur: Bibantq; oxymelitis perquam exiguum. Nempe in singultuosa febre formidandum acetum prçcipit ratio: in his uero quæ in abscessum confirmantur, nequaquam. Eam ob causam sunt qui dictionem hanc quadātenus quidem antea scriptæ coniungant, copulentq;: sed quadantenus separant, atque adiecta cōiunctione autem, ita scribunt. Si autē in abscessum firmetur morbus, tanq; de singultuosa ante dicta febre id dictū sit volēte authore si in abscessum aliquando firmari contigerit singultuosam febrem, coccalum cū myrrha exhibere, & copiosam oxymelitis vitare potionē. Syllaba autem ultima uerbi huius στηρίζη, id est firmetur, siue per ζ literam scribatur, siue per ξ, nullam quæ insignis sit facit sermonis mutationem.

## BRASAVOLVS.

Primo Galenus notat & id quod in hac sententia scribitur inordinate dictum esse. nam commodius fuisset si hanc sententiam paulo ante scripsisset, in illa orationis parte, qua illos sanauit, quibus & thorax & pulmo per sputa expurgari debēt, neq; ista expectare tractasset in febre quam vocat singultuosam, imo si consideremus quod dicit valde obscurum est, & nihil habet lucis, nam quod hic dicit κόκκαλος ita ab antiquis non dicebatur, sed potius vocabatur κῶνος sicuti à medicis recentioribus omnibus ferè, vocatur στρόβιλος, ex hoc eclegma confici consuetum est, quando hic fructus valde pinguis fuerit, hoc est, vbi multam habuerit circunfusam resinam, quæ peculiaris sit, multumq; valet ad thoracis ac pulmonis expuitiones.

Secundo Galenus docet quonam modo ex pinea nunc medicamentum illud conficeretur, coquunt inquit hunc fructum in aqua cum prassio recenti, cum fuerit decoctus, parum mellis addunt, & iterum coquunt donec mellis crassitudinem accipiat, itaq; hoc vtuntur medicamento ad thoracis & pulmonis expuitiones, verum sicuti solent huic medicamento uaria quçdam immittere, ita hic author myrrham commiscuit, nec abre, quia a pectoris affectus valet, & Galenus notat valere ad thoracis affectus, & ad illos qui non possunt recte spirare. hôc vero authorem myrrham apposuisse, vt alij alia commiscent, ex his quæ ipse breuissime dicit manifestum est. s. coccalus & myrrha in eclegmate exhibeantur, tamen fieri potest vt solos det conos, idest pineæ fructus cum myrrha absque alia compositione. Et cum myrrha amaritudine prædicta sit, forte non ab re fuit intelligere in hoc medicamento addendum mel, ut in præcedenti eclegmate posuit, & in eclegmatibus poni consueuit. At forte petes quomodo secundum artem fiet compositio à Galeno scripta. Respondemus varijs posse confici modis, tamen hic est, unus modus.

Recipe nucleorum pineorū vnc. 3. prassij recentis drach. 6. aquæ padanæ lib. 2. misce & bulliant ad consumptionem medietatis. Postea adde mellis lib. 5. misce & iterum bulliant ad mellis consistentiam, & quoad spumam amplius nō emittat, interimq; spatula probe misceantur, vt fiant vnum corpus in eclegmatis formam, de quo sæpe recipiatur, nam facile expuere facit, quamuis hoc medicamentum ita confectū expuere faciat, tamen fructus totus, qui nux pinea vocatur, sumendus est, nam ipse & στρόβιλος & κῶνος à coni similitudine, & coccalus uocabatur. propterea nuces ipsas integras potius accipere oportet, quàm nucleos, nam vt Galenus docet septimo de simplicium medicamentorum facultatibus totus viridis hic fructus habet cum humiditate amaritudinem quandam & acrimoniam proinde purulentis, & quibuscunq; adeo quæ in thorace & pulmone sunt facile extussire et expuere expedit, accommodus est, vnde nuces pineæ recētes accipiendæ sunt, & hoc modo eclegma conficiendum.

Recipe nucum pinearum recentium & quæ pingues sint, hoc est propriam habeant circūquaque resinam numero. 3. prassij recentis vnc. 5. aquæ padanæ lb. 2. misce & bulliāt ad consumptionem duarum partium. postea adde mellis lib. 5. iterum misce & bulliant ad mellis consistentiam & quoad spumam emiserit, interimq; omnia spatula probe misceantur, vt in vnum corpus euadant. hoc eclegmate frequenter vtaris, nā quæ in thorace & pulmone sunt materias facile expuere faciet, quippe resina ista, quam Galenus strobilinam vocat libro sexto, de simplicium medicamentorum facultatibus & digerit, & attrahit, prassium quoq; vt eodem libro habetur thoracem, & pulmonem expurgat, & calidum est in secundo ordine completo, & siccum in tertio completo, vel in medio tertij. Arbitramur nos potius fieri debere ex integro fructu, qui tenellus sit quando est viridis, & facile dissolui possit, si aqua maceretur, & per aliquod temporis spatium ebullierit.

Tertio Galenus alias huius sententiæ introductiones prosequitur. nam fuere nonnulli qui hanc sententiam à prædicta penitus disiunxere. Seorsumq; illam scribant, sed profecto cum non applicent alicui rei id eclegma videretur præter propositum scriptum. Alij faciunt præcedentis sententiæ finem, huius initium hoc modo. Si autem abscessus confirmetur, coccalus & myrrha in abscessibus exhibeantur, voluntq; penitus disiunctam esse hanc sententiam a præcedente, & de abscessu loquatur qui sit confirmatus, non quidem confirmatus post singultuosam febrem, sed ob aliam rationem sit abscessus in loco fixus, tunc si abscessus confirmetur, coccalus & myrrha in eclegmate exhibeantur, vt intelligamus hæc esse medicamenta morborum in abscessum confirmatorum, Galenus vero iudicat hoc esse à ratione alienum ob illam partem quæ additur. Bibantq; oxymelitis per quam exiguum, nam in abscessibus non inconuenit bibere etiam multū oxymelitis, quia oīno in febre singultuosa ratio dictat acetū esse euitandum, sed

in his in quibus morbus in abscessus confirmatur, non est necesse acetum euitare, tamen si ex febre singultuosa abscessum transeant, aliquo modo vitandum, & aliquo modo non, vitandum vt est singultuosa, non vitandum vt abscessus, iccirco parum accipiens oxymelitis partim vitat, partim non, vitat quia parum accipit, non vitat quia accipit, ob hæc nonnulli aliquo modo copulant hanc sentētiam præcedenti, aliquo modo non, adijcientesq; coniunctionem autem, ita scribunt, si autem in abscessum firmetur morbus, ut hoc de supradicta singultuosa febre dicatur, ut sensus sit si contingat singultuosam febrem quandoq; in abscessum transire & firmari, coccalum cū myrrha exhibeto, & quia abscessus à singultuosa febre dependet, oxymelitis parū præbeto, nam abscessus rōne conuenit. Adde præterea acetū solum non valere, sed rebus alijs mistā valere, quia penetrare facit, & abstergit, & crassas materias impactas ac glutinosas, quæ infarctæ sunt, incidit. propterea author ipse in præcedente sententia oxymeli præbet non quidem solū, sed cum succo laserpitij & dauco trito. vnde & in singultu ex repletione acetum alijs rebus mistum quæ calidæ sint, valet. Denique Galenus notat, ultimam syllabā huius verbi στηρίζῃ. idest firmetur, siue per ζ. literā scribatur, siue p ξ, nullam facere insignem in sermone mutationem, sed tantum adesse temporis diuersitatem, quæ non multum euariat.

## Hippocrates. Sectio LXXI.

### Quod si supra modum siticulosi fuerint, bibant aquam hordei.

BRASAVOLVS. Cum his præscriptis ægris non conueniat dare nisi parum oxymelitis. At sitire possint, quid tunc agendum erit? Author respondet si supra modum sitierint, vt sitim ferre non possint aquam hordei bibant, non oxymeli, quia tanta oxymelitis copia dari non debet vt sitis extinguatur, cum propter dicta, tum quia faciet ramenta. vt Hippocrates in tertio huius voluminis libro edocebat.

ἢν δὲ διψώδεες σφόδρα ἔωσι τοῦ κριθίνου ὕδατος. idest, Si uero supra modum siticulosi fuerint, bibant aquam hordei, hic est vnus locus, in quo fit mentio aquæ hordei apud antiquos, quam iubet bibendam, quando hi sitierint, quibus oxymelitis multū propinandū non est, vel tm̄ quod sitim auferat.

GALENVS. Quòd potum hunc tanquam sitim adimentem exhibeat, est manifestum. Sed melius fecisset, si prius, quonam pacto parare hordeum oporteat, enunciasset: utrum ne simpliciter madefacere, uel ex eo zythum ut huius temporis homines conficere, vel quouis alio parare modo.

BRASAVOLVS. A Galeno notatur huius libri authorem aquam hordei exhibere velut potum sitim adimentem, tamen iudicat qđ melius fecisset, si prius in hac aqua hordei cōficienda quonam pacto hordeum parare oportebat, edocuisset. An. s. hordeū aqua simpliciter madefaciendum erat, an ex eo erat zythum parandum, vt homines suo tempore faciebant, hoc est Galeni tempore, vel si erat alter modus, modum illum edocere quo fiebat, ac si & ipse Galenus de huius aquæ hordei confectione dubitet & nesciat quid per ipsam intelligere oporteat.
De zytho autem quomodo cōficeretur nusquā à Galeno edocemur, sed in hoc loco ex hordeo fieri colligitur, & in septimo de simplicium medicamentorum facultatibus ex putredine fieri oñdit, cū inquit zythus acrior est non parum hordeo, et succi praui, utpote qui ex putredine proueniat, est & flatuosus, cum partim acris est & calidus, parte uero plurima frigidus aqueus acidus. Dioscorides & ipse libro secundo ait ex hordeo fit zythus, modū uero cōficiendi non docet, & ex hordeo fieri curmi dicit. At cum nos superius de zytho plene locuti simus ex Plinio, Diodoro, Columella propterea hic de illo loqui supersedebimus. Addentes solum hordeū aqua adeo macerari vt putrescat, aqua illa acrimoniā habet, vt oēs antiqui fatent, et nūc quoq; fit zythū, & aqua illa acrimoniam contrahit. Imo apud Gallos, et alias quasdā nationes ex siligine, & lupulis fit uocita birra, siligine putrefacta. potusq; hic inebriat et ualde acris est, Diosc. notat in occidētali Hiberia hoc est in Hispania & Britannia fieri hæc potus genera, & alia multa ex triticea fruge.
Priusq; uero de hac singultuosa febre finē faciamus, scire oportet librū circumferri de medicamētis facile parabilibus Galeno adscriptum ( quanq; ipse promittat se talem librū facturum ) in tertio illius uoluminis libro, vel i tertia parte de singultu hęc dicit, singultus aut ex repletione, aut ex inanitione, aut ob acres humores stomachū mordētes excitatur, quibus vomitu reiectis desinit. pleriq; aūt si compositione ex tribus piperibus deuorata, mox vinum biberint, singultire solent, cibo pręterea in mordacem qualitatem corrupto quidam singultiunt, vomitum sane ob plenitudinem, aut morsum singultientibus remedio esse inuenimus, caliditatem ijs qui ex refrigeratione, si uero & humorū copia singultus fiat, euacuare vehementius oportet id sternutatio pręstabit, sed ab euacuatione singultus, sternutatione non curatur, singultientibus autem ruta ex vino dāda est aut nitrum ex mulsa, aut seseli, aut daucum, aut cuminum, aut gingiber, aut calaminthum, aut nardum gallicum. hæc singultibus ex cibi corruptela, aut ex frigore, aut ex multitudine ciborum auxilia sunt. ad eos vero qui ob frigidorū, aut crassorum succorum multitudine singultiunt, & castoreum ex posca potui datū bene facit, cuti quoq; ex oleo vetere cucumerino illitum prodest. Scillinum quoq;, aut mulsum acetum potum iuuat. Item spiritus retentio magnifice singultum discutit, quomodo autem sanet hæc fiat spiritus retentio superius rationem reddidimus. Hæc Galenus in tertio de facile parabilibus, vel alter eius libelli author.

## Hippocrates. Sectio LXXII.

### In peripneumonijs & pleuritide ita considerare oportet: si febris acuta fuerit, si dolores lateris, uel alterum, uel vtrunque infestent, & si æger in ea quæ sursum fit spiritus latione laboret, tussesq; adsint, & sputa educantur, rufa uel liuida, uel & tenuia, & spumosa, & florida & si quippiā aliud discrepās, pter ea quę didicimus.

Hic iterum de pleuritide ac peripneumonia differitur, quanquam in legitima huius libri parte de his satis disputatum esse videatur, tamen in præcedentibus libris nihil ab Hippocrate dicitur ex his quæ omnibus medicis patent. At illa nunc referuntur. vnde ab authore dicitur, rem ita cōsiderandam esse in peripneumonijs & pleuritide. Si febris acuta fuerit, si lateris dolores, vel latus vnum solum, uel vtrūq; occup[au]erit, & si vnū quodnam sit, & si æger in expirando laboret, & adsint tusses, atq; huius generis sputa, quæ sint vel ruffa, vel liuida, vel tenuia & spumosa, & florida, vel si quippiam aliud adsit discrepans, præter illa quæ didicimus, nam ut erunt eodem pacto, ut sequitur curatio prosequenda erit. BRASAVOLVS.

τὰ δὲ περιπνευμονικὰ, καὶ πλευριτικὰ ὧδε χρὴ σκέπτεσθαι. i. In peripneumonijs & lateris doloribus ita considerare oportet. vt scilicet deinceps sequetur, hoc autem ostendit hunc librum non esse Hippocratis, quia idem bis repeteret absq; aliqua vtilitate, de his vero superius in legitimis egerat libris, eorumq; curationem edocuerat.

ἢν ὀξύς τε ὁ πυρετὸς ᾖ. idest, q̄ acuta sit febris. nam febris vnum ex his est, quæ morbi magnitudinem ostendunt. Cur. n. febris acuta fuerit, & vehemens, vehementiæ peripneumonię, vel pleuritidis indicium erit, & indicium magnę inflammationis. hoc igitur unū quisq; notare oportet, non solum in his morbis hic scriptis, sed et in omnibus alijs quibus cōiūgitur febris, considerato quantum febris ipsa acuta fuerit, q̄m ex hac acutie morbi magnitudo deprehendit, & periculum in quo est æger.

καὶ τὰ ἀλγήματα τοῦ πλευροῦ τοῦ ἑτέρου ἢ καὶ ἀμφοῖν.

Et si

Et si dolores lateris vel alterū latus vel utrūq; infestet, nam fieri potest & in pleuritide et in peripneumonia ut alterum latus solum afficiatur, & vtrunq; afficiatur, hoc considerandum est, imo adde si latus vnum solum infestetur, considerandum esse qualenam sit, an dexterum an sinistrum. Recentes etenim sinistrum latus æque affectum vt dexterum iudicant esse deterius de quo re nūc disputare prætermittemus, sed in vniuersali pleuritidis curatione hoc à nobis discutitur.

καὶ τοῦ πνεύματος ἄνω φερομένου ἢ ποιέει. idest, Et si æger in ea quæ sursum fit aeris latione laboret, hoc est considerādum, si æger .s. in expirando difficultatē patiatur, imo & oppositum etiam considerandū, an laboret in latione spiritus quæ est intus quoniam in his morbis tota spiratio impeditur, quamuis nonnunq; & pars solum impeditur.

καὶ βῆχες ἐνέωσι. idest. Et tusses adsint. in utroque morbo & peripneumonia & pleuritide tussis infestet, & hoc vnū est ex inseparabilibus symptomatibus sicuti & anhelitus difficultas, & lateris dolor, & febris continua, hæc quatuor sunt inseparabilia pleuriticis indicia, peripneumonia habet quidē dolorem, sed nō est adeo acutus, neq; pungēs ut in pleuritide, peripneumoniæ dolor grauitatem quandam in se habet.

καὶ πτύσματα ἀναπτύηται ἢ πελιδνά. i. Et sputa educantur rufa vel liuida hæc sputa ob nimiam fiunt caliditatem quæ materias excoquit, & in eiusmodi colores reddit, de his coloribus superius in tertio libro vbertim locuti sumus. propterea si animo tibi sis hæc cognoscere, lege quę de vinorum coloribus scripta reliquimus.

ἢ καὶ λεπτὰ καὶ ἀφρώδεα. i. Vel & tenuia & spumosa. hoc etiam considerandum præter dictos colores de sputorum consistentia, an sputa sint tenuia, uel crassa, quoniam diuersa curatione indigebit æger, & de prædictis coloribus non solū si fulua & liuida sint considerare oportet, sed & si nigra, si uiridia, & secundum alium colorem, & considerandum si cum spuma, vel sine spuma, nam si cum spuma iudicandū est aut magnam esse caliditatem materias ebullire facientem, aut magnam agitationem & flatus.

καὶ ἀνθηρά. idest, Et florida. hoc quod floridum dicitur ad spumosum vel tenue applicari non potest, sed necesse est vt coloribus applicetur, nēpe colores floridi uocātur, qui in quocunq; coloris genere viuidi sunt, vnde in coloribus floridi sunt sinceri, omnia vero sincera in excrementis semper ab Hippocrate damnātur & Galeno, vt in 2. aphorismorum colligi potest. propterea dicens colores floridos intellige vel luteos vel rubros, vel liuidos, vel virides, vel ruffos sinceros q mali semper sunt. At non sunt adeo mali cum non sunt sinceri & floridi, quia is humor, à quo dependent non est sincerus. sinceri uero semper damnantur à summis viris. ob hanc causam arbitramur dixisse floridos colores considerandos, quia malū iam significant cum ita sunt, minus malum cum non sint sinceri.

καὶ ἤν τι ἄλλο διαφέρον ἔχῃ παρὰ τὰ μεμαθηκότα τουτέοις, οὕτω χρὴ διάγειν. i. Et si quid aliud discrepans habet. præter ea quæ diximus, ita deducere oportet, cum dictum sit de sputis considerandum, an florida an non, an tenuia & spumosa an non, an fulua vel liuida an nō, quia possunt esse multæ aliæ differentiæ præter dictas, quæ inuicem discrepabunt, ne ipse omnes referre cogatur, illas sub hæc verba retulit, Et si quæ aliæ sint differentiæ præter declaratas, illas huc deducere oportet, vt præcedentes deductæ & propositæ sunt.

GALENVS.

Pleuritidis, peripneumonięq;, tum magna tum effatu digna quidem omnia in legitima libri huius parte sunt definita, distinctaq;; sed quæ medicis omnibus patent, ea sunt prætermissa. Talia autem sunt quæ in præsentiarum ab authore scribūtur. & primum quidē à ueteribus empiricis appellata syndrome, quam ueteres affectibus cōsidentia symptomata appellabāt, scilicet febris acuta, dolorq; lateris uel alterius uel utriusq;. & potissimum qui in expiratione fit. Nempe id est, et si æger in ea quę sursum fit spiritus latione laboret, tusses adsint, & sputa educantur, rufa uel liuida, & tenuia, & spumosa, & florida, & quouis aliter modo præter solitum euariantia. Nempe hoc significat, inquiens: Et si quippiam aliud discrepans habent, præter ea quæ diximus. Quæ omnia pleuriticis, peripneumonicisq; ostendi ait, si contingant, sed hoc ita regere expedit.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus notat magna omnia & effatu digna, quæ pleuriticis & peripneumoniæ contingunt, declarata esse & definita in legitima huius libri parte, à principio primi libri exordientes vsq; in finem secundi, & partim in tertio, tamen Hippocrates in his libris illa prætermisit quę de se patent medicis. Forte hic author illa hæc scribere voluit quæuis superfluum sit, cum sint omnibus nota, illa igitur refert quæ in syndrome à ueteribus empiricis vocata continebantur. hæc vero ab aliis veteribus qui non erant empirici, symptomata nuncupabantur, morbis considentia.

Secundo Galenus notat quæ sint hęc symptomata morbis assidentia, de quibus verba facit. sunt vero hæc consideranda si febris acuta sit, & lateris dolor, vel vnum solum vel utrunque vexet. Et potissimum considerandum si in expiratione sit læsio, quod significatur ab authore per illā particulam, Et si æger in ea quæ sursum fit spiritus latione laboret. Considerandum etiam si tusses adsint, & si sputa quæ educuntur sint ruffa, vel liuida & tenuia & spumosa & florida, vel quocunq; modo pręter ægrotantis consuetudinem euariantia, hoc significatur ab authore per illam particulam. Et si quippiam aliud discrepans habent præter ea quæ diximus, quæ omnia dicit peripneumonicis & pleuriticis cōtingere posse, verum hoc modo symptomata deducenda sunt, & æger regendus.

## Hippocrates. Sectio LXXIII.

Si dolor sursum penetrauerit, uel clauiculam vel mammam, vel brachium, venā brachij internam secare oportet, qua dolor afficit parte.

BRASAVOLVS.

Pleuritidis curationē aggreditur, quæ tamen magna ex parte peripneumoniæ conuenit. hæcq; vbertim in secundo libro scripta sunt sectione. 10. tamen ne videamur laborem subterfugere velle, nunc iterum cum authore sententiam repetemus, si dolor ad clauiculam vsq; pertigerit, & vel mamma vel brachium simul affecerint & in sympathiam duxerint, tūc venam brachij internam secato. Et si dolor sit in dextero latere, dexteri brachij uenā secato, si in sinistra sit parte, sinistri brachij uenam secabis, vt semper pars illa seruanda sit, quā dolor afficit.

ἢν μὲν ἐπάνω ἀνω περαίνῃ πρὸς κληΐδα. i. Si dolor sursum penetrauerit ad clauiculam. A Galeno notatur in secundo huius voluminis libro sectione. 10. esse tūc in costis superioribus abscessum, cum pertingit ad clauiculam.

ἢ περὶ μαζὸν, καὶ βραχίονα. i. Vel ad mammam, vel ad brachium, quia in quacunq; sit ex his partibus, semper notatur in superioribus costis adesse affectum, ob colligantiam, quā habent illæ partes cum panniculo costas tegente.

τέμνειν χρὴ τὴν ἐν τῷ βραχίονι φλέβα τὴν εἴσω. i. Venam brachij internam secare oportet, quam iecorariam vocant & basilicam.

ἐπ᾽ ὁκότερον ἂν ᾖ τῶν μερῶν, κατὰ τόδε. i. Ab eo vj latere, quod dolore fuerit affectum. hoc ab authore additur, quod nō erat ab authore prius expressum, è quo latere deberet fieri venæ sectio in pleuritide debet inq; fieri in latere partis dolentis, ut si dolor sit i dextera parte, in dextro fiat brachio, si in sinistra parte, in sinistro, hoc est illud quod in secūdo libro preterierat Hippoc. latus. s. exprimere è quo fieri deberet uene sectio.

GALENVS.

Rursus & in præsenti loco partis legitimę sententiam elaboratiq; uoniam in ea prætermissum est quod simul cū dicta intelligitur adiecitq; illud, uenam scilicet secandam recto à latere dolente tramite: quod exposuit inquiēs: Venam brachij internam secare oportet qua dolor afficit parte. sed manifesta vsus breuitate orationem negligentius percurrit. Nam venam cubiti dicere debuit, cum venam brachij dixit.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat rursus in hac parte sententiam pertractari, de qua dictũ est in legitima huius libri parte, & id factum est quoniam in illa sententia, vna pars prætermissa est, quam tamen simul cum dictis intelligere necessarium erat, hoc vero in loco illud expresse adiecit, s. uenam secandam à recto latere dolente, id vero his verbis expressit, venam brachij internam secare oportet, qua dolor afficit parte, vt secundum Galenum in pleuritide secanda sit à dolente latere vena. & ne quispiam dicat hunc librum non esse Hippocratis, & ideo Hippocratis sententiam non fuisse secandã à dolente latere venã, Galenus manifeste ostendit & id secundum Hippocratem sentiendum esse, nam cum secundus huius voluminis liber sit Hippocratis indubitatus, tamen cum de vena secanda in pleuritide locutus sit, & latus non expresserit, intelligẽdus est, vt ab eodem latere à quo sit dolor, sit secãda. illiq; egregie decipiuntur, qui putant eiusdem quidem lateris venam à Galeno & ab Hippocrate dissecandam quidem iuberi, sed nõ in principio. At palam est huius libri authorem et Galenum loqui in principio curationis pleuritidis, et Hippocrates in secundo huius uoluminis libro in principio loquutur, tamen Galenus in hac parte exponit secũdi libri sententiam vt intelligat de vena ab eodem latere secanda imo & in libello de curandi ratione per sanguinis missionem, & in principio ab eodem latere venam secat.

Secundo Galenus notat hunc authorẽ breuitate vsum vt clarum est, orationẽ negligenter percurrisse, nempe dicere debuit venam cubiti, & dixit venam brachij, tamen non sunt differentes, nisi quia communis est dicere venam brachij, q̃ venam cubiti & nunc apud recentes huius dictionis vsus est frequentissimus, quia brachio utuntur pro cubito, & ferè semp dicunt venam brachij secandam.

## Hippocrates, Sectio LXXIIII.

**Sanguinemq; auferes pro corporis habitu, anni tempore, ætate, & colore, ampliusq; non veritus si dolor acutus fuerit, ad animi vsq; defectionem detrahes.**

Cum venã secandam esse edocuerit, uoluit & scopos secandi venam tradere, in hocq; plures posuit q̃ conueniat, & alios ex necessarijs reliqt.

BRASAVOLVS. Disputauimus in febre ardẽte de sectionis uenæ scopis, & iuxta Hippoc. ac Galeni dogmata cõclusimus tres esse scopos, morbi magnitudinẽ, ętatẽ, & uires. In hoc loco vires pͥtermisit, quæ sunt maximus omniũ scopus, & magnitudinem morbi, quę & ipsa egregie seruanda est, & alios addit scopos, qui necessarij non sunt, inquit ergo sanguinem huic auferendum esse pro corporis habitu, anniq; tempus est seruandum, & ęgri ætas, atq; color, imo quia dolor nonnunquam est valde acutus. propterea si ita sit ad animi usq; defectionem detrahito. Aliquis uero ꝓ authore dicere posset magnitudinem intelligi ex ipsomet morbo, qui est pleuritis inter acutos numeratus. supponitq; vires adfuisse, quia cũ dolor est acutus, iubet ad animi vsq; defectum trahendum, ex hoc supponitur vires constare, tamen hoc non defendit authorem, quia aliud sunt vires, aliud animi defectus, nam quispiam cum viribus in animi defectum incidere potest.

ἀφαιρέειν δὲ κατὰ τὴν τοῦ σώματος ἕξιν. i. sanguinẽq; auferes pro corporis habitu. A Galeno superius sectione. 25. dictum est ætatem non esse illam quæ pro secanda vena considerari debeat, q̃uis mille in locis de ætate mẽtionem fecerit, sed scopi sunt magnitudo morbi, vires, & habitus, nam pueris non est secanda vena non quia pueri, sed quia molles, & succi perspirabili cute facile digeruntur, senibusq; uena secanda non est non quia senes, sed quia frigidi sunt & sicci. propterea est corporis habitus qui de vena secanda indicat non autẽ ætas, & ideo hoc in loco author superflue addidit ætatem, de hac autem re superius plene egimus.

καὶ ὥρην. i. & anni tempus. Tempus etiã anni ad venæ sectionem cõfert, nam in maximis caloribus & frigoribus non est vena secanda, imo & huic addenda esset regio, quia in calidissima, & frigidissima regione ęqua non est extrahendus sanguis tamen de anni tempore & regione, & quomodo intelligi debeat in his esse detrahendum sanguinẽ & non esse detrahendum superius dictum est.

καὶ ἡλικίην. i. & ætatem. ætas profecto superfluit, si corporis habitum consideremus, quem statim in huius sententiæ initio considerandum dixerat.

καὶ χροιήν. i. & colorem. color & ipse considerandus est, nã qui rubescunt sanguine abũdare videntur, qui pallidi pituita, qui lutei bile, qui nigri atra bile. si rubri sint, cũ sanguine abundent, vena secanda est, quia hi temperiem habent æqualem.

πλέον καὶ θαρσέων ἢν ὀξὺ τὸ ἄλγημα ᾖ ἀγαγεῖν πρὸς λειποψυχίην. idest, Amplius et non ueritus si dolor acutus fuerit ad animi usq; defectionem ducere. nã in primo Aphorismorum Galenus docet ad syncopim usq; fieri purgationem & sanguinis per venam eductionem, quoties quispiam uehementi dolore infestabitur, modo alia sinant, ꝓbatq; & facilius & commodius, & cum minori dispendio fieri venæ sectionem, q̃ medicamenti exhibitionem, nam cum medicamentum effrenitat occurrere non possumus sicuti in uenæ sectione semper sistere possumus cum nobis placuerit, tamen & in hac sectione vsq; ad animi defectum reliqua correspondere debent de corporis habitu, viribus, & reliquis.

GALENVS. Rursus hoc in loco plus quàm mediocriť scopos detractionis sanguinis omnes recensere conatus, quosdam silentio prætertijt. Neque enim uirtutis meminit, neque sanguinis mutationis, nec vero regionis, nec temperamenti. Plus autem auferre atque ad animæ vsq; defectionẽ id audacter agere pręcipiens, deliquit sanè in dictione cum adiecit, quã ob causam audere conueniat. Nempe quòd dolor acutus sit, plus quidem sanguinis uacuamus: sed fluere sinimus, non quia acutus sit, sed ob alia, utpote si uirtus robusta fuerit, flouerit ætas, sanguis abundauerit, & laborantis natura tum dẽsior, tum durior, atq; ægre magis perspirabilis, & sanguinis copiosi fuerit. Anni etiã tempus, & temperamentum eucraton; sic sanè & regio. Nempe quòd ad animæ usq; defectionem sanguinem auferre nõ uereamur, nobis ex his accidit.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat hunc authorem rursus & hoc loco voluisse scopos oẽs detractionis sanguinis plusq; mediocriter recensere, tamen multum defecit, quia omnes afferre uoluit, & nonnullos reliquit ex potioribus, & ex his qui maximã habent vim pro educendo sanguine, nam de uiribus nullam mentionem fecit, neq; de sanguinis mutatione, neq; de regione, neq; de constitutione, adde neque de morbi magnitudine neque de ægri temperie.

Quod legitur nec temperamentũ, Græce est οὐδὲ καταστάσιος. idest, Neque de constitutione scilicet aeris.

Secundo Galenus notat hunc authorem deliquisse, cum præcepit plus auferendum & ad animi usque defectum audacter educendum, delictum vero in illa parte fuit, quando causam reddit cur audere conuenit, causa vero erat secundum authorem quia dolor acutus. At quia dolor acutus proculdubio plus sanguinis euacuamus. tamen non sinimus fluere quia acutus, sed fluere sinimus quia alia etiam consentiunt, vtpote quia vis est robusta, quia ætas florens, quia sanguine abundauerit, & quia ægrotantis natura & densior & durior est, & ex consequenti ægre magis perspirabilis, et ob hoc est sanguinis copiosi, imo adde tempus anni conuenire, & ęgri temperamentum esse eucraton & optimum, & regio consentit, & si hæc omnia concurrant, sanguinem vsq; ad animi defectum auferre non veremur.

Nota cum à Galeno frequenter dictum sit in magnis morbis, & in magnis doloribus esse mittẽdum sanguinem usq; ad animi defectum, nunquam est dictum nõ esse verendum, imo & verendum & ualde verendum esse censet, nisi omnia concurrant quæ superius dicta sunt. cum enim in vnum coierint, tunc

verendum

verendum non est. Ex hac parte scopos omnes elicito, quibus absque periculo & timore sanguis usque ad animi defectum trahi possit.

## Hippocrates. Sectio LXXV.

### Clysterem postea exhibebis.

BRASAVOLVS. Post venæ sectionem clysterem imponendum iubet, qui tamen potuit & cõuenientius ante sanguinis missionẽ imponi.

ἔπειτα ὑποκλύζων μετὰ τοῦτο, idest, Postea clysterem exhibebis, postquam scilicet vena fuerit secta, tamen semper melius est ante venæ sectionem, si tempus datur, clysterem imponi, si non datur post uenæ sectionem fieri cõuenit. Sit uero clyster is de quo superius verba fecimus, ex mulsa, oleo & sale. nam per ipsum aliud euacuare animo non est quàm communes feces, & illa quæ in intestinis continentur.

GALENVS. A sanguinis missione clysterem exhibere iubet. Sed melius erat adiecisse Hippocratis definitionem, si non sponte probe deiecerit aluus.

BRASAVOLVS. Galenus notat post venæ sectionem, clysterem imponendum iubere. at inquit melius fuisset subiecisse si aluus probe non sponte deiecerit, tñ hoc in authore subintelligere oportet.

## Hippocrates. Sectio LXXVI.

Si dolor sub thorace fuerit, valdeque infestauerit, pleuritico ventrem subpurgabis, nihilque dum purgabitur dabis. a purgatione autem oxymeli. verũtamen purgans medicamentum quarto die ministrabis, tribusque primis diebus clysteres exhibebis, quibus si non leuetur, ad hunc purgabis modũ. Custodies deinde ægrũ donec ad febris priuationem & septimum peruenerit diem. qui si in tuto esse videatur, in primis exiguum tenuemque cremorem, eumque melle conditum dabis. si vero facile reuocatur, & facile spirat, lateraque nõ doleant, sensim crassiorem copiosoremque & bis die ministrabis.

BRASAVOLVS. Repetit in præsentiarum author, & id quod Hippocrates in secundo lib. sectione. 11. edocuerat, de purgatione in pleuritide quando fieri deberet, superius dictum est quid esset agendum, cum dolor ad claviculam pertingit, & humerum, & mãmam: nũc de dolore agit cum uersus inferiorem partem descendent, nempe si sub thorace dolor infestauerit, ut agendi inducias non præbeat. hic qui ita affectus est, purgatione indiget, & dũ purgatur, nihil penitus dandum. at post purgationẽ oxymeli præbere poteris. Si vero petas quo tempore medicamentum dari debeat, inquit quarto die dandum, & ad aluum præparandam primis tribus diebus clysteres exhibẽdi, si his clysteris morbus leuetur, non est dandum medicamentum, si vero non leuetur dabis medicamentum, post quod ægrum custodies quoad febre caruerit, & ad septimum diem peruenerit. cum in septimo erit die si in tuto esse videatur, in primis dabis exiguum cremorem & tenuẽ, & sit hic cremor cum melle conditus, si post hæc facile reducatur, & facile spiret, & latera non doleant, sensim copiosiorem & crassiorem victum ministrabis. Idque bis in die facies, si is talis sit, quales hi esse solent, qui bis in die comedunt.

ἢν δ' ὑπὸ κάτω τοῦ θώρακος τὸ ἄλγημα ᾖ, καὶ συντόνω λίην. i. Si vero sub thorace dolor fuerit, et ualde infestauerit. Hippocrates in secundo libro iuxta Galeni expositionẽ per partes sub thorace, uel sub septo, illa nõ intelligit quæ sunt sub septo trãsuerso, sed illas quæ sunt sub thorace. i. in parte inferiori thoracis, an uero idem hic intelligat hic author, uel itelligat sub septo præcise ambiguum est, tamen quicquid sit, uel partem thoracis inferiorem in hoc authore intelligamus, uel partem sub thorace, si in illa parte fuerit dolor, qui ægrum valde molestia affecerit, ut magna anhelitus difficultate detineatur.

τοῦ πλευριτικοῦ τὴν κοιλίην ὑποκάθαιρε. i. Pleuritico uentrem subpurgabis, nullaque alia huius rei causa reddi potest, quã illa, quòd materia deorsum uergit, tamen an debeat in hoc casu potius fieri purgatio quàm uenæ sectio, à nobis in secundo libro disputatum est, nempe & in præsentiarum, & Pauli Aeginetæ tempore in pleuritide in quacunque sit parte semper uena secatur. tu ad nostra in illa parte commentaria recurrito.

μεταξὺ δὲ τῆς καθάρσιος μηδὲν δίδου. i. nihilque dum purgabitur dabis. hoc est post sumptũ medicamentũ nihil dandũ est, nisi purgatione perfecta, qua expedita, aliquid dare oportet. s. cibi, quia de cibo loquitur qui dari debeat, uel de potu cibi loco. Et si dicas Hippocratem in secundo libro iussisse statim post medicamentum dandam ptisanam. Respondemus esse uerum quando dari debet, sed in hoc casu neque ptisana neque aliud dare oportet, uel intellige actu dum medicamentum purgat, nihil dandum esse, & hoc præcipitur etiam ab Hippocrate in secundo libro, nihil dandum dum actu purgat, ne medicamenti actio impediatur.

μετὰ κάθαρσιν δὲ ὀξύμελι. i. a purgatione autẽ oxymeli, oxymeli genus quod conuenit aquosum esse debet, alioqui non conueniret.

φαρμακεύειν δὲ τεταρταῖον. i. At purgans medicamentum quarto die dabis. Hoc nõ est iuxta Hippocratis dogma quarto die præbere medicamentum, nam Hippocrates primo daret die si aliquid mouendum uideretur, & secundo die & tertio, & quinto nedum quarto, iccirco in hoc sistendum non est, quod die quarto medicamentum dare oporteat, nam dierum numerus non est scopus ad exhibẽdum medicamentum, sed scopus est antequam sint fixi humores, medicandum ne figantur. cum uero sunt fixi, tunc nihil dandum, sed coctio expectanda est.

τὰς δὲ ἐξ ἀρχῆς τρεῖς ὑποκλύζειν. i. sed primis tribus diebus, clysteres à principio exhibebis. Cum iussisset quarto die dandum medicamentum, aliquis petere posset de primis tribus diebus ante medicamentum quid agendum sit. Respondet clysteres esse exhibendos, singulis diebus singulum imponentes, qui clysteres anodyna recipiant ut chamæmæli, anethi, & similium decoctum, oleaque eiusdem sint generis.

κἢν μὴ κουφίζῃ, οὕτως ὑποκάθαιρε. i. Quibus si non leuetur ad hũc purgabis modum. clysteres illi debent esse anodyni ut dolorem sedent, si uero dolor per clysteres non sedetur, tunc purgante medicamento utaris, ac si tẽtari velit, an possit euitari medicamentum purgans per mitiora præsidia, nã clyster mitius præsidium est medicamento purgante, unde primo per clysteres tentandum an dolorem sedare possimus, postea per medicamentum si non sedetur.

φυλακὴ δ' ἔστω ἕως ἀπυρέτου καὶ ἑβδόμης. i. Custodies deinde ægrum donec ad febris priuationem, & septimum peruenerit diem. Erit hic morbus peracutus, si die septimo sit a febre liber, sed rarissimi sunt in pleuritide, qui septimo die à febre liberi sint, in multos tamen inclinat morbus, si erit septimo die à febre liber, quartus dies fuit talis, ut non debuerit in eo exerceri medicamentum purgans, quia potuit fuisse iudicatorius, & etiã ante diem septimum fuit liber. At petes qua in re custodiendus sit æger. Rñdemus esse à cibo custodiendum, id ex hoc colligitur, quia statim post hoc tẽpus cibũ ponit, q dari debeat.

ἔπειτα ἢν ἀσφαλὴς ἐὼν φαίνηται, οὕτω χυλοῦ ὀλίγου καὶ λεπτοῦ τὸ πρῶτον, καὶ μέλιτι μίσγων δίδου. i. Deinde si in tuto esse videatẽ in primis exiguũ tenuemque cremorẽ melle conditũ dabis. Statim à medicamento oxymeli dari iussit, & cum hoc æger usque ad febris remotionem, aut ad septimum diem seruandus est. verum quia oxymeli modice nutrit, iccirco post septimum considerare oportet si æger melius se habeat & in tuto sit, quod tamen necessarium est. si à febre liber fuit, tunc cibus præberi debet, qui tamen per gradus recipiatur, nam prima vice non magni nutrimenti sit cibus, sitque qualitatis morbo

proportionatæ, ac facilis coctionis, is vero est cremor ptisanæ, qui & tenuis sit & per linteum percolatus, & in pauca quantitate sumptus, veruntamen vt sapiat & magis nutriat, magisq; aperiat, ac sputa prouocet, mel in pauca copia simul misceto, quod & simul bulliat, & egregie expumetur.

ἢν δ' εὐάλθεκτος φαίνηται, καὶ εὔπνοος ἢ καὶ ἀνώδυνος ἢ τὰ πλευρά. idest, Si vero facile reuocatur, & facile spirat, & latera non doleant, ac si dicat si facile vertatur, vel facile in pristinum statum reducatur, neq; anhelitus habeat difficultatem, & laterns dolor iam abierit, tunc cibus paulatim augendus est, & per talem ordinem augendus, vt sanus iam factus sanorum cibo vescatur, propterea addit.

κατὰ σμικρὸν παχυτέρῳ τε καὶ πλείονι καὶ δὶς τῆς ἡμέρης. i. Sensim crassiorem & copiosiorem, bisq; in die ministrabis, supponitur hunc semel in die oxymeli primo sumpsisse, postea semel in die ptisanæ succum, postea crassiorem cibum & copiosiorem paulatim quousq; ad sanorum cibum perueniat, & ex vna quam accipiebat cibatione duas accipiat.

GALENVS.

Pleuriticum nominauit, id quod ab Hippocrate in legitima libri huius parte est dictum: vbi ita habētes pleuriticos purgans facit autem id duobus modis. Quarto uero die medicandum indistincte pronunciauit. Neque enim inter morbi initia aliquod remediorū huiusmodi ęgro iniungere oportet, desumpto à numero dierū scopo, sed quod Hippocrates recensuit, est exequendū. Nā uel statim ab initio prius quàm in partē aliquam confirmentur humores medicandum, uel postea cum ad maturitatem perducti fuerint. Quam ob causam & prima interdum die, & secunda, & quarta, & interdū quinta, medicamenta dedimus, & non in quarta solū, quo modo is dixit.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat hunc authorem pleuriticum nominare, cum qui ita dicitur ab Hippocrate in legitima huius libri parte, vbi sectione. 11. secūdi libri pleuriticos ita habētes. s. sub thorace dolorē purgat. idq; facit duobus modis, idest per duo medicamenta purgantia, vel per duo medicamētorum genera vnum quod solidum accipitur, aliud quod in potu sumitur. Secundo Galenus notat hunc authorem dicere quarto die medicandum esse, quod indistincte dictum est, nam inter morbi initia aliquod huius generis præsidium ægro iniūgere nō oportet, à dierum numero scopum accipientes, sed vt Hippocrates edocuit agere oportet, nam uel statim ab initio morbi medicandum priusquam humores in aliqua firmentur parte, vel post medicandum, cum humores ad maturitatem fuerint perducti, vel si non sit statim ab initio factū maturitas expectetur, quando humores fuerint fixi, & ideo ob hanc causam, quandoque prima die, quandoq; secunda, quandoq; tertia, quādoq; quarta & quandoq; quinta medicamenta præbuit Galenus, neq; solam quartam seruauit diem, vt hic author facit, modo non sit aliquo in loco fixa materia. quia tunc non est educenda nisi post maturitatem.
Ex hoc loco colligi potest euacuādam esse materiam in principio, quæ in aliquem locum fluxura sit, vel etiam fluat, modo non sit fluxa & firmata, etiam si non sit furiosa.

## Hippocrates. Sectio LXXVII.

Quod si non facile reuocari videatur, potionis minus, sorbitionem exiguam, cremoremq; tenuem, & semel exhibebis, atq; eo quo melius degit tempore, quod ex vrinis deprehendes. Nempe in istiuscemodi morbis sorbitio ante vrinarum sputorūq; concoctionem danda non est. Quod si purgatus multa deiecerit, dare oportet, minus tamen & tenuis. Non enim ob vacationem dormire neq; concoquere poterit similiter, neq; iudicationes sustinere. verum vbi crudorum colliquatio facta fuerit, & quæ renituntur reiecta, nihil obstabit.

BRASAVOLVS. In calce huius sententiæ iussit author, si æger facile conualescat, & in sanitatem facile reuocetur, sensim crassiorem & copiosiorem cibum esse exhibendum, & cum bis in die, verum si contingat ægrum talem esse, vt in pristinū statum facile non reuocetur, in hac sententia quid agendum sit edocet, inquiens, Si æger non videatur facile reuocari posse, minus potionis dabis. s. oxymelitis, & sorbitionē exiguam cremoris ptisanæ, imo & tenuem, & hoc semel idq; facies quo ad æger melius reuocetur. Et si petas quomodo id deprehendi possit, inquit ex vrinis deprehendi posse, nā in his morbis pleuriticis sorbitio ante urinarum coctionem, & sputorum danda non est. tamen si æger purgatus sit, & inter purgandum multa deiecerit ob imbecillitatem, sorbitionem dato, quæ ad purgationem sequitur, sed & in minori sit copia & tenuior, nam ob euacuationem neq; dormire, neq; concoquere poterit eodem modo, neq; poterit similiter iudicationes sustinere. At vbi facta sit crudorum humorum colliquatio, & vbi materię quę renitebantur, reiectę sunt, nihil obstabit cibum augere.

ἢν δὲ μὴ φαίνηται ὡς ἀναλλαγῇ. i. Si vero nō facile reuocari videatur, si æger in sanitatem facile non reuocetur, non est augendus cibus vt iusserat, sed illa agenda quæ sequuntur.

ἔλασσόν τε τὸ πόμα, καὶ τὸ ῥόφημα ὀλίγον, χυλὸν λεπτὸν καὶ ἅπαξ. idest, Potionis minus, & sorbitionē exiguam, cremorem tenuem, & semel exhibebis. cum non reducitur, neque facile æger reficitur, ne cibato, vt cum reficitur, sed potionis minus da. i. oxymelitis, & sorbitionis parum prębe, quæ sit tenuis ptisanæ cremor, neq; bis in die dato, sed semel tantum, vt aliquid omnino augeatur, sed ob temporis processum sit modicum, nam primum dabatur oxymeli, & forte copiose, si ægritudo procedat, non potest æger cū oxymelite seruari. ppterea aliquid plus dandum est, sed minus quàm daretur si facile reuocaretur. Et ideo oxymelitis potionem dabis, verū quia aliud dare opus est, potionē hanc in minori copia præbeto, exiguam deinceps sorbitionem adiungito, quę sit etiā cremor tenuis non crassus, nam cremor vt per linteum crebrius et rarius percolatur, ita est crassior & tenuior. & quia iubebat cum facile ęger reuocabatur, bis in die postea dandum, hic vnam prohibet cibationem cum non facile reuocatur & iubet semel tantum in die hæc. s. exhibēda. illa inq; hora qua minus afficit unde inqt.

ἐν ὁποτέρῃ ἂν ὥρῃ βέλτιον διάγῃ. i. In illa hora qua melius degit, hec est hora qua vnica illa cibatio danda est cum melius se habet, in hora diei quietiore, vel mane sit, vel vesperi, vel intellige non quidem diei horam, sed ægritudinis tempus, in quo melius se habeat æger, quia postea sequitur deprehendi hanc horam & hoc tempus ex vrinis, tamen si per horam particulare tempus cuiusque diei intelligere uoluerimus nihil impedit, & id tempus per vrinas cognoscitur.

γνώσῃ δὲ ἐκ τῶν οὔρων. i. Cognosces autem ex vrinis, nam singulis ferē diebus in his morbis febres excrescentias habent & tepores, cum crescere incipiunt vrinæ sunt tenuiores, deinde paulatim crassescunt, versus teporem remitti incipiunt, qua hora cibus præberi debet, hic est huius partis vnus intellectus, vt singulo die cibus semel detur, alium sensum dabimus in particula quæ sequitur.

δεῖ δὲ ῥόφημα προσφέρειν τοῖσιν ἐκ τῶν νοσημάτων μὴ πρότερον, ἢ πέπονα τὰ οὖρα ἢ πτύσματα ἴδῃς γεγενημένα. idest, Non oportet autē sorbitionem in huiusmodi morbis exhibere priusquam & vrinæ & sputa concocta sint. sputa & vrinæ in his morbis in status calce, & in declinationis initio concocta sunt, vsque ad hoc tempus nihil præbendum, hoc tēpore hæc danda vt de uniuersali coctione intelligas, & de temporibus vniuersalibus, & semel solum sit cibandus. nam & Hippocrates & hic author hos ægros sine cibo in inclinationē vsq; seruabunt si uires constitissent, & ideo hic profecto intelligere possumus hunc esse cibandū cū vrinę fuerint coctę, & sputa matura,

quod

quod est tantum in consistentiæ fine, & in declinationis initio, tamen & omnia hæc ad particulares coctiones adaptari possunt, diciq; potest hæc intelligi post septimum diem, quia hoc tempore ordinem cibandi præbet, quando facile & difficulter reuocantur.

ἢν δὲ φαρμακοδοσίης συχνὰ κατασχῇ, ἀναγκαῖον διδόναι, ἔλασσον δὲ καὶ λεπτότερον. idest, Si vero purgatus multa deiecerit, necessariū est dare minus, tamen & tenuius, quia iubebat quarto die purgandum esse, supponebaturq; purgationem præcessisse mediocrem, ad quam processus iam dictus sequebatur. At nunc loquitur si magna præcessisset purgatio, & simul æger nō facile reuocari videatur, quid tunc agendū? omnino dare oportet, quia ex euacuatione vires imbecillitantur, fatetur ergo omnino dandum esse, tamen non dandum vt præberetur, si urinę essent coctæ & sputa, neq; dandum crassius & copiosius vt si æger reuocetur, sed dandum minus & tenuius.

οὐ γὰρ δύνανται ὑπὸ κενεαγγίης ὑπνώσσειν, οὐδὲ πέσσειν ὁμοίως, οὐδὲ τὰς κρίσιας ὑπομίμνειν. idest, Non enim ob euacuationem dormire poterunt. neque concoquere similiter, neque iudicationes sustinere. euacuatio cum superflua est, vires imbecillitat, & ob siccitatem exiccat. hi qui præter modū euacuati sunt dormire non possunt, & quia imbecillitati coquere etiam non poterunt, vt coquerent, imo si superuentura sit iudicatio, cum in ipsa magnus fiat motus, motum ipsum ferre non poterunt. Et ideo addendi quidem sunt ob imbecillitatem, sed eo modo addendi vt coquere possint, & ne parua illa uis imbecillitata superetur à cibis.

ἀλλ' ὅταν δὴ ξυντήξιες ὠμῶν γίνωνται, καὶ τὰ ἀντέχοντα ἀποβάλλῃ, ἀντίξουν οὐδέν. idest Verum vbi crudorum colliquatio facta fuerit, & quæ renituntur reiecta, nihil obstabit euacuatio quæ quarto die facta fuit, & si multum euacuauerit, tamen, & ex materiebus crudis multæ relictæ sunt, quæ medicamento educi nō potuere, quia erant crudi humores colliquati, & ex crassioribus effecti tenuiores & liquidiores. & si materiæ quæ medicamento renitebantur, quia erant crudę reiectæ sint, nihil obstabit quin possit dari plenior cibus, posset tamen & aliter hæc pars intelligi, vt ad coctionem & iudicationem referretur, tamen sensus is qui prædictus est, potior videtur, ex quibus intelligere potes, quantum hic author obscurus sit, è quo tot sensus dici possunt.

GALENVS. De particulari cibi exhibendi tempore agens Hippocrates, & libri huius author in iis quæ suprascripta sunt, eam quę tum in thorace, tum in pedibus est caliditatem animaduertendam esse voluerunt. Nempe vrinarum cōsideratio ad vniuersalem victus formam, non ad particularem commoda esse videtur. Quo fit, vt non recte hoc in loco cremorem tenuem semel exhibendum eo quo melius degit tempore, deprehēdēdūq; ex vrinis. Nempe tametsi breuissimam in particularibus accessionibus ad melius inclinationem vrinæ habuerint, tēpus tamen huiusmodi non vsqueadeo protrahitur, vt has recondamus, expectemusq; vtrum nebulas vel sublimes, vel subsidentes habuerint. Hec siquidem non in pauco fiunt tempore. Atqui in acutis morbis interdum ægri in declinationis principio de necessitate sunt alendi.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat & Hippocratem de particulari tempore exhibēdi cibum, & huius libri authorem (vt ex his constat quæ superius dicta sunt) edocuisse caliditatem illam animaduertendam esse quæ in thorace & pedibus existit, neq; pro dando cibo urinas considerandas voluerunt quia vrinarum consideratio ad uniuersalem victus formam & non ad particularem commoda est.

Petes vero quomodo ad vniuersalē victus rationem sit commoda & non ad particularē? Respondemus quia vrinæ, quæ neq; coctionem, neq; signa coctioni opposita habent, ostēdūt, esse morbi principium, in quo plus est dandum, quàm in alijs temporibus, cum signa coctionis apparere incipiunt, augmentum est, in quo minus dandum. cū stat & perficitur coctio, est consistentia, in qua nihil præbendum. cum perfecta est coctio est inclinatio, in qua opus est incipere aliquit prębere, sed in una particulari accessione & si aliqua uideatur in vrinis diuersitas, tamen ad victus rationem præbendā exquisite apta non est. Galenus inquit Hippocratem & huius libri authorem superius docuisse, notandum esse, caliditatem quæ tendat in thoracem, vel ad pedes pro victus ratione seruanda. Petes vero vbi ab huius libri authore, & ab Hippocrate notatū sit. Rñdemus ab huius libri authore notatum esse superius sectione. 39. ab Hippocrate libro primo sectione. 46. tamen & in hoc quarto libro, quęcunq; dicuntur quæ sint Hippocrate digna, ab eo dicta existimantur, propterea & sectio illa. 39. huius libri, cum ab Hippocrate non deuiet, est Hippocratis sententia & etiam huius authoris, quoniā hic author illam collegit & in ordinem scripsit, & ꝓbauit, vt omnes Hippocraticæ sententię sint & huius authoris sententię (de his loquor quas refert author) quia illas refert & probat.

Secundo Galenus notat cum vrinæ consideratio ad vniuersalem victus formam & non ad particularem commoda sit, ob hoc conueniens non fuit hoc in loco dicere, simul exhibendum esse cremorem tenuem, eo tempore quo melius degit, & id sit ab vrinis deprehensum, nam & si id verum sit, quod vrinæ in declinationibus particularibus ad melius se habeant, tamen id est breui tempore, neq; tempus hoc adeo protrahitur, ut vrinas has considerare debeamus, & expectare an nebulas habeant sublimes, vel subsidentes, nam hæc in pauco tempore nō fiūt. id tamen scire oportet in acutis morbis interdum ægros de necessitate alendos esse in declinationis principio, quod est pars status propinquissima, neque inclinationis processum expectamus, cum vires exhaustas esse cernemus.

In eo quod dixit breuissime inclinationem, & Græce est βραχεῖαν ῥοπὴν breue momentū nihil aliud sensit Galenus, quàm ex particularium accessionum vrinis iudicium faciendum non esse quia breui in eo sunt statu, neque etiam regula sumenda est cibandi ægrum, tamen nos qui nostro tempore ægros in ea inedia seruare non possumus, qua ab antiquis seruabantur, sed quotidie ob assuetudinem cibare cogimur aliquid ab vrinis accipimus.

## Hippocrates. Sectio LXXVIII.

Cocta autem sunt sputa, cum puri similia fuerint. vrinæ autem cum hypostases eruii modo subrubras habuerint. cæteris autē laterum doloribus tepefactoria apponere, & ceromata nihil vetat. cruraq; & lumbos calido inungere, & pinguedine illinere. hypochondrijs quoque ad vsque mammas ex lini semine cataplasma imponere. Vbi autem peripneumonia ad statum peruenerit, quando non repurgantur, auxilium non habet. & mala est si laborās ęgre spirauerit, fuerintq; vrinæ tenues, & acres, atque si sudores circa ceruicem caputq; oriātur. Nempe sudores huiusmodi mali sunt, vincente ob æstum impetumq; & violentiam ægritudine: nisi vrinæ multæ & crassæ prodierint & concocta exierint sputa. vtrum autem ex his sponte euenerit, soluit morbum.

BRASAVOLVS. Cum in pręcedenti sententia proposuerit sorbitionem dandam non esse, nisi sputa & vrinæ cocta fuerint, ex hoc aliquis ambigere posset inquiens, Nescio quibus indicijs cognosci debeat vrinas esse coctas & sputa cocta, vt huic tacitæ ambiguitati satisfaciat nunc docet quænam sint coctæ vrinæ & cocta sputa, inquiens tunc dicito sputa esse cocta quando erunt puri similia, vrinæ vero tunc dicentur coctę, quādo hypostases ha-

buerint, etiam modo subrubras, verumtamen ad alios laterum dolores tepefactoria apponere, & ceromata nihil prohibet, & crura ac lumbos calido inūgere et pinguedine illinire, supra hypochondria vero usque ad mammas cataplasma ex lini semine confectū imponito, & cum deprehendes peripneumoniam ad statum peruenisse si non repurgetur non adest spes salutis, neque præsidium quodpiam quod prodesse possit. Adde peripneumoniam malam esse si laborans ægre spirauerit, & vrinę fuerint tenues & acres. Adde si sudores circa ceruicem vsque caput oriātur, nam huius generis sudores praui sunt, quoniam ob æstum & impetum et violentiā ægritudo vincit, & prorsus vincet ægritudo, nisi vrinæ multæ & crassæ eruperint, & sputa cocta fuerint, nam quicqd ex his duobus, uel urinis plurimis & crassis, vel sputis coctis exierit morbum solui significatur.

πέπονα δ' ἐστὶ τὰ μὲν πτύελα, ὁκόταν γίνηται ὅμοια πύῳ. idest, Sputa autem cocta sunt cum puri similia fuerint. sententia hæc haud parum confusa est, & modo de pleuriticis, modo de peripneumonicis agit, modo Hippocrati consentit, modo ab eo dissentit, vbi authorem defendi poterit, & hic, & alijs in locis defendemus. vbi aliquid expresse falsum dicet, illud annotabimus, qualia sint sputa cocta ostendit inquiens esse similia puri.

De pure in secundo aphorismorum scriptum est, cum ab Hippocrate dicitur, cum pus fit, dolores et febres magis quàm iam confecto, & in vltima sententia primi prognosticorum, in quo loco de puris generatione & coctione ac qualitatibus abunde egit Galenus, pus tunc perfectum est, cum album est, ęquale & non fœtens. vnde cum pleuriticorū sputa sunt alba & ęqualia in crassitie, tenuitate, duritie, & mollitie, & non fœteant, cocta sunt, neq; glutinosa sint neq; nimis lubrica, sed æqualē quandam habeant consistentiam, nempe credendum est cum sputa cocta puri comparat, de pure perfecto loquatur, et nō de ichore vel sanie & putrilagine, quæ & si pus nuncupetur, tamen uere pus dici non debet, vt ex probis authoribus colligi licet, Celso inquam & Galeno.

τὰ δ' οὖρα τὰς ὑποστάσιας ἔχοντα ὑπερύθρους ὁκοῖον ὀρόβων. i. Vrinæ uero cum hypostases subrubras veluti orobeas habuerint, vt Galenus notat, hoc indicium non est verum coctionis vrinæ indicium, nam vrinæ coctæ ab Hippocrate & Galeno probisq; authoribus dicuntur, quæ sedimentū habent album lene & æquale, non autem subrubræ ut orobus est, imo cum simpliciter dicimus orobum, subrubrum intelligere non debemus, quia huiusmodi orobus, est cæteris peior, cum albissimus probetur & à Galeno & à Dioscoride. Tamen Actuarius libro primo de vrinarum iudicijs cap. 15. censet hanc subrubram vrinam esse frequentius crassam interdum tenuem, & non significare coctionē, neq; etiam malum nisi mediocre, argumentumq; à coloris proprietate facit. tamen nos dicere possumus has urinas futuram significare coctionē cum hypostases habent subrubras. idem Actuarius libro primo de causis vrinarum capite. 9. inquit urinam subrubram produci à mistione bilis rubræ aut à sanguinis sanie, quæ momentum sequestrandi per vrinam fecit. Et si noscere cupias quid significent hæ vrinæ subrubræ, eundem lege Actuarium libro primo de præuidentijs ex vrinis capite. 6. vbi inquit tam in adolescentibus quàm iuuenibus florentis ætatis si apparuerint eiusmodi vrinæ proprietate humoris tingentis arguunt non nimium auctam læsionem esse, in senibus vero atq; ijs qui iampridem naturalem caliditatem minuerunt. cum apparuerint, pessimę sunt atq; quàm plurimo tempore indigere ægrum significant ad naturalem conditionem. in quo non paruus metus est, ne prę afflictata naturali virtute solutio passionis fit mors. in adolescentibus vero & iuuenibus vigentibus eiusmodi vrinarum colores si apparuerint, ostēdunt sanguineum humorem exauctum esse, vnum est subrubras hypostases nō significare coctionem in vrinis. Forte dices tu locutus es de vrinis subrubris, sed hic author de hypostasi loquitur. At etiam ostēdimus hypostasim subrubram non indicare coctionem, quia Actuarius libro secundo de iudicijs vrinarum capite. 9. inquit contenta subrubra cruditatem quādam in tertia coctione ob rubrę bilis excessum demōstrare, putantur autem mediocria, atque fortasse absque periculo apparere. causamq; reddit talis hypostasis in primo de causis urinarum cap. 17. at his posthabitis, ad reliqua accedamus.

οὐδὲν δὲ κωλύει καὶ πρὸς τὰ ἄλλα ἀλγήματα τῶν πλευρέων, χλίσματα προστιθέναι καὶ κηρώματα. idest, Nihil autem prohibet & ad alios laterum dolores tepefactoria apponere, & ceromata. quid hic intelligat author per alios laterum dolores non satis constat, an modo transeat ad peripneumoniam, cum de pleuritide locutus sit, uel alios intelligat dolores in costis, & lateribus, vbi non adsit abscessus, neque vocari possit lateralis morbus. Et hæc potissimum valent præsidia, quando fuerit materia flatuosa quæ dolorem faciat, & in alijs materiebus valet, quæ potissimum frigidæ sint, & in peripneumonia conueniant. at dices cum superius de ceromate dictum sit, de eo nihil aliud dicemus, quàm & Ferrariense vulgus ceroma vocare, id totum quod ex aluearibus extruditur cū simul coniūcta sunt, mel, cera & fauus. De tepefactorio vero quid sit quæres. Respondemus intelligendum esse fomentum ex re sicca & calida confectum, aut panno, aut herbis tepidis. i. quæ tantum in primo ordine remisso calorem habeāt, quod etiam actu tepidū apponatur, vel intellige oleū aut vnguētū tepefactoriū.

ἀλείφειν δὲ τὰ σκέλεα, καὶ ὀσφὺν θερμῷ, καὶ λίπος ἐγκαταλείφειν. idest, Crura autem & lumbos calido inūgere & pinguedine illinere. de lumbis quod inungi debeant, in thoracis doloribus forte aliqua ratio est ob loci propinquitatem, sed de cruribus non videtur ratio cur ob laterum dolores inungi debeant, nisi intellexerimus ob crurum frigus lateris dolorem augeri posse, ideo iubeat vt calido inungantur, intellige vero vnguentum & actu & potentia calidū, vel oleum aliquod ut anethinum, vel amygdalarū dulcium, vel vnguentum ex his confectū pinguedo uero, qua illinire debemus sit uel gallinæ uel anseris, & inter illas quæ potissimæ sunt, est pinguedo veruecis & hirci in hoc casu, et hec omnia, tum quæ dicit tepida tum quæ dicit calida apponenda, ob materiæ coctionem, & vt dolor sedetur, apponuntur & etiam si in peripneumonia sit, de qua statim aget ferèq; videbitur, ut hec quæ dicta sunt in illa intelligi debeant.

ἐπὶ δὲ ὑποχόνδρια λίνου σπέρμα καταπλάσσειν ἕως μαζῶν. idest, Hypochondriis vero vsque ad mammas ex lini semine cataplasma imponere, quod cataplasmate ex lini semine, superius locuti sumus sectione. 49. vbi secundū Galenum ostendimus emollire & manifeste non calefacere. ibiq; Galenus declarauit, fieri ex aqua & oleo, & lini semen aqua & oleo coquatur, & hypochondrio supraponatur usque ad mammas, quia supponit supra mammas non esse dolorem, si uero dolor supra mammas esset, cataplasma usque ad illam partem dilatari deberet.

ἀκμαζούσης δὲ τῆς περιπνευμονίης, ἀβοήθητος μὴ ἀνακαθαιρομένου. idest, Vbi autem peripneumonia ad statum peruenerit, quando non repurgantur, auxilium non habent. si qui à peripneumonia sanari debēt. opus est abscessum coqui, pusq; per os expurgari, & totam expui materiam, si in peripneumoniæ consistentia simus, & æger nihil expuat ex materia quæ in pulmone abscessum facit. in quo tempore expuere deberet, pessimum est signum, imo frustra sunt omnia quæ fiunt præsidia, quoniam quibuscunque facti non sanabitur æger, qui nōdum cœpit expuere in morbi consistentia.

καὶ πονηρὸν ἢν δύσπνοος ᾖ. idest, Et mala est si laborans ęgre spirauerit. Adde si etiā in peripneumonia æger in consistentia & ante spuere cœperit, tamen non est iudicandum ægrum ob hoc debere sanari, sed ex spiratione iudicium facito, quoniam & si expuat, & habeat ægram spirationem, est praua peripneumonia, & quę hominē occidet, nisi quę in calce huius partis dicet adfuerint, hęc vero quę statim sequuntur augent morbum.

καὶ οὖρα λεπτὰ, καὶ δριμέα, καὶ ἱδρῶτες περὶ τράχηλον καὶ κεφαλὴν γίγνονται. idest, Et vrinæ tenues, & acres fuerint, & sudores

& sudores circa collum & caput oriantur. hæc omnia prauam ostendunt esse peripneumoniam, siue expuat, siue non expuat æger, sed cum nõ expuit, longe est prior & perniciosior. tenues vrinæ ostendunt nihil penitus, per vrinæ uias excerni ex materiebus & quæ morbum faciunt, & quæ sunt in corpore, imo omnia à natura ad locum læsum transmitti, acredo uero urinæ caliditatem notat, quæ ob febris uehementiam illi inest, pessimum vero est in omni morbo & non modo in hoc periculosissimo & febrem esse vehementem, & nihil decidere uel à peccante materia, uel à reliquis materiebus quæ in corpore sunt, sed omnia ad locum læsum confluere, superius quoque declaratum est, sudores circa caput solum & collum vel ceruicem & frontem esse malos, quoniam ut plurimum sunt diaphoretici & difficiles.

Quantum sit de vrinis ex Actuario secundo de iudicijs urinarum libro capite. 25. ostenditur vrinas horum minus alterari. Cum uero fiant acres multum alterari. unde ex hoc ostenditur febrem vehementem esse.

οἱ τοιοῦτοι ἱδρῶτες πονηροί, ὑπὸ πνιγμοῦ καὶ ῥύγμης καὶ βίης ἐπικρατεόντων τῶν νοσημάτων. idest, Tales enim sudores praui sunt præ æstu, & impetu, & violentia morborum, morbo enim naturam superante, ob resolutionem in his partibus sudores fiunt, & ob hoc sunt praui, quia sunt coacti non iudicatorij, tamen non est putandum semper hos capitis & colli sudores prauos esse, quia in simplicibus febribus, in quibus adest obstructio, plerumque initium deobstructionis à collo & capite incipere consueuit, vnde hæ partes sudare incipiunt, postea sudat thorax atque uẽter, denique crura et brachia, & æger à morbo liberatur, hi sudores prædicti in peripneumonia praui sunt, nisi ea quæ sequuntur fiant.

ἢν μὴ οὖρα πολλὰ καὶ παχέα ἐξέλθῃ, καὶ πτύσματα πέπονα ἔλθῃ. i. Nisi vrinæ multæ & crassæ prodierint, & sputa concocta exierint, hoc est oppositum tenuium vrinarum & non repurgationis sputorum, propterea & oppositum indicant, vnde si sputa sint cocta & exeant. i. probe exeant, abscessus expurgabitur qui in pulmone est, & magis expurgatur si vrinæ exeant crassæ & in copia, declaratum est in secundo libro facilius esse materiam in thorace existentem & pulmone, per urinam exire, quàm per secessum, & nonnunquam thoracis morbos per urinam iudicari. cum crassę erunt & copiosæ indicium erit materias, in corpore existentes, quæ ad locum læsum progredi possent, & multas materias quæ in thorace sunt & in pulmone per urinas exire atque expurgari, hocque iudicari potest, quia sputa sunt cocta, & bene exeunt, si non essent cocta, iudicare possemus fieri has urinas ex prauæ materiæ abundantia in toto corpore.

ὅτι δ' ἂν τούτων αὐτοματίσῃ, λύει τὸ νόσημα. idest, Quod autem horum sponte uenerit, morbum soluit, potest hic morbus solui, & per urinas, & per sputa, & per utraque simul, si per sputa opus est ut copiosissime expuat cocta sputa, si per urinam copiosissima sit crassa urina, tamen sputa quæ apparent & si pauca sint, quando per urinam soluitur debens esse cocta, si per utraque soluatur breuius soluetur & tutius.

GALENVS. Neque authorem hunc de coctis urinis supra ad hunc scripsisse modũ recordor, neque Hippocratem aliter asserere, quàm quòd urina optima sit, quæ sedimentum habet tũ album, tum leue, tũ ęquale. Cætera quæ de peripneumonicis, pleuriticisque in orationis textura narrantur, conspicua sunt, tum ubi libri huius author ab Hippocratis recedit sententia, tum ubi maxime, uel prorsus uel aliqua ex parte huic annuit & consentit.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat hunc authorem non meminisse quòd superius de coctis urinis ut hic facit locutus sit, neque Hippocratem aliter de urinis coctis dixisse, quàm illud urinam esse optimam quæ sedimentum album habet leue, & ęquale.

Secundo Galenus notat reliqua quæ in hac sententia scripta sunt de peripneumonicis & pleuriticis, ex ipsa met scriptura manifesta esse & conspicua, præsertim ubi author huius libri, aliquo in loco ab Hippocrate dissentit, & aliqua in parte Hippocrati annuit atque consentit sed hoc potissimum in Hippocratis operibus experto manifesta sunt.

## Hippocrates. Sectio LXXIX.

Peripneumoniæ eclicton seu eclegma, galbanum & nucleum pineũ ex melle attico dabis. vel abrotanum ex oxymelite. Piper quoque, & nigrum helleborum vbi ferueféceris, pleuritico etiam circa initia dolenti bibendum offeres. Quod si panacem ex oxymelite feruefactã percolatãque propinaueris, bene facies. Proderit autem & hæc hepaticis, aut ex septi trãsuersi dolore affectis, atque his omnibus qui aut per aluum aut per vrinas expelli desiderãt, ex vino & melle. Verum quæ ventri expurgando exhibiturus sis, ea cum mulsa aquosa, & multa propinabis.

BRASAVOLVS. Confusissima præsidia ab hoc authore referuntur, quę peripneumoniæ conueniunt, nam aliqua ponit, quæ ueluti eclegmata exhibentur, postea de his quæ euacuant simul differit, nulla distinctione facta. primo igitur eclegma proponit peripneumonicis conueniens, inquiens chalbanum, & nucleum pineum ex melle attico præbeto, vel abrotanum ex oxymelite quod non erit eclegma, sed potius potus. adde potionandum esse, & peripneumonicum, & pleuriticum pipere, & helleboro nigro, quæ feruefacta sint, scitoque pleuritico esse propinandum circa initia doloris. Adde non esse ab re factum si panacem ex oxymelite feruefactam & percolatam potui dabis. imo eadem potio hepaticis conuenit, & dolore septi transuersi affectis, & conuenit hæc his omnibus dare, quibus opus est aut aluũ, aut vrinam citare, modo ex vino & melle præbeatur, hoc tamen notato, quæ exhibiturus es, vt uentrem expurges, ea propinanda esse cum mulsa aqua, & copiosa.

περιπνευμονίης ἐκλεικτόν. i. Peripneumonię eclictõ, uel eclegma, hæc particula est ueluti inscriptio medicamenti quod sequitur, nempe eclegma est ad peripneumonicos.

κόκκαλον, χαλβάνην ἐν μέλιτι ἀττικῷ. i. Coccalum & chalbanem in melle attico dabis. multi pro coccalo nucleum pineum interpretantur. nos vero superius sectione. 70. per coccalum nucem ipsam pineã tenellam, & quæ resina abũdet, intelligendam esse monuimus, vbi declarauimus ualere quando aliquid est in thorace, uel pulmone quod expui debeat, tamen inficias non imus & nucleos pineos conuenire, sed magis conuenit tota ipsa nux resinosa, galbanumque habet molliendi uim & digerendi, in tertio ordine calefacit, in secundo desiccat, vt Galenus ostendit octauo de simplicium medicamẽtorum facultatibus, propterea & peripneumoniæ cõuenit, & potissimum si melle excipiantur. uerum cum hic author non exprimat modum quo conficienda sit & præbenda. scito galbanum primo dissoluendum, & pineam in puluerem redigendam, quæ simul misceantur, ut quantitas galbani & nucis pineæ sint ęquales. tantũ uero mellis attici hoc est perfecti accipiatur, quantum pro horum mistione satis erit, postea lingula in ore accipiantur & detineãtur, paulatim descendant, debetque æger pronus manere, quo facilius ad pulmonem eclegma descendat, hic enim iacẽdi modus conuenit his quibus eclegmata ad thoracis partes progredi debent.

ἀβρότονον ἐν ὀξυμέλιτι. idest, Abrotanum ex oxymelite, nõ solum debes eclegma prædictũ exhibere, sed opus est aliquem habere potum, qui in præsentiarum sit oxymeli, in quo abrotanum decoctum sit. Galenus docet abrotanum uim habere digerendi & incidendi, quam maiorem habet ex oxymelitis mistione. Dioscorides orthopnoicis valere tradit, ut colligere possis ualere & peripneumonicis, qui orthopnoici plerunque sunt,

Galenusq; hic docet & eclegma prædictum, & potum istum sputa educere, quæ omnino educenda sunt in hoc casu in quo peripneumonia infestauerit.

πέπερι, ἐλλέβορον μέλανα, ἀποζέσας, καὶ πλευριτικῷ ἐν ἀρχῇσι περιωδύνῳ ἐόντι πίνειν δίδωμι. Piper, helleborum nigrum vbi ferueseceris, etiam pleuritico in principio dolenti bibẽdum offeres, hoc est medicamentũ purgans ex pipere et nigro helleboro, quod peripneumonico præbet, sed etiam addit porrigi posse in principio pleuritico dum dolet. Sed inquies quomodo potui hæc dabuntur, si solida sint, & quomodo feruescent? scito opus esse subintelligere hęc esse in oxymelite recipiẽda & potui danda, vnde drachma piperis accipienda est, & nigri hellebori drachma, quæ in oxymelite bulliant, postea bene calidum ebibatur, piper in copia sumptum uentrem educit, in pauca quantitate per urinam it, de qua re adest Aristotelis problema quo quærit cur piper copiose sumptum per aluũ, modice sumptum per urinam ducat, de nigro helleboro in secundo libro egimus. quo loco disputauimus an in pleuritide conueniret an non conueniret, scitoq; quòd id dicit circa initia dolẽti ostẽdit plerumq; esse in principio, ut uelle uideatur in principio in quo nulla est facta coctio dandum esse medicamentum, cum tamen id Hippocrati repugnet, propterea intellige in principio dum materia est in motu, quia cum in motu est, & nondum in loco collecta, & confirmata, dari potest medicamentum, vt superius ostendit Galenus sectione. 76. Forte dices supponere dolorẽ adesse, igitur & adesse materiam in loco collectam. Respondemus dici posse esse tantum modicam humoris portiunculam in loco collectam, nõdumq; totam fluxisse, neq; esse confirmatam. hæc dici possunt Galeno in præcitata sententia consequentia, qui ita dicit ut authorem interpretetur, tamen ut alibi diximus. quando materia in locum aliquem vergit, & ad illum iam determinate mouetur, non est dandum medicamentum, nisi fuerit cocta, & nisi uideatur aliquid mouẽdum, ut in secundo aphorismorum libro ab Hippocrate edocemur.

ἀγαθὸν δὲ καὶ πάνακα ἐν ὀξυμέλιτι ἀναζέσαντα καὶ διηθήσαντα διδόναι πίνειν. i. Bonum autem & panacẽ ex oxymelite feruefactam & percolatam bibendam dare. hęc est decoctio, quę et peripneumonicis et pleuriticis prodest, et multis alijs affectibus, de quibus statim mentionem faciet.

Panacis tres sunt apud Dioscoridem & Galenũ species. Panax heraclion, panax asclepium, & panax chironium, ita ab inuentoribus denominata. hoc in loco intelligere oportet panax heraclion, ex quo fit succus nuncupatus opopanax, de qua uero parte panacis author loquatur petes. author hic uel de semine vel de caule intelligere uidetur, tamen est succus qui ab authoribus probatur. nam Dioscorides libro tertio dicit valere ad lateris dolores, & tusses, neq; ullam mẽtionem facit de uiribus aliarum partium quàm succi, quẽ dicit excalfacere, attenuare, & mollire, et Galenus dicit octauo de simplicium medicamentorũ facultatibus quod excalfacit, emollit, & digerit. in tertioq; ordine calefacit, in secundo desiccat. accipiatur ergo panacis succus qui opopanax vocatur, & bulliat in oxymelite, ut sit semiuncia succi in octo uncijs oxymelitis ferueant ad cõsumptionem duarum unciarum, postea per linteum colato, & linteum exprimito, nam uerus opopanax ueluti lac album emittet, deinceps potui tribuatur, quia sputa ꝓuocat, tamen si tibi placuerit herbam ipsam uel semen uel caulem accipere nihil prohibebit, uerum non habebunt tot uires, nec tam intensas ac probas, ut habet succus. Galenus in secundo de compositione medicamentorum secundum locos, in fine illius partis, cuius titulus est de his qui ex stomacho caput dolent, ubi dicit esse magnam differentiam caliditatis inter panacis succum & radicem.

καὶ ἡπατικοῖσι. i. Et hepaticis. conuenit panacis heraclij succus atq; prodest, quando hepatici ex imbecillitate uirtutis concoctricis iecoris ita affecti sunt panax ipsis prodest, vel opopanax, si oxymelite excipiatur, vel intellige excipi melle & vino vt postea docet.

καὶ τοῖσιν ἀπὸ τῶν φρενῶν περιωδυνέουσι. i. & septi transuersi dolore affectis, quia materias resoluit quæ in tali sunt loco, & valet contra lateris dolores, & dolores omnium partium neruosarum & chartilaginearum, si oxymelite excipiatur, vel si vino & melle, ut continuata serie edocebit, quomodo autem illa misceantur tunc dicemus.

Quod ait τῶν φρενῶν Copus habuit τῶν νεφρῶν vt hic sit sensus, & renum affectibus quod & uerum est, nam Dioscorides dicit menses trahere & partum eijcere, propterea & renes expurgabit, & stranguriis opem fert.

καὶ ὅσοισι δεῖ ἐς κοιλίην, ἢ ἐς οὖρον ἐν οἴνῳ καὶ μέλιτι. Et his omnibus quibus expedit, aut per aluum, aut per uesicam expellere ex vino & melle. Dioscorides dicit auferre tormina, strãgurias, vesicæ scabiẽ, cum aqua mulsa, aut uino desumptus ille succus, nos potius intelligimus sumẽdũ esse ex uino uel mulsa, quàm ex uino et melle, ut uinũ et mel simul cõponant, nã si tu eo uti uolueris ad urinã prouocãdã, id faciet ex vino & ipso succo, si per aluum ex mulsa & eodẽ succo, ita enim ꝑ aluum educet, vt statim ostendet author, vnde cum non misceatur, vinum & mel, neq; mel simul cum illo succo, nisi adsit alter liquor quãdo per urinam educere volueris.

Recipe opopanacis vnc. ß. vini flaui (si vehemẽter expellere uolueris) potentis lib. j. misceantur & ferueant, postea colentur, & vinum id bibatur, si id absq; uiolentia facere cupias, accipe uinum aquosum tenue, & in copia cum semuncia opopanacis, tamen & mel vino misceri nihil refert. verum ut sim Dioscoridi cõcors, pro melle mulsam intelligo, qua postea vtimur quando per aluum eijcere uolumus, vt unum deseruiat vrinæ ex potibus, uinum scilicet aliud aluo videlicet mulsa, propterea & author ipse statim addit.

τὰ δὲ ἐς κοιλίην ξὺν ὑδαρεῖ μελικρήτῳ πίνειν πλέον διδόναι. idest, Quę vero expurgando ventri exhibiturus sis, ea cum mulsa aquosa, & multa ꝓpinabis, hæc pars manifestissime ostẽdit legendum esse mulsa, quia supponitur vt cum uino detur opopanax cum per vrinam quicquam educere uolumus, cum uero per aluum idem faciendum, tunc exhibe in mulsa aquosa & multa.

Medicamentum primum secundumq; sputa educunt. Sed quod ex helleboro nigro conficitur, ventrem subducit. Quod vero ex panace est, quibusdam utile sit, recensuit. GALENVS.

A Galeno notatur primum medicamentum ex coccalo, galbano, & melle, & secundum ex abrotano & oxymelite sputa educere, & quod sit ex helleboro et pipere uentrem subducere, & esse medicamentum purgans. At medicamentũ ex panace, quibus valeat author ipse ostendit. propterea id recensere non est opus quod ab authore facile profertur. Et si ad quæ ualeat panax discere animo sit, & Galenum. 8. de simplicium medicamentorum facultatibus, & Dioscoridem de panace legito. BRASAVOLVS.

## Hippocrates. Sectio LXXX.

Dysenteria quæ cessauit, abscessum vel tuberculum aliquod pariet, nisi desierit, vel in febres, vel sudores, apparuerintq; vrinæ crassæ, & albæ, & leues, vel in tertianas, vel in varices, aut dolor in testiculum vel crura vel coxam firmetur.

Hic nullo seruato ordine author ad dysenteriam se confert, ea quæ de dysenteria refert, quæ rarissime inueniũtur. Disenteria inqt, quæ cessauit, abscessum pariet in aliqua corporis parte uel tuberculum, nisi desinat in febres uel sudores, & vrinæ apparuerint quæ crassæ sint & albæ & leues, & quia dixit nisi desinat in febres, exponit in quas febres, in tertianas scilicet uel nisi desinat in varices, aut dolor uel in testiculum uel in crura uel in coxam firmetur. BRASAVOLVS.

δυσεντερίη ἀπόστημα ἢ φῦμά τι, παυσαμένη ποιέει. idest, Dysenteria quæ cessauit, abscessum uel tuberculum aliquod pariet. indistincte loquitur hic author, cum non explicet de qua

dysenteria

dysenteria uerba faciat, & rarissime sunt quæ uel in abscessum vel in tubercula finiant, opus vero est intelligere de dysenteria quæ repente cessauerit, & tota materia quæ illam facit expurgata non sit, sed pars retenta, & cum dysenteria ab abscessu in intestinis fiat, de hac intelligere non est opus, sed de illa potius quæ ob materias fit virulentas, quæ à iecore transeunt ad intestina, illacq; ulcerant, fitq; dysenteria & ab atrabile & à pituita salsa & à bile, hoc in loco de biliosa intellige, nam cum bilis à iecore ad intestina transmittitur, & ob eius acredinem exulcerantur, si dysenteria repente cesset, neq; omnes biliosæ materię exierint, necesse est ut aliquem in locum transmittantur, quia in iecore quiescere non possunt, in quo cũ sunt, abscessum facient, vel si per multas corporis partes sparguntur, tubercula multa in illis partibus excitabuntur, casus hic cõtingere quidem poterit sed rarissime. Nos simul cum dysenteria uidimus per totum corpus germinare tubercula, de illa vero intelligi non potest, quę ab atra bile fit, uel à pituita salsa, quia hi humores nimis inhęrent, neq; apti sunt ita facile in alium morbũ conuerti, unde melius est dysenteriam intelligere à bile factam, & à iecore dependentiam habente, quæ repente cessauerit. materia retenta in hoc casu poterit si in unum solum transmittatur locum, abscessum facere, si in plures, multa tubercula, quæ erunt maiora uel minora pro materię quãtitate, quæ ad loca illa trãsmittetur.

ἢν μὴ ἐς πυρετοὺς, ἢ ἱδρῶτας, καὶ οὖρα παχέα καὶ λευκὰ καὶ λεῖα ἐπιφανῇ. i. Nisi desierit in febres, uel sudores, & urinæ crassæ & albæ & leues apparuerint. qui dysenteriam habent, simul habent, & febrem, quod uero hic dicit dysenteriam quæ repente finit, in abscessus desinere, nisi in febrie finiat, intelligendum est non de pura febre & simpliciter de febre, quoniam & tunc aderat febris, sed intelligere oportet de febre uehementi, quia cum biliosæ materiæ in iecore retinentur, febris augetur, & ardens fit à bile accẽsa facta, tamen quia materia ista biliosa est & tenuis, adhuc magis attenuari potest, & per sudores exire quodq; crassius est per vrinam exeat, propterea repente dysenteria cessante materia non expurgata per sudores exire poterit, sed quod crassius est simul per iecoris gibbam ad urinæ partes transmittitur, quæ fient & crassæ & albæ & leues, crassæ, quia sunt id crassum quod in bilis attenuatione relinquitur, & quia aliqua materię pituitosæ portio est semper commista uel esse potest. iccirco sunt albæ, & leues, quia æqualitatem habent & leuorem. Copus habet loco pͥculæ, leues, dilutae at repugnare uidentur crassæ & dilutæ. possemus & hoc de urinæ simul cum febribus coniungere, verum cum nihil referat, & hæc ferè simul non inueniantur, propterea veluti superfluũ de illo considerationem prætermittamus.

ἢ ἐς τριταίους. i. Vel in tertianas. Quia dicebat nisi in febres transmutetur, & febris genus non expresserat. iccirco cum materia sit supposita biliosa, febris genus ponit materiæ cõueniẽs scilicet tertianam, quæ uel simplex sit & non intermittens, vel intermittens nihil refert, & ideo biliosa materia utrunq; complectitur genus.

ἢ ἐς κιρσόν. idest, Vel in uarices, nam hęc materia ad uarices transmitti potest, et eas implere atque augere, tunc non finiet in abscessum, vel tuberculum aliquod.

ἢ ἐς ὄρχιν. idest, Vel ad testiculum, aut testiculos, quia hæc materia quæ in iecore erat ad testes facile transmitti potest, in ipsisq; dolorem gignere uel in uno uel in duobus.

ἢ ἐς σκέλεα ἀλγήματα. i. Vel ad crura dolores, nõnunq; ad crura trãsmittitur, & ipsis dolorẽ infert, in cruribusq; firmatur.

ἢ ἐς ἰσχίον στηρίζει ὀδύνη. idest, Vel ad coxam dolor firmetur. nam si in coxa, & coxæ acetabulo infigatur is humor, vehementissimum dolorem ibidem pariet, potest uero eiusmodi humor ad varias partes trãsmutari, imo quod ab authore non dicitur, ad superiores partes transmitti potest, & spuos progignere morbos. quendam curauimus ex dysenteria, quæ cum repente cessaret phrenitim induxit, & eius generis ut fuerit ferè in discrimine vitæ.

Scito hæc rarissime contingere, quæ in hac sententia referuntur, tamen posse contingere, & nõn solum quando à iecore dependent, sed & quando à ventriculo & quando à toto, si de vera loquamur dysenteria.

GALENVS. Sermo quoque præsens sine definitiòne & distinctione est prolatus: quòd neque qualem dicat dysenteriam demonstrauerit, quòd neque omnis quę cessauerit, hęc inferat.

BRASAVOLVS. A Galeno notatur, et hunc sermonẽ absq; definitione & distinctione prolatum esse, nam neq; qualẽ dixerit dysenteriam ostendit, neq; omnis quæ cessauit hæc inferre põt, nam illa solum hæc inferre põt, quę repente cessat, & multa adhuc superat materia, quæ descendisset nisi casu aliquo fuisset impedita.

## Hippocrates. Sectio LXXXI.

In biliosa febre morbus regius cum rigore ante septimum diem enatus morbum soluit: si vero absque rigore præter occasionem superuenerit, pestiferum.

BRASAVOLVS. Huius libri author notat, in febre biliosa, si morbus regius cum rigore ante septimum diem enascatur, morbum soluere, si uero præter occasionem & absque rigore superuenerit pestiferum esse atque exitiale.

ἐν πυρετῷ χολώδει πρὸ τῆς ζ. ἡμέρας μετὰ ῥίγεος ἴκτερος ἐπιγινόμενος λύει τὸν πυρετόν. idest, In biliosa febre morbus regius cum rigore ante septimum diem enatus morbum soluit. Morbum regium fieri à bile omnibus constat, quanquam & ab atrabile quãdoq; fiat, sed niger est is calor nõ icterus, nõ aui similis quæ icter nominatur. Iccirco probe loquitur in biliosa febre de hoc regio morbo superueniente. Galenus apho. 62. quarti libri docet morbum regium quandoque iudicatorie contingere, natura ad cutem bilem flauã reponente, quandoq; fit ex iecore praue affecto. affectusq; iecoris ad quos sequitur hoc symptoma tres sunt, tumor durus, inflammatio, obstructio, quando adest tumor durus, fit paulatim morbus regius, tardeq; recedit, cum ab inflammatione fit uel obstructione repente fieri potest, sed in hunc authorem ambigere poteris, quia Hippocrates pͥcitato aphorismo dicit. quibus in febribus morbus regius ante septimum accidit malũ, procul dubio in febre loquitur biliosa, tamen dicit morbum regium esse malum ante septimum, huius vero libri author dicit esse bonũ & morbum soluere, hic igitur author Hippocrati cõtradicit. Respondemus Galenum huius libri authorem reprehendere, quia & bonum potest esse et malũ penes diuersas cõsiderationes, quippe bonũ est si iudicatorie fiat, malum si ex iecoris affectione. tamẽ cũ hic author dicat, cũ rigore, rigor vero materias venas exiuisse ostẽdat, iccirco iudicatorie fieri ostendit, vnde & morbus soluitur. At dices hoc quod dictum est absurdum uideri, quia Galenus in præcitato. 62. quarti libri aphoris. dicit. morbus regius ante septimum diem, uel fit à iecoris obstructione, uel inflãmatione, vel tumore duro, quia citius non potest bilis iudicatione ad corpus perduci, unde ante septimum diem est malum. hæc Galenus. Regius igitur morbus iudicatorie secundum Galenũ ante septimum diem fieri non potest. Respondemus raro esse quod fiat, propterea Galenum dixisse non fieri, tamen fieri posse non negat, quia in libro de diebus iudicatorijs docet in pacutis morbis septimo die iudicationem fieri, & si natura quandoq; acceleret, fit quinto die. si lente moueatur fit nono die, & iudicationem in febribus quinto die fieri uel septimo. xj. methodi à Galeno edocemur, vbi de diuitum curatione, & pauperum loquitur, docetq; pauperes melius curari diuitibus, vnde si iudicatio fiat per materierum biliosarum ad cutim expulsionem, & iudicatio septimo die fieri debeat, sed natura ob citatiorem humorem acceleret, tunc fiet quinto die, & bonum erit, quia febris biliosa soluetur. non est autem intelligendum quod sexto fiat die licet is dies sit ante septimum, quia in sexto die semper est malum, & non soluetur ęgritudo, vt simpliciter inferri possit quocunque tempore regius morbus fiat modo iudicatorię fiat,

semper est bonũ, præsertim si in diebus fit iudicatorijs, tamen raro fit ante septimum, fieri autem posse non repugnat, ut plurimum vero cum fit ante septimum iudicatorie non fit, ideirco ante septimum est malum. Galenus in calce cõmentationis illius aphorismi notat in quibusdam exemplaribus scriptum esse circa finẽ, nisi humores ex aluo prodeant, vnde ante septimum diem si fiat, malũ nõ erit, modo biliosi humores aluum exeant, & Hippocrates in.64. aphorismo eiusdem libri quarti dies enumerat, in quibus regius morbus bonus sit, inquiens, quibus in febribus morbus regius septimo uel nono uel vndecimo uel quartodecimo superuenerit bonũ, nisi dexterum præcordium obduruerit. Galenus in commentatione ostẽdit hoc nõ debere addi scilicet nisi dexterũ præcordium obduruerit, sed potius dicere debebat nisi aliquis ex dictis affectibus in aphorismo.62. à Galeno citatis adfuerit, quia tunc bonum non est, neq; iudicatorie fit.

ἄνευ δὲ ῥίγεος ἢν ἐπιγένηται ἔξω τῶν καιρῶν, ὀλέθριον. i. Si uero absque rigore præter occasionẽ acciderit perniciosum. Ecce si absque rigore fiat, fit absque materierum à venis extra venas transmissione, quę transmissio rigores facit, materiebus supra musculos motis, hoc uero quod dicit ἔξω τῶν καιρῶν. i. extra tempora & occasionẽ, ostendit fieri, & non iudicatorie, & extra diem iudicatoriũ, in quo cum sit, perniciosum est, nempe sequitur necessario aut iecoris obstructionẽ, aut prędurũ tumorem, aut inflammationẽ eiusdẽ uisceris, quæ omnia praua sunt, tamẽ non sunt adeo praua, qn nonnulli qñq; sanentur, & alij diutius permansere priusquã ad sanitatem peruenerint. vnum quoq; addendum est si materia sit pauca quæ expellitur, breui sanitati restituuntur, si multa diutius immorantur priusq; ad sanitatem perueniant. Aliud quoq; notãdum est, ab Hippocrate edoceri quo modo cognosci possit, an hi tali materia abundẽt, nam si vrina & excremẽta biliosa fuerint, vnà corpus ęgrotat, & his prauę se habet, si vrinæ & excrementa secundum naturam se habeant, materia pauca est, & illa ferè sola quæ ad circunferentiam mouetur.

Scito præterea & regium morbum plerunque fieri absque febre, & pro maiori parte esse ex obstructione, uocãturq; à latinis felle suffusi, hi qui ita aurigine affecti sunt, aliqui tantũ habent circa oculos hunc colorem, & in ipso oculorũ albo, aliqui in facie tantũ, aliq in collo simul & facie, aliqui in toto corpore.

GALENVS.

Neque procuidubio ante septimũ diem cum rigore enatus morbus regius febrem soluit, neque post septimum. Sed sanè ita distinguere oportet. Febrientibus morbus regius superuenit, interdum quidem tãquam affectionis hepatis symptoma: interdum quoque & natura bilem per cutim excernere contendẽte, sed nequeũte, ueluti in abscessibus omnibus fieri ꝯsueuit. verũ in aphorismis de huiusmodi morbis regijs est enũciatum.

BRASAVOLVS.

Galenus totis viribus conatᷓ has sentẽtias euertere, & ostendere absurdas esse, vnde hic dicit non esse simpliciter pronunciandum & sine dubio morbũ regium enatum cũ rigore ante septimum diem morbum soluere, neq; etiam post septimum: sed author hic distinguere debuit, & hoc modo, morbus regius febrientibus superuenit, quãdoq; tanq; symptoma affectionis iecoris, quandoq; quia natura cõtendit bilem per cutem excernere, at non potest, ut fieri consueuit in omnibus abscessibus, in quibus natura per cutem humores expellere tentat. cum uero crassiores sint expellere non potest, ita bilem expellere tentat, sed cum circa cutem obstructio, & adsint materiæ pituitosæ, transmittere non potest, sed in cute firmantur. illamq; luteam reddunt. At inquit Galenus cum in aphorismis de eiusmodi regijs morbis enunciatum sit, hic aliud addere non est opus, sunt uero aphorismi, qui de tali symptomate loquuntur, illi quos superius citauimus.

### Hippocrates. Sectio LXXXII.

Lumborum tetanus, atq; in melancholicis per venas spirituum interceptiones cũ fuerint, sanguinis detractione soluuntur.

BRASAVOLVS.

De tetani lumborum curatione, & de spirituum per venas in melancholicis interceptionibus disserit hic author, propterea dicit. Lumborum tetanus sanguinis detractione soluitur. adde & in hominibus melancholicis spirituum interceptiones per venas, sanguinis detractione solui.

τέτανος δὲ ὀσφύος. idest, Lumborum tetanus. in omni corporis parte, in qua & musculi & nerui sunt, qui extendunt & contrahunt, tria cõuulsionum genera fieri pñt, unũ cum in anteriorem partem inclinatur emprosthotonos dictum, aliud cum in posteriorem partem, qui dicitur opisthotonos, tertium cum vtrinq; fit contractio, ut membrum erectum stare cogatur, & tetanus vocatur. nũc de tetani curatione in lumbis agit, tamen & idem presidium conueniet in emprosthotono, & in opisthotono, præsidium vero est sanguinis detractio, quod solũ refert author, tamen & conuulsionibus omnium aliarũ partium conuenit, modo in corpore plethora adfuerit, hocq; præsidium & in initio exercendum est, nam in processu, ꝑsertim si fiat à materia frigida, non est vena secanda, neq; sanguis detrahendus, & si ex siccitate fiat, detrahendus non est.

καὶ ἐπὶ μελαγχολικῶν διὰ φλεβῶν πνευμάτων ἀπολήψεις ὅταν ἔωσι. idest, Et quando fuerint in melancholicis per venas spirituum interceptiones. intelligi posset per venas, & uere venas quæ intercipiuntur ob sanguinis crassitudinem qui de loco ad locum non mouetur, sed ob suam crassitiem sic interceptus, & spiritus crassos per uenas permeare non sinat. in hoc etiam casu venæ sectio conuenit, quia reliquus qui relinquitur sanguis euēratur, & attenuatur, neq; spiritus crassus qui per uenas it, amplius intercipitur, possemus & hanc interceptionem intelligere in arterijs, nam ut Galenus et hic notat, & alijs in locis, ant qui arterias venas uocabant, tamen cum in melancholicis idest sanguinem melancholicum habentibus, spirituum qui in arterijs sunt, fiunt interceptiones. Cum vero spiritus intercipiuntur, arteriæ amplius non pulsant, ut hi incidant ἀσφυξίαν, idest, pulsus carentiam, sed hoc obscure insinuauit author, tamen uel obscure uel non obscure, uenæ sectio huic interceptioni conuenit, ob prædictam causam, quia reliquum aptius difflari poterit. Et si dicas venæ sectionem fieri in uenis & non in arterijs. Dicimus & per venas sanguinem illum exire qui est in arterijs, sanguisq; à uenis in arterias tẽdit. Possemus & intelligere secundum Galenum spirituum interceptiones, de his spiritibus qui in pulmone sunt, qui ob sanguinem melancholicum in venis redundantem intercipiantur, in quo etiam casu conuenit venæ sectio.

φλεβοτομίῃ λύεται. idest, Sanguinis detractione soluuntur, tamen & tetanus alijs indiget præsidiis præter sanguinis detractionem, interceptus vero spiritus posset sola sanguinis missione sanari, nullo alio adhibito præsidio.

GALENVS.

Cum inquit propter melancholicum sanguinem in uenis redundantem spirituum interceptiones fiunt, sanguinis missio soluitur. si interceptionem dicit spirituum q in arterijs sunt (nam & arterias, antiqui venas appellabant) quęnã alia fuerit quàm pulsus carentia, priuatioq; (Græcis ἀσφυξία dicitur. Si uero eorum qui in pulmone sunt spirituum, interceptionem dicit, rursum & appellatam apnœan, quasi non respirationem dixeris, obscure insinuabit. Potest quoque sanguinis tũ copia, tum crassitudo non arterias modo inflare ut permeare non possit, verum quoque & proprie appellatas venas.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus notat cum ab authore dicitur, si fiant spirituum interceptiones ob sanguinis multitudinem qui in venis redundet, sanguinis missione soluuntur, ambiguum est quid per spirituum interceptionem intelligat, nam intelligere potest spirituum interceptionem, quæ in arterijs fit, quoniam antiqui arterias venas appellabant. At si ita intelligamus, quid aliud erit spiritus interceptio, quàm pulsus carentia & priuatio, quæ à græcis ἀσφυξία dicitur. uerum si per spirituum interceptionem, illius spiritus interceptionem intelligit qui in pulmone est, tunc ex hoc apnœan significabit, ac si dicas nõ respirationem, sed hoc erit ualde obscurum, si ad hoc significatũ reducamus.

Secundo

Secundo Galenus notat sanguinis copiam & crassitudinem posse non arterias modo amplere vt permeare non posit, sed & canales illos qui proprie venæ dicuntur.

## Hippocrates. Sectio LXXXIII.

Cum autem ob tendines uehementer in anteriorem reuelluntur partem, sudoresq́ circa ceruicem faciemq́ oriuntur, morsis ob laborem arescentibusque his qui ad οὐραῖον. idest caudam uergunt tendinibus. Crassissimi hi spinam continuant, qua maximæ enatæ copulæ ad pedes usque finiuntur. is, si neque febris, neque somnus superuenerint, fuerintq́ secutæ coctionem habentes urinæ, sudoresq́ iudicatorij: uinum creticum uinosum bibat, edatque poleniam coctam. cerato quoque perungatur, & crura ad pedes usque calidis in pelui madefacta, superimposito uelamine conteganntur, brachia item ad digitos usque inuoluantur. Spinam præterea a ceruice ad coxam usque molli pelle quæ pinguedine & cera illita sit, uelabis, ita ut anteriora etiam contineantur. Intermisisq́ quæ per utriculos fiant, fomentis, calida perfundes aqua, linteo obuoluens, & in conclaui cubare ægrum facies. Ventrem autem ipsum non admodum solueris nisi balano, si longo iam tempore se continuerit, idq́ si bene tibi processerit: sin autem modi radicem in uino odorato tritam & daucum mane ieiuno priusquam madefeceris propina. Post hæc cito farinam coctam tepidam uoret plurimam. Vinumq́ cum uoluerit, bene temperatum superbibat, idq́ si ad melius processerit: si non, prædicere te oportet.

**BRASAVOLVS.** Sententia hæc confusa est, & multa habet inepte dicta, pro cuius continuatione id dici potest. Cum superius de lũborum tetano locutus sit, in quo utrinq́ nerui actu contractionem patiuntur, ut nerui rigeant, nunc dimisso tetano ad emprosthotonum verba conuertit, idest ad contractionem in anteriorem partem, est uero huius sententiæ summa hæc, cum lumbi in anteriorem partem vehementer reuelluntur, ob tendines qui in parte sunt anteriore, & circa ceruicẽ & faciem sudores oriuntur qui semper cum ex dolore fiant in his partibus & conuulsione sunt mali, & adde ob laborem tendines dolere qui ad caudam vergunt & arescere, hi uero tendines crassissimi sunt, & spinam continuant ea parte qua maxime enatæ copulæ ad pedes usq́ finiuntur, is qui ita habet, si neque febre correptus sit, neque somnus illi superuenerit, & vrinæ secutæ fuerint quæ coctionem habeant, & iudicatorij sudores, tu huic potui dato vinum creticum vinosum, & pro cibo polentam coctam, hic præterea cerato perungatur, & crura ad pedes usque velamine contegantur, tamẽ crura ipsa in pelui calidis madefacta sint, imo & brachia huic usque ad digitos inuoluãtur. Adde spinam à ceruice ad coxam usque molli pelle quæ pinguedine & cera illita sit velandam esse, & tali modo uelentur, ut etiam anteriores partes contineantur, & intermissis fomentis quæ per utriculos fiunt, aqua calida perfundito, & ægrum linteo obuolues, faciesq́ in cõclaui ægrum cubare, scitoq́ huic non esse dãdum medicamentum pro soluẽdo uentre. sed cum soluere uolueris, balano vtaris, præsertim si longum processerit tempus quod uentris beneficium non habuerit, hæcq́ facienda sunt si bene processerit, sin minus modi radicem in vino colorato tritam, & daucum mane ieiuno dato potui, idq́ facito priusquã ægrum madefeceris, post hæc cito talis æger farinam uoret plurimam coctam & tepidam, & vinum superbibat cum voluerit bene temperatum. & id faciendum est, si ad melius processerit æger: si uero ad melius non processerit, opus est te prædicere, nam cũ non bene res procedit de uita periculũ imminet, & ideo ne medicus uideatur rei ignarus, de imminenti periculo prædicere debet, ne si mors contingat, ut nonnunquam fit, ab assistẽtibus & ægri amicis uentura ignorasse existimetur, tamẽ prędictione facta à præsidijs cessare non debet.

*ὁκόταν δ' ἀπὸ τῶν τενόντων σφοδρῶς ἔμπροσθεν ἀντισπῶνται.* i. Cũ uero à tendinibus, vehementer in anteriorẽ reuelluntur partem, intellige de lumbis authorem prosequi, & casum ponere, in quo tendines lumbos in anteriorem partem trahentes adeo uehementer reuellantur, vt lumbos in anteriorem partem inclinent, & ex consequenti dorsum, vt hi fiant emprosthotonici, author autem non exprimit an fiat ab inanitione, uel à repletione. sed tu à repletione intelligere debes, quia & de tetano ex repletione locutus est, quoniam si ab inanitione fuisset, non potuisset sanari uenæ sectione imo potius obfuisset, unde cum hic prosequatur de alia conuulsionis specie in eodem loco intelligit factam per repletionem, sed hæc met quæ in emprosthotono dicuntur, possunt & in opisthotono dici, si etiam tendines uehementer in posteriorem reuellantur partem.

*καὶ περὶ τὸν τράχηλον, καὶ πρόσωπον ἱδρῶτες.* i. Et sudores circa collum & faciem oriuntur. hi sudores in his solum partibus facti mali sunt, cum fiant per modum symptomatis in his præsertim qui conuulsione deprehensi sunt. aut dolore aliquo meliores sunt sudores q̃ per totũ corpus fiũt mõ ex dolore nõ fiant & labore, causam uero reddit cur hi sudores fiant.

*ὑπὸ τοῦ πόνου δακνομένων καὶ ξηραινομένων τῶν τενόντων τῶν οὐραίων.* idest, à labore commorsis & exiccatis tendinibus qui ad caudam uergunt. improprie vtitur vocabulo cõmorsis nam morsus solum conuenit humoribus acribus & non doloribus. & ideo per morsus intellige dolores, nam ob laborem quem habent tendines qui lumbos deorsum trahunt, dolent & exiccantur, hac particula exiccantur, innuere videtur loqui de conuulsione ex siccitate et inanitione facta, tamen si cui placeat intelligere factam ex repletione conuulsionem, dicat in hoc loco exiccari, accipi pro cõtrahi, nam ita contrahuntur ex repletione, sicuti ex inanitione, licet diuerso modo, quocunque modo intellexeris, ad rem ipsam parum confert, sed ad curationem plurimum referre constat.

*οἱ παχύτατοι μὲν ῥάχιν συνέχουσιν ᾗ οἱ μέγιστοι σύνδεσμοι κατατεφυκότες ἴως ἐς πόδας ἀποτελευτῶσι.* idest, Hi quidem crassissimi spinam continuant, qua maxime enatæ copulæ ad pedes usq́ finiuntur. describit tendines illos quos & crassissimos esse dicit, & profecto respectu aliorum sunt crassissimi, spinamq́ cõtinuãt ac continent, qua parte magna uincula & magnæ copulæ natæ ad pedes usq́ tendũt, non tamen in æquali crassitie, ita enim continuatur simul & totum corpus. in libris de motu musculorum de his tendinibus apud Galenum nonnulla dicuntur.

*τοῦ τοιοῦδε ἢν μὴ πυρετὸς καὶ ὕπνος ἐπιγένηται καὶ ἑπόμενα οὖρα πέψιν ἔχοντα ἔλθῃ, καὶ ἱδρῶτες κρίσιμοι.* idest, Huic si neq́ febris neq́ somnus supuenerint, fuerintq́ secutæ coctionem hñtes vrinæ, sudoresq́ iudicatorij. huius affectus curationem edocere intendit. At primo supponit quædam si curatio procedere debeat, ex his primum est febrem non superuenisse: nam si febre correptus esset, non cõueniret dare uinum creticum uinosum, & febris quæ conuulsioni superuenit illi remedium est. vnde primo supponit febrem non superuenisse, secundo non superuenisse somnum. quid hic per somnum intelligit non discutit author, putamus intelligere somnum profundum, non simpliciter somnum, qualis quotidie in sanis hominibus fieri consueuit: nam si profundus somnus superuenisset,

non fuisset conueniens dare vinum creticũ uinosum, propterea supponit hunc non incidisse, somnum profundum tamen non negat somnum quotidianum naturalem supponit quoque urinas sequi quæ coctionem habent, tamen ut Galenus notat, hoc necessarium nõ est, quia urinæ in febriculosis morbis considerantur, & coctionem ostendunt ac cruditatem, in conuulsione non æque, tamen intellige urinas humoris copiam non ostendere, neque aliud quod potui vini oppugnet, quarto supponit superuenisse sudores iudicatorios, qui sunt per totũ corpus & ægrum leuiorem reddunt, non autem in solo capite, & ceruice, verum neq; istud in his morbis necessario fiet.

πίνειν οἶνον κρητικὸν οἰνώδεα, καὶ ἄλφιτον ἑφθὸν ἐσθιέτω. idest, Vinum creticum vinosum bibat, & polentam coctam edat. De horum cibo & potu agit author, potus est vinũ creticum vinosum, quod est vinum potentissimum, & polentã coctam edat, arbitror præbere hunc potum, quia supponit materiam esse frigidam & humidam, quæ lumborum in anteriorem partem reuulsionem fecerit, ex vini autem calore quod reliquum est resoluitur, & sudor prouocatur, membrumq; roboratur, de polenta superius dictum est.

καὶ κηρωτῇ ἀλείφειν. i. Et ceroto perungatur. Sed petes de loco qui perungi debeat, quisnam sit. Respondemus, esse locum affectum, & posse per totam etiam partem per quam tendines incedunt, extendi, propterea et ad alias partes, in quibus tamen non est affectus statim ampliabit præsidia. At dices quomodo inũgi potest si ceratum sit, nam cerata corpori applicantur, & multum inhærent. Respondemus non dici ab antiquis ceratum quia formam habent, quam nunc ceratis præbent pharmacopolæ, sed vocantur cataplasmata. cerata vero sunt quæ ceram recipiunt, possunt vero modo esse molliora, modo densiora. At de his rebus seorsum loquemur edocentes quæ sint apud antiquos cerata, quæ emplastra, quæ inunctiones, & quæ vnguenta, nam recentes ab antiquis in his multum differunt hic vero non est locus de hac re pertractandi.

καὶ ἐγχέειν τὰ σκέλεα περιελίσσειν ἕως τῶν ποδῶν θερμῷ βρέχων ἐν σκάφῃ. idest, Et crura ad pedes vsque proluens calidis in pelui contegantur. cum tendinis incessus sit vsque ad pedes, vt magis robores, vsque ad pedes calidis proluendum esse & tegendum iubet. At dices quibus calidis proluendum? quispiam posset calidam aquam intelligere, sed cum non conueniat, si ex repletione sit conuulsio, quia refrigerat. vt in .x. methodi habetur nisi sit valde calida propterea intelligere possumus olea calida, et talia quibus ablui possit, vnde sit vel decoctum vel oleum quod & actu & virtute calidum sit, aut etiam calidam aquam intelligas, quæ semper intelligitur, cum calidũ simpliciter profertur. Et si petas quare contegi debeant, huius libri interpres dicit velamine, tu intellige panno aliquo, aut linteo duplici, aut laneo, aut pelle aliqua vt exigitur.

καὶ βραχίονας ἕως δακτύλων κατειλίσσειν. idest, Brachia itẽ ad digitos vsq; inuoluantur scilicet eodem velamine vel lineo, uel laneo, vel pelliceo, hæc adduntur ne frigore afficiatur.

καὶ ῥάχιν ἀπὸ τοῦ τραχήλου ἕως τῶν ἰσχίων σίαλον ἐγκηρώσας μαλακῷ δέρματι, ὅπως καὶ τὰ ἔμπροσθεν περιέξῃ. idest, Et spinam à ceruice ad coxam vsque molli pelle, quæ pinguedine & cera illita sit velabis, sed ita velabis vt anteriora etiam contineantur, pars hæc propria est, cui debẽt applicari præsidia, spinam iubet velandam esse. & si petas quã spinæ partem uelare voluerit, totam dicit à collo ad coxas. siq; petas quare velanda sit, pelle inquit molli, vel agni, uel vulpis, vel alterius animalis ex his quæ in usu sunt, nihilq; refert si & corium pro pelle intelligeres cum pinguedine & cera illiniri debeat, tamen pellem intelligere malumus, q̃ corium, vt loci caliditas seruetur & potius augeatur, cum sit ex repletione conuulsio, si esset ex inanitione, corium poni diceres, & pinguedine inungi ac cera, pinguedine ob siccitatem cera vt inhæreat. iubet tegendum molli pelle, quã δέρμα vocat, quod corium & extimam pellem significat, unde epiderma superficialis pellicula & hymen circa cutem, pellis uero hæc tãta esse debet, ut simul anteriores partes tegat, sit ergo alicuius maioris animantis pellis si totum & ante & retro complecti debeat. Copus hanc partem uertit ac si adhuc de partium tegmẽto loquatur, vnde inquit spinam etiam & lumbos à ceruice incipiẽdo ad coxas, mollem pellem saliuam subigens, ut exteriores quoque partes contineat. vt videas partem hanc ad tegmentum sequi. nos uero interpretati sumus, ut illius rei differẽtiam circa spinam faciamus qua debeat contegi, neque Copus de cera mentionem facit, quæ tamen fieri debet, & uertit ipse σίαλον saliuam, cum hic pinguedinem potius interpretari possimus, cum absurdum sit dicere aliquem saliua inungi debere, quamuis tamen uocabulum hoc id etiã significare possit. Forte ipse dixit saginam, melius ergo est interpretari vt ydiximus.

καὶ διαλείπων πυρίας τοῖσιν ἀσκοῖσι, θερμῷ δ' ὕδατι ἐγχέων καὶ περιτείνων σινδόνι, ἐγκατακλίνειν αὐτόν. idest, Et intermissis fomentis quæ per vtriculos fiunt calida perfundes aqua, & linteo obuoluens, in conclaui cubare facias. putandum non est ægrum pelle molli uelatum, calida perfundendum esse aqua. sed intellige fieri hoc aliud præsidium fomẽto prætermisso. Aeger nudatus aqua calida perfundatur, postea exiccetur, & linteo inuoluatur, in thorumq; ponatur, & quiescere, uel etiam dormire permittatur. fomenta nonnunquam fiunt per vtriculos aqua calida plenos, sed cum solum ac simul applicentur, nihil imprimunt, nos consueti sumus ex boum vesicis & similium animalium talia fomentorum genera exercere, uerum vt Galenus ostendit, quæ ab alto descendunt magis imprimunt, propterea magis laudat aquæ perfusionem quæ cum impetu fit, quàm vtriculi per modum fomenti applicationem. Aqua etenim calida naturalem calorem cõcitat vt exeat, & partem illam calefaciat quæ affecta est, & conuulsa. De Copo mirandum qui hanc partem aliter interpretetur, quàm vel græca authoris verba innuant, vel sententia velit, inquit enim relictis deinde fomentis, vter aqua calida plenus ac linteo tectus adhibeatur, verum author fomentum respuit, & fomentum ex vtriculis & vesicis, & potius laudat perfusionem ex calida aqua, neque quando tectus est aqua perfundenda, sed nudus sit, postea linteo inuoluatur, vt exiccetur.

κοιλίην δὲ μὴ λύειν λίην, ἢν μὴ βαλάνῳ, ἢν μὴ πολὺν χρόνον ἢ ἀδιαχώρητος ἐοῦσα, καὶ ἢν μέντοι σοὶ ἐπιδιδῷ ἐπὶ τὸ βέλτιον. idest, Ventrem autem ac uehementer soluas, nisi balano, si lungo iam tempore se continuerit. idq; si bene tibi processerit, nulla est ratio cur venter medicamentis solui non debeat, nisi dixerimus medicamenta à partibus etiam superioribus trahere, & materias plerunque in locum læsum transmittere, tamen eo casu dari possunt medicamenta præparata materia, forte author in principio intelligit, dum materia fixa est, et cruda, clysteres præterea fieri posse nemo dubitat, quos sub balano intelligere possemus, adde neque iubere balanũ fieri, nisi hic diu absque alui beneficio fuerit, vel dicamus non ire inficias ventrem solui debere, sed uehementer soluendum negat, & forte si aliquod sit vehemens sit medicamentum, quod exercere debeamus id fit per balanum. Notaq; & nolle te balanum exhibere, nisi bene processerit. si igitur uidebis ægrum bene procedere, & iam in melius progredi, balano utaris, non quidem semel sed vel singulis vel alternis diebus si uero in melius non procederet, quid agendum sit statim edocet.

εἰ δὲ μὴ τοῦ μήδου τῆς ῥίζης τρίβων ἐν οἴνῳ εὐώδει καὶ δαῦκον πίνειν διδόναι πρωὶ νῆστιν πρὸ τοῦ βρέχειν. idest, Si autem non μήδου, idest, modi radicem in uino odorato tritam, & daucum, mane ieiuno priusquam madefeceris propina iubet non esse præbendum vehemens medicamentum, sed balano potius vtendum, idq; potissimum quando res bene succedunt, si uero non recte succedant, quid agendum sit nunc edocet, accipiendum esse modi radicem, & terendam, & similiter daucum accipiendum & terendum, modoq; miscendum cum uino .s. odorato, & mane propinandum priusquam madefeceris. Hic primo petes quid sit modi radix, de qua ab

authore

318

authore mentio facta est profecto quid modus sit inter herbas & stirpes inuenire nesciuimus. Forte est moedi radix de qua fit mentio in libro de remedijs facile parabilibus, sed cum & hæc sit æque ignota, propterea legendum arbitramur moly, cuius radix Dioscoride teste bulbosa est oblonga, quæ cum ad vuluas aperiendas apta sit, calidam esse non dubitamus, vel eringij radicem intelligamus, quam Dioscorides dicit uocari moly & ex aqua mulsa opisthotonicis, et comitialibus mederi, tamen molij radicem potius intelligendam iudicamus, vt modica fiat in dictionibus transmutatio, Galenus septimo de simplicium medicamentorum facultatibus dicit habere vim tenuium partium & esse calidam in tertio ordine, propterea crassos humores desiccare ac digerere, & vrinam mouere. De dauco, & radice & seminibus vti possemus, herba in vsu nō est, tamen cū Galenus dicat radicem aliquid habere flatuosi, iccirco semen potius accipiemus. At dices cur addidit dādam esse mane ieiuno priusquam madefeceris? Respondemus, quia vult hos calida aqua esse perfundendos, verum priusquam perfundas, hæc propinanda dato, quæ proposuit.

καὶ ταχὺ ἐπὶ τούτοισι τὸ ἄλευρον ἑφθὸν χλιαρὸν ἐσθιέτω ὡς πλεῖστον. idest, Post hæc cito farinam coctam tepidam voret plurimam. intellige post radicis moly & dauci potum, statim non interposito tempore dandam esse farinam coctam tepidam plurimam. Quid per farinam intelligat ambiguum est, nam si triticeam intelligat, non videtur ob quam causam illam edat, si hordeaceam, forte non male vertit Copus polētam. nota tamen, vel sit triticea farina, vel hordeacea, diligenter coqui debet, non enim breui coquitur farina, ideo non mirum cum ex farina fiunt fercula, si obsint, quia mulierculæ nunquam sinunt probe coqui, hæc uero farina cocta ex hordeo potius abstergit, quàm ex alia segete faciat.

καὶ οἶνον ἐπὴν βούληται ὑδαρέα ἐπιπινέτω. idest, Et vinum cum uoluerit bene temperatum superbibat, si hic siterit, vinum superbibere debet, aqua scilicet temperatum, ac si dicat vinum dilutum, si non sitierit non est necessarium bibere, iccirco addit cum voluerit bibat, si noluerit non bibat, hæcq; sint pro cibo & potu, an vero conueniant, hic differere prætermittam.

καὶ ἢν μέν σοι ἐπιδιδῷ τὸ βέλτιον. i. Et si ita ad melius pcesserit. Auctor iubet hæc esse agēda si melius pcedat æger, si vero in melius non procedat, neque balano vtendum, neque potione ex vino, moly, & dauco, quid vero tunc agendum sit statim monet.

ἢν δὲ μὴ προλέγειν. i. Si vero non prædicendum, hoc est, si æger in melius non procedat, ne medicus videatur suæ artis ignarus, imminens ægritudinis periculum prædicere debet, si uero petas quomodo nam is curari posit, qui ob tendines in anteriorē partem reuellentes curuatum habet dorsum vel lumbos. Respondemus considerandum an hoc ex siccitate fiat, an ex repletione, si ex siccitate sit, curationem non recipit, tamen ne ægrum deserere videaris, iniungas saltem rebus humectantibus & mediocriter calidis, si uero ex repletione sit, cum ut plurimum à materia fiat pituitosa neruos & tendines implente si hic plethoram patiatur, venam secato, quia magnus est morbus, si reliqua consentiant, vt vires & ætas, postea materiam coque hoc syrupo.

℞ Syrupi de stœchade ... vnc. j. ſ.
Oxymelitis compositi ... vnc. ſ.
Aquarum saluiæ, Fœniculi, } Singulorū vnc. ij.
Misce, & si lubet clarificetur.

Coctione facta materia in hoc casu euacuanda est, hoc communiter fit ex pilulis de hermodactylis, tamen pilulæ de nitro Alexandri ad hoc negotium aptissimæ sunt, & Diaphinicon exhibent, qui in aqua saluiæ dissolutus sit, vel in infusione senæ in aqua saluiæ dissolutæ, post uniuersalem purgationem ad localia descendito fomenta applicans inunctiones, emplastra, cerata, quæ calefaciendi vim habeant, exiccandi, resoluendi, attenuandi materias quæ in loco sunt, & victus sit calefaciens, exiccans, & attenuans, hoc modo hos curato, tamē hic author imperfectissime curationem molitur.

GALENVS.

Sermo quoque hic indistincte & indiscrete est prolatus, prę ter id quod & nomina quædam improprie scripta sunt. Nempe ob laborem morderi tendines, improprie est dictum, uerbo hoc mordere acribus humoribus, & non doloribus quadrante. Præterea & quod in principio dictionis dicitur: Vehementer in anteriorem reuelluntur partem. Deinde ait: Arescentibus qui ad οὐραῖον, id est caudam uergunt tendinibus, qui crassiores spinam continuant. Eos qui vsque ad caudam protenduntur ita vocans. Appellant aūt οὐραῖον ossis extremū. Quod si partem vtranque tendi manifestare uoluerit, atque tum in scapulas, tum in pectus tetanum intendi, fieri sanè potest, quo modo paulo ante dixit: Tetani lumborum. Non tuto autem morbi facilitatem ex vrinarum concoctione prænoscit. Nēpe tametsi febris cruditates per vrinas manifeste indicentur, morborum tamen musculos infestantium, haudquaquam secura est per vrinas significatio, imo exigua. Vinum autem his indiscrete exhibere vtrum ob frigiditatem passus æger fuerit, an aliam ob causam, non exiguum est delictum, immo petulans potius immodestumq;. Absque item ratione dictum est ventrem soluendum non esse, nisi balano. Nempe in huiusmodi morbis commode interdum soluitur. Cętera dictionis manifesta sunt.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus notat sermonem hunc indistincte & indiscrete prolatum esse, imo & maiorem adesse errorē, quàm hic quod indistinctus sit, nam quibusdam nominibus improprie vtitur, id autem uerum esse. En improprie dicit ob laborē morderi tendines, nam de labore dici non potest, quod mordeat, sed mordere proprium est acrium humorum, et non dolorum. Id præterea considera quod in sentētiæ initio dixerit, vehementer in anteriorem reuelluntur partem, & postea ait arescētibus qui ad οὐραῖον i. Caudam vergunt tendinibus, qui crassiores spinam contineant. ipseq; ita vocat illos qui vsque ad caudam protenduntur, vt nominibus improprie vtatur, nam vocant οὐραῖον ossis extremum, ossis inquam dorsi. Cum ergo uehementer in anteriorem partem verti & reuelli dorsum, dici non potest tendines qui ad caudam tendunt arescere omnes, nam utraque pars extenditur ex his tendinibus tā anterior quàm posterior. & ideo si de vna tantum parte loquatur, aberrat, quia ex illis tendinibus vtræque partes tendunt. At si dicere voluerit utrāque partem tendi, & in scapulas & in pectus fieri tetanum, id profecto fieri potest, sicut & superius de lumborum tetanis intelligebat, vt Galenus hunc authorem reprehendat, quia tendines crassiores usque ad os caudæ protecti, tam anteriorem partem quàm posteriorem intendant, itaq; fiat tetanus. i. æqualis & in anteriorem & in posteriorem partem, & in pectus & in scapulas tensio, tamen in initio solum loqui videatur de emprosthotono. Notaq; Galenum ostendere, se per hanc conuulsionis speciem non illam intelligere quę est in lumbis, sed illam simpliciter quæ fit in toto dorso.

Secundo. Galenus notat & hunc authorē in hoc peccare cum dixit si fuerint secutæ vrinæ coctionem habentes, nam non tute prænoscit morbi facilitatem ex vrinarū concoctione, nam ex vrinarum coctione palam est ostendi quidem in febribus morbi facilitatem, & ex earūdem cruditate oppositum, vrinæq; in febribus coctionem ostendunt & cruditatem. At in morbis qui musculos infestant non sunt tuta indicia illa, quæ ab vrina sumunt, & si quid habeant quē indicent id paruū est & exiguū. Quod legitur febris cruditas, græce est πυρετώδεος γὰρ νοσήματος ὠμότητες i. morbi febriculosi cruditates, secus vero est dicere febres, & morbos febriculosos, qm̄ febris nomine ipsæ simpliciter intelliguntur. At si dicamus morbum febriculosum non tantū febrem ipsam intelligimus, sed et quęcunq; morbum, quę febris semper comitatē, tamen et nihil refert interpretari febres,

vel aliam quandam fortem causam, suppurati fiunt, suppurati illi vocantur, quibus pus in una thoracis cauitate colligitur, uel in utrisq́. id uero fieri potest uel ex apostematibus quę ad exiturā tendunt, uel ex per pneumonia quando abscessus ad suppurationē venit, vel ex pleuritide cū suppuratur, & pus in thorace colligitur, de quo est Hippocratis aphorismus, nisi in quadraginta diebus expurgētur, phthisici fiunt, uel ex angina quādoque quę ad pulmonē trāsmutetur, hi nisi in septuaginta diebus pereant, materia quę in pulmone cōtinetur ad thoracis cauitates trāsfertur, hoc modo ex abscessibus fiūt empyi & suppurati. Quandoq; fiunt ob uenę alicuius disruptionē, uena uero uel in thorace est, uel in pulmone, uel in canna, & sanguis in thoracis cauitate colligitur qui tempore putrescit, pusq́; efficitur, & hi purulenti & suppurati nuncupantur, uena autem disrumpitur aut à materia aliqua salsa, aut acri, aut ob ictum uel casum, aut ob aliquam aliam causam, quandoque fit ob incontinentiam suppuratio, intellige incontinentiam in cibo & potu in venereis, in vigilijs, & similibus. cibi & potus talem qualitatem habere possunt quòd acres humores generabunt & salsos, & ad erodendum pulmonem aptos, salsi uenas facilius disrumpunt, quia magis inhærent, uel in thorace multiplicabunt, uel in capite & ad thoracem descendent, in cauitatibusq́; contenti corrumpētur, suppuratioq́; fiet, potest & ob alias fortes causas contingere, sunt uero fortes causæ ut si ūspiā in thorace vulneret, uel ab alto decideret, & ob unū horū purulētus efficeret, aut ob aliam fortē cām, quicūq; igit̄ sunt ex aliqua harū cāru suppurati.

μὴ δίδου ἐλλέβορον τοῖσι τοιούτοισιν. i. His helleborum ne dato, helleborus á penitioribus nostri corporis partibus trahit. propterea & à thorace trahit, cur ergo non dandus helleborus? præsertim quia Hippocrates in legitima huius libri parte i pleuriticis dari præcepit. Respondemus si accipiatur cum sit forte medicamentum, pus in in thorace cōtentum agitare, inde magna sequitur anhelitus difficultas, & ex consequenti suffocatio. propterea nō est dandus, presertim quia proprius meatus, per quem debet exire hoc pus, est os ipsum, in pleuritide vero abscessus materia est in uenis, et ideo per uenas potest ad iecur & meseraicas deduci, & deinceps ad intestina, cum uero in suppuratis materia sit extra venas & in magnis thoracis cauitatibus aut impossibile, aut difficilimū illam per hanc uiam educere, iccirco helleborum ne dato, rationemq́; reddit.

οὐδὲν γὰρ ὠφελήσει. idest, Nihil enim proderit, cum prodesse non poterit, quia materia in cauitate, per aluum difficulter trahitur, per uomitum uero minus cū in uentriculo non sit, iccirco non præbendum, nam & plurimum oberit.

καὶ ἤν τι πάνυ ἄξιον δόξῃ εἶναι ἐλλεβόρου. i. Et si re aliqua afficiatur ęger, helleborus esse uidebitur, proborum authorum officium est, & medicorum qui artem exercent, præsidia non vulgaria haud diffamare, helleborus in pituitæ euacuationibus, crassæ bilis, & atræ, bilis est pręsidium nō uulgare, si quis helleborum præbere uoluerit vbi non conueniat, etiam supposito quod nihil obsit, nec etiā prosit, si contingat aliquid sinistri ægro, quòd & absq; hellebori sumptione contigisset, illud ægro ob hellebori sumptionē cōtigisse videbit̄, itaq; hoc egregiū præsidiū, qd' maxime ualet qn̄ eo indigemus diffamabit̄.

ἢν δὲ διαλύηται τὸ σῶμα. i. Si vero corpus dissoluatur, Nūc author illa refert, quibus helleborum dare conuenit, helleborus præbendus est si corpus dissoluatur, quidam per dissolutionem corporis ariditatem intellexere & macrefactionem, quando (inquiunt) corpus dissoluitur idest macrescit, helleborus dandus est, sed hi aberrant, tum quia magis obest helleborus & sua caliditate & siccitate maiorem facit dissolutionem, tum quia in illo casu neque minima danda medicamenta nedū helleborum, qui inter fortia connumeratur. propterea per dissolutū corpus intellige quod dissolutionem incidat, quæ syncope est, vel lipotomia, hi etenim dissoluti uidentur, & quia id plerunq; fit si humores qui os ventriculi petunt. propterea & helleboro soluendi sunt. Hi enim humores si biliosi sint, per vomitum euacuari poterunt albo helleboro sumpto, vel si in fundo sint & pituitosi vel atrabilarij, nigro helleboro per inferna ducentur, qui ergo ita dissoluuntur ab helleboro iuuantur.

ἢ πόνος ἐν κεφαλῇ. idest, Vel caput doleat, helleborus etiam dandus est quando caput dolet, intellige vero ob aliquam materiam in capite existentem ex his quæ ab helleboro ducuntur dolere, & non ob puram qualitatem, quia si ob caliditatem uel frigiditatem aut aliam qualitatem caput doleant, per solas oppositas qualitates curatio exercenda est, nulloq́; euacuato humore. Dioscorides inquit mederi helleborum nigrum morbis comitialibus & insanientibus, quod indiciū est à capite ducere.

ἢ ἐμπεπλασμένα τὰ ὦτα. idest, Vel impleantur aures. cum aures obstruuntur, præbendus helleborus, quia à capite euacuat materias etiam quæ in profundo sunt, & si aures plenæ sint vt æger non audiat, sanatur helleboro.

ἢ ῥῖνες. idest, Vel nares scilicet sint obstructæ, helleboro purgantur, quia à quacunq; capitis parte materias euacuat in illa contentas, vnde & coryzæ. i. grauedini confert, & quibuslibet nisi obstructionibus.

ἢ πτυαλισμός. idest, Vel sputum. intellige helleborū valere, cum sputum non redditur, quia materiæ, quæ per palatum in os descendere debent ex obstructione ob ipsarum crassitiem nō descendūt, ab helleboro uero & attenuātur & euacuantur.

ἢ τῶν γονάτων βάρος. idest, Vel genuū grauitas afficiat. cum dictum sit helleborum à penitioribus partibus materiam educere, propterea non mirum cum ob materiam pituitosam genua grauiora reddātur, helleborū succurrere, unde & Dioscorides dicit mederi articularijs affectibus.

ἢ σώματος ὄγκος παρὰ τὸ ἔθος. idest, Vel corpus prëter solitū tumeat, hic corporis tumor vel est totius uentris tumor ut hydrops, uel alterius generis tumor, qui tamen à pituita fiat, omnibus cōuenit helleborus, in hydrope enim aquam educit, siquis experiatur, in alijs tumoribus pituitam, vnū est intelligendum esse tumorem præter consuetudinem, imo & intelligere possemus tumorem ex flatu factum.

ὅ,τι ἂν συμβαίνῃ. idest, Quicquid horum contigerit. scilicet dato helleborum, uel uno ex prædictis affectibus existente, uel pluribus helleborum dato, modo illi affectus non sint secuti ad aliquod ex his quæ sequuntur.

μήθ' ὑπὸ πότων. idest, Neque ex potibus. nam si ex potibus caput doleat, nō est ex materia, sed ex uini caliditate, suppone in hoc casu nō esse ex fumis aggregatis & cōdensatis qui à vino eleuati sint, sed ex sola sit caliditate, tūc non est dādus helleborus. Sed hos solis refrigerātibus curare oportet, vt Galenus docet in. 2. de cōpos. medic. secundū locos. propterea si corpus sit ob uinū dissolutū, nō est hic hō purgādus helleboro. De auribus vero & naribus obstructis, & sputi īpedimēto, si à potu fiant, cum absq; materia fieri non possint. ꝓpterea helleboro purgādi sunt, vel alio medicamēto, idem ītellige de genuū grauitate, quę cū materia fit. At si fuit à puro potu inebriante, helleborus præberi nō debet. De corporis ēt tumore ꝑter solitū dicimus, ēt si ab ebrietate fiat. helleborū ꝓbendū esse, qa & si solum esset flatus, q hūc tumorē induceret, helleboro euacuatur.

μήθ' ὑπὸ ἀφροδισίων. idest, Neq; ex venere. qm̄ si affectus ꝓdicti à venere fiāt, euacuare nō est opus, neq; helleboro, neq; alio medicamēto, corporis. n. dissolutio, q̄ ob uenerē fit, potius indiget ꝓbis cibis, q̄ euacuatione, & capitis dolor ex venere fieri nō pōt, nisi ob magnū veneris exercitiū, & ita de genuū grauitate, & iō cū hi potius sint supra modū exinaniti, euacuatione non indigent. De venere mō an auriū obstructiones faciat, uel nariū, uel sputa īpediat, certe nō constat, tn̄ posset adeo ībecillitare vires, vt sputa īpediret, et aures obtusiores redderet, ac nares. Venerē ꝑterea corpus tumidius reddere posse. In his apparet q ex uiriū cōcoctricū ībecillitate hydropē incidūt, uires aūt concoctrices, in venere supra modū imbecilliores redduntur.

μήθ' ὑπὸ λύπης. idest, Neq; ob mœrorē, tristitiam & defectum, quia si capitis dolor, vel corporis dissolutio, vel reliqua ob mœrorē fiāt, helleborus pręberi nō debet, adde nisi ex mœrore hi humore atrabilario abundauerint, quamuis & in-

telligere possemus, nisi prædicta sint facta ob magnum laborem, tamen negari non potest quin in horũ aliquo possit fieri euacuatio, quando vera aderit ex materia obstructio.

μήθ' ὑπὸ φροντίδων. idest Neq; ob curas. quoniam & curæ capitis dolorem inferre possunt, corporis dissolutionem, & reliqua, verum si curæ atram bilem multiplicare fecerint. dari potest helleborus, à curis tamen aliquæ ex prædictis affectionibus vel non fiunt, vel raro fiunt, vel indirecte fiunt, vt quod auriũ & narium obstructionẽ faciant, & sputa impediant, hæc solum per accidens quandoq; sequi possunt ad curas.

μήθ' ὑπὸ ἀγρυπνιῶν. idest, Neq; ob vigilias. vigiliæ profecto corpora dissoluunt, capitis dolorem inferunt, genuum, & aliorum artuum grauitatem & lassitudinẽ, sed aures obstruere non possunt neque nares, neque sputa impedire, nisi hæc ad aliud sequantur, in his casibus helleborus præberi non debet, sed potius vigilijs prouidendum, unde author statim sequitur.

ἢν μέντοι τουτέων ἔχῃ αἰτίην, πρὸς τοῦτο ποιέεσθαι τὴν θεραπείαν. i. Si etenim quippiam horum causæ rationem habuerit, ad id curationẽ dirigere oportet. en considerare debes, corporis dissolutionem, capitis dolorem, aurium obstructionem, vel narium, sputorum impedimenta, genuum grauitatẽ, corporis tumorem, an ob aliquam prædictarũ causarum fiant, siquidem ob aliquam fiant, ab illa causa primo debet incipere curatio, qua remota, si adhuc aliqd affectus remaneat, illi incũbere.

GALENVS. Phleborrhagian, venarum ruptionem dicit. Quod autem neque ex huiusmodi causa suppuratos, neq; his qui propter abscessum, neque ob causam aliam afficiuntur, dare helleborum oporteat, nemo ignorat. Sed qui ob incontinentiam, intemperantiamq; suppurantur, perperam in hoc recensentur catalogo. Intemperantia ipsa per se intemperantes lædente, vt redundantia, cruditate, crapula, uenere multa, vigilijs & quibusdam similibus. Cæterum prædicens quibusnam helleborum exhibere oporteat, inquit: Si uero corpus dissoluatur idest, fractum admodum reddatur, absque scilicet manifesta causa, vel dolor in capite diuturnus, & solum difficilis fuerit. Nempe & id te subaudire oportet in capitis dolore, & deinceps in his, quæ serie cõtinuata dicũtur omnibus, oppletis scilicet auribus, naribus, & sputo. Adijcit & genuum grauitatem, dolorẽq;, & corporis præter solitum tumorem. In omnibus siquidem his, quæ sine manifesta causa facta sunt, vult helleborũ exhiberi. Diuertẽs autem sermonem vniuersalem ad particularia, inqt: Modo neque ob ueneres, neque ob curas, neque ob uigilias dicta facta sint. Si enim ex horum aliquo facta sint, pugnandum aduersus efficientem causam præcipit. Quęnam autem ex his omnibus quæ recẽsuit, uere diligenterq; dicta sint, & quę non didicistis tum in Hippocratis libris, tum in cõmẽtarijs nostris.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat hunc authorem nominasse phleborrhagian venarum ruptionẽ, omnibus vero constat, suppuratis ob eam causam scilicet ob venarum disruptionem, vel ob abscessum, vel ob aliam causam, non esse præbendũ helleborum, tamen qui ob intemperantiam & incontinentiam suppurati fiunt, perperam in hoc catalogo recẽsentur, nam intemperantia ipsa per se lędit intemperantes, lædit vero vt redundantia, cruditate, crapula, multa uenere, uigilijs, & quibusdã similibus, hæc sunt illa propter quæ intemperantes afficiuntur.

Secundo Galenus notat cum author deinceps eos prædicens quibus helleborum exhibere oporteat, inquit, si vero corpus dissoluatur. i. fractum admodum fiat. Adde scilicet absq; manifesta causa, vel dolor in capite fuerit. s. diuturnus & soluta difficilis, nam & hoc subintelligendum est in capitis dolore, & postea in his omnibus quæ dicuntur serie continuata, obstructis omnibus. s. auribus, naribus, & sputo. Addidit & genuum grauitatem atque dolorem, & corporis tumorem præter solitũ. In omnibus his quæ sine manifesta causa facta sunt, helleborum dare suadet hic author. Adde tu etiam si à causa fiant manifesta humorali dandum helleborum.

Tertio Galenus notat postea quam author hic edocuit quibus in genere dandus sit helleborus. Sermonem vniuersalem ad particularia diuertere, atq; dicere dandum quidem esse helleborum, modo affectus illi facti non sint, neq; ob veneres, neq; ob curas, neq; ob vigilias, nam si ex aliquo horum facta sint, præcipit pugnandum esse aduersus cãm efficientem. At ex his omnibus quæ recensuit, quæ nam vere & diligẽter dicta sint, & quæ non, qui libros Hippocratis legere, in illis hæc didicere, Et etiam in nostris commentarijs (inquit Galenus) supra Hippocratis libros, & in libris proprijs hæc habentur.

## Hippocrates. Sectio LXXXVII.

Dolores ex itinere si fuerint, lateris dorsi, lumborum, & coxæ, & qui inter respirandum dolent occasionem habentes, sæpius enim dolores ex crapula cibisq; inflantibus ad lumbos & coxam uenire consueuerunt. Quibus talia fuerint, vrinæ difficultas accedit. Horum iter causa est, coryzæ item & raucedinis.

BRASAVOLVS. Tria in hac sententia ab hoc authore ponũtur, vnum quod caput habet, sed fine caret, aliud quod principium & finem habet. Tertium quod finem habet & principio caret. Primũ est si dolores ex itinere fuerint, qui vel lateris sint vel dorsi uel lũborum, uel coxæ, & qui inter respirandũ dolent atq; occasionem habent inde, post author nõ infert quid agendũ nec quid sequatur. propterea principiũ habet, et fine caret. Secundũ est, plerũq; dolores ex crapula, & cibis inflantibus ad lũbos & coxam descendere, & quibus hæc contingunt vrinę difficultates accedunt. En hæc pars principium habet & finem, & aliquid infert. Tertium est, iter esse horum cãm, & præterea esse coryzæ & raucedinis causam. vides hanc partem principio carere, tamen inter exponendum conabimur, quanto cõmodius fieri poterit, sententiam interpretari, & veritati accommodare.

τὰ ἐκ παρόδου ἀλγήματα πλευρέων νώτου, ὀσφύος, ἰσχίων, καὶ ὅσα ἀναπνέοντες ἀλγέουσι πρόφασιν ἔχοντες. i. Dolores ex itinere laterũ, dorsi, lumborũ, & coxarũ, & quæcunq; dolẽt respirantes, qui habent manifestam cãm. De doloribus locuturus est author, & primo de doloribus agit, qui ab itinere proueniunt, postea de his interponit, qui à crapula fiunt, demq; de his qui ob victus rationẽ contingunt, de his qui ex itinere procedunt, ob itineris laborem latera quoq; dolent, & etiam ob incõmoda, & ob uarias aeris mutationes modo ad calorem, modo ad frigus. De dorsi & lumborũ doloribus & coxarum, cuilibet manifestũ est, ex itinere dolorem fieri posse, & ex ambulatione & ex equitatione, nam harũ partium dolores pñt ad itineris laborẽ sequi, & pñt ex solo sequi labore absq; materia, quia partes illæ valde incalescunt, & ex descensu materierũ ad easdem partes, & quæcũq; respirantes dolent, intellige quãcũq; partẽ, qua respirantes doleant, & prophasim habeant. i. cãm manifestam, quoq; inter respirandum dolores fiunt, verũ quia de doloribus ex itinere loquitur, intellige esse factos dolores inter respirandum iter agentibus ob aliquã causam manifestã, vt flatum vel frigus, uel aliquod simile. nam putamus hũc dolorem inter respirandũ doloribus ex itinere applicari debere, ut dici possit, hũc authorem edocere quinam dolores fiant ex itinere. dicitq; fieri dolores lumborum, dorsi, lateris coxarum, & inter respirandum aliqui ex itinere dolent ex causa tamen manifesta.

πολλάκις γὰρ μυμάδων φυσσῶν ἐκ πλησμονῆς καὶ βρωμάτων φυσωδέων ἀλγήματα καὶ ἐς ὀσφὺν, καὶ ἐς ἰσχίον. i. Sępius enim dolores ex crapula, cibisq; inflantibus, & ad lumbos & ad coxam venire consueuerunt. Cum non solũ ex itinere dolores fiãt ad lumbos & ad coxam, sed etiam ob crapulam, & multos cibos flatuosos. propterea ne quispiã putet omnes fieri ab itinere, etiã cum hõ in itinere est, sciat & ex crapula, & ex cibis flatuosis posse fieri huius generis, & in hoc loco dolores.

οἷς δ' ἂν αὐτῶν ἡ στραγγουρίη ἐπιγένηται. idest, Quibus aũt talia fuerint, vrinæ difficultas accedit, hoc ad dolores ex crapula referri potest, & cibis flatuosis, quod in his doloribus vrinæ contingat

tingat difficultas, tamen necesse non est, sed potest quidẽ contingere. possemus & hoc ad omnes dolores ex itinere dictos referre. & tunc verum non est, quod vrinę difficultates necessario sequantur. propterea ad quodcunque referatur simpliciter falsum est. At possunt quidem vrinæ difficultates contingere & iter agentibus ob renum ex motu affectionem quandoque fiunt & ex crapula ac cibis flatuosis quandoq; fiunt.

ταύτων δὲ πορείη αἰτίη, καὶ κορύζης καὶ βράγχου. i. Horũ iter causa est, item coryzæ & raucedinis, hoc ad dolores ex itinere referri debet, vt dicat iter proprie & per se esse illorum dolorũ causam, imo adde esse etiam grauedinis & raucedinis causam ob aeris mutationem ferè repentinam ad calidum & frigidum, & ob calorem, quem iter agentes ob motum incurrunt, postea in frigido aere, flatu aliquo spirante frigescunt. At dices et ex itinere alios etiam fieri dolores, ut capitis, pedum & aliorum multorum membrorum, igitur dolores omnes qui ex itinere fiunt, non recensuit. Respondemus omnes dolores itineris prorsus non recenseri, neq; omnes qui ex crapula fieri possunt, & cibis flatuosis, vnde fatemur authorẽ ipsum hac in re esse valde diminutũ, Galenus vero censet, omnia hęc absq; vllo ordine referri.

GALENVS. Sine ordine hæc memorauit. Nam prędicens dolores ex itinere, laterum, dorsi, lumborum & coxę, rei inanis exhibitionem repræsentationemq; fecit, perinde atq; quonã modo hæc curentur esset dicturus. Deinde facto ita additamẽto, Sæpius enim dolores ex crapulis cibisq; inflantibus uenire consueuerunt: intulit, Quibus talia fuerit, urinę difficultas accedit. Post hæc quoq; inquit. Horum iter causa est, coryzæ item & raucedinis. acephalum, ut quispiam dixerit, id est sine capite & uertice rei tamen sermonem.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat hunc authorẽ absq; ordine hęc recensere, nam dicens dolores ex itinere laterum, dorsi, lumborum & coxæ, rem quandam inanem nobis obtulit, quoniam hæc præposuit uelut statim curationem positurus, tamẽ de curatione nihil penitus dixit, neq; de alia re, quæ ad hæc spectet. Secundo Galenus notat authorem post primam sententię partem addere, sæpius dolores ex crapulis & cibis inflantibus venire consueuerunt, postea subiungere, quibus talia fuerint, urinæ difficultas accedit. At Galenus in his nõ immoratur, quia necessario non sequuntur. Tertio Galenus notat post prædicta ab authore dici iter esse horum causam, & adde esse etiã causam coryzę & raucedinis. At hoc dictũ iudicat Galenus acephalon & sine capite reddere hanc sententiæ partem, quoniam nõ applicat hanc particulam superiori, vbi de doloribus ex itinere loquebatur, & ideo Galenus non immoratur (vt inquit) ad hanc sententiam exponendam, quoniam & inordinata est, & principium est absq; fine, & finis absq; capite, vt consideranti patet. nisi quis euadere uoluerit, ut nos in sententia ipsa interpretati sumus, tamen quicqd dicat negari nõ potest, ineptitudo & sententię falsitas in aliqbus.

## Hippocrates. Sectio LXXXVIII.

Quæ ob victus rationem eueniunt, multa quidem vnusquisq; pro non assueta victus forma maxime declarat. Nam qui prandere non consueuerunt, & pransi fuerint, his tumor ventris ingens accidit, dormitatio, & plenitudo: quod si supercœnauerint, venter turbabitur: hi a balneo (confert enim) dormiant, expergefactiq; plures lenta ambulatione absoluant circuitus: & si ventrẽ exonerauerint, cœnent, parumq; vini, sed meracioris bibant. Si ventrem non exonerauerint, corpus calido perungant. Et si sitiuerint, vinum aquosum album & dulce bibant: si non, amplius dormiant, conquiescantq;. Cæterum talis instituatur victus, qualis ex crapula laborantibus institui solet. Pocula aquosiora tarde meant, ac veluti in orbem aguntur, circaq; hypochondria innatant, & non decurrunt ad vrinas. Quibus qui repletus fuerit, nullum celeriter ex his absoluet opus, quã compositum corpus vi & celeritate conficere potest. Maxime autem quiescat, donec cum cibis concocta fuerint: meraciora vero & austeriora palpitationem in corpore atque in capite pulsum efficiunt. His bene fuerit, si superdormiant, calidumq; quippiã sorbeant ex his quæ suauissima habent. Ieiunium enim aduersus capitis dolorem crapulamq; malum est. Qui semel tantum die cibũ assumunt, imbecilli fiunt, & calidum mingunt, vtpote præter consuetum vacuati: os ipsi salsum efficitur, & amaricat, atque in quouis opere contremiscunt, tempora contenduntur: cœnamq; non ita concoquere perinde atque pransi fuissent, queunt. Minus igitur q̃ consueuerunt bibant, liquidioremq; mazam panis loco assumant, atque ex oleribus rumicem, vel maluam, vel betas, & ptisanam. Dum autem cibantur, vinum medice bibant, aquosiusq;, atque a cœna parum ambulent, donec excurrat vrina, mixerintq;.

BRASAVOLVS. Si hanc sententiam præcedenti complicemus, ut de doloribus adhuc loquatur, opus erit dicere nunc de dolore loqui qui ob victus rationem fit, vel simpliciter dicamus (postposito quod de dolore loquatur) hic incõmoda ab authore edoceri, quę in victus ratione fiunt, vt cum quis assuetus sit prandere, & non prandeat, vel non sit assuetus prandere & prandeat. At cũ in secundo libro de his vbertim locutus sit Hippocrates nosq; cõmẽtaria in illa parte ampliauerimus, iccirco breuibus in præsentiarum (ne uel minimum verbum prætermittatur) sententiam adducemus, multa euenire ob uictus rationẽ omnibus constat, & vnusquisq; multa referre potest quæ ipsi contigere, quia consuetam victus formam non seruauit, id autem verũ esse en qui prandere non consueuerunt & pransi fuerint symptomata quæ sequuntur, incurrunt, ventris tumor præter naturam illis contingit, dormitatio & plenitudo, & cũ non sint prandere assueti, hora cœnæ concoxisse nõ possunt. propterea si supercœnauerint, vẽter turbabitur, cum hos curare uolueris qui ob prandiũ non assuetũ ita affecti sint, à balneo dormiãt, nam balnea his conferunt, & cum deinde expergiscuntur, ambulent, & inter ambulãdum plures circuitiones persoluant ita vt concoxerint, postea si ventrẽ exonerauerint, calido perungant corpus, & supple non detur cibus. tamen quia hos sitire contingit, vinum bibant aquosum dulce & album, si nõ sitiuerint, dormiant, & absq; cibo quiescant, & ut uno dicã uerbo his talis uictus ratio instituatur, qualis laborantibus ex crapula instituti solet, interim uero hic author potus aquosioris naturam edocet inquiens aquosiora pocula tarde per meatus meant, & veluti in orbem aguntur & innatant circa hypochondria, neq; ad vrinas percurrunt, quibus potibus qui repletus est, nullum opus celeriter absoluet, ex his quæ corpus compositum vi & celeritate conficere potest propterea qui potus aquosiores ebiberit, maxime quiescat, nec potus ipsi aquosi simul cum cibis concocti fuerint, hæc sunt quæ aquosiora faciunt pocula, & quid agere debeat q bibit. At meraciora pocula atq; austeriora palpitationẽ in corpore faciunt, et in capite pulsum, q meracius

biberint, superdormiant, & aliquid calidum ex his sorbeant quæ suauissima sunt, nam ieiuniū aduersus capitis dolorem & crapulam malum est. Qui die semel tantum cibum accipiunt, imbecilli fiunt, & calidum mingunt. Intellige vero q; assueti sint bis cibum accipere, & prandium interposuerint, nam hi sunt præter consuetum euacuati, quia & abstinentia euacuatio quædam est, his os salsum efficitur & amarum, & omni opere quod exercere voluerint, contremiscunt, his tempora contenduntur, neq; possunt cum cœnauerint, ita cœnam concoquere perindeac si prāsi fuissent, quia si pransi fuissent, cœnā melius concoxissent, si autem cœnare voluerint, quod est illis necessarium, cū nō sint mane pransi, comedant, & panis loco mazam liquidiorem accipiant, & minus bibant q̄ consueti sint, & ex oleribus rumicem comedant, vel maluam, vel betas, & ptisanam, verum dum hi cibantur, vinum modice bibant, atque aquosius, & à cœna parum ambulent, idq; fiat donec vrina excurrat, atq; minxerint.

ὅσα δὲ ἀπὸ διαιτημάτων τὰ μὲν πολλὰ ἕκαστος ὡς ἂν παρὰ τὸ ἔθος διαιτηθῇ μάλιστα ἐπισημαίνει.i. Quæcūq; autē ob victus rationem eueniunt, multa quidem vnusquisq; pro non assueta victus forma maxime declarat, ac si vnusquisq; homo pro non assueta victus forma, quando assuetā dimiserit, multa quæ illi cōtingunt, referre possit, hæc sententia in secundo libro posita est sectione. 22. & per multas sequentes, tamē nōnulla in illa sententia dicuntur, quæ hic non adsunt, & nonnulla hic quæ in secundo libro ab Hippocrate non scribuntur, tamen eo loco sententias illas ample interpretati sumus, vt in paucis his expositione indigeamus. tamen ne in aliqua nostrorum commentariorum parte quicquam desit, propterea singulatim & hic sed breuius singulam sententiæ particulam pro more examinabimus.

καὶ γὰρ ἄνθρωποι ἂν μὴ μεμαθηκότες ἀριστᾶν, ἢν ἀριστήσωσιν ὄγκος πολὺς αὐτοῖς τῆς γαστρὸς, καὶ νυσταγμὸς καὶ πληθώρη. idest, Nā q prandere non consueuerunt si pransi fuerint, his tumor ventris ingens accidit, & dormitatio & plenitudo, cū non sunt assueti prandere & prandent, id quod ex cœna sumptum est vesperi, nondum demissum est, quia cum alijs diebus non prandeant, natura quæ à cœna ad cœnam coquendi spatium habet, paulatim coquit, & mane prandij hora aliquid adhuc restat coquendum & distribuendum. propterea si prandeant, & quod ex cœna non descendit, & prandium ipsum exuberet in ventrem & intumescit venter, grauedinemq; persentiunt, & calore in hunc cibum agere incipiente, illum in flatuosos spiritus dissoluit, & caput replent. propterea somnolēti fiunt, videnturq; ac si plethoram patiātur. Multa alia symptomata in secundo libro referuntur.

ἢν δὲ ἐπιδειπνήσωσι κοιλίη ἐκταράσσεται.i. Si vero supercœnauerint, venter turbatur, cum non essent assueti prandere & tamen pransi sunt, hora cœnæ concoxisse non possunt, quia solum à cœna ad cœnam concoquebant, verū cum pransi sint, non potuere cœnæ hora concoxisse, vnde necesse est si supercœnauerit, & probe dicit supercœnauerint, quia cœna ponitur supra prandium nondum coctum, & ideo necesse est uentrem conturbari, & supra modum repleri, & flatus multos gignere, & extensiones quæ plerūq; dolorem inducunt. hæc uero intelligenda sunt, quando is qui pransus sit, prandere non sit assuetus, non exercuerit, neque exerceat corpus, quia si exercuisset, forte prandium cœnæ tempore fuisset coctum.

ξυμφέρει δὲ τουτέοισιν ἐκλουσαμένοις καθεύδειν.i. His utile est à balneo dormire. ac si velit posteaq̄ pransi sunt pro antiquorum more se lauent, & post balneum dormiant vt natura coctioni strenue intendat.

κοιμηθέντας δὲ περιπατῆσαι βραδέως συχνὴν περίοδον. idest, Expergefactiq; plures lenta ambulatione absoluant circuitus. vt coctio quæ iam cœpit, perficiatur, spatiādum esse iubet, sed non breui, imo multum spatientur, vt corpus ex motu incalescat, & coctio perficiatur.

καὶ ἢν μὲν διαχωρήσῃ δειπνῆσαι καὶ πιεῖν οἶνον ἐλάσσονα ἀκρητέστερον. idest, Et si quidem ventrem exonerauerint cœnēt. Parumq; vini, sed meracioris bibant. Si post ambulationem deijciant, indicium est cibum descendisse ventriculum, & per intestina transiuisse ac exiuisse. propterea cœnam esse dare potest, quia prandij cibus iam exiuit, vel saltē prandij cibus à ventriculo descēdit, & qui in intestinis erat ex præcedēte cœna expellitur, non enim credendum est in ventris exoneratione semper præcedentis cibationis edulia descēdere, cum uero descendent uel prandij feces vel alterius cibationis, tamen quod à prandio sumptum est ventriculum exiuerit, cœnam hora consueta præbeto. At quia ventriculus nōnihil imbecillitatus est ex cibo præter cōsuetudinem sumpto, propterea iubet vinum meracius dandum. At quia eiusmodi vinū copiose sumptum coctionem impedit, vel retardat, ideirco iubet parum dādum, vt in secundo etiam libro iubebat Hippocrates.

ἢν δὲ μὴ διαχωρήσῃ, χρίεσθαι τὸ σῶμα θερμῷ.i. Si autē ventrem non exonerauerint, corpus calido perungant. Cum ventrem non exonerant, indicium est (apud hunc authorem) adhuc non esse perfectam prandij coctionem, neque esse cœnandum, hoc enim & si non exprimat, subintelligere oportet, non cœnet igitur, & ut concoquat, cū iam lotus sit calido corpus inungatur, per corpus non tantum uentrem intellige, sed & pro antiquo more vniuersum corpus, per calidum uero oleū intellige & actu & potentia calidum, uel vnguentum, aliquod ex antiquioribus, quæ Galenus in secundo de compositione medicamentorum secundum locos, dicit fuisse Romæ apud nobiles mulieres in pretio, quale id quod spicatum & qd̄ foliatum appellabatur, cum enim antiqui nobiles à balneo vngerentur, credendum non est quod oleis & vnguentis uterentur haud odoratis.

ἢν δὲ διψῇ, ὑδαρέα οἶνον λευκὸν ἢ γλυκὺν ἐπιπίνοντα ἀναπαύεσθαι. idest, Et si sitierint, aquosum vinum album vel dulce bibentes cessare faciant. Cum non est perfecte coctus in uentre cibus, plerunq; sitimus. propterea cum nolit author hoc cœnare, qui nō deiecerint. Sed potius iubet vt hora cœnæ dormiant, tamen contingit quandoque vt sitiant. Sitis vero præter id quod res est valde molesta, somnium etiam prohibet, nō est adeo hic author inclemens vt hos velit siti premi, sed iubet vt bibant, ac genus vini describit, quod huic præbendum est, nempe vinum aquosum, quod à ventriculo facile descendit cum alijs cibis mistus est, & album, quod magis penetrat q̄ rubrum & nigrum, & dulce ad aluum emolliendam. Aliqui codices legunt & dulce copulatiue, alij uel dulce disiunctiue. probamus vt copulatiue legatur.

ἢν δὲ μὴ ἐγκοιμηθῇ πλέω ἀναπαύεσθαι. idest, Si uero nō, amplius dormiant & quiescant, hoc est, si hi non sitierint, potum ne dederis. Iubetq; eos amplius dormire & quiescere, prius à prandio dormiuerant, nunc iterum dormiant ea hora qua à cœna dormire soliti erant.

τὰ δὲ ἄλλα ὁμοίως τοῖσιν ἐν κραιπάλῃ διαιτάσθω.i. Cæterū talis instruatur victus, qualis ex crapula laborantibus institui solet. Hi enim seruantur absq; cibo & potu, vel cum modico per triduum saltem, & calidi seruātur, qui pransi sunt, & si crapulam non patiantur, tamen & ipsi præter consuetudinē sunt pleni, sicuti præter id quod naturæ conuenit pleni sunt crapula laborantes.

τὰ δὲ ἀπὸ πομάτων, ὁκόσα μὲν ὑδαρέα, βραδυπορώτερά ἐστι, καὶ ἐγκυκλεῖται καὶ ἐπιπολάζει περὶ ὑποχόνδρια καὶ ἐς οὔρησιν οὐ κατατρέχει. idest, Inter pocula enim quæcunque aquosiora sunt, tarde meant, & velut in orbem aguntur. Incidenter de aquoso potu agit, de quo in tertio libro dicebat Hippocrates aquam obstruere, tarde meare, quia frigida & incoctibilis sit, dicebatq; fluctuare & innatare, neque aluum deijcere, neque vrinas mouere. vina vero flaua & potentia, vt Galenus notat, vrinam mouent, & ipsemet Hippocrates in tertio libro dicebat vinosum vinum vrinam mouere. propterea quanto magis aliquid accedet ad naturam vinosi vini, tanto magis & cito meabit, & vrinam mouebit,

uebit, quæ vero ad aquæ naturam accedunt, tanto tardius permeant & vrinas mouent. propterea pocula quæ sunt aquosa, aquæ naturam participant, quæ est tarde meare, & velut in orbem agere, & circa hypochondria innatare neque ad vrinas decurrere. Et si dicas Galenum in duodecimo methodi velle aquosum vinum vrinas magis prouocare, diximus in tertio libro id esse quia plus bibimus de aquoso quam de meraciori, & quia meracius pro maiori parte nutrit pro minori tendit ad vrinam, aquosum vero è contrario. propterea vinum meracius magis prouocat vrinam sua caliditate, tamen est minori copia, sed aquosum maiorem vrinæ copiam parit, minus tamen prouocat, quia minus calidum, vt Galenus velit magis prouocare vrinam ob vrinæ multiplicationem aquosum vinum, Hippocrates vero ait vinũ uinosum magis prouocare ob suam caliditatem, ut recte dicatur pocula aquosiora tarde meare, cum vero in flatus reducantur, iccirco in ventriculo veluti in orbem aguntur & circa hypochondria innatat, anteq; descendat, imo si bene ad obstructionē sit aptus illum obstruit, & non decurrit nisi tarde ad vrinas, non enim simpliciter dicendum quòd ad vrinæ vias non decurrat, sed quòd tarde id facit, ex hoc ferè colligi videtur, hunc authorem probare vt non bibatur, quia aquosum vinum prædicta facit vinosum vero illa facit, quæ postea dicentur.

*τοιούτου δὲ σώματος πλησθεὶς μηδὲν ἔργον ὀξέως διαπρήξῃ, ὁκόσα τῷ σώματι ξυνταθέντι βίῃ ἢ τάχει ποιέειν ξυμβαίνει.* i. Qui huiusmodi potione plenus est, nullũ opus velociter pficiet, ex his quæ compositum corpus vi uel celeritate conficere contingit. Si ita interpretemur, sensus est illum qui aquoso potu plenus est nullum opus perficere posse, quia tarde meat is potus, de his vero intelligit operibus quæ in corpore humano composito, vi vel celeritate fieri contingit. Et si petas quænam sint eiusmodi opera quæ vi & celeritate fieri debeãt, scito vnum esse nutritionem, uel obstructionem apertionem, aut similia. Hæc etenim ab aquoso potu impediuntur, qui non penetrat, sed potius simul obstruit. Copus non vertit compositũ corpus, sed vertit nullum opus quod vel eliquato iam corpore aut vi, aut celeritate aggrediẽdum sit, vt non de cõposito corpore, sed de eliquato intelligat, cui opus sit aut vi, aut celeritate succurrere.

*ὡς μάλιστα δὲ ἡσυχαζέτω μέχρι καταπεφθέωσι μετὰ τῶν σιτίων.* i. Maxime autem quiescat, donec cum cibis concocta fuerint. Cum aquosus potus illa agat quæ superius dicta sunt, nunc quid agendum docet, si potum biberit aquosum, tũc inquit maxime quiescendum, quoad simul hic potus cum cibis fuerit coctus, & cum eisdem simul descendent.

*ὁκόσα δὲ τῶν πομάτων ἀκρητέστερά ἐστιν ἢ αὐστηρότερα, παλμὸν ἐν τῷ σώματι καὶ σφυγμὸν ἐν τῇ κεφαλῇ ἐμποιέει.* idest, Meraciora vero & austeriora pocula palpitationem in corpore, atq; in capite pulsum efficiunt, ac si inferre velit, si cũ sitiunt meracius vinum biberint & austerum, alia incõmoda ingredi poterit. nempe totius corporis palpitationem, vel pulsum in capite, quæ à tali potus genere fieri consueuerunt.

Vel de meraciori non intelligamus & aquosiori hunc loqui, quando quis pransus fuerit non consuetus, postea non deiecerit, sed loquatur de potu qui sumptus sit in prandio non cõsueto omniaq; ad prandiũ referantur. vnde finis præcedentis partis habebit hunc sensum, licet sit tempus longum, quod conteretur, antequam sit coctum prandium, quando biberint vinum aquosum, tamen nunquam est sumendus cibus nisi post coctionem.

Palpitatio in corpore fit, vt Galenus notat in libro de rigore palpitatione et tremore, ex flatu, qui per musculos mouetur, uini meracioris calor materias attenuat, quæ in corpore sunt, & illas in flatus eleuat, & ipsum met vinum in vapores difflatur, per quos palpitationes fieri possunt, tamen necessariũ non est vt fiant, etiam si meracissimum biberint vinum fieri aũt posse nihil prohibet, & in eo præsertim qui sit pręter consuetudinem pransus, in quo cibus non potest facile coqui, cum uentriculus illa hora nihil noui coquere assuetus sit, sed id tantum perfecit quod in cœna sumptum erat.

Pulsus capitis fit ob vini meracioris vapores, qui & arterias implent & calefaciunt. an modo necessarium sit vinum meracius esse austerum, profecto necessarium non est quia meracissimum esse potest absque austeritate.

*τούτοισι καλῶς ἔχει ἐπικοιμᾶσθαι καὶ θερμόν τι ῥοφέειν πρὸς ὅπερ μάλιστα ἡδέως ἔχωσι.* i. His bene fuerit superdormire calidumq; quippiam superbibere ex his quæ suauissima sunt. De his intelligit qui meracius biberint, hi post potum dormire debent, tamen & ex his quæ in potu suauissima sunt, aliqd sorbere debet calidum, quo fumi meracioris vini reprimãtur, qui in caput ascenderent, & pulsum facerẽt, ac in toto corpore palpitationem. vel intellige in prandio esse meracius sumptũ. propterea à prandio dormiendum, & primo aliquod genus potus ex suauissimis ad reprimendos fumos qui à uino meraciori eleuarentur, sorbẽdum, sed de his qui pransi sint potius intelligamus in sero quando cœnare non deberent, tamen supbiberint ob situm meracius, tunc aliquid dandũ est vt fumi reprimantur, postea dormiant, potest ad omnem partẽ adaptari, & tanquam verum defendi.

*νῆστιν δὲ πονηρὸν πρὸς τὴν κεφαλαλγίην, καὶ κραιπάλην.* idest, Ieiuniũ enim aduersus capitis dolorem, crapulamq; malum est. Rationem reddit cur dandus si potus vel sorbitio ex suauibus, quia ieiunium prauũ est capitis dolori & crapulæ. Intellige vero pulsum capitis dolorẽ, nam adest & dolor pulsatiuus. Scitoq; & per capitis dolorem illum intelligere, qui fit ex vaporum ascensu à ventriculo. Cum hi qui illis afficiuntur comedunt, fumi supprimuntur, neq; amplius in caput ascendunt. Pari modo in crapula uapores ad caput eleuantur, nisi re aliqua supprimantur, tamen exquisitum crapulæ præsidium est ieiunare, & aquæ potu vti.

Petes vero quid sit illud suauissimũ, quod sorberi debeat. Copus vertit iusculum, vt intelligere possimus vel pulli iusculũ, vel iusculum ex ouo, vel aliquod simile, quod ex oleo, & sale anetho ac porro conficiatur, & similibus, qualia sunt iuscula à Galeno celebrata, & iura alba nuncupata.

*ὁκόσοι δὲ μονοσιτέουσι, κεινοὶ καὶ ἀδύνατοί εἰσιν.* idest, Quicunque vero semel tantum die cibum assumunt, ij imbecilli sunt. Cum de his egerit author, qui non consueti sunt, prandere & prandent, nunc ex opposito de his agit, qui bis in die comedere consueti sunt, & semel tantum comedũt, nullam vero facit hic in initio vel prandij vel cœnæ mentionem, quia supponit intelligendum esse prãdium, quod relictum sit, sicuti prius de prandio etiã sumpto loquebatur, quod accipi nõ erat consuetum, & illa que sequẽtur ostendet, quod de prandio intelligat. Hi vero qui prandere assueti sunt & non prandent, ob vnam cibationem consuetam prætermissam imbecilli fiunt. Scito vero non fieri imbecillos, si tantum semel dimittatur, sed lassos quidem & defatigatos ex vno dimisso prandio.

*καὶ οὐρέουσι θερμὸν παρὰ τὸ ἔθος κεινεαγγέοντες.* idest, Et calidum mingunt vt pote præter consuetum euacuati, vrina in his qui ieiunant (vt Actuarius monet) calida est atque colorata, quia cum naturalis calor modicum habeat in quod agat, illud quodãmodo ignit, vnde cũ hi sint præter consuetudinem euacuati ob intermissum prandium, vrinã habent & calidam & coloratam & in pauca copia.

*γίνεται δὲ καὶ στόμα ἁλμυρὸν καὶ πικρόν.* i. Fit autem os salsum & amarum, in his qui prandiũ dimisere, quoniam pituita quæ ad os consueta est prodire exiccatur, & salsa fit, vel per salsæ aquositatis mistionẽ, & quia bilem supprimere solebant & non supprimitur, iccirco non solum salsum fit os, sed & amarum, hoc symptoma in ieiunantibus prorsus contingit potissimũ biliosis, vt primo salsum habeant os, & postea amarum.

*καὶ τρέμουσιν ἐν παντὶ ἔργῳ.* i. Et tremunt in omni opere, de uero tremore, hoc verum non est, sed de quadam membrorum imbecillitate intelligere oportet, nam omnem actionem quam faciunt, imbecilliter faciunt, ut tremere videantur.

καὶ κροτάφους ἐπιξηραίνονται. idest, Et tempora contenduntur, ex prandij dimissione exiccata. Si vero plura dimittantur prandia, hoc egregius cernitur.

καὶ τὸ δεῖπνον οὐ δύνανται πέσσειν ὁκόσον ἂν ἠριστηκότες ἦσαν. idest, Cœnamque non ita concoquere perinde atque pransi fuissent, queunt. videretur magis debere concoquere, quia naturalis calor ignitus ferè est, sed coctiones à calore ignito non fiunt, & naturæ actiones, sed à calore temperato, & tali qui naturalem calorem non exuperet. Adde cum prandio vacui manent, natura quæ in suis operibus nunquã cessat, ne calor naturalis in ventriculo absque actione permaneat, & pituitam & flatus in ventriculum remittit, quæ futuri cibi coctionem impediunt. At si pransi fuissent, idem calor seruatus esset, qui aliàs coquere solebat, neque vẽtriculus pituita & flatu plenus fuisset.

τούτους δὲ χρὴ πίνειν ἔλασσον, ἢ μεμαθήκασι καὶ ὑγροτέρην μᾶζαν ἀντὶ ἄρτου, καὶ λαχάνων λάπαθα, ἢ μαλάχην, ἢ πτισάνην, καὶ σεῦτλα. i. Hos vero minus bibere oportet, quam consueuerunt, liquidioremque mazam panis loco adsumere, atque ex oleribus rumicem, uel maluam, uel ptisanam, uel betam, in hoc loco particula ptisanam poni debet post particulã betam, licet in Græco contextu, quem adduximus ante sit, alioqui & ptisanam inter olera numerasset, sed cõuenientius est, ut prius olera enumeret, postea ptisanam, nam docet quid agendũ sit, quando prandium consuetum fuerit prætermissum, primo nõ est multum bibendũ, & si hi salsum os habeant & amarum, et ex consequenti sitim, ne potus in ventriculo exundet, & cum alioqui non possint probe cœnã concoquere, peius adhuc concoquant. vnde minus bibere debent, quam sint consueti, & cibos tales sumant, qui facile coquantur. vnde loco panis. s. frumentacei mazam sumendam iubet, de qua maza nos vberius in secundo libro locuti sumus, imo quia maza potest & crassior, & tenuior ac liquidior accipi, & quod liquidius est facilius coquitur, quam quod densum, nam facilius est repleri potu quam cibo, propterea sit etiã maza liquida, naturali caloee liquidiora semper quam duriora facilius concoquente. Verum quia aliquid obsonij loco comedere debet, iccirco nonnihil edant ex his oleribus quæ sequuntur, quæ olera sint cocta ex aqua, oleo, & sale, licet ab authore nõ exprimaẽ, olera uero sint vel rumex, uel malua, vel beta, adde & pro obsonio posse accipi ptisanã. Forte per lapathum, oxylapathũ intelligit, quod in cõmuni etiam vsu apud nos est in febriculosis morbis, tamen & antiqui rumicem comedebant. Et præbet rumicem Galenus in libro de febribus ad Glauconẽ in tertiana febre, & in. 2. de alimentorũ facult. censet vocari posse syluestrem betam, quia non solum gustu, sed & facultate hortensi betæ persimilis sit, & causa cur homines beta uescantur & nõ rumice, est inquit, quia beta aliquanto iocundior est, & sicuti beta est exigui alimẽti, ita & rumex, estque, ex his quæ facile dejciuntur. propterea in hoc casu conuenit, in quo nõ est opus ventriculum grauiori re onerare. Pariter & malua eiusdem ferè est naturæ, & parum calida est, imo refrigerat, sed modice, hæc habet quæ uidentur opposita ob partium diuersitatẽ. At cum malua apud nos in communi vsu non sit, si ea vti uolueris, & folijs vteris, & turionibus, vt Mediolani fit in acetarijs. pari modo & beta vti poteris, quæ & ipsa pauci est nutrimẽti, & facile dejcitur. De ptisana loqui non est opus, cum de ipsa primo libro plus quam satis dictum sit.

πίνειν δὲ κατὰ τὸ σιτίον οἶνον ὀλίγον σύμμετρον καὶ ὑδαρέστερον. i. Dum aũt cibantur, uinũ modice bibant & aquosius. Quia dixerat hos bibere nõ debere vt cõsueuerãt, genus vero potus nõ explicauerat, iccirco hic & potus genus et quãtitatem explicat. Potus sit uinum, quod uel aquosum suapte natura sit, vel diluatur si potentius fuerit, idque sit in modica quantitate, ne vẽtriculus aggrauetur, & coquere nõ possit, unde edulia quæ præbet, ad frigidum tendunt, & etiam potus, vt calor qui ob inediã acutior effectus est, temperetur, & in pristinum, redeat statum, cibus itaque debet esse paucus, & potus paucus, vt possit facile concoqui.

καὶ ἀπὸ δείπνου περιπατῆσαι ὀλίγον. idest, Et à cœna parum ambulent. postquam id cibi genus assumpsere, vt facilius concoquatur, statim post cœnam per duarum horarũ spatium quiescant, deinde surgant, & parumper spatiẽtur, moxque spatium temporis, quo spatiari debeat, refert, inquiens,

ἕως οὖρα καταδράμῃ καὶ οὐρήσῃ. idest, Donec excurrerit vrina, minxeritque. hoc est temporis spatiũ, quo spatiari debeat, donec urinam minxerit, nam tunc indiciũ est descendisse quod liquidius est & tenuius à ventriculo, & factam esse primam in ventriculo coctionem, vel saltem superabundans liquidũ descendisse. De his vero qui & præter solitum prandium dimisere, & præter solitum pransi sunt plura non dicemus, cum in secundo libro de illis scriptum sit.

χρήσθω δὲ καὶ ἰχθύσιν ἑφθοῖσι. idest, Vtẽs autem sunt & pisces elixi. in aliquibus græcis codicibus pars hæc adest, in aliquibus abest, vel adsit, vel absit, ad rem nihil facit, nam & his possunt dari elixi pisces, præsertim saxatiles, de quibus in primo huius voluminis libro sectione. 27. sint vero elixi in iure albo. i. ex aqua oleo, sale, porro, & anetho, vel ex solis oleo, sale & aqua, sunt enim eiusmodi pisces facilis coctionis, neque ventriculum iam imbecillitatum onerant.

**GALENVS.** Totum hunc sermonem in legitima libri huius parte abunde, tum elaboratum, tum explanatum scimus: quo fit, ut ex illis quę modo dicantur simili possis tum discernere, tum iudicare. Neque mihi diutius morari in his est necesse.

**BRASAVOLVS.** Galenus notat totum hunc sermonẽ in legitima huius libri parte explicatum esse, idque omnibus constare, nam ex his quæ eo dicta sunt loco, facile potes & quæ hic dicuntur discernere & iudicare, iccirco non est necesse illum diutius in hac sententia exponenda immorari. Sed si amplerem scire cupis, ad secũdum huius voluminis librum, qui legitimus est Hippocratis liber, recurrito.

## Hippocrates. Sectio LXXXIX.

### Cibi autẽ maxime notas, & indicia faciunt.

**BRASAVOLVS.** Non omne cibi genus his præbendũ est, sed solum aut prædictum, aut alia similia, sumendæque sunt ex cibis ipsis notæ & indicia, an conueniant, an non conueniant. propterea deinceps multa cibaria enumerabit quæ insignia sunt, hæc potest esse vna præcedentis sententiæ continuatio cum præsenti, vel dicimus simpliciter de cibis locuturum esse, ad ea respectum non habens quæ dicta sunt, vnde inquit cibos talis scilicet generis maxime facere indicia & notas, nam cibi vt valentes sunt, ita notas faciunt & indicia in corporibus secundum mutationem qua corpus hi cibi mutant.

βρώματα δὲ μάλιστα ἐπισημαίνει. idest, Cibi autem maxime notas & indicia ostendunt. vt velit sequentes cibos in corporibus insignem facere mutationem, quia corpora ipsis afficiuntur secundum eorũdem qualitates, ut statim ipsemet edocebit.

**GALENVS.** Eduliorum vim non ex ratione aliqua, sed experientia indicare conuenit. Neque hic refert βρώματα vel ἐδέσματα, idest cibos vel edulia dicere. Cæterũ qui hęc scripsit, tale quippiam ostendit per hoc verbũ ἐπισημαίνειν, idest notas & indicia facere. Nempe nota corporibus signũque fit (ut inquit) secundum unamquanque quæ ex cibis ualentibus fit mutationem. Consequenter autem ea enumerat.

**BRASAVOLVS.** Primo Galenus notat eduliorum vim non ratione aliqua, sed experientia iudicanda esse, tamen & ratio aliqua adhiberi potest experientiæ iam acceptę, & ubique conatur Galenus earum rerum rationem reddere, quæ experientia iouentæ, sunt. Additque Galenus hic non referre vel dicatur βρώματα, vel ἐδέσματα. idest vel dicas cibos, uel edulia. Galenus in initio primi libri de alimentorum facultatibus ait neque vero apud Græcos siue ἐδέσματα, siue ἐδεστὰ, siue τροφὰς dicas quicquam intererit, si quidem & ijs nominibus, nec minus etiam σιτία & βρώματα illi ea quibus vescimur appellant. vt multa nomina idem significare ostendat, quod ex Hippocrate in epidemijs de duobus vltimis probat Galenus.

Secundo

Secundo Galenus notat authorem qui hęc scripsit tale quidem per hoc uerbum ostendere ἐπισημαίνειν.i.notas facere,nam(ut inquit) fit corporis nota atq; signum secundum unam quanq; ἀλλοίωσιν.i.alterationem uel mutationem, quæ ex ualentibus fit cibis, cibos uero statim enumerat, qui ualentem habent facultatem,& talem ut corpora imutare possint.

## Hippocrates. Sectio XC.

Allium flatum parit, caliditatemque in thorace, capitis item grauitatem facit,& cibi fastidium, si & alius quispiam dolor ex consuetudine ante infestauerit, irritat, cæterum urinas ciet, estque hoc præditum bono. cumque qui potaturus sit, & sese crapulę daturus,uorare allium optimũ est.

BRASAVOLVS. Huius libri author ante oïa alia obsonia de allio agit, tanq̃ de eo quo est in cõmuni & maximo usu tam apud nobiles aliquos,q̃ apud uulgus,unde inquit.Allium flatum parere,& caliditatem in thorace mansum,facereq; capitis grauitatem,& cibi fastidium in uentriculo,imo siquis sit assuetus prius laborẽ perpeti,ab allei esu irritatur. Adde urinas ciere.habet etenim hoc in se boni ut urinas prouocet, in reliquis solum prędictis malum facit.imo & aliud bonum ad illa referri potest,si qs sit in potatorũ palęstra certaturus,aut daturus sese crapulæ, huic optimum est allium uorare.

σκόροδον φῦσαν. idest allium flatũ parit, si Galenum & hic, & in.8.de simplicũ medicamentorũ facultatibus contemplemur,uidebitur allium non quidem parere flatus, sed discutere potius,nẽpe illa flatuosa esse constat,q̃ calida & humida sunt, humiditate caliditatẽ superante. At Galenus dicit allium desiccare & excalfacere quarto excessu.quæ huius generis sunt,flatus potius dissoluunt,q̃ excitent,& in calce secũdi libri de alimentorũ facultatibus de cepa allio,& porro loquens,inq̃t corpus calefacere,& crassos in eo humores attenuare,& glutinosos incidere particulariterq; de allio ait, non solum ut obsoniũ, sed ut medicamentum sanitati cõmodum esse,quod obstructa soluere & discutere possit,tamen si bis coquatur ut acrimoniã demittat,praui certe succi notam etiã deserit.Cũ igitur obstructa soluat ac discutiat, flatus potius dissoluit q̃ faciat,Dioscorides & ipse dicit habere uim acutã feruentẽ exulcerantẽ.De hoc uero ambigere poteris quomodo uim habeat exulcerãtem cũ edatur?Respondemus exulcerare extrinsecas partes,nõ intrinsecas,sed dices interiores partes potius exulcerari debere,q̃ exteriores,q̃a interiores sunt tenuiores,& exteriores sunt ineptiores ad exulcerationem,cum sint exterioribus impressionibus etiam continuo subiectæ & assuetæ.Galenus huic ambiguitati satisfacit post principium tertij libri de temperamentis,ubi inquit, illud fortasse dissonare uidebitur,quod ex ijs quæ ut nutrimentum comeduntur aliqua cuti imposita , hanc erodant atq; exulcerant,ut sinapi,muria , allia , cepe , uerũ hoc quoq; cum positis à principio hypothesibus concordat.etenim propterea quód cum in uentre concocta,tũ in uenis in sanguinẽ uersa mutantur,alteranturq;.præterea quòd uno loco non permanent, sed in multas partes diuisa quoquo uersus ferũtur. Adde quòd non solũ multis succis miscentur,sed etiam cibis cũ quibus sumuntur. Ad hæc quòd celeriter eorũ & concoctio & parui separatio perficitur,ita ut quod cõueniens in eis est adsimiletur, quod superuacaneum & acre per aluũ,urinam & sudores excernatur,propter hęc inquam omnia quod foris impositũ exulcerat,id comestum nõ exulcerat,et si uel unum quodlibet prędictorum his accederet,satis esset ad ea quæ foris sunt integra seruãda.Causam ergo habes cur allĩũ foris impositũ exulcerat intus uero nõ exulcerat tñ q̃ñ extra ponitũ non exulcerat breui, sed cũ comeditũ breui coquitũ,& ideo prius coquitũ,q̃ exulcerare possit,& semper in uentriculo aliqui adsunt succi,cum quibus mixtum uim illam exulcerandi amittit , & adde cum alijs rebus comedi, ut cum pane, & interim hominẽ bibere,quæ illi auferunt uim exulceratiuam . Cum uero talis sit naturæ, qui fieri potest ut flatus pariat?Galenus in.12.Methodi de coli dolore agens prope libri calcem,ubi ponit in illo coli dolore regulam illam non esse utendum uehementer calefacientibus,& illa pulchra addit uerba,à nullo enim in huiusmodi succis tam est metuendum quàm à calore qui eos liquet(scilicet humores crassos)atq; in flatũ uertat,& digerere non ualeat.Postea Galenus ea sequitur,quæ de allio à nobis sumenda sunt,scilicet uidimus nanq; ex agrestibus operis quẽpiam,qui ubi coli dolorẽ sensit,protinus se cinxit, cũ cingi ante non soleret.comedit autem cũ pane allium,nullum dimittens consuetum opus,nec toto die quicquã bibit,sed uesperi meracius,ab his & tota nocte dormiuit. & mane ab oĩ dolore planè liber surrexit. est enim profecto alliũ ex eorũ ciborũ genere,qui & flatum discutiunt, & minime sitim inferant.Sunt qui parum id experti existimẽt maiorem q̃ cepas sitim excitare, sed planè errore,cum nõ modo nõ maiorem q̃ cepe,sed nec oĩno sitim faciat.Idem omniũ planè eduliorum maxime flatum discutit,itaq; ipse certe agrestium theriacen id appello,ac si quis uel Thracas,vel Gallos, vel denique qui frigidam regionem incolunt,uesci alijs uetuerit, non leuiter ijs hominibus nocuerit,ac quos ex supradicta causa uehemens intestinorum dolor , citra febrem exercet, ijs & allium esse licet, & theriacen bibere . Ex quibus palàm deprendi potest Galenum asserere allium flatus discutere & resoluere,non excitare.

At aliquis in Galenum inuehetur,quoniam experientia ostendit allium flatus gignere,nam qui allium comedunt flatu abũdant.& Dioscorides dicit esse spirituosum,si quis in cibis utat, conturbare aluum,quod ex alia causa fieri non potest,q̃ quia flatuosum,& inflationes facit.hæ uero inflationes ab alio fieri non possunt,q̃ à flatu,imo & contra Galenum facit Dioscorides in eo quod in.12.Methodi dicebat Galenus alliũ sitim nõ parere,Dioscorides etenim dicit stomacho siccitatem afferre & sitim gignere , & adde experientiam ostendere quod sitim gignat si quis ederit.Ratio præterea id ostendere potest,q̃a calidum & siccum est ordine quarto Galeno teste.idem censent Paulus & Aetius,tamen oribasius libro secũdo de uirtute simpliciũ illa enumerans quæ tertio ordine calefaciũt alliũ refert, Cælius Aurelianus Siccẽsis in calce secũdi libri chronion.i.tardarũ passionum, Themisonem reprehendit,qui aliqua recte, aliqua nõ recte dixit,reprehendit,quia in phthisica passione allium præbet . At Cælius dixit esse noxium siquidem inflationem maximam faciat.Si uero inflationem maximam facit flatus gignere quis ambiget?

De allio ad unguem loqui difficile prorsus est,quoniam experientia ostẽdit flatus gignere si edatur,& rustici qui allia comedere , pedita emittũt fœtentissima. ueruntamen ut id dicamus quod menti nostrę nunc occurrit , primo de eius qualitate loquamur . Galenus facit allium calidum & siccũ ordine quarto , Oribasius in tertio. Arbitramur Galenũ intelligere uel esse in fine tertij calidum,uel in initio quarti,propterea & si exulceret,id longiori tempore facit. At cum modica sit differentia, inter finem tertij ordinis, & initium quarti, iccirco nonnulli in tertio ordine,alij in.4.alliũ calidũ esse dixerũt. Auicẽna in.2.canone inquit esse calidũ & siccũ à tertio usq; ad quartũ quibus uerbis innuit,quartũ etiã attingere ordinẽ & necessario,alioqui non exulceraret etiam si diutius mẽbro inhæreret. Auerrois in 5.collectionũ suarũ expressit calidũ & siccũ esse ordine. 3. sed prorsus decipitũ.nisi intellexerit ad q̃rtũ accedere,q̃a q̃ in. 3.sunt ordine nõ exulcerat nisi q̃ certãt de fine tertij ordinis et prĩcipio quarti. Serapio uehemẽtius peccat,qui capite.331.Galenũ referat ueluti dicẽtẽ esse calidũ et siccũ ordine. 3 .cũ Galenus calidũ & siccũ esse ordine.4.expresse edocuerit. multi prętera ex recẽtib⁹ alliũ in. 3.ordine calidũ faciũt. Tñ ratio dictat(ut de hac re tandem receptui canamus ) in quarto ordine calidum esse, uel in principio quarti, ut possit etiam dici in fine tertij . Ad id uero quod Galenus experimento repugnare uideatur,quia allium comedentes multos faciunt flatus.Scito allium, cum

calidum sit in principio quarti, atque siccum suapte natura nõ gignere flatus, et hoc est quod tam constanter dixit Galenus flatus nõ facere, imo coli dolorem effugare. At qui allium comedunt, multa in uentriculo, & intestinis abundant pituita, & id sincerum non comedunt, sed cum brassicis, uel cum testuacijs aut alijs similibus, propterea in hæc agens allium, sua caliditate cum resoluere non possit, attenuat & in flatus redigit, unde fiunt in humano corpore multi flatus, non quidem ex allij substãtia, sed ex allij caliditate materias pituitosas & ingestos cibos attenuante ac in spiritus reducente, suaq; caliditate uias aperit. Et hæc est causa cur ab alijs dicatur flatuosum allium, non quidem per se & ex sui substantia, sed quia multa attenuat quę in corpore sunt. Si uero quis sit, qui pituita nõ abundet, allium non facit flatus. Sed si qui sint in corpore, illos dissoluit ac dissipat, itaq; in his hominibus nulli ad sunt flatus. in abũdantibus uero pituita multos facit flatus ex pituita ipsa, quam attenuat, nec resoluere potest, & hoc est quod Dioscorides dicit inflationes facere, non quidẽ ex sui substantia, sed materias pituitosas attenuando. & hæc est causa cur experientia uideat, allium esse flatuosum. Adde flatus emitti ex allio, quoniam, à Dioscoride dicitur urinam ciere & aluum, & Hippocrates in libro de morbis qui extra, dicit alliũ uentremq; cit, & lotium, & in secundo de uictus ratione ait. allium calidum est, uẽtrem lotiumq; cit, imo hic addit id facere, quoniam res est quæ purgat. Additq; cum corpus plurimum purget, uisum hebetat. de hac uero purgatione non multum constat, quia rustici ad plenitudinem allium edentes non soluũtur, tamen bonam facit aluum, ut breuibus dicamus non esse flatuosum ex se allium, sed ob pituitam quam inuenit uideri flatuosum, & hoc modo intelligendus est Hippocrates in calce sexti epidemiorum ubi de doloribus qui fiunt circa umbilicum ait, fieri quãdoq; allij nimio usu. Tamen & unum addere oportet allium recens nonnihil habere humidi glutinosi. Forte huius ratione aliquid habet flatuosi, semper uero est calidũ, ut Celsus ob calorẽ suum libro tertio capite. 12. de curatione horroris in febribus agens iubeat ante accessionem hunc alliũ edere, & Trallianus lib. 3. capite. 43. in coli dolore allium prębet, quod caliditatis ratione prodest, ut Galenus etiam in. 12. Methodi prębuit. At de allio contradictionem quæ inter Galenũ uidetur & Dioscoridem, quia Dioscorides dicit sitim inferre. Galenus uero minime, & ratio ipsa contra Galenum pugnat, quia cũ calidum sit atque siccum, sitim inferre debet. Et profecto cum sit calidum & siccum ordine quarto, sitim inferre necessarium est, nisi pituitam à capite ad os trahere intellexerimus, sicuti & pyrethrum masticatum sitim sedat, cum & ipsum sit calidissimum & siccum. id uero facit pituitam à capite ad os trahens, & ex allij etiam actione, à pituitosa materia eleuantur, qui in capite aceruati & in aquosum humorem redacti in os descendunt, & os humidum seruant & sine siti, uel dicere possemus habere quandam humiditatem crassam glutinosam, quæ hominem à siti præseruat. Ad rem igitur, allium non erit per se flatuosum, sed per accidens & erit per se siticulosum, sed per accidens à siti liberabit. hocque modo Galenus & Dioscorides concordes reddi possunt, & alij omnes authores qui hac de re ita locuti sunt, ut prædicti dixere. Solent rustici & uulgus allium sub cineribus coctum reddere, tuncq; pedita emittunt infinita.

καὶ θέρμην περὶ τὸν θώρηκα. idest & caliditatem circa thoracem & in thorace facit. cum enim calidum sit ordine quarto, non potest nisi calefacere, & uentriculum, in quem primo recipitur, & septum trãsuersum, & thoracis partes quę sunt propinquiores. tamen Galeno non placet quòd thoracis partes calefaciat, imo addam & totum corpus calefacere, si frequens sit eius usus, & si corpus sit plenum, qualia sunt comedentium allium corpora, & rusticorũ & quorundam etiam nobilium, qui præ delitijs allium comedere solent. Galenus ergo fatetur allium quidem calefacere, sed non omne corpus. at corpus solum plethoram patiens, nam cum fuerit homo euacuatus, non incalescit allio, & hoc præterea fit à multis alijs edulijs.

καὶ κεφαλῆς βάρος. idest & capitis grauitatem facit. Cum allium de se flatuosum non sit, de se etiam capitis grauitatem facere non potest, sed sua caliditate in pituitam agens, cuius magna portio semper in uentriculo est, multos eleuat uapores, qui caput implent, & grauitatem faciunt, sed si alicuius uentriculus sit à pituita immunis, & caput ipsum non sit multum plenum. corpusque fuerit expurgatũ, capitis grauitatem potius remouet. Et forte in præcedente sensu Auicenna dicebat allium sodam facere, & profecto multos audiuimus dicentes se capitis dolorem incurrisse, quia allium ederant. Arbitrandum est hos fuisse plenos, & allium uapores in caput excitasse. Hippocrates in secundo de alimentis ob nullam aliam causam oculis obesse dixit, & uisum obtusiorem reddere.

καὶ ἄσην. idest & fastidium. hoc à Dioscoride exprimitur stomachi fastidium facere, Galenus aduersatur, neque uult in stomacho fastidium inducere posse, & potissimum quando sumptum fuerit parum ante feruefactum. putamus Galenum allium prius feruefacere, ut ab illo auferat siquid habeat crassi, glutinosi, & humidi. Nos experientia in multis hoc efficere uidemus, scilicet turbationem in uentriculo, & causa est, quia in humores agit, quos inuenit, illos attenuando & in flatus redigendo, qui cum flatus fiunt, in uentriculo commouentur, & agitationem faciunt ac fastidium, quod ἄση à Græcis dicitur, quale est quod in pręgnantibus malacia uocatur.

καὶ εἴ τι ἄλλο ἄλγημα ἦν μεμαθηκὸς πρόσθεν, παροξύνει ἄν. idest & siquis alius dolor ex consuetudine ante infestauerit, irritat. hic author censuisse uidetur, si quis assuetus sit dolore aliquo in qualibet corporis parte affici, ab esu allij irritari, Galenus oppositum dicit in duodecimo Methodi in coli dolore ex humoribus frigidis crassis glutinosis, intellige de doloribus à flatu factis, uel saltem qui flatu augentur & irritantur, & hic qui allium comedit multis humoribus plenus sit in flatus conuerti aptis, tunc ex allij esu dolor irritabitur.

οὐρητικὸν δὲ καὶ τοῦτο ἔχει ἀγαθόν. idest urinam ciet, & in se hoc boni habet. Cum omnia quæ de allio hactenus dicta sunt praua sint, ne quispiam allium penitus abijceret, nunc & bona illa recensere studet quæ allio insunt, hoc boni in se habet, quòd urinas cit. Galenus hoc probat, & Hippocrates in secundo de alimentis hæc duo allio attribuit urinam ciere & aluum prouocare. idem censuit in libro de morbis qui extra. omnesque uno ore authores hoc fatentur. iubetque Dioscorides pro urinę prouocatione pulmentum fieri ex allio & oliuis nigris, quod pulmenti genus mytoton appellatur, & pro urina prouocanda esui datur, id autem sua caliditate facit uias aperiens, et crassiores materias attenuans et ad urinæ uias dirigens, sicuti & piper facit, uerum ut piper in parua copia urinas prouocat, & in magna copia aluum, ita allium in parua copia urinas mouet, in magna & aluum.

ἄριστον δὲ αὐτὸ φαγεῖν ἢ μέλλοντι ἐς πότον ἰέναι, ἢ μεθύοντι. idest cumque qui uel poturus sit, uel crapulæ se daturus, uorare allium optimum est. Miratur Galenus cur cum primo dixerit esse flatuosum, et capitis grauitatem facere, nunc dicat ualere ad crapulam immo potius uidebitur crapulam excitare, Galenus ostendit, quomodo ad crapulam ualere dici possit, id inquam dici potest, quia capitis grauitatem expellere potest non efficere, ut hic author dicebat, flatusque resoluere potest. Tamen dici posset omnia quæ urinam prouocant, ob hanc dotem crapulæ ualere. nam si accipiantur, antequam quis crapulam exerceat, urinæ uias præparat. at cum uinum descendit, ascendere non potest. idcirco hoc modo dici potest allium ad crapulam ualere, neq; Galenus negat urinam prouocare, imo illud tanquam uerum affirmat, eademque ratio in apio redditur cur ad ebrietatem ualeat, quia urinæ uias aperit. unde quod post apij esum ebibitur, ad urinæ uias irritatur, quanquam de allio scriptum sit coronari oportere potaturos, & non esse edendum. tamen si uim illam haberet in coronis positum, tanto maiorem haberet esui sumptum.

Si unum

GALENVS. Si unumquodq; eduliorum experientia iudicandum sit, nõ recte dictũ esse uidetur, flatuosum esse allium, neq; caliditatis maioris sensum q̃ cepam comedẽtibus inferre: & si in nulla alia corporis parte, neq; etiam in thorace, neq; similiter ἀσιτίαν. i. cibi fastidiũ, & potissimum ubi quis ipsum parũ ante feruefactum assumpserit. Eduliorum autem multa corpus, si plethoricũ fuerit, calfaciũt, cũ uero ante uacuatum fuerit, siccant abũde. Peccauit igitur libri huius author, qui indiscrete rem enũciauit. Nã melius erat uti dictũ est definire. In præsentiarum autem simpliciter de allio censuit: sed melius fecisset, si & exiccare & calfacere ipsum dixisset, & nõ flatuosum esse. Nempe aduersus indiscretã indistinctamq; ferre sententiam, cõsuetudo non est. Subaudire autem oportet, ubi tẽpestiue datũ fuerit: quod parato ante corpore manifestat. Ante autem paratur, si neq; plethoricũ, neq; cacochymũ fuerit. Nõ recte igitur capitis grauitatem ab eo fieri ait. Nẽpe si præuacuato corpore, alliũ obtuleris, capitis grauitatem sanabis, partisq; alterius omnis. Demiror autem quonam pacto quæ hucusq; percurrit præfatus, deinceps dixerit: Eũq; qui potaturus sit, & sese crapulę daturus, uorare ipsum optimũ est. Videtur autem ex his neq; crapulam, neq; ebrietatẽ efficere, sed ab his ita præseruare, ut et grauitatẽ expellere possit, & flatus sanare. Vera quidem hæc dixit, atq; adhuc ex cientibus urinas unũ esse allium. Sed alia falso adiecit, simulq; & pugnantia, si dicantur.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat si edulium unũquodq; sit ex experientia cõprobandũ & iudicãdum, id ab authore non recte dicitur allium esse flatuosum, neq; comedẽtibus maiorẽ caliditatis sensum afferre q̃ cepa, & hoc neq; in alia corporis parte, neq; etiam in thorace, imo neq; ἀσιτίαν, i. cibi fastidiũ facit, & potissimũ si quis alliũ sumpserit parũ antea calefactum, eadem multa sunt edulia quæ corpus calefaciũt, quãdo illud plethoricum inuenerint. At si corpus inuenerint anteaq̃ sumantur calefactũ uberrime illud siccant, propterea huius libri author errauit, q rem indiscrete & absq; distinctione enũciauit, quoniã melius fuisset authorẽ ipsum distinguere ut dictũ est de corpore plethorico, & euacuato, & dicere quod in plethorico calefacit alliũ corpus in euacuato desiccat, unde de allio simpliciter pronunciandum nõ erat, qđ calefaciat, nõ. n. debebat indistincte loqui, quia apud authores ita loq consuetũ non est, sed in sententia subaudiẽdum est alliũ calefacere quãdo tẽpestiue datũ fuerit, hoc est si detur prius corpore præparato, præparatum uero erit si neq; plethoricum fuerit, neq; cacochymum, hoc est neque æqualem habuerit omnium humorum abundantiam, neq; unius solius.

Secundo Galenus infert nõ recte ab authore dictũ esse, capitis grauitatem ab allio fieri, quoniam si corpus primo euacuabis, deinceps allium obtuleris, & capitis grauitati occurres, & cuiuscunque etiam aliæ partis grauitati.

Tertio Galenus miratur quomodo author hic si cordatus erat, illa præfatus sit quæ in sententia scripsit, deinceps dixerit eum qui potaturus sit, & qui sit crapulã exercitaturus optimũ esse alliũ uorare. At si capitis grauitatem facit, quomodo crapulam sanare potest? Tamen res ita constat, quod neq; crapulam neq; ebrietatem efficit, sed hominem potius ab his præseruat, & ita præseruat, ut et grauitatem expellere possit corpore euacuato, & flatus etiam sanare, ut in. 12. Methodi constat de coli dolore ex allio ingesto sanitati restituto.

Quarto Galenus notat id esse tantum uerum, allium ex his unum esse quæ urinam prouocant, alia uero falso adiecit, imo si conferantur simul, non solum falsa sunt, sed & simul pugnantia, & maxima pugna est, quia ueritati ipsi repugnant, quæ incorrupta seruari debet.

## Hippocrates. Sectio CI.

Caseus flatum parit, atque adstrictionem, cibosq; accendit, & crudum quoque incoctumq; existit, atq; his q se potu repleuerũt deterius est.

BRASAVOLVS. His expeditis quæ de allio hic author dicere instituerat, nũc ad aliud eduliĩ genus transit, ex his quę nostrum corpus immutant. hoc uero edulij genus est caseus, quem dicit flatum parere, & adstrictionem inducere, & cibos accendere, & crudũ esse atq; incoctum, & his deteriorem esse qui se potu repleuerunt, hæc de caseo author hic refert.

τυρὸς δὲ φῦσαν. i. caseus autem flatum parit, Galenus in. 3. de alimentorum facultatibus censet caseo ex coagulo totã humiditatem esse ablatam, & acrimoniã accipere, unde cum ueterascit, acrimonia crescit, & calidior urentiorq; fit. At dices si totum ex coagulo humiditatẽ deponit, ergo nihil habebit quod in flatus conuerti possit, igitur non erit flatuosus, tamen Galenus in huius partis cõmentatione inquit recentem caseum esse mollem & tenellum, propterea esse flatuosum, durũ uero caseum & antiquum esse minime flatuosum, ut in caseo recenti non omnes humidæ partes resolutæ sint, quamuis coagulum acceperint, sed paulatim tempore resoluuntur, & hunc caseum Galenus mire laudat qui recens sit, nam & ori gratissimus, & stomacho minime noxius, idem in. x. de simpliciũ medicamentorum facultatibus censuit, id ergo intellige in recenti caseo quod flatuosus sit, qui tamen in reliquis, & ab Aetio & à Paulo magis probatur q̃ uetus, licet gulę proceres ad esum magis probẽt inueteratum quàm recentem.

καὶ στρυφότητα. i. & adstrictionem. hoc de recenti caseo dici non potest, sed de ueteri & antiquo uerum est, imo & in cõmuni usu est in alui profluuio absq; febre, uesci antiquo caseo, et potissimum ouillo, quem tamẽ non probamus, cũ cæteris oĩbus uel saltem multis alijs sit acrior, et aluũ potius prorritare possit, & Galenus etiam fatetur in alui profluuio antiquũ caseum ualere, nam recens cum humiditatẽ quãdam habeat & mollitiem, potius laxat, Hippocrates in. 2. de uictus ratione, ubi casei uires refert, de recẽti uel antiquo non distinguit, sed tres casei dotes refert, esse ualidũ, æstuosum, & nutriẽs, postea horum causam reddit, ualidus inquit est, quia generationi proximus, nutriẽs, quod lactis pars carnosa remãsit, æstuosus quia pinguis est. postea rationẽ reddit cur adstringat inquiẽs, sistit quod succo & coagulo cõstrictum est. ut tota Hippocratis ratio sit caseũ adstringere ob coagulũ quod mistũ habet. At si hæc esset ratio, quanto magis esset recẽs, tãto magis adstringeret, quia coagulũ habet magis propinquũ. At nos dicimus cũ adhuc aliquæ partes molles & humẽtes in recẽti sint q̃ coaguli uim opprimũt et obtũdunt, iccirco minus adstringit cũ recẽs est, cũ autem ueterascit. partes illæ humidiores exiccantur, & uis coaguli præualet, maiorq; caseo acrimonia acquiritur, et euidẽs etiã adstrictio. Hippocrates prope calcẽ libelli de prisca medicina, hãc propositionẽ ueluti proloquiũ refert, quã iubet medicũ scire debere. s. caseũ edisse pessimũ esse, nã laborẽ his ingenerat qui se illo compleunt. tamen deinceps addit. Caseus nõ omnes homines lædit, sed sunt qui eo repleti nihil læduntur. Quinimo mirũ in modũ macilentis cõferre traditur. Sunt & q difficilius eũ cõcoquũt, ut simpliciter caseus oĩbus prauus sit si impleãtur. tamẽ si moderate comedatur nõ est oĩbus infensus, & Dioscorides quoq; caseũ recẽtem alibilem facit & utilẽ stomacho, & uẽtrem modice laxare. At si decoquatur, aluũ sistere, quod & antiqtate facit, nisi adeo antiquus fiat ut adeo acris euadat ut edi non possit, quod in. x. de simpliciũ medicamẽtorum facultatibus à Galeno notatur, ubi cum illi occurrisset arthritici affectus quispiam in curru cõuectus, tophos, quos Greci πώρους uocãt in articulis habẽs, hunc curauit Galenus, suillũ crus salsum ebullire faciẽs, & in eo decocto caseum antiquum accerrimũ macerans, postea probe in mortario subigens ut uniretur, & deniq; supra tophos imponẽs arthriticus ab hoc medicamẽto magnifice adiutus est. Dici ergo potest recentem caseũ flatum parere, & antiquum adstringere.

καὶ σιτίων ἐκκαυστικὸν ποιέει. i. & cibos accẽdit, & hoc de ueteri caseo intelligẽdũ est, q & sitim inducit, & cibos accẽdit, quoniam & si alterius generis cibis misceatur, sua acrimonia sitim inducit. intellige cibos accẽdere, quia acres & ipsi reddũtur, cũ ueteri caseo cõmiscentur, & si salsus esset hic caseus tanto efficacius id efficeret. Galenus illi ubiq; attribuit sitim inducere cũ ueterascit.

ὠμὸν καὶ ἄπεπτον. idest crudum quoq; incoctumq; existit: ac si author dicere uoluerit esse edulium crudum & incoctile, hoc est quod difficulter coquatur, & humores crudos generet; & in hoc sensu caseus erit crudus, non est autem intelligẽdum crudum esse quin coquatur, nã coquitur, sed crudus est respectu humorũ nostri corporis, & respectu sanguinis, nam Dioscorides de cocto dicit aluũ sistere, at de cocto intelligit apud ignem, quę coctura fiat postquam fuerit caseus, unde quia humores generat crassos & coctu difficiles, propterea dicitur crudus & incoctus.

χείριστον δὲ ἐν τῷ ποτῷ φαγεῖν πεπληρωμένοισιν. i. at que his qui se potu repleuerunt deterior est, per se sumptus caseus prauus est cibus, qui tanto deterior est, quanto inuenerit homines re alia repletos, unde qui potu & caseo repleti sunt, nullo alio deteriori cibo potuissent esse repleti.

GALENUS. Caseus recens & mollis, duro & sicco flatuosior existit, minusq; q̃ durum siccumq; astringit, id est, uentrem sistit. Siccus etenim flatuosus minus est, sed uentrem magis sistit: praeterea & siticulosus magis existit, quod ostendit cum inquit: Ciboșq; accendit. Crudum autem & incoctum, in dictionis iacet medio, quod exacta enũciatione caret. Ostendit autẽ quod crudũ omne incoctumq; in corporis humoribus contractum, ex huiusmodi edulijs fieri natum est: cuiusmodi est caseus, crudum & incoctum existens edulium, quasi ita diceret: Caseus flatum parit, atq; adstrictionem uentris, ęstuosusq; est: praeterea & crudum, et incoctile est edulium, talesq; succus generat. Ait praeterea & deterrimum esse his qui se potu repleuerunt: quod & idiotis ipsis patet. Neq; siquidem aliàs bonum est edulium caseus, utpote qui crassum succũ, & coctu difficilem pariat. Si uero inter bibendũ eo quis utatur repletus, deterrimum omnium edulorum redditur: grauat siquidem & uentrem, primumq; corrumpitur, & alia deinceps se cum corrumpit.

BRASAVOLUS. Primo Gale. notat caseum recẽtẽ, et mollẽ duro & sicco flatuosiorem esse, & minus adstringere quàm purus faciat & siccus, intellige uero minus adstringere, idest uentrem sistere, tamen & recens & durus ob coagulum secũdum Hippocratem adstringit, econtrario durus minus est flatuosus recente, uentremq; magis sistit, & adde esse magis siticulosum durum caseum recente, quia quanto magis ueterascit, tãto fit acrior. hoc à Galeno & in tertio de alimentorũ facultatibus & in. 10. de simplicium medicamentorum facultatibus ostenditur, cum dicit ciboșq; accendit, ac si dicat suum calorem alijs cibis impartiri, qui caseo miscentur, ut ipsi simul accensi inducant, in eiusmodi caseum comedentes sitim.

Secũdo Galenus exponit particulam illam crudum & incoctum. quam dicit in huius sententię medio positam esse, & exacta caret enũtiatione, neq; enim ostendit quomodo crudum et incoctum sit, tamen ex his duobus nominibus ostendit, omne crudum & omne incoctum quod in humoribus nostri corporis contractum est, ex talibus cibarijs fieri natum eẽ, quale est caseus, qui edulium est & crudum & incoctũ, ac si author ita diceret, caseus flatũ parit, atq; uentris adstrictionẽ. & ęstuosus ẽ, & ꝑterea crudũ & incoctile eduliũ, talesq; generat humores. Tertio Galenus notat authorem dicere caseum his deterrimũ esse qui potu se impleuerunt, quod & uulgaribus & ignaris manifestum est, nam caseus aliàs bonum edulium non est, quoniam crassum succum, & coctu difficilem parit. At si quis eo utatur potu repletus, deterrimus redditur omnium edulorum, nam os uentris grauat & corrumpitur, simulq; omnia alia quae in uentriculo sunt corrumpit.

## Hippocrates. Sectio XCII.

**Legumina omnia flatuosa sunt, & cruda, & cocta, & fricta, minime autem uel macerata, uel uiridia, his autẽ utendum non est, nisi cum cibarijs, sed horum singula suum uitium habẽt.**

BRASAVOLUS. De leguminibus author hic acturus, primo de ipsis in genere agit, inquiẽs, legumina omnia & cruda & cocta & fricta flatuosa esse. At minime flatuosa sunt uel macerata uel uiridia, tamen leguminibus uti non debes nisi cum cibarijs, notaq; horum singula suum uitium habere secundum suas species.

ὄσπρια δὲ πάντα φυσώδεα, καὶ ὠμὰ, καὶ ἑφθὰ, καὶ πεφρυγμένα. i. legumina omnia flatuosa sunt, & cruda, & cocta, & tricta. haec est omnium leguminũ natura esse flatuosum, quoniã qualitates habent pituitosiores, & humiditatem quandam crassam, & ideo Galenus in primo commentario libelli de natura humana, ubi de humore loquitur, qui hyeme abundat, & dicit esse pituitam. at quia aliquis dicere posset, hyeme uentres esse calidiores, propterea non debere gigni pituitam, sed potius humorem aliquem calidum, Galenus docet cur pituita generetur & inter alia dicit generari, quia in hyeme sumũtur cibi, quibus qualitates insunt pituitosiores, & quinam sint hi cibi edocens, inquit, multa enim legumina in cibo hyeme sumunt, quae sunt pituitosa, & ex consequenti flatuosa, tamen inter legumina aliqua sunt magis flatuosa alijs, nempe faba est flatuosissima, quam si etiam per triduum coxeris (ut Galenus ait in primo huius sectione. 19.) adhuc est flatuosa. Verum quia leguminum usus est ut cruda edantur, & cocta, & inter cocta aliqua elixantur, aliqua friguntur, propterea inquit quoquo modo accipiantur, semper esse flatuosa, tamen cruda magis flatuosa, esse quàm cocta, & inter cocta magis flatuosa esse elixa q̃ fricta, & adhuc minus flatuosa esse, quae sub fauillis coquuntur, ut à puerulis fit faba sub ignitis cineribus coquentibus, & cicera, illaq; comedentibus. At dices quinam est leguminum crudorũ usus? Respondemus non edi cruda legumina nisi uiridia, ut fabae & cicera & pisa, & ideo de uiridibus intelligere oportet cruda edi, tamen in penuria q̃ superioribus annis & Ferrariae & per totam Italiam uiguit, uidimus legumina cruda comedẽtes, & triticum crudum, cum pauperes accedebant, ubi haec haberentur, & surripere possent. In illo autem casu non erant flatuosa. tum quia ignitum calorem habebant, tum quia in parua copia edebantur. At in communi usu non eduntur nisi aliqua leguminum genera cruda, idq; fit solum cum uiridia sunt, ut fabę, cicera, & pisa, cocta legumina uarium cocturae genus habere possunt, & uarijs rebus condiri nihil impedit, unde si porro, anetho, cinamomo, & pipere condiantur, minus flatuosa sunt si sub prunis torreantur, sunt & minus flatuosa, si frigantur sunt minus flatuosa elixis, tamen non frigũtur, quin prius elixentur, demptis recẽtibus fasiolis, qui absq; elixatione friguntur, q̃uis & aliqui elixent. post frixionem, aceto, cinamomo, pipere & cępis, ac alijs similibus condiũtur, tũq; minus flatuosa sunt. At in genere quomodocũq; condita sunt & cocta, semper flatuosa esse constat, licet per magis & minus differant, omniaq; pituitosos gignũt humores, quod ex Hippocrate colligi potest in secũdo epidemiorũ in segmento quarto, ubi de ueris loquitur inquiens, Qui uiri mulieresq; cognati legumina comedebant in Aheno, de cruribus multi dolebant, quod admodum durauit. hoc autẽ ob aliud nõ est quàm quia pituitosi humores & crassi, ac graues gignũtur, q ad crura deflectẽtes dolores faciũt. idẽ repetit in. 6. li. circa dimidias partes, ubi inquit. Quae in Aheno uenerint uideto. Mares & foeminae q sępe legumina comedebãt, cruribus debilitabantur, quiq; lẽte uel piso uescerentur, genua dolerẽt. Petes uero quaenã sint uocanda legumina. Rñdemus, Galenũ in primo de alimentorũ facultatibus, cũ de triticeis & farris egisset q̃ segetes uocantur, postea de leguminibus agere, dicereq; legumina appellari ea cerealiũ seminũ q̃ panificio nõ accõmodantur, utpote fabae, pisa, ciceres, lentes, lupinũ, oryza, cicercula, aracus, eruilia, phasellus, foenugrecũ, aphace, & si quae sunt similia. At dices ex faba fieri panẽ, ideo nõ esse inter legumina numerãdã. Rñdemus nõ fieri cõmode, neq; sapere, ut ex triticeis. rustici tamẽ nostrates ex tritico & faba panẽ conficiũt, qui multũ nutrit, & illis sapit, hęc oĩa flatuosa sunt. Et si dicas lupinũ non esse flatuosum. Respõdemus nos de hoc esse deinceps acturos, tamen & hic aliquid habet flatus.

ἥκιστα δὲ βεβρεγμένα ἢ χλωρά. idest minime autem uel macerata uel uiridia. Si sensum illum huic parti donemus, qui ex uerbis colligitur, author falsa prorsus enunciabit, nam sensus est legumina aqua macerata, uel legumina uiridia minime esse flatuosa. at constat legumina uiridia esse magis flatuosa siccis, quoniam plus habent humiditatis. Et quæ aquis macerata sunt, præter humiditatem propriam habere & aquæ humiditatem, ꝓpterea hic sensus absurdus est, esse minus flatuosa legumina uiridia & macerata, per uiridia intelligẽtes, quæ recẽtia sint nõdum exiccata. Forte quis intelligere posset per χλωρὰ nõ quidẽ uiridia, sed lutea quæ sicca sunt & probe sicca, & ꝑ macerata in liquore aliquo calido & sicco macerato. At melius est Galenum in prima expositione sequi, q sensum facit simul continuum, legumina cruda, cocta, fricta, uiridia & macerata omnia sunt flatuosa, & nõ adsit particula ἥκιστα. idest minime, sed in omnibus leguminibus contineatur, & in quacunque leguminum dispositione.

τουτέοισι δὲ μὴ χρέεσθαι εἰ μὴ μετὰ σιτίων. i. his autẽ utẽdũ non est, nisi cũ cibarijs, Galenus intelligit nos nõ debere uti leguminibus nisi cũ cibarijs. i. nisi cũ pane, sit cuiuscũq; generis is panis. Tamen posset & hoc modo intelligi nõ esse edẽda legumina nisi cũ cibarijs parata, per cibaria modũ condiẽdi legumina intellige, ut ꝓbe coquãtur ex porro, anetho, sale, aromatibus, & his similibus, quæ uim illã flatuosam supprimũt, & sit etiam eorũ usus cũ pane, nõ. n. despicere oportet panis usum cũ coctis leguminibus, si cũ Galeno ꝑ cibaria panẽ intelligamus, est ferè hic sensus. nos debere uti leugminibus loco obsonij cũ cibarijs, idest cum pane.

ἰδίαν δὲ καὶ ἰδίαν μοχθηρίαν ἕκαστον αὐτέων. i. sed horũ singulũ suũ uitiũ habet. unaquæq; leguminis species ꝑter hoc generale uitiũ, quod est eẽ flatuosum, habet et sua peculiaria uitia de quibus post hæc author aget, nosq; singula perpendemus.

GALENVS. Ventrem implẽt legumina omnia, coctuq; difficilima sunt quæ cruda existũt: fricta flatuosa minus sed cõcoctioni nõ minus renituntur. Quæ autem plurimum cocta sunt, ea existunt moderatiora. Quod autem sequit, in exẽplaribus nõnullis scriptum est ita. Et macerata, & uiridia. ut talia præfatis uitijs sint prædita. In quãplurimis uero non ita scriptum reperiẽ, sed principio altero, in hũc modum. Minime autem uel macerata, uel uiridia. Viridia dicũtur, quæ sicca nõ sunt: macerata uero, quæ in aqua fuerint madefacta. Cæterũ leguminibus haudquaquã sine cibarijs utendum esse præcipit: cibaria nimirũ eos qui ex tritico panes fiunt, affirmãs: uel simpliciter omnia quæ quouis modo parantur: uel forsitan & alia omnia ex quibus conficiũt zeam. s. tiphã, & hordeum rustici ex milio panes conficiunt.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat omnia legumina tum ex eorũ substantia, tum ex flatu uẽtrem implere, & quæ cruda existũt coctu difficiliora sunt, cocta uero faciliora sunt coctu, uerũ inter cocta illa quæ frigũtur minus flatuosa esse cõstat, tamen non minus coctioni renitũtur, nam ex frixione aliquid duritiei circa ipsa acquirunt, quam duritiem elixa non habẽt, inter cocta præterea aliqua sunt magis cocta, aliqua minus, quæ minus cocta sunt magis flatuosa existũt, quæ magis cocta sunt moderatiora circa flatus, quia coctura flatus remittit, tamẽ non penitus aufert, in aliquibus uero prope aufertur, in alijs nunquam & si ꝑ tres dies coquantur, ut de faba à Galeno dictum est.

Secũdo Galenus duplicem literam refert in illa parte, minime autem uel macerata uel uiridia, nam in quibusdam exemplaribus post illam particulam & cocta & frixa, statim sequitur, & macerata & uiridia absq; particula illa minime, ut sensus sit, & macerata & uiridia sint flatuosa, idq; uitij genus participẽt. Tamen in quàm plurimis exemplaribus non est ita scriptum uel continuatum, sed fit aliud principium in hunc modum, & non continuatur cum præcedentibus, imo à præcedentibus hoc modo dirimit, minime autem uel macerata uel uiridia, Galenus uero non reprehendit hanc sententiam. tamen falsa est ita intellecta ut uerbis innuere uidenẽ, iccirco potius intellectio prima est recipienda. Copusq; secundum primam intellectionem uertit.

Tertio Galenus docet quæ intelligantur uiridia legumina, & quæ macerata. uiridia inquit dicuntur, quæ sicca non sunt, sed quæ & intrinsecam & superficiariam habent humiditatem, macerata uero sunt quę in aqua fuerint madefacta, ut solent lupini potissimum macerari quo dulcescant.

Quarto Galenus notat præcepisse authorem non esse edenda legumina absq; cibarijs, & quia hoc uidetur ignotum quid sint cibaria, cum & ipsa legumina inter cibaria numerentur, propterea inquit ꝑ cibaria intelligere panes, qui ex tritico fiũt, uel intelligit per cibaria non solum panes triticeos, sed omnia simpliciter quæ quouis modo parantur, uel forte non solum triticeos panes, sed & alia omnia ex quibus panes conficiunt ut zeam, tipham, & hordeum, imo & milium, quoniam, rustici & ex milio panes conficiunt, uel hic est sensus ut non intelligat milium, quia rustici soli, & non ciues ex milio panes conficiũt, tamen & ciues penuriæ tempore panibus ex milio uescuntur.

## Hippocrates. Sectio XCIII.

Cicer flatum parit crudum frictumque & laborem.

BRASAVOLVS. Cum uniuersalem de leguminibus propositionem attulisset, particulariter ad quædam leguminum genera descendit, & ad ea potissimum, in quibus non uidebitur gigni flatus, uel non tantus. a cicere uero exorditur, quod flatum parere & crudum & coctum testatur, & etiam dolorem. At si legumen esset quod flatu carere uideretur, potissimum esset cicer, reliqua uero ꝑtermisit genera, ut phasiolos, fabas, et eiusdẽ generis alia.

ἐρέβινθος φῦσαν μὲν ὠμός, καὶ πεφρυγμένος. idest cicer flatum parit & crudũ & frictum. Forte tibi uidebitur hic de cicere quòd flatuosum sit, superflue retulisse, cum in genere omnia legumina flatuosa esse edocuerit. At cum in leguminum genere flatu carere uideatur quia densum, quia carne non excreditur ut humiditate carere dici possit, iccirco de eo particulariter loqui uoluit, & referre quod flatuosum sit & crudũ & coctum. Verum quia inter cocturas, si quæ sit quæ à flatu liberet est frictio, propterea edocẽs & fricta esse flatuosa, ostẽdit quomodocunq; cocta sint esse flatuosa, tamẽ & sub pruniatosta aliquid habent flatus. forte non erat mens authoris edocere, cicer non esse flatuosum, quoniam hoc in omnibus intelligebat leguminibus & etiam in ciceribus, sed edocere uolebat eẽ flatuosum, & dolorem inducere, ut potius de dolore quem inducit, loqui uoluerit. q̃ de flatu. sed hoc de flatu recensuit, quia flatus est doloris causa extendendo intestina. propterea dicit.

καὶ πόνον ἐμποιέει. idest & dolorem inducit, qui dolor ob inflationem fit, & extensionem, quę à flatu inducuntur.

Nota uero inter cicera quædam alba esse, alia rubra uel nigra. alba sunt magis flatuosa, quia etiam magis carnosa & humida humiditate quadam crassa & glutinosa, Galenus in primo de alimentorum facultatibus uult non minus q̃ faba inflationes excitare cicer, tamen dicit cicer ualentius nutrire q̃ faba. At non est tantus in cicere flatus, imo coctura ciceri flatum aufert, quem non aufert fabæ, etiam si per tres dies coquatur, & cicera abstergunt, ut arietinum uocatum euidenter calculos renum frangat atq; cõminuat, est inquit Galenus arietinum exile & atrum, tamen adest & rubrum. & apud nos nascitur, & non in Bithynia solum, ut Galenus testatur. cicer uenerem stimulat, quod ob aliud non facit, q̃ quia flatuosum, tamen creditum est unà & seminis genituram augere, unde admissarijs equis à quibusdam pro pabulo datur, semen uero ob humiditatem glutinosum gignere potest, & tale semen quod erit grandinosum ad generandum aptum, & potissimum mares.

Cum uero de fricto cicere locutus sit author. Scito Galenum primo de alimẽtorum facultatibus, ubi de fabis locutus est, & loquiẽ de cicere, scriptũ reliquisse. oĩa quæ frigunẽ inflãdi uim deponere, tamẽ fieri pertinaciora cõcoctu, & magis aluum adstringere, & crassius corpori præbere alimentũ. in. 6. de alimentorũ facultatibus duplex ciceris genus ponit Gale. cici. s. ariet.

tinum, & orobiçum, eadē ui pollent, nam copiose nutriunt, aluum mouent, urinam cient, lac, ac semē generant. menses prouocant, calculos frangunt. tamen praefertur arietinum orobigo in uiribus. est id genus, quod acumen habet, & in opposito latere arietis caput ferè imitari uidetur, orob. æū est magis rotundum. Aperiunt, digerunt, incidunt, extergūt, calida sunt, & modice sicca atque parum amara. cuius ui & lienem & iecur & renes expurgant, psorasque & lepras & lichenes extergunt, & parotidas idest abscessus post aures, & testes induratos discutiūt, & ulcera quae cacoethe uocantur cum melle sanant. Nota tamen primam cocturam illā esse quae optime abstergit, & aperit, primam inquam cocturam ex extimo ipsius ciceris cortice desumptam, unde non ab re in usum uenit apud nostras mulieres, ut non quidem cicera pro minutali edant, sed cicerum ius, cicera uero abijciunt. Dioscorides inquit coloris hilaritatem facere & partus trahere, & lac in cibo nutricibus gignere, emendare hydropicos & regium morbum ius decoctum cum rosmarino & cicere. Haec de cicere satis sint, de quo & in praecedētibus libris alias locuti sumus. denique nascitur aliud mali ex cicere extrudi, q̄ quod flatuosum sit, & ob hoc tormina inducat.

GALENUS. Sunt qui cicer scribant ob id flatuosum esse, quòd pudenda intendat. Quòd autem in fine dictionis laborem dixerit, id ad eum referre oportet, qui propter inflationem fit dolorem.

BRASAVOLUS. Primo Galenus notat, extat ille qui dixerint cicer flatuosum, quia pudenda intendat, & profecto nihil potest pudenda erigere nisi aptum sit in flatus crassiores dissolui, qui ad infernas partes descendentes membrum uirile extendunt.

Secundo Galenus notat id quod in sententiae calce dicitur πόνον, idest laborem uel dolorem, ad dolorem illum referri debere, qui propter inflationem fit, non enim facit genus aliud doloris, uel ex qualitate sed tantum extendendo uentriculum & intestina dolorem inducit, qui est quaedam imperfecta continuitatis solutio, qua extensum membrum necessario dolet.

## Hippocrates. Sectio XCIIII.

### Lens astringit atque turbationem facit, si non detracto cortice ingeratur.

BRASAVOLUS. Cum ab antiquis omnibus lens credita sit adstringere, iccirco uidebitur à flatuosa natura longe distare, ob hoc de lēte loqui uoluit post uniuersalem de leguminibus sermonem, quòd flatuosa sint, ut sub illis lentem cōcipientes, flatuosam esse inferamus, tamen & habet alia uitia, quae refert, proposuerat enim de singulis leguminum uitijs tractare. Lentis uitia sunt adstringere, turbationem facere, nisi detracto cortice comedatur.

φακὸς δὲ στύφει. i. lens quidem adstringit. A Galeno in. 8. de simplicium medicamentorum facultatibus dictum est, lentes ualenter adstringere, & esse in actiuis qualitatibus temperatas, in passiuis uero in secundo ordine exiccare, unde à Galeno notatur corpus ipsarum lentium desiccare, uentremque sistere, decoctum uero ipsarum prouocare. intellige uero primae coćturae ius uentrem soluere, cum enim adstringere uolumus, bis coquimus, secundāque aquam seruamus abiecta prima, & in primo de alimentorum facultatibus inquit. Si ius lentis in aqua factum ex sale, garo, & oleo, cōditum bibatur aluum deijcere, sed idem ius ex bis decocta lente oppositum facit, quoniā fluxiones desiccat, os uentriculi, intestina, & totum denique uētrem corroborat, eodemque loco Galenus ait lentia corticem uehementer adstringere carneam substantiam tenuiter. Dioscorides oppositum sensit cum cortice deuoratam aluum mollire, sumptam uero absque cortice adstringere. At de hac controuersia in praecedentibus libris locuti sumus, unum est in cortice esse nitrositatem quandam, quae in prima coćtura iusculum ingreditur, & aluum laxat, quam etiam nitrositatē & salsugineā naturam in brassicarum superficie Galenus esse iudicat, ob quam primum decoctum soluit, primo abiecto, secundum decoctum quia nihil recipit salsuginei, sed tantum de intrinseca & brassicae & lentis substantia, adstringit.

καὶ ἄραδον ἐμποιέει. i. & turbationem facit, uel tumultum facit, quia in uentre fit quaedam pugna ex lentis partibus quę sunt diuersarum, naturarum. hanc turbationem Galenus fieri censet, ex cortice & lentis substantia, quia cortex est concoctu difficilior, caro facilior, ut ex hac naturarum diuersitate in cocture fiat perturbatio, sed quid prohibet, & fieri, ob superficiariam corticis partem, quae uentrem laxat ob salsugineam naturam, & ex lentis carne quę adstringit, ut fiat quidam tumultus & quaedam turbatio in uentriculo, ob unam partem quae aperit, & aluum deijcere facit, & ob aliam quae adstringit, neque sinit quod iam prouocatum est, ad exitum prodire.

ἢν μετὰ τοῦ φλοιοῦ ᾖ. i. nisi detracto cortice ingeratur, hoc est quod poterit hunc uentriculi tumultum sedare, si uel cortex lenti detrahatur, quippe eo detracto nihil adest amplius salsuginei uel nitrosi, quod aluum ad deijciendum prouocet, sed tantum aderit lentis caro, quae solum habebit adstringendi uim, uel secundum Galenum cessabit tumultus & turbatio, quia omnia quę ablato cortice aderunt, aequalem habebunt coctionem, neque unum facilius, aliud difficilius coquetur.

GALENUS. Vocem hanc ἄραδον turbationem quandam, & ueluti pugnam quae in uētre ex discrepantibus facultate cibarijs oritur, significari dixi. quo modo & nunc significat, si cum cortice assumatur, utpote quae q̄ caro ipsius longe coctu difficilior existat.

BRASAVOLUS. Galenus notat uocem hanc ἄραδον turbationem quandam significare, & ueluti pugnam quae in uentre fit. ob cibos facultate discrepantes & oppositos, idque & in praesentiarum significat, unde si lens cum cortice sumatur turbationem facit, quoniam concoctu longe difficilior est cortex lentis, q̄ eius caro. itaque fit turbatio, quia lentis caro cocta est nondum cocta cortice. nos tamen intelligimus & hanc turbationem fieri ex discrepantia quę est in qualitate adstringendi & laxandi.

## Hippocrates. Sectio XCV.

### Lupinus inter haec minime mala habet.

BRASAVOLUS. Legumina omnia & flatuosa sunt, & aliquid habent mali pręter flatū, sed lupinus minime omniū mala habet leguminū.

θερμὸς δὲ ἥκιστα τουτέων κακὰ ἴσχει. i. lupinus inter haec minime mala habet, huic sententiae duplex sensus praeberi potest, unus est, lupinum inter legumina mala non habere, Copusque hunc sensum sequi uidetur, quia interpretatur, lupinū uero ab horum uitijs uel minimia q̄ maxime abest. ac si dicat neque habere minima leguminum uitia. haec uero expositio Galeno repugnat, qui ait particulam minime dici per respectum ad maxime, & sensum facit minime omnium leguminum habere mala. ut uelit leguminum mala habere, sed remississime, unde in primo de alimētorum facultatibus haec mala lupino imponit, quód duram & terrestrem habeat substantiam, & ideo coctioni repugnat, & crassum gignit succum, ex quo non probe in uenis contecto, crudus proprie appellatus succus aceruatur, & postea infert non sine ratione tardus & egestu, transituque difficilis efficitur. ut colligere possis lupinum habere & aliorum leguminum mala. sed illa minime omnium, tamen & lupinum uocatur à Galeno πολύχρηστον. i. multi usus, pluraque refert, ad quae lupinum accommodatur, quae iterum expressit. & abundantius in sexto de simplicium medicamētorum facultatibus, ubi omnia refert ad quę ualet lupinus tanquam medicamentum, quae etiam à Dioscoride accepta sunt, ample lupini uires tradente.

GALENUS. Vocabulum hoc ἥκιστα. i. minime, uocabulo huic μάλιστα, idest maxime, contrarium indicat. Lupinum autem minime pręd ictorum omnium ait habere mala.

BRASAVOLUS. Galenus notat hanc particulam ἥκιστα. i. minime oppositū significare huius particulae μάλιστα. i. maxime, unde author ait lupinum minime praedictorum omnium habere leguminum mala, & quis ob amaritudinem non uideretur quicquam habere flatuosi, tamen quia carnem habet crassiusculam, aliquid flatus habet, & magis illius contrahit si aqua maceretur,

nam

nam aqua per aliquot dies maceratus homini edendo fit, tũcq; non habet tot uires, quot habet, si maceratus non sit, neque aluum demittit, neq; adstringit.

## Hippocrates. Sectio XCVI.

Laserpitij tum caulis, tum succus nonnullis quidem maxime, inexpertis uero per uentrem non descendit. Nominatur autem hoc malum cholera arida.

BRASAVOLVS. Antiquitus pro condimento in cibis laserpitium erat in usu, ut in secundo huius uoluminis libro de eo locuti ostendimus. Nunc uero author ait & laserpitij caulem & succum nonnullis hominibus per uentrem descendere. At inassuetis per uentrẽ minime descendit, sed sistitur in flatus redactus, genus quoddam mali efficit, quod uocatur cholera arida.

σιλφίου δὲ καυλὸς καὶ ὀπός. i. laserpitij uero caulis & succus. Tria sunt quæ apud antiquos de laserpitio in usu erãt, folia caulis, & radix. Dioscorides notat caulem silphium uocari, radicẽ magydarim, folia maspeton. Accedit succus qui in maximo erat usu, qui è radice atq; caule scarificatis profluit. Commendabatur sapore ad inenctus, iusculenta, atq; garum. in his uero non solo succo, sed & folijs & caule utebantur. Galenus strenue calefacere dicit, & addit omnia esse flatulentæ magis essentiæ & ideo coctu difficilia sunt, de eo egimus in nostro simplicium examine.

ἔστι μὲν οἷσι μάλιστα. i. nonnullis quidem maxime, scilicet deijcere facit & succus & caulis laserpitij.

τοῖσι δὲ ἀπειρήτοισιν διέχεται τῇ κοιλίῃ. i. inexpertis uero per uentrem non descendit, ac si dicat nonnullis laserpitium accipere assuetis per uentrem descendere, alijs uero non assuetis, & qui nunquam sumere experti sunt per uentrem non descendere, sed in uentre immorari, multosq; facere flatus, hic uero inferendum non est quòd assuetis per uentrẽ descendit, non assuetis non descendat cum & aliquibus inassuetis descendat, & aliquibus assuetis non descendat. et ideo intellige, his quibus descendere assueuit laserpitium, descendere, quibus non assueuit descendere non descendere. Cum uero non descendat idest non egeratur & emittatur multos facit flatus, qui in corpore retinent & morbũ faciunt, qui nominatur ut statim dicet author.

ἀλλὰ καλέεται ξηρὴ χολέρη. i. sed nominatur arida cholera, affectio. s. quæ à laserpitio inducitur, quoniam, ut Dioscorides ac Galenus testãtur, est flatuosum laserpitium, cum non descendat, flatus excitat, qui detinẽtur. Paulus libro tertio, capite. 39. choleram definit esse immoderam uentris turbationem, quæ merito bilis fluxus, cum alui deiectione & uomitu fit, secũdum Galenum maximum habent dolorem, & simul euomunt, ac per aluum eijciunt. Si hic morbus ab acribus fiat humoribus cholera humida uocatur. Si à spiritu flatuoso acri cholera arida & sicca, q̃a nihil habet humoris, sed totum est flatus, fit uero à laserpitio, quoniam, ut Galenus dicit calidissimum est, & ipsemet fatetur, & ante ipsum Dioscorides, esse ualde flatuosum. cum igitur calidissimum sit, flatus quos gignet erunt acres, si contingat homines retinere silphium quoniam non descendat, flatus in intestinis permanet ac uentriculo & omnia extendit, doloresq; perniciosos excitat, nisi medicus prouiderit, aut natura flatum per os & per infernas partes transmittens, ut etiam bilis acris fusdeq; transmittitur in cholera humida.

GALENVS. Laserpitij radicem homines æquiuoce cum tota herba uocare consueuerunt: hanc & herbæ succum inexerpertis. i. inassuetis siccam generare choleram ait. Sed quænam ea sit, post paulo ipse docebit, ita inquiens. Ab arida cholera uenter inflatꝰ, & strepitus insunt. Patet ergo spiritum flatuosum ex laserpitij ingestione colligi in uentre: est enim acre & æstuosum. Quidnam autẽ significet uocabulum hoc/nõnullis/nihil ex dictione est manifestum. Atq; ob id explanaturus quispiam, quod maxime probabile uidebitur, id esse affirmabit. Nempe in talibus dicere quod ex ratione est, incertum existit.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat homines consueuisse & laserpitij radicem cum tota herba æquiuoce silphium nominare, author uero inquit & radicem & caulem & succum eius hominibus inexpertis. i. inassuetis siccam choleram gignere. Si uero dubites quidnam sit eiusmodi sicca cholera, illam deinceps definiet sectione. 103. cum dicet. Ab arida cholera uenter inflatur, & strepitus insunt. Manifestum igitur est spiritum flatuosum ex laserpitij ingestione in uentre colligi, quoniã est acre & æstuosum, & adde flatulentum ut Dioscorides & Galenus testantur. Secundo Galenus ambigit quid author uoluerit per illam dictionem οἷσι .i. nonnullis uel quibusdam, nam ex ipsa dictione nihil est manifestũ, an assuetos intelligere uoluerit an alios, unde quispiam hanc partem explanaturus, id significare affirmabit quod maxime probabile uidebitur, nam in his incertum est dicere quod ex ratione sit. sed potest aliquid ualde ꝓbabile inuenire, et iudicare id ab authore significari, Galenus tamẽ nõ exponit quid ipse intelligat, & quodnã uideatur sibi ꝓbabile.

## Hippocrates. Sectio XCVII.

Maxime autem id fit, si cum multo caseo, aut bubularum carnium edulio misceatur.

BRASAVOLVS. Laserpitium esum ex caliditate, & natura sua flatuosa, flatus gignit, qui in aliquibus retinent, & nõ exeunt, in alijs exeũt, sed potissimum non exibunt, si cum multo caseo simul edatur silphium, uel cum bubula carne, uel cum edulio ex bubula carne confecto, quoniam hęc cum sint tardi transitus, flatum magis remorantur à laserpitio confectũ, & hæc ipsa uasa implẽt, unde flatus discurrere non possunt.

μάλιστα δὲ γίγνεται. i. maxime autem id fit. s. cholera arida, & flatuum retentio à silphio facta.

ἢν μετὰ πολλοῦ τυροῦ μιχθῇ. i. idest si cum multo caseo. Cum silphium esset ciborum condimentũ, hic maxime deijcere nõ facit cum mistum fuerit multo caseo, quia casei natura quæ glutinosa est crassa, tarde means, uasa implens prohibet, ne flatus exeant, & ita retinentur, aridamq; facit choleram. imo adde & ipsum caseum in flatus reduci, quoniam ut superius diceba tur, caseus flatum parit.

ἢ κρεοφαγίῃσι βοείων κρεῶν. i. aut bubularum carnium edulio misceatur. Si etiam laserpitium bubula carne misceatur & edatur, choleram facit siccam, quia & bubula caro tarde meat, & opplet. iccirco flatus retinet, qui à laserpitio fiunt, neq; illos facile exire sinit, de hac autem bubula carne statim in sequenti sententia agemus. Si uero simul & caseus & bubula caro edanť, tanto magis flatus retinebuntur, hicq; siccã cholerã incidet.

GALENVS. Siccam ab eo uocatam choleram, ait maxime his fieri qui laserpitium simul cum caseo multum ingresserunt, aut cum carne bubula. Nempe flatus qui ex laserpitio oritur, cum opplentibus & tarde penetrantibus edulijs mixtus, manet in uentre & non descendit.

BRASAVOLVS. Galenus notat authorem hunc dicere, his siccam choleram uocatam maxime fieri, qui laserpitij copiam cum caseo ingesse re cum carne bubula. nam flatus qui ex laserpitio ortum habet, in uentre manet, & ex se, & tanto magis si cum opplentibus, & tarde penetrantibus cibis mistus sit, quales sunt & caseus & carnes bubulæ.

Quod author dicit multum caseum, Galenus multum laserpitium interpretatur. tamen utrunq; stare potest, nec rei naturæ repugnat, nã & multus caseus magis detineri facit, & multum laserpitij multos facit flatus.

## Hippocrates. Sectio XCVIII.

Bubulæ etenim carnes melancholica proritãt pathemata. Nempe harum natura insuperabilis est, nec quiuis uentriculus eas cõcoquere potest.

BRASAVOLVS. Cum bubularum carnium meminerit author, & edocuerit impedire ne flatus exeant, qui à laserpitio fiunt, & choleram siccam seruare, iccirco in præsentiarum talium bubularũ carnium naturam edocet, inquiens bubulas carnes melãcholicas inducere passiones, quoniam ipsarum natura à naturali colore inseparabilis est, nec quiuis uentriculus eas coquere potest, sed aratorum tantum uentriculi & rusticorum carnes bubulas optime conficiunt.

τὰ μὲν γὰρ μελαγχολικὰ καὶ παρέχειν ἂν παθήματα ὑπὸ βοείων κρεῶν ἐδωδῆς. i. bubulæ etenim carnes melancholicas excitant passiones necessarium est, si bubulæ carnes melãcholicas passiones facere debeant, ut ipsę in atram bilem transmutentur, ex qua deinde fiant melancholici affectus. de hac Galenus in initio tertij de alimentorum facultatibus ait, bubula uero caro alimentũ ipsa quoque non exiguũ, nec discussu leue præstat, sed sanguinem crassiorem, quàm par est progignit, uerum hic crassior sanguis melancholicus est, iccirco Galenus sequitur, preterea si melancholicæ quispiã naturæ in eius cibo modum non seruet, affectu quopiam melancholico tandem corripietur, cuiusmodi sunt cancer, elephas, psora, lepra, quartana febris, & morbus qui speciali nomine melancholia nuncupatur, ad hæc lien ab eiusmodi succo intumescit, quod uitium mala totius corporis habitudo, quam cachexiam uocant, & aqua intercus excipere sæpe consueuerũt, & bubulam carnem suillæ comparans inquit, quantum totius substantiæ crassitudine bubula caro suillam superat, tanto suilla bubulã lentore, uerum cum & uitulina caro sit bouis caro. hic de uitulina non intelligas, nam postea Galenus docet uituli carnẽ præadultis suibus melius concoqui, & in genere censet animalia quæ naturam habent siccam, in tenella ætate magis conferre ad conueniens temperamentum. Author igitur probe dixit carnes bubulas affectus melancholicos progignere, quia crassos succos supramodum & melancholicos gignunt.

ἀνυπέρβλητος γὰρ ἡ φύσις αὐτῶν. idest ipsarum enim natura insuperabilis. sunt coctionis duræ bubulæ carnes, ut difficulter à naturali calore superentur, & succi qui ex ipsis generantur & ipsi insupabiles sunt, & ualidi, & tarde meãtes, & crassi.

καὶ οὐ τῆς τυχούσης κοιλίης καταπέψαι. idest nec quiuis uentriculus concoquere eas potest, opus etenim est robustiessimos esse, & calidissimos eos qui carnes bubulas probe concoquere possunt, & potissimum cum exquisite coctæ non sunt, tunc ignitis indigent uentriculis, qui facilia concoctu corrumpunt, & difficilia conficiunt.

GALENVS. Agebat quidem de laserpitij uirtute, sed bubularũ carnium esum supermiscuit: factoque ad pathemata melancholica transitu, ea à bubulis carnibus prouitari ait. Deinde geminas assignãs causas, hoc ait: Nempe harum natura insuperabilis est. Vsus est igitur hac coniunctione, Nempe, eorum modo, qui dictorum causas referunt. Non tamen cur à bubulis carnibus melancholica prouentur pathemata, causam dixit: quãquam aliam quampiam communiorem dixerit, qua scilicet natura ægre conficiatur, & ualida sit. Natura enim ea insuperabilis, quam nullus superauerit.

BRASAVOLVS. Primo Galenus sententiam hanc pręcedentibus continuat, notans huius libri authorem de laserpitij uiribus agere, & bubularum carnium esum supermiscuisse, nunc à bubulis carnibus ad affectus transit melancholicos, quos à prædictis carnibus fieri dicit, ob crassos quos gignunt humores.

Secundo Galenus notat postea quam author à bubula carne melancholicos affectus fieri dixit duas assignans causas hoc addidit. Nempe harum natura insuperabilis est, igitur hac coniunctione nempe, usus est, illo modo, quo ea uti solent, qui causas referunt earum rerum quas prædixerant, tamen causam non retulit, cur à bubulis carnibus melancholicæ fiant affectiones. At cõmuniorem reddidit causam, scilicet carnes illas ęgre concoqui natura & esse ualidas, etenim natura illa insupęrabilis est, quam nullus superauit, unde ita intelligere oportet cur bubulas carnes affectus faciant melancholicos, & ꝓpria causa est, quia humores gignunt crassos, at crassi humores gignuntur, quia difficulter coquitur, nec à natura superari potest, & hæc est uniuersalior causa prima quæ est inuenta causa, & opus est particulam hanc esse insuperabilem commode intelligere; quoniam ad uerbum significat non posse superari, sed hoc dici non debet, quia superatur ab aliquibus saltem uentriculis, sed intellige difficulter superabilem, & quæ calore indigeat robustiori.

## Hippocrates. Sectio XCIX.

At optime liberabuntur qui coctis utentur & per quàm uetustis.

BRASAVOLVS. Si huius sententiæ sensum qui ex uerbis elicitur expromeremus, ita dicit optime à melancholicis affectibus liberabuntur, qui huiusmodi carnibus coctis utentur, & per quàm uetustis, tamen quid sentiẽdum sit, particularius in sentẽtia explicabitur.

βέλτιστα δὲ ἂν ἀπαλλάσσοιεν, εἰ ἑφθοῖσί τε χρέοιντο, καὶ ὡς παλαιοτάτοισι. i. optime autem liberabuntur, si coctis utentur, & per quàm uetustis. Vetustæ carnes omnes prauæ sunt, & coctu difficiles, & tarde permeãtes. Si ita sit, quomodo optime liberabuntur, si utentur coctis & per quàm uetustis? profecto hoc dici non potest, uel referamus hoc de liberari ad affectus melancholicos, uel referamus ad choleram siccam, quia tarde meant, & cõcoctu difficiliores sunt per quàm uetustæ carnes, neque id etiam uerum est, quod Copus innuit, ipse enim uertit quàm facilime descendunt si coctis ipsis, uetustisque quis utatur, quoniam neque facilime descendunt uetustæ carnes, tamen id uerum est, quòd coctis. i. bene coctis (ita enim intelligere oportet, quia nullus uescitur carnibus crudis) carnibus si quis utatur optime liberabitur ab atrabilarijs affectibus, uel etiã à cholera sicca, unde authorem intelligere oportet, uel ut Galenus dicit, quod loco particulæ βέλτιστα. i. optime, legendum sit ἥκιστα. idest minime, ut sensus sit. At minime liberabitur qui coctis utentur per quàm uetustis, uel ubi dicit καὶ ὡς παλαιοτάτοισι. i. & quàm uetustissimis, legamus καὶ οὐ παλαιοτάτοισι. i. & non uetustissimis, sed iunioribus, quoniam uitulina caro, ut Galenus docet in tertio de alimentorum facultatibus in initio, melius coquitur quàm bubula, & ad conuenientius temperamentum confert, uel ergo prædictam expositionem sequaris, uel illam Galeni, si authorem defendere cupis.

GALENVS. Hæc quoque sermonis textura uniuersaliorem habet admonitionem non in melancholicis. Nam bubulis carnibus & coctis & uetustis uti præstat: sicuti & alijs omnibus quę difficulter concoquuntur. At improprie uoce hac βέλτιστα, idest optime, est usus. Neque enim melancholico laborantes morbo, neque homo alius quispiã uel sanus, uel æger, optime liberatur bubulas carnes & coctas & uetustas ingerens. Nempe inter omnia quæ edũtur, hæ non bonam præstant alimoniam: bene tamen talia ingerentes cæteris minus leduntur. Si ergo pro uoce hac βέλτιστα dixeris ἥκιστα, idest minime sermonem reddes integrum.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat & huius sermonis texturam uniuersaliorem habere admonitionem quàm ut solis conueniat melancholicis, quippe dicit præstare & conuenire bubulis carnibus & coctis & uetustis uesci, sicuti & alijs omnibus quę difficulter coquuntur, quibus scilicet uesci non licet, Galenus hoc non asserit, sed tantum refert ita intelligi ab authore, tamen author improprie usus est hac uoce βέλτιστα. idest optime, imo perperam utitur illa uoce, quoniam neque homo liberans melancholico affectu, neque sicca cholera, neque uel sanus, uel aliqua ægritudine affectus liberabitur bubulas carnes & uetustas edens. Secundo Galenus causam reddit cur nullus liberabitur eiusmodi edens carnes, quoniam (inquit) inter omnia quæ eduntur & quę difficulter coquuntur, hę antiquæ carnes non bonam pręstant alimoniam, sed prauam, tamen qui talia bene ingerunt quando sunt cocta, minus quidem læduntur, quàm qui his nõ bene coctis

ne coctis

nē coctis uescuntur, iccirco si pro uoce hac βέλτιστα dixeris ἥκιστα, idest minime, sermo integer fiet atque uerus.

Hippocrates. Sectio C.

Caprinæ carnes, quæ in bubulis mala sunt, omnia habent & cruditatem: suntque flatuosiores, ructusque magis generant, & choleram pariunt, uerum quæ odoratissimæ, solidæ, & suauissimæ sunt, non hæ optimæ sunt, tum coctæ, tum crudæ, quæ uero suauitate omni carent, male olent, & duræ sunt, hæ deterrimæ atque non recentes.

**BRASAVOLVS.** Arbitrandum est & caprinas carnes cum silphio aridā choleram seruare, præsertim cum flatuosæ sint, propterea & de ipsis mentionem facere uoluit author, uel incidenter de caprinis agit carnibus, ut eas cōnumeret carnes, quæ cū bubulis in plurimis conueniūt. Inquit uero, caprinas carnes omnia mala in se habere quæ in bubulis cōtinentur, & præterea cruditatem habere, esseq; flatuosiores, & ructus magis excitare q̄ reliquę, & choleram parere, uerum quę odoratissimę, & solidæ & suauissimæ sunt hę optimę sunt, uel coctæ sint, uel crudę. At ecōtrario quæ omni carent suauitate male olent & durę sunt, hæ deterrimę sunt, uel recentes sint, uel etiam non recentes.

αἴγεια δὲ κρέα, ὅσα τε ἐν βοείοισιν ἔνι κακά, ἅπαντα ἔχει. id est, caprinæ enim carnes, quæcūq; in bubulis mala sunt, omnia habent. Copus alio modo uertit hanc partem, & sua sponte aliquid addit, quippe dicit, caprinę carnes magis cōducere uiderentur, nisi omnia bubularū carnium uitia haberent, sed uerus authoris sensus est ostendere caprinas carnes omnia habere uitia quæ bubulis insunt, & præterea alia q̄ particulatim enumerat. De bubulis carnibus dictū est, sanguinem crassiorem quàm par est, gignere, & affectus melancholicos, in melancholicis natura efficere, eandem habent naturam caprinæ carnes, sanguinem crassum generant, & hominem in melancholicos affectus īducūt. unde Galenus in principio tertij libri de alimentorum facultatibus inquit, caprinis carnibus præter succi maliciā accecisisse & acrimoniam, malitia uero succi est succos illos gignere, qui & à bubulis gignuntur.

τήν τε ἀπεψίαν. i. & cruditatem. illa in præsentiarum enumerat quę caprinis carnibus insunt, pręter mala bubularum, cruditatem etenim habent, quia difficulter coquūtur, & cocti succi, qui à tali carne gignūtur, perfecta carent coctura, & in hoc etiam bubulæ conueniunt, cum sint & coctu difficiles.

καὶ φυσωδέστερα. i. & flatuosiores. licet bubulæ carnes difficiles coctu sint, & caprinæ æquali modo, tamen caprinę bubulas in hoc superant quòd flatuosiores sunt, nam & bubulæ & caprinæ sunt siccæ; sed bubulæ minus faciunt flatus, caprinæ plus.

καὶ ἐρυγματωδέστερα. i. & ructus magis generant. hoc adesse flatuositas consequitur, cum ructus ex flatibus fiant qui in uentriculo gignūtur, cum ergo caprinæ carnes bubulis sint flatuosiores, ructus etiam magis generabunt.

καὶ χολέρην ποιεῖ. i. & choleram pariūt. Copus male uertit bilem pariunt, si pro humore acceperis, sed pro morbo exponi debet, qui cholera nuncupatur, de quo superius author locutus est, quia ex flatu fit cholera illa sicca, hæ uero caprinæ carnes sunt ualde flatuosæ.

ἔστι δὲ τὰ εὐωδέστατα στιφρά τε καὶ ἥδιστα μὴ ταῦτ' ἄριστα ἑφθά τε καὶ ψυχρά. i. uerum quæ odoratissimæ solidę, & suauissimæ sunt, nonne optimæ sunt cum coctæ tum frigidæ. ex capris nonnullæ reperiūtur quæ carnes habent odoratissimas & fragrātes, illas uero à pascuis & uirgultis acceperunt. Et reperiuntur quæ pascuorum ratione sunt inodoræ, & insuaues, quāuis & hoc habere possint ex ægritudine qua correptæ sint. Ego ex solo esu uitulinarum carnīū deprehendere possum habuisse uermes in intestinis, ex quadam insuauitate, quam me docuit Illustriss. & excellentissimus Alphonsus Dux Ferrarię tertius uir in omni re diligentissimus Solidæ etiam sunt carnes in aliquibus capris, & suaues, cū hęc in his carnibus habebunt, nōne etiam dicendæ optimæ uel coctæ sint, uel frigidę: ut hæc pars interrogatiue legatur, ac si inferre uelit optimas carnes esse odoratissimas solidas & iocūdas, quod nō in capris solum uerum est, sed & in omni alio animantis genere. Cum uero caprinæ carnes sint acres, ut tertio de alimentorum facultatibus scriptum est, iccirco edi possunt & coctæ & frigidæ, & coctæ & calidę. quomodocūq; ederis, etiā si frigidas esitabis optimę sunt, frigidæ uero eduntur quia acres sunt, nullus uero est qui eiuscemodi carnes crudas edat. quod autem uocet optimas carnes caprinas odoratissimas, id non est simpliciter intelligendū, sed solum ad caprinas carnes comparatione facta.

τὰ δὲ ἀηδέστατα καὶ δυσώδεα, καὶ σκληρά, ταῦτα κάκιστα. idest quę uero suauitate omni carent, & male olent, & duræ sunt, hę pessimæ. ex opposito quæ suauitatē non habent & male olent, quod à pascuis contrahunt, aut ab ægritudine fit, & durę sunt, hæ pessimæ sunt, differt uero soliditas à duritie, quia esse solidum in carne uirtus est, nam est habere consistentiam & firmitudinem, esse uero durum est uitiū, quia affectus est præter naturam, iccirco hæc sunt mala & pessima non solum in caprina carne, de qua nunc sermo est, sed & in quocūq; carnis genere. Copus alio modo uertit hanc partem, nam id asseritiue infert, quod ex negatione interrogatiue legi debet, hoc modo. igitur ut odoratissimæ & solidæ & suauissimæ saluberrimę sunt siue coctę siue frigidæ, ita iniocundæ odore graues & duræ sunt.

καὶ τὰ πρόσφατα. i. & non recentes. hæc pars intelligi debet, uel pessimas esse siue recentes sint, siue nō recētes, uel hoc modo intelligi, ut Copus uertit. nec secus de recētibus dicendū est, cum enim recentes carnes sint alijs meliores, ut tertio de alimentorum facultatibus edocemur, propterea etiam si recētes sint illæ quæ sunt inodoræ insuaues & duræ omnes sunt deterrimæ, quia non ab ætate, neq; à conditura sumitur, quòd pessimæ sint, sed à qualitatibus odoratus & gustus, & etiam à tactu: si uero sint antiquæ, tanto magis deteriores sunt, quia semper antiquiores carnes recētioribus sunt deteriores.

**GALENVS.** Cur caprinæ carnes bubulis uitiosiores sint, causam hoc in loco dixit. Nempe cum coctu difficiles bubularum modo existant, flatuosiores etiam sunt, & sępius mouent ructus, qui malam habeant qualitatem. Cum igitur bubulis & acriores, & calidiores sint, si incoctæ maneant, choleram pariunt. Qua efficitur ratione, ut frigidas eas magis q̄ calidas esitare oporteat.

**BRASAVOLVS.** Primo Galenus notat ab hoc authore causam hic referri, cur caprinę carnes bubulis uitiosiores sint, nam æque ut bubulæ coctu difficiles sunt, & flatuosiores etiam, sæpiusq; ructus mouent, non quidem simplices, sed qui malam habeant qualitatem, & nidorem quendam prauum, qui & eum qui comederit male afficit, & eos uersus, quos hi spirant. hæ uero carnes cum sint insuaues, insuauem reddunt anhelitum, possunt & hi ructus intelligi habere prauam qualitatem, non solum quo ad odorem, sed & quo ad acredinem. Secūdo Galenus infert, cū igitur caprinę carnes bubulis acriores & calidiores sint, si incoctæ maneāt, cholerā pariūt, & hæc etiā causa est, quia calidiores sunt, ut opus sit eas potius frigidas, q̄ calidas edere. Scito tamē esse quidē calidiores, sed & habere humiditatem multā, unde si non bene coquātur, nō quia penitus crudę remaneant, sed si egregie nō coquantur, cholerā pariūt, quia flatus multos gignūt, hos itaq; ex propria natura gignunt, quos multiplicabunt, si non probe coquātur, quia humores efficientur, qui facile in flatus difflabūtur, ex quibus sicca gignitur cholera, nempe conuenit de eadem & hic loqui cholera de qua superius dictum est scilicet de cholera sicca.

Hippocrates. Sectio CI.

Optimæ autem æstate, autumno uero penitus illaudabiles.

**BRASAVOLVS.** In Græcis exemplaribus hæc sententia cum præcedent

iuncta est, & huius partis cõmentatio ad præcedẽtem sequitur cõmentationẽ, tamen cũ iterum in huius cõmentationis initio, hanc replicet sententiam, propterea et illã distinctiam legamus atq; interpretemur. De caprinis adhuc carnibus prosequit, & anni tempora docet, quibus optimæ sunt, & quibus pessimæ, æstate inquam caprinæ carnes optimæ sunt, autumno, uero sunt pessimæ, & nulla dignæ laude.

βέλτιστα δ' ἐστι τῷ θερεῖ. i. optimæ autem æstate sunt caprinæ carnes. omnes animalium carnes cum pabula habent optima & cõuenientia, optimæ sunt, & ecõtrario pessimæ, cũ pabula fuerint praua & nõ propria, capræ uirgulta edunt, & arborum germina, hæc autem in ueris fine præstant, & in principio æstatis, & per aliquod tempus perseuerant. unde hoc tempore meliores habent carnes, quia & meliora habent pabula, & sibi propria. atq; abũdantiora, possumus et cũ æstate tertiã ueris partẽ cõplicare, in q̃ hæc arborũ germina sunt abũdãtiora.

μετοπώρῳ δὲ κάκιστα. i. autumno uero pessimæ sunt eadẽ caprinæ carnes, quoniam hoc tempore ex longo æstatis calore germina exiccant, neq; succũ illum humectũ habẽt, quem in æstatis principio habebant, propterea neq; carnem generãt bonam, sed carnem penitus illaudabilem, in hyeme cũ adhuc sicca sint germina & exhausta, succumq; non habeant, pessimæ sunt cuiusmodi carnes usq; in illam ueris partem, qua germinare cœperint herbæ & arbores pullulare.

GALENUS. Optimas eẽ ait caprinas carnes, inter se quidem nõ cum cæteris cõparatas. Oportebat igit quantum ad anni tempus attinet, uitiosissimas ob temperaturam esse. Cõtingit autẽ capris tempore æstiuo meliorem esse alimoniã: quo modo praua sunt quæ herbas uorãt animalia, ubi uiridem herbam non habeãt. Capris autem maxime idoneam præbẽt alimoniam germina arborum, caulesq;, quos à fine ueris æstas largiter & copiose habet. Quòd autẽ alimonia ad carnis bonitatem plurimũ possit, potes, ex uulpibus certior fieri, qui autumno probatissimam ob uuas habet carnem. Sic passer & ficedula maxime laudabilem carnem obtinẽt. Autũno igit capræ nutrimẽto idoneo destitutæ, tum deterrimã, tum perquam tenuem habent carnem. Hyeme autem meliorem sanguinis consequũtur habitum naturalem intẽperiem à tẽperatura tẽporis contractã corrigẽtes.

BRASAVOLUS. Primo Galenus notat ab authore dici caprinas carnes optimas. sed id intelligere oportet, caprinis carnibus inter se cõparatis. Nempe caprarum carne ad carnes alias cõparata quantũ ad anni tẽpus spectat, sed est uitiosissima, & cæteris carnibus uitiosior, sed inter se ipsas caprinas cõparatiõe facta, ratione diuersarum anni partiũ, capræ caro optima dici potest, nam cõtingit alimoniã qua nutriũtur capræ æstiuo tempore meliorẽ esse q̃ alijs tẽporibus, nam aĩalibus sumptis quæ herbas uorãt praua sunt, & prauam in suo genere habent carnẽ, quãdo uiridem herbam non habuerint, ita in capris illaudabilis est & pessima capræ caro, ad capram cõparatione facta, quando cõueniens nutrimentum non habebit, uerum cum alimonia capris maxime idonea sit, & germina arborum & caules, hæcq; germina in ueris fine maxime abũdent, & in principio æstatis & largiter & copiose, propterea hoc tẽpore caprarum carnes optimæ sunt aliarum oĩum caprarum carniũ in alijs temporibus generatarum.

Secundo ne quis ambigat, quid ad carnis bonitatem cibi faciant, hic à Galeno ostenditur cibos ad carnis perfectionẽ multum facere, potestq; ex uulpibus probari, quæ autumno probatissimã habent carnem ob uuas quas tunc comedũt. Ita passer & ficedula tempore quo ficus maturescunt carnem habẽt meliorem, ex quibus palam est cibos carnes & meliores reddere & deteriores. Galenus in initio tertij libri de alimẽtorum facultatibus de his hæc dicit, quin etiam quæcunq; s. animalia prodeuntes è terra herbas depascũtur, aut arborũ primores ramusculos seu turiones quæ hoc tempore ubertim largiterq; proueniunt, eo semetipsis habitiora reddũtur, magisq; obesa, atq; ad nostri corporis alimoniam cõmodiora, eaq; ex parte quæ procerioris herbæ pastu gaudent, gracilia in hyeme ad usq; ueris initium, mediumq; fiant, & prauum colligunt succum ueluti boues. At ijdem progrediente tempore inaucta iam herba & densata, inq; seminis fertilitatem late se diffundente, manifeste & crassiores & bono succo pleniores fieri cernũtur, cõtra quæ ex humili herba pastum corpore possunt, primo, medioque uere melius agunt, ut oues. ineunte uero æstate, ac circa eius medium capræ, quoniam cum fruticum germina copiose proueniãt, quæ ijs in cibo gratissima esse solẽt, ut ex his colligere possis quæ animalia meliores carnes, & peiores, respectu diuersorum anni temporum habẽt, & hoc ratione alimoniæ. At dices non uideri esse usum edendi uulpes. imo multi existimant nihil aliud esse lupos q̃ syluestres canes maiores, et uulpes syluestres canes paruos. at canum caro nõ editi, igitur nec uulpium, & apud nos cõstat neminem uulpes edere. Respõdemus neq; Galeni tempore uulpes cõmuniter edebant, sed in. 3. de alimẽtorum facultatibus solum mentionem facit uenatorum, ubi inquit, uulpinam pulpam esitãt apud nos uenatores autumni tempore, tum nanq; uuarum sagina pinguescunt, & si fateremur esse syluestres canes (cũ sint tamen à canibus distinctæ specie) & canes apud nõnullas gentes eduntur, unde Galenus eodem loco dicit, de canibus porro quid attinet dicere? ut apud quasdã gentes, qui in ipsis iuuenes, pinguesq; sunt frequẽter esitentur, potissimeq; cum castrati fuerint, intellige uero per uulpinam pulpam lumbos, nam sicuti & in leporibus melior pars esui lumbi sunt, ita erit & in uulpibus.

In eodem tertio de alimẽtorum facultatibus, paruos passeres optimi esse nutrimenti dicit, intellige per paruos, illos qui uenerem nõ multum exercuere, passeres igitur qui in æstatis initio nascũtur, in autumno sunt optimi & ob uuas & ob ficus, sicuti & ficedulæ, uerum sub hoc nomine ficedula multæ aues ueniunt, de qua re aliàs disputabimus, hæ sunt pinguiores autumno & propter uuas & propter ficus, à quibus nomen accepere.

Tertio Galenus infert capras in autũno, idoneo carere alimento, quia ex æstatis processu uirgulta & germina obduruerunt, iccirco tunc carnem deterrimam & tenuem habent, est uero capræ caro tunc tenuis, quia est nimis siccum alimentum, quo uescitur. At hyeme melius se habent caprarum carnes, q̃ autũno, & earum sanguis meliorem habitũ cõsequit, naturalemq; corrigunt intemperiem à temporia temperatura contractam, quia cum frigidum incipit atque humidũ tempus uirgulta quæ ob præcedentem æstum iam erant exiccata, & ob autumni siccitatem, incipiunt ob frigiditatem, ob pluuias, ob temporis humiditatem emollescere, unde & si de nouo nõ germinent, saltem dici non potest quod in siccitate contracta perseuerẽt, sed potius humiditatem contrahunt, quæ siccitatem, ex æstatis processu & autumni contractam corrigit.

## Hippocrates. Sectio CII.

Porcelli carnes prauæ sunt, cum uel crudiusculæ uel ambustæ fuerint. nempe tum choleraceæ sunt & turbatoriæ. Suillę autem carnium omnium optimæ sunt. ualentissimæ uero quæ non admodum neque pingues neque graciles sunt, nec uictimæ ueteris ętatem sunt assecutæ. Edendæ uero sunt detracta pelle & frigidiusculę.

BRASAVOLUS. Arbitramur huius libri authorẽ de his potissimũ carnibus egisse quæ suo tempore in usu erant, erant uero in usu bubulæ, caprinæ, & suillæ, propterea de his solis agit, uel ut in multis alijs diminutus, ita & in præsentiarũ de tribus solum carnium speciebus egit, inquit uero porcellorum carnes esse prauas, quando uel crudiusculæ, uel adeo coctæ ut ambustæ sint uorantur, quoniam, & bilem pariunt, & turbant. At suillæ carnes omniũ carnium optimę sunt, uerum quia inter porcinas carnes aliquæ pinguiores aliquæ graciles, aliquæ mediæ, propterea suillas illas ualentissimas esse dicit, quæ neq; admodum pingues sunt, neque admodũ graciles. & quia antiquę esse possunt, & in ætate

uigenti,

uigenti, propterea de his intelligit suillis carnibus, quæ ueteris uictimę ætatem consecutæ non sunt. Et si modum petas quo edi debeant, edi debent detracta pelle, et frigidiusculę.

χοίρεον δὲ πονηρὸν, ὅταν ἢ ὠμότερον ἢ περικεκαυμένον. i. porcelli carnes prauę sunt, cum uel crudiusculæ uel ambustę fuerint. porcellos hic intelligit sues ualde paruos, horum caro est ualde humida, et ideo Galenus in tertio de alimentorum facultatibus inquit merito ergo porcellorum alimentum, tanto magis eo quòd grandes præbet sues excrementis abundabit, quanto illi iis sunt humidiores, et etiam id alimentum dicit esse imbecillius, quoniam humidior alimonia ut ocius per corpus digeritur, ita citius etiam dissipatur. Tamen in libro de renum affectuum dignotione et curatione Galeno adscripto, porcellorum paruorum carnes laudantur, tamen porcelli ut simpliciter loquamur, carnem habent humidissimam, si coquantur et carnes sint crudiusculæ, sunt pessimæ, quia humidissimæ, & quia omne semicoctum est difficile concoctu. Si uero nimis coquantur ut ambusti sint, crustã faciunt quæ est coctu difficilis, hoc tamen habent quòd humiditas remittitur, sed sunt coctu difficiles, cum ob cocturã nimis duræ euaserint. imo hoc in omnibus carnibus uerum est, quòd subcrudæ et ambustæ sunt prauæ, hi enim cocturæ modi praui sunt. Nos huius generis porcellos in Diui Martini festo comedimus, non quidem ambustos neq; semicrudos, sed egregie coctos, gustu sapiũt, quia humidi sint, etiam si coctũ sint, coctura tamen aliquid humiditatis aufert, quia assantur.

χολώδεα δ᾽ αὐτέων καὶ ταρακτικά. i. biliosæ sunt et turbatorię. Possemus unum ex his adiectiuis uni addere cocturæ, et alterum alteri, ut hic sit sensus, cum porcellorum carnes et semicrudæ et ambustæ optimæ sint, hæc mala quæ sequuntur inferunt. Ambustæ biliosæ sunt, quia crusta illa ex igne in bilem facile transit, semicoctæ, uel subcrudæ, turbatoriæ sunt, nam ualde humidæ sunt, iccirco flatus generant, qui turbationẽ faciunt, uel hæc ut lubet aplicato, tamen nunquam dici poterit quod semicrudæ biliosæ sint, cum et coctæ etiam egregie sint pituitosæ. uel intellige ab ipsis fieri affectum illum choleram uocatum, sed erit humida cholera non sicca, ut etiam Galenus intelligit.

ὕεια δὲ βέλτιστα τῶν κρεῶν πάντων. i. suillæ autẽ carnes optimæ omnium carnium sunt. et Galenus semper iudicat suillam carnem omnes alias bonitate et nutrimẽto, et naturæ præcellere, unde statim in initio tertij de alimentorum facultatibus inquit. Inter omnia edulia ualentissima est suilla caro. idq; probat argumento euidentissimo ex athletis, quia si de exercitijs cõsuetis nihil remittant, et escam aliam comedant quæ nõ sit suilla, sed inæquali quãntitate, et hoc solum una die, in sequenti die sunt imbecilliores. Si uero plures dies idem fecerint, non tantum infirmiores, uerum etiam palam macilentiores euadent. docetq; similitudinem habere cum humana carne et experimento: nam quidam humanis carnibus quasi porcinis uescentes, nullã eius neque ex gustu, neq; olfactu suspicionem habuerunt. Nam hoc sanè perditissimi hospites, ac alij quidam patrauisse, aliquando sunt deprehensi. Conuenit uero suilla caro secundũ ętates diuersis, nullis porcellorum cõueniunt. tamen ut pręcitato loco Galenus notat, est lenta suilla caro, cum inquit, quantũ autem totius substantiæ crassitudine bubula caro suillam superat, tanto suilla bubulam lentore. postea sequitur, suilla porro ad concoctionem q̃ bubula accommodatior est, ac robustis quidem, florentibus ætate, et labore se aliquo fatigantibus, ea quæ à suibus in ętatis suę uigore mactatis sumitur, cæteris nondum adultorum sed increscentium caro cõuenit. ut habeas quibus ętatibus porcina caro, secũdum suis ætatem cõueniat. Antiqua uero & ipsa est cocta pertinax, unde eodem loco Galenus dicit, quare suum quoque tametsi propria temperie humidorum, quędam præ senio duram & concoctu pertinacem carnem acquirunt.

κράτιστα δὲ τὰ μήτ᾽ ἰσχυρῶς πίονα μήτε λεπτά, μήθ᾽ ἡλικίην ἱερείου παλαιοῦ. idest ualentissimæ uero, quæ non admodum pingues, neq; graciles sunt, nec uictimę ueteris ætatem sunt assecutę, suillas omnium carnium optimas esse censuit, tamen & inter suillas illæ sunt nutrimenti ualentissimi, quę in medio consistunt gracilitatis & pinguedinis, & mediæ inter tenellam ætatẽ & seniorẽ, nimis etenim pingues nimiam participant humiditatem, graciles uero siccitatem, propterea medij sumẽdi sunt, qui ualentissimi existunt, pari modo in tenella ætate porcelli sunt nimis humidi, in seniori ut Galenus præcitato docuit loco fiunt durioris alimoniæ & concoctu difficilioris, propterea suilla caro sit in ætate uigente.

At dices cur de suibus ait, quòd non sint assecuti ętatem uictimæ ueteris: nam sus non accipiebatur pro uictima. Respondemus & si comparatio fieri possit ad alias ueteres uictimas in alijs animalium generibus, quòd non habent ætatem uictimæ ueteris in alijs animalium generibus, tamen & de sue intelligi potest, quoniam & antiqui suibus pro uictimis utebantur, & pro uictimis potissimum seniores sues adolebant. Nam apud Homerũ. 14. odyssæ Eumæus subulcus, qui Vlyssem hospitatus est, quem nõ agnoscebat, sed ueluti hospitem receperat, inquit uero uersu. 414. ἄξεθ᾽ ὑῶν τὸν ἄριστον ἵνα ξείνῳ ἱερεύσω τηλεδαπῷ. i. ducite suem optimum, ut hospiti sacrificem peregrino. postea uerso. 419. homerum inquit οἱ δ᾽ οὖν εἰσῆγον μάλα πίονα πενταέτηρον. i. hi uero suem adduxerunt ualde pinguem quinquennem. constat uero suem quinquennem esse iam senio confectum. & in. 20. odyssæ post consultationem de uecando Telemacho, inquit Homerus ἱέρευον δὲ σύας σιάλους καὶ βοῦν ἀγελαίην. i. sacrificabant autẽ porcos & bouem indomitam. etiã in. 16. odyssæ anniculum suem sacrificauit, cum Telemachus patrem suũ agnouit uersu. 453. ubi Homerus ait. οἱ δ᾽ ἄρα δόρπον ἐπὶ σταθμὸν ὁπλίζοντο σῦν ἱερεύσαντες ἐνιαύσιον. i. hi autẽ coenam in stabulo parabant suem sacrificãtes anniculum. Sed hæc ad rem ipsam nihil faciunt, satis est nouisse ueteres sues, inter omnes alios sues carnem habere deterrimam, ut Galenus in commentatione dicet.

ἐσθιέμεν δὲ ἄνευ τῆς φορινῆς, ἢ καὶ ὑπόψυχρα. i. edendæ uero sunt subtracta pelle, uel & subfrigidæ, per pellem intellige cutim non pilos, cum nullus sit qui uel sues, uel alia animalia cum pilis edat, quamq; in nonnullis Italię locis pilos urant non excoriẽt, neq; aqua calida depilent, ut apud nos fit. cum uero cutis frigida sit, & durioris coctionis, à sue eximẽdam esse iubet, hocque ratione sanitatis intellige, nam quo ad ganeam assa cutis ut sub dentibus crepitet, in delicijs habetur, cutis inquam & paruorũ potissimum porcellorum, & etiam maiorum, rarissimiq; sunt quibus non sapiat. At pro sanitate auferenda est. Quod additur uel & frigidæ edendæ, in Græco contextu ponitur particula uel, tamen quicquid sit, nulla est ratio, cur subfrigida edi debeat, quia hoc saltem in calidioribus carnibus dici posset, in suilla uero quæ temperata est, nulla est ratio cur potius frigida, q̃ calida edi debeat, nisi intelligamus authorem uoluisse tepidam edi, quoniam & ipsa temperata est.

χοῖρον proprie appellabãt ueteres porcũ ualde paruũ, ut apud poetã repiẽ ἔσθιε νῦν ὦ ξεῖνε τά τε δμώεσσι πάρεστι χοίρε᾽· ἀτὰρ σιάλους γε σύας μνηστῆρες ἔδουσι. i. uescere nũc ò hospes, seruorum cibus porcelli sunt. Proci etenim plus q̃ absolutos edunt sues, GALENVS. Non sanè uideo quo pacto syalos ederent proci, (nam & syalos ueteres appellabant sues eos, qui perfectos absolutosq; supra essent) nisi quod & ignarissimi essent dignoscendorum tum eorum quæ facile concoquuntur, tum suauium eduliorũ quales sese ostendebant cum uentres caprarum pingui & sanguine plenos esitarent: quo sanè quod difficilius concoquatur edulium reperies nullum. Caro autẽ optima, tum ad suauitatem, tum ad concoctionem eorum est, qui mediam ætatem sunt assecuti: ueluti deterrima est porci uetustissimi, atque eius qui cõfestim à partu uoratur porcelli. Nempe hi terrestrium ferè omnium quæ uorant homines animalium, maxime humidam obtinent carnem. Atque ob eam rem, quum nuper genitorum caro exuperanter humida sit, plurimum inde generat pituitam: & si subcruda fuerit, multo adhuc magis. Simili quoque ratione pinguissimam suum carnem ea quam medij & bene car-

nosi habent, deteriorem existimat, suspicionem humiditatis habens, ob quã pinguedo omnis carne sui generis deterior, tum ad cõcoctionem, tũ ad nutritionem existit. Quæ autem ob assationem ambustæ sunt, tum ad succi bonitatem, tum ad concoctionem sunt inhabiles, cholerãmq; pariunt, propter eã, quæ his accedit, acrimoniam. Nempe ea choleraceorũ eduliorum cõmunis est malitia, cum & humida & acria fuerint. Talia siquidem similiter corrumpuntur, suaq; acrimonia uasorum eorum quę ad uentrem decũbunt, ora remordent. atque fluxionum earum quæ ex toto corpore in eum fiunt, causę efficiũtur. Quod autem porcelli absque pelle, id est absq; cute edẽdi sint, nemo ignorat. Non enim cutis animalis carni similiter concoqui nata est, utpote quod frigidior existat. Frigidiusculos quoque & hos manifeste edendos præcipit calidas omnes carnes ueritus, ac fortasse calidas frigidiusculis tum æstuosiores, tum flatuosiores esse existimans. Ego autem in caprinis carnibus, & quæcunque calida sunt, sermonem admitto. In moderatis uero tum caliditate, tum frigiditate, cuiusmodi suillæ carnes sunt, simpliciter indiscrete ita dici non admitto. Nempe ei qui distinxerit, calidę frigidis idoneæ magis erunt.

## BRASAVOLVS.

Primo Galenus notat ueteres χοῖρον proprie appellasse porcum ualde paruum, hocque reperitur apud Homerum in quartodecimo odyssęę libro uersu .80. ubi Eumæus Vlyssem hospitatur & hæc illi dicit,

ἔσθιε νῦν ὦ ξεῖνε τάτε δμώεσσι πάρεστι.
χοίρε᾽ ἀτὰρ σιάλους γε σύας μνηστῆρες ἔδουσιν. idest uescere nunc ò hospes, seruorum cibus porcelli sunt. proci enim plusquam absolutos edunt sues, de qua re Galenus miratur, quomodo proci qui nobiles erant syalos comederent, quoniam syali apud ueteres uocabantur sues perfecti & absoluti, intellige in ætate, ac si seniores intelligat, & de procis miretur qui seniores ederent sues. hoc modo intelligere oportet, quoniam ipse Galenus in tertio de alimentorum facultatibus probat sues in ætate uigente. quos carnem habere humanæ simillimam fatetur. deinceps non miratur, de syalorum esu Galenus, cum procorum ignorantiam consideret, qui neque cognoscebant quæ facile coquuntur neque suauia edulia, hoc autem uerum esse apparet, qui a caprarum uentres pingui & sanguine plenos edebant, quo edulio nihil difficilius concoctu inuenies, hoc autem uerum esse in .18. odysseæ ostenditur. Nam cum Vlysses Irum in certamen prouocauit, Antinous ad proceres uersus, uictori certaminis præmium, capręuentrem instituit, sanguine & pinguedine plenum. hæc sunt Homeri carmina uersu .44. incipientia.

γαστέρες αἵδ᾽ αἰγῶν κέατ᾽ ἐν πυρί. τὰς δ᾽ ἐπὶ δόρπῳ
κατθέμεθα κνίσης τε καὶ αἵματος ἐμπλήσαντες.
ὁππότερος δέ κε νικήσῃ κρείσσων τε γένηται.
τάων ἥν κ᾽ ἐθέλῃσιν ἀναστὰς αὐτὸς ἑλέσθω. idest. uentres hi caprarum iacent in igne, hos autem in cœna deponamus, pinguedine & sanguine implentes. Vter autem uincet, potentiorque erit, horum si uoluerit surgens ipse eligat. Et postea quam Vlysses irũ deuicit, illi datur promissum præmium eodem libro uersu .117. cum ait.

ἀντίνοος δ᾽ ἄρα οἱ μεγάλην πρὸς γαστέρα θῆκεν.
ἐμπλείην κνίσης τε, καὶ αἵματος. idest, Antinous autem ei magnum uentrem apposuit, plenum pinguedine & sanguine. Scitoque & Homerum putasse id genus edulij esse prauum, & coctu difficilimum. nam in uigesimo odysseæ libro, cum Vlysses cogitabat ancillas interficere atque procos, noctu dormire non poterat in uestibulo prostratus. Homeros uero hanc comparationem facit, quòd huc & illuc uertebatur, nec loco stare poterat, ut homo qui in uentre habuerit multum ignem, idest uinum potens, & pinguedinem ac sanguinem, hic enim ob harum rerum plenitudinem dormire non potest, hucque & illuc mouetur, quoniam id cibi genus haud facile coquitur, apud Homerum est uersu .25. eiusdem libri, quo ita cecinit.

ὡς δ᾽ ὅτε γαστέρ᾽ ἀνὴρ πολέος πυρὸς αἰθομένοιο.
ἐμπλείην κνίσης τε καὶ αἵματος ἔνθα καὶ ἔνθα.
αἰόλλῃ. idest sicut autem quando uentrem uir multo igne ardenti, plenum pinguedineque & sanguine huc & illuc mouet. ut his uerbis notet difficultatem coctionis huius edulij. Nos singulis annis non quidem ex capria, sed ex suum intestinis, & sanguine ac pinguedine sanguiculos uocatos facimus, qui hominibus multum sapiunt, additur & uua passa uel exiccata. Ex hoc Galeni loco colligere possumus sanguiculos nostros esse difficilioris coctionis, imo nullus est nostrum qui in mense Decembris non sit expertus cum succidium passim fit. At facilioris sunt coctionis ex suibus, quàm ex capris sanguiculi, omnibusque sapiunt.

Secundo Galenus notat inter carnes, optimam & ad coctionem esse carnem suum mediam ætatem habentium, sicuti uetustissimi porci caro deterrima est, quam proci comedebant, pessima etiam est porcellorum caro, qui à partu confestim eduntur, quoniam hi porcelli maxime humidam obtinent carnem, omnium animalium terrestrium ex his quæ homines comedunt, & ob hanc causam plurimam generat pituitam, & si subcruda fuerit, multo adhuc magis. imo & ob similem rationem pinguissimarum suum carnem existimant. & uere quidem deteriorem. ea quam medij & bene carnosi habent, & ab alio non accipitur huius rei suspicio, quàm ab abundanti humiditate, ob quam pinguedo omnis, carne qualibet sui generis ad concoctionem, & ad nutritionem deterior est. At carnes, quæ ob assationem ambustę sunt, & ad succi bonitatem, & ad concoctionem sunt inhabiles, & quia acrimoniam quandam ex ambustione acquirunt, propterea choleram gignunt humidam non quidem siccam, ea etenim est omnium biliosorum eduliorum communis malitia, quando humida & acria fuerint, choleram affectionem gignere, nam edulia illius generis corrumpuntur, & sua acrimonia ora illorum uasorum quę ad uentrem decumbunt remordent, & causæ etiam sunt omnium fluxionum quæ ex toto corpore in uentrem fiunt, unde gignitur affectio uocata cholera, qua qui afficiuntur mire perturbantur. Ex his uides Galenum per choleram intelligere, non bilem humorem, sed affectionem, quę hoc nomine uocatur, tamen & de bile intelligi potest, quæ gignitur ex ambusta carne. uerum cum ambustio sit solum circumcirca, propterea generabit & pituitosos humores quia humida, & biliosos ob crustam ab igne factam, qui erunt cholerę causa, sicuti & omnia alia quæ sunt humida & acria choleram facere apta sunt.

Vbi legitur caro autem optima tum ad suauitatem tum ad concoctionem eorum est qui mediam ætatem sunt assecuti, desunt hęc uerba, τὸ δὲ καὶ γεννητικὸν ἐστὶν αἵματος χρηστοῦ. idest & generatiua est sanguinis boni.

Tertio Galenus notat neminem ignorare porcellos absque pelle idest cute edendos esse. At apud nos in Diui Martini festo cum cute eduntur, mireque sapiunt, potissimum cum cutis crustam benefecerit. Curque cum cute edi non debeant, rationem reddit, quia animalis cutis non est similiter apta concoqui ut caro, quoniam frigidior existit & tenacior atque durior.

Quarto Galenus ambigere uidetur, cur hic author uoluerit suum carnes esse frigidiusculas edendas. Forte quia ueretur carnes omnes calidas edere, uel forte putauit carnes calidas frigidiusculis esse & æstuosiores, & flatuosiores. Tamen Galenus in caprinis carnibus, & in calidis supra mediocritatem id uerum esse concedet, in moderatis uero carnibus, in frigiditate & caliditate ut suillæ sunt, hoc non admittit, nam si distinguere uolueris, calidæ carnes frigidis

sunt

sunt magis idoneæ, & frigidæ in aliquibus obsunt. vnde simpliciter verum non est carnes omnes edendas esse frigidas vel subfrigidas. imo obesse non potest, & si carnes vi calidæ, actu calidæ concedantur, non tamen vrentes sint sed tepidæ, in omni re vehementer calida à qua vapores eleuantur, melius est vt vapores effumare cessent, antequã comedantur, ne in caput effument, vnde panis calidi esus reprobatur ob crassos vapores qui in caput eleuantur, & in eo collecti multam materiam in eo aggregant.

Vbi legitur ego autem in caprinis carnibus, & quæcunque calida sunt, deest particula natura, nam Græce habetur ἐγὼ δ' ἐπὶ μὲν τῶν αἰγείων κρεῶν, ὅσα τε ἄλλα φύσει θερμά. idest, Ego autem in caprinis carnibus & in quibuscunque alijs natura calidis, vt ostendat non loqui de calidis ab igne, sed de vi & potentia calidis, distinctionem vero facit particula natura.

## Hippocrates. Sectio CIII.

Ab arida cholera venter inflatur, strepitus fiunt, & dolor tum laterum tum lũborum, nihilq; aluus deijcit, sed adstringitur.

### BRASAVOLVS.

BRASAVOLVS. Vel cum præcedenti sententia iungatur, vt cum de cholera loqueretur & de humida intelligeret, nunc & de cholera arida loqui velit, vt huius choleræ cognitio habeatur, vel simpliciter cum superius facta sit siccæ choleræ mentio & non sit expressa quomodo sit, nunc eius symptomata exprimit. Dicit autem ventrem inflari à cholera sicca, & strepitus fieri, quæ omnia à flatu fiunt, qui & ventrem inflant, & per commotionem strepitus faciunt, & adde dolores fieri & laterum & lumborum, in hocq; casu aluus nihil deijcit, imo adstringitur, idcirco dolor continuo crescit ob conclusos in ventre flatus, & ob eosdem flatus strepitus fiunt flatu per ventrem commoto. fit & laterum & lumborum dolor partibus extensis flatu plenis, in hocq; casu aluus nihil deijcit. Imo potius adstringitur, hæc de arida cholera ab authore dicuntur.

ξηρῆς δὲ χολέρης ἡ γαστὴρ φυσᾶται. idest, Ab arida cholera venter inflatur, ac si dicat in affectu illo qui arida cholera dicitur hæc symptomata sequuntur. Primo venter inflatur, ob flatus qui in hoc affectu abundant, imo arida cholera dicitur, quia flatus sunt, quia flatus sunt, qui affectum faciunt & non humores.

καὶ ψόφοι γίνονται. idest, Et strepitus fiunt, quia flatus illi exitum quærunt, & non inueniunt, ideo tumultus faciunt, et in ventre rugitus, nam vt in cholera humida magnæ fiunt turbationes, ita & in hac sicca magnæ fieri debent turbationes, sed differunt solum materia, quia una ex flatu, alia ex humoribus facta sit, & in hac ex humoribus & per vomitum & per aluum impetu quodam mouentur & exeunt. In flatu vero mouentur quidem per ventrem flatus, sed non exeunt, quoniam si exirent, non fieri posset turbatio, non strepitus, neque dolor, & aluus potius deijceret, quàm adstringeretur, vt ipse dicet, tamen (si recte perpendamus) & in hac cholera exit flatus, alioqui tympanitem efficere posset, sed in pauca exit copia, & nonnunquam potest tympanitem inducere.

καὶ ὀδύνη πλευρέων καὶ ὀσφύος. idest, Et laterum dolor ac lumborum. intelligere possemus ob hos flatus qui in ventre sunt, & ventrem ipsum intendi, & intestina, & supra septum transuersum comprimere, & laterum dolorem inducere, pari modo eidem flatus in intestinis supra dorsum compriment potissimum in intestino cæco, & fit lumborum dolor, vel intelligamus flatus ipsos intestina egredi per venas, & ad laterum musculos progredi, ad musculosq; dorsi, & ad lumbos, in ipsisq; dolorem efficere. palam enim est posse & flatus per has partes permeare, & in ipsis dolores inducere, tamen affectio quæ cholera arida vocatur in intestinis est, & ventriculo, & per has partes agitatur flatus ac commouetur.

διαχωρέει δὲ οὐδὲν κάτω. idest, Nihil vero aluus deijcit. nã si deijceret, flatus simul exirent, & sedaretur affectio, quoniam facilius est exire flatus, quàm illa quæ crassiora sunt, vnde nihil deijcit aluus neque fecum, neque humorum, neque flatuum.

ἀλλ' ἀποστέγνωται. idest, Sed adstringitur, quia si aperiretur, flatus exiret, & choleram non induceret. Intellige affectum dolorem inferentem in intestinis ex flatu factum potissimum acri, quo neruosa corpora commordentur quæ propinqua sunt, & dolent, extenduntur præterea & ventriculus & intestina, & dolent, Galenus videtur in hoc affectu dolorem fieri voluisse, ob flatus acredinem, & tensionem.

GALENVS. Choleram ab hominibus simpliciter appellatam ab arida per humiditatem distinguit. In utraque autem nomine communi est vsus: generationis modum, qui communis est, respiciens. Vt enim cholera humida, ex acribus oritur humoribus, qui ex esorum ingestione prodierunt, sic arida ex spiritu flatuoso acri. Quo fit, ut quæ prope ventrem sint neruosa corpora mordeantur, intendanturq;, & dolorem pariant. At cum spiritus hi possint interdum quidem retineri, interdum & exire, aridam propter retentos spiritus generari choleram asserere non possum. Nam probabilius fuerit, ita appellare quę penetrant, egeruntürq;.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat authorem hunc, choleram ab hominibus simpliciter appellatam ab arida cholera per humiditatem distinxisse, vt hoc genus dicatur humida cholera, illud cholera sicca, & arida.

Secundo Galenus notat in vtraque affectione tam humida, quàm acri vsum esse communi nomine quoniam & generationis modus est communis. unde hunc generationis modum respiciens & humidam & siccam, hoc nomine cholera nuncupauit.

Tertio Galenus ostendit generationis modum in his similem esse, nam vt humida cholera ex acribus humoribus ortum habet, qui ex his cibis qui comeduntur oriuntur, ita arida cholera ex spiritu fit flatuoso & acri, ob quos spiritus contingit vt neruosa corpora quæ prope ventrem sint mordeantur & intendantur, & denique dolorẽ pariant, qui ex duplici fit re, qualitate acri, & ĩperfecta cõtinui solutione, q̃ tensio est.

Quarto Galenus ab hoc authore dissentit, quoniam cum hi flatuosi spiritus nonnunquam retineri possint nonnunquã exire, Galenus consentire non potest, vt ob retentos spiritus arida cholera nuncupetur, sed illi potius probabilius videtur, vt arida vocetur cholera, quando penetrant & egeruntur spiritus, ut in humida cholera biliosæ materiæ & per vomitũ & per inferna egeruntur, imo cum flatus sunt acres, intestina excitare debent ad illos emittendos, & non ad retinendos.

### Choleræ curatio.

Cum duplex sit cholera, vt hic author innuit, & Galenus consentit, humida & sicca, nobis ad authoris propositum, solum esset molienda siccæ curatio, tamen cum morbus sit, qui sæpe contingit, & qui statim præsidia quærit, vt vos illa in promptu habeatis, de utraque agemus specie, & vtriusq; curationem aggrediemur. At prius quid sint, exponere conuenit, ut facilius deinceps in vnamquanque speciem descendere possimus, & conuenientia exhibere præsidia, primo igitur de cholera sicca loquamur, fit hæc secundum Galenum ex spiritu flatuoso acri, qui intestina mordet & uentriculum, hęc indicia ab hoc authore referuntur, ventrem inflari, fieri strepitus, & laterum dolorem ac lumborum, aluumq; nihil deijcere sed adstringi, ultima vero pars Galeno

non placet, quoniam sicuti in cholera humida acres humores & uomitus & deiectiones faciunt. & maxima exoritur perturbatio, ita in sicca cholera uaporosi spiritus & per inferna & per superna exire debent, & non retinere, nam retenti si intestina exirent, potius tympanitem efficerent, si inter peritoneum & intestina continerentur, fit haec sicca cholera etiam si spiritus vaporosi non sint acres, sed copiosi, sicuti neque humidam choleram ex bile fieri semper necessarium non est, ut ostendemus, in his qui copiose castaneas edunt, quandoque fit sicca cholera ex flatuum multitudine, adest tanta flatus copia ut ventrem inflare possit, strepitus ciere, dolores gignere, atque exire, ferroque & in uenis & in toto corpore gigni hos flatus, & uaporosos spiritus, ad ventriculumque & intestina transmitti, haec est sicca cholera, quae à rebus flatuosis efficitur. Nunc de humida cholera agamus, quam graeci χολέραν vocant, Latini choleram, barbari cholicam vel cholericam passionem, decepti sunt plures à colon idest membrum nuncupari uolentes, quia fit in intestinis cum potius à cholera dicatur, nam ut plurimum à bile fit, Graeci, & χολέραν & χολερικοὺς uocant, quos latini cholericos, est hic saeuissimus morbus, & qui inducias non praebet, sed statim opus est praesidia adhibere, multique obeunt, quando cum febre fuerit, & si uehementissima, quid autem ea sit, & à quibus fiat, considerare oportet, in definitionibus medicis Galeno adscriptis duae sunt cholerae definitiones vna est, cholera est affectus peracutus & grauis, qui per uomitum in catarrhum idest defluxum protinus hominem deuehit, aut ex alui profluuio & multa excretione in uermina, atque non multo post, in id genus febres, quales in inflammationum difficultatibus fiunt, atque in malignas ablegauit. Forte harum definitionum author, definitionem hanc haud egregie quadrare conspicatus alio modo definiuit, inquiens cholera est acutus affectus cum uomitibus biliosis multis aluique deiectionibus. Sunt quoque se contrahentibus ac frigescentibus extremitatibus fiunt. In his aegre & pulsus minores obscurioresque. En non tantum huius affectus descriptio ponitur, sed & symptomata adduntur, in quae plerunque hi incidunt qui tali affectu corripiuntur, & tamen non semper in illa incidunt. Habetur & de utraque cholera sermo in libro introductorio Galeno adscripto, ubi inquit cholera duplex est secundum Hippocratem altera humida, in qua uti omnes norunt vehemens est excretio, bilis supra, infraque erumpit, intestina grauiter torquentur, accedunt conuulsiones, saepe etiam crurum surae contrahuntur, remedio contractionibus sunt perfusiones calidae in iis quae contrahuntur, balneum post expurgationem, tum alimenta quae ex facili disponuntur, digeruntur que & stomachum adiuuant, alteram siccam choleram uocat Hippocrates ab eadem prouenientem causa, ac circa eadem consistentem. At citra uentris fluorem est, & uomitum, ideoque remissionem praecedentem & per cataplasmata requirit, nec cibi indigestione, sed contra inedia opus est. vides & hunc authorem uoluisse, nihil excerni in sicca, quoniam putauit hunc librum esse Hippocratis. tamen opus est dicere, si author quem interpretamur, & cui non consentit Galenus, voluerit aluum retineri, non esse siccam choleram, sed potius inflationem, & ex flatu tumorem, ut dici possit inflatio illa de qua in libro definitionum Galeno adscriptarum dicitur, inflatio est cum spiritus copiosior genitus in stomacho detinetur, ipsumque & cum eo ventriculum distendit, quo fit ut dispensatio praepediatur alimenti. Adde & hunc spiritum etiam distendi per intestina, & esse praedictam inflationem, nam cholera sicca spiritus habebit, qui prodibunt, sed ad humidam choleram redeamus. Apud Galenum ferè semper, cholera ex bile facta reperitur, & si non dicat praecise ex bile fieri, tamen fieri dicit ex acribus humoribus, qui ex esculentorum ingestione prodierunt. Notandus est hic Galeni locus, quia sunt & acres humores qui biliosi non sunt, sed ob putredinem, acredinem acquirunt. ut ex hoc inferamus. Et si quandoque apud Galenum inueniatur fieri choleram ab humore biloso, id dicit uel accipiens nomen bilis communiter ad omnes humores, ut in septimo aphorismorum docet quandoque ab antiquis usurpari, vel à bile illam denominauit quia plerunque à bile fit, & multi antiqui à bile sola fieri existimarunt, cum et ab aliis humores fieri possit, unde in principio secundi methodi libri inquit medicum inspicere debere nominum diuersitatem, quam aegritudinibus, imposuerunt ipsorum primi impositores, & Galenus discurrit per multa morborum genera quae uel à laesa particula sumpta sunt, vel à symptomate vel simul à simptomate & laesa particula, postea dicit saepe numero accepta esse nola à causa putata, ut μελαγχολία ab omnibus, χολέραν iis qui sunt Cnido medicis omnes medici putant μελαγχολίαν dictam esse à nigra bile, quia ita factam putant, et medici soli Cnidii putant χολέραν à cholera dictam esse, quoniam à cholera idest à bile fiat. En quomodo Galenus dicit à Cnidiis ita dictam à causa putata, quia putant illam esse causam, ac si ipse non sentiat illam solam esse causam, & profecto sola bilis non est cholerae causa ut deinceps ostendemus, tamen ex Galeno colligi potest, quod ex bile sola fiat, nam in septimo de compositione medicamentorum secundum locos ubi adducit quae Andromachus scripsit ad praedictas affectiones, potionem refert dolores sedantem Ruffi, qua vtor, & post potionis descriptionem dicit, datur ex aquae calidae cyathis duobus cholericis hoc est biliosa superne & inferne reddentibus ex frigida. vt manifestum sit tum quia exprimit, tum quia dat ex frigida, esse ex bile choleram, tamen scito fuisse interpretem qui addit illi particulae cholericos expositionem illam, hoc est biliosa superne & inferne reddentibus. nam graeca series tantum dicit χολερικοῖς ὕδατι ψυχρῷ. idest cholericis ex aqua frigida, quia in aliis doloribus, ex aqua calida potionem dandam censet, & si dicas non ob aliam causam dari aquam frigidam, quàm quia sunt humores biliosi, dicimus id uerum non esse, quia possunt esse alii humores corrupti qui non erunt biliosi, tamen erunt calidi, & frigida dari potest & compescatur immoderatus humorum motus, imo & alia frigidissima compositionem ingrediuntur, ut mandragorae cortex, papauer album, semen hyoscyami, succus papaueris, imo & in. 9. de compositione medicamentorum secundum locos, ubi ponit stomachica pharmaca ab Asclepiade in primo internorum conscripta, post sacram Themisonis alia ponit ex Mantiae compositionibus Attalica, quam dicit valere ad cholericos, & non exprimit uel à bile fiat, uel ab alio humore, imo compositionem exponens, his valere dicit qui stomachum, aut totum ventrem ob multam humiditatem exolutum ac laxum habent, paulo post addit, multae enim huiuscemodi affectiones cum in uentre tum in stomacho fiunt, his qui multo potu se explent, aut fructus humectantes, aut etiam edulia talis temperamenti ingerunt, palam vero est ex his cibis & fructuum esu fieri choleram, & exolui ac laxari ventriculum & intestina; in eodem octauo, vbi refert stomachica ab Asclepiade post illum locum, in quo dicit ad volutosas stomachi subuersiones per triginta tres versus dicit valere (scilicet medicamentum de quo loquebatur) in cholera & bilis vomitu ac effluuio cum frigida. vt manifeste uideas bilis vomitum à cholera distingui. Forte dices ex bile fieri aphoris. 30. tertii libri deprehendi, vbi Hippocrates de aetate loquitur quae adolescentiam sequitur, & inquit vltra aetatem adolescentiae fieri choleras, Galenus in commentatione ait Hippocratem nominare morbos, qui in aetatis vigore fiunt, & inquit, nam & phreniticides, & ardores & cholerae, & difficultates intestinorum nihilominus iuuenibus quàm declinantibus accidunt, occasionem sui ortus ex flaua bile capientes, igitur hoc loco ex flaua bile fieri censet. Respondemus id verum esse, tamen non ire inficias & ex aliis humoribus fieri, hoc ostendi potest quia in secundo de alimentorum facultatibus vbi de peponibus agit, & monet succum prauum generare

cum

cum coctum probe nõ fuerit. Constat uero cum coctum non fuerit, bilem nõ generare, tñ sequitur, quo casu cholerę mõ obnoxios afficere consueuit cum uero ea crudo pepone uel non cocto bilis non fiat, idcirco cholera secundũ Galenum ea bile necessario non fit, & hoc ex ipso Galeno magis confirmatur in libello de cibis boni & mali succi, ubi de fungis agens dicit, à boletis tantũ neminẽ interijsse proditum est, sed ubi concoqui nequiuerint, cholerã in nõnullis excitarũt, cõstat uero cholerã à boleto nõ cocto factã nõ esse à bile, qa pituitã potius gñat, & statim sequitur. ab esu cęterorũ fungorũ alij mortui sunt, alij ꝓpe ad mortẽ accesserũt, strãgulatiõis piculo, uel alui fluoribus aut cholera laborãtes, nullus aũt est q ignoret, ex fungis pituitã potius, qͣ bilẽ generari, imo apud Galenũ cholera qñqͣ est salutaris, cũ 1.7. methodi penultimo folio doceat aliquos esse, qbus diarrhoę, & cholerę certis interuallis oẽm corporis redũdãtiã educãt, ut uideas redũdãtes humores p cholerã certis interuallis euacuari, et ratio est quia hi uacarũt frequẽti cruditati. ꝓpterea fit ex copia motus is ad superiora & inferiora materierũ quę sunt crudæ non biles. hæc oĩa adducere uolumus ut ostẽderemus non esse uerũ qd à nõnullis dicitur cholerã apud Galenũ semp fieri ex bile, & ideo cholerã nũcupatã esse, tñ fit pleruncp & ex cruditatibus, nisi p bilẽ omnẽ humorẽ intellexerint qui ob corruptionẽ aeris effectus sit, ut sunt fructus qui nõ cõficiũtur sed crudi putrescunt, & fit cũ febre, & sine febre, magnã vuæ quãtitatẽ edẽtibus fit plerũqͣ absqͣ febre æstiuo tempore, ut is ualde plenus corrupta vua & euomere incipiat & excernere cum dolore & maxima anxietate.

Nunc vero quid alij sentiãt authores, & potissimũ græcos contẽplemur, Paulus Aegineta libro tertio capite. 39. cholerã definit esse imoderatã uentris perturbationẽ, quæ merito bilis fluxu, cũ alui deiectione, tũ uomitu fit, inhęrẽte ciborũ i stomacho cruditate, cibos aũt nõ cõficiunt, interdũ quidẽ ꝓpter multã ciborũ prauitatẽ, nõnunqͣ uero ob prauos humores ingestos, & si Paulus dicere uideatur fieri merito fluxus bilis, nõ est putãdũ quod à sola fiat bile, sed qñqͣ bilis est motus initiũ, tamẽ & humores ingesti cuiuscũqͣ generis, & praui cibi apti omnes humores efficere, cholerã inducere possunt, Aetius libro nono hunc affectum amplius exprimit, qͣ Paulus fecerit, inquiens cholera appellatur, cũ ob multas cruditates uomitus biliosus & nidorosus, & acidus oboritur, ad plures horas continue perseuerans, & uenter inferne eadem excernit, sequiturqͣ sitis, & exudatio, & impeditus pulsus, musculorumqͣ manuum & pedum, maxime vero suarum contractio & tensio.

Trallianus etiã de cholera bis, egregie locutus est, primo, libro tertio, capite. 14. vbi de cholera etiã sine febre tractat, postea lib. 5. cap. 6. in febribus, de cõmuni illa hæc dicit, facienda est nunc mẽtio stomachi pariter & intestinorũ vitij, quod cholerã græci nominarunt, qm̃ aũt acutissimũ malũ est, & grauissimã syncopã inducit cũ multa bilis deiectiõe, et uomitu imoderato, propterea accurata indagatione cuiusmodi morbus sit discutiẽdũ est, quo sine mora manus ferãtur auxiliares, nã grauissimus morbus est, & breuissime uitã abrumpit, ꝓcrastinare igitur in hac affectione curationẽ, nõ leuẽ modo ac simplicẽ iacturam, sed uitã omnino ꝓpter corruptionẽ in ancipiti ponit, scire itaqͣ oportet, cholerã esse imodicã uentris perturbationẽ, cum vomitione modesta cõiunctã, in qua simul & stomachus & venter torquentũ. Græcorũ quidam in hunc modũ definiunt, cholera est excretio ad infernas partes per uentrẽ, & ad supernas per os vomitus. Postea Trallianus nõ censet vocatã esse cholerã quia à bile fiat, vel plerũqͣ si non semper, sed inquit. nemo vero credat χολέραν adpellari à Græcis ob bilis vt vulgus putat abundantiã, & cholerica notari biliosa, sed à multo bileæ materiæ fluxu, qui per inferna & supna fit, hoc est intestina, vẽtrẽ, & os. prisci nãqͣ Gręci χολάδας intestina laxiora, qđ in eo χολὴ fundatur, & pellatur, & inde hunc morbũ cholericum, hoc est intestinorũ affectionem gens eadem cognominauit. Oriẽ autẽ non ex vna tantũ causa sed ex pluribus, nempe ex ciborũ perpeti cruditate, ob ingurgitationis nimietatem. Dum enim conficiquit nimietas corrumpitur. fit etiam ex sola qualitate, aut ex redundanti humorũ prauitate, maxime uero molliũ, interpositis cibarijs quibus fiat postea inquit Trallianus. Nascit & ex redundantia biliũ supra infraqͣ natura stimulante erumpẽtiũ, fit & ea occasionibus gelidis, vt ex epithematibus algbus frigorificis ut multæ aquæ algentis lotione, vel potata uel certe supinfusa. Hæc Trallianus de cholerę essentia, & eius gñatione. ex qbus colligi facile põt non fieri ea sola bile, sed et ex alijs omnibus humoribus, & corruptis cibis, tñ alij à cholera. i. bile nom natã volunt non ab intestinis. Nam Celsus inter latinos optimus lib. 4. cap. 11. inquit à visceribus ad intestina veniẽdũ est, quæ sunt & acutis, & longioribus morbis obnoxia, primo atque facienda est cholerę mentio quia cõmune id stomachi atqͣ intestinorũ vitiũ videri põt. Nam simul & deiectio & vomitus est, præterqͣ hæc inflatio est, intestina torquentur, bilis supra infraqͣ erũpit, primũ aquæ similis, deinde vt in ea recẽs caro lota esse uideatur, interdũ alba, nonnunqͣ nigra uel uaria. ergo eo noĩe morbum hunc χολέραν Græci nominarũt. præter ea vero quæ supra cõprehensa sunt, sæpe etiam crura manusqͣ contrahunt, vrget sitis, anima deficit. Quibus cõcurrẽtibus non mirũ est si subito quis moriẽ Neqͣ tñ ulli morbo minori momẽto succurriẽ. Putamus Celsum de vehementissima locutũ esse cholera, & de illa solũ quæ fit à bile, quæ est omniũ vehementissima. Auicẽna & cæteri Arabes à Gręcis accepere quæcũqͣ de cholera referũt, quã ipsi vocant cholericã passionem, & potissimum illam facit Auicẽna ex cibis corruptis.

Nos uero ut de hac re distincte loquamur, cholerã ita definiri posse dicimus, esse motũ materierũ cuiuscũqͣ generis cum magna uentris pturbatione, & earũdem exitũ per uomitũ ac secessum. Debet uero distingui primo in illã quæ est cũ febre, & in illã quæ est sine febre. Que sine febre est facilius curaẽ & breuius, quæ est cũ febre difficilius, ut semp dicenda sit cholera, cũ materię & p uomitũ simul et secessum cũ pturbatione exeũt, qm̃ si solũ p uomitũ exirẽt materiæ nõ esset cholera, sed uomitus, si exirẽt solũ per inferna, esset diarrhœa & nõ cholera. Ad cholerę igitur essentiam requiritur vt per superna & inferna materiæ exeãt, & probe Galenus dicebat in .7. methodi in aliquibus esse periodicas, & materierũ supabundantiã expurgari sed eiusmodi cholerę absqͣ febre ꝓtingũt, neqͣ diu ꝑdurãt, sed tãtũ per unã diẽ. cũ erã puer cholera fui affectus fui ea nimio phasiolorũ esu, ceparũ, vuarum, & potus musti facta est mihi maxima in uentre perturbatio, cœpiqͣ euomere & excernere crudos cibos, et semicorruptos p spatiũ fere unius horæ, cũ maxima flatus copia eram sine febre, postea obdormiui, & sine morbo surrexi & symptomate aliquo. Vidimus nonnullos ex solo musti potu cholerram incidisse.

Sciendũ vero est cũ fiũt ex cibo eodẽ die ingesto, esse & breuiores, & curatu faciliores, & qñqͣ esse sine dolore, tñ nunqͣ fuit sine perturbatione & uehemẽti cõmotione, cũ ergo illa quę sine febre fit, & quæ ex cibis & potibus eiusdẽ diei contrahitur, breui sanetur, de hac nõ loquemur, nisi dicentes si medicus uocetur, nõ pturbari, sed interrogare an uir sit in uictu inordinatus, si respõdeat nõ esse inordinatum, interroga de cibo et potu ꝓpinquis, quę si apta sint hunc affectum inducere, iudica post vomitũ & secessum esse sanitati restituẽdũ, iubeqͣ ut plus uomat, qͣ uelit, clysmateqͣ ea mulsa, oleo, & sale utatur, nã breui sanitati restituetur, prętermissa igitur cholera quę sine febre est ex cibis aggregans eodem die facta, de reliquis loquamur.

Cum sint in humano corpore quatuor humores, ex uno quoqͣ horũ cholerã fieri posse fatemur, sed ex bile potissimũ fit, & maior pars fit præcedẽte bile, & alijs cõsequẽtibus humoribus, & ichorib⁹ ac cruditatibus, et cibis semicrudis, cũ uero fit ab uno humore puro, semp est piculosissima, qm̃ sincerũ humorẽ exire ab Hippoc. et Gale. semp periculosum iudicaẽ. Sed aliqs dicet nõ uideri fieri posse à sanguine uel ab atra bile, imo nec à pituita, qa nõ stimulat, & atra bilis semp necabit, sanguinẽqͣ o natura semp retinere conaẽ, dicimus ab oĩ humore & ẽt à sanguine fieri posse. Curauimus Magnificũ Comitẽ Iuliũ Boiardum

Scandiani principẽ uirũ in liberalitate nulli secundũ, qui quotidie statuta quadã hora cũ febris accessio superueniret, copiosum sanguinẽ, & per os euomebat, & per inferna deijciebat, cũ maxima uentris perturbatione et dolore, & mẽbrorũ cõtractione & casu in syncopin, à qua cũ liberabatur, referebat se psentire mirã suauitatẽ, sanguis à iecore ad meseraicas, & ad intestina atq; uẽtriculũ regurgitabat, qui & uomitũ faciebat, & deijciebatur per inferna. Aliquis tñ dicere potuisset, fuisse sanguinem biliosum, pfecto erat biliosus sanguis et atrabilaris, deo annuẽte cõualuit, hũc motũ quinquies habuit semp in accessionũ initijs.

De atra bile quæ cholerã induxerit, curauimus dominam Luciam Roncagallam magistri Tosini uxorem, quæ mira cum turbatione ac dolore atrã bilem vel sanguinis fecẽ nigerrimã euomebat & excernebat, hoc sex dierũ spatio mira cum vehementia perpessa est, quã nos ex Hippocratis sententia morituram iudicauimus, tñ adhuc uiuit, & annus iã elapsus est quod uexabat, tñ & adhuc dolore quodã in lienis parte vexabatur.

De ichoribus superioribus diebus curauimus dominam Philippam Zannellam, quæ ex ichorum perturbatione & motu fere obijt, nam quatuor horarum spatio pulsum amiserat, vt nihil sentiretur arteriæ motus.

De pituita, profecto & ab ipsa fit cholera, sed cũ mista est vel bili vel corruptis humoribus & ichoribus.

De bile, vtplurimum à bile fit, & Galenus hoc testari videtur octauo de cõposit. medic. secundum locos, vbi refert, quæ Archigenes in primo pharmacorũ secundum genus prodidit, de affectionibus circa stomachũ, ubi ad alium locum se refert, in quo de his loquitur, quæ ad cruditatẽ spectant, inquit verũ de ijs quæ ex ipsa proueniũt. s. cruditate, velut profluuio uentris, aut bilis per uomitũ ac secessum reiectione, aut alijs hmõi in proprio loco dicetur. Apparet vero bilis reiectionẽ per uomitũ ac secessum esse cholerã, quæ fit ex cruditatibus, & Galenus bilẽ exprimit, hocq; à Galeno dicitur, quia plerũq; à bile fit mouenti incipiente, superius etenim stomachica referens pharmaca ab Asclepiade in primo internorũ cõscripta, vbi ponit hieram ex Manuæ cõpositionibus analica dicit ualere ad cholericos, & bilẽ nõ exprimit, neq; illã etiã exprimit in astro stomachico qui sequitur, tñ mentionẽ facit Galenus qđ ualeat ad cholericos.

Fit & à cibis ingestis per aliquot dies, & ob nimietatem corruptis, quos non põt natura cõficere, sed natura uicta & uentriculo à cibis his corruptis cõmoto, pars per uomitũ magna cũ turbatione exit, & pars per inferna. Adestq; nausea et magnus conatus. potestq; hæc cruditatum aceruatio per multũ tẽporis fuisse aceruata. Sectoq; ad hunc cruditatũ motũ & ciborũ corruptorum quãq; sequi motũ aliorum humorum, qui in corpore sunt ut in totius corporis uenis, & plerũq; ab hac fit cã, vñ ab Auicẽna pepones referũtur, & chrysomula, & fructus in his q ipe gestuo multos comedũt, Trall. notat limones hãc cholerã efficere, et oĩa pĩguia, et oĩa dulcia, et oleũ copiose i edulijs aũptũ.

Fit quãq; non quidẽ ex multis cibis, sed ex praua uẽtriculi frigida qualitate, quæ neq; põt paucos cõficere cibos, & ideo mouetur ut expellat non quidẽ corruptos, sed ialteratos, & per uomitum mouentur, & per inferna. Et quia dicere posses uideri cũ præcedẽte cõuenire, nã et hic cibus qui non põt ob prauã qualitatem frigidam concoqui, & si quo ad capacitatẽ non sit plus ingestus, tamen est plus ingestus quo ad vires & caliditatem, & ideo ad præcedentẽ cãm reduci debet. Rñdemus nihil pfecto impedire ad præcedentẽ cãm reduci. at quia curatio in hoc casu aliud exigit, ppterea ueluti distinctum itelligere oportet.

Fit nõnunq̃ ex nimia uẽtriculi caliditate, cũ quispiã cibaria comedent cõcoctu leuia ex superflua caliditate corrũpuntur, ut in 2. de alimẽ. facul. à Gale. edocemur, de aliqbus uẽtriculis q ob igneã caliditatẽ ea corrũpũt q̃ sunt cõcoctu facilia, & difficilia pficiũt. hecq; cholera pbe ꝯsiderãda ẽ, qa alia idiget curatiõe.

Fit ẽt ob humorũ mollũ redundantiã scđm Tralliã. intelligimus qñ fuerint uasa oĩa humoribus mollibus & liqdis plena, qui uasa aggrauãt, & tñ expelluntur. qñ natura persentit se grauatã, & indifferenter p superiores & inferiores partes expellit.

Quandoq; facta ex frigidæ aquæ potu, uel ex balneo aquæ frigidæ uẽtriculo infrigidato, uel ex frigido epithemate supra uentriculũ posito, in hoc casu natura læsionẽ sentiens à frigore factã, corporis humores illuc trãsmittit, ut læsioni occurrat, qui cũ à uentriculo ob frigiditatẽ, quã ex frigida cõtraxit, domari non possint, inordinate, & ad uomitũ, & ad secessum mouentur.

Quendã uidimus qui cholerã incidit, qm̃ assuetus erat calciatus incedere, et nõnunq̃ nudis pedibus supra frigidos lapides et marmoreos ambulauit, ut ex frigiditatis pedũ affectu simul cõpateretur uẽtriculus. Aliũ uidimus cholerã icidisse q singulis diebus estiuo tpe pedes frigida aqua sibi lauabat. Est maxima cõpassio illa quã os uẽtriculi cũ pedibus habet. hæ uidentur causæ, quibus cholera fieri põt, si addideris quãq; leuiorem, quandoq; grauiorem contingere, idq; probandum quod ab Auicẽna dicitur, & bene notandum scilicet cũ uidebis initium choleræ leue, non esse fidendum, quia mala incipit cum leuitate, & stomachus ac intestina læduntur, hæc uero lædi palã à Galeno edocetur libro sexto de symptomatũ causis, ubi de uomitu & lienteria egit, postea dicit, etenim cũ duo sint uẽtriculo ostiola unũ ad gulam superius, alterũ inferius ad pyloron idest ianitorem, ad quodlibet horũ deriuetur id quod infestat, ille ad expulsionẽ utetur, quod si utrisq; eiusmodi affectus superuenerit, utrũq; simul ostiũ ad hunc usum accõmodabit, ut in eo affectu quem cholerã uocant, uidere est, ut hinc videas utranq; partẽ in cholera offendi secundum Galeni sententiam.

Arabes diffusius q̃ Græci de hoc affectu locuti sunt, nec mirum cũ posteriores fuerint. à Serapione & ab Auicẽna notatur pueris plus superuenire, q̃ alijs ætatibus, neq; hoc extra rationẽ est, tũ quia molles sunt pueri, tũ quia gulosi, & ualde replẽt se fructibus, pluresq; aggregant cruditates, & quia statim à cibo currunt, neq; edulia masticãt, sed potius ingurgitãt, reliquis ætatibus cõtingũt quidẽ, sed nõ tã frequenter, & pueri facilius liberant, q̃ hi q in alia sunt ætate, nã musculosi homines sunt potius liqfactioni parati, ad quã ob humiditatẽ nõ sunt adeo ppensi pueri, Hippoc. aphoris. 30. tertij libri cholerã fieri dicit in ætate post uigorẽ, ratioq; assignari potest, qa tũc comedere uolũt ut faciebãt cũ in uigore erant, tamen non ita cõcoquũt. ppterea aggregãtur cruditates, et corruptiones, quę hũc affectũ iducũt. Quin & in æstate plurimũ fit, tũ qa multi adsunt fructus, tum quia hoĩes nudi ferè incidũt, tũ quia multa bibũt aqua, tũ quia naturalis calor est disgregatus ab extrinseco calore ad circũferentiã illectus. In hyeme raro fit, et in uere. In autũno fit et pessima, quia operã sequitur, in qua multos edimus fructus, q biliosos humores gignũt, est uero biliosa cholera cæteris peior, imo si quãq; à prasinea bile fiat, aut ob æruginosa, breui obeunt. Nota uero eos q cholerã icidere assueti sunt nõ tã facile obire. nã ex assuetudine quãdã ꝯtraxere naturã, q̃ molestiã facilius ferre põt.

Adde & hãc causam quãdoq; & à cibo fieri non corrupto, sed mordicãte, q uẽtriculũ pũgit, mordet, ac icitat ad expellẽdũ, ad hũcq; motũ alij sequũtur humores, & hoc modo cholera gignitur. Imo & nõnunq̃ fit ex assumpto medicamẽto, ut helleboro albo, et similibus, hęc recedit cholera, cũ medicamẽti uis recedit. At cũ fortia medicamẽta in uẽtriculũ suã prauã qualitatẽ imprimant uenenosam, ccirco nõ mirũ si nõnunq̃ cholerã inducãt, imo apud recẽtes, q de praxi tractãt, capitulum adest, in quo de medicamẽtis agũt affrenitãtibus, simul edocẽtes qbus naturę succurrẽdũ sit, & q̃ p sedãdo tumultu agere oporteat. At quia medicamenta quãdoq; supra modum p inferna trahunt, quandoq; per superna, quãdoq; p utrasq; uias, nõ erit appellãda cholera nisi simul & per superna & per inferna educat, idq; non breui, sed per longum temporis spatium ex relicta praua qualitate uenenosa in uentriculo, nolo uero intelligere per hoc longum spatium multos dies, sed multas solum horas.

Vxorem meam dilectissimam & foecundissimam ex fungorum esu incidisse choleram uidimus, & ualde periculosam, & ab eo tempore adeo affecta est, ut si fungorum odorẽ persentiat, ad uomitum proritetur, Galenus iubet fructus omnes esse in prima mensa insumendos, & omnia quæ sunt concoctu fa-

cibora

ciliora ut superius disputatum est, unde qui fructus comedunt & copiose in ultima mensa, ut ficus mora cerosa, armeniaca, pepones melopepones, hi facile cholerã incidunt, & magnam nucleorum pineorum copiam, ex cucumerum esu multos uidimus qui choleram incidere, fieri solet Ferrariæ acetariũ ex portulaca, cucumere, & cæpa, oleo, sale, & aceto conditum, ex magno et sedulo huius acetarij esu cholerã incidisse uidimus, & curauimus, sed cũ semel tantũ ederunt, facilius curantur q̃ cum copiam crudorum humorum ex multis vicibus aggregarũt. In hoc morbo ita prædicendum est, si intensa non sit cholera omnes euadunt, & præsertim si conuulsionẽ non incidant, neq; sudores frigidos, neq; pulsus amittitur, cum uidebis bilem prassineam uel æruginosam uel atram, futuram mortem indicato, uel saltem cholerã esse periculosam, quando nares habent acutas, & concauos oculos, periculosam esse iudicato, si dormire non possit & miras habeat inquietudines & deliria, letalẽ esse iudicato, quando in syncopin uel hypocomian incidunt, idq; frequenter sit, letalem esse prædicito, cum extrema frigent & frigido sudore madescunt, letalem esse iudicato. At si cum his conuulsio adsit uel singultus, hi prope mortẽ sunt, & iam obire incipiũt, si facies uideatur attonita, malum est, si urina profluat multa bonum, nam quandoq; ex urinæ copia sanantur, tamen nonnunq̃ biliosæ hæ materiæ quæ impetuose mouentur per urinæ uiam exeunt, uesicamq; exulcerant & penem, vt necessario qui ita afficiuntur obeant, ex deq; materiæ intestina excoriant, pulsus qui emittitur non est semper letale signum, quia potest in symptomate occultari ut naturalis caloris retractionem, sed postea exit cum symptomata cessant. Et si forte petas cur calor retrahatur. Respondemus eo quod refugit uirulentam humorum materiam, & ut arci idest cordi succurrat, Soranus Ephesius in medẽdi artis Isagoge capite. 19. inquit, choleris quis laborans, si iuxta umbilicũ ei natæ fuerint tres papulæ in modum ciceris, una alba, alia rubra, tertia sublivida, eadẽ die moritur. sed hæc uana sunt, quanq̃ dici posset ex humorum generibus colores illos uariari, inter signa potissimum mala sunt manuum ac pedum conuulsiones, nam ex inanitione necessario sunt. His uero præmissis ad curationem accedamus, quam facilius moliemur, si huius authoris curationem sequamur, & singulatim omnia perpendamus, quæ in suis dicit sententijs, ea addentes, quæ curationi necessaria videbuntur.

## Hippocrates. Sectio CIIII.

**Ita affectum ne uomat seruato, vẽterq; subducatur. clysterẽ ergo ex calido & perquam pingui adhibebis, perunctumq; in aquam demittes, calidam & quamplurimam in scapha reclinans, & calida sensim perfundes, & si calfacto venter subducitur, morbus solutus est.**

BRASAVOLVS. Cum huius libri author aridæ choleræ indicia proposuerit, nunc eiusmodi affectus curationẽ exorditur, iubens hominem ita affectũ non esse cogendũ ad uomitũ, sed per uentrẽ potius subducendũ. Fiat igit clyster ex calido et humidissimo, postea perungendus est, & demittendus in scaphã multa calida aqua plenã, debetq; illũ adeo reclinare, ut et uẽtriculus sub calida sit aqua, imo ipsa met aqua calida superfundenda. & si indiciũ habere volueris morbũ esse solutũ, scito q̃n hunc calefeceris, & post calefactionem uenter subducatur, hic solutus est.

τὸν τοιοῦτον διαφύλαξον ὅπως μὴ ἐμέηται, ἀλλὰ κοιλίην ὑπολύσεται. Ita affectũ ne uomat seruato. Galenus notat hoc esse commune præceptũ circa omnia quæ in uentre præter naturam continent, & nos tentare uolumus illa per infernas partes euacuare, vt uomitus non prouocetur, et exeant per inferna, idcirco per inferna prouocamus.

Verum vt de hac re egregius loquamur, de sicca cholera author verba facit, quæ à flatu fit in ventre occluso, & non exeunte. vt secundum Galenum non est in uentre occlusus, sed exit, ventriculi os mordicans & intestina. In hac cholera sicca non est necessarium adesse febrem, secundum hunc authorem satis est prouocare vt flatus exeat qui intus continetur. At per os prouocari posset & p infernas partes, iubet per os prouocãdũ non esse, non q; fieri non posit, & q; sit error, sed q̃n facilius fertur, et cum minori incõmodo si per infernas partes exiuent, hinc iubet non esse vomitũ excitandũ, sed per inferna deducẽdum, tamen cum secundum Galenum flatus exeant, sunt per quãcũq; partem exeant, & per os & per anum prouocandi. At cum nos & de cholera loquamur ab humoribus facta, quã & humidam vocant: propterea & de illa curationem prosequamur. Cum sit morbus sæuus, & sæua habeat symptomata, medicus deterreri non debet potissimũ cum & facile & breui curationem admittat, & multi ex se absq; aliquo præsidio sanitati restituti sunt. Sed petes an hoc præsidium conueniat in humida cholera, quod hic ponitur ab authore. s. uomitum sistere, & secessum prouocare. Scito nonnullos esse, qui cum vident hunc vehementem vomitus motum & reiectionem statim adstringere incipiunt, qui reprehensione digni sunt, cum non sit opus adstringere, sed potius aperire, & sinere prauum illum humorẽ qui exit euacuari, hoc & ab Aetio dicente siquis igitur mox in principio, aut coaceruatim, ea quæ efferũtur cohibere aggrediatur, is maioris mali author erit, inutilia enim cũ sint, euacuatione opus habẽt, quare conuenit si non sponte ferunt, opportune irritare, atq; cochleari exhibito, ac ægro uomere iusso. Forte tibi videbitur in Aetio contradictio, qui in cholera euomi voluerit. postea dicat, si non sponte ferantur illæ materiæ, quia si non sponte feruntur non euomuntur. Respondemus intelligendum esse pro parte euomi & pro parte retineri, & ex ea parte qua retinentur, neq; omnes exeunt, dicuntur non sponte ferri, in summa vomitus prouocandus est secundũ Aetium, & idem censuit Paulus, idemq; Auicenna et Arabes. Paulus nanq; dicit (notans vomitus prouocationem in initio fieri oportere) quo circa si fastidiatus & vellicatus fuerit ægrotans manentibus etiã dum crudis in ventre dapibus, vomitus ciendi gratia aquam tepidam haurire iubebimus, ac digitos insuper aut pennas inserere. Celsus & ipse hoc iubet cum libro 4. cap. 11. ait, Neq; tamen vlli morbo minori momẽto succurritur protinus ergo vbi ista cœperunt, aquæ tepidæ q̃plurimũ bibere oportet & uomere, & Trallianus inquit confestim esse confugiendum ad illa quæ vomitum prouocant, tamen Trallianus in hoc casu, in præbendo vomitorio ab Aetio & ab alijs differt, superius in anginæ curatione de his quæ uomitũ prouocant egimus. At quia vomitus mulsa prouocari potest, et aqua ex oleo, Trallianus aquã mulsam laudat in hac cholera utpote & quæ euomere faciat, & per inferna deijcere. Aetius vero prohibet aquam mulsam, imo & aquam cum oleo prohibet, quippe inquit aqua mulsa mordacitatẽ operatur, torsionemq; auget. Aqua uero oleo mixta fluxiones auget, iccirco iubet accipiendã esse aquam purã tepidam, idem iubet & Paulus de aqua tepida, & idem ante Paulum Celsus, imo & ipse Trallianus addit, cum æger mulsam abhorruerit, dandã esse aquam tepidam affatim, & cogẽdum ad vomitum. Celsusq; dicit uix vnquã sine uomitu sequitur, quia semper fit vomitus post hũc potum, nam præerat nausea, & aliquis vomitus. Et hoc intelligunt cum cibi adsunt in uentriculo corrupti. Supposito etiam quod non euomeret licet nauseam haberet ab aquæ tepidæ potu desistere nõ debes, nam Celsus dicit, sed etiã si non incidit. s. vomitus, miscuisse tamẽ nouam materiam corruptæ prodest, quia corrupta materia, cui alia materia non corrupta miscetur, suam mitigat corruptionem. Omnes ergo vna voce fatentur prouocandum esse vomitum. Petes vero an uomitoria ex mulsa, & ex aqua & oleo, quæ prohibet Aetius sint respiciẽda. Respondemus nausea pseuerante non prohibemus mulsam, neq; aquam & oleum, nec id uereor quod ab Aetio dicitur mulsam mordere, & torsionem augere, quoniam & cocta est et diluta. De aqua uero & oleo, vomitum prouocant, neq; per inferna educunt, nisi oleum fuerit copiose sumptum. Imo adde & in hoc casu pꝛouocationẽ per inferna simul cõuenire ut oñdemus.

Dubitabis vero an in omni choleræ specie vomitũ prouocare cõueniat, & secessum. Respondemus & si authores de illa solũ loqui videantur quæ à corruptis fit in ventriculo cibis, vel qui corrumpuntur, & si nondum sint corrupti, tamen in quacunq; à quolibet humore facta, cum iam adsit vomitus, & materia quæ in vijs est prouocare illam oportet, vt saltem materia, quę in motu est exeat.

At cum superius dictum sit à sanguine fieri posse, petes an tũc vomitus prouocari debeat. Respõdemus & si illa quæ est à sanguine, sanguis is qui iam venas exiuit, vt exeat prouocãdus est, ne in ventriculo corrumpatur, tamen primũ præsidium quod fieri debet, est venæ sectio in hoc casu, & quia cũ fit à sanguine vt plurimum à iecore regurgitat ad ueentriculum, propterea iecoraria vena incidenda, & tãta sanguinis copia mittatur, quanta regurgitationem à iecore ad ventriculum sistere possit, & postea inde fieri vomitum, cum adsit etiam intensa nausea, vt is sanguis euomi possit, qui venas exuerat, & in ventriculo ac vijs continebatur. at dices cũ sit hic morbus sæuus in alijs speciebus quæ à sanguine non fiunt, debet ne fieri venæ sectio? Respondemus quando à venis materię affatim transmittuntur & omnia ferè exire videmus, tũc vena secari potest, sed primo fuerat prouocandus vomitus neq; secanda vena statim in principio, quæ materiam diuerteret. At in illa cholera quæ à corruptis fit cibis, & à cruditate nõ debet fieri uenæ sectio, neq; in illa quæ à frigiditate fit, vel ab aquæ frigidæ potu. in summa igitur in humida cholera uomitus prouocandus est, & non sistendus, imo & in sicca quãdo adest nausea, & plures flatus in uentriculo continentur. At dices nonne melius esset omnes has materias per infernas partes educere, & ad illas dirigere, quia vomitus est res molesta? Respondemus longe molestius esse illa quæ per vomitum exire debent, & quæ in vijs iam sunt, deorsum ducere velle, quàm per viam per quam inclinant, unde materiæ quæ per superiora exire debent, & ad hunc finem iam sunt motæ, per uomitum potius, quàm per secessum ducendæ sunt, post vomitum per aluũ ducere oportet, nam materierum portio ad inferiores partes inclinata est, imo per illas iam euacuabatur. Omnes igitur uno ore, post vomitũ iubent fieri debere clysterem, & euacuandum esse per inferna. nam Aetius ait adiuuare etiam oportet per sedem excretionem. Alienum enim veluti venenum insidens & ventrem ac intestina rodit & humores ex vniuerso corpore attrahit. scito autem cum sit vt plurimum bilis quæ hunc morbum facit, quando corrupta est, & in intestinis continetur, medicamenti officio fungitur sua venenositate, & intestina mordicans ac sua vi attrahens & similitudine, biliosas alias materias trahit, & ex consequenti alios humores, & ichores. Paulus & ipse dicit post vomitum opitulandum ad hæc & alui quoq; excretionẽ. Forte ambiges, cũ cholera per affectum definiatur in quo fit vomitus & excretio, est ne opus vt hæc æqualia sint, & vnum aliud non superet, vel quandoque magis euomat & minus excernat, quandoque magis excernat, & minus euomat. Respondemus quandoque magis euomere & minus excernere, quãdoque è contrario, propterea si magis euomet, & vomitus ipse erit prouocandus. Si magis excernat deiectio erit magis prouocanda, quia uidetur tunc materiæ multitudo, & inclinatio esse ad illã partẽ, scitoq; non esse necesse semper euomere, sed satis esse nauseam habere, & parum euomere, de vomitu vero dictum est quibus prouocari debeat. At de euacuatione per inferiora quomodo fieri debeat dictum non est, propterea de euacuationis modo quærendum est, an debeat fieri per clysterem, an per medicamentum. Non videtur ex Paulo vel Aetio colligi posse per quem modũ fieri debeat excretio. Nam Aetius dicit adiuuare autem oportet per sedem excretionem, & Paulus dicit opitulandum ad hæc & alui quoque excretione, neque modum refert, sed huius libri author ita dicit.

κλύσον οὖν ὅτι τάχω θερμῷ καὶ ὡς λιπαρωτάτῳ. idest, Clysterem ergo ex calido, & per quã pingui exhibebis. loquitur ipse in sicca cholera, vultq; ex calido & per quàm pingui clysterem imponendum. Galenus notat calidum apponendum, quia multum trahit cum calidum est, & cum huius authoris intentio sit à ventriculo deorsum trahere, propterea cõueniens fuit esse per quã calidum, & quia est arida cholera, pinguissimũ ponit clysterem, quia humectat, & contrarius est siccitati. sed petes quodnam clysteris genus hoc sit, præterea an in initio in hoc casu medicamentum dare conueniat, quia materia turgere videtur, cum de loco ad locum moueatur. Ad primum cum apud antiquos simpliciter calidum reperitur, de aqua semper intelligitur, vnde aqua apponetur in qua sit multum olei, & ideo erit pinguissimus clyster, tamen & si non meminerit salis, subintelligi debet, quia opus est imponere aliquid mordicãs, uel fiet ex mulsa, oleo, & sale, in hoc enim casu vitanda sunt clysmata fortia. Ad secundum materia hæc dici non potest turgens, quia motum habet ad determinatum locum & ad exitus viam, sed materia turgens indifferenter hincinde mouetur, neq; ad aliquem determinatum locum motionem habet, vnde in hoc casu nõ est dandum in initio medicamentum, sed potius est expectãda coctio, imo plerunq; tanta fit euacuatio vt etiam in fine medicamento non egeamus, sed potius refectione indigemus, tamen quia nonnunq; materiæ imperfectę ad infernas mouentur vias, & aliquę exeunt, & multę retinẽtur, propterea in hoc casu in initio medicamentum ex leuioribus dari potest, de quibus antiqui cognitionem non habuere. Medicamentum uero fit ex rhabarbaro, ex cassia & rhabarbaro, ex myrobalanis citrinis, ex thamarindis, ex manna & rhabarbaro, & his similibus, nam cum materia iam alui partes petat, à quocunque medicamento facilime attrahetur, fortia medicamenta nõ sunt dãda. hæc uero imbecilla & si euomerentur, quicq; mali inferre non possunt, tamen nihil per os exhiberi debet si excernat, & clyster suo fungatur officio. Sed petes an semel tantum sit prouocandus vomitus, & semel imponendus clyster, an pluries. Respondemus vomitum toties prouocãdum esse, quoties nauseam inesse videris, & multos clysteres esse ĩponendos quo ad humores corrupti exierint. Sed inquies, quando cognouero vomitum non esse amplius prouocandũ? Respondemus quando stomachus à magna illa perturbatione & nausea quieuerit, quando singultus superueniet, & cum motus ad inferiora quiescet, et tu etiam à clysterijs quiescito, & ad curationis reliquum te conuertito, Id uero notato si materia ad inferiores partes magis inclinet, clysterijs magis vtaris quàm vomitorijs. Si ad superiores partes magis uergat, vomitoriorum usus sit frequentior, quàm clysteriorum. Si vero omnes corporis humores exire videantur, & impetuose, tunc expectandum non est, sed adstringendũ. Cognosces vero omnes exire humores quando manus & pedes conuelluntur, oculi fiunt cõcaui, & pulsus minor euadit, ipseq; emacietur, & icessanter euomat, atq; excernat, & post crudas & corruptas materias, uiderit iam medicus reliquos humores, quos omnes præcedit biliosus, tamen de horum symptomatũ curatione posterius dicemus.

Nunc de loco in quo manere debeat loquamur, conueniunt omnes vt in loco maneat obscuro ne.s. à luce diuertat, & aer sit temperate calidus, si hyems sit, arte calefiat, si æstas ne uenti ingredi permittantur, sed calor præsertim in initio supra temperatum seruetur, odorata illius generis odoret quæ vires roborant & reficiunt. Et si petas quænam sint recipiendo odorata. Medicus interroget quibus æger delectetur, illaq; adhibeat, citrea in cubiculum portentur, mala medica, cydonia, poma apiana, rosæ, si hyems sit vt cogamur aerem ad tẽperiem reducere, id fieri poterit ex aliquo grato suffumigio ex his quæ per ebullitionem fiunt, ex his quæ supra prunas inuruntur, hocq; modo unum parare poteris.

| | |
|---|---|
| ℞ Styracis (vt dicunt) calamintæ | drach. ij. |
| Belzuini | drach. j. |
| Ligni aloes | drach. ß. |
| Ambracani | gra. iij. |

Quæ terenda sunt terãtur, styrax & belzuinum in aqua rosacea

ficca maceretur, postea arida misceantur, cum libra una aquæ rosaceæ, & in uas ponãtur ut quo ebulliant, ut odorati fumi per cub culum spargantur, si æger diues sit, præscriptum fiat suffumigium, potestq; augeri lignum aloes, & ambar, si pauper fiat ex belzuino & styrace solum, si pauperrimus, ex odoratorum pomorũ corticibus fiat supra prunas inustorum. Id ab Auicẽna notatur maiorem hominum partem in hoc affectu, potius acquiescere odori fructuum quàm aliarum rerum, quidam panis odore delectantur, alij eũ abhorrent, in summa, is odor accipiatur qui placet. nam eo quodãmodo demulcetur, hic violentus humorum motus. Hic præterea esse debet cum magna animi tranquillitate, nec quicquam illi dicendum molestũ. sed amici omnia occultent sinistra, quæ interim cõtingere possunt dum ægrotat. Verum cum ex ægris aliqui sint qui loco stare non possunt, iccirco iubendi sunt vt quiescant, quo fieri potest quietius, somnusq; iniungendus, de quo in hoc authore loquemur, nam sanitatis initiũ est dormire, vnde molles lecti ac delicati sternendi, & omnia agenda, quæ somnum proritare põt.

καὶ ἐς ὕδωρ ἀλείφων, ὡς πλεῖστον κάθιε θερμὸν ἐν σκάφῃ κατακλίνων, καὶ τοῦ θερμοῦ, κατὰ μικρὸν παρέχειν. idest, Et perunctum in aquam demittes calidam, & quãplurimam in scapha reclinans, & calida sensim perfundens. Author in arida loquitur cholera, censetq; perungendum esse ægrum, & in scapham hoc est magnum uas, vel balneum aqua calida plenum imponendum, esseq; eadem aqua calida perfundendum, quia is flatus calida resoluitur, viæq; vel secessus, vel oris aperiuntur, & flatus exit, tamen infernas uias potius aperiendas monet, & vomitus vias in hoc casu claudendas. Intelligere possemus cum clysterem habuerit ualde pinguem vt sit probe perunctus, postea in aquæ calidæ balneum sit ponendus, uel intelligamus inungi, Inunctionemq; ex oleo esse, neque totum corpus inungere opus est, sed satis est inferiorem vẽtrem oleo inungere, cum enim simpliciter dicitur inungi, de inunctione ex oleo simplici intelligitur, tamen & in hoc casu inunctio ex chamomelino oleo, ex anethino, & his similibus fieri potest, quę uim habent naturalem calorem in suis viribus conseruandi, aqua calida ad huius inunctionis penetrationem facit, suppone scapham, idest vas illud esse quidem magnum, sed non tam magnum quin homo reclinari cogatur, vt aqua supra ipsum spargatur, cum etiam secundum authorem flatus sit retentus, balneum conuenit ex anodynis herbis factum, ut illud,

℞ Florum chamomeli,
Anethi,
Stœchadis,
Meliloti,
Rosarum rubrarum,
Pulegij,
Calamenti, } singulorum M. ãij.

Misceantur & bulliant in sufficienti quantitate aquæ ad consumptionem quartę partis. Aegerq; in huius decocti balneum imponatur, ipseq; æger vel ministri ad ventrem herbas apponant, & ad ventriculum. possunt & alia balneorum genera fieri in hac arida cholera, vt sapienti medico opportunum esse videbitur, cum magis resoluentibus indigebit, imo & balneo ex puro oleo conuenit, & balnea ex mineralibus aquis facta. Sed petes an balnea in humida cholera cõueniant, & si conueniãt, quænam illa sint. Respondemus nondum esse locum loquendi de balneis in humida cholera, sed deinceps erit. nunc authoris verba prosequamur, quia in humida cholera balnea in initio fieri non debent.

καὶ ἢν θερμαινομένου αὐτοῦ ἡ κοιλίη ὑποχωρήσῃ λέλυται. i. Et si calfacto ventre subducitur, morbus solutus est. quia author supponit in sicca cholera nihil emitti, sed spiritum retineri, quam nos potius inflationem appellamus. propterea si ex aquæ calore, & inunctione simul venter subducitur, iam morbus solutus est, quia totus emittitur flatus, qui symptomata cõficiebat. At secundum Galenum si sit cholera per superna & per inferna flatus mittebatur, sed valde multiplicabat. hæc summa est, cum uel ob calidam aquam, vel ob inunctionem, vel ob clysterẽ exit flatus, hic sanus est, quæ hoc mõ in humida nõ sunt.

GALENUS.

Quàm citissime clysterem exhibere, & uomitum prohibere, præcepta sunt communia omniũ quæ in uentre præter naturam continentur, & quæ ut excernantur apprime contendimus. Simili modo & calidum exhibere clysterem: prouocat siquidem calidum, & frigidũ reprimit. Clysma autem pingue aridam proprie sanat, quoniam & uirtute contrarium est, siccitatem nimirũ humectans, morsusq; leniens. Eundem habes scopum, si in scapha fouẽdo tum aqua, tum oleo et calfacis, & mitigas, solarisq;.

BRASAVOLUS.

Primo Galenus notat hæc esse cõmunia præcepta, omniũ quæ in uentre præter naturam continentur & excerni debent, imo nos (inquit) totis viribus conamur vt excernantur, clysterem quàm citissime exhibere, & vomitũ prohibere, eodem pacto clysterem esse calidum est præceptum, cum demitti volumus, quia clyster calidus prouocat, frigidus uero reprimit, ut hinc colligi possit. quando iubemus clysteres imponi qui attrahere debent, fieri oportere ex rebus calidis, & ipsi actu sint calidi, cum imponuntur. Cum vero uel adstringere cupimus, vel profluuium prohibere, clyster sit ex frigidis, & actu frigidis, in alui igitur profluuijs, in processu clysteres debent esse actu frigidi non calidi, uel primo sint tepidi, postea frigidi. Secundo cum author dixerit clysterem debere esse pinguem, à Galeno notatur, pingue clysma proprie aridam choleram sanare, quia uirtute cõtrarium est aridæ choleræ, nam siccitatem & ariditatem humectat, et morsus quos infert ille flatus, lenit. idem est scopus, scilicet humectandi in eo quod sequitur, cum iubet ponendum in scapham, aqua & oleo fouendo, quibus duobus calidis, & is calescit, & noxa quę infertur, mitigatur.

## Hippocrates. Sectio CV.

## Confert quoque & huic dormire.

BRASAVOLUS.

Aliud præcipit author, quod in hoc casu est valde proficuum, ęgrum scilicet dormire, hoc etenim non solum finit morbum, naturali cõtracto calore & aucto, sed & ostendit morbum esse solutum, quoniam dormire nequeunt cum in morbo sunt.

ξυμφέρει δὲ καὶ ἐγκοιμᾶσθαι τῷ τοιῷδε. Idest, Confert quoq; & huic dormire. imo authores omnes & in humida cholera, nedũ in sicca, somnũ iubent, & proficuũ esse iudicant, vnde Paulus dicit, Somnus itẽ inducẽdus, cui pro arbitrio cuiusq; indulgendum. hoc autem arbitrium est ut fontes inducãtur ac fingantur, ut lotiones fiant, ut cantilenas audiat, & dulces cithararum sonos ac tibiarum, & aliorum instrumentorum, quę huic placere solent. vnde & Aetius dicit post uero somnus prouocandus & quies omni modo. sunt qui quiescant cruribus deuolutis, aut altis, aut secundum alium situm, æger sini debet ut sua maneat sponte. At dices, ẽstne somnus statim in principio iniungendus? scito si posset in initio somnus induci, ex hoc solo ægritudo cessaret, sed cum ob motus uehementiam in initio induci non possit, melius est primo vomitum prouocare, & clysterem imponere, postea quocũq; tempore somnum inducere, quia somnus res est, quæ hunc affectum sedare facit, si facile dormire non possit, prius fiant inunctiones, & illa quę deinceps dicentur, ut sunt epithemata, ac reliqua. in omni igitur cholera somnus optimus est, & quies, nam motus ad uomitum incitat, & ad deiectionem iuxta Hippocratis sententiam in aphorismis, ubi iubet eos qui sumpsere helleborũ esse mouendos. nam hoc modo ducit, imo id probat ex nauigatione quod motus deiicere faciat, & euomere, quia ex maris motu, & agitatione euomunt qui in naui sunt, & nonnulli etiam excernunt, his igitur motus prohibendus est, vt intrinsecus euacuationis motus quiescat.

GALENVS. An eum dum in scapha fouetur, dormire uelit, an sine illa, non constat. Quod autem ipsum dormire per se cruditatibus omnibus maximo remedio sit, considerantu patet.

BRASAVOLVS. Galenus notat ambiguum esse, cum hic author cholericum dormire iubeat, an uelit illũ in scapha dormire aqua plena, an dormire sine scapha & vase. Tamen dormire ipsum in se conuenit, quoniam ut quisq; nouit cruditatibus omnibus somnus maxime remedio est. De prima parte scito intelligendum esse dormire postq; vas exierit, in quo calida aqua continebatur, quia ita consuetum est, & praeterea balnea vires imbecillitant, si diutius in eis immoremur, nos tamen in vehementibus doloribus permisimus nonnunquam aegros in balneo dormire, sed per pauxillum temporis. postea exiccari & in lectum repositũ somnum perfecere, & liberi euasere. De secũdo absurdum videtur somnum cruditatibus omnibus esse praesidium, quia vigiliae ariditatem inducũt, & nimis exiccant, somni autem potius humectant & corpora cruditatibus implent. Respõdemus in somno naturalis caloris contractionem fieri, in qua contractione intenditur calor, propterea cruditates potius remouentur, quàm fiant, tamen scito cũ naturalis caliditas contracta sit, extreme partes, & tota circumferentia calorem proprium remittunt, tamen intrinseca natura ad extimas etiã partes nutrimentum suum transmittit, cum uero caliditas remissa sit, id nõ perfecte coquitur, ea coctione qua eiusmodi indigent membra, propterea cruditates multae fiunt & humiditates. iccirco id uerum est in somno naturã intrinsece esse fortiorem & melius coquere, sed in circunferẽtia oppositũ est, in qua fiunt cruditates.

## Hippocrates. Sectio CVI.

### Bibere itẽ vinũ tenue, & vetus, & meracius.

BRASAVOLVS. Iubet & author vinum tenue praebendum esse, & vetus, & meracius, ut cholera haec arida, idest flatus ipsi discutiantur, qui morbum faciunt, & resoluantur.

καὶ πίνειν οἶνον λεπτὸν καὶ παλαιὸν καὶ ἀκρητέστερον. idest, Et bibere vinum tenue, & vetus, & meracius. in sicca cholera quae ex flatu retento fit, author hic uinum praebet has conditiones habens, primo sit tenue vt cito penetret, nec in ventriculo immoretur, sed cito dilabatur, ne simul cum flatu ventriculum extendat, vinum accipit potius quàm aquam vt coctio adiuuetur, secũdo sit meracius, & tertio sit antiquius, vt sit calidius, nam meracius in vino caliditatem ostendit, & antiquitas secundum Galenum dat vino vehementiam quamuis nos in tertio libro edocuerimus id esse solũ uerum in vehemẽtioribus vinis quo ad certum tempus, quorum tamen aetas est longa. At cũ vere veterascunt vina minora efficiuntur & vires amittunt, vinumq; flatus dissoluit & exiccat, uideturq; author velle hunc tantum bibere debere & non edere, quia deinceps sectione. 103. iubet à cibis, atq; aliis abstinendum, quod fieri debet, quando vires constant, ut ostendemus, vnde dici potest dare potum, scilicet vinum, non quidem vt sit potus cibalis pro nutrimento, sed solum ut uentriculũ calefaciat, & cõcoctio procuretur, vnde erit veluti medicamentum. dabunt igitur vinum tenue meracius & antiquius. Nostro tempore si hic casus contingat, & id genus uini exhibere uoluerimus quod haec efficiat, vinum passum creticum, tamen intelligere possumus q; vinum bibat posteaquã aliquid ederit vinum flatus resoluit per substantiam humectat, & aegris placet. scito in hac sicca cholera non adesse febrem, iccirco vinũ tuto dari debet & potest. Sed dubium est in humida cholera an vinum conueniat. Respondemus si adsit intensa febris, nullo modo conuenire (nisi uires deficerent) si absque febre sit, vel cum modica febre, uinum dari potest, & conuenit, & ideo Paulus quãdo abest febris, dat vinum palmatianum, aut aminaeum, aut spatithen, aut omphacomeliten, & qui leuiter febricitant accipiendi, ac si nulla febre affecti sint, & ideo his illa uinorum genera danda quae austera sunt quando videmus impetum illum coerceri nõ posse, febricitantibus vero, scilicet intense vinum praebet ex malis granatis, aut ex myrto. Aetio non placet praebendum esse uinum nisi cum res fuerit in discrimine vt tunc detur, cum intolerabilis effusio existat, & pulsus emoliatur adprehendatq; frigiditas, & exudatio, & aliquando singultus, tunc ait ad vinũ trãseundum esse mediocriter adstringens, neq; viribus validum, & q; dulce quidẽ sit non autẽ odorum, ob eam cãm, quia odor ille ad superinas ascẽdit partes, & in hoc casu cũ res est in tali discrimine nõ est considerandũ an febrẽ habeat, uel nõ habeat, tũ si necẽria sit, plantaginis aqua dilui potest, vel decocto aliquo. sed Celsus Aetio opponitur, nam dicit. At cũ discussa cruditas est, tũ magis verendum est ne anima deficiat, ergo tum confugiendum est ad vinum. Id esse oportet tenue odoratum cũ aqua frigida mixtum, & re uera potius sit odoratum, vt vires odore etiam refocillentur, quia dicere odorem superiora petere, non est odorem prouocare vomitum. additq; Celsus huic vino vel polentam adiiciendam vel mel, ex quo patet vinum exhibere sine cibis, qui his. s. polentae & melli nõ misceret si cum cibis biberet. additq; quoties aliqd aut stomachus aut uenter effudit, toties per haec uires restituere, vt si cuomaẽ, iterũ bibaẽ, & hoc potu vires reficiunẽ. Celsus de Erasistrato miratur, qui & à principio vinum praebuerit, sed in paucissima copia, vnde inquit Erasistratus primo tribus vini guttis, aut quinis aspergẽdam potionem esse dixit, deinde paulatim merum abiiciendum. is si & ab initio vinum dedit, & metum cruditatis secutus est, nõ sine causa fecit, si vehementem infirmitatem adiuuari posse tribus guttis putauit, errauit. Alexander Trallianus vinum bonum dare iubet in hoc casu, tamẽ quicqd sit in affectionis principio, neq; cibus, neq; potus ad nutriendum danda sunt, sed si quis potus detur, sit ad euomendum, & sit pura aqua secundum probos authores. vinum dabitur vel iam incliuãte affectione, vel quocunque tempore si vires imbecillae redditae sint. Et si apud nos petas qualenam vinum conueniat dicimus vinu rubrum conuenire adstringens, odoratum, perlucidum & clarum, quod ex vua conficitur baccegana vocata, quasi grana habens bacciilam similia, quando matura sunt.

GALENVS. Vinum quidem exhibent, ut concoctioni adiumento sit, sed tenue, vt in ventre non moretur, uetus uero & meracius, ut calfaciat magis. Vinum siquidem omne habitum calfacit, magisq; quod vetus est.

BRASAVOLVS. A Galeno notatur ab hoc authore vinum exhiberi, vt concoctionem adiuuet, exhiberi uero tenue, ne in ventre moretur, sed descendat, exhiberi uetus & meracius, ut magis calefaciat, hoc enim est proloquium & velut maxima vinum omne calefacere, idq; magis efficere quod vetus est.
Notaq; Galenum dicere vinum omne calefacere habitum, nõ vinum calefacere omnem habitum nam graece dicit, ἅπας γὰρ οἶνος θερμαίνει τὴν ἕξιν. i. omne enim uinũ calefacere habitum. At dices vina aquosa habitum non calefacere, imo sunt habitu quodam frigidiora. Respondemus aquosa non existimari vina, licet vini nomen habeant, vnde equoce dici possunt vina, q̃uis & aliquo modo vini definitio illis conueniat.

## Hippocrates. Sectio CVII.

### Oleum quoque dabis vt quiescat, & venter subducatur: & soluitur morbus.

BRASAVOLVS. Praeter vini potum, qui pro medicamento, non pro nutrimento praebebatur, et in sicca cholera oleum praebere poteris vt quiescat ex olei lenitate, & aluus subducatur, quia oleum emollit, & ex hoc morbus ipse soluatur, qui siccus est, & ex solo factus flatu.

καὶ ἔλαιον διδόναι, ὡς τὰ ἡσυχάζῃ καὶ ἡ κοιλίη ὑπίῃ καὶ λύεται. idest, Et oleum dabis, vt quiescat, & uenter subducatur, morbusq; soluatur. cum huius morbi solutio in deiectione consistat, studet hic author omni modo aluũ prouocare, quod nunc facit oleo. tamen incertum est an per clysterem oleum

imponi

imponi velit, an per os propinet vtroque enim modo venter subducitur. Dicimus vtroq; modo intelligi posse, & per clysterem cum superius voluerit debere esse pinguissimum, & per os, tamen potius intelligere oportet per os oleum cõmune sumi, quod dolores mitigat, emollit, & siccitates humectat, imo & in hoc casu conuenit oleum amygdalarum dulcium recenter expressum, sed petes an in cholera humida oleum cõuenire possit. Respondemus per clysterem conuenire posse, sed per os dari non debet, vt Aetius notat, quia fluxiones auget, tamen plures medici in hoc casu oleum præbent, vel oleum amygdalarum dulcium, & iuuantur. nosq; plerunque in his casibus, uel vnum, vel aliud ex his oleis præbuimus, & mire contulit, quippe & vomitum, & deiectiones mitigauit, tamẽ post modicum temporis, & oleum exiuit, vnde & si ab antiquis non ponatur hoc præsidium in humida cholera, tamen ualere nõ negamus, & multos eo dolore & anxietate leuatos vidimus, qui denique sanitati restituti sunt.

**GALENVS.** Oleum quæ acria sunt lenit, placatq;, et siccitatẽ emẽdat, uentremq; moderate subducit, quibus oĩbus ei qui curatur est opus.

**BRASAVOLVS** A Galeno notatur oleum ea lenire quæ acria sunt, vt choleram facientes flatus, & eos placare, & inductam siccitatem emendare, imo & ventrem moderate subducere, his vero omnibus is indiget, qui ex sicca cholera curatur.

## Hippocrates. Sectio CVIII.

### A cibis autem, atque alijs abstineat.

**BRASAVOLVS.** Is qui sicca cholera premitur, à cibis abstineat, atq; ab omnibus alijs rebus quæ pro potu sumũtur, & impedire possunt.

σιτίων δὲ καὶ τῶν ἄλλων ἀπεχέσθωσαν, idest, A cibis aũt atque alijs abstineat, si uires constabunt, nihil edere debet neq; bibere pro potu qui nutriat, qui cholera sicca affectus est, per alia potum intellige, vel intellige à cibis abstinendum atq; alijs præsidijs cum oleum sumpsit, & in humida cholera ab initio cibus prohiberi debet, quo ad inclinationem perueniamus, si vis constabit & feret, semper enim vis ea sit quæ de cibo exhibendo iudicet. At petes quando cibum dabimus, quodnam cibi genus præberi debeat. Aetius suillos pedes coctos præbet, pullos columbaceos, & gallinaceos, perdices, palũbos, turdos, & similes. eisdem fere cibarijs vtitur in declinatione Paulus. Oua sorbilia conueniunt, & in summa quæcunque sunt facilis coctionis, & probi nutrimenti omnia ea exhiberi possunt.

**GALENVS.** Si corpori nihil desit, nullaq; apponendi quippiam premat necessitas, & cruda quædam concoctionis indiga contineantur, his requie est opus, & non cibarijs prius quàm contenta mediocriter concoquantur.

**BRASAVOLVS.** A Galeno notatur, quando nihil corpori desit, & nulla sit necessitas quippiam corpori apponendi, imo habeat quæ illi satis sint, & uires constent, & cruda quædã adsint quæ coctione indigeant in humano corpore, hos à cibis quiescere sinito, nec quicq; dederis, priusq; contenta mediocriter concoquantur, quia mediocris coctio exquisita est, nam quæ supra, vel infra mediocritatem est, illa praua est vel imperfecta & superuacua, quæ mediocris proba est.

## Hippocrates. Sectio CIX.

### Verum si dolor non cessauerit, lac asinæ bibendum, donec purgetur, dabis.

**BRASAVOLVS.** Omnibus his peractis quæ ab authore dicta sunt, si adhuc dolor perseuerabit, & non quiescet, ad ea discendendũ est quæ corpus purgant, tamen non sunt danda fortia medicamenta, sed leuia & emollientia, propterea lac asinæ bibendum præbeto donec purgetur, hoc est tanta præbeatur quãtitas, quãta corpus subducere possit, quo subducto, is sanus est qui erat sicca cholera affectus.

ἢν δὲ μὴ παύηται ὁ πόνος, γάλα ὄνου πίνειν ἕως καθαρθῇ. i. Si uero non cessauerit dolor, lac asinæ bibendum dato donec purgetur. quãuis cholera sicca tantum habeat flatus acres, tamen hic author purgat, hoc est aliquid dat quo expurgetur id quod in ventre continentur etiam si flatus sit, his enim excretis sanitati restitutus est, quia vult author flatus in uentre retineri. At quia inter medicamenta aliqua sunt faciliora, aliqua difficiliora, author præbet facilius medicamentum, & mitius quod inueniri possit, hoc uero est asinæ lac. & si petas lactis exhibendi quantitatem, author illam non determinat, & vult tantum lactis dandum donec purgetur, superius præbuit vsque ad heminas sexdecim, lac enim ventrem emollit, & excernere facit. An uero in humida cholera asinę lac conueniat, profecto ea potius vterentur quàm alio medicamento, nam naturæ amicum est. De alijs vero medicamentis posterius in curationis processu dicetur.

**GALENVS.** Si feceris quod dictum est, & dolor non soluatur, contristantis causæ maiorem esse acrimoniam existimandum: atque ob id corpus purgare oportet. Lacte asinæ utendum præcipit, quod purgãtia inter medicamẽta oĩa mitius, trãquilliusq; existit, id quoq; & lacte omni humidius est, & uentrẽ magis subducit.

**BRASAVOLVS.** A Galeno notatur hunc authorem innuere, cum ea omnia quæ dicta sunt feceris, tamen ex illis præsidijs dolor non soluatur, cõiectari oportere, maiorem esse causam quæ contristat, et prauum affectum facit. & si petas quænam sit causa, quæ contristat & affligit, iudicat esse maiorem acrimoniam quę in flatu est in uentre contento. vnde ob hanc causam corpus purgare oportet. & si genus medicamenti petas quo uti oporteat, id fit asinæ lac, quod & ipsum est purgans medicamentum, tamen inter omnia medicamenta lac mitius est & tranquillius cęteris, imo & asinæ lac omni alio lacte humidius existit, & ventrem magis subducit, quia lubricum & humidum.

### Choleræ curatio sequitur.

Intulimus ergo in humida cholera & lac asinæ cõuenire, quando euacuare intendimus, ipsumq; solum materias quas expurgare volumus, ad intestina & ad exitũ ducere potest, at de medicamentis quæ conueniunt postea dicemus.

Nunc considerandum est an eiuscemodi affectio quatuor habeat tempora. Respondemus, nonnunq; esse adeo breuem & sæuum morbum, vt in augmento semper esse videatur, tamen sua habet tempora, in quibus diuersa agere oportet. Nos igitur de ipsis temporibus primo agemus. Est choleræ principium cum homo nauseam persentire incipit. & excernẽdi quoddam desiderium, hoc tempore vomitus prouocandus est, & alui deiectio, vomitus aqua calida, & alui deiectio clystere. cũ deinde euomere incipit & excernere in augmento est, in quo tempore simul cum principio neq; cibus neq; potus præbenda sunt, sed potius bis, ter, & quater vomitus prouocandus est, & clysteres imponendi. cũ vero fit maxima pugna, & vomitus ac deiectio in extremo sint, tunc morbus in uigore est, in quo frenandus iam vomitus est, & illa intus extraq; præbenda, quæ hũc efferem motum mitigent atq; effrenent, de quibus particulariter agemus, cum de vnaquaq; cholerę specie pertractabimus, vt per humores differunt, & per causas ex quibus fiunt. cum & vomitus & deiectio quiescere incipiunt, & ipse iam persentit se esse ab onere parumper leuatum, inclinatio est. At hic morbus plerunq; est adeo vehemens, ut duo tantum tempora cognoscantur, augmentum, scilicet & inclinatio, vnde Paulus Aegineta de omnibus temporibus simul loquitur quousq; ad inclinationem perueniat, in qua particulariter præsidia mutat.

Cum ex quatuor humoribus fieri superius enarratũ sit, de uno quoq; particulatim loquemur. Si à sanguine fiat, primo interiorem seu brachiariam venam secato, postea si quid sanguinis ad ventriculum regurgitauerit, vel in intestinis relictum sit per uomitum si in ventriculo sit educas. si in intestinis per clysterem. in reliquis postea curetur vt in biliosa dicemus, tñ illa nõ sint adeo frigida quibus in hac affectione utemur, ut illa quę in biliosa accipiemus. Si ab atra bile sit, uenę sectio non fiat, sed uomitu & clystere id quod in vijs est euacuetur, & si reliquo corporis materię trãsmittantur, per frictiones diuersio fiat, per ligaturas, & reliqua, de quibus agemus, quę in omnibus choleræ speciebus vniuer

faliter conueniunt.

Si à pituita fiat, & vomitus ꝓuocandus est, & clyster imponendus, postea diuertendū & frenāda materia ꝑ illa quę frigida nō fiot uel non multū frigida, et q̄ uentriculū uel īteſtina roborāt. Si à bile fiat, uel à corruptis cibis, vel à corruptis cibis & bile (nam his modis vt plurimum fit) tunc factis per vomitus & clysteres euacuationibus applicanda sunt extrinsecus prӕsidia, quӕ ventriculum roborent, & per os frigida prӕbendum, quę aliquam adstringendi uim habeant, unde in hoc casu à uino granatorum incipito, & ad ribem progrediaris, & ad uinum myrtite, & diuersiones fiant per frictiones et ligaturas, & per cucurbitulas sub ventriculo, oleum mastichinum exterius ponatur, aut nardinum, vt dicit Paulus, si hyems fuerit.

Sed hic una occurrit dubitatio de aquę exhibitione in hoc casu, quia omnes conueniunt dandam esse aquam, sed de exhibitione secundum quantitatem authores differunt, nam quidam uolunt dandam esse aquam frigidissimam. Quod Aetio repugnat dicenti. in potu autem frigida aqua cyathi mensura prӕbeatur absorbenda. cauendum tamen ne nimium frigida exi stat. aceruatim enim exhibita reuomitur, & quӕ ualde frigida est aliquando innatum calorem stupore suo extreme offendit, aut inflammationem stomachi aut uisceris alicuius efficit, et Paulus dicit aquӕ porro mediocriter frigidӕ cyathū ad sorbēdum exhibeto. & Celsus dicit aqua neque ea ipsa frigida sed potius egelida danda est. At petes an in omni specie frigida aqua exhiberi possit. Respondemus in pituitosa & atrabilari non esse prӕbendam, uel sit tepida vel calida. in biliosa uero, in sanguinea, & in cibis corruptis dari nihil refert, imo in calida cholera. Aetius (neque ab re) iubet vuӕ pampinos esse aquӕ imponendos quę bibi debet, vel etiam modicus punici succus.

Verum quia eiuscemodi curatio simpliciter procedit nisi adsint symptomata, propterea secundum symptomata curationem faciamus, quia talia sunt vt ad se curationē trahant. inter alia symptomata unum & potissimum est sitis, quӕ fit tū quia materiӕ quӕ exeūt biliosӕ sunt calidӕ & siccę quӕ fauces exiccant & gulam, & exasperant, tū quia adest simul mistus putridus cibus ob putredinalem calorē supercalefactus, tū quia magna fit euacuatio, ad quam sequitur sitis, tum quia magnus fit motus & magna agitatio, quę exiccant. in sanguinea etiam sitis fieri potest. in atrabilari pauca sitis adest, tamen si adesset & ӕgrum vexaret, aquam boraginis in potu prӕbeto, vel acetosӕ. in pituitosa nō fit sitis. in biliosa igit, & cibis corruptis aquā prӕbeto nō multum frigidam in potu, vt sitis illa extinguatur, & impetus simul motus ad uomitum & secessum. Paulus dat cucumeris semen cum aquӕ cyathis tribus, cucumeris semen conuenit. imo nō desunt qui cucumeris à nobis anguria uocati succum exhibeant. At cum facile corrumpatur hic succus conuenire nō uidetur. hi nihil penitus comedere debēt nisi in morbi inclinatione. Verum si tales sint ut abstinere nolint. Paulus dat intyba, & lactucas in posca elixas. in potu pro sedanda siti, non prӕberem quod ab Aetio describitur polentam. s. tenuem sine sale, uino diluto inspersam et absortam. nullus illam potaret nostro tempore. in cibo ptisanam prӕbemus colatam. acetaria ex cichoreo lactuca & similibus quӕ frigida sunt, tamen ex aceto & parum olei ac salis condita. in hoc casu authores uentriculū aqua frigida madefaciunt. neque istud facere auderem, ne partes nimis infrigidarentur, quӕ & iam imbecilles effectę sunt, at quia uomitus nonnunquam prosequitur, neque ex his quӕ prędicta sunt sisti potest, propterea Paulus iubet apponendū ἐπιθέμα cataplasma ex oenanthe, acacia, hypocystide & malicorio. seruatur emplastrum diaphinicon ad hoc propositum ad alui profluuia in pharmacopolis, potest & subsequens iunctio confici.

℞ Oenāthes. i. floris labruscę,
Hypocystidis,
Malicorij,
Acaciӕ,
Rhu obsoniorum, — singulorū drach. j.

Excipiantur oleo myrtino, & ventriculus inungatur, & totus venter. si uero homo inanis sit, & crura ac brachia contrahantur, nam hoc est futurӕ conuulsionis indicium, imo quӕ iam in actu est, & fit, tunc iubet Celsus vt absinthij potio interponatur. itelligimus potionē succi absinthij, uel decoctū ex absinthij coma. at quia nonnunquā vigiles sunt, propterea iubet Paulus dandum diacodium. idemq; Aetius iubet, & faciendӕ sunt extremorum lotiones ex uitium folijs & persicorum & salicum atque chamomalli. si uires desint, & extremӕ partes frigeant, pulsusq; deficit, iubet, ad alimenta quӕ optimi sint nutrimenti & facilis accedendum est, ut sunt oua sorbilia, contusa pullorū caro & iure eliquata, uinum & cibi molles, qui facile concoquantur, vinum ab omnibus prӕfertur austerum & stipticum, & adde colore rubrum, uel quod nunc vulgo dicimus nigrum. Aetius exprimit debere mediocriter adstringere, neq; uiribus ualidum esse oportere, & quod dulce quidem sit, non tamen odorū, sed vt superius ostendimus odorum magis nutrit, & magis conuenire uidetur vt Celso placet. at quia nonnulli sunt quibus prӕdicti displicent cibi, neque perdices ut phasianos, aut delicatiores alios cibos senore possunt, his & Paulus & Aetius uolunt transeundum esse ad fructus stipticos ut mespila sunt vel nostratia vel tricocci. i. lazaroli uocati ut pira crustumia, vt cydonia, ut punica. Aetius etiam prębet uuas maxime quӕ uinaceis interpositis seruantur, & pensilem quoq; vna cum acinis expedit manducare. arbitramur id uoluisse Aetium, non quia acini concoquantur, sed quia adstrictione quadam insignes sunt.

Ad extremitatum frigora. Celsus inungit oleo calido, cui parum cerę sit admixtum calidis. s. utitur fomentis, quibus scilicet fouet extrema, hoc igitur fomentum prӕparari iubeto.

℞ Foliorum lauri,
Saluiӕ,
Mentӕ,
Chamӕmalli,
Stœchadi,
Pulegij,
Calamenti,
Rut, — Singulorum M. j.

Ebulliant in aqua secundum artem, & extremis fomenta adhibeantur. imo & hӕ herbӕ in vino coqui possunt.

Veruntamē quia plerunq; his etiam omnibus peractis cibum continere non potest, propterea Paulus in hoc casu iubet vt cucurbitula, quā maxima stomacho infigatur. potest & supra stomachum, & sub illo poni, in quacunq; sit parte cibum teneri facit. à Celso sinapi supra ventriculum ponitur intellige esse in emplastri formam redactum.

Contingit vero & horū membra cōuelli & contrahi, ꝓpterea in hoc casu iubet Paulus ut linteola oleo imbuta, musculis calida circūponantur. imo deinceps liquida castorei cerota imponere iubet, idq; animaduertit, priusq; hӕc musculis apponātur, eē ꝑfundendos aqua calida, vt. s. naturalis calor excitet. Aetius & ipse inquit ad cōtractiones in musculis factas, uestis detritӕ pāniculi oleo calido madefacti conueniunt. contractis musculis impositi & cerata humida castoreum accipientia, & omnes iubent accipi oportere oleum sycionium, & Aetius prӕterea nominat irinum. hoc apud nos in promptu habetur. tamen an castoreum conueniat in hoc casu, an nō, valde ambiguum est, quia hӕc est conuulsio ex inanitione ob nimiam euacuationem non ex repletione. in hac autem conuulsione & contractione illa non conueniunt quӕ calefaciunt & exiccant, quale castoreum est. imo Galenus. xj. de simplicium medicamētorū facultatibus, vbi de castoreo agit, docet castoreū esse aduersissimū ubi conuulsio est ex inanitione. nulli uero dubium est cōuulsionem, in hoc casu esse ex inanitione, quia ob nimiam fit euacuationem. Quicqd ergo & Paulus & Aetius de castoreo in hoc casu dixerint, nos potius Galenum sequamur, qui castoreum non cōuenire censet, ut potius oleum commune accipiendum

sit,

sit, oleum amygdalarum dulcium, et oleum liliorum alborum. In huius morbi vigore recentes & antiqui quando materia est calida, frigidam aquam supra ventriculum imponunt, & lintea in aqua frigida madefacta. imo & Arabes nunc utuntur. nos his uti non auderemus, sed potius alijs frigidis stipticis. cum uero ad inclinationem accedes, Paulus & Aetius volũt in balneum aquæ tepidæ ducendos esse, postea cum exiccati fuerint, in mollem lectum ponantur. in cibisq; præbeãtur phasiani, perdices, pulli columbarum, suum pedes, nos præbemus vitulorum pedes, & auiculas quæ in arboribus immorantur. quiescere permittendi sunt, ac dormire, nã inter præcipua quæ fieri possunt in hoc casu est somnum inducere, & paulatim roborandus uentriculus & intestina, nam hic morbus & uẽtriculi & intestinorũ est, ut Celsus iudicet fac le discerni non posse, an uentriculi, an intestinorum sit, quando uomitus à bile est conuenit tepidum hoc medicamentum stomacho applicare.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ Balaustiarum, | | |
| Acaciæ, | | |
| Corallorũ alborum, | | |
| Rosarũ rubrarum, | singulorum | drach. ß. |
| Boli armeni, | | |
| Thuris, | | |
| Mastiches, | | |
| Camphoræ, | | |
| Farinæ hordei | | vnc. vj. |

Succi malorum agrestium, vel pirorum agrestium, uel punicorum acidorum, quantũ sufficit. misceantur & in forma emplastri ventriculi fundo applicentur, & ori ventriculi in parte posteriori dorsi inter. 13. & 14. spondilem. si vero materia fuerit frigida, fiat hoc aliud emplastrum, (ita nunc vsurpo secundum recentes nomen emplastri.)

| | | |
|---|---|---|
| ℞ Rosarum rubrarum, | | |
| Mentæ, | | |
| Absinthij, | | |
| Saluiæ, | singulorum | M. j. |
| Stœchadis, | | |
| Pulegij, | | |
| Calamenti, | | |
| Nucum cupressi, | | |

Misceantur & bulliant ad consumptionem tertiæ partis, deinde in mortario optime contundantur, & his adde

| | | |
|---|---|---|
| Farinæ hordei | | vnc. viij. |
| Gariophyllorum, | | |
| Mastiches, | singulorum | vnc. ß. |
| Macis, | | |
| Gingiberis | singulorum | drach. ß. |
| Cinamomi | | |

Misceantur, & ex oleo de absinthio fiat emplastrum. quod uentriculo applicandum est. in materia præterea calida subsequentes pilulę exhiberi possunt ut profluuiũ sistatur et uomitus simul.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ Seminis papaueris | | drach. ij. |
| Seminis hyoscyami albi | | drach. j. |
| Opij, | | |
| Croci, | singulorum | scrup. ß. |
| Castorei, | | |
| Sumachiorum, | | |
| Acaciæ, | singulorum | drach. j. |
| Berberis, | | |
| Spodij, | | |
| Succi glycirizæ | | drach. ß. |

Misceantur, & conformentur pilulę ex succo cydoniorum, vel punicorũ acetosorũ, & cũ æger cibũ acceperit detur drach. semis, non solum vomitum sedant, & deiectiones, sed & somnum inducant. At si materia est frigida possunt sequentes pilulæ eadem hora exhiberi, quas multum conferre expertus sum.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ Mentæ, | | |
| Absinthij, | | |
| Cinamomi, | singulorum | drach. ß. |
| Stœchadis, | | |
| Rosarum rub, | | |
| Macis | | |
| Ganophyllorum, | singulorum | drach. j. |
| Gingiberis, | | |

Misceantur, & cum succo absinthij fiant pilulæ. quarum scrupulus vnus ex vino cretico passo accipiatur. At si materia sit mista, mistis etiam uti oportet ex calidis & frigidis, vt omnibus occurratur.

Vna vero ambiguitas est in hoc casu, an in vltima desperatione Philonium dari possit. Respondemus si vires deficerent, profecto dandum non esset. quoniam & nulla soporifera in virium defectu conueniunt, tamen si uires constent, præberi possunt, sed prius opus est materiam in parte saltem exiuisse.

Dubitabis præterea an syrupi exhibendi sint. Respondemus si tempus adsit & occasio præbeatur dandos esse censemus. & si materia sit frigida subsequentes conueniunt syrupi.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ Syrupi de absinthio | | vnc. j. |
| De rosis siccis | singulorum | vnc. ß. |
| De menta | | |
| Aquarum absinthij | singulorum | vnc. ij. |
| Mentæ | | |

Misce, & si lubet clarificetur.

At si materia sit calida, subsequentes syrupos præbeto.

| | | |
|---|---|---|
| ℞ Syrupi myrtini | singulorum | vnc. j. |
| De rosis siccis | | |
| De absinthio | | drach. ij. |
| Aquarũ plantaginis | singulorum | vnc. ij. |
| Solatri | | |

Misce, & si lubet clarificato.

Post hæc medicamenta præbenda sunt vt humores exigunt, qui affectum faciunt, de quibus aliàs scriptum reliquimus. scito autem medicamenta debere esse mediocria & potius imbecilla quàm fortia, ne ventrem magis turbent, quàm ex vomitu & deiectione perturbatus sit.

Si ex ventriculi imbecillitate fiat hic affectus, uentriculus roborandus est absinthio, menta, & similibus, præbendumq; austerum vinum non iniocundum.

Si ex nimia fiat ventriculi caliditate (quod rarissimum est) cibi dentur durioris coctionis, vt Galenus monet, & vinum præbeatur granatorum, & fructus acerbi.

Si ex mollium humorũ redundantia fiat, illos & per vomitum & per secessum euacuato, & mista ex calidis & frigidis ventriculo applicato, tamen in hoc casu cum humores molles euacuati sunt, statim cessabit affectus.

Si ex aquæ frigidæ potu contigerit, ventriculum calefacito, simulq; adstringentibus vteris. in hoc casu præcipua sunt absinthium & cupressi conus.

Si ex incessu nudis pedibus sequatur. conuenit quod superius ex huius libri authore sententia dicebatur, vti cerotate, & calida aqua, in qua cineres ebulliti sint. in hac pedes lauẽtur, & uentriculus calidis & adstringentibus roboretur, qualia sunt absinthium, gariophylla, & cupressi nuces, ac similia.

Si ab humore fiat mordicante, humorem istum euacuato, eo enim excreto nihil amplius aderit quod ventriculum mordicat.

re possit, & ad expellendum irritare, ad quam irritationem sequetur aliorum humorum motus.

Si ex ui medicamenti fiat, quę sit in ventriculo derelicta, opus est vt aliquis praebeatur potus qui obstet medicamenti, apud Serapionem de eo refertur, qui helleborum sumpserit, & euacuatio prosequatur, quod praeberi debet aqua decoctionis bautrach, idest salis nitri, quia vis humorū attractrix illos attrahens qui expelluntur ex ui bautrach impeditur, & ita cessat attractionis motus, & ex cōsequenti uomitus & deiectio, imo ex hac decoctione causae omnes uomitus, quę tali fiunt modo per attractionem iuuari possunt.

Si ex fungorum esu contingat hoc est ab illius naturę proprietate ut de vxore mea dictum est, & sicuti ex proprietate quadam, oua edere non possum, quis sapiant. Nam statim cum ea ederim, maxima cum perturbatione euomo, in hoc casu hi cibi praetermittendi sunt, in discrimine vero his praesidijs succurrere oportet, quae à Dioscoride dicuntur, cum quis à fungis læditur, inter optima, uero praesidia unum est vt lac bibat, & quicquid ederit euomat, postea fructibus utatur austeris, & uino granatorum acetosorum. hi facile curari solent, nisi sint fungi venenosi. Tamen vxor mea post fungorum esum: & vehementissimam trium dierum choleram, febre correpta fuit, qua per multos menses fuit vexata, in illo casu necessarium fuit febrem curare ut febris erat, quod & à Celso notatur.

Si ex esu cucumerum fiat & portulacarum, et fructuum post cibum, primo uniuersalem exigit curationem per uomitum & deiectionem omniū quae in uentriculo continentur, postea ventriculus roboretur ex his quae superius dicta sunt, vt absinthio, mastiche, cupressi nucibus, Gariophyllis, cinamomo, gingibere, & similibus. Hęcque de cholera satis dicta sint, vt ad alia accedamus & denique librum hunc finiamus.

## Hippocrates. Sectio CX.

**Si venter liquidus fuerit, bilisque excernatur, vexentque tormina, & vomitus, & suffocatio, quiescere his est optimum, mulsam bibere, & vomere.**

BRASAVOLVS. An de sicca cholera adhuc author loquatur, an ad alia transiuerit Galenus ambigit, tamen dicere possumus, cum de sicca bile author locutus sit, & curationem (licet mutilate) posuerit, nunc de humida agere cholera, in qua ut plurimum bilis excernitur, & cum torminibus euomitur, & tali anhelitus pressura ut suffocari videatur, propterea dicit, si uenter liquidus fuerit, hoc est liquida deiecerit, haec vero liquida sint bilis, & tormina vexēt, & simul adsit vomitus, qui & ipse biliosorum sit humorum, & is inter euomendum suffocari videatur, hi qui ita affecti sunt, curandi sunt, primo per quietem, ne se hinc inde agitent, deinde aqua mulsa praebenda est, & vomitus prouocandus, proculdubio hoc est cholerae humidae, curationis initium, propterea si placet ita authorem intelligere, vt de tali cholera loquatur, illum sensum accipito. sin minus Galenum sequeris, cuius expositionem in commentatione afferemus, tamen nec quod diximus à Galeno dissentit. si quis aptare voluerit.

ἢν δὲ ὑγρὴ ἡ κοιλίη ᾖ. i. Si venter liquidus & humidus fuerit, hoc est si per infernas partes excernatur.

καὶ χολὴ ὑποχωρέῃ. i. Bilisque excernatur, vt duo forte sint, cibus corruptus, qui per ventrem liquidum significatur, & bilis excretio, quoniam & bilis ipsa exeat, quae fiunt vbi adest cholera, nempe cibus corruptus nonnunquā incipit, & postea bilis sequitur, vel intellige per liquidum ventrem illum è quo fiat excretio, postea excretionis genus exponat, quae bilis est, quoniam è bile vt plurimum fit cholera.

καὶ στρέφῃ. i. Vexentque tormina, nā in cholera fuerint tormina & vehementia, & perturbationes maximae.

καὶ ἔμετοι. i. Et vomitus, quia vomitus est de cholerae essentia, & hic vomitus est biliosus, nam eadem materia specie per vomitum & per secessum exoritur.

καὶ πνιγμοὶ. i. Et suffocatio, ex vehementia quae in vomitu fit & compressione supra septum transuersum, & in cholera adest haec angustia qua suffocari uideantur.

τούτοισι κράτιστον ἀτρεμίζειν. i. His quiescere optimū est, quia in hac perturbatione quies multū ualet, vt motus etiam excretionum quiescat, nam ab Hippocrate, in aphorismis quiescendum iubetur, quando medicamenta ne amplius educant prohibenda sunt, & cum euacuare intendimus mouendum corpus.

καὶ μὴ ἐμέειν. i. Et non vomere. Optimum est. contextus Aldinus ita habet cum negatione nō vomere, sed alter graecus contextus affirmatiue legit καὶ ἐμέειν. i. Et vomere Galen. in suo contextu affirmatiue legebat, sed postea correxit, vt negatiue legatur, quia mulsa detergendi pollens facultate potius per inferiora deiicere facit. Idque cōmodius est, neque tunc potest vomitus nocumenta incurrere, vnde mulsa bibenda, & non vomendum, sed potius sinendum, vt per inferna ducātur. at dices cum hi vomitum habeant cur dicere non vomere? Rñdemus, intellige non euomere. i. non prouocare se ad vomitum, si vero sponte euomere cogantur cōtineri nō possunt. Copus huic sententiae alium praebet sensum, ipse enim ita intelligit, quod aluo soluta, si bilis deijcitur, & tormina, vomitiones suffocationesque infestent, quiescere oportere, mox aquā mulsam bibere & uomere, ut non possit facile aptari ad choleram, tamen non est multa in sensu differentia.

GALENVS. An de arida adhuc cholera agat, an per se haec intelligenda sint, non satis constat. Sed quocunque res ierit, contineri in uentre uidetur bilis, quae acris & eluitu cōtumax sit. Ventrem autem moderate subducere, atque quae in uentre continentur concoquere molitur. Subducetur autem mediocriter aqua mulsa, & per requiem concoctio fiet. Qui autem in affectionibus huiusmodi sępius ualenter auxiliatur, is cacochymiam valente medicamento affatim expurgat, uires cōtemplatus, ęgri habitum, anni tempus, aetatem, & constitutionem. Quod autem in fine dictionis dicitur, mulsam bibere, & uomere, quasi superiorem uentrem expurgari author uoluerit, melius cū aduerbio, non, dicetur. Nam mulsa detergēdi pollens facultate, quae corrupta sunt in naturalem perduxerit uiam, idque citra oris uētris tum lęsionem, tum periculum, quae per uomitum contrahi possunt.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat incertum esse an hic author de arida cholera adhuc loquatur, an per se haec intelligenda sint, tamen uel haec in arida cholera intelligamus, vel haec sint tanquā per se dicta, & intelligaī de cholera humida, bilis in uentre contineri uidetur, quae acria sit, & elui contumax, sed hic author molitur uentrem moderate subducere, & illa quae in ventre continentur cōcoquere, moderata autem subductio fiet per aquam mulsam, concoctio uero fiet per requiem.

Secundo Galenus notat in huiuscemodi affectionibus sępe uniuersim et affatim auxilijs uti opus esse, quod si fiat ualēti fit medicamento, eiusmodi uero medicamentum cacochymiam expurgat. at praeberi non debet uehemens hoc medicamentum, nisi prius quae sequuntur considerata sint, vires, aegri habitus, anni tempus, aetas, & constitutio.

Nota ex hac parte colligi cacochymiam per medicamentum solui, sicuti plethora per venae sectionem. Scito praeterea cum medicamentum vehemens exhibere uolumus, nō esse temere exhibendum, sed illa prius consideranda quae referuntur, in paruis uero medicamētis et in mediocribus omnia cōsiderāda non sunt, sed uires solę sunt attendendę, ne sint penitus exhaustę.

At dices uideri in principio forte medicamentum exhibere authorem nulla coctione facta. Respondemus, non dicere in principio, uel in alio tempore, sed opus esse intelligere in tempore conuenienti. tamen in proposita cholera magnis uti non debemus medicamētis. ppterea Galen. hoc dicit, ꝓ his q ualentibus uti uolunt medicamentis, ut quid agere debeant non ignorent.

Tertio Galenus notat particulam illam quae in huius sententię fine scripta est, mulsam bibere ac uomere, ac si author uoluerit superiorem uētrem expurgari, melius legatur si cum particula

non,

non legatur, quoniam mulsa detergendi facultatem habet. propterea quæ corrupta sunt, in naturalem dirigit viam, & per infernas partes demittere facit, & hoc cum fiat est citra oris ventriculi læsionem & periculum hæc vero per vomitũ contrahi possunt, nam os vẽtriculi in vomitu male afficitur, & plerunq; cardialgias homines incidunt ob bilem quæ illi inhæret & commordet.

## Hippocrates. Sectio CXI.

Hydropum duæ sunt naturæ: quorum hyposarcidius si hominem aggreditur, vitari non potest, alter ex flatibus constat, multaq; & bona indiget fortuna, curaturq; tolerantia, fotu & temperantia, sicca autẽ & acria edat, ita enim maxime tum minget, tum valebit. Si difficulter spirauerit, fueritq; anni tempus æstiuum, & floruerit ætas, viribusq; fuerit valentibus, sanguinem a brachio tolles, deinde calidos panes ex vino nigro & oleo tinctos dabis: isque quamminime bibat, & quamplurimum laboret: suillamq; edat carnosam ex aceto coctam, vt aduersus arduas resistat inambulationes.

BRASAVOLVS. Absq; vlla præcedentium cum sequentibus continuatione, author ad aquæ intercutem species descendit, uel cum ex cholera sicca si flatus retineantur tympanitis fieri possit, & ex humida si materiæ retineantur, possit fieri hyposarca. propterea post duas choleræ species posuit & duas hydropis species, in quas potest æger incidere, itaq; ratio habebitur cum continuatione, cur de duabus solum loquatur febribus, tamẽ cum & ex cholera humida sequi etiam possit ascites. propterea diminutio euitari non poterit, si ita continuare placet cõtinuato, sin minus Galenum sequaris. Ad rem igitur docet author duas esse aquę intercutis species, unam subcarnosam, quę si hominem aggreditur vitari non potest. Alia vero fit ex flatibus, quæ bona indiget & ampla fortuna, & tolerantia curatur, fotu ac temperantia, cibiq; huius aquę intercutis sicci sint & acres, quoniam ex his plurimum minget, aquæ valebit, in hac etiam specie spirandi fit difficultas, quæ si adfuerit, & simul anni tempus æstiuum, & ætas sit florida, viresq; valeant, sanguinem è brachio auferre poteris, postea calidos panes ex vino nigro & oleo tinctos dabis, iubeq; hunc q̃minime bibere, & q̃plurimum laborare, denique suillam carnosam ex aceto coctam carnẽ edat quæ est valens nutrimentũ, vt resistere possit aduersus arduas ambulationes & labores.

ὑδρώπων δύο φύσιες. idest, Aquæ intercutis duæ naturæ: per naturam hic speciem intelligit. vnde nonnunquam de aliquibus rebus notat Galenus nihil referre dicere species vel naturas, vel differentias, vel genera, vel intelligamus dicere voluisse duas hydropum naturas, quarum altera curationem admittit, altera non admittit, tamẽ illum potius de speciebus intelligere oportet, sed valde decurtatus videtur, vtpote qui vnam aquæ intercutis speciem prætermittat quæ ascites dicitur.

ὧν ὁ μὲν ὑποσαρκίδιος, ἐγχειρέων γίνεται ἄφυκτος. idest, Quarum subcarnosa si aggreditur, vitari non potest. hęc aquę intercutis species quę subcarnosa & hyposarca vocatur, quando hominem aggressa est euitari non potest, hoc est curari non potest neq; sanari, & profecto cum est confirmata non sanatur in principio vero curari potest quando sola adest καχεξία, & malus habitus nondum per totum confirmatus, tamen & in confirmata anasarca medicus aliquid agere debet, vt saltem ægro sit solatio.

ὁ δὲ μετ᾽ ἐμφυσημάτων πολλῆς εὐτυχίης δέεται. i. Alia vero ex flatibus constans, multa egens bona fortuna, hæc secunda aquę intercutis species tympanitis uocatur, quę ex flatibus confecta est, & si ventrem percusseris vti tympanum resonat. vt autem ostendat & hanc speciem esse curatu difficilem, inquit hanc indigere multa bona fortuna, quoniam & hęc cum est confirmata, difficulter sanatur. tertiam prętermisit speciem, quę est ascites, de qua nullam mentionem facit.

μάλιστα δὲ ὑπὸ ταλαιπωρίης, καὶ πυρίης, καὶ ἐγκρατίης. i. Maxime vero tolerantia & fomẽto & tẽperantia curat, vel expone ταλαιπωρίης, idest labore, nã inter alia quę refert, in huius aquæ intercutis curatione est labor, hocq; commune est omni aquę intercuti laborare defatigari, et naturalem calorẽ excitare imo & fomenta sunt omnibus aquæ intercutis speciebus communia, & pari modo temperantia quæ in victu sit, & alijs omnibus in rebus.

ξηρὰ δὲ καὶ δριμέα ἐσθιέτω. idest, Sicca vero & acria edat: his etenim flatus exiccabitur & discutietur, imo & hęc conueniunt in alijs aquæ intercutis speciebus.

οὕτω γὰρ ἂν οὐρητικώτατος εἴη καὶ ἰσχύοι μάλιστα. i. Ita. n. citissime reddet urinã & copiose, & maxime ualebit, quoniam acria & sicca vim habent prouocandi vrinam, iccirco anisa & fœniculi & seseli, quia calida & sicca vrinam prouocant, in hydrope vero vrinæ copia salutaris est.

ἢν δὲ δύσπνοος ᾖ, καὶ ἡ ὥρη θερινὴ ἐοῦσα τύχῃ, καὶ ἡ ἡλικίη ἀκμάζῃ, καὶ ῥώμη ᾖ, ἀπὸ τοῦ βραχίονος αἷμα ἀφαιρέειν. i. Si vero spũs difficulter reddit, fueritq; anni tẽpus æstiuum, & floruerit ætas, viribusq; fuerit valẽtibus, sanguinem à brachio tolles iubet sanguinem huic è brachio esse auferẽdum, sed multis conditionibus seruatis, primo sit in æstate, alij legunt in uere vt in Galeni commentatione dicemus, & ætas sit florida, quia sanguis neq; in pueritia, neq; in senio auferri debet, & vires constent. scito vero hoc præsidium absurdum esse, quoniam non educitur sanguis in tympanite, neq; in ascite, imo neq; in subcarnosa, nonnullis exceptis casibus, vt quãdo facta sit ex mensium retentione in mulieribus, & in viris quãdo sequitur ad retentas hemorrhoidas prodire consuetas, & ideo hoc præsidiũ improbandum est in tympanite, adsunt quęcũq; alię conditiones, tñ plethoram habere posset æger, rõne cuius esset mittẽdus sanguis, sed id rarissimũ, in his confirmatis adesse plethorã.

εἶτα θερμοὺς ἄρτους ἐξ οἴνου μέλανος καὶ ἐλαίου ἀποβάπτων ἐσθιέτω. idest, Postea panes calidos, ex nigro vino, & oleo intinctos dabis. Post sanguinis missionem hæc pręBenda iubet, panes calidos in uino nigro & oleo madefactos. Edulium videtur ualde absurdum miscere uinum oleo, & panem in hac compositione ingerere, nam si oleum cum vino concutiatur vt fiat miscella vinum perturbatur, & nauseam ferè incitat, si non misceatur, totum oleum inhęrebit pani, nam & supernatat panis autem calidus, non tantum in tympanite, sed & in sanis damnandus est, vtpote qui euaporet in caput, & illud impleat, atq; capitis dolorem pariat, et sit concoctu difficilior. huius partis intentio alia esse non potest, q̃ vires roborare post venę sectionem ex hoc cibo & potu, vinum quidem nigrum amplum dat nutrimentum, sed crassius cæteris & obstruens, iccirco Galenus fuluum potius laudat, quod vrinã prouocat, & tenuium est partium, nam hoc pręsidium à Galeno laudatur, quod prorsus improbandum est, tum ex olei misella cum uino, tum ex uini nigredine, tum ex panis caliditate.

καὶ ὡς ἐλάχιστα πίνειν ὡς πλεῖστα πονείτω. i. Isq; quãminime bibat, & quãplurimum laboret. Scopus est vt exiccetur qui est in vẽtre flatus, nihilq; ex potu addatur, dedit præterea vinum cum pane ut laborem ferre posset.

καὶ κρέα ὕεια σαρκώδεα ἐσθιέτω μετὰ ὄξεος ἑφθὰ, ὅπως πρὸς τοὺς προσάντεας περιπάτους ἀντέχῃ. idest, Suillamq; edat carnẽ carnosam ex aceto coctã, vt aduersus arduas resistat inambulationes. uocat carnosam carnẽ crassam. à Galeno docetur ualidissimi esse nutrimenti suillã carnẽ, imo & optimi. cãm reddit cur suillã edere debeat, q̃a multi nutrimẽti, & cũ hic debeat uehemẽter exercere corpus, vt laborem ferre possit, suilla carnosa pñbenda, dicit igr̃ carnosam. i. crassam non pinguem & ex aceto coquẽdã iubet, ut ab ea q̃cq̃d habet glutinosi remoueat.

An vero in hoc casu eius morbi suillæ carnes dari debeant. profecto dari non debent, quia in his ut plurimum uis concoctrix est imbecilla, & flatus fit ex caliditate diminuta, iccirco & hoc edulium est improprium, imo his contrariũ, quod erat potius curationibus exhibendum.

GALENVS.

Sunt qui non hyposarcidium, sed episarcidium scribãt. Neque tamen anasarca & catasarca alicubi scriptum reperi, quanquam recentiores ita nominent. Cum autem hydropum naturas duas affirmauerit, atque de posteriore flatus circa quodnis aliud symptoma dixerit, de priore autem nihil omnino, non solum in aliquo confusus videtur, verum quoque & in hydropum differentijs falli apparet. Quidã ergo ex medicis quatuor hydropum differentias esse affirmant, à iusto recedentes: aduersus quos uerba in præsentiarum facere tempestiuum non est: verum qui hæc scripsit, manifeste defecit. Nempe hydropum vnus humidi substantiæ tenuis copiam in tota inferiore thoracia regione aceruat, quam aliquando perpurgantes humidum euacuamus. Alter locum hunc non aqua sed spiritu plenũ habet, & ferè superiora omnia tumentia. hunc tympaniam appellant. Qui autem habitum totum pituitæ plenum habet, eum hyposarcidium nonnulli appellant. Quo fit, ut nõ exacte duas hydropum esse naturas dixerit. Neque etiam recte protulit, ἐγχειρεῖν γίνεται. i. si aggreditur. Nam uerius dixisset, ita scribens. Interficit autem protinus postea quàm factus fuerit. Scripta est autem ita dictio, sed perperam ab eo, qui primum scripsit. Alterius sane hydropum quem ex flatu constare ait, sanationem scribit, quæ profecto hydropum omnium quod commune est, habet. Principio autem scripsit tolerantiam, fotum & temperantiã, calida & sicca gustare admonens, quod solius anasarca est, quem vt insanabilem prætermisit. Nempe hic solus cum incipit, eget interdum sanguinis detractione, cum scilicet ex retentione vel hæmorrhoidis, vel muliebriũ, vel ex quapiam quæ ita plethorica sit causa, inceperit. Tympaniã vero & ascitem, nullus per sanguinis missionem sanare est ausus. In eo igitur qui sanguinis detractione eget fiat quæ subsequẽs est scilicet calfacit & siccat. Sane libri huius author ad id quod expedit intentionem direxisse uidetur. Non tamen recte dixit. Si difficulter spirauerit, sanguinis eget detractione, si non propter plethoram hydropa incurrat, prope scilicet ad extinctionem accedente naturali caliditate, vt igni contingit. Nempe vt ignis prope extinguitur immissis lignis tum humidis, tum multis, nisi quis multitudinem sustulerit: sic et in frigidiore ob copiam sanguine, vbi calor natiuus prope extinguitur, præsentissimum est remedium sanguinis in aliquo tempore periculũ ita prehenderit. Perperam quoq; dictioni apponitur, fueritq; anni tẽpus æstiuum. Nempe plus minus auferẽdi sanguinis alia quędam scopi esse dicta sunt, sicuti & anni tempus: auxilij vero huius, affectionis natura. Dioscorides non æstiuũ anni tempus scripsit, sed vernũ, uirtutis exolutionem æstate ad futuram suspicatus, hyeme vero affectioni refrigerationem. Vulgariter autem & inepte admodum panes calidos ex vino nigro & oleo ei cui sanguis est detractus exibet, scopum quidem verum roborandæ virtutis habens, vt exercitationum patientiæ sufficere possint. Sed materiam scopo dignam non inueni. Vinum etenim nigrum, sanguinem plurimum generat, sed tãtum vt & superfluus sit, & melancholicus fiat. Verum huic melius est vinum dare fuluum, tenue quidem substantia, vt vrinas moueat: sed non ætate nouum, quomodo sane multis contingit. Vinorum etenim nouorũ nullum est fuluum, sed vel album, vel rubrum vel nigrum: vetustate autem fiunt & fulua & flaua. Atqui quamminimum bibere, & quamplurimũ laborare rectissime est dictum. Nempe talis viuendi modus calfacit & siccat. Suillæ carnes si quo dictum est modo edantur, florentibus ætate & validis dare possunt. Cæterorum autem nullus eas probe coquere potest: vtpote qui iam prope est vt caloris natiui patiatur extinctionem. Melius ergo ita affectis dare quæ probe coquent.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus notat in aliquib. contextibus legi hyposarcidium, in alijs episarcidium, & ita in cõmentarijs interpretes uario modo legunt. Fateturq; Galenus se nunquam inuenisse scriptum anasarcam et catasarcam, quãuis recentiores ita nominent. In græcis codicibus ita scribũtur illæ dictiones cum præpositionibus distincte, ἀνὰ σάρκα, κατὰ σάρκα.

Secundo Galenus ait, Cum author duas hydropum naturas esse affirmauerit, & de secunda dixerit ex flatibus constare, & nullum aliud addiderit symptoma. De prima uero nihil penitus dixit, vnde non solum in uno confusus uidetur, sed & in hydropum differentijs fallitur. Hydropum uero differentię uario modo referũtur, nam aliqui & ipsi medici, quatuor ponũt esse hydropum differentias, qui à iusto recedunt, cum solum tres sint, sed contra hos inquit uerba facturus non sum, huius vero libri author, qui solum duas species posuit, in speciebus enarrãdis defecit, quia sunt tres species, vnde una hydropis species est, in qua humidi tenuis consistentia in tota inferiore thoracis regione aceruatur, quam sub thoracis regione, quandoq; perpungentes, humidum illud euacuamus. Alia hydropis species hunc locum habet, non aqua, sed spiritu plenum, & superiora omnia ferè tumentia sunt, hanc uocant tympaniam. Tertia species est, in qua totus habitus pituita plenus habetur, hæc à nonnullis appellatur hyposarcidium, & ideo author exacte locutus non est, cum duas hydropum naturas statuit.

Sed petes quomodo illi dicere potuerint quatuor esse hydropum differentias? Respondemus forte cachexiã vnam fecere speciem, vel mistam ex flatu & aqua quartam faciebant speciem, tamen simplices species tres tantum sunt, reliquę sunt ex tribus compositæ, et raro tympania sine ascite, & ascites sine tympania inuenitur.

Cum dum dicat humidum quod est in ascite esse tenue consistentia, tamen oppositum uidetur, quando ascitici punguntur, quippe crassum exit. Cur ergo tenue appellauit? Respõdemus esse prorsus crassam si spiritibus comparetur & simplici aquę, sed si humoribus comparetur, vt pituitæ ex qua fit subcarnosa, est tenuis. Et cum inter peritonęum & intestina ingreditur, tenue est, postea ex mora in loco, & caliditate crassius efficiẽ.

Ambiges de tympanite, an superiora omnia tumida faciat, et partes supra septum trãsuersum sint tumentes. Respõdemus, id quandoq; facere quando confirmata est, & in processu.

Tertio Galenus notat particulam illam ἐγχειρεῖν γίνεται. i. si aggrediatur non recte ab authore scriptam esse, sed verius fecisset si ita scriberet, interficit autẽ protinus posteaquam factus fuerit, iudicat Galenus hanc partem fuisse hoc modo ab authore scriptum, sed primum scriptorẽ perperam scripsisse.

Quarto Galenus exponere incipit partem illam sententiæ, in qua tympanitis curationem prosequitur, & notat authorem ipsum ab eo incipere quod est commune omnium specierum hydropis, id uero est tolerantia uel labor, & fomentum, & temperantia, admonet præterea calida & sicca gustare, qđ est solius anasarcæ, quam veluti insanabilem prætermisit.

At inquies non uideri soli hyposarcę conuenire calida edere & sicca, imo & alijs etiam conuenire constat, ut materiæ exiccentur et resoluantur, uel flatus sint, uel humiditates. Respõdemus hoc omnino uerum esse calida & sicca omnibus hydropis speciebus conuenire. propterea ea referens quæ sunt omnibus hydropum speciebus communia, numerauit etiam calida & sicca. At illa particula quæ dicit quòd solius anasarcæ est, debet cum sequentibus iungi, Græce enim est τὸ δέ τι μόνον τοῦ ἀνασάρκα. i. hoc autem quod huius solius anasarca, ut hic sequatur sensus.

Quinto Galenus inquit, cum dixerit cõia omnibus spẽbus hydropis, statim cuius speciei. s. anasarcæ proprium dicit, quã vt incurabilem esse prætermisit. Est aũt hoc, qđ hæc sola cũ incipit, interdum eget sanguinis detractione, qñ. s. ex hæmorrhoidarũ obstructione, uel retentis mẽstruis, uel ex aliqua simili cũ plethorica inceperit affectio, in his casibus uenę sectio cõuenit,

imo

imo & in principio tantum conuenit, quia in processu nihil valeret, uerum nullus vnquam medicus uel tympaniam vel ascitem per sanguinis missionem sanare ausus est, in eo igitur qui sanguinis detractione eget, curatio quæ sequitur fiat, quæ scilicet calefacit & exiccat. hæc particula ostẽdere videtur voluisse illam particulam superius positam, calida & sicca gustare, ad illa referri debere quæ non sunt cõmunia, sed propria anasarcæ vt non prædictus, sed hic sit sensus, calida & sicca gustare, qd' solius est anasarcæ quam tamen ipse ut incurabilem prætermisit, sed hęc sola in prędictis casibus sanguinis indiget missione, idque in initio affectus, vnde in ea quæ sanguinis detractione eget curatio quæ subsequitur fiat, quæ scilicet calfacit & exiccat, tamen si primam sententiam potius sequi uoluens, dicas hæc calida & sicca illa esse quæ sequuntur. At dices oleum esse humidum, & suillam carnem humidam. Rñdemus uinum esse calidũ & siccum, & panẽ actu siccum, & suillam carnem aceto coqui quod siccum est.

Sexto Galenus notat videri hunc authorem ad id quod expedit intentionem direxisse, verũ non recte dixit si difficulter spirauerit, sanguinis eget detractione nõ indiget, nisi hydropẽ ob plethoram incurrerit, ob quam naturalis caliditas ad extinctionem accedat, ut igni contingit, quoniam vt ignis ferè extinguitur multis lignis & humidis immissis, nisi multitudinem subtraxerimus, ita in sanguine frigidiore ob copiam quando calor natiuus propè extinguitur, sanguinis missio præsens ætimum est remedium, ut multitudo demarur, eo tempore quo periculum ita apprehenderit.

Septimo Galenus notat & perperam huic sententiæ additum esse, fueritque anni tempus æstiuum, quoniam æstas nihil facit ad sanguinem auferendum, sed solum ostendit an multum an paucum extrahi debeat, nam multa sunt alia, quæ sunt scopi plus & minus sanguinis extrahendi inter quæ est anni tempus. Sed scopus an debeat fieri venæ sectio est morbi natura, & non anni tempus. Scito quoque Dioscoridem huius libri interpretem non legisse tempus æstiuum. sed tempus vernum, quia suspicatus est æstate virtutis exolutionem ad futuram, & hyeme esse refrigeratam affectionem.

Vbi legitur Dioscorides, græce habetur ἔνιοι δ' ὥσπερ καὶ Διοσκουρίδης. i. quidam vero uelut Dioscorides. si ita legamus, ostenditur & alios à Dioscorides illud censuisse.

Octauo Galenus notat & id esse dictum more idiotarum, panes calidos ex vino nigro et oleo ei cui sanguis est detractus exhibendos, & in hac re scopum habuit verum ut vires laboraret, vt exercitationum laboribus sufficere posset, vnde habuit quidem scopum verum, sed materia nõ erat scopo digna, nam vinum nigrum omnino plurimum sanguinem gignit, sed tantum vt superfluus sit, & fiat melancholicus, propterea in hoc casu conuenientius est fuluum uinum dare, quod tenue substãtia sit, vt vrinas moueat, tamen non debet esse id uinum ætate nouum, ut multis contingit.

Nono Galenus notat nullum ex vinis nouis esse fuluum, sed vel album, vel rubrum, vel nigrum. At vetustate vina fiũt & fulua & flaua, de his vinis & coloribus uberim in tertio libro dictum est. Nota tamen hoc esse intelligendum in Galeni patria, in qua torculari uina exprimebant, & in dolia ponebant, deinde ebullire sinebant, sed apud nos cum uina inter uinacia ebulliant, statim in principio octo dierum spatio vel decẽ hauriuntur fulua vel flaua.

Decimo authorem laudat, qui iusserit in tympanite minimum esse bibendum, & quãplurimum laborandum, nam ex labore affectio resoluitur, & nihil additur si minimum bibat. vnde talis viuidi modus plurimum exiccat & calefacit.

Vndecimo de suillis carnibus notat, si prædicto edantur modo in aceto coctæ florentibus ætate & validis dari posse, sed nullus ex cæteris illas probe coquere poterit, nã alij iam prope sunt vt calor natiuus extictus sit, & ideo ita affectis potius danda quæ probe concoquuntur, & non carnes suillæ aceto coctæ, quæ difficilioris sunt coctionis.

Hippocrates. Sectio CXII.

Qui ventrem inferiorem calidum habent, subeuntque acres deiectiones & inæquales, hi à colliquatione id patiũtur: qui si valentes fuerint, reuelles helleboro albo: si nõ, cremorem tritici frumentacei crassum, frigidumque dabis, & quod ex lente etnos conficitur, panemque subcineritium. & pisces febrientibus quidem elixos, non febrientibus vero assos. Vinũ præterea haudquaquã febrientibus nigrum dabis: alijs vero aquam aut a mespilis, aut myrtis, aut pomis, aut sorbis, aut palmulis, aut vitium œnanthe.

Cum nonnunquam contingat aliquos homines inferiorem ventrem habere calidũ, & deiectiones acres & inæquales, ideirco nunc edocere intendit & à qua causa hoc fiat, & quomodo curari debeat. Primo igitur dicit hos id pati ob colliquationem, ut iuxta huius authoris dogma, acrium deiectionum causa & inæqualium sit colliquatio: pro horum uero curatione si validi viribus fuerint, albo helleboro reuelles, qui per uomitũ ducit, & uomitus reuellit ab intestinis: si uero non sint validi, cremorem dato tritici frumentacei, crassi, & frigidũ: dato quoque etnos quod ex lente confectum est, & dato panem subcineritium, & dato pisces id autẽ seruato, febrientibus elixos pisces exhibeto, non febrientibus assos. Adde non febrientibus dandum esse uinum nigrum. Alijs uero sc. febrientibus aquã dato aut ex mespilis, aut myrtis, aut malis, aut sorbis, aut palmulis, aut vitium œnanthe. BRASAVOLVS.

ὁκόσοι κοιλίας τὰς κάτω θερμὰς ἔχουσι καὶ δριμέα τὰ ὑποχωρήματα, καὶ ἀνώμαλα διέχεται ὑπὸ συντήξιος αὐτέων. idest, Qui ventres inferiores calidos habent, & acres deiectiones & inæquales deijciunt, hi à colliquatione id patiuntur. Inferior uenter ut à Galeno notatur, uario modo usurpatur, nam quandoque thoracem superiorem uentrem vocant, & id quod continetur sub thorace uniuersum, inferiorem: nonnunquã inferiorem ventrem distinguunt contra ventriculum, vt uentriculus ipse, in quo primo cibi recipiuntur superior venter, reliqua ab hoc uentre, inferior nuncupetur, quãdoque sola crassiora intestina inferior uenter dicuntur, quandoque colon duntaxat inferior uenter dicitur. Est tamen communis uentrium distinctio, ut superior uenter sit caput. inferior à septo transuerso infra melius uẽter thorax dicitur. hic uero author in plurali dixit ventres ut uentriculum intelligeret ac reliqua intestina, quãdo sunt calida. hæc omnia & caliditate naturali, & quia adsit humor calidus qui magis calefaciat, et acres sint deiectiones et inæquales, cum acres sint & calidæ sunt, atque biliosæ. Inæqualitas uero est quia aliquæ sunt liquidiores aliquæ crassiores, aliquæ sunt magis calidæ, aliquæ minus, tamen omnes sunt calidæ, quando hoc contingit causam refert in colliquationes. At Galenus hoc fieri non posse ostendit, quia colliquatio fit quando pinguedo, uel caro mollis ob febrem morosam absumitur, notatque dicendum esse, eos pati ab inustione et non à colliquatione, nam inustio fit ob acrem eorum quæ ingesta sunt caliditatem, ob quam & febriunt. tamen possemus authorem hoc modo defendere, ut colliquationem acceperit pro pinguedine quæ ex caliditate eliquatur, & in calido uentre multum incalescit, & deiectiones fiunt acres & inæquales, tamen melius est cum Galeno sentire, ut potius fiant hæc excremẽta ob inustionem quando quis cibos comederit, qui in acres humores facile conuertuntur, nam & cibi ipsi erunt calidi, & humores suà acredine intestina stimulant, & deiectiones faciunt.

ἢν μὲν δυνατοὶ ἔωσιν ἐλλεβόρῳ τῷ λευκῷ ἀντισπᾶσθαι. idest, Qui si ualẽtes fuerint, helleboro albo reuellere oportet. Si hi qui tales hñt deiectiões uirib' cõstẽt, helleboro albo diuertẽdũ est,

illa particula albo, addi non debet, licet in græcis codicibus ad sit, quoniam Galenus dicit hunc authorẽ per hoc uerbum ἀντισπάσαι, idest reuellere, indicasse helleborum album, quoniam antispasis quæ est diuersio fit per uomitum. at albus helleborus is est qui vomitũ prouocat, & quo antiquitus ad hũc usum vtebantur, cum uero vomitus prouocatur deiectiones sisti incipiunt, & probe vires considerat, quia albus helleborus mire perturbat.

ἢν δὲ μή. idest, Si non. hoc est si uires non sint ualentes, sed imbecillæ, quæ danda sint edocebit.

ὁ χυλὸς τῶν σιτανίων πυρῶν παχὺς ψυχρὸς. idest, Cremorẽ tritici frumentacei crassum, frigidũq; dabis. cremor tritici fit ut ptisanæ cremor, triticũ ebullire debet quoad grana omnia in vnum corpus sint redacta, postea excolandum, iubet esse crassum cremorẽ, ne facile dilabatur, esse frigidũ vt adstringat esse ex tritico vt valẽter nutriat, qa huic vires desunt, vt supponit. Sed petes, an ex tritico fieri debeat apud nos crasso nuncupato, an ex tenui & cõmuni, quo in panificijs vtimur. Rñdemus, mulieres Ferranẽses putare triticũ minutũ esse incoctibile, sed tantum coqui crassum, vnde testuacia ex minuto tritico nunq̃ faciunt, sed solum ex crasso, tamen decipiuntur, quia & minutum triticum coquitur, sed longiori indiget tempore. At cum hic author det cremorem hunc tritici ut nutriat, quia hic vires non habet robustas. propterea id triticum sumendum est, qđ valentissime nutrit, hoc autem id est quod à Galeno in primo de alimentorum facultatibus describitur, habens prædensam, confectamq; vndiq; substantiam, ut dentibus vix queat confringi. Id enim exigua mole corpus valentissime nutrit, tamen vt diximus longa indiget coctura, & diu ebullire debet.

καὶ τὸ φάκινον ἔτνος. i. Et etnos ex lente. lens etenim vim quandam habet adstringentem, de fabacco etno libro primo vbertim locuti sumus, fit eodem modo etnos ciceris, & lentis, & aliorum leguminum, debet simul cum cortice coqui, vt Galenus notat primo de alimentorum facultatibus, & alibi sæpe, si adstringere debent. his igitur vtitur author, tritici cremore, et lentis etno, quia tarde per ventrem meant. Probauimus ex ciceribus & fabis & alijs leguminibus quando franguntur, vt ex libro de cibis boni & mali succi collegimus.

καὶ ἄρτοι ἐγκρυφίαι. idest, Panemq; subcineritium. hoc genus panis est difficilioris coctionis, vt quisque experiri potest, Galenus in primo de alimentorum facultatibus inquit, Subcineritij autem vocati, quoniam cineribus tecti assantur, ab illis ipsis nescio quid noxæ contrahunt, quapropter omnium tantũ non deterrimi censentur, quod quidem ad coquendi attinet rationem alijs nimirum omnibus pari modo se habentibus, vt duo habeant mala hi panes, primo quòd extra sunt usti, intus deinceps sunt crudi.

καὶ ἰχθύες πυρέσσοντι μὲν ἑφθοὶ, ἀπυρέτῳ δ' αὖτε ὀπτοί. Et pisces febrientibus quidem elixos, nõ febrientibus vero assos. Cum cibus humidus febricitantibus conueniat, & pisces elixi sint magis humidi quàm assi. propterea elixos præbet in febre. at cum pisces sint suapte natura humidi, vt aliquid humiditatis amittant, qua non indigent non febrientes, assos non febrientibus præbet. Intellige vero pisces à nobis descriptos in primo huius voluminis libro sectione. 27. saxatiles. s. et asellos, ac similes, qui præbentur quoniam sunt frigidi & acribus obstant deiectionibus.

καὶ οἶνος μέλας ἀπυρέτῳ. idest, Et vinum nigrum dabis non febrienti. quoniam nigra vina crassiora sunt, & adstrictionem quandam habent, si vero febre detenti essent, non conuenirẽt cum ratione febris, tum ratione obstructionis, quia nigra vina magis obstruunt quàm alia faciant.

ἢν δὲ μή. idest, Si uero non. hoc est si non sit infebricitans, sed ea correptus sit, nullum est dandũ vinum uel nigrum uel alterius coloris, sed danda aqua præparata vt dicetur.

ὕδωρ ἀπὸ μεσπίλων, ἢ μυρτῶν, ἢ μήλων, ἢ οὔων, ἢ φοινίκων βαλάνων, ἢ οἰνάνθης ἀμπέλων. i. Aquam ex mespilis, uel myrtis, vel pomis, uel sorbis, vel palmulis, vel vinum flore. Intellige aquam ex his, hoc est decoctum. nam decoctũ in aqua ex his rebus acribus deiectionibus aduersatur, & inferioris uentris caliditati. Intellige per poma, & acerba, & austera, & acida, non autem dulcia, & per sorba intellige immatura, quoniã cum matura sunt, vel nullam uel paucissimam habent adstrictionem. imo educunt si in copia edantur. Est uero œnanthe syluestris vitis flos, quã labruscã vocant, vim habet adstringentẽ. decoctũq; ex ipsa adstrigit et infrigidat, idcirco in hoc cõuenit casu.

GALENVS.

Excrementa his ob inustionem, non ob colliquationẽ subire, proprie magis dixisset. Nam colliquatio in eo fit absumpta contabefactaq; propter febrem morosam vel pinguedine, uel molli carne. Inustio uero in uentre oritur, propter acrẽ eorum quæ ingesta sunt caliditatẽ, ob quam & febrire cõtingit. Helleborum præterea huic album exhibet quod indicauit per hoc uerbum ἀντισπάσαι, idest reuellere, nẽpe per uentrem superiorem. Si uero æger quauis ex causa nõ possit helleborum adsumere, uiceritq; acrimonia, pocula dare iubet tum astringentia tum refrigerantia. Adijcit autem edulijs & quæ assicare possunt, ueluti panes subcinertios, atque assos pisces. His ita & nõ sine ratione enũciatis, quemnam uentrem inferiorem dicat, est contemplandum. Veteres enim thoracem interdum uentrem superiorem appellantes, alimenti receptaculum omne quod à septo transuerso est, uentrem inferiorem nominant. Interdum autem uentrem superiorem appellantes, in quẽ cibi adsumuntur, quæ ab eo sunt omnia, uentrem inferiorem uocitant. Interdum quoque & sola quæ crassiora sunt intestina. Sunt qui colon duntaxat uentrem inferiorem uocant. Forsan igitur quæsiuissemus quamnam uel quasnam ex prædictis particulis probabilius in præsentiarum intelligere speraremus, si effatu dignum quippiam percepturi essemus. Sed quoniam horum inuentio nihil nos admonet magis quàm ea quæ ipsi & scimus & disserimus, quòd nonnulla quidem recte dicta sunt, nonnulla uero non, cognitionisq; curiositatem magis quàm commoditatem habent; melius est cito relinquere, & potissimum cum huiusmodi liber Hippocratis legitimus non sit.

BRASAVOLVS.

Primo Galenus hunc authorem corrigit, qui potius dicere debuisset excrementa his ob inustionem deijci, & non ob colliquationem, & hoc magis proprium fuisset. quoniam colliquatio in aliquo proprie fit, qñ absumpta est pinguedo, uel mollis caro & contabefacta ob febrem morosam & vehementẽ, de qua colliquatione à nobis superius pertractatũ est. At inustio in ventre oritur ob acrem ciborum caliditatem, ob quam & febrire contingit.

Secundo Galenus notat huic affecto helleborum exhibere, & album præcipue, quod ostenditur ex eo uerbo ἀντισπάσαι. i. reuellere. apparet autem eiuscemodi reuulsionem fieri per superiorem partem, & per ventrem superiorẽ. est enim maxima reuulsio profluuij alui per uomitũ, & vomitus p alui pfluuiũ.

Tertio Galenus notat, si æger quacũq; ex causa helleborũ adsumere non possit, & acrimonia vicerit, quia sint multũ acres deiectiones, pocula danda quæ astringant, & roborent, & insuper edulia adiecit quæ exiccare possint, sicuti panes subcineritij, & pisces assi.

Nota panes subcineritios non exiccare, nisi fuerint supra modum cocti, nam vt cõiter coquuntur extrinsece exusti sunt, intrinsece crudiusculi, ut extra exiccẽt, & intus humidi sint.

Scito & assos pisces si conuenienti coctura coquãtur, extra quidem exiccare, sed intus humectare, si uero sint supra modum assi, ut sint veluti cremium, simpliciter exiccare.

Quarto Galenus notat his dictis & non sine ratione contẽplari oportere, quẽnam hic author intelligat per vẽtrẽ inferiorem, nam ueteres nonnunq̃ thoracem, uentrẽ inferiorẽ appellarunt, & ventrem inferiorem omne alimenti receptaculum, quod à septo transuerso ad pecten continetur, quandoque vero ventrem superiorem illũ nominant, in quem cibi primo adsumuntur, & reliquæ partes ab isto dicuntur venter inferior, nõnunquam sola crassiora intestina inferior uenter dicuntur, imo & aliqui colon intestinũ solum ventrem inferiorẽ uocant. Forte



petere

petere poteris quĩnam ex predictis particulis uel quasnã pbabil us nũc itelligere possemus uel debemus, si putemus hũc authorem aliquid effatu dignum se dicturum, & nos illud debe bamus percipere, unde hoc querendum uideretur, quid per inferiorem ventrem intelligere oporteat. At & si ratione hoc inuenerimus, tamẽ horum inuentio nihil nos admonet, magis q̃ illa quæ & nos scimus & discernimus, quod scilicet nõnulla ab hoc authore recte dicta sunt, nõnulla non recte. & hæc habent magis cognitionis curiositatẽ, quàm cõmoditatem. propterea melius est hanc considerationem cito derelinquere, & præsertim quia hic liber non est legitimus Hippocratis, in aliis vero cõsiderandis authoribus, Galenus multũ insudare nõ studet.

## Hippocrates. Sectio CXIII.

Si vero febris non fuerit, vexentq; tormina primũ quidem lactis asinini calidi pauxillum, deinde sensim paulatimq; plus bibat, & lini semen, & triticeam polentam mixta hordeacea & sparsa adempto amaro faba ægyptia, vel oua semicocta edat assa, & similam & milium, & chondrum ex lacte coctum. Cocta hæc & refrigerata edat, atque his similia tum pocula, tum edulia ingerat.

BRASAVOLVS. Sunt qui hanc partẽ à præcedente distinguant, & qui simul coniungant, nos interpretemur ac si pars hæc superiori iuncta sit & continua. Si is qui ita deiecerit acria, & calidũ habebit inferiorem ventrem febre uacauerit, & tormina illum uexẽt, vt in his acribus deiectionibus fieri solet, tu primum lactis asinini calidi pauxillum dabis, deinde sensim ac paulatim plus bibat, ne semel copiam ingurgitet, & lini quoq; semen dato hordeacea admista polenta, & fabam ægyptiam amaro dẽpto simul spargito, ut edat etiam oua semicocta & assa, & similam, & milium & chondrum ex lacte coctum, hæc igitur edat cocta & refrigerata, imo si hæc non placuerint, dato simila & cibaria & pocula.

ἢν δὲ πυρετὸς μὴ ἔχῃ, καὶ στρόφοι ἴωσι. idest, Si vero febris non fuerit, vexentq; tormina. continuemus cũ præcedente sententia, in qua non dicebas esse tormina in acribus illis deiectionibus, quia absque torminibus egeri poterant. At hic supponit quòd tormina habeat tamen sit sine febre, hoc enim esse potest ut quispiam tormina patiatur, & etiam vehemẽtia, tamẽ febre careat, in hoc casu alio modo procedendum est.

γάλα ὄνειον θερμὸν ὀλίγον τὸ πρῶτον. idest, Primum lac asininum calidum & pauxillum. dictũ est asininum lac esse aquosum. propterea ad caliditatẽ contemperandã erit aptum, & ad acres educẽdas materias. quas in viis inuenit, verũ ne repẽtina fiat euacuatio & uniuersa, dat parum, & dat calidum, ne uentriculus illud calefacere cogatur.

ἔπειτα ἐκ προσαγωγῆς πλεῖον. i. Postea sensim et paulatim plus. ut qualitas per ordinem quendam augeatur, quod per illam part culã ἐκ προσαγωγῆς significatur, de qua nos in primo in hunc librum commentario sectione. 20. egimus, scito primam huius lactis quantitatem posse esse vnciarum quatuor, deinde sex, postea octo, & ita per ordinẽ addendo, neq; secunda uice summi debet, priusq; id lac à ventriculo descenderit, quod prima vice sumptum est. Scito Copum vertisse, nõ lac asininum sed bubulum. unde acceperit nescimus, cum omnes græci codices, quos uiderim, asininũ dicãt, & Galenus in commentatione de asinino lacte palam intelligat.

καὶ λινόσπερμον. idest, Et lini semen. de lini semine an edi debeat, vel per emplastri modum supra ventrẽ poni ambiguum est, profecto si coquatur & pisteur, ac in emplastri modũ ventri supraponatur, confert, quoniam exiccat & refrigerat, tamen arbitramur authorem uoluisse edendum esse, cum apud antiquos in vsu cibario esset, neque uentrem commouet ad deiiciendum, & ideo Galenus in primo de alimẽtorum facultatibus de lini semine ait, quod spectat ad deiectionẽ nec laudandum nec uituperandum, perexiguam tamen vim mouendæ vini retenet, quæ in tosto extat efficacior, imo addit, idem (.s. tostum lini semen) aluum quoq; magis sistit, rustici homines eo vtuntur sæpenumero fricto, tusoq; mel admiscẽtes, erat igitur vsus edendi hoc semẽ tostum, ideo eo modo esum adstringit etiam & refrigerat & exiccat, quòd vero esset in vsu cibario ex Galeno apparet eodem loco dicente, quidã hoc tosto instar obsonii non secus ac factitio sale cum garo utuntur, in vsu est & melle conspersum, inferunt nonnulli panibus quoque, stomacho & concoctioni repugnat, tenuiter corpus alit, in hoc aũt casu non esset ex garo comedendum, sed simpliciter tostum.

καὶ πύρινα ἄλφιτα. idest, Et triticea polenta. potest & triticea polenta in hoc casu edi, quia caliditatem contemperat, in Galeni codice aderat hæc particula mixta hordeacea, quam in codicibus græcis inuenire nequimus, tamen authoria sententia uidetur ut uelit simul miscẽda esse triticeam polentam & hordeaceam, triticea contemperat, hordeacea siccat & refrigerat, de polenta quid esset superius disputatũ est, & quomodo conficeretur, quo in loco ostendimus ex omni fruge fieri posse, & hic intelige coqui has polentas si sumi debeant, nec existimes omnia hæc simul esse assumenda, sed uti vnũ ex his quę dicuntur, vel aliud ut vel lini semen, vel polentam.

καὶ τῶν αἰγυπτίων κυάμων ἐξελὼν τὰ πικρὰ καὶ καταλεπίσας ἐπιπάσσειν. idest, Et spargẽs fabas ægyptias decorticatas, excẽpto amaro potui detur. ob illã particulã spargẽs quę est ἐπιπάσσειν. quæ significare videtur spargere tanq̃ condimentum, unde & ἐπίπαστα dicuntur quæ cibis veluti condimenta sparguntur, intelligere oportet, quòd fabam ægyptiam decorticatam veluti condimentum supra polentam spargat, sicuti & lini semen condimenti gratia supra panẽ ponebatur, et sesami semen. At vel per se ponatur græca faba, vel cũ supradictis aliis, intelligere oportet fabam græcam mediocriter refrigerare, & ob id conuenire ad caliditatem extinguendã. antiquos vero fabam pro condimento posuisse, ex Galeno palam est primo de alimentorum facultatibus, ubi inquit edi cum ptisana fabam, & gladiatores plurimum hoc edulio vti, sed hæc sunt de faba græca, de ægyptia uero faba dicit sicut nostrã magnitudinẽ valde præcellit, ita & naturam humidiorem magis quàm excrementitia fortita est, hæc summa sit, refrigerare & exiccare vti faba græca facit. propterea in hoc casu conuenire videtur, & Dioscorides adstringere fatetur, si persedeatur, forte illud est quod Dioscorides dicit, lomentum eius inspersum polentæ modo, & in pulticulam formatum dysentericis datur, & cœliacis, tamen censet huius fabæ decoctos cortices, hoc magis præstare, de eo autẽ quod hic author dicit amaro eximendo, scito in huius fabæ medio (vt Dioscorides etiam testatur) esse partem quandam viridem paruam; quæ saporẽ amarum habet, est vbi inhæret siliquæ, ut in faba nostra adest nigredo illa bile vocata. tamen non est amara. Theophrastus de hoc amaro in ægyptia faba mẽtionẽ facit, & etiam Athenæus, sed ad rem, cum hic author dicat potui dandam, forte intelligit decoctum, quod præbẽdum sit, quicquid tamen sit, conuenit hęc faba utpote quæ infrigidet & exiccet, hæc vero cõueniunt acribus his deiectionibus & ventris caliditati.

ἢ ὠὰ ἐμπλήκτα ὑπόπτα ἢ ὀπτά. idest Vel oua semicocta, assa edat, sunt oua sorbilia & tremula, sunt & dura, hęc non conueniunt in hoc affectu, dura quidem, quia nimis astringunt, & difficilis sunt coctionis, sorbilia deiicere faciunt. propterea sumenda sunt oua semiconcreta, quæ neque dura sint, neque nimis mollia, nam & egregie nutriunt, & acribus humoribus frenum imponunt.

καὶ σεμίδαλιν. i. Et similã. est vero simila vel semidalis farina qua panis efficitur, parum declinans à sincerissimo, nam vt Galenus docet in primo de alimentorũ facultatibus sincerissimus panis siligineus dicitur, huic proximus similaceus postea

sequitur, qui græce ab antiquo nomine semidalis, dictus est semidalites, hic panis humorum acrimoniam infrenat, & est boni succi & crassi.

καὶ κέγχρος. i. Et miliū, est frigidū & siccum, iccirco cōuenit. Sed ambiges an miliū debeat dari in lacte coctum, & eodem modo simila, vel alio modo. Respondemus quocunq; modo conuenire, tamen si in lacte coquatur, humorum acrimoniam magis frenabit.

καὶ ὁ χόνδρος ἑφθὸς ἐν γάλακτι .i. Et chondrū in lacte coctū. nam & boni ac crassi succi est, et humorum acrimoniam infrenat, hocq; potissimum facit quando in lacte coctus fuerit, quoniam & hoc ipsum acrimoniam frenat. Et hæc conueniunt, quando febris aberit.

ἑφθὰ ψυχρὰ ἐσθίειν. idest, Cocta hęc & refrigerata edat. licet frigiditas virtute ea sit quę in hoc proposito agit, tamen & actu frigiditas aliquid facit, et cū sit calidus humor et acris, ab actuali etiam frigiditate caliditas humoris remittitur.

καὶ τὰ τούτοις ὅμοια, καὶ ποτὰ, καὶ ἐδέσματα προσφερέσθω. .i. Et his similia tū pocula, tum edulia ingerat. Opus est medicum in præsidijs ordinandis, in edulijs, in potibus, & in alijs similibus esse valde prōptū, & his copiose abūdare, vt si unum ægro non placeat, aliud præbeat, & ad simile transitum faciat. iccirco si ægro quæ prædicta sunt displiceant. ad similia transeat. hoc est illa accipiat, quæ quidem eiusdem sint ferè qualitatis in simplicibus, sed differant solo gustu, vt hæc placeant, cum præcedentia non placuerint.

GALENVS. Q uamplurimi exponentium conuenientius hæc cum prædictis componunt, præsentem sermonem adhuc de his qui calidum habent uentrem inferiorem fieri existimātes. Alij paucię separant, & seorsum exponunt, scopusq; his est vt interdum quidem cacochymiam expurgent, interdum vero & contemperent, infrenentq; interdumq; resiccent, & interdum refrigerent. Lac ergo asininum expurgare potest & contemperare, lini semen, tum siccare, tum refrigerare. Q uæ autem ex tritico conficiuntur polentæ, contemperant, quibus non perperam remiscentur hordeaceæ, utpote quæ siccent & refrigerent. Fabæ ægyptiæ mediocriter refrigerare possunt. Oua autem, & simila, & chondrua, crassi sunt succi & boni, & humorum acrimoniam infrenant. Siccat autem in edulio milium quo refrigerat modo. Omnia hæc frigida exhibet propter humorum qui affectum procreant, tum acrimoniam, tum caliditatem.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat, multos expositores, hęc quæ in ista sententia dicuntur, cum prædictis in præcedenti sententia conuenientius componere, ꝓpterea existimant & hanc sententiam de his dictam esse qui inferiorem ventrem calidum habent. alij sunt, sed pauci, qui hanc sententiam à præcedenti separant, & seorsum exponunt, & his adest scopus, quod interdum cacochymiam expurgent, interdum uero vt contemperent & infrenent. interdum quoque exiccent, & interdum refrigerent, vt multa sunt in hac sententia quæ valent ratione diuersarum intentionum, tamen omnia voluit referre author, & Galenus rationes addere voluit cur hæc valent in deiectionibus acribus, & in æqualibus, & in calido ventre.

Secundo Galenus ad illa descēdit, quæ ab authore tribuuntur, & quomodo singulum conueniat ostendit, nam lac asininum expurgare potest, quia uentrem educit, & humoris caliditatem ac acrimoniam contemperare potest.

Tertio ait lini semen & exiccare & refrigerare posse, quæ prædicto acri profluuio conueniunt, & ratione frigiditatis mitigantis et adstringētis, & ob siccitatē profluuio cōsistentiā præbet.

Q uarto Galenus notat polentas ex tritico, contemperare & frenare humorum motum, neque ab re fuit hordeaceas addere polentas, cum siccent, atque refrigerent.

Q uinto Galenus notat Aegyptias fabas mediocriter refrigerare posse, ideo & ipsę conueniunt, vt humorum acrimoniam, & ventris caliditatem frenent atque contemperent.

Sexto Galenus notat oua, & similam, & chondrum in lacte coctum esse probi succi alimenta, quæ in hoc affectu accipi debent. Et præterea humorum acrimoniam mitigant. at de ouis petes quodnam habeant crassum nutrimentum, quoniam potius est tenue, vel saltem mediocre, de ouis intelligimus quę absorbentur & semiconcreta sunt, non de duris. Rñdemus oua recentia habere quidem nutrimentum mediocre & non crassum, tamen comparando ad alia quę sunt tenuioris nutrimenti, possunt dici crassi nutrimenti, vel dicito hic intelligere per crassum firmum nutrimentum, & potissimum quādo oua fuerint, parumper concreta non tamen dura.

Septimo Galenus notat milium in cibo sumptum siccare, eo modo quo etiam refrigerat, propterea acrimoniæ conuenit & caliditati, & exiccans ac refrigerans adstringit. At Galenus nō explicat an in lacte coqui debeat, an in panē confici, & edi.

Denique Galenus notat authorem istum omnia hæc exhibere frigida ob humorum qui affectum prouocant acrimoniam & caliditatem, quāuis adsit virtualis frigiditas quæ plus facit, tamen & actualis despicienda non est in morbis calidis.

## Hippocrates. Sectio CXIIII.

Eius medicinæ pars quæ uictui medetur, maximum est febrium tum intentiones, tum declinationes, nō in acutis modo, verū quoq; & in longis obseruare, vt tempora quibus cibi offerendi non sunt, & tuto, & quibus offerendi existunt, cognoscas, atq; adhuc quando plurimum ab intentione aberunt.

BRASAVOLVS. Non nihil in hac parte author de ratione exhibendi cibum in febribus agit, notans maximum esse. at præcipuum eius medicinæ partis quę victus medetur intentiones febrium & declinationes obseruare non solum in acutis morbis, verum etiam & in longis, vt tempora cognoscantur, quibus cibi offerendi sint, & tuto, & quibus non sint offerendi & tuto, & præterea ut sciatur quando plurimum ab intentione distabunt.

τῆς διαιτητικῆς ἐστὶ μέγιστον, παρατηρεῖν, καὶ φυλάσσειν ὥσπερ ἐν τοῖς ὀξέσι καὶ ἐν τοῖς μακροῖσιν ἀῤῥωστήμασι καὶ τὰς ἐπιτάσιας τῶν πυρετῶν, καὶ τὰς ἀνέσιας. idest, Maximū est eius medicinę partis quæ victu medetur cauere & obseruare sicuti in acutis morbis, ita & in diuturnis, & febrium intentiones & declinationes. per intentiones principia intellige, nam & principia & inclinationes pro cibis exhibendis consideranda sunt. inclinationes quidem ut cibi dari possint, principia vero vt eo tempore cibos euitemus, q̄q̄ & quispiā posset per intentiones morborum consistentias intelligere, sed Galenus principium intelligit. In morbis longis manifestum est in inclinatiōe semper & quiete cibum dare oportere, sed in acutis res ita nō habet, quia nonnunquam cogimur in morborum augmentis præbere, & in illa hora quando pedes calidi sunt, quia caliditas per totum expansa sit, quod est in tanta augmenti portione, vt principium redire non posit, tamen non est prope consistentiam, de qua re in Galeni commentatione loquemur.

ὥστε τοὺς καιροὺς διαφυλάττειν, ὁπότε μὴ δεῖ τὰ σιτία προσφέρειν, καὶ ἀσφαλέως, ὁκόταν δὲ χρὴ προσφέρειν εἰδέναι. i. Vt tēpora seruare sciat, quādo cibi offerendi non sunt & tuto, & quando offerre oporteat, hoc cognoscitur ex temporū morborum notione, nam in principio cibus nunquam dandus est. In consistentia nunquam (nisi adsint symptomata ad se curationem trahentia) in declinatione semper sunt dandi, & in infebria, in augmento quandoque sunt præbendi, quando statim in declinatione noua accendatur accessio, neque habetur infebria, neq; tēpus in uera declinatione, in qua dari possint, quin statim alterius accessionis initium superueniat, id vero initium est summe euitandum, & quammaxime fieri posit, longe ab eo comedendum.

ἔτι δὲ ὁκόταν πλεῖστον ἀπέχωσι τῆς ἐπιτάσιος. idest, Præterea uero quando plurimum ab intentione aberunt. nam tūc

præbendus

præbendus cibus, cum plurimum aberunt à principio, quod est in inclinatione, hocq; seruandum est quãdo plurimum aberunt ab intentione. hic est vnus huius particulæ intellectus: alios in Galeni commentatione dicemus.

### GALENVS.

Artis ciborum exhibendorum maximum esse ait particulare cibi porrigendi tempus nosse: scopumq; unum ait, quòd scilicet tempus illud, quo cibus exhiberi debet, quãplurimum absit ab febris intẽtione, quam ἐπίτασιν dicit, accessionis principium intelligens. Id autem non in diuturnis solũ, sed quoq; in acutis verum esse videtur. Sed quare longis in morbis adiecit? Nempe quòd in his magis, & forsan solis euidens sit scopus. In acutis etenim morbis deprehensa in pedibus caliditas, cibi tempestiue offerendi signum sufficiens fuit. Non tamẽ in longis ita nutrire oportet, sed melior declinationis pars est expectanda, quod in acutis haudquaquam est expectandum, timore cito futuræ accessionis. Sunt qui dictionem hanc ita scribant: Eius medicinæ partis quæ uictu medetur, maximũ est, ut in acutis ita & in longis obseruare & scire quando cibũ dare oporteat. Alij finem dictionis ita scribunt: Atq; adhuc cum plurimum à febris accessione aberunt, scire oportet. ut præter cætera quæ nos in ægro contemplari uoluit, & id admoneat. Quod si quis perquirit, & non particulari tempestiue cibandi inuentioni copulat, id importunum esse de alimonia præceptum, atque re nulla dignum videtur.

### BRASAVOLVS.

Primo Galenus notat authorem hunc monere maximum esse in arte exhibendorum ciborũ, particulare tẽpus cognoscere, in quo exhiberi debeant, & hunc vnum scopum proposuit, vt tempus id quo cibos exhibere volueris, quãplurimum distet à principio, quod notat ἐπίτασιν idest intentionem, hęc vero intentio nihil aliud est quàm principium, & hoc non solum in diuturnis, sed etiam in acutis verum esse uidetur. Secundo Galenus petit cur adiecerit longis in morbis, quia satis videbatur dictum esse in acutis. Respondet in his diuturnis, & forte in solis diuturnis scopum euidentem esse, nam in acutis morbis non consideratur hoc tempus exhibendi cibos scilicet maxima à principio distãtia, sed potius consideratur caliditas in pedibus deprehensa, ut superius edocuit hic author, & ab Hippocrate in primo libro prædictum fuerat, nam cum caliditas ad pedes expansa est, signum est sufficiens offerendi cibum, est uero expãsa in augmento, sed intensionẽ non habet quam habere debet, uerum est perfecte expãsa in declinatione, quando extrema calidissima sunt, & thoracis partes frigescere incipiunt, hoc est caliditas remissa est, unde in tali declinatione in acutis morbis cibi exhibendi sunt, in qua caliditas iam transiuit ad pedes, & calidissimi sunt.

Tertio Galenus notat non esse in longis morbis eo tẽpore nutriendum, quo scilicet ad pedes transiuerit caliditas, sed melior declinationis pars expectanda est, hoc uero in acutis expectandum non est, ob accessionis cito futuræ timorem, quia nõnunquam in acutis morbis accessiones subintrant, uel saltem tam prope subsequuntur, ut non sit opus perfectam declinationem expectare, in qua ẽt calor pedes relinquat, q̃a peius esset febrẽ superuenire homini statim cibato, in quo cibus nõ descẽderit. Quarto Galenus notat aliquos fuisse qui hanc sententiam ita scriberent, in principio eius medicinæ partis quæ victu medetur, maximum est ut in acutis ita & in longis obseruare & scire quando cibum dare oporteat.

Quinto Galenus notat alios huius sententiæ finẽ ita scriptum reliquisse, atq; adhuc quãdo plurimõ à febris accessione aberunt, scire oportet, ut præter alia quæ iubeat esse contemplãda in ægro, & id etiam admoneat, quod si quis tempus perquirat scilicet cibandi, & tempestiue non copulet quod inuenit particulari inuentioni cibandi, id præceptum de alimento tradendo importunum, & re nulla dignum uidetur, unde debet particulari inuentioni cibandi, ratione temporis morborum copulare tempus cibandi, & præceptum cibandi vniuersale.

### Hippocrates. Sectio CXV.

Cognoscere autem & eos oportet qui capite dolẽt vel ob exercitationes, vel cursum vel iter, vel uenatum, vel quemuis alium importunum laborem, vel venerea, decolores item raucos, lienosos, exangues, spirituosos, sicce tussientes, siticulosos, flatuosos, & venarũ interceptiones, huc adde quibus extenta sunt tum hypochondria, tum dorsum, tum latera, torpentes obscure videntes, eos quibus aurium tinnitus est molestus, eos qui vrinas non cõtinent, morbo laborantes regio, quorum venter cruda egerit, sanguinem e naribus vel sede vehementer profundentes, inflatos, & quos vehemens labor infestat. Nulli etenim horum nisi superuicerint, medicamentum exhibebis, nam periculo ægrũ expones, nihilq; iuuabis, spontaneasq; tum permutationes, tum iudicationes adimes.

BRASAVOLVS.

Inordinatissimus est in hoc loco author, neq; n. potest cum superioribus coniungi hæc sententia, & multa ipsa absque ordine referuntur, deq; re vna in aliam pertransire videtur. Arbitramur voluisse omnes causas simul aceruare dolor s capitis propterea dicit medicũ eos cognoscere debere qui capite dolent, & cãm inquirere debet an fuerit hic dolor ob exercitationes, uel ob cursum, vel ob iter aliquod, vel ob uenationẽ, vel ob quemuis alium importunũ laborem, uel ob uenerea, nam & superflua venus capitis dolorem excitat, hæ causæ cognoscendæ sunt doloris capitis, nam omnibus his quibus ob prędictas, causas caput dolet, medicamentum dare non expedit, neque dari debet medicamentum decoloribus, neq; raucis, neq; lienosis, neque exanguibus, neque spirituosis, neq; sicce tussientibus, neque siticulosis, neque flatuosis, neque venarum interceptiones habentibus, in hunc ordinem adde non esse etiã dandum medicamentum his quibus extensa sunt hypochondria, & dorsum, & latera neq; dandum medicamentum torpentibus, neq; obscure uidentibus, neq; his quibus aurium tinnitus est molestus, neq; his qui vrinas non continent, neq; morbo regio laborantibus, neq; his quorum uenter cruda egerit, neque his qui uehementer è naribus & sede sanguinem profundunt, neque inflatis, neq; his quos vehemẽs labor infestat. Nulli horum qui in hoc catalago scripti sunt medicamẽtum exhibebis, quãuis affectiones istas superare nõ possint, quoniam ægrum periculo expones, & illum non iuuabis adde quòd spontaneas permutationes quæ à natura fiunt adimes, & adimes etiã spontaneas iudicationes quæ medicamento impedientur, quod dari non debet, hæ sunt affectiones, in quibus iubet author non esse prębendũ medicamentũ, quas singulatim examinare oportet.

εἰδέναι δὲ τοὺς κεφαλαλγικοὺς ἐκ γυμνασίων, ἢ δρόμων, ἢ πορειῶν, ἢ κυνηγεσίων, ἢ ἄλλου τινὸς πόνου ἀκαίρου, ἢ ἐξ ἀφροδισίων. idest, Noscere aũt oportet eos qui capite dolẽt ob exercitationes, vel ob cursus, uel ob iter, vel ob venatum, vel ob alium quemlibet importunum laborem, vel ob uenerea. quoniam qui ex una harum causarum capite dolet, nõ est purgandus. in primo de compositione medicamentorum secundũ locos de causis omnibus agit dolorum capitis. hic vero solũ causas doloris capitis affert, in quibus euitandum est medicamentum, videntur ad duas vniuersales causas reduci posse, ut non sit dandum medicamentum his quibus ob laborem, vel ob uenerea dolorem capitis incidunt. labor autem potest esse uel ob exercitationes quæ sint vel pancratia, vel lucta, vel cursus, vel iter, vel uenatio, vel aucupatio, vel alter quidam importunus

vel lucta, vel cursus, vel iter, vel venatio, vel aucupatio, vel aliter quidem importunus labor. intellige vero importunum laborem illum quem praesens corporis affectio ferre non potest. Scio autem nonnunquam humana corpora esse prauis humoribus plena, qui ex exercitationibus & motibus in caput effumant, atque capitis dolorem inferunt, et in hoc casu dandum est medicamentum. at si dolores capitis ob labores fiant, qui fuerint supra modum, vt praua quaedam qualitas sit quae dolorem inferat, tunc vere non est dandũ medicamentum, modo & capitis dolor fieri potest, ex moerore, tristitia, timore, aestu, frigore, vigiliis, & in his casibus non est dandum medicamẽtum, nisi dolor fiat ab humoribus qui ex his causis sint geniti. De venere cum non possit capitis dolorẽ inducere, nisi superflua sit, & superflua reddat corpus exhaustum & imbecillum. & ideo si ob venerem fiat capitis dolor, prohibendum est medicamentum, quamuis fieri posset, quia multae cruditates ob imbecillitatem à venere factam sint aceruatae, & tunc dari poterit, sed non nisi crudis humoribus praeparatis. at simpliciter in venerea re spiritus perturbatus est, in quo casu purgatione non eget, quia hic morbus à cacochymia ortum non habuit.

τοὺς ἀχρόους: idest, Decolores, vel decoloratos. per hos illos intellige qui ob sanguinis defectum colore viuido carent. quos Graeci λειφαίμους, idest, Sanguine carentes vocant, & hi naturaliter sanguine carent & colorem illum habent. qui sanguinis defectum ostendit, propterea his non est dandum medicamentum ob imbecillitatem, & sanguinis paucitatem. illi vero qui corpus affectum habent aliter, quàm secundum naturam à graecis vocantur κακοχρόοι. i. mali coloris, & de his nõ loquitur, quoniam multis humoribus pleni sunt, quibus si caput doleat, purgandi sunt.

τοὺς βραγχώδεας. i. Raucos. & his nõ est dandũ medicamentum quantum sit ratione raucedinis, quoniam raucedo fit ob rheuma frigidum & humidum ad gutture delabens, in hoc uero casu satis est iam fluxam humiditatem exiccare, & prohibere ne alia à capite fluat, tamen & in hoc casu existente in tali quo corpore cacochymia, non est negandum medicamentum.

τοὺς σπληνώδεας. i. Lienosos. An lienosi purgãdi sint ambigẽdum non putamus, quoniam lienosi proprie dicuntur, vt Galenus in libro de compositione medicamentorum secundum locos ostendit. hi qui habent durum lienem vel dolentem, non autem habent inflammationem, apparet vero durtiem esse ob humorem atrabilarem, qui euacuatione indiget, forte intelligit nõ esse euacuãdos medicamẽto, nisi prius sit praeparata materia.

τοὺς λειφαίμους. i. Exangues. in his exanguibus põt esse bonus color & non bonus quomodocũque sit, non sunt purgandi, quia imbecilles. superius de decoloribus locutus erat, & cum Galeno intellexeramus exangues, hic vero intellige eosdẽ exangues, sed cum colore, nam hi non sunt purgandi.

τοὺς πνευματώδεας. i. Spirituosos uel suspiriosos. forte quia hi si agitentur, ex medicamenti agitatione nocumentum prauum incurrere possunt, et materia quę suspiria facit, per aluum educi non debet, sed per os potius & per sputa, est enim difficilis & longa via à thorace ad intestina transitus.

καὶ ξηρὰ βήσσοντας. Et sicce tussiẽtes. quia potius sunt humectãdi, & paranda uia ad os, & materiae ad exitũ praeparandae, quàm ducendę per aluum, propterea in hoc casu medicamentum dare non conuenit, nisi fuerint materiae in capite quae defluent, & sint in toto corpore, quia in illo casu, & in siccis tussiẽtibus, & etiam in suspiriosis dari debet medicamentum.

καὶ διψώδεας. i. Et siticulosos. cũ à multis fieri possunt causis siticulosi, & in aliquibus liceat medicamentum accipere, praesertim si sitis facta sit ex oris amarore, ob bilem in ore uẽtriculi existentem, propterea hic intellige siticulosos ex humiditatis inopia, quia ob aliquam causam, sit quaecunque illa sit, exhausti, ut vel moeror, vel timor, vel ambulatio per solem, vnde cum sine humore fit sitis, & is qui sitit nõ habeat etiam in corpore humores qui euacuatione indigeant, tunc nõ est dandũ medicamentum.

καὶ φλεβῶν ἀπολήψιας. i. Et venarum interceptiones, superius dictum est, & frequenter à Galeno notatur antiquos arterias, venas vocasse, & superius etiam dictum est intercipi arterias, quando suum continuum motum non seruant, sed aliquas derelinquunt pulsationes, verum cum hoc ob materiae copiam fieri possit, propterea in hoc casu conuenit medicamentum. & cum haec interceptio ob imbecillitatem fieri possit, nunc dari non debet medicamentum. & si os ventriculi vel cor afficiatur alio indigemus curatione, & venae sectione, propterea author hic indistincte locutus est.

ἐντεταμένους ὑποχόνδρια, καὶ πλευρὰ καὶ μετάφρενον. i. Habẽtes intenta praecordia, & latera, & dorsum, haec simul intelligi põt, & singulatim vnumquodque, sed simpliciter verum non est, quia multi sunt purgandi, qui has partes intentas habent atque fere conuulsas, quando hoc ex materiae multitudine fit. At si intentio ex inanitione esset & siccitate, non esset dandum medicamẽtum, sed hoc verum est in omnium partium tensione & siccitate.

καὶ τοὺς ἀποναρκωμένους. i. Et torpẽtes. si ex materiae multitudine sint torpidi, ut frequenter fit, his non est denegandum medicamentum, quod tamen denegandum est si ex spirituum defectu id contingat, nam in hoc casu medicamentum potius in nihilũ redderet penitus sensum, illosque insensibiles redderet.

καὶ ἀμβλὺ βλέποντας. i. Et obscure uidẽtes, si hoc fiat ex spirituũ defectu, curari nõ debẽt, si vero sit ex vaporibus à uẽtriculo aut aliis partibus ascendentibus, medicamentum accipere debent, sunt & aliae causae & obscuri visus, & aliarum dictarũ rerum, secundum quas nõnunquam conuenit dare medicamẽtum, nõnunquam venam secare, nonnunquam nihil horum facere, de his vero mẽtionem nullam faciemus, quoniam satis est vnam ex causis habere, ob quas medicamentum dari non debeat.

καὶ οἷς ἦχοι τῶν ὤτων ἐμπίπτουσι. i. Et eos quibus auriũ tinnitus est molestus, cum hic tinnitus quandoque ex flatibus fiat, & flatus à materia pituitosa vt plurimum gignatur, iccirco purgandi sunt. At quia tinnitus fieri possunt et ex imbecillitate, propterea in hoc casu non est dandum medicamentum.

καὶ τὰς οὐρήσιας ἀκρατέας διαγομένους. i. Et eos qui urinas non continent. hi etiam non debent accipere medicamentum, tum quia cum partes illae sunt affectae, ex medicamento vi ad illas multae materiae conuehuntur, & quia medicamenta vrinariis obsunt viis.

τοὺς ἰκτεριώδεας. i. Morbo laborantes regio. simpliciter dicendũ non est, his non esse dandum medicamentum, cum bilis sit quę peccet, & à pituita in cute ne per meatus insensibiles exeat, detineat, tamen si icteritia per crisim facta sit, medicamentũ exhiberi non debet, praesertim si nihil intus relictum sit, sed per cutim prouocanda est euacuatio.

καὶ ὧν αἱ κοιλίαι ὠμὰ ἐκβάλλουσιν. i. Et quorum uentres cruda egerunt, his et non est dandum medicamentum, sed potius si cruda sunt in intestinis per clysteres trahi debent. at materiae quae crudae sunt coctionem desiderant.

αἱμοῤῥαγέοντας ἐκ ῥινῶν ἢ κατ᾽ ἕδρην σφοδρῶς. i. Sanguinẽ è naribus & sede vehementer profundentes. imo adde nõ esse dandum medicamentum vbi simpliciter per quãcunque uiam sanguinis copia exiuerit, quae vires uel reddit vel reddere potest imbecillas.

ἢ τὰ ἐμφυσώμενα ἐόντα. i. Vel inflatos. in aliquibus inflatis conuenit medicamentum, quando ex flatu ventriculum extendente, & intestina, inflati sunt, qui flatus à pituitosa materia generetur, cuius copia in corpore abundet, tunc medicamentum dare oportet. at si flatus ex materia fit quae iam sit resoluta, hic medicamento non indiget, sed his solum indiget, quae flatus resoluunt, & quae illos per proprias vias facile educunt. si uero hypochondriaco flatu effecti sint, prorsus egent medicamento bilem atram euacuante, tamen possunt & sine medicamento, sed solis aquae dulcis balneis curari, quando non fuerit confirmatus affectus. Notandũ uero est in hypochõdriaco flatu, semper illa quae euacuãt obesse videri, & cum ab euacuationibus, & corpus commouentibus cessatur, melius se habere uidetur,

quod

quod & ab Aetio notatur.

ἢ πόνος αὐτοῖς ἐπιτείχῃ σφοδρός.i. Vel quos uehemēs labor infestat. non vehemens dolor, quoniam in vehementibus doloribus medicamentis potissimum indigemus, sed in laboribus & defatigationibus uehemētibus cū natura sit ob laborē exhausta, medicamentū dare nō est opus, nā magis exhaurit, & vires magis deijcit, & in laboribus praui humores resolui sunt, imo & boni si qui sint in corpore.

καὶ μὴ ἐπικρατέωσι, τῶν τοιούτων μηδένα φαρμακεύειν.i. Et non superuicerint, nulli horum medicamentū exhibebis. si prædictos affectus vincant ac superent, nihil est præbendum. At si prædictos affectus non superuicerint, dandum forte medicamentū, vt affectio remoueatur. Sed hic author docet etiam si non superuicerint, sed sequantur affectus, tamen non esse dandum medicamētū. Correptus sit homo quocunq; ex prædictis affectibus, sed eo modo intellectis, quo superius exposuimus.

κινδυνεύσεις τε γὰρ ἔτι, καὶ οὐδὲν ὀνήσεις.i. Nam periculo ægrū exponēs, nihilq; iuuabis. periculo exponetur æger, quia medicamentum dabitur quod non conueniet, neq; quod ducat habebit, & nihil iuuabit, cum illo non indigeat, imo naturam impedies, ut reo addit.

τάς τε ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου ἀπαλλαξίας καὶ κρίσιας ἀφαιρήσεις.i. Spōtaneasq; permutationes & iudicationes adimes. hoc mali facies si medicamētū præbebis, si natura spōte ægrū liberare debet, non liberabit, neq; à medicamento impedita quod dandū nō erat, ad bonū pmutabit, & iudicationes etiā adimes, quę à natura spōte fieri debent, sed medicamentū naturæ opus perturbat, imo plerunque & in his qui medicamento indigent, quando materia cocta non præbetur, impeditur iudicatio.

GALENUS. Quòd inordinate & præparationis ad commentationem modo omnia hoc in libro scripta sint, cuiuis patere arbitror. Multa sanè, vt dici, in hoc bene dicta sunt: ob quæ ad ea quæ dicta sunt non rectè quidam animo & studio incubuerunt, magisq; qui sibi conscij fuerunt, ueluti discretoria eorum quę scribuntur scientia carentes. Quæ ergo hac in dictione dicuntur, catalogum habent eorum, qui vt medicationē recipiant, idonei non sunt. καθαίρεσθαι autē, idest purgari, & φαρμακεύεσθαι, idest medicamento purgante uti, idem significant, ut φαρμακεύειν & καθαίρειν. Videamus ergo quibusnam ab initio purgationem interdicat. Capite dolentes recenset, uel ob exercitationes, vel alium quęuis importunum laborem: summatim eos intelligens, qui ex intempestiuis laboribus capite dolent, haudquaquam expurgandos. Labores autē intempestiui, importuniq; omnino sunt, quos præsens hoc tempore corporis affectio ferre non potest. Admonebo autem tete in pręsentiarum rei quæ ad multa est vtilis, quā semper in memoria haberi velim. Corpore igitur nostro ad morbosam affectionem parato, ita vt propè completa sit, externum quippiam obueniens eam affectionem manifestauit, febrē videlicet accendens, vel capitis dolorem, vel catarrhum, uel tussim excitans, uel aliud quod tale sit. Deinde ex eo continenter ad morbosam affectionis præparationem, non sine periculo languens, neque cursu morbum excitante, vel vehementi omnino motione, vt neque intemperantia, vel refrigeratione, vel alia quauis simili causa. Nihil etenim horum suapte natura vehementem generare languorem potest. Nam si febris ab horum aliquo fiat, hæc ex diariarum genere erit: aut si symptoma aliquod aliud generetur, id sæpius pauco edurabit interuallo. Et sanè, vt retuli, propter corporis dispositionem vnumquodq; horum, non morbi causa, sed πρόφασις, id est occasio, redditur. Nam huiusmodi causas proprissime quis appellauerit προφάσεις, non simpliciter euidentes & manifestas, vt hi sæpius uocare consueuerunt, cum ab aliqua manifestarum causarū noxa in corpore euidens fuerit. Si enim nulla alia corporis dispositio adfuerit, neque morbus effatu dignus subsequetur, eiusq; quod in corpore fit detrimenti, quod ipsum fecit, causa est. Scieris itaque hoc in loco de his agi causis, quæ non sua ratione corpori adferunt detrimentum. Summa autem horum est vna quidem & prima, labores uarij & particulares, cursus scilicet, luctæ, pancratia, venerea, frictio, æstuatio, frigus, vigilia, ira, mœror, & timor. Venereorum quidem meminit, verum cætera subticuit, quanquam uirtute eadem prædita forent. Nam quæ, vt dictum est spiritum perturbant, ea purgatione non egent, quod morbus huiusmodi à cacochymia contractus non sit. Ab his autem digressus indicijs author, quos prius dicit declarauit. Propriè autem ἀχρόους, id est decolores, λευφαίμους, id est sanguine carentes vocant: eosq; qui corpus aliter quàm secundum naturam sit affectum, habent, κακοχρόους, idest mali coloris, appellant. Hi ergo decolores calfieri expostulant tum exercitationibus, tum vini facultate calidi potu, & cibis qui talem obtineant facultatem. Raucos deinde subiungit: nempe & horum humiditatem & frigiditatem ob delapsum ad guttur rheuma sanare conuenit, exiccatis scilicet topicorum auxiliorum vsu, tum capite, tum cæteris quæ affecta sunt membris. Præterea & lienosos purgatione haudquaquam egere inquit: quod non rectè dictum arbitror, cum lienosis, si alijs quibusdam, purganda sint quæ nigra existunt. Post lienosos meminit, λευφαίμων, id est eorum qui sanguinis inopiam habent, etsi nondum apertè, manifesteq; fuerint decolores. Deinde mentionem de spirituosis facit, sicce tussientibus, & singultosis, obscurè ita loquutus, vt non constet, vtrum ne singuli horum seorsum intelligendi veniant, an hi tres vnà comprehendi. Neque adhuc in singulis horum, seorsum intellectis, perspicuus est sermo, vt & antea iam est enunciatum. Nempe πνευματώδεας, id est spirituosos sæpius eos duntaxat vocant qui cum inspirant, aeris indigent. Interdum autem & inflatos, quorum uterque multas habet causas: quas omnes si percurrero, prolixior quàm par sit, sermo est futurus: præter id quod quidam ex his sanguinis missionem exigere uidentur, alij purgationem, & remedium aliud alij. Sic & sicce tussientes non affectione vna fiunt, neque singultosi. Neque etiam in præsentiarum certiores fieri possumus, anne de febrientibus singultosis sermo sit, an de non febrientibus, an de utrisque. Quòd si vnum horum quæ in aphorismis recensentur, meminerimus, quod uniuersale est tolletur. Dictum autem in aphorismis. Si non febrienti inappetentia fuerit, oris ventriculi morsus, tenebricosa uertigo, & oris amaror, id per superiora purgatione indigere significat. si autem os amaricat, singultosi sunt. Pari modo & qui inflatuosi ab ipso dicuntur, haud scio, si videlicet cum ventrium interceptionem flatuosi effecti intelligendi sunt, cum adsint nonnulli, qui per se legant: atque adeo singula dictionis huius possem transmutare. possemq; omnia quę cognoscere vtile sit, citra librorum multitudinem docere: veluti & de his quæ deinceps dicuntur. At enim: Quibus extenta sunt tum hypochondria, tum dorsum, tum latera, torpentes, obscure videntes, eos quibus aurium tinnitus est molestus, & qui vrinas non continent. Nempe in singulis his pathematis, & causæ, & affectiones sunt multæ, uarijsq; egentes curationibus. Quarum profectò nonnullæ eam quæ per bilis eductorium medicamentum fiat, purgationem expostulabunt. De his ergo omnibus, atque adhuc de his quę deinceps dicuntur, non enunciationes indistinctas, sed distinctiones, doctrinasq; tum claras, tum longo rerum usu probatas habes in nostris tractationibus: quas qui intellexerit, omnia quę ab authore hoc recitantur, discernere valebit. Atque si partis memineris, quam & legitimam, & commodæ doctrinæ plenam fassi sumus. In ea siquidem parte cum demonstratione & explanatione, congruentibusq; distinctionibus scripta sunt omnia. sed quę ita disseminata sunt, vt præsens oratio, nihil iuuare possunt. Nempe si qui nunc singula horum simpliciter & indistinctè audierit, is multa aduersus artem perperam molietur. Quòd si singula vt oportet distinxerit, primum quidem nihil in præsentiarum ad eorum inuentionem iuuari deprehendetur, deinde ad eam quæ de præsentibus fit contemplationem multis egere libris videbitur. Nec verò plerisque hominum suadendum est, vt aggrediantur quidem

sola ea scripta quæ manifesta sunt: ea autem relinquant quæ talia non sunt. Nempe si nullam nobis illi cognoscendi quæ scripserunt commentationem fecerunt, vt & nos haudquaquam diligenter adhæreamus ea quæ dicuntur tum quærentes, tum dubitantes, par est.

BRASA VOLVS. Primo Galenus notat, cuiuis manifestum esse, omnia quæ in hoc libro scripta sunt inordinate ad modum quo solent fieri præparationes ad cõmentationes scripta esse, & vt inquit multa in hoc libro praue scripta sunt multa etiam bene, ob quę nonnulli non recte incubuerunt ad dicta, neq; recte animo & studio illa considerarunt, & potissimum qui in se ipsis conscij fuerunt, quod non habent scientiam discretoriam & iudicatoriam, eorum quæ scribuntur. Vt ad rem igitur accedamus, illa quæ in hac sententia scribuntur enumerationem & catalogum habent eorum qui idonei non sunt ad recipiendã medicationem, notare autem oportet apud Gręcos idẽ significare καθαίρεσθαι, idest purgari, & φαρμακεύεσθαι. i. medicamento purgante vti, sicuti & actiua uerba idem significant, scilicet φαρμακεύειν, & καθαίρειν, hoc est medicamentum dare, & purgare.

Secundo Galenus illos considerat, quibus purgationẽ & vsum medicamentorum interdicit author, & Galenus addit quibus interdicat à principio, tamen quocunq; tempore interdicit, & simpliciter & nõ solum in principio, quia Hippocrates nisi materia turgeat, nunq; medicamẽtum præbet in principio, tamen in quibus non adsit febris, principium considerare nõ est opus. illos ergo author recenset, qui capite dolent, vel ob exercitationem, vel ob alium quemcunque laborem importunum, vt in summa secundum hũc authorem dicamus illos non esse medicandos neq; purgandos qui ex intempestiuis & magnis laboribus capite dolent. Et si petas quinam sint intelligendi intempestiui labores et importuni: Galenus respondet illos esse quos tempore affectio præsens ferre non potest, nam adeo fuere uehementes illi labores vt capitis dolorem inducerent, quo præsente non potest ęger amplius labores illos ferre ob capitis doloris vexationem. Galenus deinceps lectorem attentum reddit inquiens, quod illum nunc admonebit rei quæ ad multa est utilis, quam iubet semper medicũ in memoria habere & seruare.

Tertio Galenus ad id descendit, quod iubet nos in memoria habere, notatq; cum corpus nostrum ad affectionem morbosam paratum sit, imo adeo paratum vt prope sit perfecta affectio & completa, tamen non sit completa, quicquid externi aduenerit quod hanc affectionem irritet, statim illam ostendet, quia affectio sensibus manifestabitur, quæ adhuc non sentiebatur, tamen in procinctu erat vt sentiretur, nunc verò à re aliqua externa irritata sentitur. & si petas quam affectionem dicat, ad hanc vel illam nõ se determinat, sed si corpus sit paratũ ad febrẽ, febrẽ accendet, si paratũ sit, & ꝓpensum ad capitis dolorem, capitis dolorẽ inducet. Idẽ de destillatione dicito, de tussi, & de omnibus alijs affectibus, ad quos humanum corpus propensum est, & quod à re externa in affectum facile induci potest. Postea ex hoc extrinseco statim ob morbosam affectionis præparationem in affectum ipsum morbosum transeant, sed aderat morbosa præparatio, propterea non sine periculo languent. & in hoc casu nõ est cursus qui morbum excitet, neque vehemens aliqua motio neque intemperantia, neque refrigeratio, neq; aliqua alia similis causa, quoniam nihil horum secundum suam naturã uehementẽ languorẽ generare est aptũ, sed erat præparata primo affectio morbosa, & sensu non percipiebatur, vno ex his mouente accensa est adeo, vt non sit absque periculo & sensu percipiatur. ponamus enim febrem ex vna illarum causarum secundum se fieri, neque præcessisse in corpore febrilis affectionis pręparationẽ, fiat autem ex cursu vel vehementi motu hæc febris, certum est quod erit absque periculo, & ex genere diariarum, aut si ex his extrinsecis causis aliquod aliud symptoma fiat, id erit facile, & pauco edurabit tempore, & ideo scire oportet vt Galenus dixit ob corporis dispositionem, & præparationem ad morbum, vnumquodque horum extrinsecorum non dici uere morbi causam, sed potius erit πρόφασις, idest occasio, ob quam morbus qui ferè latitabat in actum redactus est, quasi sit causa irritans & superficiaria non intrinseca rei, nã proprie tales causas quæ ita irritant quis maxime vocare poterit προφάσεις, & non appellabit illas causas simpliciter & manifestas eo modo quo solent hi vocare causas quando ab aliqua manifesta causa & euidenti, morbus in corpore euidens fuerit, vnde si non fuerit in corpore dispositio ad affectum, & affectus fiat ab vna harum causarum extrinsecarum, non sequetur morbus afflatu dignus, & tunc dici poterit causa eius detrimenti quod in corpore factũ est, & non πρόφασις, idest occasio ad detrimentum, tamen id detrimentum est modicum, vnde author in hoc loco de his agit causis, quæ corpori sua ratione detrimentum non afferunt, sed irritant solum quod in corpore est dispositum, verum vt ad rem ipsam descendamus, summa harum causarum vna quidem & prima est labores varij & particulares, cursus scilicet luctæ, pancratia, venerea, fricatio, æstuatio, frigus, vigilia, ira, moeror, & timor. cum tot sint, author uenereorum tantum mentionem fecit, alia vero subticuit, quamuis forent eadem virtute pręditá, vel forte sub cursu intelligenda voluit, & exercitatione, hæc spiritum perturbare videntur. dictum vero est, illa quæ spiritum perturbant purgatione non egere, quia hic morbus à caçochymia non dependet, sola autem cacochymia purgatione indiget, author uero ab his digressus indicijs, quæ prius dixit declarauit.

Quarto Galenus exponit quid intelligendum sit per decolores, quos sua lingua vocat ἀχρόους. Ad decolores dupliciter dicuntur, quidam dicuntur decolores qui corpus habent aliter affectum quam secundum naturam sit, & hos proprie κακοχρόους. i. mali coloris uocat qui prauus color est ob obstructionem, vel ob alium affectum, & de his author intelligere non potest, quia plerunque hi purgatione indigent. Vocant etiam decolores λειφαίμους. i. sanguine carentes, nam qui sanguine carent, colorem non habent, scilicet viuidum, sed est pallens, & hi in hoc casu non sunt purgandi, quia & sanguine carent & sunt imbecilli. de his authorem loqui intelligere oportet. hi vero qui ita decolores sunt, debent exercitationibus calefieri, & vini potus, quod facultatem habeat calidam, & eiusdem facultatis cibi præbendi sunt.

Quinto Galenus notat & raucis interdixisse medicamentum, quoniam rauci ob humiditatem effecti sunt & frigiditatem, hoc est ob humorem talem qui ad guttur defluit, hæc vero raucedo abigitur non quidem medicamentis, sed per auxilia topica exiccato capite & membris quę affecta sunt.

Sexto Galenus notat authorem dicere lienosos purgatione nõ egere, quod absurdum esse putat Galenus, quoniam si qui sint qui purgari debeant, sunt lienosi, à quibus atra bilis auferenda, vel humores nigri auferendi.

Septimo Galenus notat post lienosos mentionem fecisse λειφαίμων, idest eorum qui sanguinis inopiam habẽt, verum quia & hos intellexit Galenus in decoloribus, propterea hic addit, de his intelligere, quamuis non aperte & manifeste decolores fuerint.

Octauo Galenus notat mentionem fecisse spirituosorum, siccè tussientium, sitículosorum, sed ita obscure & conculcate loqui, ut non constet, an singuli hi affectus seorsum intelligi debeant, vel omnes tres vna comprehendantur, imo si seorsum intelligantur etiam non est in ipsis perspicuus sermo, sicuti & prius dictum est. id autem verum esse ecce, sępius illos vocat πνευματώδεις, idest, spirituosos, qui cum inspirant aere adhuc indigent, plerunque etiam vocant pneumatodes inflatos, verum quodcunque horum dixeris à varijs causis prouenire potest, quas si Galenus recensere voluisset, sermo futurus fuisset prolixior, quàm conueniat, præter id quod inter hos pneumatodes aliqui indigent venæ sectione, aliqui medicamento, alij alijs præsidijs.

Galenus parum ante calcem tertij libri de difficultate respirationis ambigit quinam intelligẽdi sint per pneumatodes, & hunc

locum

locum adducit, ostēditq; & significari posse inflatum uentrem, & difficultatem respirationis, tamen in proposito hi intelliguntur qui difficultatem respirationis habent & non inflari. in tertio etiam commentario in primum Prorrhetici sectione. 72. πνευματώδεας illos vocat. quibus magna est & frequens spiratio.

Nono Galenus notat & sicce tussientes, ab vna sola affectione non fieri, neque siticulosos ab vna fieri sola, imo & aliud est, in quo sumus incerti. An.s. de siticulosis febrientibus loquatur an de non febrientibus, an de vtrisq; simul. verum si vnius ex his quæ in aphorismis recensentur in memoriam reuocauerimus, id qđ vniuersale est tolletur. in aphorismis vero dictum est: Si non febrienti inappetentia fuerit, oris ventriculi morsus, vertigo tenebricosa, & oris amaritudo, id per superiora purgatione indigere significat. verum cum os amarum sit. siticulosi sunt, tamen purgatione indigent. Adde etiam ignotum esse qui flatuosi vocentur ab hoc authore, an.s. intelligendi sint flatuosi cum venarum interceptione, an absq; uenarum interceptione, quoniam quidam sunt qui per se legunt, propterea ego (inquit Galenus) possem singula huius sententiæ permutare, & possem omnia quæ cognoscere vtile est citra librorum multitudinem docere, sicut & de illis quæ postea dicuntur. cum inquit quibus extenta sunt tum hypochondria, tū dorsum, tum latera, torpentes, obscure uidentes, eos quibus aurium tinnitus est molestus, & qui urinas non continent, nam in his singulis sunt multæ affectiones & causæ pathematis, & varijs curationibus indigent. inter affectiones vero istas multæ sunt quæ purgationem expostulant per medicamentum bilis eductorium.

Decimo cum nolit Galenus singulum horum symptomatum considerare, iccirco infert, quod de his omnibus, & præterea de his quæ posterius dicuntur, non indistinctas enunciationes & obscuras, sed distinctiones & doctrinas claras & longo rerum vsu probatas in nostris habes tractationibus, quas qui intellexerit, statim omnia quę ab hoc authore dicūtur discernere valebit, unde si illius partis meminerint, & in nostris libris & apud Hippocratem, nos & legitimam & commode doctrinę plenam fassi sumus, in illa inquam parte, omnia scripta sunt quæ ad rem faciunt cum demonstratione & explanatione, & congruentibus proposito distinctionibus, verum quæ ita disseminata sunt, & confusa vt oratio pręsens nihil iuuare possunt legentes, sed potius illos reddunt ignaros, quoniā si quis horum singula simpliciter & indistincte audient, is contra artem multa perperam molietur, at si singula vt oportebat distinxit, primum quidem in præsentiarum ad eorum inuentionem nihil iuuari deprehendetur, postea ad contemplationem illam, quæ de præsentibus est, multis libris egere uidebitur, imo neq; plerisq; hominum suadere debemus vt sola illa scripta aggrediantur quæ manifesta sunt, & illa relinquant quæ manifesta non sunt, quoniam si illi nullam nobis commentationem fecerunt per quā illa intelligamus quæ scripserunt, vt & nos non diligenter adhæreamus, conueniens est vt illa quæ dicuntur ab authore tali, & quæramus, & si assequamur diuinemus, si non assequamur ignari simus.

Quod legitur commentationem, grece est φροντίδα.

## Hippocrates. Sectio CXVI.

Si cuipiam sanguinem auferre confert, ventrem confirmare oportet, & ita auferre, mox inediam præcipere, & vinum tollere: deinde congruenti victu & fotibus & infusionibus reliquam curationem absoluere.

BRASAVOLVS. Pro huius sententiæ intellectione supponere oportet aliquē esse qui alui profluuio detineatur, & cui ob aliquam causam vena secari debeat, & hic simul febre correptus sit, tunc author inquit si quis sit cui sanguis auferri conueniat, & alui profluuio detineatur prius venter est sistendus ne profluat, postea sanguinem auferto, quo ablato, iube in inedia ægrum manere ob febrem, & vinum ægro auferto, postea congruenti victu, & fotibus, & infusionibus reliquam curationem absoluito.

ἤν δ' αὖ μή τινι ξυμφέρῃ ἀφαιρέειν.i. Si cuipiam sanguinem auferre confert. Confert vero & ratione ægritudinis quàm cognoscimus esse talem vt venæ sectione indigeat, & quia affectus sit ad sanguinis eductiones, tamen diarrhœam habeat, vel lienteriam, noli sanguinem huic auferre.

στηρίξαι ποιέειν τὴν κοιλίην.i. Ventrem confirmare oportet.i. sistere prius debet, quàm venæ sectio fiat, quia si profluuium post venæ sectionem sequatur, vis deijcitur.

καὶ οὕτως ἀφαιρέειν.i. Et ita auferre, hoc est uentre confirmato auferes, tamen est aliquis casus, in quo uentre etiam fluēte, venam secare conuenit, quando est sanguinis profluuium ex sanguine regurgitante à iecore per meseraicas ad intestina. scitoq; affectionem quæ indicat de venæ sectione talem esse posse, vt cogeremur secare etiam cum alui profluuio, sicuti in ardente febre in qua sint biliosæ deiectiones, tamen venam secamus, si vires & ætas consentiant, quia est magnus morbus. iccirco hæc sententia non est simpliciter vera, sed solum vbi ad alijs non cogamur venā secare, sed simpliciter sint alui profluuium & aliquid indicans de venæ sectione, sed non cogens.

καὶ λιμοκτονέειν.i. Et inediā præcipere, quę ob febrem iniungitur, vel intellige alui profluuium ex nimio cibo fuisse.

καὶ οἶνον ἀφαιρέειν αὐτῷ.i. Et vinum illi auferre, opus est imaginari hunc esse febre correptum, quia vinum ægris non aufertur ex alui profluuio, pręsertim cum fuerit restrictum.

ἔπειτα διαίτῃ τῇ πρεπούσῃ.i. Deinde deceno uictus ratione regendus est, erit vero decens uictus ratio illa, quæ illi morbo conueniet quem subicuit author, si febrem esse dicamus detur conueniens uictus ratio, ut febris exigit quàm habet.

τὰ ἐπίλοιπα αὐτῶν, καὶ πυρίῃσι ἐπιβρέγμασι διαιτέειν.i. Et fomentis & persusionibus reliquam ipsorum curationem absoluere. hęc modo ostendunt non esse solum febrem affectionem illam quæ sanguinis missionem requirebat, sed aliud esse quod fomenta exigebat, & perfusionem, quamuis & in ardente febre iecori & cordi fiant fomēta, & pfusiones frigidæ. idem est ac si author iste ita dixisset. postea quæ facienda sunt perficito. Et ideo obscurus est author, neq; in qua affectione loquatur exponit, iccirco & nos ad sententię intellectionem diu non immorabimur.

GALENVS. Fluente aluo, sanguinem non detrahęs. Nam si post detractionem perseuerat fluor, uirtutem prosternit. inediam autem præcipere quibus detractus fuerit sanguis & uinum tollere, recte dictum est, ut & congruo uti uictu: sed fotibus & influsionibus curare, si de omnibus quidem quibus sublatus fuerit sanguis dicatur, id falsum est: si uero de aliquibus, dicere oportuit.

BRASAVOLVS. Primo Galenus notat non esse sanguinem trahendum aluo fluente, & rationem reddit, quia si post uenæ sectionem fluor perseuerabit, uires prosternuntur, hoc intellige in simplici alui fluore quando sine sanguine fuerit, quoniam cum est cum sanguine quandoque debet uena secari.

Secundo Galenus notat recte dictum esse his inediam præcipiendam esse quibus sanguis fuerit detractus, & uinum tollendum, hoc etiam non est uniuersaliter uerum, post uenæ sectionem uinum esse auferendum, & inediam pręcipiendam. sed solum ubi aderit febris, uel etiam dolor de quo ferè in sententijs sequentibus notare uidetur quod hic intellexerit.

Tertio Galenus notat recte etiam dictum esse nos uictum congruum instituere debere his quibus uena est secta. Tamen id ultimum quod est fotibus & infusionibus curare, si de omnibus quibus sublatus sit sanguis intelligatur falsum est, si uero de aliquibus intelligatur. eos dicere oportebat. tamen in aliquibus hæc conueniunt, ut cum aderit dolor, tamen neque in omnibus conueniebat uinum tollere, & inediam instituere, forte intelligit in omnibus uehementibus doloribus cum febre illa esse instituenda. sed fotus & persuasiones nō sunt semper necess

saria in uehementi dolore cum febre, propterea nec in hac affectionis specie hoc semper uerum est, de vino autem et inedia semper in hac affectionis febrilis specie cũ dolore uera uidẽtur.

## Hippocrates. Sectio CXVII.

**Si vero venter densus astrictusq; tibi videatur, mollem huic adhibe clysterem.**

### BRASAVOLVS.

In eo affectu de quo prius loquebatur, prosequit̃ author, supponamus febrem esse cum dolore. si uenter astrictus esse uideatur & densus, huic clysterem mollem adhibeto.

ἢν δέ σοι κατάπυκνος ἡ κοιλίη δοκῇ εἶναι. i. Si vero uenter adstrictus esse uideatur. vel post uenæ sectionem uel sic in alio casu, in quo aluus sit adstricta.

μαλθακῷ κλύσματι ὑποκλύζε. i. Mollem huic adhibe clysterem. probe mollem dixit ad aluũ emolliendũ, est uero mollis clyster, in quo aderit plurimum olei, et plurimũ pinguedinis, aut ius sit ualde pingue, nam hic clyster adstructioni conuenit.

### GALENVS.

Dignum conscriptione quod omnibus pateat, hoc non est.

### BRASAVOLVS.

Galenus in hac sententia nihil dicit, quoniam omnibus patet, iccirco nihil dignum est quod pro ea exponenda referatur.

## Hippocrates. Sectio CXVIII.

**Quod si medicamento opus sit, helleboro tute sursum expurga, deorsum vero talium neminem.**

### BRASAVOLVS.

Author hæc dicit, ac si ęgritudinem proposuerit de qua locuturus est, & in qua helleborum prębet. dicit uero, si opus sit medicamento, helleborum prębeto, ut superiores partes expurgentur, nam per partes inferiores neminem talium purgabis, forte in ægritudine intelligit, in qua sanguis detrahi debuit & aderat alui profluuium, supposito quod sanguinem educere nõ debeat, sed medicamentum adhibere oporteat, noli purgare per partes infernas, quoniam adest alui profluuium, sed dato helleborum albũ. s. quo ęgrũ per superiores partes expurgabis.

ἢν δὲ φαρμακεύσαι. i. Si autem medicamento opus sit, uel intellige in alio affectu, quem non prædixerit author, uel in illomet, in quo debebat sanguis educi, aluo adstricta, tamen in proposito sanguinem emittere non sit opus, sed potius dare medicamentum. potest sententia hæc ad omnia aptari.

ἐλλεβόρῳ ἀσφαλέως ἄνω κάθαιρε. i. Helleboro tute sursum purgato intellige. helleborum album, quo per vomitum expurgentur humores qui affectum illum faciunt. erat antiquus mos per uomitum etiam expurgare, qui nunc in usu (prætterquam raro) non est.

κάτω δὲ μηδενὶ τῶν τοιούτων. i. Deorsum uero neminem horum scilicet purgato. Forte quando adest alui profluuium, vel casum quendam imagineris in quo hæc conueniant, & illum esse dicito.

### GALENVS.

Tanquam ęgritudinem pręd xerit, in qua hæc fieri iubet, sermonem facit, tametsi nihil prædixerit. Vel ergo exempta est quædam oratio, in qua ostendebatur ægritudo, uel obliuiosus fuit qui hæc scripsit, uel talis qualis ab antiquis appellatur μετέωρος, idest nondum fixo animo, sed suspensus.

### BRASAVOLVS.

A Galeno notatur authorẽ hunc, sermonẽ facere ac si ægritudinem prædixerit in qua hæc fieri iubet, cum tamen nihil prędixerit, vnde imaginari oportet, vel ademptam esse orationem quandam in qua ægritudo ostendebatur, uel illũ qui haec scripsit fuisse obliuiosus & putasse se scripsisse quod nõ scripserat, uel talem fuisse qualis is qui ab antiquis appellatur μετέωρος, idest nondum fixo animo, sed suspensus. ut adhuc suspense loquatur, & ad rem ipsam animum non affixerit, tamen quicquid sit, deest affectio, de qua sermo fit.

## Hippocrates. Sectio CXIX.

**Optimum autem est si vrinæ cieantur, sudores prouocentur, inambulent, & traquille ita sese perfricent, vt non densiorem reddant habitum. Quod si in lecto iacuerint, perfricent eum alij.**

### BRASAVOLVS.

Adhuc ambiguum est de qua loquatur ægritudine, tamen modum ponit regendi ægrum, in hoc affectu optimum est si vrinæ cieantur, & sudores prouocentur, & inambulent, & tranquille sese perfricent, ne habitus dẽsior efficiatur. At si hic adeo affectus sit, vt in lecto iaceat, alij eum perfricent.

κράτιστον δ' ἐς οὔρησιν, καὶ ἐς ἱδρῶτας, καὶ ἐς περιπάτους ἄγειν. idest, Optimum autem est si vrinæ cieantur, sudores prouocentur, inambulent. Duo ex his febri conueniunt, aliud nõ conuenit, cũ in febre adsit obstructio, ꝓpterea medicus aperientibus semper uti debet, urinam prouocantibus atque sudorem, & aluum lubricam facientibus. Ambulatio uero in febre fieri non debet, sed potius is qui febre correptus est quiescere debet, propterea opus est intelligere præter febrem genus aliquod doloris, vt etiam in sententijs quę sequuntur Galenus intelligendum esse ostendet.

καὶ τρίψει ἡσύχῳ χρῆσθαι, ἵνα μὴ πυκνώσῃς τὴν ἕξιν. i. Et tranquille ita sese perfricent, ut habitum densiorem non reddant. Galenus docuit in libris de sanitate tuenda uehementes frictiones non solum non aperire meatus, sed etiam illos obstruere, & habitum dẽsum reddere, quod in febribus euitare debemus, propter hoc iubet author frictiones quidem faciendas, sed molles, ne habitum densent & obstruant.

ἢν δὲ κλινοπετὴς ᾖ, ἄλλοι τριβέτωσαν αὐτόν. i. Si vero in lecto iacuerint, perfricent eum alij, ac si uoluerit, ut se ipsum perfricet, si in lecto non fuerit, quo fieri non potest: quomodo enim quis deorsum sibi perfricare poterit & multas corporis partes? Copus hanc partem alio modo vertit, ut sensum faciat quod ipso in cubili prono ab alijs perfricetur, & nõ q̃ se ipsum perfricet, ita enim uertit, leniter perfricare, ne uidelicet habitum reddas densiorem, id quod alij, ipso prono in cubili iacente facere debeat, ut huius qui perfricari debet situm notet, tamen contextus græcus id dicit quod à nobis relatum est.

### GALENVS.

Scripsit, quoque & hęc ita tanquam ęgritudinem pręd xerit.

### BRASAVOLVS.

A Galeno notatur, & hunc authorem, hęc quoque scripsisse, tanquam ægritudinem prædixerit, quam forte prædixit, sed à primo scriptore fuit prætermissa.

## Hippocrates. Sectio CXX.

**Et si in thorace supra septum transuersum infestet affectio, resideat frequentius qui afficitur, minimeq; reclinent donec vires ualeant, sedentemq; calido multo diu refricent. Si vero dolor ventrem inferiorem sub septo transuerso infestat, iaceat is (conuenit enim) nulloq; pacto corpus moueatur, seclusa etiam fricatione omni.**

### BRASAVOLVS.

Si illa quæ in hac sententia dicũtur, ad ea sint consequenter quæ superius scripta sunt, videbitur authorẽ de dolore locutum esse, quoniam nũc dolorem refert, imo videtur applicari posse lateris dolori supra septũ trãsuersum, & sub septo, nam dicit, si affectio vel dolor supra septum trãsuersum in thorace infestet, is qui afficitur frequẽter sedeat, & non reclinet, quoad vires valuerint, & dum sedet multo calido & diu refricetur. verum si dolor vẽtrem inferiorem infestabit sub septo transuerso is iaceat (nempe hoc conuenit) et corpus nullo pacto moueatur, neque fricetur, sed fricationem omnem nunc secludamus.

*καὶ ἢν μὲν ἐν τῷ θώρηκι ὑπὲρ τῶν φρενῶν λυπέῃ τὸ πάθος αὐτὸν, ἀνακαθίζεσθαι ὡς πολλάκις, καὶ ἥκιστα κατακλίνεσθαι, ἐς ὅτι δυνατοί εἰσι, καὶ καθήμενα ἀνατρίβεσθαι πολὺν χρόνον πολλῷ θερμῷ.* idest, Et si in thorace supra septum transuersum infestet affectio, resideat frequentius qui afficitur, minimeq́ue reclinet, donec vires valeant. sedentemq́ue calido multo diu perfricẽt, locum affectum describit, & simul quæ agenda sunt si in thorace sit dolor, hoc est supra septum transuersum, nam thorax sub septo transuerso non est, propterea neque dici posset in thorace supra septum transuersum, sed hoc dicit quoniam de dolore loquitur qui in thorace fit in quacunque fuerit parte, modo sit supra septum transuersum. is qui ob dolorem ita afficitur anhelitus habet difficultatem. imo plerunque non possunt nisi recta ceruice spirare, propterea iubet hunc vt plurimum sedere, quia sedens spiritum habet aptius quàm iacens. imo iubet ne vllo modo iaceat neque reclinet se, sed sedens maneat. at quia plerunque contingit vt vis desit, & hic non possit semper sedere, & recta ceruice manere, propterea donec poterit, & vires supererunt sedeat. Cum non poterit amplius sedere quia vires desint iaceat, sed caput altius seruet, quàm fieri possit. Interim vero dum sedet, calido diu perfricandus est. intellige calido fomento, quod fiat ex aqua vel ex oleo, vel ex aliquo herbarum decocto, vel ex aliqua re calida quæ vim habeat anodynam & sedandi dolorem. imperfecte loquitur & de affectione, quia non exprimit quænam sit, & de curatione; quia vnum tantum refert præsidium & imperfectum scilicet calido refricandum, propterea ne nos tempus omittamus pro authore conciliando ad reliqua prosequamur.

*ἢν δὲ τῇ κάτω κοιλίῃ ὑπὸ φρένας ἔχῃ τὰ ἀλγήματα, ἀνακλίνεσθαι ξυμφέρει, καὶ μηδεμίαν κίνησιν κινέεσθαι τῷ τοιῷδε σώματι ξυμφέρει ἔξω τῆς ἀνατρίψιος.* idest, Si vero dolor ventrem inferiorem sub septo transuerso infestet, iacere confert, & tale corpus nullo motu moueri confert. imo & fricatio etiam secludatur. cum uero dolor fuerit sub septo transuerso in ventre inferiore, in quacunque parte eius ventris qui est sub septo transuerso, cum nulla adsit anhelitus difficultas, is iacere potest, & conuenit, imo conuenit corpus quiescere & non moueri. Adde neque fieri oportere fricationem aliquam. est etiam hic satis confusus, quia neque doloris genus addit, neque præsidia ponit ad dolorem conuenientia, quia in aliquibus, inferioris ventris doloribus frictiones conueniunt, & in aliquibus conueniunt deambulationes.

### GALENVS.

Oratione ex hac quis coniecerit tum hæc, tum quæ ea præcedunt omnia, de doloribus scripta esse. Prætermissa igitur principio dictionis sunt hæc, peccante primo libri huius scriptore, & manente postea peccato. Quamobrem fieri non potest vt quispiam in his veritatem peruestiget, etsi plus quàm temere in hmõi tempus conterere uideamur.

### BRASAVOLVS.

A Galeno notatur ex hac sententia quispiam conijcere posse & illa quæ in sententia dicuntur & omnia quæ præcedunt, de doloribus intelligi oportere. At in sententiæ principio dolores prætermissi sunt, & causa huius fuit primus huius libri scriptor. quoniam dolorem prætermisit, postea peccatum perseuerauit nullo corrigente, & ita per diuersas manus procedentia exemplaria, omnia fuere mutilata propterea fieri non potest vt in his quispiam ueritatem inuestiget, quamuis in his sententiis considerandis plusquam temere tempus conterere videamur.

## Hippocrates. Sectio CXXI.

**Quæ autem ex ventre inferiore soluuntur tum per vrinas, tum per sudores, si mediocriter per se delabuntur, quæ parua sunt soluuntur, vehementia vero perniciosa sunt. Nempe tales vel intereunt, vel non sine malis alijs sanescunt. Nã eiusmodi conferri solent.**

### BRASAVOLVS.

De doloribus adhuc author agit. at quia contingit dolores in inferiore ventre quandoque per vrinas solui, quandoque per sudores, propterea si vrinæ mediocriter per se delabantur, & non in magna copia, & ita sudores non copiosi, sed mediocriter perfluant, soluentur quidem dolores vel affectus, de quibus hic intelligit author, sed illi tantum soluentur qui faciles erunt. At si sint vehementes dolores, vel affectiones vehementes, illæ sunt perniciosæ, quia ex mediocri vrinæ copia solui non possunt, neque ex mediocri sudoris copia, propterea cum non affluat vrina sunt vehementes dolores & perniciosi, & ideo eiuscemodi dolores vel homines intereunt, vel male tractant, quia saltem sanitati restitui non possunt, quin in alios decidant morbos, hi etenim alij morbi conferre solent, quia transmutatio de dolore in alium morbum dolorem leuat. Intellige semper in morbum mitiorem, quia si maior esset morbus, dicendum non esset quod conferri soleant.

*τὰ δ' ἐκ τῆς κάτω κοιλίης λύματα δι' οὔρων καὶ ἱδρώτων.* Quæ ab imo ventre soluuntur per vrinas & sudores. hoc multis modis intelligi potest, vel quæ ab imo ventre *ἀλγήματα* .i. dolores qui in imo sunt ventre, & per vrinas soluuntur, vel per sudores, vel intelligi posset de quolibet alio affectu qui non sit dolor, vel intelligi posset de affectu qui in quacunque sit corporis parte, qui per vrinam expurgetur, vel per sudorem. potest & intelligi simul per urinam & sudorem, vel segregatim per vrinam vel per sudorem. quæ omnia ostendunt authorem confusum esse, & indeterminate loqui.

*ἢν ὀλισθῆσαι μετρίως ὑπὸ τοῦ αὐτοματισμοῦ* .i. Si mediocriter per se delabuntur, vt innuat si vrinæ mediocriter delabantur & non in maxima copia, & sudores mediocriter profluunt, & non in maxima copia.

*λύεται τὰ μικρά* .i. Quæ parua sunt soluuntur. cum urinæ non multum trãnseant mediocritatem & copiosæ non sint, si aliquis sit affectus paruus, vel dolor paruus, soluitur quidem à mediocri sudore vel à mediocri urinæ fluxu. At dices quomodo poterunt etiam soluere paruos affectus, si mediocria sunt secundum naturam? Respondemus intelligendum esse per mediocre id quod est distinctum contra superabundans, tamen & ipsum sit in aliqua quantitate supra consuetum.

*τὰ σφόδρα δὲ πονηρά* .i. Vehementia uero perniciosa sunt. hoc est affectus illi qui vehementes sunt, ab urina mediocriter profluente non soluuntur, vel à sudore mediocriter emanante, sed sunt prauæ & perniciosæ affectiones. & quòd verum sit ecce.

*οἱ τοιοῦτοι γὰρ ἢ ἀπόλλυνται.* idest, Nempe tales vel intereunt.

hic est vnus finis quem illi faciunt, qui tali affectu detinentur, qui per mediocrem sudorem & vrinam solui non poterat, intereunt.

ἢ ἄνευ κακῶν ἄλλων οὐ γίνονται ὑγιέες.i. Vel sine alijs malis sani fieri non possunt. quia opus est si ab hoc affectu liberari debeant, vt alios incidant morbos & ita de morbo in morbum, denique in sanitatem deueniunt, vt ex dolore in abscessum, ex abscessu in suppurationem, & ita denique expurgato abscessu & cicatrice inducta, in sanitatem.

ἀλλ' ἀποστηρίζουσι τὰ τοιουτότροπα.i. Sed cōfirmari solēt eiusmodi affectus. hic duplex sensus esse potest, unus p̄dictus q̄ possunt & solent cōferre ad affectum, hi alij affectus, in quos transit. Tamen melius est dicere hos affectus confirmari solere, & non sanari, verum cum non explicauerit affectum, est maxime ambiguus.

GALENVS.

Per talem quoque dictionem conijcere licet, de dolorum curatione omnia quæ ab ipso ante scripta sunt, dicta esse.

BRASAVOLVS.

Visus est Galenus ferè indignatus, in tam confusa & manca sententiarum serie. propterea sententias istas non interpretatur, sed duobus tantum explicans verbis ad alias pedem cōfert, vel quia in libri calce est, vt citius ad metam decurrat. At ipse in initio tertij huius voluminis libri, illos reprehendit, qui in principijs longas faciunt commentationes, postea medio in itinere desinunt, id tamen notat Galenus ex hac sententia conijcere licere, omnia quæ ab authore antea scripta sunt, de dolorum curatione dicta esse.

## Hippocrates. Sectio CXXII.

**Poculum hydropi, Cantharides tres abiectis singularum tum capite tum pedibus tum alis, in cyathis aquæ tribus terantur, atque cum bibens laborauerit, calido perfundatur, vngatur prius. Ieiunus bibat, & panes calidos ex oleo vel pinguedine edat.**

BRASAVOLVS.

Vel omnibus his interpositis à sectione. 1 1 1. ad hanc usq; ad hydropum curationem reuertitur, vel de se præsidium hoc referre voluit quod est poculum in aqua intercute exhibendum, iubet cantharidas tres accipiendas esse, & capita, pedes, ac alas esse eximenda, postea teri debeant in tribus aquę cyathis, & potui detur, & si contingat hunc qui acceperit dolore capi, calido fomento perfundendus est, priusq; ungatur, & ieiunus bibat, atque panes calidos ex oleo vel pinguedine edat.

πῶμα ὑδρωπιῶντι. idest, Poculum aquam intercutem patienti. hæc pars est veluti inscriptio ad ea quæ sequuntur, qua ostenditur sequens medicamentum potionem esse his dandam qui aquam intercutem patiuntur.

κανθαρίδας τρεῖς ἀφελὼν τὴν κεφαλὴν ἑκάστης καὶ πόδας, καὶ πτερὰ τρῖψαι. idest, Cantarides tres abiectis singularum capite, pedibus, & alis terantur, & in puluerem redigantur. hic est mos, quo & nunc vtuntur in præparandis cantharidibus, capita abijciunt, pedes, & alas, & reliquo corpore in puluerem redacto vtuntur.

ἐν τρισὶ κυάθοις ὕδατος τὰ σώματα. i. In tribus aquæ cyathis corpora, hoc est trium cantharidum corpora, capitibus abiectis, pedibus, & alis terito. in tribus aquę cyathis nō sunt vero cum aqua terēdæ, sed siccæ & solæ, postea tribus aquę cyathis miscendæ vt bibi possint, sed de his cātharidum partibus abijciendis, petes an abijci debeant. Galenus in. xj. de simplicium medicamētorum facultatibus nihil abijciendum censet, vbi dicit quosdam alas & pedes inijcere, quæ aiunt esse alexiteria ijs qui corpora ipsarum bibissent. At nos (inquit) totas indimus, vt videas & Galeni tempore quosdam alas accipere & pedes, quosdam abijcere, ipse vero totas accipit cantharides, nulla parte ablata. Et profectò non possunt dici hæ partes abijci debere quia magis venenatæ, quoniam potius oppositum est, & in corporibus maior est uis. Qui etiam corpora abijciunt, in alis & pedibus parum habent virium, vt rectè Galenus integras accipiat, nulla abiecta parte. sunt & alia animantia, quibus, & capita, et cauda abijciuntur, vt in conficienda theriaca dipsadis cauda et caput abijcinntur.

ὅταν δ' πονῇ ὁ πίνων, θερμῷ βρεχέσθω. i. Quando aūt doluerit bibens, vel laborauerit, calido perfundatur. supponit author iam esse potui sumptum medicamētum. Copus alter vertit, quàm in gręcis codicibus scriptum sit, nempe hoc modo, atque ieiuno potui datur, quòd si dolor potantem affecerit, calido fomento perfundatur, profectò præberi debet poculum hoc ieiuno homini, hocq; ostenditur, quia author dicet hunc debere bibere & comedere, forte quod deinceps ab authore dicetur de ieiuno potu, Copus cātharidum potui applicauit. nos uero potui applicamus post sumptas cantharides, quando iam homo molestia affici cœperit, tamen neq; cum eo digladiari uoluerim qui ita intellexerit ut facit Copus sumptis ergo cantharidibus, cum calidissime sint, & exulcerationem inducentes. prauam affectionem inducere incipiunt, & laborem corpori inferre, tunc is calido perfundatur, intellige calido fomento, vel lauacrum calidæ aquæ ingrediatur, vel potius calidi olei, nam sicuti cum extrinsece applicantur, vt inustioni, quam faciunt & dolori occurramus, butyro delinimus, ita cum male afficiunt intus oleagineum quoddam est applicādum, & pingue, quo praua affectio quam faciunt sedetur, vel intellige aquam calidam, sed prius fuerint oleo inuncti: & hoc est quod sequitur.

ὑπαλειφόμενος δ' πρότερον. idest, Prius uero ungatur, antequam scilicet calido perfundat, vnde totum corpus est oleo inungendum, vel oleo & butyro, vt nunc est communis vsus, et postea aqua calida perfundatur, vel in lauacrum immittatur.

νῆστις δ' πινέτω, ἐσθιέτω δ' ἄρτους θερμοὺς ἐξ ἀλειφατος. idest, Ieiunus autem bibat, & panes calidos, ex oleo vel pinguedine edat, intelligimus, non quod ieiunus poculum ex cantharidibus nunc bibat, sed postea quam vexari cœperit, quod ieiunus bibat. vt cantharidum potum, hoc alio potu contemperetur, bibat vero vinum, quia cum simpliciter ab authoribus bibere dicitur, de vino intelligitur, & panes edat calidos ex oleo vel ex pinguedine vt ex butyro. id oleū cum pane comedere, vel panem in oleo intinctum, vel butyrum, vel aliquod pingue, in affectione quam cantharides faciunt conuenit, quia dolorem mitigat, & vstionem minorem reddit. Cur vero panis calidus esse debeat nulla est ratio, nisi dixerimus calidum accipi vt oleum in ipsum magis penetret & magis impinguatur, et maior olei copia uel butyri, uel pinguedinis accipiatur. vinum uero prius accipiendum voluit, quia ad locum læsum cito peruenit, nam potus facilius quam cibi discurrunt, postea cibus sequitur affectioni cantharidum quadrans.

Hic author putat ex hoc cantharidum potu aquam intercutem solui posse. Nos eiusmodi medicamentum exhibere nunquam auderemus. Et si Galenus ad vrinam prouocandam cantharidibus vtatur. id facit in minima quātitate, vt centesimam drachmæ partem in medicamentum vrinam prouocans imponat, nam quarto de simplicium medicamentorum facultatibus capite. 22. vbi causam reddit cur putrefacientia medicamina licet genere letalia sint, non tamen perpetuo occidunt. Cantharides inter putrefacientia numerat, & inter ea quæ sunt genere letalia, & docet cum erit exile deleterium, quod opus suum non perficiet, quia cum excrementis excerni potest

ni potest

ui poteſt, aut idonea victus ratione ſuperari, poſtea exemplum dat de cantharidibus inquiens vtpura, ſi cantharidis ſit centeſima drachmæ particula, nam id priuſquam noxam animali inferat, una cum urinis excernatur, ſaÿe cantharides urinæ cientibus medicinis miſcentur. ſicut pleraque alia letalia Alexipharmaca, & docet medicamentum ex cantharidibus eſſe valde commodum ad vrinam ciendam, & ſequitur, feruntur enim alioqui ſponte ſua cantharides per vrinam ad veſicam, atq; ſic rodendo eam exulcerant, uerum ubi paucum ex illis multis miſcetur bonis, atq; utilibus. illa quidem uelut manu ducuntur, rodere tamen nequeunt, opus eſt enim ut quicquid agat, etiam ſi ſit ualentiſſimum, aliquantam tamen magnitudinem habeat quando nimirum & ignis ipſe ſi prorſum minimus ſit, præterquam quod non uret, ne calefaciet quidem, quippe cum & centeſima ſcintillæ portiuncula ſenſu à nobis ſit impercepbilis. in medicamento igitur urinam ducente, centeſima cantharidum drachmæ pars imponitur ne obſit. hic uero author tres ponit integras cantharides abiectis ſolum pedibus, capitibus, & alis. Eſt profecto uehementiſſimum medicamentum, quod in hac quãtitate veſicam excoriando interficeret, nam tres cantharides prædictis partibus abiectis ſunt grana ſex, & pedes, alæ, ac capita ſunt grana duo, periculum fecimus cantharidibus ſumptis quæ neque ex minoribus erant neque ex maioribus, ſed erant in magnitudine mediæ diſſectis prædictis partibus præſcriptum pondus inuenimus, quæ quantitas hominem interimit, & nulli rei quæ corrigere poſſit miſcet cantharides, vel earum vim frenare. nullus igitur audeat vel in hydrope, vel in alio caſu hoc madicamentum præbere, quoniam vt in Galeni cõmentatione oſtenditur homines interficit, ſed poteſt eſſe vſus cantharidum extrinſecus ad vlcera maligna. imo & ad exulcerandum, quando à capite, aut ab alia parte diuertere intendimus, vt in lethargo humeris cantharides apponimus, quibus partem illam exulceremus, & materia à capite diuertatur, Sed dices miſceri aquę quæ frigida eſt & humida cum cantharides ſint calidę & ſiccę, propterea miſceri alicui rei quæ contemperet. Reſpondemus aquam non tam oppugnare ut uis cantharidum ſuperetur. ſunt tres cyathi, cyathus uero apud Paulum capit olei drachmas duodecim, vini, vel aquæ ſeſquiunciam & ſcrupulos quatuor mellis vncias duas, & drachmas duas, vt tres aquæ cyathi ſint. 40. drachmæ. i. vnciæ quinq;, ea ſit ſumma nemo audeat vti hoc medicamento, niſi hominem ſponte necare ſtudeat.

**GALENVS.**

Q uidam dictionis huius mentem haudquaquã intelligens audax medicus, prædictas partes à cantharidibus abiecit, dedit que hydropi, cui cum à primo die abſceſſus in ſura comparuiſſet, poſt tres alios dies ſectus eſt, effuſaq; copioſa aqua, curatus eſſe viſus eſt, quod pars tumoris præter naturam pluri ma ſtatim ad moderationem redacta ſit: verũtamen non multis poſt diebus obiit. Q uam ob cauſam medico quidam crimen ingeſſit, perperam data eſſe cãtharidum corpora inquiẽs. Nempe propinanda ablatis corporibus, tum caput, tum pedes tum alas, idq; eſſe quod in dictione enunciaretur. Q uare non cunctatus audax ille medicus, hydropi alteri ita propinauit, moxq; facto ſimiliter in femore abſceſſu, ſectoq; multis poſt diebus hominem mori contigit: quanquam vrinarum prouocatorio medicamento ex cantharidibus confecto, quidam citra bibentium incommodum vſi ſint.

**BRASAVOLVS.**

Galenus ſententiam hanc veluti notam non exponit, ſed cuiuſdam ignari medici hiſtoriam texit, qui & authoris ſententiam non intelligebat, & Hippocratis eſſe exiſtimabat, hic medicus nim a audax cum hanc ſententiam legiſſet, præſcrptas partes cantharidibus abiecit, & hydropem patienti præbuit. Cui ſtatim primo die in ſura abſceſſus apparuit, hunc poſt tres alios dies ſecuit, ex qua ſectione copioſa aqua effuſa eſt, vt is viſus ſit curatus, quoniam pars tumoris ventris præter naturam pro maiori parte viſa eſt ad moderationem redactam eſſe, tamen hic non multis poſt diebus obiit, propter hoc quidam crimen hoc in medicum iniecit, qui perperam dederit cantharidum corpora, cum potius ſint danda extrema, & hoc eſſe quod in ſententia dicitur, & alas, & pedes, & capita danda, corpora vero eſſe abiicienda, unde audax ille medicus imo temerarius non cunctatus alteri hydropẽ habenti alas pedes, & capita propinauit, & ſtatim eodem die factus eſt in femore abſceſſus, qui ſectus eſt, poſt neſcio quot dies vir hic obiit, iccirco medicamentum iſtud ex cantharidibus in tãta copia letale eſt, tñ pro urina ꝓuocanda medicamẽto ex cãtharidibus cõfecto qdã vſi ſunt citra incõmodũ, & ꝓculdubio ſi in pauciſſima quantitate exhibeatur cũ aliis ſimul quę vrinã prouocant, vrinam præter incommodum copioſe emittitur, ut ſi (Galeno teſte) centeſima vnius drachmæ pars accipiatur. At ſi in copia deſumantur cantharides, per vrinam nõ prouocant, ſed per femora, tanto impetu materiam impellit, vt non expectet per arctas veſicæ vias progredi, ſed per femora exeat, & per infernas partes, tamen & in copia per vrinę vias incedit, & veſicam ac penem exulcerat. Aderat Ferrariæ Vincentius Crema chirurgus egregius, qui rhabarbari puluerem deglutiuit, quam quidam in mortariolo contuſerat, in quo prius cantharides in puluerem redegerat, hic vir egregius ab ore ad anum excoriatus eſt, & per multos menſes ſanguinem minxit, denique ſanitati reſtitutus eſt, veſica etiam exulceratur à cantharidibus, ſi extrinſece applicentur, vt contigit Bonauenturæ piſtophilo Illuſtriſſimi Alphonſi Ducis Ferrariæ tertij à ſecretis.

## Hippocrates. Sectio CXXIIII.

Sanguinem ſupprimentia, quæ græci dicunt, fici ſuccum lana ſuſceptum intus ad venam appone, vel coagulum inuolutũ ad nares immitte, vel chalcitidem digito ante tractã preme, chartilaginesq; vtrinq; & foris comprime, ventre lacte aſinæ cocto ſolue, caputq; rade, & adſtringẽtia, ſi calidum anni tempus fuerit, exhibe.

**BRASAVOLVS.**

Et ſi hæc ſub una Galeni cõmentatione cõplectatur, tamen cum in ea multa ſcripta ſint, & penitus diſtincta, nos illam in tot partes diſſecabimus, quot ea ſunt quę diſtincte pertractantur, ne ſimus & nos in tã longa ſententia confuſi, nũc vero de profluente ſanguine & eius præſidiis loquamur, author igitur illa enumerat quæ ſanguine ſupprimunt, & quę à græcis ἴσχαιμα vocantur, fici ſuccus lana ſuſceptus ad venam intus appoſitus ſanguinem ſupprimit, uel ſi hoc præſidio nõ ſirmetur ſanguis, coagulum inuolutum ad nares immittito, vel chalcitidem accipito, digitisq; terito ac trahito, & in nares ponito, atq; chartilagines vtrinq; & foris comprimito, interimq; lacte aſinæ cocto uentrem ſoluito, caputq; abradito, & ſi anni tẽpus fuerit calidum, adſtringentia exhibeto.

ἴσχαιμον. idest, Supprimens ſanguinẽ, ita græci vocant medicamenta ad ſanguinẽ ſiſtendum atq; ſupprimẽdum, hæc eſt veluti inſcriptio eorum quæ ſequuntur, loquitur uero de præſidiis quibus ſanguis è naribus profluens ſiſtitur q̃uis ampliari poſſit ad omne ſanguinis profluuium.

ὀπὸν συκῆς ἐν εἰρίῳ προσθεῖναι ἔσω πρὸς τὴν φλέβα. idest Fici ſuccum lana ſuſceptum intus ad uenam appone, intus hoc eſt intra nares, ſuccus fici eſt lac in album quod ex immaturo exit fico, & ex eius pediculo, Galenus octauo de ſimpliciũ medicamentorum facultatibus liquorem fici & ſuccum foliorum valenter calida eſſe dicit. propterea non tantum mordicat, aut vehementer abſterget, ſed & ulcerat, & ora vaſorum reſerat, & uerucas quas myrmecias vocant eiicit, ſed & purgare poteſt, dices igitur cum ulceret, & vaſorum ora reſeret quomodo ſanguinem ſiſtet venæ appoſitus? Reſpondemus non ſiſtere, quia adſtringat, ſed ſiſtere quia vlcerat cruſtã inducit & exurit ſicuti in magnis ſanguinis profluuiis igne vti ſolemus, nullus vero ignoras ignem aperire, ſed quia exurit & cruſtam facit,

hoc modo adstringere dicitur & sanguinem sistere. scito tamē non esse opus ab hoc præsidio incipere, sed opus fuit prius à venæ sectione incepisse à diuersionibus, à cucurbitulis, à frigidarum rerum applicatione ad nares & adstringentium et repercutientium, quæ si non profecerint, deinceps ad fici succum deueniendū est ad maioraq; caustica, & deniq; ad ignē actualem intra nares igitur fici succus imponatur in lana in modum pessi cōuoluta, vt venam tangat è qua sanguis fluit, sistetur per uim igneam quæ in hoc succo est crusta inducēdo, tamē possemus dicere & aliquid habere adstrictionis, licet acredinem habeat, cum & surculi fici lac adstringant & coagulent.

ἢ πιτύην συστρέψαντα ἐμβύσαι εἰς τὴν μυκτῆρα. idest, Vel coagulum inuolutum ad nares immitte, hoc præsidium alterius generis est q̄ præcedens, nam adstringens est, & non adurens, omnia etenim coagula adstringunt & conglobant. at potest & coagulum ex sua acredine quodāmodo adurere, nam vt Galenus docet. 10. de simplicium medicamentorum facultatibus coagulum omne acris ad digerentis potētiæ est & exiccatoriæ, tamen & conuenit leporis coagulum fœminarū fluxionibus, & sanguinis excretionibus ex pectore ut Paulus dicit. At Galenus nunq; ausus est vti in sanguine ex thorace coagulo leporino, acri remedio ad affectum adstrictionem poscentem intra nares vero, & per se, & lana aut gosopio susceptum, & re aliqua dissolutum imponi potest, venam adstringet.

ἢ χαλκίτιδας τῷ δακτύλῳ προσπιεσάμενος πιέσαι, καὶ τοὺς χόνδρους ἔξωθεν προσπιέζειν ἐναντίον. i. Vel chalcitim digito ante tractā preme, chartilaginesq; vtrinq; & foris comprime. hoc est aliud præsidium pro sanguinis narium fluxu immoderato, nam prius & alia debent esse tacta repercutientia & leuiora, & diuersiones per venarum sectiones & cucurbitulas & frictiones, Galenus in calce noni de simplicium medicamentorum facultatibus dicit chalcitim habere acrem facultatē, & adstringentem, tamen acrem vincere, hoc præsidium non est ex vehementibus in suo genere, neq; etiam ex leuibus, debet chalcitis digitis comprimi & trahi vt simul partes coeant, nam supponitur esse in puluerem redactam, postea intra nares poni debet, naresq; extrinsece adstringendæ sunt, ut puluis intus maneat & exire non possit.

καὶ τὴν κοιλίην λῦσαι ὄνου γάλακτι ἑφθῷ. idest, Et ventrem lacte asinę cocto solue, an p̄sidiū hoc cū alijs fieri uelit, uel separatim nō exprimit author, tamē quicqd sit est tale p̄sidiū ut possit, et p se, et cū alijs fieri, est v̄o p̄sidiū diuersiuū, ut natura diuertatur quę ad trāsmutādū sanguinem ad nares est occupata, & actionem mutet, materias ad intestina transmittendo, itaq; diuertatur, vnde hoc præsidium per naturæ diuersionem tantum confert, posset vero & aluus per alia solui. sed huic authori mire placuit, semper pro purgatione lac asinæ accipere, forte in eius patria multum abundabat.

καὶ τὴν κεφαλὴν ξυρῶν, στυπτικὰ προσφέρειν ἢν ὥρη θερμὴ γίγνηται. idest, Et caput rade, & adstringentia si calidum anni tempus fuerit, exhibe. adstringentia supra caput ponit, & tantum si fuerit calidum tempus, tamen vel calidum sit tempus vel non, in necessitatibus opus est & radere caput, & vti frigidis & adstringentibus. Scito autem hæc potissimum poni supra frontem, & collo circumligari, vt sanguis repercutiatur, ne in caput ascendat, & per nares exeat.

## Hippocrates. Sectio CXXIIII.

Sesamoides superiorem ventrem purgat sesquidrachmæ pondere in oxymelite tritum & potui datum. Miscetur autem veratris, ita vt tertiam efficiat partem: nempe id hoc pacto minus suffocat.

BRASAVOLVS. Pars hæc præcedenti coniungenda videbatur. Cum enim in profluuio sanguinis narium vna sit diuersio per secessum, quæ ex lacte asinæ exercetur, quispiam dicere potuisset, si per vomitum diuertere voluerim, quomodo id efficiam? In hoc vero loco doceat quomodo per superiora diuersio fiat, tamen cum per vomitum potius videatur ad superiora impelli sanguis, propterea dicamus, aliud sentire hunc authorem, & potius edocere voluisse, quomodo per superiorem ventrem purgandum sit, & quibus rebus, vt dicat si per superiorem ventrem purgare volueris, scito sesamoidem id præstare posse, nam superiorem ventrem purgat sesquidrachmæ pondere in oxymelite tritū & potui datū, habet vim aliam sesamois, nam veratris miscetur quando exhibetur ad tertias, tuncq; corrigit veratra vt minus suffocent, vel dicamus non loqui de purgatione per vomitū, sed de purgatione per inferiora ut uēter superior p īferiora purgeť, & ita à capite diverteť. Et tūc hoc quoq; cum superiore parte applicare possumus, vt his danda sit hæc potio quibus inest profluuium sanguinis narium ad diuertendum, tñ quicquid sit, sunt præsidia satis inepte disposita.

σησαμοειδὲς ἄνω καθαίρει ἡ πόσις ἡμιόλιον δραχμῆς ὁ σταθμὸς ἐν ὀξυμέλιτι τετριμμένος. i. Sesamoides superiorem ventrē purgat sesquidrachmæ pondere in oxymelite tritum & potui datum. particula ἄνω interpretari potest per superiores partes, vt sensus sit per superiores partes, idest per vomitum, & interpretari potest purgare superiorem partem. Est vero sesquidrachma, drachma vna, & semis, sesamoides autē de quo hic author loquitur, est magnum sesamoides, de quo Galenus. 9. de simplicium medicamentorum facultatibus agit, sesamoides magnum vocatum, quod & anticyricos helleboros appellatum est, eo valet quia semen eius vt helleborus expurgat, hoc & reliqua facultate helleboro simile est, nam & in abstergendo, excalfaciendo, exiccandoq; similem illi vim obtinet, tamen addi posset esse magis vehemens, quia vt dicet commiscetur helleboro, & minus suffocat, propterea dicit.

ξυμμίσγεται δὲ καὶ τοῖσιν ἐλλεβόροισιν καὶ ἧσσον πνίγει τὸ τρίτον μέρος τῆς πόσιος. i. Commiscetur autē & helleboris, vt tertiam efficiat potionis partem. & minus suffocat, vel potius intelligamus quòd hellebori vim remittat, nam Dioscorides libro quarto vult in purgationibus vt albo helleboro misceatur, non quidem vt album helleborum vehementiorem reddat, sed potius vt minget, propterea & ubi sequitur de albo helleboro dicit misceri illi sesamoidem. & addit sesamoidem maiorem ab aliquibus uocari helleborum anticyrensem, quia helleboro albo in purgationibus miscetur, aitq; miscendum tritum cum helleboro albo obolum unum & dimidium cum aqua mulsa, tamen Galenus in hoc casu oxymeli potius exhibet quàm aquam mulsam, sed utrunque conuenit, inquitq; dari ad detractiones uentriculi contra pituitas & bilem, quantum tres digiti apprehenderint.

Sciendum est, & si superius dixerimus, & de purgatione intelligi posse quæ fit per inferiora, & de illa quæ fit per vomitum, tamen si consideremus quod helleboro albo miscetur, qui per vomitum educit, propterea & sesamoides per vomitum educet, itaque erit intelligenda purgatio quæ per vomitum fiat, & non per aliam partem, & cum sesamoides ad helleborum album frenandum imponatur, helleborusq; albus suffocationem inducere possit, propterea particulam illam hoc pacto intelligamus, minus suffocat, vt de helleboro intelligamus, cum quo si tertia pars medicamenti sit sesamoides, & duæ partes helleborus albus. hic helleborus minus suffocat.

## Hippocrates. Sectio CXXV.

Ad trichiasin. Filum ubi acui foramen habēti subieceris, celsioremq; atque acuminatam supra tensæ palpebræ partem, ad inferiorem vsque traieceris quod superius est inferiori liga, fila autem extendens consue & colliga donec deciderit. Et si satis quidem fuerit, bene cedat: si non, deficitq; aliquid, hæc refice.

Affectio

BRASAVOLVS.

Affectio quędam in oculorum palpebris contingit, cum superflui pili enascuntur, qui & pungunt, & molestiam afferunt, author in praesentiarum antiquum praesidium chirurgicum ad hunc affectum refert. Cum prae manibus trichosi affectum habebis, hoc modo curato acu accepto foramen habenti per id filum traijcito, & partem acus acuminatam supra tensam palpebrę partem ad inferiorem usque traieceris, & liga quod superius est inferiori, fila autem extendens consue, & colliga, donec deciderit, sique res bene cedat & satis sit, aliud nihil agas, si uero aliquid deficias, iterum acu utaris.

τριχώσιος .i. ad trichosin. hoc est ueluti inscriptio praesidij ab authore positi.

ἐνείρας τὸ ῥάμμα τῇ βελόνῃ τῇ τὸ τρῆμα ἐχούσῃ, κατὰ τὸ ὀξὺ τῆς ἀνωτάτης τοῦ βλεφάρου ἐς τὸ κάτω διαπερήσας ἔδησε, καὶ ἄλλο ὑπὸ κάτω τούτου ἐντείνας δὲ τὰ ῥάμματα, ῥάψον καὶ κατάδησον, ἕως ἂν ἀποπέσῃ, ἢν μὲν ἱκανῶς ἔχῃ, εἰ δὲ μή, ἢν ἐλλείπῃ, ὅπισθεν ποιέειν τὰ αὐτά. i. filũ ubi acui foramẽ habenti subieceris, celsioremque atque acuminatã supra palpebrae partẽ ad inferiorẽ usque traieceris, quod supius est inferiori liga, fila autẽ extẽdẽs cõsue & colliga donec decidere. Et si satis quidẽ fuerit bene cedat. si nõ deficit quid, hęc pfice. Pau. lib. 3. cap. 22. de trichosi agit, & solis linimẽtis absque chirurgica manu curat, quod & Galenus fecit. 4. de cõpositione medica. secũdũ locos cap. 7. iuxta Antonij Musae praecepta, & in calce eiusdem quarti libri multa refert praesidia ad hunc affectum quę tu ipse legere poteris; quando hi pili sub naturalibus enascuntur, secundũ multiplicitatem pilorum diuersa acquirũt nomina, ut dicantur διστιχία & τριστιχία. & phalangosi. trichiasis uero apud antiquos diuersa significat, nam quandoque id significat quod dictum est quandoque significat pilum secundum Aristotelem à mulieribus haustum, quem in mammas transmiserunt, & latine morbus pilaris dicitur, quandoque significat capillarem scissuram, quae in ossibus apparet uix perceptibilem uisu; & significat etiam, quod nunc dicitur, multiplicationem pilorum, quę à Paulo etiam διστιχίασις uocatur, apud Arabes dicuntur pili inuersi uel pili additi, ita enim uocat Auicenna. Ad rem igitur author hic, ad multiplicationem pilorum in palpebris praesidium manuale refert, quod Graeci uocant (ut Galenus inquit) ἀναρραφὴν μέν, si hanc operationem magis integre quàm ab hoc authore dicatur, scire cupias, Paulum lege libro sexto, capite octauo qui trichosis curationem integre per chirurgicum opus exequitur. & Aetius libro septimo capite. 66. curationem describit per manualem operationem, & per medicamenta, cum quis chirurgum effugerit. Si hos authores legere cupias, legito, nam opus non est, nos huc praesidia adducere quae ab illis referuntur, ut denique huic commentationi extremam manum imponamus. Scitoque in hoc authore curationem imperfecte poni, quia deligatione facta partem adhuc expilare opus est, nostro autẽ tẽpore mulieres absque ope chirurgica ab his authoribus descripta, & breuius & facilius trichosin curare didicerũt.

## Hippocrates. Sectio CXXVI.

Haemorrhoidas modo simili persequeris. Nam acui crassissimũ lanae pinguis filum, & quam maximum colligabis. securior etenim est huiusmodi curatio. Deinde comprimes, et contabefaciente uteris medicamento, neque priusquam deciderit perfundes. unãque perpetuo relinques. et postea purgabis helleboro. Exercitetur deinde & sudet. et mane multum perfricetur. a cursu contineatur, et crapula, & ab acribus, excepto origano. Vomat septem diebus aut ter in mense. Nam hoc pacto optime corpus habebit. Vinum fuluum bibat austerum & aquosum & paucum.

Multi sunt, quos haemorrhoides male afficiunt, tum quia plurimum sanguinis emittunt, tum quia incrassantur extra anum & elongantur. Nunc author docet esse deligandas haemorrhoidas eodem modo quo dictum est de pilorum palpebrarum ligatione, quoniam acui crassissimum lanae pinguis filum & quàm maximum colligabis, quia curatio haec securior est, postea comprimito, & medicamentum supraponito, quod contabefaciat, neque perfundes priusquam deciderit sponte hoc medicamentum, tamen hoc seruato, ut iuxta Hippocratis sententiam in aphorismis unam serues ex haemorrhoidibus apertam, postea hunc uirum helleboro purgato, iubeque ut corpus exerceat ac sudet, maneque frictiones fiant & multae, cursum uitet, crapulam & omnia acria dempto origano, septem quibusque diebus uomat, aut ter in mense, ita enim corpus optime se habebit, uinum fuluum bibat austerum, & aquosum & paucum. Si haec faciat non multum impediatur, etiam si non adsint haemorrhoides amplius per quas expurgetur, neque erit periculum quod Hippocrates dicit incidendi in hydropẽ, quãdo non & una sit relicta aperta.

καὶ τὰς αἱμορροΐδας τὸν αὐτὸν τρόπον διώξεις. idest, & haemorrhoidas modo simili persequeris. licet diuersa sit ligationis species, tamen quia in ligatione conueniunt, iccirco dicit eundẽ esse ligationis modum, possunt & hęmorrhoides sine acu ligari, non enim acu indigemus. exquisitus deligandi modus habetur apud Aetium libro. 14. capite. 5. & apud Paulum libro sexto capite. 79.

τῇ βελόνῃ ὡς παχύτατον εἴριον οἰσυπηρὸν ῥάμμα, καὶ ὡς μέγιστον ἀποδήσας. idest, nam acui crassissimum lanae pinguis filum, & quàm maximum colligabis. Forte filum hoc acui ligat, ut haemorrhoides acu & hoc filo perforet ac pertranseat, quo uehementius inhaereat, uel ut egregia manu tractetur filum in acũ ponit. Neque Paulus neque Aetius de acu quicquam locuti sunt, & alio modo ligant quàm hic author facere uideatur, atque filum esse oportere ex lana, sicuti Paulus ex lana pro trichiasi filum fecit, sitque lana pinguis, ut magis inhaereat, & mollitiem quandam habeat, qua uideatur fere dolori occurrere, additque debere esse crassissimum filum ne frangatur, & ne cito putrescat, priusquam sint simul conglutinatę, nostro tempore non quidem lana, sed sericum accipitur, & sericum charmesinum uocatum, quo etiam utuntur ad uerrucas eximendas.

ἀσφαλεστέρη γὰρ γίνεται ἡ ἰητρείη. idest, securior etenim huiusmodi curatio, hoc curandi genus securius est, quàm alij sint, sed adde tu securius esse si actuali igne cõburantur, ut nunc fit, & combustio una cum incisione fieri potest, si ferrum sit candẽs, & simul incidat, uel uno ferro fiat incisio, altero inustio.

ἔπειτα ἀποσήπειν. idest deinde comprimes scilicet filum illud quo nexae sunt haemorrhoides uehemẽter stringendum est, ne uel sanguis uel spiritus, uel aliud quicquam ad partem illã peruenire possit, sed restet uelut mortua pars illa, & sanguis ille paucus qui inter filũ & extremam haemorrhoidis partem corrumpatur, & simul uenae corpus corrumpatur. imo ut hoc citius fiat, addit.

τῷ σηπτῷ χρέω. idest contabefaciente utaris medicamento. Medicamentum loco apponere debes, quod putrefaciẽdi uim habeat, ut pellicula illa citius decidat. Est uero medicamentum hoc calidum & humidũ humiditate caliditatem superãte.

καὶ μὴ βρέχε πρὶν ἀποπέσῃ. idest & neque prius, quàm deciderit perfundes, uel intellige non esse abluendum locum priusquam deciderit filum, uel priusquam deciderit uenae pars, citra ligaturam, uel priusquam deciderit medicamentum. potest haec omnibus sensibus accommodari. unde dici posset non esse perfundendum alio unguento, uel alio medicamento putrefaciente, priusquam prius medicamentum deciderit, propterea hic author absque incisione, sed sola deligatione has uenas incidere monet. At Paulus, & Aetius, deligant, quidem, sed etiam incidunt, & cauterio utuntur, quod & in

præsentiarum fit.

καὶ ἀεὶ μίαν καταλείπειν. idest unamque perpetuo relinques, hoc est Hippocratis preceptum in duodecimo sexti libri aphorismo, ubi inquit. A diuturnis sanato hæmorroidibus, si una non seruatur, periculum est aquam intercutem, uel tabem aduenire. nam si non seruetur una, ut Galenus eo loco testatur, necesse est sanguinem crassum qui ad illas à iecore transmittitur, in iecore firmari, & his humor in ipso firmus multitudine, ac crassitudine grauat, & in iecore natiuum calorem extinguit, unde amplius non generabitur sanguis, quia iam extinctus est natiuus calor à quo generatur, propterea hi hydropici fiunt, uel si humores sursum ad pulmonis uenas transmittentur, uas aliquod rumpitur, & phthisici efficiuntur, propterea Galenus infert non frustra consuluisse Hippocratem unam saltem seruandam esse hæmorrhoidem, ut per hãc uitiosa hepatis materia, & feculenta euacuetur, & hoc potissimum in his in quibus iam longo tempore eiusmodi materia per illas uenas euacuari consueta est. Paulus quoque libro sexto, capite. 79. ubi de hac hæmorrhoidarum curatione agit, inquit secundum Hippocratis præceptum unam tantummodo relinquendam, qua fieri redundantis sanguinis deriuatio possit. Aetius uero alterius est sententiæ libro quartodecimo capite quinto ibi & ipse curationem ponit incisionis harum hæmorrhoidarum, non censet ipse aliquam esse seruandam, neque hoc iuberi ab Hippocrate. sicque putat ut integre quis sine periculo possit ab omnibus hæmorrhoidibus curari, neque Hippocrates inquit unam seruandam putauit excernendi sanguinis gratia: at fuit Galenus qui hoc putauit, non autem Hippocrates. nam Hippocrates unam tantum seruari uoluit, quando congrua uiuendi ratio negligitur, & hoc probat per Hippocratis aphorismum, qui ita distinguit. Hæmorrhoidas diuturnas sananti, est uero sanatio integra morbi solutio, & legitima curatio, non ergo secundum Hippocratem ulla hæmorrhoidum dimittenda est, sed omnes prorsus delendæ. post quarum integram sanationem, opportuna uictus ratione, ad naturalem habitum ægrum ducere oportet, adiecta iugitee uenæ cubiti sectione, quoties in uniuerso corpore molem sanguinis collectam uerebimur. At ab Aetio dissentiendum esse arbitramur, & Galeno potius inhærendum, qui ita exponit, ut unam seruandam ob sanguinem superfluum & crassum iudicauerit, & illa distinctio, quam Hippocratis uerbis præbet, à diuturnis sananti hæmorrhoidibus, quod integram significet sanitatem, uera est, sed eo supposito quòd una seruetur, ut uerba quæ in Hippocrate sequuntur ostendunt. nec opus est dicere, quod recta seruetur uictus ratio, quoniam non potest tantum ad amussim seruari, quin sanguis generetur, cuius una portio crassa est, neque opus est dicere cubiti uenam secandam, quia in illa sectione crassus sanguis non excernitur, sed is indifferenter qui in parte propinqua continetur, & hoc erit artis opus non naturæ. uerum sanguis qui à natura sponte per hæmorrhoidas transmittitur, est sanguis crassus, & ueluti sanguinis fex, quem ars & nescit & non potest per uenæ sectionem extrahere, imo & hic author qui uult unam seruandam esse, præcipit conuenientem uictus rationem, propterea simpliciter una est seruanda aperta, uel uictus ratio conueniens seruetur, uel non seruetur. Et quamuis ille author, quem Aetius adducit non sit Hippocrates, tamen & ipse antiquus fuit.

Forte petes cur non dimittantur omnes ut sunt hæmorrhoides. Respondemus, quia cum dicitur simpliciter hæmorrhoides, sanguinis profluuiũ ex hæmorrhoidibus simpliciter significari solet, uel cum dolore, uel sine dolore. Ad hoc profluuium, ut probe notat Aetius, multa mala sequi possunt, nam ex hoc sanguine qui plerunque emittitur, quandoque deformitas sequitur, & uita misera, quandoque mors. deformitas inquam sequitur, quoniam nimia inanitione uniuersum corpus decoloratur, uita misera, quoniam perpetuæ imbecillitati occurendum est, mors, quia frequenter iocinere ob excedentem uacuationem refrigerato, aqua intercus superuenit. ob hæc discrimina occluduntur una relicta.

καὶ μετὰ ταῦτα ἀναλαβὼν ἐλλεβορίσαι. i. & post hęc purgabis heleboro, cum uenæ portio deciderit. æger helleboro purgandus est, intellige nigro, quo bilis atra educitur, quæ à iecore ad hæmorrhoidas transmittitur. statim uero purgat, ne cito atra bilis ad uenas transmittatur, quæ recenter sunt occlusæ, quoniam & facile & breui aperiri possent, quanquam aliquis per helleborum, album intelligere posset per purgationem illam diuertendi gratia quæ fit per uomitum, tamen nos potius illam intelligimus quæ per inferiores fit partes, quoniam atrabilis ex iecore ad intestina trahitur, & commode per aluum emittitur, difficilimum uero est per uomitum illam expurgare.

εἶτα γυμναζέσθω, καὶ ἀφιδρούτω. idest deinde exerceatur, & sudet, ut siqui sint humores crassi ad hemorrhoidas transmitti consueti, per sudorem exeant. Censet exercitandum esse corpus ad sudorem usque. sudorem ipsum includendo, tamen exercitatio hæc statim fieri non debet, quia nates simul confricantur & aperiri possunt, sed fiat post aliquot dies, cum uenæ fuerint perfectæ consolidatæ.

γυμναζέσθω τε τρίψει πολλῇ ἀπὸ ὄρθρου. idest & mane multum perfricetur, hoc est exercitationis genus, quo humores ad cutim concitantur, & crassi attenuantur ac insensibiliter exeunt, unde author hic tantum procurat ut humores illi exeant, qui ad hæmorrhoidas transmitti deberent. & aliam capiant uiam, potissimum dum in principio est cicatrix, facileque aperiri posset, & sanguis exire.

δρόμου δὲ ἀπεχέσθω. idest à cursu contineatur, iccirco exercitatio, quam superius iubebat, erat in aliis exercitationum modis, de quibus Galenus in libris de sanitate tuenda, & non in cursu in quo nates maxime confricantur, & anus afficitur hinc inde conuersus.

καὶ μέθης. idest & crapula, iubet & hunc contineri debere à crapula, qua copia sanguinis & crassi generatur, quam natura ad hæmorrhoidas transmittere consueuit.

καὶ τῶν δριμέων ἔξω ὀριγάνου. idest & ab acribus excepto origano, debet & hic omnia euitare acria, quibus sanguis acutis gignitur biliosus, qui ora uenarum iam clausa aperire aptus est, quæ tamen per longius tempus seruari debent, ne quicquam mordicans & corrodens ad illas eat, & nondum exquisito callo obductas aperiat. ab omnibus tamen acribus origanum excipit, ac si uelit hunc origanum edere posse, rationemque esse putamus, quoniam ut Dioscorides dicit, educit pee aluum μέλαινα hoc est bilem nigram, cum ergo per aluum hanc trahat illum humorem trahit, quia à natura consuetus est ad hæmorrhoidas transmitti, propterea origanum dare conuenit, & si acre sit, alia uero acria quia uim ducendi per aluum nigra non habent, præberi non debent, uel forte per origanum speciem illam intelligit, quam tragoriganum uocant, & quam Galenus in octauo de simplicium medicamentorum facultatibus dicit assumpsisse adstrictionis quippiam, tamen rationem primam ex Dioscoride sumptam potius laudamus, quia atram bilem per aluum educit, non tamen per hæmorrhoidas.

ἐμείτω δὲ ἑπτὰ ἡμερῶν, ἢ τρὶς ἐν τῷ μηνί. idest uomat autẽ septẽ diebus, aut ter in mense. hoc ostendit quod de nigro helleboro intelligebat, & de purgatione ꝑ inferiora quando dixit & postea purgabis helleboro. quod uero dicit septem diebus, non intelligimus ut septem continuis diebus euomat, sed ut septimo quoque die, quod erit quater in mẽse, postea

postea addit uel ter in mense, ut materię diuertantur, ne ad infernas partes descendant, & quasi natura ad hæmorrhoidas assuefacta deuietur.

οὕτω γὰρ ἂν ἔχοι ἄριστα τὸ σῶμα. idest nam hoc pacto optime corpus habebit. & amplius hæmorrhoidas non incidet, hoc est in illarum sanguinis profluuium & dolorem.

οἶνον δὲ κιῤῥὸν, αὐστηρὸν, ὑδαρέα τε καὶ ὀλίγον πινέτω. idest uinum autem fuluum, austerum aquosum & paucum bibat, sed iuxta Galeni dogma non uidetur posse inueniri fuluum uinum aquosum. tamen apud nos inuenitur & flauum aquosum. fuluum esse debet, ne atrum sanguinem gignat, aquosum, ne crassum, & ut potius tendat ad urinę uias, austerum ut adstringat potius. hæcque sit hæmorrhoidarum curatio quando inciduntur secundum hunc authorem, si ampliorem requiras curationem, Paulum & Aetium legito.

## Hippocrates. Sectio CXXVII.

Purulentis dissectos scillæ orbiculos in aqua excoque, aquamque ualde feruefactam effunde, aliamque infunde & coque ita, ut tangenti percoctum & molle appareat: deinde ubi triueris, cyminum frictum misce, sesamaque alba, & recentes quæ tritæ sint amygdalas, atque ex melle eclegma facito, datoque. Post hæc uinum bibat, dulce, papauerisque albi triti lyciscium aqua perfusum, & cum frumentacea farina melleque coctum tepidumque sorbeat. sicque diem transigat. Deinde ad ea quæ contingunt respicientes cœnam dato.

### BRASAVOLVS.

De purulentis nunc concise agit author, ut præsidia quędam purulentis apta edoceat. sunt uero hæc. scillam accipito, & in orbiculos illam dissecato idest in cortices suos, postea hos orbiculos in aqua decoque, & cum per aliquod temporis spatium ebullierit, aquam illam ualde feruefactam effunde, & aliam infunde quæ frigida sit, & coque, tunc coctos esse cognosces, cum orbiculos illos tengens, & molles esse persenties ac tenellos, postea orbiculos illos terito, & cũ triueris cyminum frictum illis misceto, & simul alba sesama, & amygdalas recentes quę & ipsæ tritæ sint, & denique ex melle eclegma facito, quod eclegma purulentis delingendum dabis. Post hæc uinum dulce bibat, & albi papaueris triti lyciscũ aqua perfusum & cum frumentacea farina & melle coctũ & tepidum sorbeat, & ita diem transigat. Postea quę contingunt considerato, & ut euenient ut cœnam dato.

τοῖσι δὲ ἐμπυήμοσι σκίλλης κατατεμὼν κυκλίσκους ἕψειν ὕδατι. idest purulentis uero dissectos scyllę orbiculos in aqua excoque. qui sint purulenti non exponit, & qui non purulenti, sed præsidium refert illis conueniens, supponens te scire quinam sint. illi uero sunt qui thoracis cauitatem pure plenam habent, quando in hos incidis curandos, scyllę orbiculos, idest cortices qui in rotundum incedunt accipito, & in aqua coquere facito, scylla igitur est in cortices & in sua inuolucra partienda, scyllam ob duo decoquit primo quia aptius conficit eclegma quod confecturus es, & ut Galenus inquit in octauo de simplicium medicamentorum facultatibus est ualde incidens. pręstat autem aut assam aut elixam sumere, sic enim uirium eius uehementia exoluitur, cum uero admodum incidat purulentis conuenit ut crassas materias attenuet, glutinosas incidat, calefacit uero secundo ordine ut Galenus eadem loco refert. Dioscorides libro secundo tres refert modos quibus illa coqui potest, ut ardorem ac acutiem amittat. unus modus est si luto circumlinatur, aut adipe. Nostri nunc & pasta utuntur, & in clibanum mittitur, uel sub prunas. Alius modus est ut ponatur in ollulam, quæ & ipsa in clibanum ponatur. Tertius modus est per decoctionem in aqua, quo utitur hic author, dicitque ualere ad ueterem tussim scyllam.

καὶ ἀποζέσας ἐν μάλα ἀπόχεον, καὶ ἐπιχέας ἄλλο ἕψει ὡς ἀναπτομένῳ δίεφθον καὶ μαλακὸν φανῇ. idest & aquam ualde feruefactam effunde, & infunde aliam, & coque ita ut tangenti percoctum & molle appareat. Non est effundenda aqua quando feruet solum, sed cum feruentissime ebullient, & alia addenda, ut & ipsa ferueat, deinde tertio & quarto idem efficies quoad sit cocta. Dioscorides alio modo experiri an cocta sit edocet, quàm hic author faciat, nam hic author tactu hoc deprehendit, cum mollis est & tenella cocta est, sed Dioscorides ex gustu id probat uolens in aqua coqui, & toties mutandam esse aquam usque dum acrimonia eius aboleatur, quamuis de prius tosta loquatur, quæ per decoctionem purgetur, apparet uero gustu persentiri remissam esse acrimoniam.

ἔπειτα τρίψας λεῖον, ξυμμίσγε κύμινον πεφρυγμένον. idest postea ubi triueris cyminum frictum misce. Primo scylla in mortario terenda est ut fiat ueluti malagma, & pasta. deinde cyminum addendum est quod frictum sit uel torrefactum, id fit in ærea patina & nostro etiam tempore. Intellige uero cyminum torrefactum & in puluerem redactum & scyllæ mistum, quia integrum aptam eclegmatis formam non efficeret. excalfacit cyminum & urinas mouet, ac incidit. Dioscorides libro tertio dicit adstingere, & siccare. adstrictionis ratione suppuratis non conueniret, iccirco simul addit quod adstringit & exiccat, ac si dicat exiccando adstringere, quæ enim uere adstringunt frigida sunt, ut Galenus probe illud in tertio calidum faciat, & urinarum prouocatiuum, ut anisum, ligusticum, carum.

καὶ λευκὰ σήσαμα. idest & alba sesama. sesama ob aliam causam non ponuntur, nisi quia emollientia sunt, nam Galenus octauo de simplicium medicamento facultatibus illa facit uiscida & emplastica, tamen Dioscorides dicit pituitas dissecare, eius duplex genus inuenitur, album & rubrum uel subluteum. album est magis dulce, & corticem habet magis leuem & tenellum, & hoc quoque pinsendum, non enim in puluerem facile redigitur, sed ob pinguedinem quam habet glutinosam, in malagma conuertitur

καὶ ἀμυγδάλας νέας τρίψας ἐν μέλιτι ἐκλεικτὸν δίδου. idest & amygdalas recentes quæ tritæ sint ex melle eclegma facito & dato, intellige & hic dulces amygdalas, quæ emollientem habent naturam, & sunt Galeno teste moderate calidæ, hę quoque amygdalæ terantur, quoniam in puluerem redigi non possunt, & toti massæ commisceantur, postea addito melle fiat eclegma, quod purulentis dabis. Et forte censet dandam totam quantitatem quæ conficitur, & ideo non debet esse multa, quia postea dat uinum dulce potui, uulque seruandum esse quoad transigat dies, & postea de cœna cogitandum, ut hic author noluerit cogitãdum de crastino iuxta Christi præceptum, si uero totam compositionem in ordinem redactam petas hæc est.

℞. Scyllæ prædicto modo coctæ. vnc. 5.

In mortario marmoreo, ligneo pistillo contundantur, quoad in unum corpus redacta sit.

| | |
|---|---|
| Sesami albi<br>Amygdalarum dulcium | singulorum. vnc. j. |

Hæc singulatim contundantur in simili mortario, quoad in ma

lagmatis formam ſint redacta. ſcitoq; amygdalas excoriatas eſſe oportere, poſtea optime ſimul miſceantur, ſcylla, ſeſama & amygdalæ, & adeo agitentur ut in unum corpus redacta ſint.

Mellis vnc. iiiſ.

Miſce & bulliant quoad in unum corpus euadant, & mel am plius ſpumam non reddat.

Cymini toſti puluerizati. ʒ. j.

Hoc poſt cocturā imponatur, et dum mel expumatur, cymini puluis ſimul cum ſpuma eijciatur. Si in hac quantitate medicamentum fecerimus, poterit totum una uice edi, & cibi etiam officio fungetur, quæcunq; etenim compoſitionem ingrediuntur præter cyminum nutriunt, tamen in hoc ſuppuratorum caſu, ſunt multo maiora eclegmata & potiora. Si uero tibi libeat, ut diuerſis horis bolos inſumat, maiorem quantitatem conficere poteris, & dare in pauca quantitate delingendum, ut emolliat, & ſputa prouocet.

καὶ ἐπὶ τούτῳ, οἶνον γλυκύν. ideſt poſt hæc uinum bibat dulce. poteſt uinum dulce bibere, & ſi tota prædicta quantitas accipiatur, & ſi pauca quantitas, ut eclegmata accipi ſolent ad quantitatem nucis iuglandis uel auellanæ, uinum etenim dulce & emollit, & ſputa prouocat, & pectori confert, ſicuti & amygdalæ recentes & ſeſama, ut intelligi poſſit, ſolam conſuetam illius eclegmatis quantitatem eſſe deſumendam, & poſtea parum dulcis uini bibendum, nam potio quę ſequitur ad nutriendum præbetur.

ῥοφήματα δὲ μήκωνος τῆς λευκῆς ὑποτρίψας ὅσον λυκίσκιον ὕδατι δεύσας σητανίου πλήματι ἀλεύρου ἑψήσας, μέλι ἐπιχέας χλιαρὸν, ἐπιρροφείτω. ideſt papauerisque albi triti, quantum lyciſcium capit aqua perfuſum, & cum frumentacea farina, melleq; coctum, tepidumq; ſorbeat. hoc quod loco cibi datur plus eſt, ex albo papauere, triticea farina ac melle, quæ omnia ſimul coquantur in aqua ad talem cocturam ut ſorberi poſſit, pectori conuenit papaueris albi puluis, tamen ſolum conuenit cum materia eſt tenuis, & incraſſari debet, mel quoque ſputa educit, & incidendi uim habet, in tota compoſitione omnia pro nutrimento eſſe poterunt.

Modus uero conficiendi hanc ſorbitionem, hic ſit recipe farinæ frumētaceæ pugillū, in aqua bulliat quoad farina cocta ſit, cogitur uero multa ebullitione, cū diu ebullierit, adde papaueris albi et in puluerē redacti lyciſciū. i. acetabulū capit uero acetabulū olei drachmas. 18. uini drachmas uiginti, mellis drachmas. 27. hæc uero in humidis & liquidis, in ſolidis uero cum oleo & uino medium accipiatur, quod eſt drachmæ. 19. & pauxillum bulliat, poſtea adde mellis uncias duas, & ſimul coquantur ad ſpiſſitudinem talem ut ſorberi poſſit, itaq; coctum tepidum ſorbeatur, & hoc mane in prandio detur, unde ſtatim addit.

οὕτω διαγέτω τὴν ἡμέρην. ideſt ſicque diem tranſigat. hoc oſtendit fuiſſe ſumptam in prandio, uel mane ſorbitionem prædictam, quia iubet nihil poſtea agendum niſi ueſperi, & non eſſe de cœna conſiderandum niſi ueſperi iccirco addit.

ἔπειτα τὰ ἀποβαίνοντα λογιζόμενος τὸ δεῖπνον διδόναι. ideſt deinde ad ea quæ contingunt reſpiciens cœnam dato. Cum mane prædictam dederit ſorbitionem, expectandum uſque in ueſperam, & conſiderandum ſi quid contingat, ut an febris augeatur, an expuerit melius, uel peius, an uires cōſtent an non conſtent, & ſecundum id quod uidebitur cœnam dato. quæ ſit uel amplior, uel minus ampla, ut illa oſtendēt quæ cōtingent.

## Hippocrates. Sectio CXXVIII.

Ad dyſenteriam, fabarum purarum quadrantem accipe ſurculoſque rubiæ duodecim immiſce, atque abundanter excoque, deinde delingendum porrige.

Præſidium quoddam ab hoc authore refertur aduerſus dyſenteriam, quod eſt quadrantem purarum fabarum accipiendum eſſe, & illi commiſcendum dauci rubri ſurculos duodecim, & plene coquēdū, poſtea porrigere oportet delingēdum. BRASAVOLVS.

κυάμων καθαρῶν τεταρτημόριον. ideſt fabarum purarum quarta pars. ſunt qui legāt quartam lancis partem, & qui quadrantem, & re uera q̄drans eſt pars quarta, & cū ita ſimpliciter dicitur, quarta libræ pars intelligitur, quæ capit uncias tres. Tres igitur fabarum purarum hoc eſt excorticatarum uncias accipito, ut ſola fabæ ſubſtantia accipiatur.

καὶ ἐρυθροῦ δαύκου δυωκαίδεκα καρφία ἄλλα ξυμμίξαντα καὶ ἑψήσαντα λιπαρὰν διδόναι ἐκλείχειν. ideſt & rubri dauci ſurculos duodecim immiſce, & cum abundanter excoxeris, delingendum porrige. Non deſunt qui interpretati ſint pro dauco rubro, rubiam, ut pro ἐρυθροῦ ideſt rubro ἐρυθρόδανον, ideſt rubeam intellexerint, quam Dioſcorides à Romanis dicit uocari rubeam paſſiuam, uel potius rubeam tinctorum, & profecto in dyſenteria non conuenit rubea, quia aperit, potiusque prouocat quàm adſtringat, & à Dioſcoride dicitur urinam ciere, & quandoq; per eam ſanguinem, & menſes pellere, ac partus, & ſecundas. idem Galenus cenſet libro ſexto de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Tamen & ſi daucum rubrum legamus, ut habet Aldinus contextus, non uidebitur etiam conuenire, quia & mouet urinas, & cit menſes ac aperit. At dicere poſſemus apponi ob fabas quæ flatuoſæ ſunt, ut ab illis flatus auferantur. accipiq; debet ſylueſtris daucus, quem Galenus dicit ἄφυσον uocari, eo quod flatu caret, & Dioſcorides dicit tormina ſedare hoc uero in dyſenteria potiſſimum quæritur, ut tormina remoueantur, eſt uero daucus hic cum aliqua rubedine in caule, ut ob hoc author iſte rubrum daucum nuncupauerit, quamuis non ſit antiquorum mos illo epitheto inſignire daucum. Forte tibi mirum uidebitur in dyſenteria in qua ſunt magni dolores fabam exhibere, quæ flatuoſa eſt, & dolores excitat. Scito ob hoc dixiſſe eſſe λιπαρὰν ideſt uehementer excoquendam. At dices à Galeno referri etiam ſi p tres dies excoquatur, non amittere quin ſit flatuoſa. Reſpondemus eſſe uerum, tamen daucus ſylueſtris ſimul coquitur, qui uim habet auferendi flatus, fabas autem ad dyſenterias ualere Galenus teſtatur libro ſeptimo de ſimplicium medicamētorum facultatibus, cum dicit fabæ carnem habere paulum adſtringentis facultatis, ſicuti & putamen, iccirco medicorum nonnulli totam fabam cum oxicrato decoctam dyſentericis, cœliacis, uomentibus quos ἐμετικοὺς nominant, exhibuerunt. Et Dioſcorides dicit decocta faba in poſca cum ſuis fabalibus dyſenterias cibo, fluctioneſq; alui compeſcit, uomitiones inhibet. Forte quod nos interpretati ſumus puram ideſt à corticibus mundam, intelligi debet puram ideſt ſolam ſine alio, & ita intelligamus illam integram cum corticibus. Tamen quinquid ſit, cum multa inueniantur multo meliora quàm faba in dyſenteria nunquam faba uteremur, uel hoc edulio ab hoc authore propoſito, neq; author exprimit in quo ſit coquēda. Forte quia ſimpliciter aquam intellexit, uel cum oxycrato coquatur, ut Galenus dicit. Notaque in contextu græco Aldino cum Galeni commentarijs non eſſe in huius ſentētiæ principio præfixum hunc titulum δυσεντερίῃ. ideſt ad dyſenterias, ſed addi debet, nam in Græcis Hippocratis operibus adeſt, & etiam in eiſdem Græcis operibus legitur ἐρυθρόδανον, hinc nonnulli rubea interpretati ſunt, pro ἐρυθροῦ δαύκου, & quod legitur in Galeni commentarijs καρφία ἄλλα ſimplici dictione, in Hippocratis operibus legitur κάρφεα λεῖα, quod magis conuenit, nam ſignificat feſtucas tritas, uel ſurculos tritos.

## Hippocrates. Sectio CXXIX.

Cinerem lotum abundanterque maceratum.

ut

ut pinguedinem non liquidam leuemque teres, acerboque uuæ acerbæ amaræque succo humectabis. in sole desiccabis. humectare enim oportet ut non solutu facilis sit. cum autem siccus factus fuerit, leui, tritoque, & sicco perunge oculos, & angulos consperge. Ad humentia. Ebeni drachmam, æris usti obolos nouem: & croci obolos tres in cote tere, quæ ubi triueris, uini dulcis cotulam atticam infunde. Deinde soli expone, contege. atque ubi concoctum fuerit, eo utere. Ad dolores. chalcitidis drachmam, uuæ expressæ partes duas, myrrham crocumque tere, mustum permisce. in sole excoque, & eo dolentes oculos perunge. sit autem in uase id æneo.

BRASAVOLVS. Tria in præsentiarum ad oculos præsidia referuntur, duo non habent ad quos affectus præscriptum, tertium habet ad oculorum dolores, primo igitur cinerem accipit lotum & abũdanter maceratum, uult terendum ut pinguedo non liquida & leuis, & interim dum teritur uult humectandum esse uuæ acerbæ amaræ succo acerbo, & in sole desiccandus est. Et si petatur humectetur, est ne sit facilis solutu, cum uero cinis hic siccus factus fuerit, ex eo leui, trito ac sicco oculos perunge, & oculorum angulos consperge. Aliud medicamentum ad eosdem oculos. Accipe ebeni drachmam, & æris usti obolos nouem, & croci obolos tres, quæ omnia in cote terantur. & cum trita erunt, uini dulcis cotulam atticam infundes, postea soli exponito, & contegito, atque ubi concoctum fuerit, eo utere. Post hæc tertium ponit medicamentum ad oculorũ dolores, quod est, chalcitidis drachmam unam, uuæ expressæ partes duas, myrrham, crocumque tere, & mustum permisce, & in sole excoque, & hoc dolentes oculos perunge medicamento, sitque in æreo uase confectum.

σποδὸς πεπλυμένη δαψιλέως πεφυρμένη. idest cinerem lotum abundanterque maceratum. non de omni cinere intelligendus est author, sed de eo solum qui fit in ærarijs fornacibus, quem spodium uocant, tamen pro oculis melior est pompholix, quã uulgus medicorum tuciam uocat, cum enim deficit tucia quæ est tenuior cinis & fumus, cinis crassior accipitur, qui spodium dicitur, imo ut Dioscorides & Galenus ostendũt, si desit & spodium, antispodium accipiatur, tamen Galenus notat nũquam spodium uel aliquid aliud accipiendum esse si adsit pompholix ad oculos conuenit, est medicamentum prope omnium quæ citra morsum desiccant, si elota fuerint, præstãtissimum, propterea iussit hic author ut lauaretur & maceraretur, debet uero in omphacio uino macerari, ut dicit author. Nam si consideremus ad quem effectum ualeat hoc medicamẽtum, profecto ualet ad cohibendas fluxiones, & ad repellendum, unde & Galenus dicit, indi ut collyrijs quę ad oculorum imponuntur fluxiones, quæque bullas siue pustulas in eis natas curant. Dioscorides libro quinto lauandi modum edocet, dicitque pompholigi natura densandi, refrigerandi, explendi, purgandi, conglutinandi, exiccandi. unum est, præsidium istud fluxioni conuenire, & ubi repercussione indigemus. Scito uero in huius partis initio in Hippocratis Græcis operibus præscriptum esse ὀφθαλμῶν. idest ad oculos, & non esse expressum affectum, affectus uero sit jam dictus, & cum multa adest in oculo caliditas.

ὡς στέαρ μὴ ὑγρὸν λεῖον τρίψας ὄμφακι ὠ τῷ πικρῷ ὀμφακος ἀναγρώσας ἐν ἡλίῳ ἀναξηραίνειν. idest ut pinguedinem non liquidam leuem teres, acerboque uuæ acerbę amaræ succo humectabis, in sole desiccabis. imo & hæc tota operatio in sole exercenda est ut Galenus in libro de compositione medicamentorum secundum genera ostendit, ubi de metallicorum lotione agit & attritione, debet uero adeo teri ut sit pinguedo nõ liquida & lenis uel ad illam formam, nam cum pompholix fuerit probe trita & lota, pinguedini aliquo modo assimilari potest. addit uero pulueri iam confecto & loto uinum omphacium ualde acerbum ex uua immaturissima, quæ non solum acerba est, sed & aliquid habet amaritudinis, uel talis acerbitatis, quæ uidetur amara, quia re uera non stant simul amarum & acerbum, nam unum est frigidissimum, & aliud calidum, tamen acerbissimum habet gustum adeo adstringentem ut fere amarum uideatur, nõ tamen uera amaritudine, uinum hoc omphacium bis & ter in spodij puluerem infundi debet, & leuigari deinde permitti in sole ut arescat. & si petas cur madefaciendũ sit, statim respondet author.

ὑγραίνειν ὡς εὐάλυτον. idest humectare enim oportet, ut nõ solutu facilis sit, est hic puluis humectandus & exiccandus, ut ex humectatione partes optime coeant, nec facile separentur, ita enim eius uis in globum maxime seruatur, humectat uero uuæ acerbæ succo, ut frigidior euadat hic puluis, & magis repercutiat ac siccet, fuitque necessarium exiccationem in sole exprimere, quia alia multa ut herbæ exiccantur in umbra.

ὁκόταν δὲ ξηρὸν γένηται, λείῳ τετριμμένῳ ξηρῷ ὑπάλειφε τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ παράπασσε τοὺς κανθοὺς. idest cum autem siccus factus fuerit, leui, trito, & sicco perunge oculos, & angulos consperge. Quando fuerit massa huius pulueris exiccata, illam in ærea pyxide seruato, cum uero illa indiges, quia curas fluxionem aliquam oculorum incipientem calidam, hunc puluerem teras, & leuem redigas, & illo sicco utaris, nam oculos eo perungere debes, & oculorum angulos conspergere, imo conspergendus est per totum oculum, & potissimum per angulos. improprie uero dicitur perungere, quia munctiones pinguibus fiunt, non autem siccis & aridis, qualis est hic puluis solus. Teritur uero spodium ita præparatum supra porphyrium lapidẽ, & porphyriano malleo leuigatur. ita enim tenuissime leuigari debet, ut tenuium fiat partium, nisi esset lotus hic puluis oculum mordicaret, non mordicat uero ut Galenus docet ob loturam. id tamen notato quantumcunque lauetur si siccum oculo imponatur aliquid facit non quidem mordicitatis, sed cuiusdam titillationis.

Galenus libro quarto de compositione medicamentorum secundum locos capite sexto, ubi loquitur de aridis pharmacis ad oculos ab Asclepiade conscriptis dicit in principio aridum ex psorios Heraclidæ, ad circumrosos oculorum angulos. Spodij cyprij ʒ. iiij. omphacij aridi ʒ. ij. nardi obolos. iij. piperis frictri grana. xv. tritis utere, huius aridi initium est ex spodio & omphacio, at non ponit omphacium humidum, ut facit hic author, sed siccum. nardus enim parum adstringit piper uero exiccat & discutit.

ἐβένου δραχμὴν, χαλκοῦ κεκαυμένου ἐννέα ὀβολοὺς ἐπ' ἀκόνῃ τρίψας κρόκου τριώβολον. idest ebeni drachmam, æris usti obolos nouem, croci obolos tres, in cote teras. Compositionem proponit ad oculos, & non exprimit ad quos affectus. tamen in Græcis Hippocratis operibus huic parti præscriptum est ὑγρῶν, idest ad humiditates oculorum, uel ad humẽtes oculos, ut particulariter noteture sequens medicamentum ad humiditates oculorum ualere. Primo accipit ebeni, uel cum aspiratione hebeni drachmam unam. Dioscorides libro primo inquit, hebenus oculorum caligines discutit, & de ebeno ad oculos plura quæ sequuntur eodem loco refert, tamen si utatur, ad siccas lippitudines ualere censet, & Galenus sexto de simplicium medicamentorum facultatibus inquit, ebenus ex ijs lignis est, quæ trita cum aqua soluuntur in succum, uis ei inest excalfaciendi, extergendi, & tenuium partium, quamobrem quæ pupillas offuscant extergere creditur, miscetur alijs remedijs ocularibus, quæ ad ulcera multa, fluxiones, & bullas siue pustulas accommoda sunt.

De ære usto Galenus prope calcem libri noni de simplicium medicamentorum facultatibus dicit acrimoniam quandam habere, sed & adstrictionis est particeps. proinde si lauetur, pul

cherrimum est medicamen inducendis cicatricibus, quanquam idipsum præstare, & antequam lauetur possit, potissimum in carne duriore, alioqui in molliore cōmodius est quod ablutum est. Dioscorides libro quinto inquit æs ustum adstringere, exiccare, comprimere, attenuare, trahere, purgare ulcera, & cicatricibus claudere, & offensantia oculos discutere. Dioscorides libro primo capite. 25. crocum emollire dicit, concoquere, & substringere, & ait ualere ad oculorum fluxiones cum lacte fœminarum illitum, quia illas reprimit. Et Galenus septimo de simpliciū medicamentorum facultatibus dicit crocum parum adstringere, exiccare, concoquere.

De cote pluribus in locis à Galeno in libris de compositione medicamentorum secundum locos mentio fit, in quibus docet medicamenta pro oculis supra cotem eliquanda & conterenda, multa à Galeno arida ponuntur libro quarto capite sexto eiusdem uoluminis, quæ uel æs ustum uel crocus uel utrunque ingrediuntur,

ταῦτα τρίψας δὸς ἀπαρέχει οἴνου γλυκέος κοτύλην ἀττικήν. idest quæ ubi triueris, uini dulcis cotylam atticam infunde. scilicet supra pulueres in cote tritos.

κἄπειτα ἐς τὸν ἥλιον θὲς καταπλάσας. idest deinde soli expone, contege. iubet in sole præparandum esse, & non ad ignem, debet uero esse æstiuus sol, quo efferuescere possit.

ὁκόταν συμψήσῃ τούτῳ χρέο. idest atque ubi concoctum fuerit, eo utere. coquitur uero solis calore qui exhaurit, & ebullire facit, & in flatus dissoluit.

Petes uero quo modo fiat hæc compositio, & quomodo illa uti debeamus. Scito in primis huius medicamenti usum, potissimum ad humidas ualere fluxiones. hæc uero fit compositio.

| | | | |
|---|---|---|---|
| ℞ | Ebeni | drach. | j. |
| | Aeris usti | obolos | viiij. |
| | Croci | obolos | iij. |

Hæc in cote terantur uel ex cote mortariolum habeatur, uel primo sint in puluerem redacta, postea duabus coticulis pulueres simul confricentur, hæc puluerum quantitas est trium drachmarum communium, quibus superinfunditur cotyla attica uini dulcis, quæ capit uncias decem, postea tegantur, & siccentur in sole æstiuo, quoadtantum uini resolutum sit, ut spissius corpus sit redditum, seruatur ac fit in æreo uase, & oculus postea delinitur quando opus est, coctum esse cognosces, cum uidebis tantum uini exhaustum, ut strigmeno ferè consistentiam acquisiuerit, postea humidos oculos delinito.

ἔστω χαλκίτιδος δραχμή. idest sit chalcitidis drachma. hæc tertia compositio ad oculorum dolores ualet, & in Græcis Hippocratis operibus exprimitur, nam in principio huius partis incipio hæc præfixa est πρὸς τὰς περιωδυνίας. idest ad dolores scilicet oculorum, hoc ualet medicamentum, quod primo recipit chalcitidis ʒ. j. σταφυλῆς, ἐκθλίψας δύο μέρεα λαβὼν. idest uuæ expressæ partes duas, hoc est nouum uinum. nā ex uua immediate fit mustum, aliqui uolunt uuam passam accipiendam esse, quæ exprimatur.

ἐπιξύσας σμύρναν καὶ κρόκον τρίψας. idest myrrham crocumque tere. suppone esse accepta myrrham & crocum, & nunc totam compositionem simul misceat, myrrha & crocus terenda sunt.

ξυμμίξας τὸ γλεῦκος. idest mustum permisce. ut hæc omnia musto misceātur, chalcitis scilicet myrrha & crocus.

ἕψησον τῷ ἡλίῳ, idest in sole excoque, ut Galenus excoquit & leuigat ac macerat omnia metallica in libris de compositione medicamentorum secundum locos & secundum genera.

καὶ τούτῳ ἐπάλειφε τοὺς περιωδυνέοντας. idest & hoc dolentes oculos perunge, nam dolor sedabitur.

ἔστω δ' ἐν χαλκῷ ἀγγείῳ. idest sit autem in uase id æneo, uas est in quo fieri debet & seruari medicamentum.

Scito uero chalcitim subigendam esse melle & coquendam. nam ut Galenus in quarto de compositione medicamentorum secundum locos, ubi ponit arida pharmaca ad oculos, quæ Asclepiades recenset docet metallica esse melle subgenda & urenda, & profecto chalcitis mordicat nisi uratur, imò & lauari debet, in toto quarto de compositione medicamentorum secundum locos libro myrrha & crocus ad oculorum dolores ponuntur, myrrha penetrat, & secum ducit crocum ad doloris causam, Galenusque hæc nonnunquam miscet aqua pluuia, nonnunquam uino falerno, hoc est quando dolor fit à causa frigida, & abstergentibus indigeamus, concoquentibus discussorijs, & resolutorijs. At compositionem integram in hunc modum disponemus.

| | | | |
|---|---|---|---|
| ℞ | Chalcitidis ustę & lotæ | drach. | j. |
| | Myrrhę, Croci, | singulorū | scrup. j. |
| | Musti uel uini falerni quantum sufficit. | | |

Conterenda conterantur, & simul cum uino misceantur. fit uero miscella ut uinum supernatet, postea dimittatur in feruentissimo sole in diebus canicularibus quoad spissitudinem acquisiuerit, & talem ut possit illiniri. eo igitur oculi illinantur, & reliquum in ærea pyxide seruetur, & si præduruerit, potest iterum uino uel falerno, uel musto leuigari, falernum musto semper præmittimus. At quia mustum dulce est: & leuit, iccirco ualere uidetur, tamen si falernum sit & ipsum dulce, conueniet magis, quoniam & ui illa oculorum dolores demulcet; intellige uero falernum Galeni more uinum in præsentiarum Græco de Soma Romæ uocatum.

## Hippocrates. Sectio CXXX.

Quonam pacto uuluæ strangulatio cognoscatur. Digitis duobus comprime: si sentit ea est: si non, conuulsio est.

### BRASAVOLVS.

Edocemur in præsentiarum ab authore, quonam modo uuluæ strangulationem cognoscere oporteat. Comprime inquit duobus digitis. si sentit, uuluæ strangulatio est, si non sentit, est conuulsio.

ὑπὸ ὑστερικῶν πνιγομένων γνῶσις. idest stragulationis uuluæ cognitio, signum refert, quo cognosci possit, an sit uuluæ strangulatio.

πίεσαι τοῖσι δυσὶ δακτύλοισι, καὶ ἢν αἴσθηται ταύτῃ ὑστερικά ἐστιν, ἢν δὲ μὴ, σπασμώδεα. idest comprime duobus digitis: si sentit, strangulatio est, si uero non sentit, conuulsio.

Equidem hæc sententia multos addubitare fecit, quid per sentire, & per non sentire intelligendum esset, & quænam pars sit digitis comprimenda, an uterus ipse, an pars alia, fecitque adeo multos addubitare, ut quidam putarint, de uteri procidentia loqui, quoniā digitis sentitur uteri procidentia. at nunc probe aptari non potest quomodo sit, si nō sentit sit cōuulsio, iccirco dicamus nos mulieres quæ uteri strangulatum incidunt, uideri ferè in comitialem morbum decidisse, propterea

ut differentiam ponat inter uteri strangulationem & comitialem, inquit si comprimas duobus digitis quancunque scibacet corporis partem, & uehementer comprimes uel manum uel pedem, uel faciem. Si mulier sentit, uteri strangulatio est, nam cum utero strangulantur sentiunt quidem, sed neque loqui neque moueri possunt. Nosque multas uidimus, quæ omnium meminere quæ illis in strangulatione facta sunt, in epilepsia uero non sentiunt etiam si uehementer stringantur. probe igitur dicit, comprime duobus digitis eam quæ uteri præfocatione affecta est. Si sentit, est uera profocatio: si non sentit, est conuulsio, idest morbus comitialis, nam uniuersalis conuulsio Galeno in primo Methodi teste, morbus comitialis uocatur, ut hic per conuulsionem epilepsiam intelligat, in qua & sensus & motus amissa sunt. in uteri strangulatu non est amissus sensus, imo nec exquisite motus. Paulus libro tertio, capite. 71. inquit strangulatum uteri esse uuluæ ascensum in superiorem partem qui secum ducit in consensum cor, panniculos cerebri, & partes alias, quando hæ accessioni appropinquant, mentis tarditatem incidunt signitiem, crurum imbecillitatem uultus pallorem, intuitus crassior euadit, cum uero iam instat strangulatio cataphoram incidunt, hoc est in somnum delationem, dementiam, sensuum deprehensionem, muti efficiuntur, crura contrahuntur, rubescunt genæ, & tota facies plena fit cum inclinat affectio, humiditas quædam ad tactum accedit, & uentris strepitus, flaccescit uulua & languescit, denique ad se redeunt, & sensum recipiunt, fit per circuitum ut morbus comitialis, cum uterus plenus est semine uel quapiam materia. plures sanãtur, aliquæ etiam in ipsa accessione moriuntur, tamen hæ sunt raræ quoniam pauciores ex hoc affectu obeunt quàm ex alijs.

## Hippocrates. Sectio CXXXI.

Hydroi potio conueniens. Meconij, idest peplij rotundi lecyscium atticum. Potio. Lepidos, idest squammæ melæ tres latitudine cum farina triticea adglutinentur, teranturque & in catapotia conuoluantur, denturque. Vt uenter infra purgetur, & a stercore mundetur. In cæricas singulas tithymalli guttas septem etiam pueris instilla. Deinde in uase nouo compone concinnaque & adserua, atque ante cibum exhibe. Aliud. Meconium tere, aquam infunde & percola, farinam macera, itrium coque, mel coctum infunde, & edendum hydropi exhibe. bibendumque uinum dulce aquosum, uel dilutam mulsam porrige. Quod ab excrementis meconium colligis adserua, & cura.

### BRASAVOLVS.

Medicamenta in hac parte ab authore referuntur, quæ ad aqua intercute affectos quadrare uidentur. primoque potionem quandam ex meconio refert rotundo, & dat in potu acetabulum atticum. postea eisdem aqua intercute affectis catapotia præbet ex æris squama, squamas simul agglutinat cum farina triticea. postea terit, & in catapotia conuoluit atque exhibet, aquam deorsum purgant & secum dejiciunt, post hæc aliud ponit medicamentum, caricas accipe, & in singula carica tithymalli guttas septem impone, quas caricas & pueris præbere poteris. Postea cum singulas caricas septem tithymalli guttis expleueris, in uase nouo compone atque concinnato, & ad usus seruato, postea cum patienti aquam intercutem dare uolueris ante cibũ dato, ut Hippocratis mos est dare medicamenta. Ponit & aliud medicamentum ad hoc propositum. Recipe Meconium, idque bene tere. cum triueris, super ipsum aquam infunde, postea percolato, & ex hac aqua farinam macerato, atque itrium facito & coque. cui infunde mel coctum, & postea hydrope affectio exhibeto, deinde porrige uinum aquosum bibendum, uel mulsam dilutam. Meconium uero illud quod ab excrementis colligis seruato & curato.

τοῖσιν ὑδρωπιῶδεσιν. idest hydrope affectis, hic est ferè consequentium titulus, ac si dicat de his quæ hydrope affectis conueniunt, neque apponit particulam potio, quam particulam deinceps addere debemus in primo præsidio, in quo dicit.

μηκώνιον λεκύσιον ἀττικὸν στρογγύλον. πόσις. idest Meconium rotundum atticum lecyscium, potio. ac si dicat, potio sumenda ab his qui hydropem patiuntur, ex Meconio rotundo, & quantitas sit quantum capit atticum lecyscium. ita enim aqua mire euacuabitur. Arbitrandum est id esse meconium, quod peplium uocat Galenus octauo de simplicium medicamentorum facultatibus, quod nonnulli (ait) mecona aphrode nuncuparunt, habet succum tithymallis similem, & similitudo non solum est in lacte & albedine, sed & in uiribus, quia purgat ut tithymalli species faciunt. Dioscorides dicit characias primum tithymalli genus pituitam & bilem expurgare. censet uero accipiendum esse peplum rotundum, quia ut Dioscorides libro quarto docet, semen habet sub folijs album, rotundum, minus quàm candidi papaueris, id uero rotundum Dioscoridem iussisse semen pepli colligendum, & aqua pertusum reponendum. Forte hoc fecit ne nimia siccitate fatiscceret, folia habet parua ut ruta, sed latiora, in hortis, atque inter uites colligitur messibus, siccaturque in umbra. Nullus mentionem facere uidetur quod aquam in hydrope trahat, sed quod euacuat, & pituitam educit, ut nos in suspicionem uenerimus, hunc authorem lathyridem intellexisse, quæ & ipsa semina habet orbiculata & eruo maiora, de his ait Dioscorides quod aquam trahunt, bilem, & pituitam, tamen quicquid sit, & si ab authoribus non dicatur, peplum trahit aquas, & uehementer subducit.

Lecyscium uero atticum est acetabulum, quod & ex Dioscoride colligi potest libro quarto. ubi de peplo agens dicit hoc poto. acetabuli mensura in aquæ mulsæ hemina bilis & pituita detrahitur. ut hinc colligere possis potionem hanc in multa esse sumendam, quamuis ab huius libri authore non dicatur, neque liquoris miscendi quantitas exprimatur. uides igitur authorem præbere lecyscium, Dioscoridem uero acetabulum, quo ostenditur idem esse lecyscium cum acetabulo.

λεπίδος μέλαινας τρεῖς τῷ πλάτει, καὶ ἀλεύρῳ σητανίῳ κολλήσαντα. idest squamæ tria specilla latitudine, & farina setania, hoc est flore farinæ agglutinentur. Lepis commune uocabulum est ad omnes squamas, tamen cum in re medicamentaria, & in simplicium ordine dicitur, per excellentiã æris squamam significat. & ideo hic intellige æris squamam, quam & Dioscorides libro quinto dicit quòd pota ex melicrato aquã educit, quidam tamen cum polline illinunt, deuorandamque ita præbent. ut hoc modo interpretari possit, quidam farinæ eam compinsentes pilulas ex ea deglutiendas dant, nam Græce habetur τινὲς δὲ φυρῶντες αὐτὴν μετὰ ἀλεύρου ἐν καταποτίῳ διδόασι. ut palam sit Dioscoridem in catapotia pro hydrope præbuisse, sicuti & hic author, & uterque eorum farinam miscet.

Quod uero sequitur ambiguitatem facere uidetur, cum inquit melæ tres latitudine interpretes ita interpretati sunt ut uocabulum inuenere, arbitramur non recte intellexisse quid esset mela. Scito uero μήλη apud Galenum & antiquos medicos specillum significare, quo uulnera in quacunque sint corporis parte tentantur. ita uocat in libris de compositione medicamentorum secundum locos, & secundum genera, imo uocabulum commune est μήλη ad omne specillorum genus, & inter ipsa differentia est per uerba quæ adduntur, unde apud Galenum inuenitur σπαθομήλη in primo de compositione medicamentorum secundum locos capite octauo ubi medicamenta refert ad achoras inflammatos, & inquit, tale autem est parygrum appellatum, ab Hera, alijsque plurimis descriptum in hac compositione quæ dicitur parygron, inquit accipiendum esse in manu per σπαθομήλην, aliqui spatulam interpretantur, aliqui specillum latum, quos magis laudo, uel specillum in modum spathæ. Reperitur plerunque κυαθίσκος μήλης apud antiquos & Galenum, quod significare potest specilli concauitatem. Reperitur, & apud Galenum πυρῆνα μήλης, interpretari potest specilli nucleum, specilli summum specilli cuspis. Arbitrandum est quod à Celso nonnunquam dicitur specillum auersum specillum esse habens concauitatem libro quinto, capite. 28. ubi agens de therioma te dicit, quicquid autem aspergitur auerso specillo infundi debet, & libro septimo, capite. 21. de omenti curatione agens, iubet esse repellendum intus omentum. inquit super inguen in aluum uel digito uel auerso specillo repellendum esse. Ad rem igitur redeuntes, in hoc authore tria specilla accipi debent latitudine, idest quantum posset capere tria specilla latitudine sua squamæ æris. Scribonius Largus de hac specilli latitudine mentionem facit capite. 257. ubi præsidia refert ad hæmorrhoidas inquit specilli latitudine subinde hauriente, sed hanc Scribonij compositionem considerantes, Paulo inferius loquitur de auriscalpio auerso, & dicit quam partem κυαθίσκον Græci uocant. ut manifestum sit specillum auersum esse unam specilli partem, ita uocatam, quæ concauitatem habet, & non totum specillum. secus est loqui de specillo aduerso, nam per hoc apud Celsum intelligimus partem specilli acuminatam, cum libro septimo, capite. 27. de cancro loquens qui excisa uesica nascitur, inquit uulnus digitis, uel aduerso specillo diducendum est, ut torquentibus exitus detur, ut uidens specillo aduerso locum dilatare, qui non potest nisi cuspide dilatari & acie. iccirco intelligimus apud Celsum per specillum aduersum specilli acumen, uel specilli nucleum, uel specilli cuspidem. reperitur & apud Galenum διπύρηνον μήλην, idest specillum duas habens cuspides, uel duos nucleos, uel duas summitates. Accipiatur ergo specilli latitudine quantum spumæ æris accipi poterit, si ter in æris squamam specillum inieceris, quanquam non ignoremus & mellam esse mellis decoctum, quod apud Galenum ὀξυγλυκὺ & ἀπόμελι ex maceratis fauis in Elide præcipue de his mentio fit à Galeno in tertio commentario in librum de fracturis sectione. 49.

Nota ubi dicitur flore farinæ uel farina setania, in Aldino contextu deprauate legi ἀλείπτου quod uocabulum nihil ad propositum significat. in Hippocratis uero Græcis operibus legitur ἀλίτου quod & ad rem nihil facit, propterea arbitramur legendum esse ut Dioscurides habet ἀλωρίου idest farinæ, non autem ἀλείπτου neque ἀλίτου, nam ipse æris squamam cum farina miscet, & catapotia facit, ac deuoranda præbet, unde sequitur.

ταῦτα λεῖα τρίψας καταποτὰ ἑλκύσας δίδου. idest hæc conterantur, & in catapotia conuoluantur, & dentur, nulli dubium est ex æris squama & farina, catapotia fieri non posse, nisi aliquid addatur, iccirco Dioscorides addit mel, unde cum melle & farina ac æris squama in puluerem redacta catapotia fiunt, quæ aquam educunt. At quispiam petere posset determinatam squamæ æris quantitatem. quoniam Dioscorides de eo nihil dixit. hic author confusus est, nam dicit tres milas, idest tria specilla accipienda, ad incertū est quæ nā quantitas illa sit quæ à tribus specillis capiaẽ. Scito ex Galeno nono de compositione medicamentorum secundum locos determinatam harum pluhorum quantitatem accipi posse, nam in calce tertij capitis, cum medicamenta ad hydropem ponit ex Archigene secundo libro pharmacorum secundum genus, ubi inquit aut squamæ æris drach. j. panis medulla excipito, & catapotia facito, ac exhibeto, fortiter aquam ducunt. in hoc igitur casu intelligendum est, esse æris squamæ drachmam, quæ uel in farina recipiatur, uel in pane, & ex melle, uel ex alio liquore conglutinetur nihil ad rem facit unum est squamæ æris sumendæ quantitatem esse drachmam.

κάτω ὕδωρ καθαίρει, καὶ δίνην ἐκκοπρεῖ. idest deorsum enim aquam purgant, & fecẽ à uentre deijciunt, quæ decentur. quamuis posset etiam ad illa referri quæ dicta sunt.

ἐς ἰσχάδας, ὅπου τοῦ τιθυμάλλου ἀπόσταξι ἑκάστην ἑπτάκις ἐς ἕκαστον καὶ παιδίοισιν. idest in caricas singulas tithymalli guttas septem, etiam pueris instilla, medicamentum refert pro aqua educenda, quod & puerulis conuenit, iubet uero accipiendas esse caricas, & in singula carica septem titymalli guttæ imponantur in libro de remedijs facile parabilibus hoc præsidium refertur.

ἔπειτα ἐς καινὸν ἄγγος συνθεὶς ταριχεύεται δίδου τῷ ὑδρωπιῶντι πρὸ τῶν σιτίων, postea in uase nouo compone, concinnaque & asserua, atque ante cibum exhibe, caricæ illæ de quibus superius locutus erat, in quibus instillatæ erant septem tithymalli guttæ in nouo uase reponi, & aptari debent, ut una supra aliam sita sit, quando autem hydropicis dare uolueris, si pueri sint, unam præbe ante cibum, etiam si uiri non robusti, si robustissimi duas præbeto ante cibum, & probe dat ante cibum, quia Hippocrates censet post medicamentum cibum sumendum esse, ut in secundo huius uoluminis libro edocuerat, quanta uero sit quantitas illa septem guttarum certo exprimi non potest, Dioscorides duos præbet obolos ex eius succo, ut pituitam purget ac bilem, si per aluum educere cupias in posca bibito, si per uomitum in aqua mulsa.

Cum sint multæ tithymalli species, petes de qua author intelligat. Respondemus de omnibus intelligere posse, nam quælibet species aquam trahit, tamen & intelligi potest de prima specie, quā characiā uocat Dioscorides, qui & si dicat in asperis nasci & montuosis, tamen & apud nos circa foueas nascitur, de illoque dicit. Quidam succum excipiunt farina eruina, & in pastillos diuidunt erui magnitudine. addit postea, sunt qui stillent eum in ficus, ternas aut quaternas guttas singulis excipi satis est. deinde ut cum ijs arescat reponunt. ut ex prædictis colligi possit huric authorem septem imponere guttas. Dioscoridem uero quartam non excedere, tamen deinceps plures dat ficus, nam dicit, siccas quoque ficus ex ijs quas indicauimus binas, ternasue purgandi gratia satis erit sumpsisse, at si septem sint receptæ guttæ satis est ficum unam, uel duas si uir robustus sit sumpsisse, tamen ad aluum trahendam Dioscorides eius radicem præbet in aqua mulsa.

καὶ τὸ μηκώνιον τρίβειν. idest & meconium tere. hic & peplij semen intellige, de quo superius locuti sumus, semen hoc terendum & in puluerem redigendum crassiusculum tamen, ὕδωρ ἐπιχέων διηθεῖν. idest aquam infunde & percola. Meconij semen tritum, in uitreatum uas imponendum est, & aqua superinfundenda atque bene miscenda,

scenda, postea per sex horas dimittenda, deinde aqua percolanda & seruanda

ἄλευρον φυρῶν. i. farinā macera, ex aqua illa è meconio pcolata farinā subigito, q̄tū satis sit ad itriū faciēdū et cōponēdū.

ἴτρια ἕψειν. idest itrium coque. itrio facto ex farina subacta ex illa percolationis meconij aqua. id itrium coque. Scito uero Galenum in primo de alimentorum facultatibus de itrio egisse & eius duplex genus posuisse, præstantius Rhyemata, deterius lagana Græci appellant. sunt apud nos in laganorum modum confecta. hic author monet solam esse accipiendam farinam, & aqua illa subigendam ut pasta fiat, postea in tenuem formam extendendam, & lagana facienda, quæ coquantur. Et si petas in quo coqui debent, profecto coqui non debent in aqua illa ex meconio percolata, sed satis est ea subigi farinam ad itrium conficiendum, postea in dulci aqua coquatur.

μέλι ἑφθὸν παραχέων. idest mel coctum infunde. Antiqui ut plurimum itria ex melle comedebant, ut nostræ faciunt mulieres quando itria frigunt, & quæ uulgo guasiti uocantur & crustuli. sunt uero praui succi itria, ut Galenus notat: iecoris meatus, per quos defertur alimentum, obstruunt, lienem imbecillem augent, calculos in renibus gignunt. Additque Galenus quæ cum melle parantur, mistam acquirunt facultatem, nempe cum mel ipsum tenui humore constet, admotaque sibi omnia possit extenuare, quamobrem itria quæcunque copioso melle in ipso apparatu saturātur, diutiusque decocta sunt, merito & citatius descendunt. Et ex tenui crassoque mistum humorem procreant. iecori uero, renibus & lieni recte utique habentibus, magisquam ea quæ melle carent, conducunt. hactenus Galenus. At itrium, de quo hic author agit, cum sit ex aqua meconio percolata cōfectum, aperit, & educit aquam è uentre aqua intercute affectis. scitoque mel debere esse coctum. quod infunditur, ut minus sit flatuosum.

τοῦτον δὲ ὑδρωπιῶντι τρώγειν δίδου. idest & edendum hydrope affecto exhibe, pro cibo datur & si exhibitionis quantitatem petas, debet esse patera communis, erunt octo laganorum unciæ, in quibus mel coctum erit infusum, & hora prandij accipiatur, sumaturque hoc itrium ac si prandium sit, iccirco deinceps sequitur.

καὶ ἐπιπίνειν γλυκὺν ὑδαρέα ἢ μελίκρατον ὑδαρές. idest bibendumque uinum dulce aquosum, uel dilutam mulsam dato. qui itrium comederit sius, ut itrium facilius descendat, & facilius suum opus peragat, utque uenter melius emolliatur, uinum dulce præbet, uel mulsam, & utrunque præbet aquosum, ut meconij caliditati obsistas, nam ad quartum pertingit caliditatis ordinem, ne ergo omnia sint calida, quoniam, & mel calidum est, hæc exhibuis aquosa.

τὸ ἀπὸ τῶν κοπρίων μηκώνιον ξυλλεγὸν ταμιεύειν, καὶ θεραπεύειν. idest quod ab excrementia meconium colligis asserua & curato. Non est putandum meconium illud colligendum & seruandum quod ab eo excernitur qui itrium sumpserit, ut quidam putant, quia neque meconium itrium ingreditur, sed de meconio intelligit, quod relictum est, post aquæ percolationē, nā in aquam sola uis, & tenuissimæ partes ingressæ sunt, reliquæ q̄ crassiores sunt & magis terrestres sunt in superficie derelictæ. unde de meconio intelligit post aquæ descēsum in linteo derelicto, nam id seruandū est, idemque iterum faciendum, aqua scilicet percoletur, quæ supra posita sit, & itrium fiat ex farina, sed in hoc secundo plus itrij accipere potest, itaque æger curandus est. Illa uero quæ post percolationem excrementa uocantur, quoniam post infusiones & percolationes proijci solent, sed tanta est meconij uis ut etiam post percolationem in excrementis relinquatur.

GALENVS.

Liber hic ex his planè ostenditur commentarius esse uarijs mixtisque constans theorematis, quod in eo incomposite inordinateque ab alijs in alia fiat transitus: quo modo & hic in ea quæ per nares fit sanguinis profusione scripta sunt auxilia. Nempe alia parti ipsi quæ sanguinem profundit exhibentur, alia reuellunt, ut alui solutio: alia caput addensant astringuntque, ut refrigerantia. Quæ deinceps sunt, omnia medicamentorum scriptiones habent, & quædam commixta auxilia de appellato igitur sesamo sermonem in primis facit. Mox pilorum in palpebris manualem operationem scribit, quam ἀναβρογχισμὸν appellant. Pari modo & hemorrhoidum, alteriusque earum sanationis meminit. Postea purulentorum tum medicamenta tum sorbitiones scripsit: atque ab his compositiones eorum quæ ad oculos deputata sunt medicamentorum. Præterea de strangulationis uuluæ dignotione egit moxque de meconio. Postea de aquæ eductorio medicamento, & subinde fecis. Et demum hydericis de meconio & itrijs exhibet. Sunt autem eorum quæ serie continuata dicta sunt plurima quidem manifesta, alia nequaquam manifesta sunt, de quibus deinceps faciam sermonem.

## BRASAVOLVS.

Primo Galenus monet ex his quæ in hac parte scripta sunt, ostendi hunc librum esse commentarium, uarijs & mistis theorematis constantem, & in eo incomposite, & inordinate ab alijs in alia fiat transitus, hoc uerum esse in his auxilijs decerpere potes, quæ in perfusione sanguinis per nares scripta sunt, quoniam nonnulla exhibentur parti ipsi quæ sanguinem profundit, alia reuellunt, ut est alui solutio, alia caput adstringunt & addensant, ut sunt refrigerantia. Reliq̄ q̄ post hæc dicuntur omnia habent medicamētorum scriptiones & auxilia etiam commista, ut legenti apparet, & per omnia discurrenti.

Secundo Galenus posteaquam suppressionis sanguinis mentionem fecit, per omnes huius sententiæ, partes discurrit, & primo sermonem fecit de uocato sesamo, deinde manualem pilorum qui in palpebris dense nascuntur operationem describit, quam operationem ἀναβρογχισμὸν appellant, præterea & de hæmorrhoidibus sermonem habuit, & mentionem fecit sanationis alterius earum, deinde purulentorum & medicamenta & sorbitiones scripsit, post hæc medicamentorum compositiones prosequitur quæ ad calculos deputata sunt, & deinceps de uuluæ dignotione egit, post id de meconio tractat. deinde de aquæ eductorio, & etiam fecis agit medicamento. Denique aqua intercute affectis meconium præbet in itrijs confectum.

Denique Galenus notat ex his quæ in hac sententia scripta sunt serie continuata plurima manifesta esse, alia uero manifesta non esse. At de his quæ manifesta non sunt, posterius dicetur. Vt palam sit Galenum de his quæ non sunt manifesta locuturum esse. Tamen non extat pars, in qua de illis loquatur. iccirco in suspicionem uenimus deficere in hoc libro unum Galeni commentarium, quia ipsemet in libello de libris proprijs dicit se scripsisse quinque commentariorum libros in librum de ratione uictus acutorum Hippocratis, tres supra primos tres libros, qui indubitati sunt Hippocratis, & duos in quartum librum, qui Hippocrati attribuitur. Constat uero hic tantum unum commentariorum librum in hoc quarto. sed hac de re in initio huius quarti libri disseruimus.

FINIS.

## SERIES CHARTARVM.

a b c d e f g h i
aa bb cc dd ee ff gg hh ii
A B C D E F G H I K
AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM
NN OO PP QQ RR SS TT VV XX

Terniones, omnes excepto i Duernionibus &
K & XX quaternionibus.

*Venetijs apud Hieronymum Scotum.*

M D XLVI.

FINE